DISPVTATIONES
DE TRIPLICI VNIVERSO
CAELESTI: ELEMENTARI, ET MIXTO, PARVO HOMINE.

Intimiora Secreta Philosophiæ perscrutantes. Et naturæ mirabilia aperientes, perlustrantesque.

Ea quæ ab Aristot. ac cæteris antiquis, ac recentioribus Philosophis dicuntur, in libris de Cælo, & mundo. De Generatione, & Corruptione.

De Meteorologis impressionibus, in igne, aere, aqua, & terra. Item parua naturalia, Lib. de Physiognomia.

Sphæram Io: de sacro Bosco, & Theoricam Astrologiam.


Opus vtile. Philosophis, Medicis, Astrologis, & Cosmographis, ac cęteris nobilissimarum artium studiosis.

F. MICHAELIS ZANARDI BERGOMENSIS, EX VRGNANO, Sacræ Theologiæ Lectoris, Ord: Præd:

Si supradictis addas.

Commentaria, & Quæstiones in Logicam, Physicam, Animam, & Metaphysicam eiusdem auctoris, totum itinerarium Philosophiæ Naturalis, & Diuinæ habebis, & in partem Mathematicæ.

CVM PRIVILEGIO.



VENETIIS, Apud Ambrosium Dei. M. D. C. XIX.

Ad Signum Sancti Marci.

VNIVERSVM
CÆLESTE

DE

Omnibus, & singulis, quæ ad naturam Cælestium Spherarum, ab Empyreo vsque ad spheram Elementorum faciunt, disputans, ac concludens.

OPVS PHILOSOPHIS, ASTRONOMIS, MEDICIS, AC Cælestium spherarum studiosis. Necessarium, ac iucundum. In vnum collectum.

PER F. MICHAELEM ZANARDVM
S. Theologiæ Lectorem, Ordinis Præd.

CVM PRIVILEGIO.



VENETIIS, Apud Ambrosium Dei. M. D. C. XIX.
Ad Signum Sancti Marci.

D. O. M.

ILLVSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO

SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ,

CARDINALI AMPLISSIMO D. D. MATTHEO PRIVLO, Domino suo Collendissimo.

AMBROSIVS DEI TIPOGRAPHVS, humilis seruus. S. P. D.



Tsi quæ aliàs in quibusdam à me impressis operibus tibi pollicitus sum, Cardinalis amplissime, à grauibus meis plurimis (quarum pars aliqua non est tibi ignota) curis, & sollicitudinibus detentus ac impeditus ego, ante hac præstare minimè potui: gratissima tamen beneficia, atque maxima, quibus obstrictus perpetuò teneor, abs te, insignibus honorum, & ornamentorum splēdoribus cumulato, augustissimaque, ac excelsa domo tua mihi collata, meo animo excidere numquam possunt.

Cuius quidem generosæ atque inclitæ domus tuæ, magnanimorum Heroum Fœcundissimæ stirpis prestantissimum, eximia sublimitate, ac probitate florens germen, & caput (vt innumeros alios qui varijs temporibus pullularunt, ac pullulant, egregios heroas breuitatis gratia silentio præteream) non secus atque super omnia sydera Lucifer, ac lumina Phœbus, virtutum comitatu omnium, earum tamquam dignissimus Carissimusque alumnus, vndique circumseptus, admirabiliter effulget atque splendescit, Serenissimus de Rep. Veneta, cunctisque ciuibus, nunc Venetiarum Princeps genitor tuus. Qui amplissimis omnibus Reip. honoribus, & magistratibus laudabiliter admodum, & egregiè perfunctus, propter heroicas eius, ac immortales res gestas, gloriosaque facinora, vnanimi consensu a cunctis optimatibus Venetis cooptatus, & ab vniuersis omnium ordinum hominibus incredibili prius cupiditate atque studio expetitus, ac efflagitatus, admirabili post electionem, creationēq; voluptate lętitia, & applausu exceptus fuit. Nec profectò immeritò: cum Princeps exstat omnibus numeris absolutus; prudentia, grauitate, magnanimitate, comitāte, liberali humanitate, benignitateque, ac munificentia maximoperè excellens: Iustitiæ, integritatis, ac pietatis fulgentissimum speculum: patriæ pater optimus, atque amantissimus; inclitæ Reipub.

Vene-

Venetæ custos, presidium semper subsidiumque certissimum, firmissima basis, atque salus: excelsi cardo, spes, oculusque Senatus; in maximis omnibus Reipubl. negotijs, ac difficillimis presertim periculosissimis temporibus, & necessitatibus prudentissimus inuictissimusque, Imperator, & Dictator sempiternus. Sed quid ego nunc amens ago? qui fragili mea cimbula vastissimum profundissimumque tanti Herois laudum pelagus ingredior, proinde ne immensis fluctibus obruar, regrediar, & ad silentij portum me recipiam: rudi namque mea, & inculta oratione eius laudes minuere quidem, ac obscurare, non autem augere, vel illustrare possem. Huius tanti Principis tibi dignissimo filio, Illustrissime, ac Reuerendissime Cardinalis, nunc ego humillimus, ac deditissimus famulus offero, atque dico mecum simul, fratribusque meis mecum, hoc munusculum, & etiam atque etiam orans, vt ipsum hilari vultu fronteque serena accipere non graueris. Ego igitur, ac domus mea tota, hoc exiguum munus tibi dicat, & consecrat, vt non solum nostræ, sed & auctoris operis perpetuæ in te obseruantiæ sit sincerissimum testimonium. Nam si tibi multa debemus, operis etiam compositor ex multis à te gratijs, ac fauoribus receptis se tibi addictum seruum profitetur. Hic finem faciens, me totum tibi commendo, atque trado; Deumque Optimum Maximum oro, vt te diutissimè conseruet incolumen, bonaque omnia hoc, ac in futuro seculo tibi contingere faciat.

Tuæ Illustrissimę, ac excelsę amplitudinis addictissimus famulus &c.

Ambrosius Dei Tipographus Venetus.

LICENTIAM
REVEREND. P. MAGISTRI
GENERALIS TOTIVS
Ordinis Prædicatorum,

Habes in initio aliarum partium Philosophiæ.

ATTESTATIONES.

OPus cuius titulus est. Disputationes de triplici vniuerso R. P. F. Michalis Zanardi Sacr. Theolog. Lectoris Ordin. Præd. Ego Frater Io. Petrus Astorius Sacr. Theol. Magister eiusdem Ordin. diligenter examinaui, & maturo iudicio, magnoque labore concinnatum hoc opus deprahendi, nihilque sanæ fidei, aut moribus salutaribus aduersum continere inueni, sed varia, ardua, & difficilia mira claritate, & breuitate explicare cognoui, nec non scitu digna in apertum prodere in studiosorum vtilitatem, ac iocunditatem reperi, quapropter impressione dignum, ac ab omnibus studiosis legendum, & amplexandum iure merito censui.

Dat. Venetijs Die 4. Iulij 1619.

Frater Ioannes Petrus Astorius S. Theol. Magister, qui supra.

Nos F. Raymundus Zanellus. S. T. Lector, ac Conuentus. S. Dominici Venetiarum Prior, vidimus disputationes de triplici vniuerso. R. P. F. Michaelis Zanardi. S. T. Lectoris moralis in supradicto nostro Conuentu, nihilq; in eis fidei, vel bonis moribus dissonum reperimus, & ideo eas approbamus, & pro quanto in nobis est facultatem eas imprimendi facimus.

F. Raymundus. qui supra, manu propria.

Attestationibus suprascriptis hærens, idem Opus Typis concessit: Fr. Ioannes Dominicus Vignutius, Ordinis Prædicatorum, Sacr. Theolog. Doctor, & Generalis Inquisitor &c.

INDEX QVÆSTIONVM
PRIMÆ PARTIS
VNIVERSI CÆLESTIS.

Index quæstionum secundæ partis Vniuersi Cælestis.

7 Quid

INDEX NOTABILIVM RERVM VNIVERSI CAELESTIS.

For-

G

H

I

L

M

O

P

Sa-

Corrigebat F. Io. Petrus Astorius Mag.

ERRATA.

Hic non sunt minutiora Errata notata, quia alia ratione irrepserunt, quam auctoris, & correctoris incuria. Vbi in accusatiuo, in quibusdam paucis tamen locis inueneris Verem, & roburem, lege Ver, & robur. Cetera poteris tu prudens Lector corrigere, tibi enim etiam relinquitur aliquis labor, & ratio exercitij.

VNIVERSI COELESTIS:

F. MICHAELIS ZANARDI BERGOMENSIS ORD. PRAEDIC.



QVÆSTIO PRIMA.

Vtrum Cœlum sit animatum anima informante.



VIDETVR quod sic, per Philosophum in secundo Cœli, tex. 61. vbi dicit. Loquamur de stellis, tanquam de corporibus viuis, & actionem habentibus.

2 Idem tex. 7. eiusdem dicit in Cœlo esse dexterum, & sinistrum secundum se, & vt sunt in animali.

3 Nullus effectus est nobilior sua causa. Animatum autem est nobilius innanimato; Sed Cœlum est causa animatorum. Ergo erit animatum.

4 Quod semper mouetur, ab anima aliquid appetente mouetur, per Aristot. 12. Meth. Sed Cœlum semper mouetur. Ergo habet animam mouentem.

5 Primum in vnoquoque genere habet rationem illius generis, cum ei primo conueniat. Sed in genere mobilium Cœlum est primum. Ergo habet animam mouentem.

6 Quod habet determinatam figuram est animatũ, vt patet in arboribus, bobus, &c. Sed Cœlum habet determinatam figuram. Ergo &c.

7 Cœlum producit viuentia ex putri materia, & intelligentia motrix tunc solum applicat actiua passiuis. Ergo necessarium est Cœlum esse animatum, quia nemo dat, quod non habet.

8 Aut Cœlum mouetur naturaliter motu circulari, aut ad hunc motum est indifferens. Non secundum, quia natura Cœli determinata est ad vnum. Aut igitur mouetur circulariter, quia est sphericum, & hoc non, quia figura spherica est propter motum, & non motus propter ipsam. Ergo erit à propria anima.

9 Habere diuersas partes, diuersas virtutes, efficaciores, & debiliores, arguit animationem habentis, vt patet in animali. Sed hanc partium diuersitatẽ conspicimus in Cœlo. Ergo erit animatum.

10 Omne Corpus sphericum naturale, mouetur naturaliter; Sed Cœlum est corpus sphericum naturale. Ergo mouetur naturaliter. At quod mouetur naturaliter, ab intrinseco mouetur, per Arist. Ergo.

11 Intelligere, & velle sunt actiones immanentes viuentis; Sed Cœlum intelligit, & vult per Arist. tex. 36. 12. Methaph. Ergo.

12 Commentator secundo Cœli, tex. 3. habet, ex intelligentia, & Cœlo fieri verius vnum, quã ex materia, & forma; Sed vnio materiæ, & formæ est intrinseca. Ergo, & Cœli, & intelligentiæ.

13 Hæc præpositio Philos. text. 36. vt supra est vera, Cœli mouentur, quia intelligunt. Ergo hoc habent ab intrinseco.

14 Si dicatur intelligentiæ repugnare esse formam Cęli. Contra, aut hoc erit quia est immaterialis, aut quia est completa substantia in specie; Sed primum non repugnat, vt patet in anima intellectiua, quæ est forma corporis. Nec secundum, quia hoc non repugnat formæ largienti operationes, quæ non est pars speciei, nec finis generationis, vt esset anima Cœli. Ergo.

15 Si Cœlum ideo diceretur animatum, quia habet intelligentiam viuam mouentem, plaustrum quoque sic diceretur animatum, quia habet boues trahẽtes animatos, & ita si diceretur solum mouere seipsum, quia habet virtutẽ intelligentiæ vnitam, ita plaustrum diceretur mouere seipsum, quia habet virtutem bouum vnitam; Sed hoc est falsum, & inconueniens. Ergo.

16 Totum non est deterioris conditionis quam sint partes, & consequenter si partes sunt animatæ, totum quoque erit animatum; Sed partes vniuersi sunt animatæ, scilicet arbores, herbæ, volucres, animalia, & pisces. Ergo, & Cœlum, quod est veluti complementum totius vniuersi.

17 Boetius 3. de Consolat. Philos. Met 9. ait, vniuersum esse animatum, Deumque per motum corporum Cœlestium cæteris vitam ad ministrare. Ita D. August. 2. super Genes. ad litteram, cap. 18. & in Encherid. cap. 18. docet sibi esse incertum an stellæ, & corpora cęlestia sint ad societatem beatorum spectantia, vel non. Imo Psal. 135. eis attribuitur intellectus, dum dicitur. Qui fecit Cęlos in intellectu, & in Ecclesiast. dicitur. In circuitu pergit spiritus, & in circulo reuertitur, & loquitur de Sole, & anima Cœli, vt interpretatur D. Hieronymus. Ergo &c.

18 Quanto entia sunt viciniora, tanto sunt similiora, quia hoc postulat affinitas partium coherentium vniuersi; Sed Cœlum est maxime propinquum intelligentiæ viuenti. Ergo & ipsum viuit.

19 Rectori viuentium, non videtur statuendum vita priuari, quia incongruum videtur viuentia, & sensata per innanimata regi. Sed Cœlum inferiora, animata, & sensata regit per Arist. 1. Meteororũ c. 2. Ergo Cœlum erit animatum.

Ad decisionem præsentis quæstionis. Primo quasdã annotationes proponemus. Secũdo duas conclusiones probabimus; & Tertio loco supradictis argumẽtis satisfaciemus. Quo ad primum ergo primum notandum venit, quod dupliciter aliquid dicitur animatum. Primo proprie, scilicet per animam informantem, quæ est actus corporis Physici. Secundo communiter, scilicet per intelligentiam mouentem, prout mouens potest dici anima moti. Difficultas est, an Cœlum habeat animam informantem, & viuificantem, nam de secundo clarum est apud Arist. 8. Phy. & 12 Meth. scilicet Cęlum habere intelligentiam ipsum mouentẽ. Caldei tamẽ, & Prisci Phil. teste Platone in Cratillo, & Epaminonda, sustinuerunt Cœlum esse animatum anima informante, quod & receperunt Aegyptij, & Arabes, immo & quidam moderni, vt dicemus. Disputatio igitur erit an Cęlum sit animatum proprie anima informante, & viuificante secundum se quidem, & exclusa intelligentia ipsum mouente.

Secundo notandum venit igitur, quod in hac difficultate quo ad intentionem Arist. duæ præcipue sunt opiniones, & si non bene claræ. Prima tenet Aristot. fecisse Cœlum animatum proprie. Hanc receperunt Soncinas 12. Meth. q. 12. vbi affirmat hoc idem esse de opinione Auerrois, quod tamen negat Iauellus q. 16. & 17. sed male, vt deducit S. D. secundo contra gentes, cap. 70. in quo cap. idem S. D. de mente Arist. docet cælũ esse animatum. Hoc idem tenuerunt plures alij apud Conimb. 2. Cęli, q. 1.

Secunda sententia est expressa D. Thom. p. p. quæst. 70. artic. 2. scilicet Cœlum esse animatum non anima informante dante vitã, sed assistente dante motum, hancque opinionem amplexati sunt Damascenus, Cirillus, Ambrosius, Basilius, Alensis, Albertus Magnus, Bonauentura, Durandus, Aegidius, & alij plures apud Conimb. vt supra. Quare Capreolus in 2. dist 9. q. 1. ar. 1. tradit esse alienum à fide tenere Cœlum esse animatum anima informante, hocque idem tradit Soto q. 3. & à Parisiensibus damnatur, vt error contra fidẽ. Hanc eandem opinionem D. Bonauẽtura in 2. q. 14. appellat erroneam, & falsam, & D Hier. in Epistolis ad Pammacchium, & Auitum eam inter errores Origenis connumerat, & D. Epiphanius lib. 2. Pascarij, & D. Irineus lib. 1. contra hereses, inter Marcosiorum dogmata statuit. Immo Nicephorus lib. 17. Ecclesiast. tradit quartam Synodum Constantinopolitanam (quæ est secunda, ex his quæ Constantinopolim coactæ sunt, vt patet Tomo secundo Conciliorũ) hanc

hanc opinionẽ sub Anathemate damnasse his verbis. Cœlum, Lunam, Stellas, & Aquas quæ supra Cœlos sunt, animantes esse, & Materiales virtutes, Anathema sit. Sed tamen de hoc decreto non bene constat, quapropter si hæc opinio saluabitur ab heresi, non liberabitur à maxima temeritate, & errore.

Tertio igitur considerandum venit, quod Cœlum dicatur animatum dupliciter explicari potest. Primo, vt diximus proprie, & actualiter, idest per animam informantem. Secundo virtualiter, seu æquiualenter, ac si esset animatum proprie, & hoc secundo modo Cœlum potest dici animatum inquantum est vnitum intelligentiæ mouenti, & viuenti, & sic producit ipsa viuentia, sicut etiam calor naturalis vnitus animæ viuenti generat carnem. Quare nõ est mirum, quod de eo Arist. loquatur, vt de animato, vt dum ei attribuit 8. Physicorum quod à seipso moueatur, quod diuidatur in duas partes, scilicet in partem mouentem, & mobilem, & secundo Cœli asserat in Cœlo esse dextrum, & sinistrum secundum se, idest ratione diuersarũ stellarum habentium virtutem dexteri, & sinistri. Et ita tertio de anima, & 12. Meth. ei attribuat intelligere, & velle, ratione intelligentiæ volentis, & intelligentis ei vnitæ.

Quarto notandum venit, quod duplex est vnio mouentis cum mobili. Prima dicitur solum motiua, quia mouens vnitur mobili mouendo ipsum, & sic projciens lapidem dicitur ei vnitus, per impulsum. Secunda dicitur motiua, & qualificatiua, sed per modum qualitatis permanentis, & ita vnitur intelligentia Cœlo, per quandam qualitatem in eo operantem, adeo vt sicut accidens dum substantiam causat dicitur substantia causaliter, ita dum Cœlum animata producit per intelligentiam viuentem, ita causaliter dicatur viuens, vnde potest Cœlum dici animatum causaliter, sed non formaliter.

Quinto notandum venit ad concilianda diuersa dicta D. Thomæ nam p.p. q.70. art.3. & de spiritualibus creaturis, artic.6. affirmat Arist. tenuisse Cœlum esse animatum tantum anima assistente, & in secundo contra Gentes cap.71. disputãs cum Auerroe an intellectus vniatur homini vt forma, dicit Arist. sensisse, Cęlum esse animatum anima informante.

His diuersis dictis respondet Iauellus 12 Meth. q.16. & Ferrariensis 2. contra Gentes loco citato, Aristo. tenuisse Cœlum de facto non esse animatum anima informãte, sed de possibili, & ita S.D. secundo contra gentes loquitur de mente Arist. de possibili, idest, quod animatio Cœli non repugnat eius principijs, in prima vero parte loquitur de eius intentione de facto.

Vel secundo dicendum, quod in secundo contra gentes locutus est S.D. de animatione Cœli, secundum ea quæ dicit Auerroes, in prima vero parte locutus est, secundum propriam sententiam.

Quo ad secundum ergo principale prima Conclusio est. Cœlum de facto non est animatũ anima informante. Probatur primo. Aut illa anima vniretur Cœlo, ad hoc vt intelligeret, aut ad hoc vt ipsum moueret. Non primum, quia intelligere non depẽdet à corpore. Nec secundũ, quia motus nõ indiget anima dãte esse, sed motũ.

Respõdet Ferrariensis 2. contra gentes, c.70. Quod illa anima vniretur propter motũ, vt per instrumentum coniunctum, quia sic nobilior esset motus. Sed hæc responsio quãuis aliquo modo videatur de mente S.Tho. secundo Cœli, tamen in se debilis est, quoniam ille motus est nobilior, vt est per intelligentiam separatam mouentem, per impressionem cuiusdã qualitatis spiritualis, quam si esset per propriam animam.

2. Si cælum esset animatũ, anima eius moueretur per accidens ad motum totius Cæli, vt patet in corpore animato, ex 7. & 8. Physicorum. Sed hoc est contra Arist. 8. Physicorum, tex.52 Ergo. Respondet idẽ qui supra, quod eo loci loquitur Arist. non de motore mouente effectiue, vt mouet anima, sed finaliter, idest per modum amati, & desiderati.

Secundo dicit ibi Arist. loqui de eo motore, ac si esset primus. Sed hæc non satisfaciũt. Primo, quia idem est primus motor inuestigatus 12. Meth. & 8 Phys. quo ad substantiam, vt ostendimus 12. Meth. Secundo, quia ibi loquitur Arist. de motore coniuncto, qui mouet per modum efficientis, & non de separato, mouente per modum finis, secundum communem expositionẽ.

Tertio, Anima est actus corporis, Physici, organici. Sed Cælum non est corpus organicum, habens diuersas partes, quia ad nihil in ipso facerent. Ergo &c. Respondet qui sup. Primo, quod diffinitio animæ assignata

gnata ab Arist.2. de anima, quod sit actus corporis organici, est tantum vera de anima rerum corruptibilium. Secundo dicit, quod Cælum potest dici corpus organicum, prout producit diuersos effectus in inferioribus. Sed prima responsio pugnat cum Arist. loco citato, dicente illam diffinitionem conuenire omni animæ, distinguenti animatum à non animato. Secundo, quia sic talis diffinitio non conueniret animæ intellectiuæ à corpore separabili. Secunda responsio friuola est, quia patet ibi Arist. loqui de corpore organico formaliter, dicere vero talem animam esse actum corporis organici in potentia, nihil est, cum hæc potentia non sit Physica, reducibilis ad actum.

Quarto. Anima est tota in toto, & tota in qualibet corporis parte, per Aristot.2.de anima; Sed mouens cœlum non est in toto cælo, sed in circunferentia, per Aristot.8. Physic.tex.84. Ergo &c. Respondet qui supra, Arist. ibi loqui de intelligentia mouente. Sed ego subinfero. Ad quid igitur datur anima cæli? si ipsum non moueret &c.? Et ad quid diceremus cælum viuere, si esset, sine inditijs operum vitalium?

Quinto. Natura abhorret vanum, & non deficit in necessario. Sed vanum esset ponere intelligentiam mouentem cælum, si propriam animam haberet, nam esset corpus perfectum, & perfectius animantibus, quæ se ipsa mouent. Immo natura defecisset in eo in necessarijs, priuando ipsũ operationibus viuentium, augmento, decremento, sensibus, ore, voce, & similibus. Ergo cælum non est animatum.

Sexto, per Arist.8.Physic.tex 40. Motor orbis cælestis ei vnitur contactu virtutis. Ergo non animæ, & tex.88. statuit motorem cæli, vbi velocissimus est eius motus. Ergo non erit in toto corpore cælesti, vt anima est in animato.

Secunda Conclusio principalis est. Intelligentia nõ potest vniri cælo, vt anima, seu forma. Probatur primo. Forma vnitur materiæ existenti in potentia, mediantibus dispositionibus, alteratiuis. Sed cælum est ens actu perfectum, cuius materia non est alterabilis. Ergo intelligentia non potest ei vniri, vt forma.

Secundo. Ex materia, & forma fit vnum per se, ita vt forma non possit separari à materia sine corruptione subiecti, per Arist. 2.de anima. Sed ex intelligentia, & cælo non potest fieri vnum totum per se, tum quia intelligentia est ens completum per se, tum quia est immaterialis substantia, & sine ordine ad materiam. Ergo intelligentia non potest ei vniri, vt forma.

Tertio. Nulla virtus mouens tempore infinito, potest esse in magnitudine, per Aristot.8.Physic.tex.79. Sed intelligentia mouet tempore infinito per eundem 12. Metaph. tex.43. Ergo non potest esse in magnitudine cæli, vt forma.

Quarto. Omnis forma dans esse, in mouendo fatigatur, per Arist.2.coeli, tex.3. Sed intelligentia non potest fatigari in mouendo, aliter non moueret motu regulari. Ergo non potest vniri cælo, vt forma.

Ad primum primo dicitur, quod Arist. facit cælum animatum, vt includit intelligentiam, non vt eam excludit. Secundo dicitur, quod ipsum facit animatũ non actualiter, sed virtualiter, vnde non dixit absolute ipsum esse animatum, sed tanquam animatum.

Ad secundum idem dicitur, & additur, duplicem esse opinionem, an cælum habeat differentias positionum ex natura rei, scilicet dexterum, & sinistrum; ante, & retro; sursum, & deorsum. Prima est negatiua, quàm defendit Franciscus Mirandulanus lib 6.de examine vanitatum, & Scaliger in Exercit. 67. contra Cardanum, quam probant. Primo. Cælum est homogeneum, & rotundum. At in tali non conspicitur diuersitas partium. Secundo, quia in cælo vna pars non est altera fortior, vt est dextera in animali. Tertio, quia pro diuersitate regionum, id quod nobis est dexterum, alijs erit sinistrum. Oppositum tamen docuit Aristot. loco citato, & cum eo Albertus de quatuor coeuis p.p.q.4. artic. 5.6. & 7. & Plutarcus lib.2.de Placitis capi.10. Dicendum est ergo, quod cælum bifariam considerari potest. Primo vt consideratur communiter secũdum se solum, & sic argumenta primæ opinionis procedunt. Secundo in ordine ad intelligentiã, in oriente residentem, & sic in cælo dicitur esse dexterum, idest oriens, sinistrum, idest occidens, caput, articum, & pedes, antarticum.

Ad tertiũ respondent aliqui, quod non omne corpus viuens est nobilius non viuente, vt formica, cælo, sed solũ aliquod corpus, idest hominis. At D. Caietanus p.p.q.3. artic.1. asserit corpus viuum esse nobilius

corpore

corpore non viuo, etiam cælo, simpliciter, sed secundum quid, esse econtra. Hoc autem sic explico, quod cælum est nobilius quo ad aliquas conditiones accidentales corpori, scilicet quo ad incorruptibilitatē, necessitatem, caulalitatem, sed non simpliciter, scilicet quo ad substantiam rei. Probatur primo. Quia gradus vitæ, vt est vitæ, supereminet gradui essendi sine vita. Secundo, quia viuere includit esse, & ei perfectionem addit. Tertio, quia operationes vitales sunt abstractiores, & consequenter nobiliores. Alij dicūnt corpora cælestia esse nobiliora quo ad modum essendi, quia habent esse incorruptibile, nō autem quo ad gradum essendi. Sed hoc in idem reddit quod supra, & est responsio D. August. de ciuitate Dei, cap. 16. de vera Relig. cap. 29. & S.D. vt supra. Ad argumentum igitur dicitur, quod cælum consideratum sine intelligentia non est causa vitæ &c. sed bene cū intelligentia. Quare bene dixit D. Thom. de Pot. q. 3. artic. 11. ad 33. & 44. quod actio vitæ subministrata inferioribus est ab intelligentia principaliter, & à cælo instrumentaliter, quia illa actio vitalis suscipitur in cælo intentionaliter, per modum transeuntis in particulari, & permanenter in vniuersali.

Ad quartum patet quod mouetur ab intelligentia, quę semper appetit Deo assimilari, vnde dicitur etiam moueri à Deo per modum finis amati, & desiderati.

Ad quintum dicendum, nil impedire corpora incorruptibilia habere determinatam figuram, iuxta eorum exigentiam.

Ad sextum dicendum, quod motus cæli est primus, & ideo debet primo habere illud quod cōuenit motui secundum se, tale est autem vniformitas, regularitas, nō moueri ab alio inferiori, & debere se mouere, actiue, vel passiue, vnde moueri ab anima non conuenit mobili, vt sic, sed vt est mobile animatum.

Ad septimum dictum fuit, quod intelligentia causat in inferiora vitam principaliter, & cælum instrumentaliter.

Ad octauum dicendum, quod cælum inclinatur ad motum circularem ex propria forma, quæ non habet mouere, sed dare inclinationem ad motum.

Ad nonum dicendum, quod diuersæ virtutes stellarum, &c. formas eorum substantiales consequuntur, & ideo varios, diuersosque effectus causant. Primo quidem propter diuersum esse proprium specificum. Secundo propter diuersos aspectus. Tertio propter varias permixtiones. Quarto propter multiplices dispositiones suscipientium, prout etiam videmus ignem lutum indurare, & ceram liquefacere.

Ad decimum dicendum, quod cælum habet principium sui motus intrinsecum passiuum, & hoc ei sufficit, mixta vero, & elementa habent principium sui motus intrinsecum, vt quo, vel quod, sed cætera non sunt paria.

Ad 11. dicendum, quod ibi Aristot. loquitur de cælo non præcisè, sed pro aggregato ex ipso, & intelligentia, ratione cuius dicitur intelligere, & velle.

Ad 12. dicēdum, quod ly magis vnum, idem sonat quod nobilius vnum, non magis vnum, idest naturalius.

Ad 13. dicendum, quod propositio Philosophi sic est glossanda, cæli mouentur ab intelligentijs, eo quia intelligunt, vt supra diximus.

Ad 14. diximus, repugnare intelligentijs vniri cælis, vt formæ, quia sunt substantiæ completæ. Nec verum est, posse esse aliquam formam dantem vltimam perfectionem, & non esse, quia operari formale, requirit esse formale.

Ad 15. dicitur, quod ex cælo, & intelligētia, magis fit vnum, quam ex plaustro, & Bobus. Primo, quia inter plaustrum, & Boues non cadit nisi cōtactus quantitatiuus, inter cælum vero, & intelligentiam cadit contactus virtutis, quia cælum suscipit virtutem intelligentiæ intentionaliter. Secundo, quia cælum habet naturalem inclinationem ad hoc vt solum moueatur ab intelligentia, plaustrum vero potest moueri à bobus, ab hominibus, ab equis, &c.

Ad 16. primo dicitur ad maiorem, quod duplex est totum. Primum dicitur continuū, & hoc nobilius est partibus, vt quod. Secundum dicitur totum aggregatione, vt est vniuersum respectu suarum partium, & hoc non est necessarium esse nobilius. Secundo dicitur, quod si argumentum aliquid probaret, de vniuerso probaret, non de cælo. Tertio tamen dicitur ad minorē, quod partes sunt in duplici differentia. Nam quædam sunt ad vitam, & quædam solum ad motum, non inquam ad hoc, vt viuant, sed vt sint veluti instrumenta viuentis. Primæ de quibus est argumentum debent viuere, non secundæ, vt sunt cæli,

sed

sed debent moueri ab intelligentijs viuentibus.

Ad 17. dixit S. D. eò loci Boetium loqui de anima cæli assistente, non de informante. Secundo dicitur ibi esse locutum non secundum propriam sententiam, sed ad mentem Platonis. Ad D. August. dicimus, ipsum alibi, scilicet libro de duabus animabus, cap. 4. firmam sententiam tenuisse, dicendo muscam esse cælo præstantiorem, quia ipsa viuit, & cælum non, & 1. Retrat. dicit, quod quæ scripserat lib. de immortalitate animæ, de animatione mundi temerè scripsisse, & cap. 7. affirmat, quæ de animatione cæli dicuntur, per tropum, & figuram esse accipienda. Ad dictum Psalmi dicitur, quod dupliciter potest intelligi. Primo formaliter, idest, quod Deus fecit cælos in intellectu, idest cũ intellectu. Secundo causaliter, idest intellectu, & sapientia sua fecit eos, quia dixit, & facta sunt, dicere enim pertinet ad intellectum. Primum sensum non abhorret Caetanus, sed secundus est verus. Si tamen vis primam expositionem tenere, dic Psalmum ei attribuere intellectũ, non ratione propriæ animæ, sed ratione intelligentiæ mouentis. Ad locum Ecclesiast. multipliciter respondet S. D. Opusc. art. 6. & Aegidius 2. dist 24. Sed dicitur, quod nomine spiritus sol intelligitur, qui dicitur spiritus, non formaliter, sed causaliter, quia sua luce, & influxu vitam tribuit, & viuentia alit, mouetq. ab intrinseco ad opera vitæ.

Ad 18. dicitur ad minorem, quod duplex est propinquitas. Prima dicitur naturæ, & hæc cadit inter magis similia natura. Secunda dicitur mouentis, & moti, agentis, & instrumenti, & hæc potest cadere inter diuersa natura, vt inter cælum, & intelligentiam, nam prima eis negatur.

Ad 19. dicitur, quod cælum sumptum simul cum intelligentia dicitur inferiora regere, & sic latè dicitur animatum.

QVÆSTIO II.

Vtrum Cœli, & Stellæ agant in hæc inferiora.

Videtur quod non. Nam à causa necessaria, procedit effectus necessarius; Sed cælum necessario agit, & inuariabiliter. Ergo effectus, idest inferiora necessario agerent, & sic tolleretur contingentia.

2 Superiora agunt in inferiora per media, in ea imprimẽdo aliquam qualitatem. Ergo Saturnus qui est superior Marte in ipsum imprimit frigiditatem; Sed hoc non potest esse, quia orbes cęlestes, & Planetę, non sunt susceptibiles alicuius qualitatis alterantis, neque Mars est susceptiuus frigiditatis, cum sit calidus, & siccus. Ergo.

3 Si agerent in inferiora, aut agerent mediante forma permanente, aut mediante motu. Non secundum, quia motus nõ est forma actiua. Non primum, per Arist. 8. Physicorum. Ergo.

4 Causa vniuersalis, effectum vniuersalem producit; Sed Cælum, & Stellæ sunt causæ vniuersales. Ergo non producunt nisi motum, & lucem, effectus vniuersales.

5 Effectus determinatus, habet suam propriam causam determinatam. Ergo Leo, Leonem, & Homo, Hominem. Ergo non exigit causam vniuersalem, idest Cælum.

6 Si cælum ageret in hæc inferiora per motum, influeret tanquam per necessariã conditionem sine qua non. Sed hoc est falsum, quia magnes immotus ferrum attrahit, & ignis immotus, calefacit. Ergo.

7 Si cælum quiesceret, adhuc Sol terram illuminaret, & ipsam calefaceret, nam soli secundum se conuenit illuminare, & calefacere, & tamen sol immotus maneret.

8 Si aqua moueatur, non calescit, sed frigescit. Ergo motus non causabit in ea calorem, &c.

9 Damascenus habet. Nos dicimus quoniam corpora cælestia non sunt causæ alicuius eorum quæ fiunt, neque corruptionis eorum, quæ corrumpuntur, signa autẽ magis sunt imbrium, & aeris transmutationis.

10 Ad actionem sufficiunt agens, & patiens. Sed in inferioribus patiens est materia, & agens quo, qualitates, & primum operans. Ergo.

11 Agens producit sibi simile; Sed Cæli non producunt sibi simile, cum genita sint calida, & humida, non sic cæli. Ergo.

12 Argumentatur D. August. Nihil est naturalius sexu corporis. Sed nos videmus duos etiam gemellos sub eadem constellatione natos differre quandoque in natura, & moribus. Ergo &c.

13 Cælum non agit mediante forma permanẽte: Cum sic non esset generatio cum motu, nec mediante motu, cum motus non agat. Ergo &c.

14 Causa

14 Causa vniuersalis non distinguit, cum hoc sit munus particularis causæ. Sed cælum est causa vniuersalis. Ergo non curabit particularia.

15 Cælum non potest facere, quod de Leone non nascatur Leo, & de Boue bos. Igitur nulla erit actio cæli, præter actionem particularis.

16 Mirabile hoc est, quod duo nati cum eodem Horoschopo vnus in Italia litteris, ac religioni sit intentus, & alius apud Turca in Tracia sit irreligiosus, & sine litteris. Ergo hæ inclinationes non sunt à Cælis.

17 Aristot.2.de generatione, textu 56. negat motum diurnum primi mobilis esse causam generationis, & corruptionis, hocque attribuit soli per Zodiacum peragranti. Ergo saltem non omnes cæli influunt in inferiora.

18 Si cælum agit in inferiora, per lucem agit; Sed hoc est contra Arist.2. de anima tex.126. dicentem, lucem, & tenebras nullum effectum facere in corpora.

19 Cælum Empyreum est immobile. Ergo saltem ipsum non agit in inferiora, cum dicamus cælum agere per motum.

20 Sic corpora damnatorum per naturam essent incorruptibilia ab igne, data cessatione motus cæli, si est causa actionis omnis.

21 Sic motus nõ posset fieri in vacuo, quia in eo non esset continuatio inferioris moti, cum superioribus mouentibus.

22 In Beatis ponemus actionem omnium sensuum, & tamen non subijciuntur motui cæli. Ergo motus cæli non est causa omnis actionis.

23 Iosue 10. primo Paralip. 9. Sol, & Cælum steterunt contra Gabaon, & tamen motus inferiores non cessauerunt.

24 Hoc idem D. August. docet, quod cessante motu cæli adhuc figulus posset mouere rotam.

25 D. Thom. de pot. q.5. art.10. ad 8. dicit, quod cessante motu cælicor moueretur, & Opusc.11. art.12. asserit, quod per subtractionẽ diuini influxus omnia subito perirent, non sic per subtractionem motus cæli, sed post aliquod tempus.

26 Lux cælestis, quæ ponitur producere varios effectus, aut eminenter cõtinet varias qualitates, aut non. Si primum, vna Stella non poterit infrigidare; Si secundum, hoc videtur sibi repugnare, quia omnibus Stellis à Sole illuminatis conuenit calefacere, & nõ infrigidare Ergo &c.

27 Mirabilius est, quod asserunt Astrologi, Lunam respectu aliquorum infrigidare, & respectu aliorum calefacere.

28 Omne agens agit, vt in effectum sui similitudinem exprimat, per D. Dionysium 2.cap. de diuinis nominibus, & Arist. 1. de ortu, & interitu tex.51. At corpora cælestia non possunt in inferiora suam similitudinem exprimere, cum non possint procreare alia corpora cælestia. Ergo.

29 Agens debet esse immediatum patienti, per Arist. 7. Physicorum; At corpora cælestia multum distant ab inferioribus. Ergo.

30 Motus Cœlorum regulares sunt, & inuariabiles. Ergo non generant contingentia.

Pro solutione huius magnæ quæstionis, quæ multas alias secum trahit. Primo apponemus aliquas annotationes. Secundo loco nostram conclusionem probab.mus. Tertio diluemus argumenta, & quarto loco adijciemus aliquas quæstiones.

Quoad primum. Primo notandum venit circa titulum quæstionis, quod causa bifariam sumitur. Primo pro agente, & causante. Secundo pro ratione agendi. Primo modo loquimur de causis, idest de causis influentibus, distinctis suppositaliter ab ijs in quę influunt, nam plures rationes agendi possunt esse in eodem supposito, vt in homine, intellectus, voluntas, generatiua, nutritiua, &c. Item loquimur de causis totalibus, concurrentibus ad productionem eiusdem effectus, sed diuersorum ordinum, & sibi essentialiter subordinatarum.

Secundo igitur notandum, quod in hac parte duæ sunt præcipue sententiæ multa capita habentes. Prima docet efficientiam Cœlorum in hæc inferiora, sed negat eã, vt necessariam per motum, ad generationem formarum tantum accidentalium. Ita docet Durãdus in 2 dist. 15. q.1. & 3. Alex. apud D. Tho. in 2. Cæli lect 4. à quá non longe recedit Soncinas 12. Meth. q 13. Picus vero Mirandulanus libro contra Astrologos tenet, Cœlos non agere in hæc inferiora nisi vniuersaliter, vnde effectus inferiores dicit non esse reducendos ad constellationes, seu positiones sydderum. Franc. Suarez Disp. 22. in hac opinione est, quod causa sufficientes per se à corporibus

poribus cæleſtibus non dependent, quare ſi Cęlum ſtaret, adhuc ignis calefaceret & color potentiam viſiuam mutaret, vnde dicit influxus Cælorum ſolum eſſe neceſſarios reſpectu cauſarum inſufficien tium, vt eas adiuuent, foueant, &c. & pro ſe, adducit Scotum in 2. diſtin. 14. q. 3. & Rich. art. 2. q 6. & Henr. Quodlib. 11. q. 15. & Quodlib. 14. q. 1.

Sed quod Cæli agant in hæc inferiora, docuit Triſmegiſtus in Arclopio, Plato, in Theateto, Ariſt. 2. de Generat. tex. 55. & 56. lib. 4. de Generat. animalium cap. vlt. 12. Meth. tex. 33. 44. 2. Phyſic. tex. 26. Phylo Iudęus libro de Mūdi Opificio, D. Dionyſius c. 4. de diuinis nominibus, D. Aug. 13. de Trinitate cap. 40. D. Baſilius Hom. 4. Hexameron. Iauellus 12. Met. q. 13. Sot. 2. Phyſicor. q. 4. & in 4. diſt. 48. q. 2. art. 2. & Ferrar. cum S. D. 4 contra gentes c. 97.

Tertio conſiderandum ergo venit, quod cælum dupliciter agit. Primo immediate, & ſine concurſu alterius cauſæ, v. gr. Sol ſic illuminat inferiora, & ſuperiora, calefacit elementa, & producit multa ex putri materia. Secundo agit mediate, ideſt mediantibus cauſis inferioribus, ſibi ſubordinatis, quo iure cælum dicitur cauſa vniuerſalis, quia magis diſtat ab effectibus rerum cauſatarū, & ad omnes hos operatur, & de hac ſecunda actione cæli loquimur.

Quarto notandum venit, quod corpora cæleſtia mediante luce primo dicuntur agere in hæc inferiora, quare loca illuminata calidiora ſunt, quàm vmbroſa, vnde merito Ariſtot. 2. cæli tex. 42. & S. D. p. p. q. 67. artic. 3. & 2. cæli lect. 10. & 2. de anima text. 70. dixerunt lucem eſſe qualitatem actiuam, vt tamen eſt qualitas primi alterantis. Secundo Cęli operantur in inferiora mediantibus quibuſdam influentijs, & proprietatibus ſibi cōnaturalibus, ex quibus, & ſi omnes ſtellæ luceant, tamen aliquæ ſecundum proprias qualitates infrigidant, ſed cauſaliter, vnde dicunt Aſtrologi Saturnum eſſe frigidum, & ſiccum; Martem calidum, & ſiccum; Iouem & Venerem humidos, & calidos; Lunam humidam, & frigidam; Solem calidum, & ſiccum, & ita aliquæ Stellæ fixæ prout accedunt ad naturam iſtorum. Tertio Cælū agit in hæc inferiora mediante motu, vnde diuerſus motus ſolis ſub circulo obliquo, ideſt ſub Zodiaco cauſat diuerſas partes anni, ſcilicet Verem, Aeſtatem, Autumnum, & Hiemem, Diem, & Noctem. Immo ait Philoſ. 2. cæli tex. 42 motum aptū eſſe lapides, ferrum, & lignum ignire; & eſſe quaſi vehiculum caloris, vnde docemus motum eſſe cōditionem ſine qua nō, ideſt ſine qua non agerent ſuperiora in inferiora.

Quinto igitur penſandum venit, quod agens tripliciter poteſt in aliud operari. Primo per principiū formale permanēs, quo modo ignis calore calefacit. Secundo actione ipſa, vt ignis calefactione calefacit. Tertio cooperatione, ſiue conditione ſine quanō, ſicut dicimus approximationem calefactibilis ad ignem eſſe cauſam, ſeu rationem, quod calefactibile calefiat ab igne, & hoc tertio modo dicimus contra Durandū cælum operari in inferiora per motum, tanquam per conditionē neceſſariam ad operandum, quod docuit Ariſt. 2. de generat. text. 55.

Sexto tamen eſt vlterius ſpeculandum, quod mutationes inferiorū ſunt in duplici differentia; nam quædam ſunt Phyſicæ, vt generatio, alteratio, & ſimiles, & quædā ſunt intētionales, vt illuminatio, & animæ operationes. Ad primas actiones dicimus cælum operari per motum, ad ſecundas vero nequaquam, niſi modo dicendo.

Quo ad ſecundum prima Concluſio eſt. Cælum, & Stellæ agunt in hæc inferiora. Probatur primo. Cauſæ inferiores ſuperioribus ſubordinatæ, in tantum mouent, in quantum ſunt motæ, per Scotum, & Auerroem. Sed cauſæ inferiores ſubordinantur ſuperioribus. Ergo intantum mouent, in quantum per influxum ſuperiorum mouentur. Reſpondet Suarez loco citato, cauſas inferiores ſuperioribus eſſe ſubordinatas, non quo ad neceſſitatem cauſandi, ſed quo ad iuuamen, & cōſeruationem. Sed hæc reſponſio fuga eſt, quia iuuamen eſt motio, & actio, ad producendum proprium effectum, non ab extrinſeco, quia non eſt motio violenta, vnde eſt actio modificata, in ſecunda cauſa ad hoc, vt ſuo modo operetur.

Secundo. Cælum ſine alia cauſa murem, ranam, & ſimilia animalia producit immediate, & cur ſimilia non poterit producere cum alio? nonne ſol, & homo generant hominem?

Tertio. Deus inferiora regit per ſuperiora, & quo ad eſſe, & quo ad fieri, & quo ad conſeruari, quia his omnibus modis operatur

ratur per proprias causas. Ergo inferiora à superioribus dependent.

Quarto. Illud quod efficit mutationes claras, & manifestas in inferiora, non est negandum in ea agere, mouendo, & efficiendo. At Cælum est tale. Ergo. Maior est clara; minor probatur. Constat enim Solem diuersas anni partes suo motu facere, & plura astra suo congressu, ac vario aspectu sterilitatem, aut vbertatem inducere, tranquillitatem, & procellas in mari excitare, varias mutationes à medicis obseruatas in corporibus medendis generare; Polum Articum, ad se magnetem trahere. Solem, flores Heliotropij secum ab ortu ad occasum vertere, Gallum postquã Sol ab imo Cælo ad nos ascendit per lætũ cãtum excitare. Lunam fluxum, ac refluxum maris causare, Planetas infętum potestatem accipere, quare si in octauo mense Saturno proprio fętus nascatur, occumbit, quia Saturnus maleficus est, non sic, si in septimo, Lunæ dicato, vel in nono Ioui adscripto oriatur, quia sunt Planetę benefici. Traduntque Astronomi Martem flauam bilem concitare, Saturnum malencoliam ciere, Lunam pituitam augere, Solem, & Iouem sanguini dominari. Item vsus docuit Solem cordi correspondere, feli Martem, Iouem, Iecori, ori, & linguę, Mercurium, & Saturnum capiti. Item infantiæ Luna præest, pueritiæ Mercurius, adolescentiæ Venus, iuuentuti Sol, virilitati Mars, senili Iuppiter, & decrepitæ Saturnus. Idem in metallis cernitur, nam Soli aurum subest, Lunæ argentum, Marti ferrum, Saturno plumbum, Ioui stamnũ, & electrum, Mercurio argentum viuum, & Veneri æs. Vide D.Thom. in 2. distinctio. 19. quæst. 1. & p. p. quæst. 110. & 115. artic. 3.

Secunda conclusio. Cælum agit in inferiora hæc mediante motu, vt cõditione sine quà non. Probatur primo rationibus Aristot. Aut inter motus est subordinatio, & dependentia essentialis, & per se in mouẽdo, aut non. Si primũ. Ergo primus motus qui est primi cæli erit causa aliorum motuum effectiua. Si secundum. Ergo non datur primus motus contra Arist. 8. Physi. & 12. Diuinorum. Nec valet dicere, quod datur primus motus, qui est causa aliorum motuum, sed non effectiua. Primo, quia motus, & mouere dicunt efficientiam, & non exemplaritatem. Secundo, quia connexio motuum non esset in moueri, quod est cõtra Arist. 1. Meteor. & 7. Physic. vbi docet omne quod mouetur, ab alio moueri, ascendendo vsque ad primum motum, & primum motorem.

Secundo. Sicut se habet vita respectu operationũ vitalium, ita se habet primus motus respectu mobiliũ; Sed deficiente vita, deficiunt operationes vitales. Ergo deficiẽte primo motu; deficient omnes motus mobilium; Minor est nota, Maior est Arist. 8. Physic tex. 1. & 87.

Tertio. Non est negandum, quod intelligentia mouens cælum influat in inferiora, vt Dei instrumentum; Sed intelligentia non influit vitam in cælo, nec intelligere, vel velle, quia cęlum his caret. Ergo in ipsum influit motum, vt tanquam per primum motum omnes alios motus causet. Sed de hac re etiam infra.

Ad primum dicitur ad maiorem, quod à causa necessaria procedit effectus necessarius, nisi impediatur, vel modificetur in secundis causis, secundum modum ipsarũ, modo motus cælorum modificatur in secundis causis, modo suo.

Ad secundum dicitur similiter, quod inferiora suscipiunt actionem superiorum secundum suam naturam, vnde non est mirum, si Saturnus in Martem non imprimat frigiditatem, & in inferiora vtique. Nam etiam piscis stupor stupefacit manus piscatorum, & non retia.

Ad tertium dicimus, quod motus, & si non sit forma actiua secundum se, tamen talis est, vt est à primo alterante, & vt concurrit, vt conditio sine qua non.

Sed hic oritur difficultas, an corpora cælestia agant in hæc inferiora alia virtute, quam motus, & lucis. Nam Auerroes, Auicenna, Mirandulanus lib. 3. 5. & 6. contra Astrologos, Georgius Agricola lib. 4. & 8. de causis subter. Medina lib. 2. suæ Paren. cap. 1. Zimara Theoremat. propos. 45. Bucaferrus in fine Meteor. & Serenius lib. de Fato tenent, quod corpora cælestia solo motu, & luce in hæc inferiora agant. Primo, quia hæc solum sensu deprehendimus. Secundo, quia continent in luce, eminenter omnes qualitates elementares. Et tertio, quia lux videtur vehiculum omnis cælestis virtutis, sicut est species generis.

Alij his addunt alios occultos Cæli influxus. Primo, quia sine motu, & luce in occultis visceribus terræ generant aurum, & alia metalla, neque enim ad hæc intima terræ, lux, vel eius calor pertingit. Secundo, quia magnes trahit ferrum etiam in loco tenebroso. Tertio, quia Luna in coitu solis dum minima luce perfunditur, maiori impetu Mare concitat, & in corporibus male affectis dolores cijt. Quarto, quia Saturnus frigiditatem inducit, & tamen lucem fundit, immo eadem lux syderum diuersos effectus producit, vt lux Iouis temperiem Martis ardorem, Solis æstum, & Lunæ humiditatem.

Huic sententiæ fauere videtur S. D. 2 de Cælo cap. 7. & quodlib. 6. artic. 19. D. Bonauentura 2. dist. 14. Ferr. 3. contra gentes cap. 84. Ioannes maior 2. dist. 14. q. 5. Abulensis 3. Reg. cap 17. q. 9. Paulus Venetus 2. Meteororum cap. 1. ac alij plures.

Dicendum est ergo, quod dupliciter de influxibus cæli agere possumus. Primo ratione influentis, & sic dicimus, non solum Planetas, & stellas infundere lucem, & agere motu, sed etiam multis alijs influxibus occultis, vnde etiam agũt ad quietem rerum in proprijs locis, & ad earum perfectiones, intrinsecas, quas lux non tangit.

Secundo ratione vehiculi, & instrumenti influxus, & sic dicimus sydera per motum agere, mouendo, & traducendo, influxus, per motum, & lucem. His stantibus argumenta primæ opinionis pro nobis sunt.

Ad ea vero, quæ sunt secundæ opinionis dicimus ad primum, generationem metallorum esse à motu, & luce Cælorum, quæ etsi contactu sensibili, ea non tangat, attamẽ ea attingit virtute, permeante per viscera terræ.

Ita ad secundum concedimus influxum magnetis, sed negamus nõ modificari à luce.

Ad tertium dicimus, tunc Lunam inferiora mouere propter motum suum, & solis, & propter congressum radiorum, congressus autem Lunę cum Sole fit medio motu.

Ad quartum concedimus luce planetarum iuxta conditionem naturarum ipsorum diuersa efficere, non enim dicimus omnẽ lucem calorem causare, sed influxum.

Ad quartum dicimus causam vniuersalem agere ad omnem actionem, aliter non esset vniuersalis, & ideo quia Deus est causa vniuersalissima concurrit ad omnem actionem omnium agentium. Secundo dicitur, quod etiam si ageret vniuersaliter, concurreret, vt causa altior inferioribus.

Ad quintum dicendum, quod qualibet res præter suam propriam, & immediatam causam habet etiam causas superiores, quibus subordinatur, scilicet Cælos, elementa, intelligentias, & Deum.

Ad sextum dicitur secundum commendatorem, quod magnes trahit ferrum, & Centrum graue, per modum finis, Cælum autem effectiue agit mediante motu. Secundo dicitur, quod magnes mouet alterando, & potest moueri potentia, lege Caietanum p. p. q. 3. art. 1. & quæ nos diximus in 7. Physicorum.

Ad septimum dicendum, quod lux secundum se est calefactiua, sed impedibilis ne calefaciat, ex defectu necessariæ conditionis motus, sicut gladius secundum se est aptus secare, non tamen secat, nisi moueatur.

Ad octauum dicendum, quod motus causat calorem in calefactibilibus, & frigiditatem in infrigidabilibus, quia recipitur per modum recipientium, vnde non est mirũ si aqua percussa frigidior fiat, quia motu exhalant partes subtiliores, in quibus vigebat calor, aqua vero immota manens condensatur, & reflectendo radias solis calida efficitur.

Ad nonum dicendum, quod Damascenus loquitur contra ponentes corpora Cælestia esse Deos, & primas causas eorũ, quæ hic fiunt, non autem negat quod sint causæ Deo subordinatæ.

Ad decimum dicendõ, quod qualitates actiuę superioribus comparatæ induũt rationem materiæ, quia à superioribus mouentur.

Ad vndecimum dicendum, quod duplex est similitudo. Prima dicitur specifica, & hæc non reperitur inter corpora Cælestia, & ab ijs effecta. Secunda dicitur continentis, & contenti, mouentis, & moti, & sic inter hæc cadit similitudo, quia inferiora continentur in superioribus, & ab eis mouentur, & hæc dicitur similitudo eminẽs.

Ad duodecimum dicendum, quod actio corporum Cælestium recipitur in inferiora, secundum dispositionem eorum, quare cũ materia generationis super abundat, vel non est totaliter disposita ad vnum sexum fiunt gemini; mares, vel fœminæ. Hinc bene D. August. probat diuinationem ex astris non esse vndequaque certam, quia

actio

actio recipitur secundum diuersam dispositionem recipientis.

Ad 13. dictum est, quod Cælum agit mediante motu, non tanquam forma actiua, sed vt necessaria conditione.

Ad 14. dicẽdum, quod causa vniuersalis præcise non est causa distinctionis particularium, sed bene cum particularibus causis, vnde cum Leone, Leonem producit, & per hoc patet ad 15.

Ad 16. Astrologi hanc disparitatem negant, quoad inclinationem. Sed melius dicitur, quod præter cælos concurrunt patria, mores, actiones, parentes, occasiones, & impedimenta, quapropter mirum non est, quod non omnino assimilentur, magis quã alij, vtique, vnde legimus de duobus Sanctis, & ego expertus sum in duobus fratribus gemellis, quòd simul Baptizati fuerunt, simul infirmabantur, & simul obierunt.

Ad 17. dicendum, quod Arist. non negat absolute motum primi mobilis esse causam generationis, & corruptionis, sed præcise, vnde hoc concedit motui solis per Zodiacum.

Ad 18. dicendum, quod lux secundum se nõ alterat corpora, sed vt est qualitas primi alterantis, motui cõiuncta, vnde cælo quiescente sol orbem illuminaret, sed non alteraret. Secundo dicitur, quod lumen secundum Arist. vt facit ad visionem non alterat, sed bene vt est qualitas cæli.

Ad 19. dicendum, quod Cælum Empyreum, quia est proximum substantijs separatis, ideo influit ad modum earum permanentiam sine motu. Secundo dicitur, quod à Cęlo Empyreo depẽdent mutationes intentionales, quæ possunt fieri sine motu. Quod autem mouens non moueat nisi motum, est verum actu, vel potentia, modo Cælum Empyreum, & si sit immobile in actu, est tamen mobile non repugnanter in potentia, vt est corpus. Nam quod Cælum Empyreum agat in hæc inferiora expresse docuit S. D. quodlib. 6. art. 19. & p. p. q. 66. art. 8. reuocando id quod tenuit in 2. dist. 2. q. 2. art. 3. Eandem sententiam habent Albertus Magnus de quatuor coęlis p. 4. art. 14. Maironus 2. d. 14. Damascenus lib. 2. fidei Orthodoxæ cap. 3. ne simus coacti concedere aliquam substantiã otiosam, virtutis, ac actionis expertem, cum vnumquodque sit operationis sui gratia, per Arist. 2. de Cælo tex. 17. & 9. Metaph. text. 9.

Ad 20. dicendum, quod cessante motu cæli, & virtute impressa igni corpora illa essẽt incorruptibilia, & non absolute, & ita intellexit S. D.

Ad 21. dicendum, quod in vacuo fieret motus, quia remaneret virtus impressa à generante.

Ad 22. dicendum, quod mutationes sensibiles sunt intentionales, & spirituales, hę autem fieri possunt sine motu cæli.

Ad 23. dicunt aliqui, Solem stetisse, sed non primum mobile, quod tamen est falsum, quia tunc perdidisset aspectum cum alijs cælis. Dicitur ergo, quod tunc omnes cæli cessarunt, sed Deus suppleuit pro eorum causalitatibus.

Ad 24. dicendum, quod anima rationalis non dependet à cælo, nec ab intelligentijs, & ita motus eius, & cordis posset esse sine cælo, vt docet D. Tho. de pot. q. 5. artic. 10. & Opusculo 11. & per hoc patet ad 24. Sed an cessante motu cæli, alij motus sint cessaturi, S. D. in 2. d. 2. q 2. artic. 3. & de pot. q. 5. art. 8. cum Thomistis, vt supra est notatum, tenent, quod cessante motu cæli cessabunt omnes motus, ad generationem, corruptionem, & alterationem sensibilem, non vero motus spirituales, intellectionis, & volitionis luminis diffusionis, & impressionis speciesũ in medio, & in sensu.

Quæ sententia contra Scot. 2. dist. 14. q. 3. & Durandum d. 15. est expressa ab Arist. tex. 75. & tex. 1. & 1. Meteor. cap. 2. & 2. Metaph. tex. 5.

Ad 25. & ad 26. dicimus, quod cælum continet eminenter, & causaliter omnes qualitates inferiores, & si non formaliter, inhęrenter, quare cum agat, medijs proximis causis, admodum ipsarum hinc sequuntur diuersi effectus.

Ad 27. dicimus, quod maior valet de causa vniuoca, at cęlum agit, vt causa æquiuoca. Secundo dicitur, quod imprimit suam similitudinem virtualiter coagendo causæ immediatæ, & se in ea modificando.

Ad 28. dicitur ad minorem, quod agens debet esse immediatum, vel supposito, vel virtute, vt sunt cæli. Secundo dicitur, quod cæli agunt per lucem, & aliam qualitatem spiritualem.

Ad 29. negatur sequela, quia ille motus in causis

causis secundis modificatur, ita vt in contingentibus contingenter, in liberis libere, & in necessariis necessario operetur.

QVÆSTIO III.

Vtrum Cœli sint causæ humanorum actuum.

PRo explicatione huius difficultatis notandum est. Primo. quod per actus humanos intelligimus actus proprios homini, inquantum homo est; Hi autem actus dicuntur eliciti à potentia libera, seu imperati, vnde quærimus, an corpora cælestia, sint causæ horum actuum.

Secundo igitur considerandum venit, quod in homine tria sunt. Primum est corpus, seu materia corporalis, quæ potius obtinet rationem naturæ, quàm animæ, quia in ea consideratur sola compositio materiæ, & formæ. Secundum sunt potentiæ, vegetatiuæ, & sensitiuæ, organis corporalibus affixæ. Tertium sunt potentiæ liberæ, scilicet intellectus, & voluntas. Homo quoad corpus necessario mouetur à corporibus cælestibus, quia materia necessario subditur actioni cæli: At in potentijs organicis solum agit per accidens, inquantum consequuntur necessitatem materiæ, vnde earum actio, & motio necessaria est. Sed in intellectu non agit nisi indirecte, & occasionaliter, vt dicemus.

Tertio igitur notãdum est, quod cælum agat in corpus humanum stat dupliciter. Primo causaliter, mouendo, & influendo, & sic immediate, & necessario agit in corpus, indirecte verò, & per aliud in potentias affixas organis corporalibus. Secundo occasionaliter, repræsentando obiectum, & similia faciẽdo, & hoc dupliciter. Primo necessario, & sic quandoque agit in intellectum, quia pręsente obiecto, non potest facere quod non intelligat. Secundo per accidens, inclinando, & sic agit in voluntatem, cui intellectus offert obiectũ intellectum sub ratione boni, stat tamẽ in eius libertate ipsum velle, & nolle, quare differentia inter actum intellectus, & voluntatis stat in hoc, quod intellectus intelligit, quia habet obiectum præsens, mouens ipsum, sed voluntas potest illud eligere, & non eligere, prosequi, & fugere.

Quarto vlterius pensandum venit, quod in actionibus intellectus, & voluntatis duo sunt. Primum est ipsa actio, vt est vitalis, & sic dependet à cælo, quia motus eius est veluti vita omnium operationum secundũ Arist. 8. Phys. tex. 1. Secundũ est, quod illæ actiones sunt potentiæ liberæ, & sic non subduntur corporibus cęlestibus, vt supra. Nec obstat, quod cæli operentur, vt instrumenta intelligentiarũ, superiorũ homini, quia homo quo ad libertatem nulli subditur, cum Deus reliquerit eũ in manu consilij sui. Nec officit, quod omne multiformæ reducatur ad vniforme, quia hoc est verum in his quæ sunt eiusdem generis. Sed & si Astrologi multa diuinent ex corporibus cælestibus, quo ad ea quæ fiunt in pace, & in bello, hoc aliunde non prouenit nisi quia homines sequuntur inclinationes corporis, sapiens tamen dominabitur astris.

QVÆSTIO IIII.

Vtrum Cæli agant in Dæmones.

REspondetur negatiue, & ratio est, quia dæmones natura sunt superiores corporibus cælestibus, vnde causaliter in eos non agunt, occasionaliter vero, & ratione nostri vtique. Quare in quoddam determinato tempore Lunæ, magis vexant aliquos homines, vt Lunam Dei creaturam infament secundum Chrisost. & Hieron. & in alio tẽpore à negromanticis vocati, sub certis constellationibus veniunt, quia tunc cognoscunt virtutem syderum, ad inducendos effectus petitos accommodatam esse; & si etiam hoc faciant; vt Negromantes ad idolatriã trahant, putantes diuinitatem esse in stellis, propter quam causam permittunt etiam se alligari ad lapides, ad herbas, ad annulos, &c. vt in ijs colantur, & vt scientes futura, & cætera teneantur.

QVÆSTIO V.

Vtrum Astrologi possint aliqua vera prædicere.

VIdetur quod sic. Primo. Nã mores animi corporis temperamentum sequuntur, per Galenum, & Arist. Sed Astrologi de facili possunt scire temperamentum corporis,

poris, nam nati sub Marte bellicosi sunt, sub Saturno melancolici, vt lunga experientia docuit. Ergo &c.

Secundo. Arist. in libello Physion. multa tradit de cognoscendis moribus hominũ, vt quod habentes frontem magnam sunt animosi, carnem mollem, ingeniosi, capillos nõ admodum nigros, vel duros, moderati, & mansueti, oculos hilares non valde apertos, nec valde clausos lente palpebras mouentes, misericordes, & similia. Ergo, &c.

Tertio. Obseruatum est ab Astrologis, quod illi quos Capricornus benigne aspicit, Reges fiunt, quos Aquarius, piscatores, quos Mercurius trapezitę, idest numelarij, quos Orion venatores, quos Mars homicidæ, quos stellæ primæ magnitudinis, maximè dignitatis viri, &c.

Quarto. Multi dormientes futura annuntiant, diuinant, ac præuident. Hoc autem DD. motui syderum; tunc Phantasiam mouentium adscribũt, cum alia causa non sciatur. Ergo. &c.

Quinto. Per signa cognoscimus significata. Sed Cæli sunt signa futurorum, nam enarrant futura, & sunt positi à Deo, vt signa Gen. 1. & Isa. 34. vbi dicitur. Complicabuntur sicut liber Cæli, & Apoc. 6. Cælum recessit sicut liber inuolutus, idest post diem Iudicij. Ergo per Cælos possumus diuinare.

Sexto. Demones de futuris respondebant in oraculis; At futurã in seipsis non cognoscebant. Ergo in Cælo.

Septimo. Experientia docuit, & longum esset enumerare multa ab Astrologis ante pronuntiata euenisse, & hoc per sydera cognita. Ergo &c.

Pro solutione huius quæstionis. Primo considerandum venit, quod res naturales alias significent tripliciter stat. Primo, vt causæ aliarum rerum, quo pacto flatus ventorũ australium pluuiam significant, quia eam causant. Secundo, vt effectus ostendit suam causam. Tertio, vt effectus viuentis, vt garritus auium, morsus pulicũ significant futuram pluuiam. In præsentiarum quærimus in primo, & secundo sensu, an Astrologi habeant aliquas causas, vel effectus, ex quibus possint diuinare, de vita, & fortuna nati.

Secundo notandum, quod quędam sunt causæ necessariæ, necessario agentes, & quædam libere, liberæ operantes. Necessariæ autem causæ quædam regulariter producunt suum effectum, vt ortus solis diem, & eius occasus noctem, esse in capite, vel cauda draconis Eclipsim &c & de ijs possunt Astrologi certa pronuntiare, quia habent solum motum Cæli, & syderũ pro causa; Quędã vero admittunt cum actione Cęli mixtionem elementorum, vt sunt pluuiæ, grandines, niues, &c. & ij effectus possunt cognosci, si recte cognoscantur causæ, quare Sol matutinus rubeus, & occiduus, sub nubibus cadens, futuram pluuiã significare nouimus, & ita Medici ex causis internis de infirmo pronuntiant, nam materia corporalis necessario subditur actioni Calorum, vnde cognita hac subalternatio, scitur effectus, & sic per has causas notas quandoq; diuinant Astrologi. Causæ vero liberæ in duplici sunt differentia, nam quædam à Deo dependent, vt iustificatio impij, & beatificatio iusti, & de ijs nullo pacto possunt Astrologi aliquid prædicere; Aliæ vero sunt quæ admixtionem materię corporalis admittũt, & consequenter quandam inclinationem causant, & de his modo loquimur.

Tertio igitur considerandum venit, quod in causis liberis duo sunt spectanda. Primum est inclinatio, orta ex mixtione animæ cũ materia corporali, ex quo Cali, indirecte dicuntur etiam agere in animam nostram. Secundum est electio libera voluntatis, vrgente etiam inclinatione. Propter primum multa diuinant Astrologi, quia plures sunt qui inclinationes corporis sequũtur, cum secundo vero nihil habent, quia voluntas potest superare omnes inclinationes corporis.

Quarto vlterius tamen est considerandum, quod aliud est quærere num si Astrologi haberent veram notitiam syderum possent plura prædicere, & aliud est quod hanc scientiam habeant, & sic certe annuntient. Primum enim concedimus, quo ad naturalia, & etiam quò ad inclinationes agentium liberorum, vnde quia Angeli, & Demones eam habent, ideo multa annuntiare possunt. In secundo igitur stat difficultas, quia pauci sunt, qui hanc cognitionem attingant.

Quinto. Igitur notandum, quod Astrologi quandoq; vera pronuntiant, & quandoq; falsa. Vera quidem. Primo, quia aliquo modo

modo attingunt scientiam Astrologicam, quare de multis inclinationibus iudicare possunt sed non dicere, hoc eueniet, sed iste inclinabitur, & quo ad ea tantum quæ habēt ordinem ad materiam corporalem, & non simpliciter ad placitum, vt quod iste ducat vxorem, nomine Mariam, vel Margaritam. Secundo, quia Astrologi quandoque non solum virtutes Cælorum intuentur, verum etiam proximas causas scrutātur, vt si inclinatus ad furtum, inops sit, malas societates habeat, & similia. Tertio, quia arte Demonum sępe vtuntur, qui futura noscūt in causis suis, vel ex Dei reuelatione secūdū D. Aug. li. 4. de Trinit. c. 17. & 5. de Ciuit. Dei c. 8. Quarto, quia quandoque Deus hoc permittit in pęnam facilis credulitatis, vt de quodam narrat Bannes p. p. quæst. 115. Falsa vero pronuntiant; Primo dum solum considerant dispositiones corporum Cælestium, & nō mixtorum, & elementorum, in quibus mo dificatur eorum virtus, & influentia, de qua re vide Ferrariensem 3. contra gentes cap. 86. Secundo, quia pauca per Astrologiam noscunt, respectu eorum quæ ignorant, vnde Iob 38. Numquid nosti ordinem Celi, aut pones rationem eius in terra? Tertio, quia cum homo sit finis omniū rerum secundum Aristot. 2. Physicorum, Deus in eius pœnam, vel præmium multa immittit, sterilitatem, pestilentiam, bellum, & similia; Quarto, quia certo iudicant, id quod solum coniecturare valent, nam Astrologi experimentali ratione ducuntur, hæc autem fallax est, propter mutationem causarum, quare D. Aug. hos irridet, lib. 6. Confess. cap. 6. & de Ciuitate lib. 5. cap. 8. quia non distinguunt inter causas naturales, & voluntarias. Tandem, quia sæpe decipiuntur arte Demonum, qui vt sibi arrogent diuinam scientiam, & honorem, quærunt ab Astrologis cultum latriæ, aliqua futura prædicendo.

Sexto igitur merito reijcitur hæc Astrologia Iudiciaria. Primo, vt diuinæ scripturæ contraria, quoniam non est nostrum scire tempora, & momenta quæ Pater posuit in sua potestate, neque Dij sumus, vt possimus annūciare futura. Secundo, quia hanc plures S. Pontifices anematizant quo ad voluntaria, vt Martinus primus, Gregorius Iunior, Alexander tertius, & tandem Xistus Quintus, in sua constitutione Creator Cæli, & Terræ in qua sub grauissimis pęnis eam vetat, volens quod Inquisitores Hereticæ prauitatis contra tales procedant. Ita eam inhibet Concilium Toletanum primum, sub pęna anathematis. Tertio reprobatur à Sanctis Patribus, vt à D. Ioanne Chrisostomo, Homelia tertia ad Thessalonicēses a D. Cyrillo lib. 10. contra Iulianum in fine, à D. Aug. locis citatis, & in Epistola ad Marcellinam, & ab Orig. Homelia 26. in numeros, & l. 3. super Iob. Quarto. Punitur Decretis Principum, nā Constant. Imperator cap. de Maleficis, & Mathematicis sic dicit. Nemo Aruspicem consulat, aut Mathematicum, nemo Astrologum, nemo Ariolum, preterea sileat perpetuo omnis diuinandi curiositas, etenim supplicium capitis ferret, gladio vltore prostratus, quicunq; nostris iussis obsequi denegauerit. Item decernunt Diocletianus, & Maximianus eodem titulo. Hoc idem factum legimus a Saul Rege Hebreorum, 1. Reg. cap. 28. Ideo omni iure damnata est Astrologia Iudiciaria.

Ad primum ergo negatur minor, quia temperamentum corporis non solum à syderibus pendet, sed etiam à dispositionibus materiæ, & seminis, sed & à virtute formatrice parentum, quia primæ causæ modificantur in secundis. Secundo dicitur, quod quando animi mores sequuntur temperamentum corporis, hoc tamen sciri nō bene potest. Tertio dicitur, quod est sub voluntate hominis, iuxta illud Gen. 4. sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius, & Phtolomeus. Sapiens dominabitur astris.

Ad secundum dicimus, quod signa manuum, faciei, & corporis signa sunt temperamenti corporei, quod multum facit ad sciendam inclinationem nati, vnde ex his aliquas inclinationes deducunt Physionomistæ, & Chiromantici; non vero certos mores.

Tertium negant D. Basilius Hom. 6. D. Ambrosius lib. 4. Hexamaron cap. 4. & D. Clemens lib. 4. recognitionum, & D. Gregorius, vnde ait Getulia, vt ferunt Piscatores non habet, & tamen quis dicat neminem illi nasci in stella Aquarij? sed secundo dicitur, quod cum illa Astra ad similia possint inclinari, mirum non erit, si quandoque effectum sortiantur.

Ad quartum dicit S. D. 2. 2. q. 95. artic. 6. & Opus.

Opusc. 25. c. 4. & 1. p. quæst. 80. art. 4. quod corpora Cæleſtia poſſunt apprimere in fantaſia quædam ſigna futurorū; ſed aliud eſt, quod ſint ſigna, & aliud quod cognoſcantur, vt certa ſigna. Primum conceditur, ſed ſecundum negatur, & in hoc ſtat nodus difficultatis. Secundo dicitur, quod ex ſomnis aliqua pronoſticare licet, coniecturaliter, ſed non certo, & ita per corpora Cæleſtia, ſed in vſu non admittitur, propter inſcios, ne coniecturam, faciant certitudinem.

Ad quintum dicimus ad minorem, quod Aſtra ſunt ſigna imbrium, ſiccitatum, tempeſtatum, & aliorum effectuum naturaliter, & neceſſario à corporibus Cæleſtibus dependentium, quare interuiunt agriculturæ medicinæ, ac nauigationi, non vero pro actibus humoris. Ita dicunt Auguſtinus, Chriſoſtomus, Theodoretus, & Vgo de Sancto Victore.

Ad ſextum dicitur, quod illa Oracula ſeper fuere ambigua, & æquiuocatione plena, quia non certo ſciebant, quid nam Cæli portenderent. Immo multa Oracula falſa ſunt deprehenſa, vt de Apolline confeſſus eſt Porphirius, teſte Euſebio lib. 5. de præparatione Euangelica cap. 10. Secundo dicitur, quod Demones multa didicerunt ex diuina reuelatione, ſic diſponente diuina prouidentia, ſecundum D. Auguſtinum ſecundo ſuper Geneſim ad litterã cap. 17. & D. Damaſcenum lib. 2. Fidei Ortodoxæ cap. 4. & 5. diſt. 12. q. 172. artic. 6.

Ad ſeptimum dictum eſt ſupra.

QVÆSTIO VI.

Vtrum qualibet res habeat ſuam determinatam periodum.

Videtur quod non. Nam demus, quod periodus ſanguinei ſit vita quinquaginta annorum, & collerici ſexaginta, nonne poteſt ſanguineus ex induſtria, vel electione ciborum fieri collericus; in octauo alterata periodus.

Secundo. Homo per comeſtionem ligni vitæ poterat fieri immortalis. Ergo ſua natura non habet determinatam periodum.

Tertio. Mors homini non eſt naturalis, ſed pena peccati, vt tradidit D. Paulus Ro. 5. & S. D. p. 2. q. 85. art. 5. Ergo non eſt homini determinata periodus.

Quarto. Qualibet res ſuo fini, & formæ correſpondet. At anima hominis eſt immortalis, & eius finis eſt beatitudo æterna; Ergo & ipſe deberet eſſe æternus.

Quinto. Si determinata periodus eſſet propter motum ſolis, vt tradit Ariſt. 2. de gen. tex 57. ſequeretur, quod per artem medicam non poſſet prolongari vita, cui obſtant Medici.

Sexto. Alchimiſti tradunt, per quintam eſſentiam auri, & per aurum potabile, & lapidem Philoſohporũ homines poſſe deducere vitam ferè immortalem. Ergo periodus non eſt determinata.

Pro ſolutione huius quæſtionis. Primo notandum venit, quod periodus dicitur menſura, quã res corruptibilis (de his ſolum loquimur) menſuratur, determinato ſpatio annorũ, vel menſium, vel dierũ, &c. per aſcenſum, & deſcenſum circuli Cæleſtis, cum influxu innato. Verbi gratia: Naſcatur Paulus aſcendente ſigno leonis, tũc ab Aſtrologis figura Cæleſtis aſſumitur, & per duodecim domos diuiditur, tunc computant à prima domo, vſque ad ſeptimam aſcenſum, & ab ea deſcenſum. Natus igitur ſi ducturus eſt vitam per octuaginta annos; aſcenſus erit quadraginta annorum, & deſcẽſus ſimiliter quadraginta.

Secundo notandum venit, omnes res iuxta ſuam naturam habere ſuã ſpetiem periodi, quare Ariſt. lib. de hiſt. animalium dicit Aues viuere vſque ad tredecim annos, Capras vſque ad 11. Canes ad duodecim, Leones ad viginti, Aſinos ad 30. Indiuidua igitur vnius ſpeciei dupliciter conſiderari poſſunt. Primo, vt ſunt vnius ſpeciei, & ſic omnes ſpecies rerum habent ſuam periodũ, homo hominis, & leo leonis. Secundo, vt comparantur ad inuicé, ſecundum meliorem diſpoſitionem ſtellarum, aſpectus earum, &c. & ſic vnum indiuiduum longiorem periodum ſortitur alio indiuiduo.

Tertio notandum eſt; cauſas longe periodi quaſdam eſſe extrinſecas, & quaſdam extrinſecas. Intrinſecæ ſunt partes ex quibus res componitur, extrinſicæ ſunt nutrimenta, Aer, Cælum, &c. & ideo inanimata, diutius viuunt animatis, tunc quia corrumpens intrinſecum iſtorum non eſt ita potens ſicut animarum, quæ ex diuerſis humoribus ad inuicem pugnantibus componuntur, & ab extrinſeco non ita de

facili

facili suscipiunt alterationes corporũ Cælestium, sicut animata. Quare & si causa principalis extrinseca lōgioris periodi sit motus solis in ascensu, & descensu signorum Zodiaci, tamen non est precisa causa, quia cum eo cōcurrunt stellæ, & planetę, qui fortes, vel debiles si reperiuntur in natiuitate, causant varietatē. Sed & ista possunt impediri per accidens ab extrinseco violento, vt per necem, vel venenum, vel aliud violentum.

Quarto notandum est, quod causæ longitudinis, & breuitatis vitæ inter insecæ multę solent assignari. Prima est durities, quia quanto aliqua sunt duriora, tanto magis resistunt diuidenti, vt patet in lapidibus, deinde in plantis, & deinde in animalibus, nam diuisio est causa corruptionis, per Aristot. 2. de anima. Secunda est bona commixtio calidi, & frigidi, nam quāto magis aliqua propinquant sicco, & frigido, vt senescentes, tanto magis ad interitum tendunt, quare iuuenes humidiores, & calidiores sunt senibus. Tertia est homogeneitas, quia vbi minor diuersitas, ibi minor confusio, & contrarietas, & cōsequenter maior duratio, vt patet in Aere, & Aqua. Quarta prouenit ex cōtinente, quia locus bonus natum conseruat, & malus interimit, vnde vbi Aer est subtilis, & purus, & Aqua fluens, homines diuturniorē ducunt vitam, quam in locis palustribus. Quinta est parsimonia, bonus vsus ciborum, medicamenta, & alia quæ arte humana experta sunt sanitati cōferre, & vitam in longum pertrahere.

Ad primum ergo dicitur, quod actio superiorum in secundis causis modificatur, sed à corporibus cælestibus, vt tradit S.D. p.p.q.115.art.6. & ideo variatio in materia corporali reducenda est, & vt in primā causam in corpus cæleste, & vt in causam per accidens, in causa extraordinaria inferiori.

Ad secundum dicitur, quod lignum vitæ nō dabat homini à natura vitam immortalē, nam hæc erat ex Dei dono, quare habebat solum virtutem fortificatiuā, per S.D. p.p.q.97.

Ad tertium dicendum, quod homo bifariam considerari potest. Primo, secundum principia ex quibus constat, & sic ratione formę dicitur incorruptibilis, & ratione materię corruptibilis. Secundo, secundum quod creatus fuit à Deo, & sic quia cum dono gratuito fuit creatus immortalis, per peccatum amittendo hoc donum, in pœnam dicitur factus mortalis. Vide S.D. 1.2.q.85.art.5.& 2.2.q.164 &c.

Ad quartum dicendum, quod forma secundum se potest esse incorruptibilis, sed vnio cū materia est corruptibilis, & ideo propter dissolutionem vnionis compositum corrumpitur.

Ad quintum, & sextum dicendum, quod illa iuuant ab extrinseco, sed per accidens, nos autem loquimur de determinata periodo secundum causas per se.

QVÆSTIO VII.

Vtrum Cælum sit rotundum.

Videtur quod non. Nam corpus rotundum semper distat æqualiter. At cælum non semper à nobis æqualiter distat, nam stellæ nobis propinquiores maiores videntur, vt stellæ fixæ prope Horizontem nobis maiores apparent, quam in medio cæli. Ergo sunt propinquiores.

Secundo. Quod de Sole, & Luna dicitur, de toto cælo videtur dicendum. Sed Sol, & Luna videntur plana esse, & non conglobata. Ergo idem videtur dicendum de toto cælo.

Tertio. Quadrata à longe distantia rotunda videntur, per Lucretium 4. sui poematis, quia oculus non potest bene cernere angulos quadrati, & ideo Corpus rotundum sibi videtur quadratum, ergo hoc erit dicendum de Cælo.

Quarto. Cælo datur figura maximæ capacitatis, cum intra se includat omnia corpora vniuersi. Sed figura sphærica est omnium isoperimetarum minima, vt docet Archimedes lib. de Isoperim. Ergo Cælum non habet hanc figuram.

Quinto. Cælo debetur figura magis stabilis, & firma. At talis est quadrata. Ergo.

Sexto. Multi pręcipui Doctores negant Cælum esse rotundum, vel de hoc dubij sunt, vt D. Augustinus 2. super Genesim ad literam c.96. Lactantius lib.5. diuinarum insti.cap.24. D. Chrisostomus hom. 14. & 17. ad Hebreos. D. Damascenus lib.2. Fidei ortod. cap.6. & alij plures. Ergo non est indubie tenendum Cælum rotundum.

In

In contrarium est Aristoteles 2. de Cælo c. 4. Tahes Milesius, Pythagoras, Babilonij, Caldei, Aegyptij, Plato in Timeo, Cicer. 2. de natura Deorum, D. Hieronymus in Com. cap. 5. Epistolæ ad Ephesios. Probatur igitur.

Primo. Prima figura debetur primo corpori. Talis est rotunda. Ergo Cælum est rotundum. Minorem probat Aristoteles, vt supra. Primo, quia circularis figura, vna linea continetur, & aliæ pluribus, simplex autem compositum præcedit. Secundo, quia lineæ circulari, vt iam perfectæ non potest fieri additio, rectæ vtique. Maiorem probat, quia corpus rotundum vna tantū superficie continetur, & rectum pluribus.

Secundo. Recte inspicimus stellas circa polū perpetuo motu moueri, veluti circa centrum, & Solem Lunamque ascendere in Horizontem ad meridiem, & descendentem ad Occasum, iterum redire, ad Horizontem circulari, & rotunda circuitione, immò bene inspicimus Astra figuram rotundam retinere, & si Astronomicis instrumentis Cælum contemplari volumus, opus est vt fabricentur rotunda, vt mensura sit eiusdem proportionis, cum mensurato.

Tertio probatur ex Sacris litteris, vt ex illo Eccles. Sol occidit, & in locum suum reuertitur, ibique nascens girat per meridiem, & flectitur ad Aquilonem, lustrans vniuersa in circuitu pergit spiritus, idest Sol, & in circulos suos reuertitur.

Ad primum ergo aduersariorum dicitur, quod stellę fixę secundum se ęqualiter distant à terra, vnde eis comparatur vt punctum. At quod maiores videantur in ortu, quam in meridie, ex parte medij prouenit, quia in ortu crassius est, propter maiorem copiam vaporum ibi existentium, quam in meridie, quare etiam nummi in aqua positi grandiores in ea videntur quà extra, propter crassitiem medij, propter quam etiam causam maiores apparent in Hyeme, quam in Aestate, & flante Austro, quam Borrea.

Ad secundū dicitur, quod Sol, & Luna, videntur plana, & si sint concaua; quia sphęrica solent videri vt plana in magna distantia, cum concauitas non possit discerni, vt docet Arist. in prob. sect. 18. q. 7.

Ad tertium dicitur, quod non solum propter visum, sed etiam propter alias rationes affirmamus Cælum esse sphericum, & rotundum, & non ad modum Oui, vel Cylindri.

Ad quartum dicimus, figuram sphericam esse minimam inter hisoperiometras, quo ad loci occupationem, sed maximam quo ad interiorem cauitatem.

Ad quintum dicimus ad maiorem, quod Cælo debetur figura maxime apta ad motū, hæc autem spherica est, vnde argumentum nihil valet in Cælis motis circulariter, sed si quid valet, valet de Empyreo, quod dicitur sedes Beatorum.

Ad sextum dicendum, quod illi Patres locuti sunt vt Philosophi, & sic potuerunt errare. Neque verum est Cælum esse in figura Tentorij, Tabernaculi, fornicis, vel pellis, quia Scriptura de eo loquitur quo ad officium, scilicet quod omnia tegit vt Tentorium, vel Tabernaculum, & dicitur extensum vt pellis, vt interpretatur D. August. 2. super Genesim ad litteram cap. 9. Vel quia annuntiat Dei opera, vt facit pellis scripta.

QVÆSTIO VIII.

Vtrum Cæli quanto sunt superiores, tanto sint nobiliores.

Videtur quod non. Nam Sol est inferior Orbe, Martis, Iouis, Saturni, & firmamenti. Sed Sol his est nobilior, vt docent Plutarcus, Abulensis, Nazianzenus, & Ricardus, in 2. d. 15. quæst. 5. circa secundum principale. Nam inter pulchra nihil eo pulchrius, inter fęcunda, nihil eo fęcundius. Diuidit tempora, Orbem conlustrat, ceteris lucem tribuit, suis influxibus in abditissima naturæ viscera penetrat, velocissimo cursu iter suum peragit, &c.

In contrarium est Aristoteles cum S. D. 12. Methaph. tex. 44. vbi ponunt nobilitatem Cælorum motorum esse secundum nobilitatem intelligentiarum mouentium, quæ quanto sunt superiores, tanto præstantiores esse dicuntur. Nam sicut in mundo super Cælesti tres sunt Hierarchiæ, & tertia est nobilior, secunda, & prima, & secunda, prima, ita videtur dicendum esse in Cælesti mundo.

Et probatur primo sic. Ordo rerum diuinam sapientiam prædicat. At hoc non esset si quanto aliqua sunt superiora, inuariabili-

ter non essent nobiliora, confusio enim esset. Ergo venit dicendum, quod rerum ordo earum perfectionem ostendat.

Secundo; quia sic etiam possemus dicere Solem præstare firmamento, quod asserendum non videtur, cum in eo extent præstantissimæ stellæ, & omnia signa Zodiaci, quorum instrumentum videtur potius Sol ad productionem inferiorum, quam è contra. A Zodiaco enim magni sunt effectus, & magnæ virtutes, & quidem diuturniores, quà à Sole, qui potius ad varietatem facere videtur, quam ad diuturnitatem, ad quam faciant non solum firmamentum, sed etiam Mars, Iupiter, & Saturnus.

Dicendum est igitur cum Ptholomeo in quadripartito, quod de nobilitate Planetarum dupliciter loqui possumus. Primo quo ad stabilitatem, & diuturnitatem, vniuersalitatemque effectuum. Secundo quo ad eorum varietatem, & accommodationem. Primo modo quanto Orbis est superior, tanto est prestantior, vnde ait Ptholomeus, quod motus Saturni coaptatur ad multa tempora, Iouis ad annos, Martis, Solis, Veneris, & Mercurij ad menses, & Lunę ad dies. Secundo vero modo præcellit Sol, quia eius luce, ac motu vt Zodiaci instrumentum præcipuum, magnam varietatem in inferioribus producit, & in hoc sensu procedit argumentum aduersariorum.

QVÆSTIO IX.

Vtrum Astra accipiant lucem à Sole.

VIdetur quod non. Quia in alijs Astris à Luna non apparet imminutio luminis, quo ad aliam partem, neque Eclipsis, dum Sol sub eis pergit. Igitur signum est Astra non recipere lumen à Sole.

Secundo probatur specialiter de Luna, Nam in plenilunio dum tota soli opponitur, tota lucet, & tamen ab ea multæ maculæ non deficiunt.

In hac difficultate Anazimander, Antiphon, & Cleomedes fuerunt in sententia, singula Astra à Sole lucem accipere. At Auicenna, & Macrobius solam Lunam à Sole lucem mutuo accipere dixerunt, alia vero Astra de suo collucere. At alij tenent cum Astrologis stellas fixas, & Planetas de se habere aliquam lucem, sed maiorem à Sole mendicare.

Hoc igitur primo persuadent Planetę, quæ quanto sunt soli propinquiores, eo sunt lucidiores. Secundo, quia Sol est collocatus à Deo in medio eorum, vt superioribus, & inferioribus lucem suam communicet.

Ad argumentum in contrarium dicitur, quod Eclipsis Planetarum supra Solem existentium non datur, quia cum maxime à terra distent, eius vmbram intrare non possunt, vt Luna facit, dum deliquium patitur, est enim terræ maxime propinqua. Neque Planetæ diuersitates facierũ, patiũtur, quia semper sunt in commodo aspectu, vt toti illustrentur, non sic Luna. Inferiores vero Planetę Sole, scilicet, Venus, & Mercurius si aliquam imminutionem luminis sortiuntur, adeo parua est, vt videri non possit, nam Venus non potest tegere nisi centesimam solis partem, & Mercurius minorem, cum sit Venere minor, cũque propria luce magis abundent quam Luna, eorum obscuratio non potest deprahendi, sed bene dari, vt tradit Scaliger Exerc. 72. in Cardanum.

Ad secundum, quod petit de maculis Lunæ, & earum forma, seu hominis vt aliqui dicunt, seu leonis, vt Alberto videtur, multa dicuntur, vt tradit S. D. 2. de Cælo tex. 49. & Aegydius lib. 2. Hexam. c. 35. Aliqui igitur dicunt in hoc visum nostrum allucinari, quod tamē falsum est, quia omnibus, ac omni tempore apparent. Alij dicunt tales maculas esse imagines Mõtium, Vallium, & Nemorum, quæ in Lunæ globo quasi ex speculo exprimuntur, & ad nos reflectũtur. Sed hoc etiam leue est, quia non semper luna retinet eundem aspectũ cum montibus, &c. & tamen semper retinet illas maculas. Aegydius, & Ricardus tenent partes maculosas lunæ esse partes eius rariores, minus lumen solis reflectentes, quam duriores, quæ ideo splendidiores videntur. Sed hoc arguit Albertus Magnus, quia si ille partes sunt rariores, magis de lumine ebibunt, quam densiores neque sola reflexio inspicienda est, quia aliquo modo diaphanæ videntur.

Dicendum est ergo, quod ille partes maculosæ sint partes densiores corporis Lunæ, quæ ita de facili non penetrantur. Est autem sententia D. Thom. 1. par. q. 70. art. 2. Lunam esse plenam creatam, idest in plenilunio. Ab ea autem menses lunares incipiunt,

cipiunt, diciturq; luminare magnum, non quantitate, cum sit minor omnibus planetis, Mercurio excepto, sed efficientia, cũ terræ maxime sit propinqua, & copiosius lumen diffundat, vno sole excepto.

QVÆSTIO X.

Vtrum lux efficiat calorem.

Videtur quod non. Nam prima qualitas alteratiua à nullo causari potest, aliter non esset prima, Sed caliditas inter primas qualitates alterantes connumerantur. Ergo non erit à luce.

Secundo. Si lux esset causa caloris, maior lux esset causa maioris caloris, sicut maior ignis causat maiorem calorem. At Venus, Iupiter, & Luna magis lucent, quã Sirion, & Procion, idest Canis maior, & minor, & tamẽ hi Canes maiorem causant æstũ, quam supradicti Planetæ. Ergo &c.

Tertio. Sicut lux dicitur calefacere, ita etiã dicitur exsiccare; Sed luna in plenilunio dum est maxime lucida humectat magis. Ergo &c.

Quarto. Saturnus lucet, & tamen secundũ Astrologos infrigidat, & multæ gemmæ lucent, & quercus putridæ, Piscium squamæ, Ciccindolæ, & quorumdam animalium oculi, & tamen non calefaciunt. Ergo lux non efficit calorem.

In contrarium est Arist. in 1. Meteor. cap. 8. & de partibus animalium cap. 5. & 4. de generatione cap. 2. & D. Dionysius 4. cap. de diuinis nominibus, & de Cælesti Hierar. cap. 15. S. D. Opus. 42. art. 4. cum communi Doctorum consensu, solo Durando, in 2. q. 14. q 1. contradicente. Conclusio igitur est. Lux efficit calorem.

Probatur primo experientia. Nam Solem calefacere inferiora patet, & magis dum quasi perpendiculariter terram irradiat, quam dum per angulos obliquos eã percutit, quia lux eius tanto magis acuit calorem, quanto magis reflectitur, vnde inferior regio calet, & non media, quia reflexio primam regionem non exijt. Item patet tẽpore plenilunij noctes esse tepediores, animalia frigida magis calefieri, & augeri. Conspicuum est etiam ex reflexione radiorum ex speculis ignem fieri, & Galenus refert Archimedem hostium triremes combussisse, constitutis è regione speculis, & alter Mathematicus, teste Zonora in vita Anastasij Imperatoris, Aeneis speculis è Constantinopolitano muro ignem radijs accensum fulminis instar in aduersæ hostium Classem emisit, & eam & Classiarios combussit.

Ad primum ergo dicimus, caliditatem connumerari inter primas qualitates sensibiles, corpora alterantes cum immutatione corporali, non vero est inter primas absolute, quia lux est ea prior, & altior, vt qualitas primi alterantis. Hinc habet primo ornare, & decorare Vniuersum. Secundo vicissitudinem dierum, & noctium efficere. Tertio in inferiora magnos effectus causare, in instanti illustrare, corporibus ægris, & sanis vires augere. Lætificare, & ad cõtemplationem superiorum animum nostrum rapere.

Ad secundum dicitur, quod lux bifariã considerari potest. Primo secundum se, & sic efficit calorem. Secundo, vt recipitur in subiecto, & sic potest à Saturno causaliter recipere qualitatem infrigidandi, & à Luna humectandi, & à Canibus magnum æstum excitandi, quia virtus superiorum modificatur in inferioribus, secũdum eorum naturam. Et ita dicimus ad tertium, & quartum, quod lux de se exsiccat, sed causaliter, vt est à tali lucente non, sed hoc est ratione recipientium.

QVÆSTIO XI.

Vtrum Lux sit forma Astrorum, vel Corpus.

Circa hanc difficultatem tres opiniones inuenio. Prima tenet lucem esse formam substantialem, vt tradit S. D. 1. par. q. 67. art. 3. Aegydius 2. Hexamer. cap. 12. Auicenna 6. naturalium cap. 20. hocque sic probatur. Primo. Nulla forma accidentalis est nobilior substantiali; Sed lux est nobilior auro, quod est substantia, vt tradit D. August. 2. de libero arbitrio. Ergo lux non erit forma accidentalis.

Secundo. Lux non potest esse qualitas inherens. Ergo erit substantia; Antecedens probatur. Primo, quia forma inherens qualificatiua habet cõtrarium positiuum, vt caliditas frigiditatem. At lux non habet cõtrarium positiuum, nam tenebræ opponuntur ei priuatiue. Secundo, quia qua-

litas inherens remanet abeunte causa, vt caliditas in manu igne remoto. At lux nō remanet, remoto lucente.

Sed hæc opinio est falsa. Primo. Nam nulla substātia per se cadit sub sensu. Lux vtiq. Ergo non erit substantia.

Secundo. Duæ formæ substantiales non possunt simul esse in eodem subiecto; At lux stat in aere cum propria forma aeris.

Tertio. Substantia non suscipit magis, & minus. Lux vtique. Ergo non erit substantia.

Ad primum ergo in oppositū dicitur, quòd aurum, vt substantia est, nobilius est luce, nō vero quo ad decorem, & efficientiam; quia vt qualitas primi alterantis efficit aurum, &c. & sic loquitur D. Augus.

Ad primum secundi dicitur, quod non omnis qualitas habet contrarium positiuum, sed solum qualitates de tertia specie, de quà non est lux.

Ad secundum dicitur, quod quando qualitas ordinatur ad introductionem alicuius formæ, tunc habet aliquam permanentiam; at quando non ordinatur ad formam, sed ipsa est quæ actuat, & perficit, vt lux illuminat aerem, non est necesse, quod permanenter inhereat.

Secunda opinio fuit Empedoclis Agrigentini, teste Arist. 2. de anima cap. 7. D. Damasceni lib. 2. fidei Ortodox. cap 7. D. Augus. Epist. ad Volusianum, & lib. 6. sup. Genesim ad litteram, & Teodoreti in quæs. sup. Genesim, ques. 7. nam hi tenent lucem esse quandam substantiam, quod probant.

Primo, quia refrangi, & reflecti est corporum. Hoc luci conuenit, vt patet. Ergo.

Secundo. Radij Solis dum à corpore luminoso reflectuntur, ignem accendunt, quia duabus lineis in vnum ferè recedentibus interceptus aer atteritur, & sic ignem accendit. At hæc attritio non potest esse nisi corporum, &c.

Tertio. Hoc probant testimonio Aristot. 5. top. dicentis, lucem esse ignem. At ignis corpus est. Ergo etiam & lux.

Sed oppositum probatur. Primo. Nam omne corpus habet determinatum locum. Lux nequaquam, quia vbique diffunditur.

Secundo. Nullū corpus mouetur in instanti, per Arist. 6. Physic. Sed lux in instanti illuminat. Tertio. Duo corpora non possunt esse simul ex Arist. 4. Physic. At lux est simul cum aere.

Ad primum ergo in cōtrarium dicitur, quod est impropria refractio, & repercussio, & non propria, qualis est corporum.

Ad secundum dicitur, quod ratio accensionis illius aeris est, quia in eo duo radij vniuntur, & sic aer magis incalescit, ita vt ignem accendat.

Ad tertium dicitur, quod per lucem Aristot. non intelligit lucem, secundum se consideratam, sed vt est subiectiue in igne, quo pacto aliqui dicunt tres esse species ignis, scilicet carbonem, flammam, & lucem.

Dicendum igitur est, quod sit qualitas primi alterantis, inherens corporibus illuminatis.

QVAESTIO XII.

Vtrum lux sit eiusdem speciei in omnibus lucentibus astris, & inferioribus, & corporibus beatis.

Videtur quod non. Primo. Quæ distinguuntur specie natura, differunt etiam specie quo ad accidentia, quia ex principijs distinctis procedunt. At astra lucentia, specie distinguuntur, vt determinatum est. 8. Methaphy. Ergo & luces, quæ sunt istorum accidentia.

Secundo. Diuersa causa, diuersum producit effectum, & effectus diuersus, & distinctus specie, ab alio, arguit diuersitatem causæ secundum speciem, ex 2. Phys. & 5. Methaphy. Sed à distinctis astris secundum speciem, diuersi sunt effectus, secundum speciem, nam Saturnus infrigidat, & Mars calefacit, Sol exsiccat, & Luna humectat, & hoc per lucem suam, quia sydera agunt in inferiora motu, & lumine. Ergo &c.

Tertio. Quæ sunt eiusdem speciei non se impediunt, nec perturbant, sed potius iuuant. At lux Solis impedit, & offuscat lumen aliorum astrorum, vt patet. Ergo &c.

Quarto. Quæ conueniunt in vna ratione, secundum speciem non distinguuntur nisi secundum magis, & minus in illa ratione regulariter, vt magis album, & minus album in albedine. Sed quędam lucentia lucent solum de nocte, vt quærcus putridæ, & lucedulæ, quædam vero de die, & nocte, vt ignis, & aer alieno lumine splendet, & Sol neutiquam. Ergo.

Quinto.

Quinto. Hoc saltem videtur dicendum de luce corporum glorificatorum, compara torum ad alia lucentia. Primo quia hęc lux supernaturalem habet actionem, dum corpus eleuat ad supernaturalem statũ, quod non facit lux astrorum. Secundo, quia idem corpus non potest esse lucidum, & coloratum, vt erunt corpora gloriosa. Tertio quia erunt diaphana, & propria luce lucentia, nostra nequaquam, per Arist. 2. de Anima tex. 8.

Pro resolutione huius quæstionis Primo notandum venit, quod dupliciter possumus eam examinare. Primo sub hoc titulo. An omnis lux naturalis alicui corpori superiori, & inferiori, sit eiusdem speciei in lucentibus ipsis. Secundo. An omnis lux siue sit naturalis, siue ab externo quomodolibet; vt est lux corporum gloriosorum, eis communicata à Deo, sit eiusdem speciei, & in vtroque sensu eam ventilamus.

Secundo ergo notandum est, quod circa pręsentem difficultatem sunt duæ opiniones. Prima negat lucem superioribus, & inferioribus, corporibus connaturalem, esse eiusdem speciei, & multo fortius id negat de luce corporum glorificatorum, & nostrorum corporum. Hanc tuentur Albertus 2. p. summæ q. de lumine. Aegydius 2. dist. 13. in 2. princ. q. 1. Ricardus ibid. q. 4. Argentinas eadem dist. q. vnica, art. 1.

Secunda sententia affirmat lucem, & omnes colores in quocumque corpore existentes, esse eiusdem speciei, quia sicut tantum est vna albedo, vna nigredo, &c. secundum speciem, ita tantum est vna lux secundum speciem, quamuis sit in diuersis subiectis quandoque etiam genere distinctis, vt superiora & inferiora distinguuntur. Hanc defendit S. D. in 4. dist. 44. q. 2. art. 4. ad primum, & cum eo sunt omnes Thomistę.

Tertio igitur notandum venit, quod quędam alicui conueniunt vt naturales proprietates illius, quibus ab alijs secernitur, vt risibilitas conuenit homini, & per hanc accidente proprio differt à Leone, cui conuenit rugibilitas. Quædam vero alicui competunt, vt accidentia communia, & si quandoque sint inseparabilia, vt nigredo omnibus Coruis, & albedo omnibus Cignis, vel vt accidentia communia, vt colores, & qualitates alterabiles, generabiles, & corruptibiles corporibus mixtis. Lux, & colores non sunt naturales proprietates, quibus corpora lucentia distinguuntur, sed sunt accidentia communia à quibusdam quo ad aliquam lucem, & colorem inseparabilia, & à quibusdam separabilia, & ideo secundum ista non attenditur aliqua proprietas specifica, pullulans ex vi naturæ, quo ad ea per quæ, differt ab alia natura, sed pensatur in omnibus eam participantibus, quædam ratio communis, per quam illis, omnibus dicitur conuenire.

Quarto loco hinc colligas, cum S. D. in 2. d. 13. q. vnica artic. 3. quod secundum rem, idem sunt lux primaria, secundaria, lumẽ, radius, & splendor, vnde distinguuntur solum secundum rationem. Nam eadem lux vt est in proprio subiecto dicitur primaria, secundaria quæ ab alio participatur, vt lux omnium lucentium præhabita, & recepta à Sole, dicitur secundaria lux, propria vero primaria. Et secundum alios perspectiuos primaria lux, est quæ diffunditur per directum, & secundaria quæ per reflexum. Dicitur vero, radius, vt procedit à corpore lucente per directum, & splendor vt est per reflexum, lumenque vt est in medio diaphano illuminato, vt lux Solis in aere. Alij etiam subdiuidunt radium in rectum, idest directe ferientem illuminatum, reflexum, idest per reciprocam conuersionem, & fractum idest se colligẽtem ex medio raro, in densum, vt cum ab aere procedit ad aquam, & refractum, idest se vnientem ex medio densiori in rarius.

Secundo ergo loco ponitur hæc conclusio. Vna tantum est lux secundum speciem, reperta in lucentibus, quomodolibet. Probatur primo. Illa quæ specie distinguuntur, non habent eundem modum specificum immutandi potentiam, distinctũ tantum secundum magis, & minus, vt patet in albedine disgregatiua visus solum secũdum magis, & minus, prout est, intensior, vel remissior. At omnis lux eodem modo differenti tantum secundum magis, & minus immutat visum, alterando ipsum, &c. vt patet experientia. Ergo erit tantum vna lux secundum speciem.

Secundo. Quæ distinguuntur specie, in vna natura non conueniunt, vt patet in homine, & leone. At omnia lucentia conueniunt in vna natura lucis. Ergo. Probo minorem. Diuersæ naturæ specie se corum-

rumpunt, & vna non auget aliam; vt calor, non auget frigiditatem. At lux Solis non tollit lucem vnicuiq; corpori lucenti propriam, sed eam auget, & perficit. Ergo signum est, quod est eiusdem speciei, in omnibus lucentibus.

Tertio. Inter distincta specie non potest esse similitudo, in eo in quo specie secernuntur. At inter lucentia datur similitudo in luce, vnde sacræ paginæ dicunt lucem corporum gloriosorum fore, vt lucem Solis. Ergo erit eadem lux, specie.

Quarto. Quæ nam maior ratio de luce, quã de colore? immutant enim ambo potentiam visiuam, & sunt eius obiecta. At vna est albedo, intensior, vel remissior in omnibus albis, & idẽ dic de alijs coloribus. Ergo & vna lux specifice.

Ad primum dicimus, quod maior procedit de accidentibus proprijs, lux autem non est tale accidens sed commune, sicut vna est albedo in omnibus cignis, etiam si darentur cigni distincti secundũ speciẽ, quia in omnibus reperiretur, ratione vnius.

Ad secundum dicendum, quod diuersitas effectus dupliciter considerari potest. Primo ex causa remota, & sic diuersitas effectuum non arguit diuersitatem causarũ, nam Sol suo calore generat hominem, Leonem, murem, &c. quę specie distinguuntur. Secundo ex causa proxima, vt est calor ex calefaciente, frigus ab infrigidiante, & sic coarguit diuersitatem causarum, etiam in eadem qualitate, vnde alius est calor naturalis hominis ex quo generatur homo, & alius calor naturalis Leonis, quo generatur Leo. Modo vna est, lux secundum se in omnibus lucentibus, at producere potest diuersa ratione qualitatis immediate operantis, ex quo cum lux Saturni causaliter sit infrigidatiua, infrigidat, & Martis cum sit calefactiua calefacit, &c. vnde diuersitas reducitur in causam immediatam, & non in primam. Secundo dicitur, quod valet de causis secundum propria consideratis, & non secundum communia in se, vt est lux.

Ad tertium negatur minor, auget enim, & perficit minorem lucẽ, sed nõ tollit, quare si quis in puteum in die dum Sol lucet descendat, astra videbit, quia eius oculum nõ attingit maior lux, quæ est lux Solis.

Ad quartum dicimus, quod probat differentiam accidentalem maioris, & minoris lucis in lucentibus, non vero essentialem, & specificam.

Ad primum quinti dicimus, quod probat modum agendi supranaturalem lucis corporis gloriosi, non vero diuersitatem naturæ lucis, sicut idem est visus secundum naturam videntis, & cæci illuminati, quãuis hic secũdus sit supernaturaliter datus.

Ad secundum, negatur idem corpus nõ posse esse lucidum, & coloratum, vt patet in vitro concolorato, & smaragdo, & etiam in quercu putrida, & lucedulis, & si in his dum vnum videtur, aliud non cernatur, in corporibus vero beatis neutrum erit alteri impedimentum, quo minus ambo simul conspiciantur, tam in extrema superficie, quam introrsum, quia talem obtinebunt temperationem, & proportionem, sic postulante eorum perfectione.

Ad tertium dicitur cũ S. D. 4. d. 44. q. 2. art. 4. quæst. 1. ad secundum, Paludano ibidem. q. 5. art. 2. conclus. 2. & 3. Argentinate dist. 49. q. 1. art. 1. Alensi 3. par. q. 2 1. memb. 2. artic. 1. ac alijs, quod quamuis naturaliter idem corpus non possit esse transparens, & propria luce conspicuum, nisi hæc sibi à natura vendicaret sua, tamen per diuinam potentiam id erit in beatis, nec per hoc arguitur diuersitas naturę lucis in se, sed in causa dante naturaliter, & supranaturaliter hæc.

QVAESTIO XIII.

Vtrum motus localis sit causa caloris.

Videtur quod non. Primo. Vel motus localis est productio caloris ipsa formaliter. Aut causaliter, idest, est quædam dispositio ex qua calor excitatur. Non primum, quia Deus potest efficere ne ex motu locali, verbi gratia, silicis, lapidẽ percutientis excitetur ignis. Deus autem nõ potest (seruata natura) denegare quod rei conuenit formaliter, vt quod homo sit rationalis sine rationalitate Non secundum. Nam contraria, contrarios producunt effectus. Cum ergo motus, & quies opponantur, si calor producitur à motu. Ergo non à quiete potest produci. Hoc fallum. Nam calor naturalis colubris tẽpore hiemali quiete fouetur, vnde ne eo tempore extinguatur, in latibulis quiescit. Et speculum, & lapides soli obiecti magis incalescunt,

lescunt, ac ignem excitant, si non moueantur, quam si moueantur.

Secundo. Idem non potest esse causa contrariorum. At motus localis sæpe causat frigus. Ergo non caloré. Probatur minor. Quia aer in æstate flagello motus, refrigescit, & aer attractus ad cor ipsum refrigerat. Et aqua calida, & pulmenta calida sursum, & deorsum sæpius mota, calorem euaporant. Et ignis sæpe ventilatus, extinguitur.

Tertio. Si motus localis esset causa caloris, foret, vt docet S.D. 2. de cælo cap. 7. quia est primus omniũ motuũ secundũ Arist. 8. Phys. c 7. tex. 55. Primum autem in vnoquoque genere, est causa reliquorũ illius generis, per eũdem Arist 10. Methaphys. tex. 7. Sed hæc ratio friuola est. Primo, quia non satis concludit, quomodo motus localis causet alterationem, idest calefactionem, & calorem, cum motus localis ad vbi, & nõ ad calorem terminetur. Secũdo, quia propositio Arist. 10. diuinorum intelligitur de primo in vnoquoq; genere primitate causalitatis effectiue, quod negant multi de motu locali, etiam vt est in primo mobili, vt supra ostensum est.

In contrarium est Arist 2 cæli, tex. 42. 1. Meteor. cap. 3. & in prob. sect. 5. q. 13. vbi docet, & dicit, motum esse causam caloris.

Pro resolutione, & intelligentia huius quæstionis. Primo notandum venit, omnes Doctores Aristot. consentire in hoc, quod motus est causa caloris, at in assignãda ratione diffident. Durandus ergo in 2. d. 15. q. 3. existimauit calorem per motum excitari à re mota per cõfricationem, & attritionem, propterea, quia in mixto sunt inclusa quatuor elementa cum eorum qualitatibus, inter quas est calor, qui accõmodato modo per motum, & confricationem educitur. Sed hæc sententia non est vndequaque vera, propterea, quia non solum à corpore mixto excitatur calor, sed etiam à simplici, idest aere, & etiam aqua congelata, vnde liquescit sæpius mota. Et secundo, quia non tangit radicem, & modum quo hæc confricatio, & attritio educit calorem.

Secunda sententia est Magni Alberti 1. Meteor. cap. 11. Aphrodisei lib. 1. probl. q. 59. Thomæ Garbij 2. lib. suæ Summæ tract. 2. q. 6. (quamuis dicat multa alia, alibi impugnata) Zimaræ in suis Theorem. prop. 45. & Conimb. 2. de cælo q. 65. quod motus localis attenuat partes rei motæ, & distrahit, idest rariores efficit, vt exponit S. D. 2 cæli tex. 42. vbi hoc asseuerat Arist. & sic facit, quod concipiant calorem, quia calor sequitur raritatem. Ferrumque, lapides, & ligna calefiunt, quia dum vicissim confricantur, alterum alteri resistit, eaque repugnãtia, & attritu fit, vt aer interceptus secernatur, & ignescat. Et in hanc sententiam fuisse D. Thomam constat, vt supra, & Soncinatem 12. Methaphys. q. 12. Quomodo autem ratio S. D. defendatur suo loco dicemus.

Secundo notandum venit, quod motus causet calorem, bifariam intelligi potest. Primo formaliter, quasi motus sit ipsa calefactio, & hoc negamus, quia sic est acquisitio vbi. Secundo causaliter, idest, est causa, & ratio quod calor in re calefactibili excitetur, & hoc esse verum diximus, quia rarefacit partes, & eas sic aptas reddit ad calorem.

Tertio loco soluendæ veniunt quædam difficultates, hac occasione occurrentes.

Prima est. Cur facilius ex angulis, ignis decutiatur, quam ex alijs partibus. Huic respondetur accidere. Primo, quia certius Chalybs illam parrẽ ferit, quam alteram. Secundo, quia facilius illa pars attenuatur, rarefit, & consequenter ignescit.

Secunda est. Cur aliqui lapides æque duri cũ alijs, & etiã minus duri, citius, & facilius emittant ignem. Rñdetur prouenire. Primo, quia magis participant de calore, & qualitate ignis, quod etiam de quibusdam arboribus affirmauit Plinius lib. 16. histor. nat. cap. 40. & secundo, quia magis sunt apta ad atterendum aerem, quam alij.

Tertia est. Cur scintillæ ex attritu genitę descendant potius deorsum, quam sursum ascendant, cum tamen natura ignis sit sursum tendere. Rñdetur prouenire. Primo, propter impetum atterentis percutientis ex alto, in imo. Secundo, quia habet similis ignis multum de terrestri, & sæpe secum aliquam partem lapidis attriti portat, sed & prouenit, quoniam motus potius est violentus, quam naturalis.

Secundo loco principali pono hanc conclusionem. Motus localis (de hoc enim solum est dubium) est causa caloris. Probatur. Primo sic. Primum in vnoquoque genere, est causa reliquorum illius generis. At in ge-

in genere motus, localis est primus. Ergo erit, causa alterationis calefactiuę &c. Maior, & minor sunt Arist. vt argumento tertio notatum est.

Secundo probatur experientijs. Nam ictu scilicis percussæ à ferro fit ignis, & ita si duo lapides se percutiant, vel duo ossa dura, præcipue si sint Leonis, & plumbei globuli ex tormẽtis bellicis explosi, dum per aerem volitant, accenduntur, & quandoque liquefiunt, & sagittę ardent, & molæ farinariæ currentes, inardescunt, currruum axes ignescunt, Soleę equorum scintillant, aer percussus splendet, & con trictā nubes fulgurat, & exhalatio celeri rapta vectu micat, quare dicendum venit motum localem ciere calorem.

Ad primum diximus, motum causare calorem causaliter, & non esse calefactionem formaliter, negamusq; quietem causare calorem. Et ad instantiam de serpente dicimus, quietem cõseruare in eo calorem, ne distrahatur, non vero causare, immo causatur ex motu locali calidi ad interiora. Ad exemplum, de speculo &c. dicitur, hoc accidere non ex quiete per se, sed per accidens, propterea quia res immota magis, ac magis radijs percutitur, & sic cũ minus calida magis calida efficitur, sicut aqua quanto magis stat ad ignem, tanto sit calidior.

Ad secundum dicitur frigus causari à motu non per se, sed per accidens. Nam ventilatio causat aeris frigiditatem, expellendo illum, qui nos circumstat, qui erat calidior, & ita accidit in respiratione. Et eodem modo fit euaporatio per expulsionẽ maioris caliditatis, & introductionem frigidioris aeris, sed vt diximus ista sunt per accidens. Dum autem labia restringimus, & insufflamus, aer est frigidus, quia mouetur aer ad extra existens, dum vero labia aperimus, & exsufflamus, aer est calidus, quia talis aer à pulmone calefactus eijcitur.

Ad tertium dicitur, satis esse ostensum motum localem causare alterationem calefactionis causaliter, & non formaliter, per attenuationem, & rarefactionem partiũ, patet enim sic fieri primam radicem caloris. Ad secundum vero non respondetur, quia non probat quod probare debet. Sed vidi quę diximus de hac re 8 Physicorum quæst. 14.

QVÆSTIO XIIII.

Vtrum motus cælorum, ac siderum sint æquabiles, & ordinati.

Videtur quod non. Primo. Illi motus sunt æquales, qui in eodem tempore, idem spacium transeunt. Sed non omnes partes cæli in eodem tempore idem spacium peragrant, nam polis viciniores, minus spacium in motu raptus peragrant, idest minorem circulum faciunt quam magis distantes à polis, in eodem tempore, in quo cælum mouetur motu raptus. Ergo.

Secundo. Cæli mouentur per impulsum eis factum ab intelligentia mouente, sicut rota mouetur per impulsum eam voluentis. Hic autem impulsus transit, & reintegratur. Aut ergo hæc reintegratio fit in instanti, aut in tempore, & successiue. Si primum minuetur post illud instans motus cæli, & sic non erit regularis. Si secundum, augebitur, ex continua successione, & sic non erit vniformis.

Tertio probatur, quod motus cælestes non sint ordinati. Primo, quia videtur ipsis incongruum eclipsari, vel ingrediendo vmbram terræ, vt facit Luna dum patitur deliquium, vel patiendo impedimentum lucis, non attingat secundum totum orbem inferiorem, vt fit in eclipsi Solis. Secundo, quia tempore Iosue Sol stetit, & tempore Ezechiæ retrocessit, & in passione Domini Luna cum distaret à Sole (erat enim plenilunium) ad solẽ accessit, & ipsum obtenebrauit, ac si fuisset in nouilunio. Ergo motus syderum non sunt regulares, & ordinati.

Quoniam constat motus corporum cælestium esse vniformes, ac inuariabiles, ordinatosque ideo pauca solum ista notato.

Primum, quod motus corporum cælestium, non est æqualis dupliciter, & vno modo æqualis. Primo non est æqualis comparando vnũ corpus alteri, nam Luna vnius mensis spacio cælum percurrit, Sol vno anno cum Venere, & Mercurio &c. Secundo nec quo ad partes motas, quoniam quędam maius & quędam minus spacium transeunt in ęquali tempore, vt primo argumento probatum est. Est vero æqualis in tempore, quia in eadem mensura temporis, vnaqueq; pars suum circulum facit, neque

neque est aliquod tēpus in quo celerius, & in alio tardius moueatur. Hoc tamē potest dupliciter intelligi. Primo relatiue ad tempus tantum, & sic Sol & planetę aliquādo celerius, & aliquando tardius mouentur, immo multi stationes, & retrogradationes patiuntur. Secundo relatiue ad tempus quidem, sed in tali positione, & sic dum sunt in tali signo, pūcto, vel situ Cæli, si semel moti sunt celeri vel tardo motu, sic semper mouebuntur, & mouentur, & hoc est quod modo dicimus, & affirmamus.

Secundum est, quod adeo experiētia deprehensum est, motus corporum cælestium esse miro ordine ordinatos, in ortu, occasu, annis, mensibus, diebus, & horis cum momentis, vt frustra sit de his disquirere.

Ad primum ergo dictum est, concludit enim de æqualitate spacij; & nos loquimur de æqualitate temporis.

Ad secundum omissa ridicula responsione quorundam; influxum Angeli ex vna parte amitti, & ex alia refici, quasi sit qualitas corruptibilis, quod falsum est, cum sit perpetua motio Cæli. Dicimus, quod hæc motio non est nisi perpetua conseruatio influxus virtutis mouentis Angeli, quę considerata, vt est ab essentia Angeli, vno instanti temporis discreti mensuratur, quia variationem non sortitur, vt p.p.q.52. dicemus, quamuis nostro tempore correspondeat per annos, menses, & dies.

Ad primum tertij dicitur, quod eclipsis non dicit inordinationē aliquam in ipsum patientibus in ordine ad causas suas, quia regulare, & inuariabile est, quod dum Luna ingreditur vmbram terræ, eclipsetur, & quod dum Luna intercedit inter visum nostrum, & Solem, fiat Solis eclipsis.

Ad secundum pro quanto tangit stationem Solis tempore Iosue, & retrogradationem tempore Ezechiæ dicimus cum Abulensi q. 20. Iosue cap.10. quod tunc cum Sole stetit, & retrocessit tota machina cælestis, & ideo non est facta aliqua inordinatio.

Quo vero ad eclipsim, quę accidit in morte Saluatoris nostri dico Lunam post tres horas per quas Solem eclipsauit, ad suum locum priorem percurrisse, & suum ordinarium motum perfecisse, quod autem coierit tunc cum Sole fuit ex diuina potentia, cui nulla creatura potest resistere, vt scripsit D. Dionysius ad Polycarpum. Si quis autem quærat, an tunc Sol toti vniuerso fuerit obscuratus, an tantum Iudeę. Origenes tract.33. in Matthęum respōdet solum Iudeæ, quia pro alijs partibus non est ab aliquo antiquo scriptore talis eclipsis notata, & quia Luna non potest totum Solem obscurare, cū sit eo minor, quam maximè. Sed oppositum docuit D. Dionysius (vt ipse testatur) qui cum esset Heliopolim, quæ est ciuitas Aegypti, eam vidit & obseruauit. Et ita Chrysost. Hom. 89. in Matthæum. Theophilatus, & Hieronymus, Matt.27. Gaudentius Tract. 3. in Exodum. Athanasius serm. de Passione, & Cruce Domini, & D.Tho. 3.p.q.44. art.2. ad secundum, & alij sustinent talem eclipsim fuisse vniuersalem toti orbi, quod congruit illis verbis. Tenebræ factę sunt, super vniuersam terram, nam totius mundi Saluator patiebatur, & ideo totus orbis signum talis passionis sustinere debebat. Ad primū ergo quod tangit Orig. dicimus, talem eclipsim à multis seculis ante fuisse à Sibillis pronunciatam teste Lactantio lib. de vera sapientia cap. 19. Et de ea mentionem fecerunt Phlegon. li. 14. Olimpiad. Tertullianus in Apolog. cap. 21. ex Annalibus Romanis. Ad aliud quod luna non possit totum corpus solare obscurare dicitur, quod non solum luna impediuit radios solis, sed ipsemet sol etiam retraxit proprios radios. Vide S.D. loco supra citato.

QVÆSTIO XV.

Vtrum motus superiorum planetarum sit tardior, quam inferiorum.

Videtur quod non. Nam quanto magis aliquid accedit ad vnum primum tale, tanto magis de eius ratione participare debet, sicut propinquius calidissimo, est magis calidum, quam minus propinquū. At planetæ superiores magis sunt propinqui primo mobili, qui celeri motu mouetur, quàm inferiores. Ergo velocius, & non tardius debent moueri.

Secundo. De extremo ad extremum non fit transitus nisi gradatim, vt de minime calido, ad maxime calidum, ascendendo de primo ad secundum, tertium, quartū, &c. gradus caloris. At terra est immobilis, &

D primum

primum mobile velocissime mobile. Ergo ascendendo per orbes intermedios luna, quę est prima minus celeriter mouebitur, quam Mercurius, & Venus, & Sol, & sic ascendendo vsque ad primum mobile.

Tertio. Si planetæ superiores tardius mouerentur quam inferiores, quia sic quanto magis, vel minus accedunt, vel recedunt à primo mobili, magis minusue retardantur, (vt asserit Arist. 2. cęli cap. 10.) sequeretur, quod Mercurius qui est Venere, & Sole inferior, non cōficeret cursum suum vnius anni spacio, sicut faciunt Sol, & Venus, sed hi vt superiores diuturniori tempore suum circulum peragerent, quod tamen falsum est.

In contrarium est Arist. cap. 4. 2. de cælo, & mundo, vbi asserit superiores planetas tardius moueri, quia cum primo orbi magis appropinquent, ab eo magis retardantur.

Pro dilucidatione huius quæstionis. Primo notandum venit cum D. Thoma, vt supra, quod duæ sunt in vniuerso naturæ. Prima est incorruptibilis, & in hac substantiæ à materia separatæ primum locum obtinent pōst cælos, & Deus super omnes. Secunda est corruptibilis, idest naturæ sublunariū. Inter has autem datur media natura, idest corporum cælestium, quę de vtraque participat causaliter, quia cæli efficiūt, & causant perpetuitatem in inferioribus, & generationem, & corruptionem.

Secundo. Ergo notandū venit, quod discrimen est inter primum mobile, & cælos inferiores mobiles, quod primū mobile vno tantum motu, qui diurnus dicitur mouetur, spatio 24 horarum ab Oriente in Occidentem. Sed planetæ inferiores duplici motu mouētur, scilicet motu raptus à primo mobili, & hic est ab Oriente in Occidentem, & motu proprio, qui est per circulum obliquum ab Occidente in Orientem. Hi autem motus cum diuersi sint, etiam diuersa causant. Nam motus raptus ponitur causa perpetuitatis, & proprius generationis, & corruptionis. Itaque quāto planeta est superior, tanto magis accedit ad naturam causæ perpetuitatis, idest magis appropinquat primo mobili, qui suo motu diurno, seu raptus, causat perpetuitatem, & minus accedit ad motum, qui est causa generationis, & corruptionis, idest ab Occidente in Orientem per circulum obliquum, qui est motus proprius. Et ideo cum planetę superiores minus causent generationem, & corruptionem quā inferiores, euenit, quod tardius moueantur proprio motu.

Tertio notandum est, quod motus cælorum sic statuitur ab Astrologis. Dicunt enim, quod primum mobile quod decimum cælum dicunt, mouetur ab Ortu in Occasum supra mundi cardines spacio 24. horarum. Et secum trahit omnes inferiores cælos, & eodem spacio fere temporis motu raptus eos mouet, dempto hoc quod proprijs motibus se mouendo in oppositum, scilicet ab Occasu in Ortum non eodem tempore in indiuisibili mouentur. Aliæ vero sphæræ sic complent proprium motum. Nona sphera mouetur supra polos Zodiaci secundum Alphonsum Regem 49000. Annorum spacio. Vel secundum Ptholomeum Annis 36000. Vel secūdum Albaregnum Annis 23760. Octaua dicitur moueri a multis motu trepidationis, Annis 7000. Saturnus Annis 30. Iupiter 12. Mars 2. Sol, Venus, & Mercurius diebus 365. horis 5. minutis 49. circiter. Luna dies 27. Sed notādum, quod in mobilibus sub nona sphera duo pensamus, scilicet totalem spheram, & hanc dicimus moueri ab Occidente in Orientem eadem tarditate qua mouetur nona sphera, & motu trepidationis (si ita est) octauæ spheræ. Secundo inspicimus orbes singulares planetarum, qui sunt eccentrici in orbium medio constituti, & sic diximus moueri proprio motu vt supra. Celeritas autem primi mobilis adeo tanta est, vt nec fulgur, nec globus bombardæ tam cito moueatur.

Ad primum autem argumentum dictum est, quod non attenditur in approximatione ad primum mobile celeritas, vel tarditas, sed id ad quod factum est, scilicet ad causandam perpetuitatē in inferioribus, quæ in eo postulat motum concitatissimum, vt secum rapiat inferiores planetas, suis proprijs influxibus influentes, in sibi autem subordinatis petit tarditatem, vt magis abscedant à causis generationis, & corruptionis, vt supra docuimus.

Ad secundum dicitur, quod maior valet in his quæ sunt eiusdem generis, & rationis, non sic autem est terra cum planetis, & cælis vnde argumentum nihil concludit.

Ad ter-

Ad tertium dicitur, quod illa retardatio debet putari non sine ratione, sed cum ratione, & accommodatione ad finem, & quia Venus, & Mercurius maxime inseruiunt Soli ad producendos eius effectus, vnde nec multum ab eo se elongant, ideo cum non expedierit, non est factum quod motus Solis, qui est his superior, sit tardior, sed eiusdem fere temporis.

QVÆSTIO XVI.

Vtrum Stellæ fixæ aliquo proprio motu moueantur.

Videtur quod sic; Primo, quia teste Ptholomeo lib. 1. Geogr. cap. 7. stella poloris, quæ tramontana communiter dicitur tempore Hipparchi distabat à polo gradibus duodecim, & minutis 24. nunc vero distat tantum tribus gradibus, & semis circumcirca. Ergo necesse est fateri eam sibi vendicare proprium motum.

Secundo. Tradunt etiam Astronomi Stellas fixas sub eadem à centro mundi intercapedine, modo à Septentrione in Austrum modo ab Austro in Septentrionem declinare; Hic autem motus est eis peculiaris.

Tertio. Stellæ fixæ scintillant. At illa scintilatio nil aliud videtur esse, quam priuata eorum motio, tremori similis.

In contrarium stat Arist. 2. cæli cap. 7. & D. Aug. 2. de Gen. ad litteram cap 10.

Pro claritate huius difficultatis. Primo notandum venit, quod cælum incorruptibile est, & inalterabile, vnde pars densa non fit rara, nec rara densa. Si igitur astra mouerentur, necessum esset, quod vel primum locum relinquerent vacuum, vel quod illa pars quæ continebat corpus densum, modo sit facta rara. Si detur primum, concedimus vacuum, contra Arist. 4. Phys. Si ponamus secundum, asserimus densum, & rarum, quæ sublunaribus tantum conueniunt, etiam sempiternis, & inalterabilibus astris conuenire. Dicere vero quod dentur quidam canales in cælis tenui materia confectis, per quos transeant stellæ fixæ, purum figmentum est, non enim potest aliud corpus succedere in loco astri, aliter esset in eis mutatio, & variatio, & ille locus non potest stare vacuus, quia vacuum, & frustra naturæ repugnant. Necesse est igitur dicere, quod stellæ fixæ non moueantur aliquo proprio motu, sed sint sicut gemmæ in anulo, & ideo non mouentur nisi ad motum sui orbis, eas deferentis.

Secundo notandum, quod stellæ sunt in duplici differentia. Nam quædam dicuntur fixæ in cælo, & has diximus non moueri, sed bene eorum orbis, eo spacio temporis, de quo in superiori quæstione. Aliæ dicuntur erraticæ, seu errantes, idest planetæ, & hos dicimus, præter motum suæ principalis spheræ, alium sibi proprium vendicare. Hoc deducunt Astrologi. Primo, quia planetę nunc magis, & nunc minus distant à terra, vnde dum magis distant, dicuntur in suo auge, idest altitudine, & dum minus, dicuntur in opposito augis, quia sic eorum motus ponitur in circulis eccentricis, quorum vna pars magis à terra elongatur, quam alia. Secundo, quia si mouerentur motu solum suæ principalis spheræ, cum hic motus sit ab Occidente in Orientem, sequeretur, planetam qui hac nocte directe, alicui stellæ fixæ corresponder, sequenti nocte debere eandem versus Orientem antecedere, quod est contra sensum.

Tertio ergo loco excludimus opinionem Platonis, dantis planetis motum circumgirationis, quo in girum vertebantur secundum ipsum. Hoc enim falsum est, quia in oppositum experientiam habemus, & quamuis Sol tali motu videatur volutari, dum ab oriente ascendit ad meridiem, & deinde descendit ad occasum, tamen dicimus in veritate, hanc esse circulationem, & non girationem.

Ad primum dicimus, quod motus stellæ polaris non est ex eius natura, o... se moueat, sed prouenit ex conuersione ab occasu in ortum octauæ spheræ, in qua est infixa, & mota super polos Zodiaci.

Ad secundum idem dicitur, quod hoc prouenit non ex proprio motu stellarum, fixarum, sed ex motu suæ spheræ.

Ad tertium dicimus trepidationem, & scintillationem stellarum fixarum, non esse indicium alicuius, eorum motus, sed quod propter magnam distantiam, species languentes earum ad potentiam nostram visiuam traducantur, sunt enim secundum se radij earum solidi, & firmi, vt sunt illi, qui sunt planetarum, sed ob magnam earum distantiam cogitur potentia nostra

in earum visione languescere, & trepidare. Si autem in Oriente non ita scintillant, sicut in vertice cæli, dic esse, quia vapores, qui in Oriente solent ex tractu Solis abundare hoc causant, quod ex sua grossitie magis visui aptentur.

QVÆSTIO XVII.

Vtrum motus astrorum causet concentum, & sonum.

Videtur quod sic. Primo. Quod de minori affirmatur, nō debet de maiori negari: Sed videmus quod corpora se tangentia mota in his inferioribus, & tardo motu, in se mouendo causant sonum. Ergo hoc nō est de corporibus cælestibus se tangentibus, & velocissimo motu motis negandum.

Secundo. Homines ad cælestia inclinantur. Sed vehementissime inclinantur ad musicam. Ergo est in cælis.

Tertio. Hoc videtur dixisse Iob cap. 38. dum dixit. Concentum cæli, quis dormire faciet?

In contrarium est Arist. 2. cæli, cap 9.

Ad intelligentiam huius quæstionis. Primo notandum venit, quod circa præsentem difficultatem fuerunt duæ opiniones. Primā habuit Pythagoras, & cum eo Plato, qui etiam singulis cælis, singulares Sirenas cōcedebat, dulcissime cantantes. Hanc amplexatus est Cic. de somno Scipionis. D. Anselm. lib. de imagine mundi (si eius est) & D. Ambrosius in præfat. comment. in Psalmos, & si lib. Hexameron cap. 2. dicat talem opinionem parum firmis rationibus esse circumseptam. Oppositum docuit Aristot. cap. nono de cælo, & mundo vbi docet motum corporum cælestium nullā causare armoniam, concentum, vel sonum, & est opinio mōdo fere communiter recepta.

Secundo notandum est, quod secūdum Boetium lib. 1. Music. cap. 3. triplex est musica. Prima dicitur vocalis, & hæc constat modulata vocum varietate, & est familiaris apud nos. Secunda dicitur instrumentalis, & hæc fit instrumentis ad concentum, & armoniam accommodatis, vt tibijs, citharis, & similibus. Tertia dicitur mundana, & hæc non est nisi quædam consonantia, & proportio reperta inter quasdā res, adinuicem nexas, consentientes, ordinatas, ac proportionatas adinuicē. Et hæc reperitur in omni multitudine bene ordinata, in virtutibus, in primarum qualitatum, & humorum symmetria, in vnione corporis, & animæ, & omnis formæ cum sua materia, in bene constituta ciuitate, in mixto, & in cælis bene ordinatis, regulariter motis, & hanc non negamus in cælis, sed bene duas priores. Vide Plinium lib. 2. nat. hist. cap. 22. Ptholomeum 3. lib. Mus. D. Augustinum, & Bedam in suis libris de Musica.

Tertio notandum, quod illi, qui musicam, & concentum sonorū in cælis collocauerunt saluantur. Primo, si de musica mundana locuti sunt. Secundo, si de musica improprie sermonem fecerunt, nam tantum delectaretur intellectus videndo illum mirabilem ordinem orbium cælestium, & eorum motuum, quantum delectatur auditus in quocunque suauissimo concentu, & melodia vocum, & instrumentorū musicalium. Tertio intelligendo causaliter, quia tradunt Astrologi Venerem, & Mercurium in ortu hominis bene collocatos, eos inclinare ad musicam. Si autem cupis audire nouem armonias cæli, lege Pissari in spheram sacri Busti cap. 1.

Secundo loco principali ponitur hęc conclusio. Motus corporum cælestium non causat, nec vocalem, nec instrumentalem musicam, vel concentum. Probatur primo. Ad sonum duo præcipua requiruntur, scilicet confricatio duorum corporum solidorum, & grauium, & fractio aeris. Sed corpora cælestia leuia sunt, & inoffensa, omnique aere carent, cum supra spheram ignis non ascendat. Ergo. Maior est Aristo. 2. de anima, minor est eiusdē 2. cæli c. 9. Et recipitur etiam ab alijs.

Secundo. Excellens, & vehemens sensibile corrumpit sensum, sicut lux solis firmiter intuita excecaret visum. At si cæli sonum facerent, ille profecto esset magnus, quoniam esset magnorum corporum se confricantium. Igitur ille sonus dissolueret nostrum auditum. Respondet Simplicius, talem sonum esse ordinatum ad conseruationem auditus, sicut & ordinati sunt cælestes influxus ad vitam inferiorū, & ideo nec hi, nec ille officiunt, sed iuuant. At responsio ista nulla est. Primo, quoniam etiam lux solis ordinata est ad videndum, & tamen

& tamen excæcat. Secundo, quia mirum esset, quod hic sonus obiectum auditus, ab eo non perciperetur. Respondent esse, quia huic sono sumus assueti. Contra, quia qui per plures annos auditu priuati sunt, & arte, vel miraculo ad auditum restituti, hunc sonum nunquam perceperunt. Sed & qui à somno surgunt, vel a silentio, cur non audiunt hunc sonum? saltem aliquo modo, vt faciũt fabri strepitum martellorum? & incolentes loca vbi Nilus ex altibus montibus præcipitat, & si non sentiant tantum sonum, vt faciunt nõ assueti tamen aliqualem percipiunt. Respondent non omnem sonum esse obiectum auditus sicut nec odorabile olfactus, vnde canes non delectantur odore rosarum sicut nos, & ideo videtur dicendum quod illum non apprehendant. Sed contra. Primo, quia potentia non impedita agit in suum obiectum præsens. Vel ergo sonus nõ est obiectũ auditus, vel si est, auditur. Secũdo, quia aliud est quod obiectum non percipiatur, & aliud quod non sit perceptibile. Primũ potest dari, secundum non, quia aliter nõ esset obiectum. Et ideo falsum est, quod canes non sentiant odores rosarum, liliorum, &c. sentiunt quidem, sed ab illis non detinentur, quia non delectantur in odore, sed in sapore.

Ad primum diximus, diuersam esse rationẽ, quia corpora inferiora sunt dura, & grauia, & sunt in aere deferente sonum, non sic corpora cælestia; vnde maior curreret si essent eiusdem rationis.

Ad secundum dicimus. Primo, quod homines ad multa inclinantur, quæ non sunt in cælis, vt ad cibũ, coitũ, somnum, & similia cum musica. Secundo dicitur, quod non omnes ad musicã inclinantur, immo multi eam abhorrent. Tertio dicitur, quod sufficit illam inclinationem habere esse causaliter à cælo vt diximus, non vero esse in cælo formaliter.

Ad tertium respondet D. Hieronymus eo loci, quod ibi scriptura non loquitur de concentu, & armonia calorum proprie, sed figurate, accipiendo pro concentu, diuina encomia, quæ etiam res inanimatæ continere dicuntur, quatenus sua dispositione, & pulchritudine, angelos, hominesq. alliciunt. Dicitur autem non facere dormire, idest quiescere, quia nulla creatura põt diuinũ ordinẽ inuertere, vel perturbare.

QVÆSTIO XVIII.

Vtrum omnes sphera primo mobili inferiores, moueantur cum eo ab Oriente in Occidentem, & conuertantur ab Occidente in Orientem.

Videtur quod non. Primo si primum mobile secum rapit inferiores orbes ab oriente in occasum in suo motu diurno. Ergo, & hi orbes inferiores secum trahunt primum mobile in suo motu proprio. Probatur sequela, quia sunt necessario connexi, & non est maior ratio de vno, quam de alijs.

Secundo. Vnius rei naturalis vnus est motus naturalis, vt patet in elementis, & elementatis. Si ergo orbes primo mobili inferiores naturali motu mouentur ab Occasu in Ortum. Ergo per violentiam mouerentur ab ortu in occasum motu raptus, quod est falsum, quia in sempiternis nullum est violentum, nec corruptiuum.

Tertio. Mouens mobile præter motum eius naturalem sentit resistentiam in mouendo, vt constat in proijciente lapidem sursum, & sic fit retardatio motus. At mouens primum mobile nullam sentit resistentiam, nec retardationem in mouendo. Ergo signum est, quod non mouet motu raptus inferiores cælos.

Quarto. Non est aliquid affirmandum singulare, nisi ratio vrgeat in contrarium. Sed nulla ratio vrget quod orbes inferiores moueantur proprio quodam motu ob occasu in ortum, cum potius valeat ratio, quod sic videantur moueri, quia tardius mouentur à suis intelligentijs, quam primum mobile à sua. Ergo &c.

Quinto. Quolibet mobile habet suam virtutem mouentem. Si ergo superiores orbes mouentur proprio motu habebunt suam virtutem mouentem. Vel ergo hæc erit fortior virtute primi mouẽtis vel æqualis, vel debilior. Si fortior, non patientur moueri motu raptus. Si æqualis, obsistent, & sic stabunt. Si minor, non poterunt mouere aliquo proprio motu.

Sexto. Idem non potest simul moueri diuersis motibus, nec ad oppositos terminos. Sed si orbes inferiores mouerentur motu raptus ab oriente in occidentem, & proprio ab occidente in orientem moueren-tur

tur diuersis motibus simul, & ad diuersos terminos. Ergo hoc non est dabile.

Septimo. Motus quo vnus orbis alium ducit, quid erit, aut quo nomine vocabitur? Non enim patet, quod sit nec traiectio, nec pulsio, nec vectio &c. Ergo &c.

Pro intelligentia, & resolutione præsentis difficultatis. Primo notandum venit, quod quidam antiqui, vt Heraclides Ponticus, Niceas Siracusanus, & Aristarchus dixerunt omnes cælos immobiles stare, & solam terram in girum verti, quare diuersi aspectus syderum non erant a motu cælorum, sed à motu, & giratione terræ. In contrarium vero stat communis sententia, sensuum experientia, & ratio, quia videmus terrea ad centrum descendere, vt quiescant, & non vt moueantur. Quare dicendum est terram immobilem stare. Cælosque moueri.

Secundo. Recolendum est etiam id quod supra diximus, scilicet duplicem esse motũ in inferioribus cælis, à primo mobili. Primum dicimus raptus, quia à motu primi mobilis rapiuntur, & hic est ab oriente in occidentem. Secundum vocamus proprium, quo suis temporibus mouentur, vt docuimus supra, & hic est ab occasu in ortum. Nam hi orbes inferiores bifariam considerari possunt. Primo secundum se, & sic mouentur à suis intelligentijs motu proprio ab occidente in orientem. Secundo, secundum quod participant naturam primi motus, & subordinantur ordine, & vnione quadam cum primo mobili, & sic dicuntur rapi ab oriente in occasum, nam etiam ignis secundum se mouetur sursum, in sua sphera vero, vt participat naturam superioris in circulum mouetur, hæc enim est vicissitudo, & subordinatio rerum.

Tertio. Quia sæpe accidit mentio de axi, & polis, ideo quid sint intelligendum venit. Axis igitur erit quædam linea recta transiens per centrum spheræ ad eius circumferentiam, circa quam sphera voluitur. Poli vero sunt extrema puncta axis. Hi autem duo sunt. Vnus dicitur septentrionalis, quia est in parte septentrionali, & dicitur arcticus, quia apud eum est quædam stella quæ dicitur vrsa, & communiter tramontana; & hic polus per hanc stellã à nobis videtur. Alter dicitur meridianus, & antarcticus, quia ex opposito opponitur polo arctico, & est in meridie, & hic à nobis nõ cernitur, sed bene à nostris Antipodis, idest ab his qui habent pedes contra nostros pedes. Supra hos igitur polos voluitur primum mobile, & secum ducit omnes inferiores cælos, rapiendo illos ab ortu in occasum, & ab occasu reducendo eos in ortum, quod visu nostro deprehenditur, dum videmus omnes stellas fixas, & planetas spacio 24. horarum redire, ire, & esse sub tali hora in eodẽ fere situ cæli.

Sed quarto sciendum est, quod solus motus raptus, idest primi mobilis fit sup. polos. s. arcticum, & antarcticum, motus vero proprius cælorum inferiorum primo mobili fit super polos Zodiaci, & sicut motus primi mobilis fit per circulum æquinoctialẽ, ita motus proprius inferiorum celorum fit per circulum Zodiaci, & hinc est, quod planetæ in diuersis anni tẽporibus videntur in diuerso situ oriri, & quandoque esse iuxta æquinoctialem, quandoque lõge, & quandoque habere latitudinem borealem, & quãdoque meridianam, quod procedit ex diuersis signis Zodiaci in quibus reperiuntur, cum sua latitudine. Cum hoc tamẽ stat, quod quia superiores orbes cõplectuntur inferiores, & hi superioribus sunt concentrici, ideo inferiores semper à superioribus moueantur, sic, quod primũ mobile mouet omnes inferiores motu raptus, & eo inferiores moueant suos inferiores non solum in motu raptus, sed etiam in proprio, vnde fit retardatio motus, quod prouenit ex maxima eorum colligatione, & vnione vt diximus. Excludimus tamen planetas superiores, qui inferioribus suum motum non communicant quia eorum deferentes sunt eccentrici.

Secundo ergo loco principali statuitur talis cõclusio. Orbes primo mobili inferiores, proprium habent motum, ab Occasu in Ortum. Probatur primo. Communi fere placito antiquorum. Sic enim dixit Plato in Timeo. Aratus, Calippus, Eudoxus, Cicero, Ptholomeus, Proclus, & Arist. 2. cæli tex. 59. & fere omnes moderni, qui in sphe ram scripserunt. Secundo probatur experientia, quia cernimus planetas non seruare semper eundem situ, aspectum, motum, &c. & est conclusio ex dictis nota.

Ad primum dicunt aliqui hoc esse, quia sic voluit, qui potuit. Alij quia intelligentia mouens orbem sic modificat suum motũ,

.vt dum

vt dum motu raptus rapitur, tunc motu lento proprium orbem in oppositum traducat, sicut facit ille, qui dum in naui currẽte fertur versus occidentem, ipse in naui pondus à parte ad occasum vertente illud ad orientalem transportat. Alij, quia nõ valeat retardare aliquo modo motum regularem primi orbis. At ego dixerim hoc euenire, quia primo mobili non potest nisi vnus motus conuenire ex sua causalitate in alios, vnde est causa, & non effectus, mouens, & nullo modo motum, propter rationes adductas ab Arist. 8. Phys.

Ad secundum dicimus primo, quod maior valet considerando res, secundum se, non vero vt participant naturam superioris, vt diximus. Secundo dicitur, hoc esse proprium cęlorum, duplicem inclinationem habere. Primam, vt moueantur à superiori cælo, scilicet à primo mobili, quia ab eo continentur, & sunt ei concentrici. Secundum, vt à propria intelligentia traducantur de Occasu in Ortum, vnde nullus horum motuum est eis secundum diuersas rationes violentus, cum in re cui infertur violentia necesse sit reperire repugnantiam.

Ad tertium dicimus, aliam esse rationem de proiectis, & de cælis. Nam proiecta mouentur contra suam naturalem inclinationem, non sic cæli, vt explicuimus.

Ad quartum diximus, quod si mouerentur à suis intelligentijs de Ortu ad Occasum, non veherentur cum primo mobili, spacio 24. horarum, vt patet, & non haberent tantam diuersitatem motus, nam semper mouerentur eodem modo circa, & vltra æquinoctialem, & non ascenderent magis vno tempore, quam alio, & eundem aspectum inter se seruarent.

Ad quintum dicimus, quod virtus mouens orbes inferiores secundum effectũ dicitur minor virtute mouente primum mobile, quia non sic velociter mouet, sed in suo genere dicitur ita fortis, vt illa, quia tantum mouet, quantum conuenit moto, & non deficit in illud mouendo, prout aptum natum est moueri.

Ad sextum dicitur, quod valet de eodem secundum idem, modo in orbe inferiori alia est ratio raptus, & alia proprij motus, & idem non est terminus in diuersis illis motibus.

Ad septimum dicitur, quod pertinet ad vectionem secundam Arist. 7. Phys. tex. 10. quia continens mouens contentum dicitur illud vehere.

QVÆSTIO XIX.

Vtrum motus calorum sit dicendus naturalis.

VIdetur quod non. Primo. Cui conuenit vnum oppositorum, ei conuenit, & alterum, vt eadem manus est calidi, & frigidi susceptiua. Sed motus, & quies sunt opposita, quies autem non potest naturaliter conuenire cælo. Ergo nec motus.

Secundo. Omnis motus est ad terminum, vt ad suam perfectionem, & finem. Sed motui cæli nullus est terminus, cum cælum perpetuo moueatur, neque perfectio, cum sit ad antiquo perfectum. Ergo.

Tertio. Nullus motus liber dicitur naturalis. At motus cæli est liber, quoniam est ab intelligentia libere mouẽte. Ergo non erit naturalis.

Quarto. Natura determinata est ad vnum, & motus cõsequenter naturalis, ad vnum motum. At cæli duplici motu mouentur, scilicet ab Oriente in Occidentẽ, & econtra. Ergo &c.

Quinto. Natura abhorret infinitum, vt dicitur 4. Phys. cap. 4. At motus circularis cęli est infinitus. Ergo non est naturalis.

Sexto. Cui conuenit motus naturalis, ei etiã conuenit locus naturalis, quia motus est ad vbi: Sed cælo non conuenit locus naturalis. Ergo. Probatur minor. Res extra suum locum posita corrumpitur. Sed cælum omnino est incorruptibile. Ergo ei non conuenit locus naturalis, nec motus.

Septimo. Res quiescunt in suo loco naturali in quo perficiuntur. At cælum non quiescit in suo situ, in quo est perfectum. Ergo non potest esse ei locus naturalis, nec in eo moueri naturaliter.

Octauo. Si separaretur pars cæli à cælo, & sub orbe Lunæ constitueretur, æqua propensione quoquo versus feretur Cum autem idem sit motus totius, & partis, dicendum venit, quod cælum non sibi determinet motum circularem naturaliter.

Circa præsentem difficultatem inuenio duas opiniones. Prima fuit Auicennæ lib. 9. suæ Methaphys. cap. 2. Scoti in 4. dist. 48. q. 2. & in 2. dist. 2. q. 6. Durandi in 2. d. 14. q. 2.

q.2. & Ricardi. q.6. Hi enim tenent motum circularem non conuenire cælo, nec naturaliter, nec violenter, sed neutraliter, & præter naturam. Secunda est D. Tho. primo cæli c.2. & 3. contra gentes c.23. & Ferrar. eo loci. Item Porphyrij, & Simplicij 2. Phys. tex.3. Cap. in 2. dis.9 q.1. art.3. Aegidij in 2. dist.14. D. Bonauenturæ ibidem art.3. Soncinatis 12. Methaph. q.11. & est fere communis, scilicet quod motus circularis cælo conueniat naturaliter.

Secundo ergo notandum venit, quod motus circularis cælo conueniat naturaliter, bifariam intelligi potest. Primo ex parte materiæ, quia materia cæli talis est, quod apta nata est moueri naturaliter, circulariter. Secundo ex parte formæ, quia forma cæli ipsum reddit aptum ad motum. In primo omnes qui sunt secundæ sententiæ cõsentiunt, sed in secũdo, scilicet, quod motus cæli sit ei naturalis non solum ratione materiæ, sed etiam formæ, non conueniunt. Nam Cap. in 2. dist.9. q.1. art.3. Sócinas 12. Methaph. q.36. immo & S.D. in 4. dist.48. q.2. art.2. & 3. contra Gentes cap.23. cum Ferrar. tenent formam cæli, vt passiuum principium, seu receptiuum motus concurrere ad motum cæli, non vero effectiue, quoniam pro principio effectiuo motus habet intelligentiam. Displicet hæc opinio multis. Primo quoniam omni formę conuenit reddere materiam suam aptam, & idoneam ad motus, qui corporibus præter naturam conueniunt. Secundo quia figura circularis, priuatio qualitatum leuitatis, & grauitatis, mouentium sursum, & deorsum in cælo, & similia indicant formam cæli hæc facere, & aptare actiue, ad motum circularem.

Sed dicitur quod concurrere actiue stat dupliciter. Primo in ordine ad propriam materiam, & sic dicit verum supradicta opinio, distinguitur enim per hoc à materia, vt à principio passiuo motus. Secundo in ordine ad intelligentiam mouentem, & ad alias formas dantes motum, ex seipsis, & sic dicimus cum S. D. & supradictis eius asseclis, quod concurrit vt principium passiuum. Primo, quia intelligentia ei comparata se habet, vt principium actiuum. Secundo, quia ex se non mouet, sicut aliæ formæ, sed indiget intelligentia mouente, & causante actiue motum.

Secundo loco principali ponitur hæc conclusio. Motus circularis conuenit cælo naturaliter. Probatur primo. Perfectio propria perfectibilis, perfectibili naturaliter, & ex vi suæ naturæ perfectæ conuenit, vt rationalitas, & risibilitas homini. Sed moueri circulariter est naturalis perfectio cęli. Ergo ei conuenit naturaliter. Probatur minor, auctoritate Arist. id dicentis expresse 8. Phys. & primo de cælo, & secundo, quia materia cæli inclinata est ad aliquem motum, sicut & omne mobile. Non ad rectum, ergo ad circularem.

Secundo. Quod alicui conuenit per materiam, vel propriam formam, ei conuenit naturaliter per Arist. 2. Phys. Sed materiæ, & formæ cæli conuenit esse principiũ motus circularis, aliter perpetuo, & regulariter non moueretur circulariter, quia solum naturalia ab intrinseco inclinant ad hoc, vel illud. Ergo &c.

Tertio. Intelligentia mouet cælum prout ei conuenit, & non contra, nec præter id quod ei conuenit. At cælo conuenit moueri circulariter, vt perpetuus eius motus indicat. Ergo &c. Probatur maior, actiones agentium accõmodantur naturę actorum. Nam quamuis ego moueam rotam in circulum, tamen hoc facio, quia rotæ sic conuenit moueri. Secundo quia aliter esset aliqua alteratio in re acta, & mota, cum appetur ad hoc quod illi à natura non est. In cælo autem non potest esse alteratio, sed nec aliqua inordinatio.

Ad primum primo dico ad maiorem, quod valet in his, quæ sunt in potentia contradictionis, ad esse, & non esse, moueri, & non moueri, tale autem non est cælum, & est respõsio Arist. 9. Methaph. tex.17. Conimbr. tamen primo cæli cap.2. q.3. ad quartum docent; quod quamuis de mente Arist cælum non possit quiescere, de facto tamen naturaliter potest sibi vendicare quietem, quia in se non habet principium actiuum motus, sed ab externo, scilicet ab intelligentia recipit, vnde secundum se est indifferens ad motum, & ad quietem. Sed hoc vltra quod est contra Arist. expresse tenentem cælum non posse naturaliter quiescere, vt ipsimet affirmant, & docent vt supra, & 8. Phys. c.2. q.5. art.2. est etiam contra rationem, quia sicut terræ quæ est imum mundi conuenit naturaliter quies, & non motus, ita cælo quod est summum vniuersi, conuenit motus, &

non

non quies. Et quamuis non habeat in se formam mouentem, habet tamē formam inclinantem ad motum, & nō ad quietem, aliter illa inclinatio esset frustra, & in corpore simplici, esset ad opposita. Hinc si fine mundi miraculo, & præter naturam fiet, quod cælum tunc quiescat, non solum quo ad effectus, sed etiā quo ad statum, & naturam corporis naturaliter, circulariter mobilis, dum tamen generatio est.

Ad secundum dicendum, quod duplex est terminus. Primus dicitur terminans motum sub quiete. Secundus dicitur terminans motum sub assimilatione, quia facit, quod id quod mouetur, mouenti assimilatur secundum quod mouet, vt securis artifici secundum quod intendit facere scamna, & hoc secundo modo motus perpetuus cæli habet terminum, & perfectionem, scilicet quod se mouendo semper causet generationem, & corruptionem rerum sublunarium, & agat ad productionem prædestinatorum, vt docuit S. D q. 5 de pot. art. 5. & in 4 dist. 48. q. 2. art. 2 & 3. contra gentes cap. 22. & deducitur ex illo Deut. 4. quod corpora cælestia sunt condita in ministerium cunctis gentibus.

Ad tertium primo dicitur, quod maior currit de motu simpliciter libero, & non de eo ad quem concurrit agens liberum, sed vt rem moueat, prout naturaliter est mobilis, vt fit in cælo. Secundo dicitur, quod falsa est minor. Primo, quia ad motum cæli non solum concurrit intelligentia, sed etiam materia, & forma cæli. Secū lo, quia vnio intelligentiæ cum cælo, & si nō dicatur naturalis, vt materiæ & formæ, dicitur tamen naturalis, idest proportionata. & accōmodata vnio mouentis, & mobilis.

Ad quartum dicimus ad maiorem, quod natura dupliciter considerari potest. Primo secundum se, & ita determinata est ad vnum, & sic primum mobile habet moueri motu raptus, & eo inferiores proprio motu ab Occasu ad Ortum. Secundo, vt participat naturam superioris, & sic potest Orbis inferior participare motum raptus, prout in superioribus docuimus.

Ad quintum primo dicimus ad maiorem, quod natura abhorret infinitum secundū magnitudinem & multitudinem, non vero secundum durationem, vt est motus cæli. Secundo dicitur, quod valet in natura, quę non sibi vendicat aliquam infinitatem, modo cælū sibi vendicat infinitas circulationes, data æternitate mundi.

Ad sextum dicitur, quod neque cælum potest poni extra suum locum naturalem, & si poneretur per Dei potentiam, non posset corrumpi à locante, quia non est susceptibile conseruationis, vel corruptionis, ab alio quam à Deo. Vnde propositio Arist. 4. Phys. Quod locus aptus est conseruatiuus locati, & malignus corruptiuus, valet tantum in patientibus corruptionem, & generationem.

Ad septimum dicimus, quod maior valet, quando de ratione mobilis est continue acquirere suam perfectionem, & ea habita quiescere, quæ cælo non conueniunt, quia creatum est perfectum & circulariter mobile.

Ad octauū dicimus, quod illa pars moueretur circulariter, ex inclinatione quam sortita est cum toto.

QVAESTIO XX.

Vtrum corpora cælestia moueantur ab intelligentia, aut à propria forma.

Videtur quod non moueantur ab intelligentia. Primo. Cuilibet potentiæ passiuæ, correspondet aliqua propria potentia actiua per Arist. 5. Methaphys. Sed cælum habet naturalem potentiam passiuam ad hoc quod moueatur. Ergo debet etiam habere potentiam propriam actiuā mouentem, scilicet suam formam, nam intelligentia est à materia separata.

Secundo. Motus, qui est a principio extrinseco est violentus, vt patet in lapide proiecto sursum, vt dicit Arist. 3. Ethic. cap. 1. Sed motus cæli non est violentus, sed naturalis, secundum ea quæ diximus supra. Ergo eius motus non erit ab intelligentia, quæ est cælo extrinseca, sed à propria forma, ei interna.

Tertio. Deus regit, & mouet totum vniuersum per seipsum. Ergo non per intelligentias. Probatur antecedens ex illo Iob c. 33. Quem constituit alium super terram, aut quem posuit super orbem quem fabricatus est? Vbi dicit D. Greg. Mundum per seipsum regit, qui per seipsum condidit.

Quarto. Angeli seu intelligentiæ sunt beatę mentes in tres hierarchias diuisæ, & semper Deo assistentes, secundum D. Dionysium

sium de cælesti Hierarch.cap.6. vel in ministerium hominum missæ. Ergo non possunt applicari cælis ita vt numquam ab eis separentur.

Quinto. Omnis forma est propter suam operationem, per Arist. 3. cæli tex. 17. Sed operatio formæ cæli non potest esse nisi motus, quia datur ad mouendum, cum sit corpus mobile. Ergo motus cæli erit a propria forma, & non ab intelligentia.

Sexto. Nulla forma in corpore mobili debet esse otiosa. At si forma cæli ipsum non moueret in eo esset otiosa. Nam passiue concurrere, conuenit materiæ, & non formæ. Ergo concurrit actiue ad motum.

Septimo. Quod de ignobilioribus corporibus affirmatur, non debet denegari nobilioribus, si dicat perfectionem. Sed de grauibus, & leuibus affirmatur, quod mouentur a propria forma, saltem vt quo, & ista sunt ignobiliora cælis. Ergo dicendum venit, quod etiam cæli a propria forma mouentur.

Pro enodatione huius quæstionis. Primo notandum venit, quod circa eã fuerunt plures opiniones. Nam Rabbi moyses dixit cælos duplici motore moueri. s. intelligentia, & propria forma. Trallianus, & Vallesius controuersia.11.ad tyrones a dextero ad sinistrum ab intelligentia, & e contra a propria forma moueri affirmãt. Alij vt Democritus, Epicurus, & alij motum cæli a casu fecerunt. Albertus magnus 2. d.14.art.6. hoc esse Dei voluntate contestatur, nihilque securius d ci posse. At quidam antiqui Philosophi teste D. Bonauentura 2.d.14.art.3.q.2.docuerunt cælos a proprijs formis moueri, & non ab intelligentijs, quam opinionem amplexati sunt etiam. Maior 2. cæli & Albertus de Saxonia 8.Phys.q.vlt. Sed quod cæli non a proprijs formis, sed ab intelligentijs moueantur affirmauerunt antiqui philosophi, vt adnotauit Perrerius lib.1.suæ philosophiæ cap.1.& lib.2.in Genesim, & fere omnes Theologhi, vt D.Tho.q.6.de pot.ar.3.p.p. q.70.art.3. Durandus in 2. d. 14. q.2.Scotus.q.1.D.Bonauentura art.3.q.2. Capreolus d.9.q.1.art.3.Ferr.3. contra Gentes c. 46. Soncinas 12.Methaph.q. 36. Sotus. 2. Phys.q.11.Toletus, Conimb. & Ruuio. 2. cæli cap.5. & Suarez tom.2. Methaph. disput.18.sect.3.nu.3 6.Imno D. Thomas asserit opusc.10.ar.3.& opusc. 11. art. 2. & de pot.q.6.art.3. esse hoc tenendum vt de fide, quod & affirmauit D.Bonauentura vt supra, quia fides docet inferiora per superiora regi, & spiritualia corporalibus vniri, vt anima corpori vt forma, & Angeli cælo vt motores, vt docuerunt etiam D. Dionisius cap.5.cælestis Hier.& de diuinis nominibus cap.8.D. Greg. 4. dialogorum cap. 4.D.Aug.3.de Trinit.c.4.cum alijs.

Secundo notandum venit, quod nõ negamus propriam formam cælo, sed bene quod moueat effectiue ipsum, vt supra docuimus. Neque putandum est intelligentiam esse formam cæli vt voluerunt Aureolus apud Cap.vt supra, Mirandulanus lib. 21. de euers.sing. certam.sec.6. & Zimara.q. de intelligentiæ causalitate, quorum argumẽta leuia sunt, & alibi a nobis tacta. Nã vt D.Thomas 2.contra, Gentes cap.68.adnotauit, forma substantialis duo habet. Primum, quod det esse substantiale specificũ. Et secundum quod ex ea & materia fiat vnum compositum substantiale. Hinc tertium sequitur, quod forma sit causa propria omniũ passionum corporis, vt anima intellectiua, figuræ humanæ, quantitatis, colons &c. Si igitur ista tria spectemus in cælo, videbimus intelligentiam non posse esse eius formam. Non enim ei primum conuenit, tum primo quia cælum habet aliam formam propriam, tũ secundo quia esse cæli specificum est in genere materialium, & non spiritualium. Nec secundum quia ex ente cõpleto in specie non fit vnũ cum alio, modo intelligentiæ sunt entia completa in specie, & nõ vt est anima intellectiua, quæ est pars speciei, & ideo potest vniri corpori, vt forma. Nec tertium, quia quantitas, figura, & similia non proficiscuntur ab intelligentia secundum rẽ, & rationem separata, a materia.

Tertio tamen obseruandum venit, quod intelligentia non dicatur vniri cælo vt forma sed vt motor vnitur mobili, hoc potest bifariam intelligi. Primo proprie, & formaliter, & sic diximus esse verum. Secundo virtualiter & causaliter, sic quod dicatur ei dare motum, ac si esset eius forma & ita verum est, & hoc propter tria. Primum propter mobile, quod habet maximam inclinationem, & accommodationẽ adhoc vt moueatur per intelligẽtiam, tamquam per quid sui superius, adhoc ordina

tum

tum a Deo. Secundum propter intelligentiam mouentem quæ ei imprimit suum spiritualem influxum motiuum, ad vniuersalem propagationem & mutationem rerum; nã ipsa est causa vniuersalis, & sic mediante cælo causa vniuersali, vniuersaliter agit. Tertium propter vnionem, nam vnio mouentis, & mobilis duplex est. Prima dicitur simplex, quia tantum dicit mobile, & mouentem, vt sunt rota, & eam mouens, boues, & currus ab eis tractus. Secunda dicitur virtualis, & intrinsece operatiua aliquid in mobile, & talis est vnio intelligentiæ cum cælo, quoniam ipsum mouet imprimendo in eo spiritualem virtutem ad causandum motum inferiorũ, & vicissitudines rerum, agitque mouendo cælum quoddam influxu in eo impresso.

Quo ad secundum principale ponitur hæc conclusio. Corpora cælestia mouentur ab intelligentia, & non a propria forma probatur. Primo ex sacris literis, vt ex illo Iob nono. Sub quo curuantur, qui portant orbem idest Angeli, qui mouent cælos secũdũ quorũdam expositionem. Et cap.20. Columnæ cæli contremiscunt, & pauent ad nutum eius idest Angeli, prout etiam dominus noster dixit quod ante diem iudicij virtutes cælorum mouebuntur, idest amouebuntur, exponunt plures a motu cæli. Ad hoc etiam tendunt verba eiusdem capit.38. dum dicit, Vbi eras, cum me laudarent astra, matutina, & iubilarent omnes filij Dei.

Secundo probatur ex sãctis Patribus Dionysio, Gregorio, August. Origene, D.Thoma, Bonauentura ac alijs multis, & ex antiquis philosophis vere philosophantibus vt ex Arist. 8. Phys. 12. Metha. & Plat. 1. de legibus &c.

Tertio probatur rationibus. Primo. Ad eandem scientiam, pertinet considerare materiam, & formam per Arist. 2. Physic. tex.22. Sed consideratio cæli ad physicum pertinet, & intelligentiæ ad Methaphys. per eundem 6. Methaph. tex.5. Ergo intelligentia vnitur cælo vt motor mobili, & nõ vt forma materiæ.

Secundo. Tunc forma mouet id cuius est forma, quando a termino motus perficitur, quoniam adhoc datur motus. Sed forma cæli per motum nõ potest perfici, quia est inalterabilis, & inuariabilis. Ergo nõ potest esse principium actiuum motus. Erit ergo intelligentia.

Tertio. Inferiora per superiora gubernantur, per Arist. 1. Meteoror. & omnes. SS. Patres. Sed supra corpus simplex, non potest esse nisi intelligentia, omnino a materia separata. Ergo per eam mouetur.

Ad primum dicimus ad maiorem quod potentiæ passiuæ correspondet actiua, eo modo quo est potentia passiua, modo potentiæ passiuæ cæli ad motum, correspondet intelligentia non vt forma, sed vt motrix quia sic apte, & bene inferiora per superiora reguntur, & dicitur propria per proportionem, non per naturam.

Ad secundum dicimus, quod maior valet quando principium extrinsecum agit, & mouet mobile, mouendo ipsum cõtra suã naturalem inclinationem, quod negatur in cælo, in ordine ad intelligentiam.

Ad tertium dicimus, quod in gubernatione duo sunt, scilicet ordinatio, & executio. Deus primum facit, id est ordinat omnia ex seipso, sed ordinatum abipso exequitur per ministros, vt motum cæli per Angelos.

Ad quartum dicendum cum. S. D. 3. contra Gentes cap.80. & opusc.10. art. 17. & D. Dionysio de cælesti Hierarch. cap. 6. & 7. quod intelligentiæ sunt ex secunda Hierarchia, & virtutes nominantur. Deo autem dicuntur assistere quia beatæ sunt, & ministrare, vt exequuntur eius voluntatẽ mouendo cælos, quibus sunt deputatæ.

Ad quintum negatur minor, habet enim alias operationes, vt dare figuram, & alia accidentia propria.

Ad sextum negatur primo minor, nam constituit cælum, & ei dat propria. Secundo dicitur quod actiue etiam concurrit, non ad motum, sed ad influxus in inferiora mediante motu ei dato ab intelligentia.

Ad septimum dicendum quod cætera non sunt paria. Primo quia motus cæli est quid amplius, quam motus grauium, & leuium. Secundo quia in eis datur adhoc vt acquirant proprium locum quod cessat in cælo. Tertio quia sic inclinantur, vt moueantur à proprijs qualitatibus vt quo, non sic cælum.

QVÆSTIO XXI.

Vtrum orbes cælestes a propria intelligentia moueantur, vel omnes ab vna.

VIdetur quod omnes cæli ab vna tantum intelligentia moueantur. Primo. Sicut se habet anima rationalis ad corpus, ita se habet intelligentia ad cælos. Sed vna anima rationalis multa, ac magis diuersa operatur in corpore quam habeat facere intelligentia in cælis. Nam intelligentia habet solum mouere, anima vero habet generare, alere, augere, operationes sensuum efficere, intelligere, & velle. Ergo omnes motus cælorum possunt esse ab vna intelligentia.

Secundo. Item mouens potest omnia ea mouere quæ eius virtutem non excedunt, nec ei grauitate, vel leuitate, vel alio impedimento obsistunt. Sed omnes cæli simul non excedunt virtutem motiuam Angeli, cum nec leues, nec graues sint, & sint inclinati ad motum. Ergo &c.

Tertio. Ad mouendum cælum non est necessaria præsentia suppositi mouentis quo ad omnes partes, vt tradit Arist. 8. Phy. vnde sufficit sola præsentialitas virtutis, id est quod virtus mouentis attingat omnes partes. Sed nihil vetat, quod virtus Angeli superioris sua virtute possit attingere omnē machinam cælorum, simul ordinatorum. Ergo cum natura abhorreat superfluum videtur dicendum, quod omnes orbes ab vna intelligentia moueantur.

Incontrarium est Arist 12. Methaphy. tex. 47. vbi singulis cælis adscribit proprias intelligentias eis applicatas, & eos mouentes, & est communis sententia philosophorū, & Theologorum; quibusdam exceptis apud Fracastorium in suis homo centric. cap. 7. sec. 1. quorum Argumenta relata sunt.

Primo. Ergo notandum venit, quod præsens quæstio dupliciter disputari potest. Primo quærendo an singulis cælis, sint singulares intelligentiæ deputatæ ad mouendum totum corpus cæli, nā secundū Astrologos, vt videbimus diuiditur in tres partes, scilicet, in eccentricum, concentricum & deferentem. Secundo quærendo an his tribus partibus vnius cæli sint tres intelligentiæ applicatæ. Multi tenent vnam tantum intelligentiam, adesse, & mouere totam spheram cum omnibus suis partibus. Ruuio vero. 2. cæli capit. 5. quæst. 9. ad secundam declinat, quia partes iste totius sphæræ habent diuersos motus, aspectus, situs, positiones, & distantiæ, vnde videntur sibi vendicare diuersos mouentes. Sed quoniam non inuenio apud Arist. & Theologos philosophice loquētes multiplicari intelligentias nisi pro orbibus maioribus, & totalibus, non vero pro minoribus, & partialibus, ideo magis sequor primam sētentiam. Nam Angelus intra spheram suæ actiuitatis potest diuersa materialiter operari, Vt si Gabriel pro sphera suæ actiuitatis haberet hanc Ciuitatem Venetiarum, in vna parte ignem accendere, in alia accensum extinguere, in alia terremotum excitare, & in alia ruentē domum sustentare. Est enim hæc diuersitas operationum materialis, & inadæquata, vnde potest multiplicari, & ita dicimus posse facere in sphera totali, scilicet habere diuersas actiones, quia non orbis hic, seu hæc pars totius orbis sibi correspondet vt adæquata sphera, sed vt pars loci totalis, & adęquati.

Secundo. Notandum venit hanc esse differentiam inter Deum, & Angelos, quod Deus est immensus & incomprehensibilis & infinitus, & ideo dicitur esse in omnib. rebus, per essentiam, præsentiam, & potētiam, quare ei totum vniuersum, & vniuersum ens factum, & factibile correspondet, At Angelus habet essentiam, & potētiam finitam, & hinc est quod determinat sibi spheram suæ actiuitatis, extra quam nec lapillum minimum potest mouere, quia ad illum vt ad id quod est extra terminos suæ potentiæ nō peruenit eius virtus motiua. Quamobrem dicunt DD. Angelum simul non posse esse in cælo & in terra localiter definitiue, quamuis possit esse in cælo localiter, & per vigilantiam in terris ad custodiam hominis, vel alterius rei, adeo vt in instanti se applicet ad terram. Cum igitur Angeli quos philosophi intelligentias vocant sint definitiue in determinato loco per operationem, tamquam per rationem formalem locatiuam, orbesque sint multi, vasti, & distantes, dicimus quod non vna omnibus, sed vna vni orbi est applicata ad mouendum, maioris, vel minoris virtutis, prout mobile maior est, vel minor.

Tertio.

Tertio. Notandum est quod de numero in telligentiarũ bifariam loqui possumus. Primo secundum principia Arist. ex 8. & 12. Methaphy. desumpta. Secundo. Secundum veritatem. Si primo modo loquamur affirmamus numerum Angelorum fere improportionabiliter excedere numerum specierum rerum materialium, sicut cælũ excedit terram, quia quanto entia sunt præstantiora, tanto magis multiplicantur, vt probat. S.D.p.p.q.50. art. 3. vnde dixit Iob 25. Numquid est numerus militum eius? Et Apoc. 5. millia millium ministrabant ei, & decem centena millia assistebant ei. Secundo vero modo loquendo dixit Arist. tot esse intelligentias, quot orbes cælorum ab ipsis moti, siue sint principales, & maiores, siue minores addendo alterum ordinem mouentium per modum finis, idest per modum amati, & desiderati, de qua re alibi egimus, sicut etiam quod moueant intellectu, & voluntate, sed cum inclinatione ad hoc cælum mouendum & non ad aliud.

Secundo loco principali ponitur hæc conclusio. Orbes cælestes mouentur a sua propria intelligentia. Probatur primo. Motus diuersi, in eodem tempore facti diuersorum mobilium, diuersum situm, aspectum, & ordinem habentium, congruenter attribuuntur diuersis motoribus, eis proprijs & applicatis. Sed cæli sunt diuersi, diuersumque motum aspectum &c. habentes. Ergo non vni inelligentiæ mouenti, sed pluribus pro pluralitate mobilium recte attribuuntur.

Ad primum negatur primo maior, quia anima habet pro vno subiecto corpus, quamuis cum multis, ac diuersis operationibus, sunt enim omnes intra spheram eius actiuitatis. Vna vero intelligentia non habet omnes orbes pro adequata sphera suæ actiuitatis, sed pro excedente, & si motum tantum causet. Secundo negatur minor, quia magis distant, non in genere entis, sed in genere mouentis, intelligentia mouens orbem Saturni, & intelligentia mouens orbem Iouis, quam vegetatiua, sensitiua, & intellectiua, vna enim horum aliã includit, non sic virtus intelligentiæ superioris virtutẽ inferioris, quoad proportionem, & accomodationem ad mouendum, quia quælibet illarum ab alia differt, specie, & seorsum.

Ad secundum dicendum, quod excedere stat dupliciter. Primo virtute, vel nobilitate naturæ, & sic potest esse quod superior intelligentia inferiorem excedat. Secundo proportione, & accomodatione, & sic inferior intelligentia. V. G. orbis Iouis, est magis proportionata eius orbi, quam intelligentia Saturni, quæ est superior, vnde intelligentia orbis Iouis eius orbem mouebit & non intelligẽtia orbis Saturni, nõ ex defectu virtutis sed proportionis. Ita dicimus quod duplex est resistentia. Prima dicitur positiua, & hæc fit per aliquam qualitatem contrariam, quo pacto calidũ resistit frigido per caliditatem, & graue, sursum proijcienti, per grauitatẽ. Secũdo negatiue, quia inter mouens, & motũ non reperitur debita proportio. & sic orbis inferior, & vnus alteri, resistit mouenti, quia quelibet intelligentia habet proportionem cum suo orbe, & non cum alio superiori, vel inferiori.

Ad tertium negatur minor, ex improportione, quia non tantum pensatur virtus mouentis, quantum naturalis inclinatio mobilis ad mouentem, cum tali virtute, & nõ cum maiori, vel minori, dico ex interna inclinatione, qua vnumquodque passiuum respicit suum actiuum proprium.

QVÆSTIO XXII.

Vtrum primum mobile, immediate a Deo moueatur.

Videtur quod non. Primo. Omnis motus Physicus est actio imperfecta, quia motus est actus existentis in potẽtia, vt dicitur 3. Phy. Sed nulla actio Dei est imperfecta. Ergo per se nõ põt aliquid mouere.

Secundo. Virtus infinita improportionabiliter comparatur virtuti finitæ. At virtus finita mouet in tempore. Ergo infinita mouebit in instanti. Et sic primum mobile moueretur in instanti. Quod falsum esse sensu deprehenditur.

Tertio. Quod mouet per modum finis, non mouet per modum efficientis. Sed per Aris. 12. Methaphy. tex. 37. Deus mouet primum mobile, vt id quod amatur, id est per modum finis amati, & desiderati. Ergo ipsum non monet per modum efficientis.

Circa præsentem difficultatem tres modos dicendi reperio. Primus fuit Abulensis super 23. cap. Exodi, q. 5. vbi docet, fieri nõ posse quod Deus per se moueat, & immediate

mediate aliquod corpus propter duas priores rationes superius tactas. Hanc opinionē censuit.S.D.p.p.q.105.ar.2. errorē, cum vere sit error, non posse Deū per se facere,quod cū secūda causa agit. Nā primo.Deus,est fons omnis virtutis,& actionis,vnde quod per aliud facit,per seipsum quare non poterit facere? Secundo quia primi agentis est producere omnes secundas causas, & eorum actiones, quia dans formam,dat etiam consequentia eam.Tertio dicitur in Genesi aquas mouere, & in psalmis ventos, &c.

Secundus modus dicendi fuit Auicennæ 9. Methaphys.suæ ca.4.D. Bonauent. in 2.d. 14.q.1. Aureoli in 2.d.1.q.1.artic.2. Scoti quod.q.7.& 12.Methaphy. tex.44.Heruei de æternitate mundi qu.4. Ferr. 3. contra Gentes cap. 68. & videtur esse opinio. S. D.opusc.17.cap.12.vbi docet, nullum corpus a Deo immediate moueri effectiue, si ille motus facultati naturę subdatur.Et sic tenentes, tertio argumento supra posito innituntur. Sed arguit hos Ruuio 2. cæli c.5.q.9.Primo quia Patres docent, Deum creaturam corporalem per spiritualem mouere,& regere, vt cælos per Angelos. Secundo quia Deus est omnino a materia separatus,& in essendo,& in mouendo.

Tertius modus, videtur esse Theologorum, qui negant Deum immediate mouere,primum mobile vt Theologi, sed vt philosophi affirmant hanc fuisse sententiam Arist.Primo quia 8.Phys.& 12.Methaph.ex motu sempiterno & primo, vnum primū motorem inuestigauit,& conclusit.Secundo quia 12.Methaphy.ex motu numerum intelligentiarum determinauit, & inter has Deum reposuit tex. 45.Tertio quia 8. phys.tex.84.illum insidere dixit vbi velocissimus est motus. Quarto quia affirmat alios motores moueri ab eo. Et ita tenent. S.D.12.Methaph.tex.36. Gre.2.d.1. q.1.art.5.Soncinas 12.Methaphys.q.39.& plures alij in hac parte non esse standum Arist.secundum veritatem.

Secundo tamen notandum venit, non esse multum difficile apud nos saluare Arist. rectum dixisse,si ipsum theologizasse affirmemus. Nam dicemus,quod moueat primum mobile immediate,effectiue, dupliciter intelligi potest.Primo immediatione suppositi, per applicationem ad illud, & hoc non dicimus,quia est omnino separatus. Secundo per excellentiam loci, & operationis, & sic affirmamus Deum, vbique esse,sed per excellentiam dici esse in cælo,& ibi mouere causaliter, causando primo motum, primi orbis,& eo mediāte omnes alios,& ita est,quia sic regit superioribus inferiora, & mouet. Erit igitur primus motor, mouens immediate primū mobile,non vt motor applicatus, sed vt motor separatus secundum esse, sed ei primo coniunctus secundum causalitatem,quia eo mediāte agit ad omnes actiones inferiorum, cælo subiectas. Quare merito etiam saluamus ipsum esse primū motorem mouentem per modum finis,nā si secundum se spectetur ita est,si vero vt causa est effectiua inferiorum a primo mobili, dicetur mouere primum mobile immediate causaliter, quia prima eius actio in mouente primum mobile, & in primo mobili recipitur,& p illud in alia, quod & potuit Arist. lumine naturali ductus cognoscere.

Ad argumenta ergo non oportet respondere,pro quanto tangunt hanc motionē, & modum,propter nouitios tamen ordinate respondebimus. Ad primum primo dicimus ad maiorem, quod motus in suo genere est perfectus, sicut etiam omnis alia res in suo ordine. Secundo dicitur quod actio dupliciter potest dici imperfecta. Primo ex parte obiecti,quia, scilicet in genere,non tantum suo considerata,sed cum alijs comparata habet rationē potentialis, & imperfecti,& sic motus est actio imperfecta.Secundo ex parte agētis actionem producentis,prout rei illi conuenit & sic nō erit actio imperfecta, sed perfecta, quare dum Deus produxit materiam primam, & producit monstra non dicitur agens imperfectum,sed agens perfectum,producens imperfecta, secundum exigentiam illarum naturarum. Secundo dicitur,quod minor nihil valet in agente a proposito,vt est Deus.

Ad secundum per hoc patet, nam si Deus esset in magnitudine,& toto suo posse moueret,motus esset in instanti, idest fieret mutatio rei non successiua,sed instantanea at Deus non sic agit,sed intellectu, & voluntate,& prout rebus actis conuenit.

Ad tertium diximus,quod secundum se mouet per modum finis,in ordine ad effectus per modum efficientis.

QVÆ-

QVÆSTIO XXIII.

Vtrum intelligentiæ moueant cælos potentia motiua distincta ab eorum, intellectu, & voluntate.

Videtur quod non. Primo Nam quæ sunt distincta, & separata in inferioribus, in superioribus vniuntur, vt quinque sensus externi in vno cōmuni, & quę diuersis discursibus, & speciebus ab hominibus, vno simplici intuitu & specie ab Angelo intelliguntur. Et quæ diuisim ab irascibili, & concupiscibili appetuntur, ab vna simplici voluntate acceptantur, vel reijciuntur, vnde & Plato dixit ex Hippocrate omnia ex vno abire in multitudinem, & multa recolligi in speciem vnitatis. At in nobis, intelligentijs inferioribus virtus motiua distinguitur a nostro intellectu, & voluntate. Ergo in intelligentijs nobis superioribus vniuntur.

Secundo. Potentia media est inter essentiam rei, & eius operationem. Sed in Angelis a materia separatis secundum essentiam tantum sunt duæ potentiæ intellectuales, scilicet intellectus, & voluntas. Igitur hæ duæ sufficient, scilicet intellectus imperādo, & voluntas exequendo.

Tertio. Arist. 3. de Anima definiens potentiam motiuam secundum locum dixit. (Hæc igitur ambo, intellectus, & appetitus mouendi, motu dicto, principia sunt.) Et statim reducens hæc duo ad vnum subiungit. Vnum est igitur id quod mouet, ipsum inquam, appetitum. Ergo appetitus intellectualis, qui dicitur voluntas, in separatis a materia erit principium mouēdi, & non aliqua potentia motiua distincta.

Quarto. Potentia executiua in illis ponitur distincta a voluntate in quibus opus est aliud esse imperans, & exequens aliud. Hoc autem nō est necessarium in Angelis quia eadem voluntas potest imperare, & exequi. Ergo in eis non est ponenda potentia motiua singularis.

Quinto. In Deo non ponitur potentia ista motiua, vt executiua, distincta ab intellectu diuino, & diuina voluntate. Ergo nec in Angelis, Antecedens, est D. Thomæ. Nā p. p. q. 25. art. 1. ad 4. sic dicit. Vel dicēdum, scientiam, vel voluntatem diuinam secundum quod est principium effectiuum habere rationem potentiæ. Et q. 54. art. 5. sic ait. Vnde de viribus animæ non possunt eis (s. Angelis) competere, nisi intellectus, & voluntas. Et q. 78. art. 1. ad 3. Dicendum quod in Angelis non est alia vis, quā natura intellectiua, & voluntas, quæ ad intellectum consequitur. Hoc idem repetit de malo. q. 16. art. 1. ad 14. Et de spirit. creaturis art. 6. ad 8.

Circa præsentem difficultatem, duas opiniones inuenio. Prima negat esse aliquam potentiam motiuam corporum in Angelis, præter intellectum, & voluntatem ad motum relatam. Hanc tenent Cap. in 2. d. 7. q. 2. art. 1. Durandus q. 5. Argentinas d. 8. q. 1. art. 1. Herueus d. 14. q. 1. art. 4. Soncinas 12. Methaphy. q. 35. Conimbric. 2. cæli c. 5. q. 7. art 2. Vasquez. p. p. disput. 102. c. 3. & 4. & disput. 218. c. 3. in fine. Zumel. p. p. q. 25. Molina. q. 54. art. 5. Scotus, Ferrariensis & alij citati a Vasquez vt supra. Rationes horum iam dictę sunt.

Secunda sententia affirmat in Angelis prę̄ter intellectum, & voluntatem esse potentiā motiuam corporum ad locum. Quam tenuerunt Henricus, Aureolus, Mairon. Gothaphredus, relati a Conimb. vt supra. Itē Caiet. p. p. q. 54. ar. 5. Suarez to. 1. Methaph. disput. 35. sect. 6. nu. 22. & Ruuio 2. cæli c. 5. q. 10. & est, expressa. S. D. q. 6. de Pot. ar. 7. ad 12. & quod. 9. art. 10. ad secundum.

Secundo igitur notandum venit, quod aliud est loqui de Deo, & aliud de Angelo. Nam in Deo oīa sunt vnum vbi non obuiat oppositio relatiua, (vt dicit Concilium Florent.) & cōsequēter cū solum relatiua oppositio stet inter relationes oppositas, merito dicimus idē esse in Deo realiter esse, intelligere, velle, mouere, &c. & intellectum, voluntatem, potentiam motiuam, &c. At Angelus quędam substantia finita est, suis terminis coangustata, non per essentiam, sed per potentiam operatiuā, & per determinatam potentiam, quia per vnam potentiam vnum obiectum respicit, & non aliud, v. g. per intellectum respicit verum vt suum obiectum, & per voluntatem bonum, vt eius obiectum. Ergo cum sit finita, & in determinatum obiectū directa, & motus localis non sit obiectum nec intellectus, nec voluntatis, constituenda erit in Angelo potentia motiua respectu motus localis, vt singulari obiecto, attribuatur, & assignetur peculiaris, & propria potentia.

Tertio igitur vlterius speculandum venit, quod

quod actiones Angeli quædam sunt ad intra & quædam ad extra. Ad intra sunt intelligere, & velle, Ad extra mouere, & influere, vnde sicut respectu actuum immanentium assignamus potentias ex natura rei distinctas, vt sunt intellectus, & volūtas, ita pariter respectu actionū trāseuntium assignamus propriam potentiam, ex natura rei, distinctam a principiis actionum immanentium, scilicet potentiam motiuam, distinctam ab intellectu, & voluntate, quam distinctionem dicimus realem, & non formalem, idest secundum intellectum.

Secundo ergo loco principali ponitur hæc conclusio. Potentia motiua in Angelo est distincta ab intellectu, & voluntate. Probatur primo. Nulla potētia agit extra suū obiectum. Sed motus localis non est obiectum, nec intellectus, nec voluntatis Angeli, vt diximus supra. Ergo erit ei assignāda propria potentia.

Secundo. Intellectus & voluntas sunt principia tantum actionum immanentium, secundum Arist. 9. Meth. Sed mouere localiter non est intelligere, nec velle, nec actio immanens, sed transiens. Ergo eius principium erit potētia motiua ad locum, in angelo etiam.

Tertio. Velle, non est mouere. Ergo nec voluntas potentia motiua. Tenet sequela, quia potentiæ distinguuntur per actus. Antecedens probatur, quia distinguuntur primo in se, nam mouere dicit præsentiam & efficientiam, & velle amorem. Secundo, quia velle subiectatur in voluntate, & mouere in mobili. Tertio, quia intelligere, & velle sunt actiones vitales, non sic mouere, vt est mouere. Quarto quia tendunt in obiectum, & mouere in effectum. Quinto, quia intelligere, & velle ex vna parte sunt actiones immanentes inter se realiter distinctæ. Ergo etiam a potentia motiua, cum sit actio transiens. Sexto, quia intelligere, & velle indifferenter se habent ad præsens, & distans, & mouere determinatam applicationem, præsentialitatem, & influxum dicit in rem motā.

Ad primum ergo in oppositum dicitur, quod falsa est maior in omnibus, nam intellectus, & voluntas realiter in hominibus, & Angelis distinguuntur, cum tamen Angeli sint homine superiores. Vera igitur erit, quando vnum natum est alterum includere, quia vnum ordinatur ad aliud, vt vegetatiuum, ad sensitiuum, & vtrumque ad intellectiuum, & sensus particulares ad communem &c. modo intelligere & velle, & mouere non sic ordinantur, vt vnum includat necessario aliud, scilicet superius inferius.

Ad secundum dicendum, quod virtus intellectualis bifariam sumi potest. Primo vt dicit actum intellectus tendentis in verū. Secundo vt annuit virtutē non subiectatā tamē in corpore. Primo modo tantum explicat intellectum Angeli, & sic non omnis virtus Angeli dicitur intellectualis. Secundo autem nominat omnem potentiam substantiæ, a materia abstractæ, & sic etiā potentia motiua in Angelo potest dici intellectualis, quod est dicere, est intellectualis subiectiue, quia subiectatur in natura intellectuali, non vero formaliter.

Ad tertium dicendum, quod ibi Arist. nominauit potentias intellectuales simpliciter, potentia autem motiua potest etiam esse in corpore, cum non tantum Angelo, & animæ conueniat mouere, Sed & corpori.

Ad quartum dicimus, voluntatem posse immediate quidem imperare, sed exequi minime nisi mediate, idest mediante potentia motiua, & exequtiua, vnde distinguuntur sicut principium primum, & proximū actuum, & operationum.

Ad quintum negatur consequentia, & iure, vt explicatum est supra. Ad primum locum, S.D. q. 25. dicitur, quod ibi de diuina potentia loquitur, non de potentia Angeli. Ad illam q. 54. dicitur, quod sensus est, quod angelo conueniunt solum facultates spirituales animæ, vt sunt in anima nam potentia motiua etiam corporib. conuenire potest, Ad illam q. 78. dicitur, quod ibi intendit excludere ab Angelis potentias vegetatiuas, & sensitiuas, quæ subiectantur in corpore, non vero excludit virtutē motiuam ab eis, quæ dicitur spiritualis vt supra.

QVAESTIO XXIIII.

Vtrum intelligentia rotando suum Orbem ei præter motum, imprimat influxum.

VIdetur quod nō imprimat ei influxum. Primo. Quia videtur expressa sententia S.D. de spiritualibus creaturis, art. 6. ad

ad 9. vbi sic dicit. Substātia spiritualis, quæ mouet cælestia corpora, vnitur eis secundum moueri tantum. Ergo non vnitur eis etiam quo ad influxum.

Secundo Impulsus in mobile tunc est necessarius, quando mobile non est præsens mouenti, sed est ab eo separatus, cum ponatur vt instrumentum mouentis separati. At intelligentia mouēs orbem est illi præsens. Ergo non est necessarius influxus.

Tertio. Mouens aptum ad mouendum, & mobili proportionatum, eique applicatū, immediate potest mouere, absque alio influxu medio. At intelligentia apta nata est mouere suum orbem, & est ei applicata, & proportionata. Ergo non agit mediante influxu, sed immediate mouet.

Quarto. Hoc perspicuum cernimus in grauibus, & leuibus, quæ ad sua naturalia loca mouentur immediate, sine impulsu. Et calefactiua facultas immediate producit calefactionem, & calorem &c. Ergo &c.

Circa præsentem difficultatem duas inuenio opiniones. Prima est Suarez, tom. 2. Metaphy. disp. 35. sec. 6. nu. 25. scilicet, quod intelligentia non imprimit aliquem influxum orbi quem mouet, quo quasi instrumento illum moueat, sed immediate ei vnitur, & illum mouet, vnde ei non dat nisi motum. Secunda ex opposito contradicit, & autumat intelligentiam suo mobili non solum dare motum, sed quendam influxum, quo mediante mouet. Hanc tuētur Conimb. 2. cæli cap. 5. q. 5. ar. 4. in fine. Ludouicus Molina p. p. qu. 45. art. 5. quam etiam dixit probabilem Suarez vt supra, num. 24. Inter has duas opiniones Ruuio se medium posuit 2. cæli cap. 5. q. 11. & dixit, quod si loquamur de intelligentia mobili applicata solum imprimit motum, & non influxum, quia non est necessarius. At si de ea loquamur vt est a mobili diuulsa vel de parte ab ea mota a qua est separata, tunc imprimit influxum; quia sic motor corporū agitat, & mouet mobilia a se distātia, & quia oportet mobili inherere motū, quod in distans non fit nisi per influxū.

Secundo ergo notandum venit, cum S. D. de spiritualibus creaturis. art. 6. ad 12. quod corpus cæleste, inquātum mouetur a substantia spirituali, est instrumentum eius, sicut serra artis, instrumentum autem moueri per impulsum in eo impressum, nullus est qui dubitet. Verum est tamen quod per impulsum duo possumus intelligere. Primum vim, & virtutem quandam mobili impressā, adhoc vt moueatur, prout mobile est sm̄ impetū quendā externū, nullo modo ab intrinseco operātē, prout proiecta per impulsum mouentur. Secundū impetū quēdā externū, nullo modo ab intrinseco operantē prout proiecta per impulsū mouētur. Secūdū nō dicimus, quia sic mota violenter mouētur. Affirmamus ergo primū. Primo quia cælum vt intelligentiæ instrumētum agit, ad generationū viuentiū, & consequenter opus est vt in eo sit hic influxus impressus. Secundo quia cælum mouenti intelligentiæ non reluctat, sed ad eius motum se aptum reddit, & accomodat, quod necessario fit, quia imprimitur in cælo quædam qualitas, quæ proportionatum reddit mobile mouenti, cum secundum naturam suam maxime distent. Tertio, quia cælum est veluti instrumentū intelligentiæ, & consequenter debet recipere actionem operantis, & mouentis.

Tertio notandum venit, quod quamuis intelligentia intellectu, & voluntate moueat suum orbem, tamen adhuc potentia motiua illum rotat, vnde intellectus, & voluntas dicuntur principia directiua motus, & potentia motiua exequtiua ipsius. Cum autem ista potentia motiua non sit simpliciter impulsiua, sed motiua propria, oportet vt per aliquid cælo moto approprietur, adeo vt alium orbem nec moueat, nec sit apta mouere. (Dico vt est motrix, secus vt substātia separata, quia sic superior potest, id totum, & quid amplius, quod potest inferior) Hæc autem appropriatio debet esse quid medium, nullum enim aliud datur refugium, & sic erit influxus in orbem, qui sic dicetur appropriare mouentem mobili. Hanc aūt intelligentiam sibi determinare vnā partē in cælo in qua residet, & ex illa mouet, & multa alia ad hoc propositū facientia, habes in 8. Ph. ibi vide.

Ad primum dicitur, quod ly secundum moueri, tantum duo significare potest, Primum vt annuat intelligentiam vniri cælo secundum motum tātum, idest vt motrix, & non secundum vitam, idest vt anima eius. Secundum vt excludat influxum. Primum est quod dicit, S. D. non secundū, quia semper concedit influxum mouentis intelligentiæ, in suum orbem.

Ad secundum negamus maiorem, si addatur

ly tantum. Ponitur enim in fluxus. Primo vt faciat motum mobilis corresponde re mouenti. Secundo vt approprietur. Et tertio vt se in illud quasi modificet.

Ad tertium negatur maior, est .n. in motu caeli adhuc necessaria appropriatio, & approximatio quasi ab intrinseco.

Ad quartum dicimus, quod grauia, & leuia in motu suo naturali mouentur a generante per influxum quēdam in eis relictum, in eorum generatione. De motu autem violento loqui non est ad propositum, quia motus caeli factus ab intelligentia est naturalis. Quod vero additur de calefactione, & calore non vrget, quia illa est productio causae sui proprii, & connaturalis effectus, & necessaria, & naturali sequela, non sic motus caeli ab intelligentia procedit.

QVAESTIO XXV.

Vtrum dentur eccentrici & epicicli.

Videtur quod non. Primo. Motus caeli est circa medium, & non a medio ad medium, per Arist. 1. caeli tex. 5. At datis eccentricis talis non erit, qm̄ eccentricus sm̄ vnā partē magis recedit a cētro mundi. Ergo planeta pro ea parte mouetur a medio, & secundum aliam partem minus recedit, immo propinquat cētro mundi. Ergo pro illa parte planeta mouetur ad medium.

Secundo Caelum perfecte est sphericum, secundum phil. 1. caeli tex. 32. At dato eccentrico non erit tales, quia secundum vnam partem est magis grossus, siue magis spissus, & secundum aliam minus. Ergo non erit sphericus.

Tertio. Nec vacuum, nec penetratio corporum datur, secundum phil. 4. Phys. At haec darentur datis eccentricis. Ergo probatur minor. In eccentrico est pars grossa, & tenuis. Ergo cum pars grossa, ad locum partis tenuis peruenerit, aut spheram circundantem subintrabit aut locus in quo erat pars tenuis non replebitur ab ea. Si primum, sequitur corporum penetratio. Si secundum, vacuum.

Quarto. Idem est locus totius, & partis, ex 4. phys. Sed centrum mundi est locus totius caeli, cum locetur per centrum (ait Auerroes.) Ergo & eccentrici. Sed hoc repugnat, quoniam eccentricum est, cuius centrum est extra centrum mundi. Ergo non potest dari, eccentricum.

Quinto. Omnis sphera caelestis voluitur circa centrum terrae. At eccentricus non voluitur circa centrum terrae, aliter non esset eccentricus, sed concentricus cum terra. Ergo non dantur eccentrici.

Multa sunt, ac varia quae ab Astrologis dicūtur circa praesentem quaestionem, quam si quis exactius videre cuperit, legat Paulū Donatum Carmelitanum in suis theoricis lingua vulgari conscriptis. Clauium comment. in 1. caput spherae Ioan. de sacro Bosco, & alios recentiores, breuibus enim me expediam vt moris est philosophi, & succinti indagatoris veritatis.

Sciendum est ergo primo, quod circa praesētem difficultatem duae praecipue sunt sententiae. Prima negat eccentricos, & epiciclos, quam habuit Comment. 12. Methaphys. tex. 45. & a qua non multum recessit, S. D. super tex. 46. quamuis. 2. caeli lec. 17. nec affirmatiuam, nec negatiuam reprobauerit, vnde putandum est in hac parte, quod ad Astrologos se remiserit, sicut etiam fecit Arist. 12. Methaph. tex. 45. Secunda sententia astruit eccentricos & epiciclos, & est post Ptholomeū, & Pythagoram omnium fere Astrologorum, & cum nulla clarior vsque modo appareat ad saluandas stationes, retrogradationes, altitudines, & propinquitates maiores, in vno tempore planetarum, quam ista, erit amplexanda.

Secundo ergo breuiter notandum est quid termini significent. Primus autem est hic, eccentricus, pro quo sciendum, quod cuilibet planetae, tres orbes damus. Primum vocamus concentricum, quia habet centrum terrae sibi commune, cum circa ipsā rotetur, & hic orbis est vndequaque vniformis crassitiei, Alium autem orbem damus, & hunc simpliciter eccentricum appellamus, quia tam secundum concauū, quam secundum conuexum habet centrū, a cētro caeli totius, & vniuersi diuersum, retinens tamen vniformem crassitiem, & est intra crassitiem totius caeli, & terram ambit, Circa autem hunc orbem, duo alij orbes sunt difformis crassitiei, vnus quidē supra ipsum, & alter infra. Ille autem qui est supra, ex illa parte qua eccentricus orbis maxime a centro mundi recedit, tenuissimus est, & crassissimus ex alia parte, secundum quam idem eccētricus orbis, terrae maxime appropinquat. Ille autem qui

infra

infra eccentricum est, ex illa parte qua terræ approximat, est tenuissimus, & crassissimus secundum eam partem secundum quam a terra magis recedit, & sic fit quod superficies conuexa superioris orbis, & cõcaua inferioris habeat idem centrum cum orbe eccentrico Vide Clauium vt supra. Secundus terminus est ly Epiciclus. Hic autem dicitur paruus circulus solidus, immersus intra crassitiem eccentrici, & mobilis circulariter circa proprium cẽtrum, & in hoc epiciclo collocatus est planeta, & circumuoluitur circa terram ab eccentrico simpliciter, sub eo qui est intra duos alios eccentricos, vt supra, qui dicuntur eccentrici secundum quid. Sol tamen non habet epiciclum, & ideo nec stationem, nec retrogradationem, sed collocatus est in eccentrico, & ab eo defertur. Habeas ergo quod totum cælum planetę ex tribus orbibus partialibus constituitur, scilicet ex eccentrico simpliciter, & duobus eccẽtricis, secundum quid, excepto, cælo Mercurij, & Lunæ qui constituuntur ex pluribus orbib. & habent epiciclũ, i. circulũ paruum in suo eccentrico simpliciter, (Sole excepto,) qui eccentricus simpliciter ab Astrologis dicitur deferens epiciclum, Vide alia in Clauio vt supra, vbi per figuram clarius illa percipies.

Tertio notandum venit, quod irregularitates quæ videntur esse in cælo propter quas saluandas posuimus eccentricos, & epiciclos bifariam considerari possunt. Primo secundum se, & sic magnas irregularitates in cælis comperimus, scilicet nunc magis ad terram accedere, alias, magis recedere, quia scilicet quandoque sunt in auge, idest in parte maxime a terra distante, & quandoque in opposito augis, idest in parte magis terræ propinqua, nunc stare, nunc motum velocem, & nunc tardum habere, propter epiciclum, & sic de alijs. Secundo in ordine ad causas suas & sic maximam vniformitatem semper retinent, quia datis eisdem punctis, & locis, idem sẽper habent, & retinent.

Secundo ergo loco principali statuitur hæc conclusio. Dantur eccentrici, & epicicli Probatur primo. Corpus, qđ modo maius & modo minus apparet, propinquius, quãdoque, & quandoque remotius, necesse est, vt in vno tempore magis a visu nostro se elonget, & in alio magis appropinquet. At ita se habent omnes planetæ. Ergo habent augem, & oppositum augis. Sed hæc non haberent; si haberent idem centrum cum terra, nam sic semper eiusdem figuræ, & distantię comparerent. Ergo necesse est dare eccentricos in quibus sint. Respondent aduersarij, quod Sol & planetæ quandoque maiores & quãdoque minores appareat, nõ esse propter maiorem, vel minorem distantiam a terra quia mouentur in orbe concentrico terræ, sed euenire propter abundantiam vaporum intercedentium inter nos & planetas, quia quando vapores abundant maiores, & quando non tantum abundant, minores apparent. Sed hæc responsio nulla est. Primo quia in æstate dum Sol est in auge, in Cancro, & consequenter maxime a nobis distans, si aer sit magis caliginosus quam in hieme dum reperitur in Capricorno, scilicet in maxima propinquitate ad nos, Sol non apparebit maior, vt dũ est in Capricorno in cælo sereno. Secundo quia tanta variatio fieri non potest ab aere, & tertio quia Luna singulis mẽsibus bis in auge reperitur, & bis in opposito augis, in singulis signis Zodiaci, & tamen nunc maior, nunc minor apparet. Respondet Hieronymus Fracastorius, non solum propter vapores sed etiam propter densitatem, & raritatem, nunc planetas maiores, & nunc minores apparere, quia in auge partes sunt subtiliores, ideo radij ibi non tantum refranguntur, & sic videntur minores, in opposito autem augis partes cæli planetæ sunt densiores, & ideo magis refrangentes radios, & sic comparet corpus planetæ maior. Sed & hoc figmentum est. Primo quia illa densitas, & raritas Solis & aliorum planetarum splendorem variaret, quod falsum est, semper enim in aere sereno eiusdem splendoris sunt. Secundo, quia sub Luna non sunt istæ partes densiores vel rariores, & tamen modo maior, modo minor cernitur.

Secundo. Constat Solem inequaliter moueri in signis borealibus, & australibus, nam dum sex signa borealia percurrit, scilicet Arietem, Taurum, Gemini, Cãcrum, Leonem, Virginem, scilicet a die 21. Martij inclusiue, vsque ad 24. Septembris exclusiue consumit dies 187. Dum vero percurrit per signa australia, scilicet per Libram, Scorpionem, Sagittarium, Capricornum,

Aquarium, & Pisces, tantum cõsumat dies 178. At hoc non esset si moueretur in concentrico terræ, seruaret enim distantiam, & regularitatem. Ergo hoc oportet reducere ad eccentricum, seu deferentem in quo mouetur. Hac ratione conuictus Auerroes 1. Meteororum confessus est, quod necessario Sol mouetur in orbe eccentrico regulariter, quia circa centrũ terræ mouetur irregulariter, & sic palinodiam cantauit. Vide alias plures rationes apud Clauium, & alios expositores spheræ & eccentricis, & de epiciclis, quia hæ nobis sufficiunt.

Ad primum autem in oppositum respondendo aliqua scienda sunt. Primum, quod Arist. primo cæli cap. 2. diuisit motum in rectum, idest qui fit per lineam rectam, circularem, qui fit per circulum, & mixtum, qui fit ad diuersa vbi, loquendo de motu naturali, vt distinguitur a motu progressiuo, & animantium motu. Procedit enim vel a virtute simplici, vel mixta. Si a simplici, est motus rectus, & circularis. Si a mixta, mixtus, vt est motus alicuius rei, quæ hac, & illac mouetur. Motus simplex fit supra magnitudinem simplicem, rectam vel circularem, & mixtus supra mixtam. Secundo scito, quod Arist. secundo cæli cap. 2. motum circularem vocat circa medium, idest circa centrum mundi, motus, qui est sursum dicitur a medio mũdi, vt mouetur ignis, & qui est deorsum vt omne graue mouetur, dicitur in mediũ mundi, idest ad centrum, quod est in medio mundi, quare tres tãtum sunt lationes e medio, idest sursum, ad mediũ, idest deorsum, & circa medium, idest motus circularis, vt est motus cæli. Tertio scito, quod vnicuique corpori simplici tantum datur vnus motus simplex, scilicet vel sursum vel deorsum, vel in circulum, quia eis tantum datur vnus locus. His stantibus respõdemus, quod duplex est motus a medio ad medium. Primus dicitur rectus, idest per lineã rectã, & hic negatur a cęlo. Secũdus dicitur circularis, quia fit per eccentricũ, deferentem, per eleuationem, & depressionem circa centrum mundi, & in circulum, & hic fit per eccẽtricum vt diximus, neque hunc negauit Arist.

Ad secundum dicendum, quod sphęracitas non pensatur ex crassitie, vel tenuitate circunferentię, sed ex æquali distantia, quam habet centrum ad circumferentiam per omnem partem, siue lineã transeat, per partem crassam, siue per tenuem, talis autem sphęracitas reperitur in eccentrico, nam ab eius proprio centro lineæ, ductæ ad circunferentiam, sunt æquales.

Ad tertium dicitur, quod argumentum supponit vnũ falsum, scilicet quod pars grossa debeat transire per subtilem, & econtra, hoc enim falsum est, quia hæ partes, quãuis positionem in motu mutent, tamen secundum se semper in eadem densitate, vel tenuitate perseuerant.

Ad quartum negamus, quod cælum sit in loco per centrum, vt docuimus quarto phy. Est enim in loco per partes, vt ibi explicatum fuit.

Ad quintum dicendum, quod solum concentricus orbis vertitur regulariter circa centrum mundi, non vero orbis eccentricus, aliter non esset eccentricus, idest habens cẽtrum suum extra centrum mundi, seu terræ. Nec propter hoc necessaria est alia terra circa quam eccentricus huius nostræ terræ moueatur, sed sufficit ipsum ad terram nostram comparare, non vt concentricum, sed vt eccentricum, propter irregularitatem apparentiarum &c.

Finis Primæ Partis Vniuersi Cælestis.

PARS

PARS SECVNDA VNIVERSI CÆLESTIS,

QVAE MVLTA SCITV DIGNA CONCLVDIT, per quæsita, & dubia resoluta.



OSTQVAM famosiores quæstiones fusius tractandas resoluimus per digressiones ampliores argumentorum, fundamentorum, probationum, & solutionum, modo accedimus ad easdē, & alias res cæleſtes tractandas, ſed ſtrictius, & reſolutius, per modum ſummarium, & ſtrictum.

DVBIVM PRIMVM.

An detur ſcientia de cælo.

VIdetur quod non. Vnius ſubiecti, vna eſt ſcientia. At de cælo agunt Phyſicus, Aſtrologus, & Mathematicus. Ergo de eo non poteſt eſſe ſcientia.

Secundo. Eadem ſcientia non poteſt eſſe ſpeculatiua, & practica. At tractantes de cælo dant Aſtrologiam ſpeculatiuam, & practicam. Ergo cognitio cæli non poteſt eſſe ſcientifica.

Tertio. Scientia eſt certa cognitio. At quæ Aſtronomi ex cælis pronunciant ſunt incertiſſima. Ergo &c.

In contrarium eſt Ariſt. in libris de cælo, & ſunt omnes Aſtrologi.

Pro ſolutione huius dubij. Primo nota, quod cælum bifariam conſiderari poteſt. Primo Phyſice, vt agit in inferiora motu, & lumine. Secundo Mathematice, vt eſt corpus quantum, menſurabile. Primo modo conſideratur a Phyſico, ſecundo a Mathematico, cum hoc tamen quod ſæpe ab alio accipit, quia in multis ſubordinantur.

Secundo. Nota, quod cognitio cæli Aſtronomica dupliciter conſiderari poteſt. Primo ratione principiorū, & ſic dicitur Mathematica, & ſic conſiderat cęlum, quo ad ſyderum ordinem, ſitū, ortum, occaſum, multitudinem, magnitudinem, craſſitiem, diſtantiam, congreſſum, aſpectum, occultationem, deliquium, & ſimilia, vt ſic. Secundo ratione materiæ ſupradictis ſubiectæ, & prout ex aſpectibus, reuolutionibus, & ſimilibus influxus pronunciat, & ſic dicitur potius ſcientia Phyſica, quam Mathematica. Prima autem conſideratio dicitur ab Aſtrologis Aſtronomia ſpeculatiua, ſecunda vero practica, ſeu prima dicitur Theorica, & ſecunda diuinatrix.

Tertio. Nota, quod ad ſupradictas duas conſiderationes reducuntur diuerſa conſiderata ab Aſtrologia. Vt quæ ſint vires planetarum, quæ pronuncient in inferiora, de bello, pace, terremotu, peſtilentia, & de mutationibus aeris &c. hæc enim ſunt ſubiecta partialia, & materialia, quæ ſcientiam non diuerſificant, cum cadant omnia ſub vna ratione formali abſtractionis a materia ſecundum rationem, ſed non ſecū dum rem, ſi iſta ſpectemus vt Mathematica, & ſi nullo modo, vt Phyſica. nam paſſiones ſyderum, &c. per rationes Phyſicas, & Mathematicas demōſtrari poſſunt, ſecundum quod diuerſimode ab eis contemplantur.

Quarto ergo loco probatur, quod de cælo ſit ſcientia. Nam de eo eſt ſcientia de quo eſt certa cognitio, & quo ad naturam, & quoad paſſiones. De cælo datur. Ergo. Minorem probat certitudo Mathematica, prædicit enim Mathematicus certo eclipſim futuram, & occupatio Phyſica, circa cælum, vt patet in libris Ariſto. de cælo, & mundo.

Ad primū dicitur, quod maior eſt vera quo ad vnam rationem formalem, & abſtractionem. Modo ſub diuerſis rationibus formalibus, & abſtractionibus conſideratur cælum, a Phyſico, & a Mathematico, vt diximus.

Ad ſecundum dicendum, quod Aſtrologia bifa-

bifariam considerari potest. Primo secũdum se, & quo ad finem scientiæ, & sic cũ sit de corpore speculabili, & non operabili dicetur simpliciter speculatiua, sicut est omnis scientia Physica, & Mathematica secũdum Arist. 6. Meth. Secundo respectu scientifici, & sic ab extrinseco potest ordinari ad aliquam praxim, & sic dicetur practica per accidens, seu secundum quid.

Ad tertium dicendum primo, quod scientia de cælo dupliciter considerari potest. Primo sm̃ se, & sic est maxime certa, quia est de corpore, perpetuo, simplici, & vniformi. Secũdo respectu nostri, & sic dicitur sciẽtia imperfecta quo ad multa, & quo ad multa perfecta, quia quo ad aliqua parum a nobis participatur. Hæc autem participatio quæ respicit Astrologiam diuinatoriam habita est, ex longa, & vniformi experientia influxus syderum, & ex principijs physicis, & Mathematicis, itemque ex multis instrumentis, & astrolabijs.

DVBIVM SECVNDVM.

An consideratio cæli, sit immediata ad octo libros Physicorum.

Videtur quod non. Primo. A nobis notioribus est incipiendum, per Aristot. primo Physic. Sed cognitio generationis, & corruptionis est nobis notior, & facilior, cæli vero obscurior, & difficilior. Ergo ab hac non est exordiendum post octo libros Phys. qui sunt de principijs vniuersalibus rerum naturalium.

Secundo. A genere generalissimo non fit immediatus trãsitus ad specialissimas species. Sed consideratio entis mobilis est veluti generalissimum genus in Physica, cælorum vero veluti speculatio specialissimorum, cum constituant species athomas, in vno indiuiduo tantum existentes. Ergo &c.

Tertio. Cognitio totius præcedit cognitionem partium, ex primo Physic. Ergo cognitio totius vniuersi debuit præmitti cognitioni cælorum, qui sunt partes constituentes vniuersum.

In contrarium est Aristot. qui post libros de Physico auditu, posuit libros de cælo, & mundo.

Pro intelligentia, & resolutione quæstionis primo nota, quod duplex est ordo. Primus dicitur naturæ, & sic a nobilioribus incipimus. Secũdus dicitur doctrinæ, & sic a nobis facilioribus. Primo ordine libri de cælo immediati sunt ad libros de Physico auditu, quia nullum ens mobile (de qua est Physica) est cælo præstantius. Secundo autem ordine incipiendum esset a libris de Anima, & de generatione, & corruptione, quia horum effectus sunt apud nos familiares, magis & noti.

Conclusio ergo est. Libri de cælo sunt immediati ad octo libros de Physico auditu, ordine naturæ. Probatur primo. Ab vniuersalissimis principijs fit immediatus transitus ad minus vniuersalia principia vniuersaliora tamen sequentibus. Sed cæli (de quibus est hæc scientia) sunt vniuersaliora principia quam elementa, & sublunaria alia, cum cæli hæc habeant pro secundis causis. Ergo post octo libris de Physico auditu, qui sunt de principijs vniuersalissimis entis mobilis, ponendi erant libri de cælo.

Secundo. Accedit quod corpus simplex præcedit minus simplex. Cæli autem sunt corpora simplicissima.

Tertio. Arist. 8. Phys. mentionem fecerat de primo mobili, & primo motore. At primum mobile est cælum, ideo de cælo erat facienda immediata mentio.

Ad primum. Primo dico, quod maior valet de ordine doctrinæ, non de ordine naturæ secundum quem loquimur. Secundo dicitur, quod maior est vera, nisi obstet necessitas. At quoniam omnia sublunaria a cælis dependent, & ignorata causa, ignoratur scientifice effectus, ideo prius erat agendum de cælis, quam de sub eis positis.

Ad secundum. Primo dicitur ad maiorẽ, quod valet quando seruatur ordo doctrinę, modo hic saluatur ordo naturæ, qui a genera lissimis, transit ad nobiliora, & perfectiora. Secundo dicitur, quod cæli bifariam considerari possunt. Primo in essendo, & sic sunt specialissimæ species. Secundo in causando, & sic sunt vniuersalissimæ causæ, & sic considerantur hic.

Ad tertium. Primo dicitur, quod maior valet in cognitione cõfusa, non in distincta, qua ex partiũ cognitione procedimus ad totum. Secundo dicitur, quod cognitio totius vniuersi non est assignata seorsum, sed bene cognitio cæli & mundi, & hæc est inclusa in libris de cœlo, & mundo.

DV-

DVBIVM TERTIVM.

An vniuersum, ex quinque corporibus simplicibus compositum, sit subiectum in libris de cælo, & mundo.

CIrca præsentem difficultatum sunt plures opiniones. Prima fuit Iamblici, & Syriani, tenentium corpus cæleste esse subiectum in libris de cælo. Probabant hoc. Primo. Inscriptio operis, continet tractata in opere. At inscriptio librorum de cælo est, de cælo. Ergo cælum, seu corpus cæleste erit subiectum.

Secundo. Subiectum est id quod per se consideratur in scientia, & non ea quæ in ipsa per accidens considerantur. Sed cælum per se consideratur in scientia de cælo, elementa vero vt sub cælo continentur, ab eo mouentur &c. Ergo cælum erit subiectum.

Secunda opinio fuit Simplicij, in proemio lib. de cælo, & Conimb. ibidem, quod corpus simplex, sub quo cælum & quatuor elementa comprehenduntur, est subiectū in libris de cælo. Probant hoc. Primo. Illud est subiectum in scientia, quod directe, & principaliter consideratur in ea, & ad quod alia reducuntur. Sed tale est corpus simplex, mobile ad vbi. Ergo. Probatur minor. Nam Arist. in illis libris seruauit hoc, quod in 1. & 2. egit de cælo. In 3. & 4. de elementis, mixta vero ad cōsiderationem istorum reduxit.

Secundo. Corpus simplex mobile ad vbi est considerationis naturalis. Sed in nulla alia parte præter istam de eo agitur. Ergo erit subiectum in libris de cælo.

Tertio. Non possumus dicere vniuersum esse subiectum in his libris, quia non de omnibus partibus vniuersi in his agitur, vt de lapidibus, plantis, animalibus &c. & hic agitur de omnibus corporibus simplicibus, mobilibus ad vbi, Ergo corpus simplex mobile ad vbi erit subiectum.

Tertia sententia est Alexandri. Ruuio, & S. D. in proemio librorum de cælo, scilicet, quod vniuersum, vt est ens mobile, seu corpus mobile ad vbi, cōpositum ex quinque corporibus simplicibus, scilicet ex cælo, & quatuor elemētis, est subiectum adæquatum librorum de cælo, & mundo. Probatur primo. Illud est subiectum in scientia, cuius proprietates considerantur in illa. At proprietates mundi &c. in hac scientia considerantur. Nam tex. 4. primi de cælo, Arist. præmittit se acturum de natura vniuersi, & disputaturum, an sit finitum, vel infinitum, & tex. 77. ostendit ipsum esse vnum, & perfectum, & in secundo libro, esse ingenerabile, & incorruptibile, & æternum, Et tex. 5. primi libri pollicetur se acturum de corporibus simplicibus, vt sunt partes componentes vniuersum, Ergo hoc erit adæquatum subiectum.

Ad primum ergo primæ opinionis negatur maior, nam non solet semper a subiecto adæquato sumi inscriptio operis, sed quādoque etiam a parte principali, vt fit hic nam cælum est principalis pars vniuersi.

Ad secundum dicitur, quod elementa considerantur in his libris, non per accidens, sed per se, vt subiiciuntur cælo.

Ad primum secundæ (quæ opinio non multum discedit a tertia) dicitur, quod non solum considerat Arist. illa corpora vt mobilia ad vbi, sed etiam vt constituunt vniuersum, prout tamen ad sua loca mouentur naturaliter, sic exigēte ordine, & perfectione vniuersi.

Ad secundum dicimus, quod probat esse in libris de cælo consideratum, sed non vt subiectum, sed vt pars subiecti constituens totum vniuersum.

Ad tertiū dicitur, quod partes vniuersi principales, & primariæ sunt corpora simplicia, & de his est sermo particularis, nam de alijs minus principalibus, aliæ scientiæ tractant, quia diuersas rationes sibi vendicant.

DVBIVM QVARTVM.

An cognitio de cælo sit antiquissima.

VIdetur quod non. Quia Aristoteles inuentor librorum de cælo, non fuit per multa secula ante Christum.

Respōdetur quod de cognitione cæli bifariā loqui possumus. Primo de cognitione aliqua, secundo de exacta. Si primo modo loquamur antiquissima fuit, vt patet ex diuinis, ac prophanis scriptoribus, neque potuit esse nauigatiua sine tali cognitione nec cognitio anni, & temporū diuersorū anni. Si secundo modo de ea disputemus, distin-

distinguo, Vel loquimur de eius cognitione exacta (prout ad nos peruenit) vt erat per traditionem hominum, vel vt fuit in libris redacta, & digesta. Si primo modo, Adam fuit excellentissimus scientificus rerum cæli, Abraã Caldeus, & filij Seth, qui timentes de alio diluuio vel conflagratione vniuersi per ignem, eam in duabus columnis descripserunt, vnam lapideam, & aliam lateritiam. Si secundo modo, hanc laudem damus Arist. qui quo ad præcipua, eam digessit in libris de cælo, & mundo.

Scias tamen hanc cognitionem ante Aristot. extitisse, etiam quoad plura nõ tradita nobis ab eodem, vt quoad eam partem, quæ spectat ad diuinationem. Hanc autem aliqui attribuunt Ægyptijs, quoniam ipsi potuerunt optime obseruare stellas, quoniã in Ægypto raræ sunt nubes, & pluuię. Alij hanc laudem dederunt Aetiopibus, qui semper possident serenissimum cælũ, Alij Sidonijs, nauticæ peritissimis, Alij Athlanti, qui propterea dictus est sustentare cælum, propter peritiam rerum cælestiũ quam habuit, vt docet D. Augustinus lib. 18. de ciuitate Dei, & Isidorus Siculus lib. 4. fabulæ, & propter hãc causam Hercules factus est discipulus Athlantis, & portitor cæli. Ita gnomonica Astrologia fuit anno 3308. tempore Ezechiæ, & tempore Annaximenis, anno 3465. ab orbe condito, ex Plinio lib. 2. cap. 76. Hoc idem deducitur ex nauigatiua, quæ non potest esse sine cognitione syderum. Nam etiam ista antiquissima extitit, cum fuerit tempore Salomonis, vt de triennali nauigatione in Tharsis, & Ophir in Indiam nẽpe occidentalem, vt probabilior fert opinio, vel in Orientalem, vt docet Augustinus Cornelius. Eandem antiquitatem conclude ex cognitione eclipsis Solis, & Lunæ, qui fuit notissimus ab antiquo apud Ægyptios, Arabes, & Grecos.

Ad argumentum ergo patet quid sit dicendum, scilicet Arist. colligisse cognitionem de cælo, sed non fuisse ipsius primum inuentorem.

DVBIVM QVINTVM.

An sit vtilis cognitio calorum, præstans, & iocunda.

Videtur quod non. Nam quod prohibetur, vtile non censetur. At astrorum cognitio, & prædictio ex ipsis prohibetur vt patet in extrauag. Sixti V. Creator cæli, & terræ. Ergo non poterit esse vtilis.

In contrarium est Aristot. de partibus animalium, vbi dicit. Iocundissimum esse aliquid scire de superioribus, etiam si topice, q̃ scire scientifice multa de reb. inferioribus. Vtilia aũt iocundissima esse solẽt.

Respondeo, quod cognitio cæli dupliciter cõsiderari potest. Primo ex parte obiecti, & sic secundum se tria habet. Primum quod est nobilissima cognitio, & sciẽtia, adeo vt nullus vere nobilis ea carerę deberet. Hæc autem excellentia deducitur. Primo ex obiecto, quia cæli, & sydera quo ad gradum essendi vt perpetua, sũt inferioribus nobiliora, saltem vt causæ, cum inferiora causent. Secundo ex necessitate, q̃a nullus bene scire poterit inferiora, nisi ea reducat, & coniungat cum superioribus, dicente Aristot. 1. Meteororum, quod necesse est mundum hunc inferiorem, supernis lationibus esse continuum. Tertio ex demõstratione, quia demonstrationes istę, vt plurimum sunt Mathematicæ, & hę dicuntur esse in primo gradu certitudinis secundum Auerroem, & Ptholomeum in principio Almagesti.

Secundo habet, quod sit iocundissima, nam ista nouas cognitiones gignit, admirandos effectus penetrat, astrorum naturã, & vim explicat, eclipses futuras, aspectus planetarum &c. ante quam veniant pronunciat, quare ex ista cognitione videtur homo ad societatem Dei eleuari, iuxta illud. Annunciate nobis, quæ ventura sũt, & dicemus, quod Dij estis.

Tertio habet magnam necessitatem. Primo respectu nauigatiuæ, quæ sine syderum cognitione, & aspectu peragi non potest, cum Stellæ sint nauigantium ductores. Secundo respectu Agriculturæ, quoniam ex ista tempora cognoscimus seminandi, & colligendi, & cetera alia ad eam necessaria faciẽdi. Tertio respectu Medicinæ, adeo vt Ptholomeus, & Galenus dicant, nullo modo ægrotum se debere committere medico ignaro Astrologiæ, coguntur enim notare dies decumbitus, aspectus Lunæ &c. Quarto respectu etiam ecclesiastici officij, ad regulandas solennitates, &c. Vnde non est inutilis, nisi vt non penetrata, quæ est secunda eius consideratio soluens argumentum.

D V-

DVBIVM SEXTVM.

An Astrologia sit omnino prohibita, si sit iudiciaria.

Videtur quod sic. Nam iure diuino damnata est, Hieremiæ. 1. Esaiæ 47. Ad Galatas 4. Actorum 19. Item prouerb. 24. Ecclesiast. 8. & 10. Item lege ciuili reiecta est L. 2. 3. & 7. C. de maledicis, & Mathematicis, & L. Mathematicos, cap. de Episcopis audiendis. Et ei dicitur Anathema in Concilio Toletano, idest in articulis fidei, & de hac re videnda est constitutio Sixti V. Creator Cæli, & Terræ.

Quoniam hanc quæstionem in prima parte huius operis discussimus, ideo pauca de eadem re modo etiam dicemus, ex Caietano 22. q. 95. Suarez tom. 1. de Religione, lib. 2. de superstitione ca. 11. Salas in 1. 2. Sanchez in summa, Martino Del rio lib. 4. disquisitionum Magicarum, & alijs. Primo ergo distinguo, quod de diuinatione ex astris bifariam loqui contingit. Primo quo ad ea quæ eorū causalitati subduntur, vt omnia naturalia, & viuentia, vt viuunt, & mouentur. Secundo quo ad ea quæ ab eis necessario non dependent, vt sunt actiones liberæ. Primo modo loquendo dico eam nullo iure esse prohibitam, aliter tollenda esset tota philosophia, quæ secundas caussas primis subalternat, immo tollenda esset natura, quæ inferioribus, per superiora necessaria subministrat. Difficultas ergo solum est in videndo, quę actiones sint liberæ, & non eis subiectæ, & quomodo.

Dico ergo primo, posse Astrologos infantis temperamentum diuinare, & ex temperamento sensitiuas propensiones. Probatur. Cognita causa cognoscitur effectus. At temperamentum corporis dependet à cōiunctione, aspectu, & influxu vario syderum, vt longa experientia docti, tradiderunt Astrologi. Ergo hoc possunt Astrologi pronunciare. At in praxi tali diuinationi non esse standum certa opinione cōtestor. Primo quia temperamentum infantis non solum est reducendum ad causas cælestes, & primas, sed etiam ad proximas, vt ad qualitatem, & temperamentum seminis maris, & feminæ, ad regionē in qua hic nascitur, ad cibos, & similia. Quod autem a pluribus causis dependet, illud ex vna tantum iudicare, error est. Secundo quia aspectus syderum in natiuitate non bene percipiuntur, cum motus raptus sit velocissimus. Temperamentum autem infantis, & propensio virium sensitiuarum qualiscunque sit ad medicam artem reducitur.

Secundo dicimus, quod stante temperamento, & inclinatione virium sensitiuarum inducta a cælo possunt Astrologi plura diuinare de facto. Hoc docuit S. D. p. p. q. 115. vbi dicit Astrologos vt plurimum diuinare, (si verā cognitionem syderum habeant) quia vt plurimum homines sequūtur inclinationes corporum, & virium sensitiuarum. Et 3. contra Gentes docet ex cælis posse Astrologos bonum ingenium nati pronunciare. Et 2. de generatione ex periodo vitæ deducit diem mortis. Et Concilium Trid. non vetuit prædictionem inclinationum, sed diuinationem nō qualemcunque, sed certam actionum humanarum. Sixtus tamen V. vt supra inhibuit, vt nec incertam prędictionē tentent. Sed hanc prohibitionem dicunt tantum currere in foro exteriori, vt tollatur fraudes, pericula, vel occasiones errādi simpliciū, nō vero valere in foro interiori qn̄ nul la fraus vel periculum, vel scandalum subest. Sic dicunt Suarez, vt supra num. 3. Valētia. 2. 2. disp. 6. quæst. 12. puncto 3. versic. Si vtens. Martinus del Rio lib. 4. cap. 2. q. 3. & Baranzanus in sua Vranoscopia. q. 8. num. 2. & mouentur, quia talis pronunciatio interna est Physica, & non probabilis. patet autem quod Sixtus V. dicit tales esse puniendos, si in iudicio accusati dicunt, se id certo non pronunciasse, quare non videtur voluisse tollere prædictionem, sed occasionem errandi ex ea, quia pauci sunt qui calleant veram astrologiam, & secundum scientiam dicant.

Tertio dicimus, quod nullo iure prohibita est Astrologia quo ad tria. Primo quo ad artem Medicam. Secundo quo ad agriculturam. Tertio quo ad nauigatiuam. Primo ergo poterūt Medici Figuras cælestes infirmorum erigere, & etiam sanorū pro eorum infirmitate, morborum intensionem, & remissionem per dies criticos directe cognoscere, & morbi finem pro quanto cælestia sydera significant prædicere, cum corpus necessario superioribus caussis subdatur, vt docet S. D. p. p. q. 115. Secūdo poterunt nautæ ex Astrologia annunciare ventos, tempestates, pluuias, & aeris

mutationes, quia hæc a sydenbus concitantur. Tertio poterunt Agricolæ ex eadem prædicere, pluuias, grandines fertilitatem, & sterilitatem anni, & alia, quæ ad agriculturam faciunt. At bella, homicidia, furta, & similia quæ ab hominum voluntate dependent, stante constitutione Sixti V. non possunt affirmare in suis Almanach. Sed tamen vsus videtur eis hoc dedisse, quia dicunt, quod antiqui obseruarunt, non ex propria mente ista affirmantes, vel persuadere volentes.

Quarto dicimus de aquilegis, & metallorũ inuentoribus, qui in Hispania dicuntur Zaovres, qui videndo solum homines, vel res discernunt, qui humores sint in stomacho, & ventre animalis, quę aquę in visceribus terræ, vel venæ metallorum, cum suis coloribus, qualitatibus, magnitudine &c. Hi inquam si dicant ista cognoscere ex indifferentibus, vt feria tantum 4. vel 6. superstitiosos censeo, si ex herbis, & arboribus ramos furcatos habentibus, naturales esse dico, de quare lege Vitruuium, & Georgium Agricolam de re metallica, & Baranzanum vt supra num. vltimo.

DVBIVM SEPTIMVM.

Quid nomine cæli intelligatur in primo capite Genesis.

Legimus in primo capite Genesis, Deum in principio creasse cælum, & terram, accidit ergo dubitatio, qd nomine cęli intelligendum veniat. Respõdetur quod quãuis aliqui per illud cælum intellexerint empyreum, quod dicitur sedes beatorum, & alij per cælum naturam cælorum sumpserint, tamen mihi videtur cõgruentius dicendum, quod pro cælo, non vnum tantum cælum sumatur, sed tota vniuersitas cælorum, quia ibi cælum distinguitur contra terrã, & dicitur, quod primo die Deus creauit Cælum, & Terram, idest cælestia corpora, & terram domum terrenorum.

Caue autem hic errorem Augustini Eugubini, qui dixit cælũ empyreum esse increatum, & in scripturis vocatum lucem inaccessibilim: Si enim non est Deus, & est aliquid, creatum erit.

DVBIVM OCTAVVM.

An cælum sit creatum in mense Martio cum vniuerso.

Videtur quod sit creatum cælum, & totũ vniuersum mense Semptembri. Primo Nam Gen. 1. dicitur. Germinet terra herbam virentem, & facientem semen iuxta genus suum. At semen inuenitur in Autumno. Ergo.

Secundo. Eua dixit serpenti, se posse edere de omni ligno Paradisi. Ergo tunc omne lignum habebat fructum, quod non accidit mense Martio, sed Septembri.

Tertio. Homo primus cum vxore extra paradisum terrestrem debebant enutriri; Atcito a Paradiso terrestri fuerunt eiecti. Ergo tunc in vniuersa terra debebant esse fructus maturi, vt in Autumno.

Hanc quæstionem discussimus etiam 8. Phy. & ideo circa eam non immorabimur. Dicimus ergo cum S.D. in sermonibus, ac cũ alijs Patribus, Ambrosio, Augustino, Hieronymo &c. quod cælum & totum vniuersum fuit creatum mense Martio, die Dominico, quoniam hic est primus in ordine ad Sabbathum, in quo Deus quieuit ab omni opere, quod patrarat, & ita canit ecclesia in hymno. Hoc autem deducitur ex multis. Primo quia Astrologi semper inceperunt annum a mense Martio. Secundo quia Moyses præcepit Hebreis vt annum a mense Martio inciperet. Nec obstat Iosephus Hebreus dicẽs, ante Moysem Hebreos consueuisse annum incipere ab Autũno, vnde dicitur in Genesi, quod. in secundo mense factæ sunt pluuiæ magnæ super terram, quæ fecerunt diluuiũ, pluuiæ autem mẽse Septemb. & Octobrio abundant. Dicimus enim in hoc nos non consentire Iosepho, sed patribus, & quod pluuiæ magis abundant, vel tantũ in vere, in secundo Mense. f. Aprilis, vltra quod illa magna inundatio facta est imperio Dei, vt deferet omnem animam viuentem, extra archam existentem. Tertio deducitur, quia ecclesia incipit legere hystoriã creationis mundi in Septuagesima prope Martium, & in hoc mense Christus mortuus est, & resurrexit, mũdus renouatus, populus Hebreus a seruitute Ægypti est liberatus. Quarto deducitur, quia homines, animalia, & plantæ tunc creatæ sunt ad generan-

generandum. Hoc autem maxime fieri potest mense Martio, quoniam tunc terra germinat, & animalia calent, ac sanguine abundant.

Ad primum ergo primo respondet Ambrosius, quod littera in Hebreo erat Producat terra herbam fæni, quæ germinat in mense Martio. Sed secundo dicitur, quod textus non dicit herbam cum semine, sed facientem semen, & hoc incipit facere mense Martio.

Ad secundum primo dicitur, quod Eua loquitur possibiliter, scilicet quod data erat ei facultas edendi, de omni ligno Paradisi, pro tempore suo. Secũdo dicitur, quod quoniam Dei perfecta sunt opera, potuit esse quod Deus creauerit omnes arbores cum fructibus suis, & eos per totum annum conseruauerit.

Ad tertium dicunt DD. quod in Mesopotamia, ad quam primo transierunt primi parentes, ob aeris caliditatem etiam mense Martio sunt multi fructus maturi, & tunc maxima erat herbarũ suauitas, dulcedo, & salubritas, & ideo poterant tunc herbis ali. Sed adde superiorem responsionem, & dic etiam, quod tunc potuerunt esse segetes maturæ &c.

DVBIVM NONVM.

An solus Deus potuerit creare mundum, & cælum.

Videtur quod hanc virtutem potuerit etiam creaturæ. V.G. Angelis communicare. Primo Creatura potest Dei virtute id totum operari, quod ab ea non distat in infinitum. At nihil, & creatura non distant in infinitum, quia creatura producta finita est, & nihil, quid finitum est. Ergo.

Secundo. Non magis negat negatio, quam affirmet affirmatio. At affirmatio totius entis creati est rei finitæ. Ergo & negatio, nam terminus productus finitus est.

Tertio. Omnis causalitas subiecti finita est, & extrinseca. Sed hæc potest suppleri a Deo. Ergo.

Incontrarium est. S.D.p.p.q.44. & cum eo D. August. de ciuitate Dei cap. 74. Tertullianus de receptionibus hereticorum Damascenus de fide ortodoxa, & alij, qui dicũt, & sustinent ad creandum esse necessariam virtutem infinitam, & ideo nullã creaturã posse assumi ad creandum, quia implicat quod sit creatura, & habeat esse, & virtutem infinitam. Probatur ergo. Primo. Ad effectum infinitum producendum requiritur virtus infinita. Sed hæc solum in Deo reperitur. Ergo solus Deus potest creare.

Secundo. Effectus vniuersalissimus reducitur ad causam vniuersalissimam necessario. Esse est effectus vniuersalissimus. Ergo reducitur tantum ad Deũ causam vniuersalissimam. Nec valet, quod erit effectus particularis, quia esse vt esse est vniuersale.

Tertio. Instrumentum per aliquid sibi proprium agit. At creatura non potest habere aliquam propriam actionem in nihil quod est terminus a quo creationis. Ergo &c. Vide de hac re, quæ alibi diximus in Physica.

Ad primum negatur minor. Primo, quia inter aliquid, & nihil est distantia infinita. Secundo quia dato quod esset finita distantia, modus operandi esset infinitus, idest, ex nihilo aliquid facere, & per hæc patet ad secundum.

Ad tertiũ dicimus, Deũ posse supplere omnem causalitatem subiecti in propria obiecta, modo nihil non est obiectum potentiæ finitæ, sed tantum infinitæ, idest. Dei omnipotentis.

DVBIVM DECIMVM.

An intelligentiæ (quas Angelos appellamus) motrices cælorum sint a Deo creatæ.

Videtur quod non. Nam de omnibus creatis a Deo sit mentio in Genesi. At de Angelis nulla sit mentio. Ergo.

Secundo. Vel fuerunt creati ante mundum, vel cum eo. Non secundum, quia de hoc non constat. Non primum quia Angeli creati sunt vt administratorij spiritus creaturarũ. Ergo oportuit esse creaturas, & Conc. Lat. clamat, quod Deus simul ab initio temporis vtramque condidit creaturam, corporalem, & spiritualem, angelicam, & humanam. Ergo non ante.

Tertio. Causa effectiua motus supponitur mobili. At Angeli dicuntur causæ effe-

ctiuæ motus cælorum. Ergo supponuntur fuisse ante ipsos, & sic non esse creatos.

In contrarium est Psal. 21. ibi. Laudate eum omnes Angeli eius, nam subditur. Statuit ea in æternum &c. & D. Io. 1. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil &c. Secundo probatur ratione. Omne ens, aut est finitum, aut infinitum. Si secundum, non erit Angelus, sed Deus. Si primum, omne ens finitum cum sit tale per participationem, oportet esse ab ente tali per essentiam, & sic Angeli à Deo, qui solus habet esse infinitum, independens, & tale per essentiam.

Ad primum respōdet Athanasius cum multis alijs DD. ideo Moysem tacuisse creationem Angelorum, quia timuit ne populus Hebræus idolatriæ deditus, illos adoraret vt Deos. Hanc responsionem friuolam quidam vocant. Primo, quia si nominati fuissent in creatione, omnes tenuissent illos non Deos, sed Dei opera extare. Secundo, quia commemorat statim post Adæ peccatum positum fuisse Cherubinū ad custodiam terrestris paradisi, & sæpe mentionem facit de Angelis. Ideo respondet Augustinus nomine cæli, & lucis fuisse intellectos, & expressos. Sed cur (aliqui dicunt) non sub proprio nomine? Hinc dicunt Moysem solum assumpsisse prouinciam enarrandi creationem rerum visibilium, cæli, syderum, animalium, & similium, quæ gentiles adorabant, præcipue Aegyptij, ad hoc, vt scirent, hæc in se nō habere deitatem, sed Dei opera fuisse, & esse. At ego in reuerentiam Patrum primæ, & secundæ responsionis, dico Moysem tacuisse expresse creationem Angelorum, ad tollendam idolatriam, quia etiā dato quod audiuissent Dei esse opera, tamen potuissent tenere esse opera quadā diuina à Dei voluntate, & obedientia subtracta, sicut filij sæpe se separant à parentibus, & certe id probauit rei euētus, quoniā quamuis legissent sydera, & astra Dei opera esse, tamen ea adorauere, & & vniuersę militię cæli, aras & lucos ædificauere.

Ad secundum dicimus, quod plures Patres tenuerunt Angelos creatos ante hunc mundum visibilem, nec talem sententiam censet errorem in fide S.D. p.p. Et ad Concilium respondet Caiet. ea verba esse intelligenda in sensu in quo fiunt, idest cōtra illos, qui tenuerunt Angelos non esse à Deo &c. & non secundum sensum quē faciunt. Secundo alij dicunt, quod ly simul, non simultatem temporis, sed agentis denotat, idest quod Deus simul est creator visibilium, & inuisibilium, & non vt Manichei dicebant, solum corporalium, & visibilium.

Ad tertium dicendum, quod duplex est causa effectiua. Prima non habens rationem perpetui mouentis in actu, & hæc potest præcedere mobile. Alia dicitur mouens in actu, & hæc non præcedit mobile, sed simul est cum ipso, & ita ponunt philosophi Angelos motores cælorum, & ideo simul creatos cum ipsis.

DVBIVM VNDECIMVM.

An possit sciri quies futura motus cæli, & dies iudicij.

Videtur quod sic. Nam Euangelium finē mundi comparat diluuio Noe, & dicit. Sicut in diebus Noe, edentes, & bibentes, quod & Isaias asseruit. At diluuium Noe fuit ab orbe condito anno 1656. Ergo anno à reparatione mundi, scilicet anno 1656. à Christi Natiuitate, erit quies cæli, & iudicium.

Secundo. Prophetæ tunc iudicium futurum prædicant, quando insulæ maris conuertentur. At modo vidimus conuersionem insularum maris, scilicet Indiarum Orientalium, & Occidentalium. Ergo à pauco tempore instat iudicium.

Tertio. Omnia signa à Christo pronunciata ante iudicium euenerunt. Nam Sol, & Luna multis eclipsibus sunt obscurata, nouæ stellæ apparuere, audiuimus terræmotus, & pestilentias, vidimus bella, & seditiones, defecit viua fides, & refrigescit charitas. Ergo dicendum est instare iudicium anno 1656.

In contrariū est Dominus noster. Qui dixit nostrum non esse scire, tempora, & momēta, quę pater posuit in sua potestate, & quod de die illo (s. iudicij) nemo scit, neque Angeli, qui sunt in cælo, neque filius hominis, & tamquam fur in nocte veniet, & similia.

Circa hanc difficultatem inuenio omnes catholicos affirmare nullum posse certo scire diem iudicij, sed multi varijs coniecturis

ris ducti, diuinare contendunt, quod Deus sibi reseruauit sciendum. Nam Bracanzanus p. p. suæ Vranoscopiæ, tenet futurum diem iudicij anno 1656. motus rationibus vt supra. At Picus Mirandulanus, & quidam alij ex duodenario numero in quo dicunt stare firmitatem Reipublicæ Christianæ, deducunt, hunc numerum ex suo cubo, & supecficie multiplicando, quod anno à nato Saluatore 1728. erit finis seculi. Sed tutius dicitur, ista inditia friuola esse, & ridicula. Nam quod sub silentio, & secreto suo iudicio Deus posuit, inutili labore inuestigamus, & potius temeritate, quam merito.

Ad primum ergo dicitur, quod comparatio non stat in annis, sed in ruina orbis, quia tempore iudicij non fiet salua omnis caro, sed omnes moriemur primo, & deinde resurgemus, sicut etiam tempore diluuij omnes quotquot fuerunt extra Archam mortui sunt. Fit etiam comparatio in hoc, quod cum homines cibis, ac Veneri operam dabunt, dicentes Pax, Pax, superueniet eis repentinus interitus, sicut factum est tempore Noe.

Ad secundum dicimus, non adhuc omnes insulas deuenisse ad fidem, vt China, & multæ aliæ, sed & adhuc forsan multæ latent nos.

Ad tertium dicimus, illa signa esse similia futuris signis, sed illa erunt maiora, quam vsque modo vidimus, vt SS. Patres tradūt.

DVBIVM DVODECIMVM.

An in cælo sit rarum, & densum eiusdem speciei cum sublunaribus.

Videtur quod non. Primo. Corpus cæli est incorruptibile, & inalterabile. Sed rarum, & densum fit per quandam alterationem, nam rarum fit dissolutione partium, & densum per constrictionem, vt patet. Ergo.

Secundo. Vera raritas, & densitas sunt secundæ qualitates, ortæ ex permixtione primarum, vt docet Aristot. 2. de generat. tex. 8. Sed corpus cæleste caret primis qualitatibus scilicet caliditate, frigiditate, humiditate, & siccitate. Ergo in cælo non sunt nec densitas, nec raritas.

Tertio. Raritas, & densitas vbi sunt, causant leuitatem & grauitatem, duritiem & mollitudinem ex 4. Phys. tex. 85. Sed corpus cæleste caret grauitate, & leuitate, duritie, & mollitudine. Ergo & raro, & denso.

Circa hanc difficultatem duæ sunt opiniones. Prima negat in cælo esse propriam raritatem, & densitatem, & consequenter posse esse eiusdem speciei, cum raro, & denso sublunarium, & dicunt tantum in eis esse improprie, pro quanto maior multitudo partium conclusa sub minori præsentia, dicitur densum, & multitudo minor partium extensa sub maiori præsentia dicitur rarum.

In contrarium stant pro vtraque parte, scilicet quod in cælo sit proprie densum, & rarum, & eiusdem speciei cum sublunaribus Ægidius lib. 2. Hexameron c. 35. Conimb. 1. lib. de generat. c. 5. q. 17. ar. 1. ad finem, & videtur etiam conformior doctrinæ S. D. tenentis etiā lucem esse eiusdem speciei in superioribus, & inferioribus.

Probatur ergo hæc opinio. Primo. Vbi reperitur idem effectus formalis in duobus, dicendum venit in his eandem esse formam, à qua procedunt. Sed effectus formalis densitatis, & raritatis idem secundū speciem reperitur in superioribus, & inferioribus. Ergo & eadem forma idest densitas, & raritas. Maior est nota, procedit enim à causa ad effectum. Minor probatur. Nam effectus formalis raritatis est separare partes inter se se, & consequenter ad maiorem præsentiam localem eas extendere. Et ita effectus formalis densitatis est illas coangustare, & ad minorem præsentiam localem redigere. Sicut accidit in nodo, & tabula, nam nodus durior est, & strictior quam tabula, & ita Sol, Luna, & aliæ stellæ, alijs partibus cæli.

Ad primum ergo negatur minor, & ad probationem dicitur, quod illa constrictio, & dissolutio partium bifariam potest considerari. Primo formaliter, & sic dicit solum constrictionem, & dissolutionem, siue sit cum alteratione, vt in inferioribus, vel ex natura rei, vt in cælis. Secundo subiectiue idest vt fiunt in hoc, vel illo subiecto, & sic in subiecto alterabili sunt cum alteratione, vt in inferioribus, & in subiecto nō alterabili sine alteratione, vt in superioribus. Primum autem conuenit raro, & denso per se, & intrinsece. Secundum vero per aliud, & extrinsece, & ideo distinctio

ctio specifica ex primo pensatur, & non ex secundo.

Ad secundum negatur maior absolute, vera est enim tantum in sublunaribus, & ratione talis subiecti. Nam etiam diaphaneitas, & transparentia corporum in elementis procedit ex permixtione duarum qualitatum, in mixtis, vt in cristallo, & in pupilla oculi, ex permixtione quatuor, in cælo vero ex nulla harum, sed ex natura rei.

Ad tertium idem dicitur, quod rarũ, & densum causant grauitatem, & leuitatem solum in sublunaribus. Sed hac occasione quæritur, an corpora cælestia sint grauia, vel leuia.

DVBIVM TERTIVMDECIMVM.

An in cælis sint grauitas, & leuitas.

Videtur quod sic. Primo. Effectus formalis grauitatis, & leuitatis, est naturaliter tenere, & conseruare locatum in suo proprio loco, vt tenere graue in suo centro, leue vt ignis est in sua sphera, nõ vero est esse principium motus ad locũ suũ, cum sic sequeretur, quod terra non esset grauis, si numquam à proprio loco retraheretur, nec ignis leuis, si extra spheram suam non reperiretur. At cælum stat, & mouetur velociter in suo loco naturali, & est corpus. Ergo potest habere grauitatem, & leuitatem.

Secundo. Leuitas, & grauitas sunt quædam inclinationes ad propria loca, etiam secundum Arist. Sed hæ inclinationes reperiũtur etiam in cælis, nam si per violentiam separaretur aliqua pars à cælo, & poneretur sub orbe Lunę, moueretur ad cælum cuius esset pars. Ergo in cælo est leuitas &c.

Tertio. Si cælum non esset graue, vel leue, ad quid ponere eius motorem, qui illud moueretur? Nam motor ponitur ad mouendum solum grauia, & leuia, vt testatur Arist. 8. Phys.

In contrarium est Arist. 1. cæli.

Baranzanus solus quos viderim. p. p. suæ Vranoscopiæ. q. 3. dub. 3. tenet grauitatem, & leuitatem in cælis, innixus rationibus supra positis extantibus in contrarium omnibus alijs Arist. asseclis. Contrà ipsum ergo pono talem conclusionem. In cælis nõ est nec grauitas, nec leuitas. Probatur. Primo. Graue mouetur ad medium, & leue à medio naturaliter. Sed nullum horum motuum conuenit cælo. Ergo &c. maior, & minor sunt Arist. 1. cæli. Respondet Baranzanus hoc esse verum in motu naturali, non vero in eo qui est præter naturam. At contra arguo. Motus cæli est naturalis, vt supra ostensum est, & deducitur, quia quæ semper rei conueniunt, naturalia dicuntur, præter naturam vero ab extrinseco, & per aliud. Motus autem cæli semper est circularis, & non ad medium, nec à medio.

Secundo. Si cælum esset graue, posset cadere, & deorsum tenderet sua natura, & tantum ab extrinseco staret, & non inclinaretur. At hoc est falsum. Primo, quia esset senescibile, alterabile & ab intrinseco corruptibile quandoque, cum quælibet res tandem suam inclinationem ad terminum reducat. Secundo, quia omne graue cum naturaliter tendat deorsum, (nam eius pondus hoc ab interno facit) per violentiã sursum staret, & sic non esset perpetuum, quia nullum violentum perpetuum.

Tertio. Frustra, & vanum natura abhorret. Sed leuitas, & grauitas in cælo essent frustra, cum nullius motus sursum, vel deorsum possint esse principia, cum motus circularis tantum, cælo conueniat. Ergo.

Ad primum negatur maior, nam leuitas, & grauitas dantur rei graui, & leui vt qualitates actiuæ ad principiandum motum. Aliud est igitur dicere, quod res sit grauis vel leuis sua natura, & aliud quod talis sit ad conseruandam eam in suo loco. Primũ est verum, sed secundum falsum, forma enim essentialis est, quæ datur ad essendũ, & conseruandum, sed qualitates ad operandum.

Ad secundum omissis multis superfluis, aliqui negant quod moueretur ad totum cælum, cum ex se habeat tãtum principium passiuum sui motus. Sed hoc nihil est, quia sufficit quod ab Angelo posset moueri ad suum totum sursum. Alij igitur dicunt, quod illa pars naturaliter quiesceret. Sed nec hoc est audiendum, quia inclinatio totius, & partis est eiusdem rationis, cælo autem non conuenit naturaliter quiescere, sed moueri, ergo & illi parti. Dicunt quod esset quies prçter naturam. Sed contra hoc stat, quod cum habeat inclinationem ad motum, ab eo non poterit cessare, nisi

re, nisi

re, nisi ponendo ei impedimentum, quod non admisimus, cum illam partem in sua natura consideremus. Dicendum est ergo, quod moueretur circulariter à virtute ei impressa ab intelligentia, Vel quod moueretur sursum non propterea, quia esset leuis, sed quia esset pars vnibilis toti, sic postulante natura entis perpetui.

Ad tertium dicendum, quod motor duplex est, Primus qui mouet actiue per qualitates rei mobilis, vt generans per leuitatem mouet leuia sursum, & per grauitatem, grauia deorsum, & de his locutus est Arist. 8. Phys. Secundus dicitur motor solú per applicationem, quia in re mobili non reperit aliquod principium actiuum motus. V.g. formam, vel qualitatem grauitatis, vel leuitatis, & talis datur ad mouendum, sine leuitate, & grauitate, prout intelligentia dicitur mouere cælum suum.

DVBIVM QVARTVMDECIMVM.

An cælum possit sua natura alterari.

VIdetur quod sic. Primo. Principium corruptionis est alteratio. At cæli sunt sua natura corruptibiles. Ergo. Maior est Aristot. 5. & 7. Phys. Minor habetur in multis locis sacræ scripturę. Nam Iob 14. dicitur. Homo postquam dormierit, nó resurget, donec atteratur cælum. & Psal. 101. Opera manuum tuarum sunt cæli, ipsi peribunt &c. & Luca 21. Cælum & terra transibunt &c.

Secundo. Quod habet contrarium potest alterari, & etiam corrumpi. Sed cælum habet contrarium, vt rarum, & densum, vt diximus. Ergo &c.

Tertio. Cælum si est inalterabile, quale nunc est, tale erit semper, & consequenter post diem iudicij. At hoc est falsum. Nam tunc ex Isaia. Lux Lunæ erit, vt lux Solis, & lux Solis erit septuplo maior. Item cessabunt influentiæ in inferiora, & motus. Ergo cęlum de se est alterabile.

In contrarium est Arist. 1. cæli cap. 3.

Quoniá de materia cæli, & eius incorruptibilitate, & inuariabilitate ad longum egi in 8. Meth. ideo has difficultates breuiter resoluo dicendo, quod duplex est alteratio. Prima dicitur perfectiua, quæ perficit subiectum ad id, ad quod est in potentia, vt lux omnia lucida, & diaphana, & hanc à cælo nó tollimus. Secúda dr̃ corruptiua, quia est dispositio ad contrariã formam, & corruptio prioris, vt dispositio ad caliditaté, est corruptio frigiditatis i subiecto frigido, & hanc omnino a cælo negamus.

Secundo notandum est, quod illi coguntur admittere alterationem in cælo, qui ipsum sua natura corruptibile fecerunt, vt Plato in Timeo, Basilius, Ambrosius, Crisostomus, Damascenus, Iustinus martyr, Theodoretus, & plures alij, contra quos disputauimus. 8. Methaph. Secundo idem coguntur fateri, qui cælum compositum ex quatuor elementis dixerunt, vt Philo Iudæus, Plutarcus, Mirandulanus. Eraclitus qui dixit illud esse naturæ igneæ. Empedocles ex aere, & igne confectum, quasi cristallum. Thales terreum, & graue. Plato ex elementorum floribus. Tertio idem tenent, qui dicunt cælum esse compositum ex materia aque, & similes. Contra quos omnes ponimus hanc conclusionem. Cælum sicut est incorruptibile, ita etiam est inalterabile. Probatur primo. Quod est supra omnia alterantia, non potest ab eis alterari, cum alterãs alterabili comparetur vt forma. At cælum est super omnia elementa, quæ per suas qualitates sunt principia alterantia. Ergo erit inalterabile.

Secundo. Nihil alteratur, nisi ad id ad quod est in potentia, vt subiectum, ad caliditatem, & frigiditatem. Sed materia cæli non est in potentia ad aliam formam, quam ad eam quam coeuam habet, vt dicit Arist. 1. cæli, & 9. Metaph. Ergo cælum non potest alterari.

Tertio. Cui repugnat finis, ei repugnat, & medium ad finem. At cælo repugnat finis alterationis, idest ipsa corruptio. Ergo & alteratio, quæ est medium ad corruptionem.

Ad primum vide quæ diximus singulatim in 8. Metaph. pro nunc dicitur primo cum D. Augustino 3. lib. de Gen. ad Literam c. 2. & 3. quod pro cælo sumitur aer, iuxta illud Psal. 103. Volucres cæli, idest aeris. Secundo dicitur cum eodem D. Aug. 14. de ciuitate Dei cap. 24. D. Hierõ. Isaiæ 51. D. Greg. lib. 17. Moralium cap. 5. ac alijs, quod scripturæ intelligunt mutationem cælorum futuram post diem iudicij, non quo ad substantiam, quasi sit destruenda, sed quo ad qualitates, quia purgabuntur, & perfi-

perficientur, nam stellæ fient lucidiores, cessabunt influxus, & motus, elemēta purgabuntur per ignem à vaporum, & aliarum qualitatum permixtione, &c.

Ad secundum dicendum, quod rarum, & densum non sunt contrariæ qualitates actiuę, sed disparatæ, quarum qualibet in re immobili nō agit ad corruptionem alterius.

Ad tertium dicas vt supra, & quod talis alteratio erit communis, & perfectiua, & non corruptiua.

DVBIVM QVINTVMDECIMVM.

An noua stella possit fieri in cælo, videri, vel alterari.

Videtur quod sic. Nam D. August. 20. de ciuitate Dei cap. 8. narrat ex Varrone, quod stella Veneris mutauit figuram, magnitudinem, lucem, & colorem.

Secundo. Anno Domini 1572. apparuit noua stella in Cassiopea, quæ non potuit esse cometa, quia in eodem situ, & loco, visa est à pluribus, in diuersis regionibus maxime distantibus, & quia mouebatur ad motum cæli stellati, quæ non consentiūt Cometis, & quia post biennium euanuit, & ante decrescebat.

Tertio. Anno 1600. visum est aliud sydus in octaua sphera, quod tandem euanuit, vt & primum.

Quarto. Florentinus quidam suo tempore duas stellas erraticas deprehendit, quas planetas vocauit. Et Gallilæus de Gallileis Mathematicus Cæsareus, edidit tractatum de stellis Mediceis, collateralibus Ioui. Hæ autem stellæ nouæ iudicantur. Ergo &c.

In contrariū stat communis sententia, quod cælum nō potest alterari, nec variari, nec quo ad totum, nec quo ad partem; & quoniam ista sententia supra stabilita est, ideo sufficiet ad argumenta respondere.

Ad primum negatur totum argumentum habet enim Varronem pro teste. Sed secundo dicitur, quod duplex est mutatio. Prima dicitur essentialis, idest substantię, & talem negamus in cælo. Secunda dicitur accidentalis, & hanc in cælis, & stellis non negamus, immo etiam in Angelis admittimus, solus enim Deus est omnino immutabilis. Potuit ergo esse, quod addita fuerit lux, vel diminuta dupliciter. Primo miraculose, accidit enim tēpore mortis Christi eclipsis miraculosa, tempore Ezechiæ regressus Solis, tempore Iosue quies cæli, & noua stella in peregrinatione Magorum. Secundo naturaliter, ob nouam aliquam configurationem, vel oppositionem ad alias partes cæli luminosas, vel propter aliam rationem nobis ignotam, talis enim mutatio non arguit nisi mutationem accidentalem. Ita enim & elementa accidentaliter mutantur, vnde aer quandoque magis, quandoque minus est calidus, frigidus, & ita aqua, & animalia in agonia præcipue magnas faciunt mutationes. Non negauimus enim supra in cælis nisi alterationem, quæ est principiū corruptionis, non vero communem.

Ad secundum Ruuio affert multas solutiones, & eas examinat. 1. cæli, cap. 3. q. 2. Primo ergo dicit Maurolicum Abbatem Messanensem, Paulinum Pridianum, Christophorum Clauium, Thadęum, & Agetium Astrologos sensisse hoc iubar non stellam, sed cometam fuisse, infra Lunæ globum degentem. Hanc arguit. Primo, quia quæ sunt sub globo Lunæ, non possunt ab omnibus videri, cum eodem aspectu, & distantia ad stellas fixas sicut visa est hæc stella. Secundo, quia eadem velocitate qua cælum mouebatur, & illud sydus mouebatur. Cometa autem in aere non potest tam cito moueri, quia non est capax velocitatis motus cæli.

Secundo igitur alij dixerunt, eam stellā fuisse in cælo stellarum fixarum, & fuisse vnā ex tredecim, quibus constituitur figura Cassiopeæ, & tunc ob ingentem copiam exhalationum inter ipsam, & visum nostrum, potuisse videri. Et alij dicunt illam fuisse de minimis octaui orbis, & tunc propter magnos vapores potuisse à nobis cerni. Reijcit etiam illam. Primo, quia diligentes Astrologi præter istam viderunt alias tredecim Casiopeæ. Secundo, quia sic eo tempore aliæ stellæ propter magnas exhalationes lucidiores euasissent, quod non est factum. Tertio, quia per biennium perdurauit, non est autem credibile quod tanto tempore durauerint illi vapores, quoniam euaporatio cito euanescit. Quarto, quia hæ exhalationes mouentur ad motum aeris, & non ætherei cæli vt mouebatur illa stella. Quinto, quia non est credibile

bile tunc fuisse easdem exhalationes apud omnes, & tamen ab omnibus visa est.

Tertio. Ergo alij dixerunt, hoc iubar effulsisse in octaua sphera, sed non fuisse verã stellam, sed cometam viribus Solis productam, per transmutationem cælestis orbis. Sed nec hoc stare potest. Primo, quia facit cælum alterabile, & corruptibile substantialiter. Secundo, quia assignanda esset causa huius, quæ assignari nõ potest, & præcipue cum prius simile factum, non fuerit visum. Tertio, quia sic opus fuisset, quod partes rariores cæli condensatæ fuissent in illo cometa, & aliæ factæ fuissent rariores, quod contingere nõ potest, cum cælũ sit naturæ permanentis, & non fluentis, aliter stellæ fixæ inter se se non seruarent semper eandem distantiam, & magis sibi appropinquarent, vel interdum à se recederent, nec inferiores orbes eadem celeritate à primo mobili mouerentur, quod omnino deprehenditur falsum.

Quarto. Ergo loco respondet ipse cum Conimb. 1. cæli, cap. 13. q. 1. ar. 4. à Deo fuisse miraculose creatam, vel per creationem nouæ materiæ sub tali forma, & cum penetratione octauæ spheræ in qua apparuit. Vel per corruptionem alicuius partis cæli sub tali forma, à Deo fuit in illa introducta forma stellæ. Sed primum rectũ est, cum stet cum incorruptibilitate cæli substantiali. Secundum vero non ita correspondet eius inuariabilitati, sed tamen potuit fieri a Deo, sub cuius potestate omnia sunt posita, & non est qui possit eius voluntati resistere, & per hoc patet ad tertium. Censeo autem hoc non sine aliqua magna causa à Deo esse factum, cum soleat per secundas causas voluntatem suam exequi, ad quid autem vsque modo nos latet, vnde dicere debemus, quod bonum est in conspectu suo, agat.

Ad quartum eodem modo respondendum est, nisi apparuerit causa aliqua naturalis, quæ vsque modo non est audita, quæ bene quadret.

DVBIVM SEXTVMDECIMVM.

An sit vnum cælum tantum.

Videtur quod sic. Primo. Non sunt multiplicanda entia sine necessitate. Sed nulla est necessitas ponendi tot cælos. Ergo. Probatur minor. Nam Hieronymus in illud Isaiæ 51. Cæli sicut cera liquescent, ait, quod cælum est sicut fumus, & stabilitatem fumi dicitur habere, quod & docet D. Ambros. lib. 2. Hexam. cap. 6. Ergo possibile erit quod astra, quæ sunt naturæ solidæ moueantur ab Angelis, per cælum, non motu irregulari sicut natant pisces per mare, sed motu vniformi, secundum diuersas tamen apparentias, vel non, perficiendo totum circulum spatio 24. horarum, vel per lineam girantiuam ducendo epycielum, & sic quandoque stella planetæ erit proximior, & quandoque à terra distantior, secundum quod eleuatur, vel deprimitur.

Secundo. Plato, Anselmus, Crisost. & D. August. lib. 2. de Genesi ad literam cap. 10. docet, omnes apparentias diuersorum cælorum posse saluari, ponendo cælum vnum immotum, & astra per illud mobilia, & dicit hoc esse inuentum ab his, qui otiosissime, & curiosissime, cælestes motus inuestigarunt.

Tertio. Potentia non decipitur circa propriũ obiectum. Sed visus videt tantum vnum cælum. Ergo erit vnum tantum.

Quoniam opinio de vno cælo non habet sequaces, præcipue his temporibus, alicuius magnæ considerationis, ideo non immoror ad eam tollendam, sed breuiter pono, & probo hanc conclusionem. Dantur plures cæli. Probatur primo. Ex sacris literis, quoniam de cælis loquuntur in plurali, iuxta illud. Cæli, cælorum, & aquæ quę supra cælos sunt, laudent nomen Domini. Orietur in cælis lumen indeficiens. Qui fecit cælos in intellectu. Cæli tamquã terra liquescent &c. Respondet Crisost. hom. 4. in Genesim, quod attendendũ est quãdo scriptura agit de creatione cæli, tunc enim dicit in singulari. In principio creauit Deus cælum, & terram. Sed hoc non subsistit. Primo, quia in Hebræo habetur Saemain, quod est pluralis numeri, & caret singulari. & ideo posita est creatio cæli in singulari. Secundo, quia ibi Scriptura contraponit superiora cum infimis. Sic autem datur vnum primum cælum, sub quo sunt multi alij, sicut & datur vna terra, montes, colles &c. habens. Respondent alij plurale in scripturis sumi pro singulari. Sed & hoc reijcitur, quia in vno loco esset figura in tot, esset æquiuo-

 catio,

catio, & de facili deceptio.

Secundo. Videmus planetas non scintillare, quia prope sunt, stellas vero fixas vtique, quia longe sunt, vt ex perspectiua deducitur, & hoc regulariter, & eodem modo. Ergo sunt in diuersis cælis.

Tertio. Epycicli vnam stellam respiciunt, secundum situm nobis viciniorem, & propinquiorem, non suntq. in fixis, & tamen vidimus irregularitates tot in istis, & non in illis. Ergo prouenit ex diuersis cælis.

Ad primum per hæc patet, quod sine diuersitate cælorum non bene saluantur illæ apparentiæ, Patres autem in hoc locuti sunt secundum principia philosophiæ eorum, & non secundum veritatem, vt alij fecerunt, & sic patet ad secundum.

Ad tertium dicitur, quod visus cum Astrolabio conspicit magnas distantias planetarũ inter se se & à firmamento, vnde debet considerari cum requisito, & sic non decipietur.

DVBIVM XVII.

An decem sint sphæræ cælestes.

Videtur quod nõ. Nam circa præsentem quæstionem sunt plures opiniones. Prima fuit D.Io.Crisost.hom.4. in Genesim, Acharij in 1. caput Genesis, & Andreæ Cisalpini lib.3. Peripateticarum quæst. q.4.&c.quod vnum tantum est cælum, diuersos motus habens. Et hanc iam supra explosimus.

Secunda fuit Theodoreti. q.21. in Genesim, & D Damasceni lib.2. Orthodoxæ fidei, circa quam etiam dubius fuit D. August. scilicet quod tantum duo sint cæli. His tertium addidit D.Ambrosius lib.2. Hexameron cap.2.

Probatur. Nam D.Paulus affirmat se raptum fuisse vsque ad tertium cælum, quod secundum D.Thomam 2.2.q.175. art.3. est cælum Empyreum. Sic enim dicit. Et sic tertium cælum dicitur Empyreum, quod dicitur tertium respectu cæli aerei, & cæli syderei, & respectu cæli aquei, siue cristallini.

Secundo, quia per Aristot.12.Meth. tex.48. motus cæli est propter motum astri ei affixi. Sed supra empyreum, immo nec supra stellatum est aliquod astrum. Ergo tantum accipiemus cælum sydereum, cristallinum, & empyreum.

Tertia fuit communis omnibus Ægyptijs, & Caldeis, quam amplexati sunt Timeus Locrensis Pythagoricus, Plato lib.10. de Republica, Arist.12.Methaph. tex.47.& omnes Peripatetici, scilicet quod tantũ octo sunt cæli, septem videlicet planetarum, & octauum firmamenti, seu stellati, quod dixerunt primum mobile, & moueri tantum motu raptus.

Probatur primo. Vnius corporis simplicis vnus est motus. At vidimus planetas appropinquari, & elongari inter se, vt clare liquet in Sole, & Luna. Ergo cum hi sint septem, septem his dabimus cælos. At præter motum planetarum ab Occidente, in Orientem, videmus alium motum, quo rotantur omnes planetæ. Ergo hoc singulari cælo attribuetur, quod primum mobile dicemus.

Secundo. Non sunt multiplicanda entia sine necessitate. At omnes motus alijs cælis firmamento superioribus dati in ipso saluari possunt. Ergo erunt tantum octo. Minorem ex sequentibus probabimus.

Quarta sententia fuit Pthολomei Alexandrini, Alphragani, & aliorum plurium Astrologorum, qui obseruarunt firmamẽtum præter motum raptus habere alium motum retrogradationis, versus partem Occidentalem, centum annis vno gradu, quare sex millibus annorũ proprio quodam motu retrogradi ab Occidente in Orientem. Cum ergo motus oppositi non possint conuenire eidem corpori simplici, vt est cælum concludendum est, quod firmamentum non est primum mobile, sed quod supra ipsum, sit nonum cælum.

Quinta sententia successit deinde apud posteriores Astrologos, s. apud Alphonsum Hispaniarum Regem, Thebitium, Georgium Purbachium, & Io.Monte Regium, quod supra nonum cælum sit constituendum decimum, quia nonum cęlum præter motum diurnum, sibi appropriat alium motum, scilicet accessus & recessus, quo visæ sunt stellæ, quandoque in vnam partem inclinare, idest versus vnum polum, & quandoque versus alterum, & est veluti motus exultationis, seu trepidationis, quo motu etiã omnes inferiores sphæræ mouentur, vt dilucide apparet, si notemus radios Solis per cristallum, seu vitrũ transeuntes. Ergo supra nonum cælum

motum

motum hoc motu trepidationis, constituendum est primum mobile, quod moueatur motu diurno, seu raptus, spatio 24. horarum.

Sed aduersus hos duos posteriores cælos, supra firmamentum, seu cælum stellatum à posterioribus Astrologis constitutos, arguit Ruuio lib.2. cæli, cap.5. q.2. ponens solum supra firmamentum primum mobile,& super illud cælum empyreum. Primo sic arguit. Non sunt constituendi duo cæli supra firmamentum, quia mouetur motu retrogrado, scilicet ab Occidente, in Orientem, & motu trepidationis, seu accessus stellarum fixarum ad polum vnũ, & deinde recessus. Ergo ruuit 4.& 5.sententia. Antecedens quod est punctum difficultatis probatur.

Primo, quia motus est sensibile commune, circa quod sæpe decipitur sensus. Vnde hi motus non sunt certi. Si enim propter magnam distantiam Solis à terra decipimur circa eius magnitudinem, quæ etiam ipsa est sensibile commune, quare etiam non possumus decipi circa hos motus?

Secundo. Motus firmamento attributus, tardissimus est, & ideo in breui vita hominis non potuit obseruari. Nec valet, quod sit obseruatus secundum aliquam partẽ proportionalem, secundum quam arguimus ad totum, quia istæ partes non possunt sufficienter designari.

Tertio. Motus cæli ordinatus est ad influendum in inferiora. At tardissimus motus, parum, vel nihil influit. Ergo non est dicendum, quod firmamentum tardissimo quodam motu proprio moueatur.

Quarto. Tempore Arist. fuerunt accuratissimi, & diligentissimi Astrologi, & tamen supradictos motus non deprehenderunt. Ergo supra firmamento' non sunt constituendi duo cæli, sed solum primum mobile.

In contrarium est tamen diligentissima inuestigatio Astrologorum, ab Arist. posteriorum, qui in hac parte omnes conatus adhibuerunt, & hos motus deprehenderunt. Vnicuique autem in sua arte credendum est, aliter omnia possunt saluari negando.

Ad primum secundæ sententiæ dicitur primo, quod dum cælum empyreum dicitur tertium cælum, intelligitur terminus cognitionis intellectiuæ. Nam prima cognitio est sensuum exteriorum. Secunda imaginatiuæ, seu interiorum. Tertia intellectus qui in summo suæ cognitionis est, dum intelligit diuinam essentiam, sicut fecit D. Paulus per modum transeuntis in suo raptu. Vel secundo dicitur cælum tertium empyreum, pro primo cælo sumentes regionem aeris iuxta illud. Volucres cæli. Pro secundo omnes globos cælestes mobiles, & pro tertio cælum empyreum immobile, quod dicitur sedes beatorum.

Ad secundum dicitur, quod intentio Arist. est, quod motus cæli est propter astrum, vt influit, quia sic cæli habentes astra agũt in inferiora. At quæ supra firmamentum sunt, & astra non habent, agunt quidem, sed alio modo, & potius ad rerum permanentiam, quam variationem. Secundo dicitur, quod argumentum non est ad propositum, quia sic tolleret etiam cælũ empyreum, quod non habet astrum.

Ad primũ tertiæ opinionis nil dicimus, quia facit tantum ad constituendos octo cælos, non vero ad tollendum nonum, & decimum. Ad secundum modo dicemus.

Ad primum ergo, quod pugnat contra decem cælos dicimus, quod sensibile commune dupliciter considerari potest. Primo vt sic, & sic sensus potest circa ipsum decipi. Secundo, vt diligenter examinatum, & sic non decipit, sed docet, quo facto nouimus Solem esse maiorem terra multipliciter, quamuis videatur paruus, & diligentissimi Astrologhi deprehenderunt per instrumenta apta, motus diuersos cælorum.

Ad secundum dicendum, quod cum motus cæli cuiuscunque sit vniformis, & quam maxime regularis, quod de vna parte dicitur, de alijs affirmari potest, quare cognitis partibus, deducitur totum, & sic deducto, quod tale cælum, tantum motum facit in vno anno, arguitur quod totum illum non consummabit nisi in tot annis.

Ad tertium dicendum, quod tardus motus influit, potius, ad perpetuitatem rerum, quam ad earum transmutationem, sed & ad hanc operatur, prout eius influxui subditur.

Ad quartum dicẽdum, quod Astrologhi ante Arist. potuerunt esse dubij de illis motibus, sed non certi, at longior experientia, & accurratior diligentia potuit illos tandem deprehendere, nam multæ subti-

litates artium de nouo adinueniuntur, & facile est adinuentis addere.

DVBIVM XVIII.

An detur vnum cælum immobile, idest empyreum.

Videtur quod non. Cæli à nobis cognoscuntur, vel ex motu, vel ex luce, vel ex influxu. Sed cælum empyreũ ponitur immobile, eius vero lux à nobis non videtur, nec influxus cognoscitur. Ergo tollitur.

Secundo. Vel hoc cælum erit materiale, & corporale, vel spirituale. Non primum, quia est sedes actionum spiritualium, & supernaturalium, locus autem correspōdet actioni. Non secundũ, quia communiter dicitur esse corpus immobile. Ergo.

Tertio. Vel erit corpus simplex, vel compositum. Non primum, quia non datur corpus sine sua forma, cum qua componit. Nō secundum, quia est maxime Deo propinquum, & ideo debet esse simplex, quia Deus est simplicissimus.

Quarto. Vel erit animatum, vel non. Non secundum, quia sic esset ignobilius formica, quæ viuit. Non primum, quia animatum mouetur, tale autem cælum, dicitur immobile.

Quoniam de cælo empyreo egimus etiam in p.p. huius nostri vniuersi cælestis, ideo pauca modo de eo subijciemus, vt ab ipso ordinate ad alios cælos procedamus.

Sciendum est ergo primo, quod tale cælum multipliciter nominatur in Scripturis, ex SS. Patribus. Generaliter enim cæliũ empyreum, idem sonat latine, quod cælum igneum, non natura, quia non est præditum qualitate caliditatis corruptiua, sed similitudine, quia lucet, & splendet sicut ignis facit. Iuxta autem sententiam Hilarij in Psal. 22. Damasceni 2. de fide orthodoxa, & Theodoreti q. 11. & 14. in Genes. significatur in scripturis per cælum cæli per antonomasiam, quia est veluti anima influens in alios cælos, & omnes alios ambit, & continet, & est veluti tectum omnium aliorum cælorum. Ita Psal. 141. dicitur cæli cælorum, in plurali, quia res magnas continet, vt vocata est in plurali ciuitas Atheniensium, Athenas. Venetorũ, Venetias, Gallorum Parisios. Psal. 114. dicitur etiam terra viuentium, vel quia est immobile, vt est terra, vel quia erit post iudicium habitatio corporum gloriosorũ, sicut modo terra est mortalium. Secundũ Damasc. vt supra nominatur etiam instellatum, etiam apud gentiles.

Secundum. Notandum, quod hoc cælum cōmuniter conceditur (excipio Caiet. in illud D. Pauli. Scio hominem raptum vsque ad tertium cælum, negat enim aliud cælũ supra primum mobile) & ponitur corpus materiale, (contra Eugubinum dicentem illud quadam naturali emanatione emanasse à diuina essentia per modum cuiusdam lucis increatæ, à primo spirituali luminoso diffusæ.) Primo, quia omnis substantia spiritualis est intellectiua, & volitiua, non sic cælum empyreum. Secundo, quia ordinatur ad recipienda corpora gloriosa materialia, & ideo debet esse materiale. Tertio, quia in Scripturis dicitur cælum, & corpus, quæ sunt materialia quædam.

Tertio. Ergo loco ponitur hæc conclusio. Si non est de fide expresse dari cælum empyreum, est tamen error proximus hæresi, velle illud negare, temerariumq. & erroneum. Probatur primo. Quod deducitur quasi dilucide ex scripturis, est tenendum quasi vt de fide. At cælum empyreũ iuxta expositionem patrum ex scripturis deducitur, vt supra. Ergo erit tenendum vt de fide.

Secundo. Quod habetur ex traditione, nullo modo est negandum. Sic habetur dari cælum empyreum. Ergo. Maior nota, quia traditio de fide, facit rem de fide. Minorē habet D. Hilarius supra illud Psalmi. Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cælis. Idem affirmant Hebræi, vt patet ex Rabbi Isaac. Videatur Picus Mirandulanus in suo Eptallo.

Tertio. Quod asseritur à patribus non potest sine magna temeritate negari. Hoc cælũ affirmant Patres, vt Crisost. Athanasius, Theophilatus, Theodoretus in illud ad Hebreos. Minister Sanctorum, & tabernaculi veri, quod fixit Dominus, Damasc. vt supra. Basilius hom. 2. & 3. Hexam. Rupertus lib. 1. in Genesim cap. 6. Strabo citatus à glossa ordinaria ad illa verba. In principio creauit Deus cælum, & terram. Beda lib. 2. commentariorum in Genesim. Magister Sententiarum cum Scholasticis dist. 2.

dist.2. D.Thomas p.p.q.61. art.4. & q.66. art.3. Alensis 2.p.q.51. memb.1. Albertus Magnus de coeuis q.4. art.3. Aegidius 2. Hexam. cap.36. & Clemens Papa 1. & 2. recognitionum, cum omnibus modernis Scriptoribus.

Quarto. Notandum ad aliqualem defensionem Caiet. quod cælum empyreum detur, dupliciter intelligi potest. Primo ex pura ratione naturali, & sic illud negauit, quia non cognoscitur per motum, cum sit immobile, nec per effectum, cum eius influxus nos lateat. Secundo, vt ratio naturalis fuit coadiuuata sacris literis, ac alijs rationibus non repugnantibus lumini naturali, & sic nō potest negari. Primo, quia Phil. naturales hoc concesserunt teste Damasc. supra. Secundo, quia Arist. videtur illud annuisse, dum præter ordinem intelligentiarum orbes mouentium alium posuit, mouētium tantum per modum amati, & desiderati.

Ad primum dicimus, maiorem esse mancam, nam etiam res potest cognosci ex propria natura, & perfectione, & sic in proposito potuit ratio humana deducere; super cælos mobiles, esse cælum immobile, quia mobile vt imperfectum, reducitur ad immobile. Secundo dicitur, quod aliud est dicere nos non videre lucem empyrei, & aliud quod illam non deducamus per intellectum, fundatum in perfectione, fine, & statu loci. Primum est verum. Secundum est falsum.

Si autem quis quærat, quare non videamus lucem empyrei, sicut videmus lucem Solis & aliorum astrorum. Respondet Riccardus 2.dist.2.q.2.ad 3. hoc esse. Primo, quia non est nobis proportionata, sed tantum Beatis, & ideo vt excedens nostram potentiam visiuam, non potest à nobis videri. Secundo, quia cęlum cristallinum inter medium potest impedire eius lucem. Tertio, quia Deus, quo ad hoc subtrahit concursum suum generalem ne videatur. Sed hæc parum valent. Primum, quia si non videretur recte, videretur excedenter. Secundum, quia lux Solis transit etiā per cristallum. Tertium, quia hoc est voluntarium dictum.

Ideo alij dixerunt euenire, propterea, quia solum est lucidum in parte interna, in externa vero, quę nos respicit, est nimis densum, & ideo non potest lux per illam partem transire. Sed & hoc est diuinare.

Dicendum est ergo cum S.D.p.p.q.66.art.3. ad 4.hoc prouenire, quoniam illa lux non est conden sata, & consequenter non emittens radios, sed est subtilis. Vel quia habet clarit atem gloriæ, quæ non est conformis, cum claritate naturali. Habet etiā influxum vt infra ostendemus.

Ad secundum dicitur, quod est materiale, & corporale, compositum ex propria materia, & forma, sed diuersæ naturæ, & perfectionis à materia inferiorum, quod deducitur ex tribus. Primo ex fine, cum sit conditum vt locus creationis Angelorum, & vt sedes beatorum, & Dei domicilium, qui per excellentiam dicitur habitare in cælo empyreo, & in eo habere propriam curiam. Secundo ex situ, quia est supremum corporum. Tertio ex luce, quia vincit lucem, & claritatem Solis, quæ lux non excecat, sed confortat potētiam proportionatam ei. Ad id autem quod dicebatur, quod locus debet correspondere actioni dicitur, quod duplex est actio. Prima dicitur vitalis, quia est à principio vitali, idest ab anima, & sic correspondet agenti, vnde intelligere animæ correspōdet vt est intellectiua, & vt est principiū sensationis, vt est sensitiua. Secunda dicitur communis agentis, & sic agens potest operari in lapidem, lignum, elementa, & elementata omnia, dato etiam quod sit Angelus, vnde tunc sufficit solum proportio agentis & passi, vt sunt agens, & patiens, & talis est cælum empyreum. Secundo dicitur, quod operatio pensanda est ex operante, an ei correspondeat, sic autem influxus empyrei ei correspondet vt est corpus materiale.

Ad tertium dicendum, quod est corpus compositum. Esse autem Deo maxime propinquum stat dupliciter. Primo in natura, & hoc negamus, quia Deus est immaterialis, & cælum materiale. Secundo in suscipere eius actionē, & sic affirmamus, quod non absolute, sed inter corporalia omnia est maxime Deo vicinum, quia factum est vt sedes beatorum, & aptum domicilium corporum gloriosorum.

Ad quartum dicitur, quod est inanimatum, quod autem sit formica ignobilius stat dupliciter. Primo in genere vitæ, & sic non officit. Secundo in genere corporum, & hoc conceditur, in quo sensu positum est supre-

supremum corpus. Sed de hac materia multa diximus supra.

DVBIVM XVIIII.

An empyreum influat.

Videtur quod non. Primo. Nam corpus non agit, nec mouet nisi motum per Arist. 7. Phys. Sed empyreũ est immobile, vt communiter conceditur. Ergo nec mouet, nec agit.

Secundo. Actio agentis eius fini correspondet. At finis empyrei, abstrahit ab omni actione ad extra, cum dicatur esse factum vt sedes beatorum corporum. Ergo.

Tertio. Actio agentis effectum producit, per quem cognosci potest. At nullus effectus empyreo singularis cernitur. Ergo.

Pro claritate huius difficultatis duo concludenda sunt. Primum, quod cælum empyreum influat, Secundum quæ.

Primo. Ergo ponitur hæc conclusio. Cælum empyreum influit in omnia ei inferiora. Probatur primo. Vnaquæque res est, propter suam operationem, idest, vt non sit otiosa, sed aliquid operetur. At cælum empyreum creatum est, & nobilissimum. Ergo ad aliquam operationem præstantissimam. Maior est Arist. 2. de cælo tex. 17. & 1. Ethic. c. 7. & 5. Methaph. tex. 91.

Secundo. Partes vniuersi connexæ sunt, sic, quod inferiora per superiora mouentur, reguntur, & conseruantur, vt Sancti Patres, & Philosophi docuerunt. At cælum empyreum est supremum corpus inter omnia corpora. Ergo i ea agit, influit, &c.

Tertio. Omnis essentia specifica habet propria accidentia, ab ea emanantia, secundum eius naturam, & perfectionem. At cælum empyreum habet propriam essentiam ab alijs distinctam, vt patet. Ergo habebit etiam propria accidẽtia, & proprietates, quæ erunt principia alterius actionis. Et ita tenent Albertus Magnus tract. de quatuor coeuis q. 4. artic. 14. Durandus 2. dist. 2. q. 2. Ricardus q. 3. Et idem S. D. affirmauit p. p. q. 66. ar. 3. & quod. 6. ar. 19. quamuis visus fuerit de hac re dubius in 2. dist. 2 q. 2. ad tertium.

Quo ad secundum, scilicet quid operetur cælum empyreum in hæc inferiora.

Primo dico cælum empyreum inferiora illuminare, quamuis illa lux non bene à nobis percipiatur. Cælum enim per lucem agit in inferiora, & corpori simili aliquo modo corporibus gloriosis, non est lux deneganda, & maior luce Solis quamuis non emittat radios, vt facit lux Solis.

Secundo. Ei attribuit S. D. vt supra, quod influat in cælum sibi proximum aliquod fixum & stabile, vt virtutem continendi, & conseruandi, quare deducendum venit, quod permanentia, firmitas, & stabilitas, quæ habent cæli in his inferioribus causare, à cælo empyreo obtineant, nõ mediante aliquo motu, cum non moueatur, sed vehiculo lucis, qua eos perfundit.

Tertio. Aliqui dicunt, quod agit ad præparandam materiam pro introductione animæ intellectiuæ, & etiam ad conseruationem coniuncti, cum omnis permanentia oriatur à cælo empyreo in ratione agentis corporei, potestq. Dei nutu, & decreto ad eam animam quam ipse creat operari, vt disponat ad eam, quod forsitan annunt frequentes locutiones, quod anima intellectiua ad cęlum pergit, à quo egressa est. Patet enim animas nostras nõ esse in cælo creatas, vt voluit Origenes vnde trahendæ sunt similes locutiones ad dispositionẽ eius, quæ ab empyreo emanat, non sic dispositio vegetatiuæ, & sensitiuæ, in arboribus, & animalibus.

Quarto. Alij ei dant proprietates quasdam quas sibi aliquæ ciuitates vendicant, etiã in ordine ad alias, quæ sunt sub eodem parallelo, vt Brixia oleis abundat, & Lugdunum caret, & tamen sunt sub eodem parallello. Ita Bergomum optimos cinamomes facit, & non alia ciuitas similis. Vercellas optimum panem, & Taurinum nequaquam, etiam translatis, farina, ministro & etiad faciendum panem. Ita quod in vno situ eiusdem regionis nascatur lapis pretiosus, prope arbor, non longe animal attribuunt isti empyreo, quod non est difficile credere, cum agat ad permanentiã. Hac tamen operatur per medios cælos, in quibus aliquo modo eius virtus modificatur.

Ad primum ergo in contrarium. Primo dicimus ad maiorem, quod valet in alijs à primo mouente, qui est immobilis, nam etiã Deus simpliciter mouet, & non mouetur, & intelligentia mouet primum mobile, & quiescit, & empyreum in genere corporum influit ad motum eorum, immotum

tum

tum stans. Secundo dicitur quod duplex est motus pro nunc. Primus dicitur localis, & sic non est semper necessariũ, quod mouens moueatur, vt patet etiam in iacente lapidem, est enim solum verum in deferente, & concomitante contactu corporali mobile. Secundo dicitur actionis, & virtutis, & sic necesse est quod mouẽs, moueatur, per diffusionem suæ virtutis, & ita mouetur empyreum. Quod vero Conimb. 2. de cælo, cap. 3. q. 2. art. 3. dicunt sufficere, quod possit moueri, non est stabile, quia cælum empyreum cum ex sua natura sit immobile, & præcipua pars vniuersi, moueri nõ potest, nec etiam ab Angelo, vnde solum potest dici mobile non positiue, nec actu, nec potentia, sed tantũ in genere non repugnanter, idest conside rando ipsum vt est corpus.

Ad secundum dicimus duplicem esse finem empyrei. Primus est vt sit domiciliũ beatorum. Secundus, vt influat in inferiora, vt supremum in eis, & sic conuenit ei influere, & operari in inferiora.

Ad tertium negatur minor, etiam supra est explicata.

DVBIVM XX.

An cælum empyreum sit figura quadrata.

VIdetur quod sic. Primo. Nam Apoc. 21. de eo dicitur. Et ciuitas in quadro posita est.

Secundo. Empyreum est sedes beatorum, secundum diuersos eorum gradus. At in figura circulari non datur prior, vel posterior locus, vnde ad remouendam contentionem præcedentiæ de loco in conuiuijs, mensæ rotundæ parantur. Ergo non erit figuræ circularis, sed de facili quadratæ.

Tertio. Magna erit multitudo corporum glo riosorum. At figura quadra est maximæ capacitatis. Ergo.

In cõtrarium quod sit figuræ circularis. Probatur primo. Influens debet æquari ei in quod influit ad hoc vt omnes eius partes ambiat. Sed cæli eo inferiores in quos influit sunt figuræ circularis. Ergo, & talis figuræ erit empyreum.

Secundo. Quæ faciunt vnum globum totalem vniformem, debent esse eiusdem figuræ. Sed elemẽta, & omnes cæli faciunt vnum globum vniuersi totalem, & vniformem. Ergo si elementa, & alij cæli ab empyreo sunt figuræ sphericæ, talis figuræ erit & empyreum.

Tertio. Corpori perfectissimo attribuenda est figura perfectissima. Empyreũ est corpus perfectissimum. Ergo attribuenda est ei figura circularis, quę inter alias est prę stantissima.

Resolutio huius quæstionis est, quod incertum est, cuius sit figuræ, sed tamen rationabilius putatur esse figuræ rotundæ, & circularis. Primo, quia quod vni cælo, & omnibus alijs cælis conceditur, sine magna ratione non debet de eo negari. At patet omnes alios cælos esse rotundos, & circulares, vt docuimus. Secundo, quia ponitur sedes beatorum, rotonditas autem secundum S. D. perfectionem beatitudinis repræsentat. Tertio, quia in scripturis cõparatur annulo, figuræ tornatili, stellæ, & similibus, quæ circularem figuram habẽt.

Ad primum ergo in contrariũ dicitur, quod illud quadrum mystice intelligitur. Nam figura quadrata habet primo, quod sit stabilis, permanens, difficile mobilis, & si moueatur, semper stet in quadro, quæ omnia significant perpetuitatem, & stabilitatem æternæ beatitudinis, quæ est status omnium bonorum aggregatione perfectus.

Ad secundum dicimus, quod persona est illa, quæ insignem facit locum, & ideo data figura circulari empyrei, vbi Christus erit, ille stabit pro primo loco. Vel dicendum, quod in medio empyrei erit primus locus, & maior, vel minor dignitas Sanctorum, secundum quod magis appropinquabunt, vel elongabuntur ab hoc loco.

Ad tertium negatur minor, quia maxima capacitas est figuræ circularis. Penetratum autem fuit à Christo, & penetrabitur à Sanctis, penetratione conueniente corpori glorioso, & in hoc cælo Angeli dicuntur creati.

DVBIVM XXI.

An motus primi mobilis sit mensura omnium aliorum motuum.

VIdetur quod non. Nam scriptura attribuit dies, menses, & annos luminaribus Cæli, Soli, Lunæ, & Stellis, & non primo mobili. Dicitur enim Genesis 1. Quod Deus posuit luminaria cæli, & stellas in firma-

firmamento, vt sint in signa, tépora, & annos. Et Ecclesiast. 4. Luna dicitur à mense, quia Luna facit menses.

Rñdeo, quod motus diurnus primi mobilis, qui dr raptus est mẽsura omniũ motuum.

Probatur primo. Primum in vnoquoque genere, est mensura aliorum, quæ sunt in illo genere, per Arist. 10. diuinorum. At motus primi mobilis, est primus inter omnes motus. Ergo erit mensura aliorum omniũ motuum.

Secundo. De ratione mensuræ tria sunt. Primum, quod sit simplicissima. Secundum, quod sit notissima. Tertium, quod mensuratis sit proportionata. At ista habet motus primi mobilis respectu aliorum motuum. Est enim maxime vniformis, & simplicissimus, notissimus, & velocissimus, magnopere accomodatus ad mensurandum motus tardiores. Ergo erit mensura aliorum motuum.

Ad argumentum ergo respondetur, quod Sol, Luna, & stellæ præcipue erraticę bifariam considerari possunt. Primo secundũ se, & sic negamus eas constituere annos, menses, & dies. Secundo in ordine ad motum primi mobilis, quia scilicet primum mobile eas rapit spatio 24. horarum, & sic ex his horis fit dies naturalis, & ex tot diebus menses, & ex tot mensibus annus, quo Sol complet proprium motum. Et ita Luna in mense lunari, sed vt dixi semper in ordine ad motum primi mobilis. Nam quindecim gradus primi mobilis, dum supra Horizontem ascendunt, vnam horam constituunt, & sic proportionaliter totum diem.

DVBIVM XXII.

An in primo mobili detur partium diuersitas.

VIdetur quod non. Nam quod proximũ est simplicissimo, debet esse simplicissimum. Primum mobile est proximum Deo simplicissimo. Ergo erit simplicissimum, & sic non habebit partium diuersitatem.

Respondetur, quod quamuis in primo mobili non sit ea partium diuersitas, quæ est in firmamento, ac cælis planetarum, vbi est stella, pars densa, & aliæ partes raræ, tamen aliqua diuersitas etiam excogitanda est in eo, quod deducimus. Primo ex influxu, nam influit in inferiora, quamuis per medios cælos inferiores, diuersos effectus. Ergo per partes habentes diuersas proprietates. Secundo ex diuersis motibus inferioribus, quorum omnium diximus illum esse causam.

Notandum est tamen, quod bifariam possumus intelligere primum mobile esse homogeneũ, & vniforme. Primo in materia, & forma, quia tãtum, scilicet in eo est vna materia, & vna forma distincta ab omni alia materia, & forma cælorum. Secundo in accidentibus, & proprietatibus. Secundo modo diximus in eo esse diuersitatem partium, quia potest pro diuersis partibus diuersas habere qualitates spirituales, & influxus. Prout in vno corpore animato sunt diuersæ partes diuersas actiones habentes, & si vna sit materia, & vna forma in eo. At primo modo aliqui dubitarunt, an sit secundum speciem vnum materia, & forma cum sit maxima machina, & diuersos effectus secundum speciem causet. At nobis placet ipsum esse vnum specie materia, & forma, adeo vt non admittat in se diuersitatem partium secundum speciem, sicut faciunt alij cæli habentes stellas, quod deduco. Primo, quia est corpus simplicissimum, cum sit primũ, & mensura aliorum corporum. Secũdo, quia habet vnum motũ maxime vniformẽ &c.

Ad argumentum primo dicimus ad maiorẽ, quod sic glossatur. In genere corporum quod est proximius simplicissimo, debet esse simplicissimum inter corpora, & non absolute, & hoc est verum. Secundo negatur minor, quia cælum empyreum est illud quod est magis Deo propinquum.

DVBIVM XXIII.

An in primo mobili dentur, triplicitates, domus, exaltationes &c.

VIdetur quod non. Aspectus coniunctionis fit, dum duo planetę sunt in eodem signo Zodiaci, & gradu vt si Sol, & Luna sint in 1. gradu Leonis. Sextilis si in tertio signo, & gradu Leonis respicit Lunã, vel alium planetam, vel stellam sextili aspectu in 1. gradu Gemini, vel Libræ. Quadratus in quarto signo, vt si Sol in 1. gradu Leonis inueniat Lunam, vel &c. in 1. gradu Tauri, vel Scorpionis, trino in 1. gradu Arietis, vel Sagittarij. Opposito in

in 7.figno,ideſt in 1.Aquarij. Patet ergo quod iſti aſpectus ſumuntur à ſtellis ſe reſpicientibus. Ita domus,& exaltationes à ſignis Zodiaci in quibus planetæ fortiores ſunt, & plures dignitates obtinent, (vt loquuntur Aſtrologi.) At in primo mobili nulla eſt ſtella. Ergo nec aſpectus, nec domus, nec exaltatio &c.

Reſpondeo, quod de aſpectibus, domibus, exaltationibus,terminis,faciebus &c. dupliciter loqui poſſumus. Primo,vt importat diuerſos influxus efficaciores, vel minus efficaces, feliciores, vel infeliciores &c. ſecundum ſe. Secundo, vt iſta ſumuntur ex parte noſtri. Secundo modo negamus i primo mobili aſpect9 iſtos &c. vt probauit argumentum. At primo modo in eo eos ſtabilimus. Primo, quia effectus vniuerſaliter varij,reducendi ſunt in cauſas vniuerſales varias. At in inferioribus à primo mobili reperiuntur effectus vniuerſaliter varij. Ergo erunt reducendi in primum mobile, quod eſt cauſa vniuerſalis. Secundo,quia videmus in diuerſis aſpectibus, in diuerſis ſeculorum temporibus non eueniſſe eadem, quod attribuitur varietati aſpectus cum primo mobili,quare Aſtrologhi ſæpe falluntur,quia conſiderant ſolum aſpectus notos ſtellarum, & non penetrant variationem, quã faciunt cum primo mobili, & eius partibus.Tertio,quia Aſtrologhi ex circulatione ſuperiorum ſpherarum, mundi mutationes magnas diuinant.

Si quis autem obijciat contra hos aſpectus, & domus, quomodo Sol dicatur. V. g. in Leone habere propriam domum, quia in ea maxime feruet,& tamen apud Antipodes maxime frigeat. Dicẽdum venit,quod domus non accipitur à calore, ſed ab influxu, & ſtellis accedentibus ad naturam Solis, quæ reperiuntur in ſigno Leonis, etiam quod apud Antipodes noſtros non excitet tantum calorem; excitat tamen proprios influxus, penſata tamen modificatione diuerſa, quam recipiunt primæ cauſæ,in ſecundis,& in elementis medijs.

DVBIVM XXIIII.

An detur cælum criſtallinum, ſeu aqueum.

VIdetur quod non. Nã criſtallus eſt aqua congelata, ſecundum illud Sap. Frigidus ventus Aquilo flauit, & gellauit criſtallus ab aquis.At ſupra ignem non dantur primæ qualitates,ſcilicet caliditas,frigiditas &c. Ergo.

Multa dicunt Aſtrologi de hoc cælo, quæ ad hæc pauca reduco.

Primum eſt,quod hoc cælum dicitur criſtallinum, & aqueum, quia eſt limpidum vt aqua & tranſparens, & purum vt criſtallus.Et hoc eſt cælum de quo ſacræ litteræ mentionem faciunt, dum dicunt, Deum diuiſiſſe aquas,quæ erant ſupra firmamentum,ab his quæ ſunt ſub firmamento, ſed iſtæ fluuidæ ſunt, ſed illæ quæ ſunt ſupra firmamentum ſtabiles, vt glacies, & criſtallus, & ſic conſtituere dicuntur cælum criſtallinum.

Secundum eſt, quod Clauius in vltima editione commentariorum in ſpheram Ioan. de Sacro Boſco,& Maginus cap.2. Theoricæ planetarum dicunt hoc cælum moueri quodam motu, quem dicunt librationis, qui fit à Septentrione in Auſtrum, & ab Auſtro in Septentrionem, quia obſeruatum eſt maximam declinationem Solis, nunc eſſe maiorem,nunc minorem,& cõſequenter diſtantiam polorum eclipticæ à polis mundi, vnde ſic arguunt Aſtrologi.Si non eſſet motus aliquis librationis à Septentrione in Auſtrum,& ab Auſtro in Septentrionem, declinatio ſemper eſſet æqualis, & diſtantia polorum eclipticæ eſſet æqualis à polis mundi. At hoc eſt obſeruatum eſſe falſum,nam diſtantia polorum eclipticæ à polis mundi tempore Ptholomei erat in 23.gradu min.51. Tempore Mahometi Hebræi min.35. Azaelis 34. Alchomeris 33. Procatij Hebræi 32. Hebræi 30. Dominici Mariæ Itali 29. Velnerei,& Copernici 28. Item ab Aſtronomis obſeruata eſt varia diſtantia alicuius determinatæ ſtellæ ab æquatore, quia viſa eſt vagari modo in Septentrionem, & modo in Auſtrum ab ecliplica primi mobilis, qua de cauſa ſolſtitia locum mutarunt. Hic autem motus fit per 24. minuta ſub coluro Solſticiorum primi mobilis,ita vt poli Zodiaci huius decimæ ſpheræ, à polis Zodiaci primi mobilis ſub coluro Solſticiorum, vltro, & citro remeent 12. minutis,& tota circulario perficiatur ſpatio 24.minutorum.Obſeruatum eſt autem non ſeruari regularitatẽ velocitatis, quia velociſſima eſt in medio prope polum

 eclipti-

eclipticę primi mobilis, & tardissima prope vtrumque limitem, & perficitur spatio annorum 3431. dierum 239.

Tertium est, quod aliqui putant hoc cælum videri de nocte per viam lacteam, tanquã per lucidiorem partem firmamenti, & magis transparentem, quod dictum non putamus nos solidum, quia illa luciditas ex alia causa procedit, vt suo loco ostendemus. Verius erit, quod singularem influxum habeat, quoniam cæli vt causæ superiores non habent esse otiosum in ordine ad inferiora, nec virtutem, & consequenter in eo poterunt esse triplicitates, & dignitates ad inducendos fortiores, vel minus fortes effectus. Sed quod generet aquas in mediam aeris regionem, ibi eas generando, retinendo, & conseruando, & frigiditatem magnam aeris excitando, non est tutum, quoniam hi sunt effectus Solis. Nisi velimus dicere, ad hoc etiã multum operari cælum cristallinum, quod & si non sit frigidum, formaliter, potest tamen esse tale causaliter, sicut etiam de Saturno dictum est.

Quartum est, quod Ioan. Maria Bonardus in suo opere de magnitudine, latitudine, & distantia omnium spherarum, cum annotationibus Ludouici Grotti, ceci ab Hadria, hoc cælum cristallinum in circuitu magnum est ter millionũ millium milliariorum, & septingenta sexagintaseptem millionum, quatuor centum & viginti octo millium milliariariorum, & quingenta, & sexaginta. In latitudine vero habet vnum millium, millionum, & duo centa milliona. A nobis autem distat quingenta, & nonagintanouem milliona, & nouécenta, & nonaginta quinque mille milliaria, & quinque centum, & suum cursum perficiet spatio annorum 36. millium. Sed illa multum sunt incerta, cum non bene possit eius magnitudo &c. deprehendi, cũ non videatur, vnde quid alij de hoc senserint apposui, resolutionem exactiorem relinquendo Astronomis perfectis. Argumentum ex tertio notabili solutum est.

DVBIVM XXV.

An octaua sphera moueatur motu proprio.

Videtur quod non. Nam illud, quod proprio motu mouetur, hoc sibi vendicat, aut ex propria forma, quæ est principium motus, Physici, vel Methaphysici, vt anima intellectiua, intelligendi. Aut hoc sibi proprium facit ex proprijs accidentibus, vt graue grauitate mouetur deorsum, & leue leuitate sursum. Sed firmamento non conuenit moueri actiue, nec ex propria forma, nec ex accidentibus, quia habent rationem principij passiui. Ergo non se mouet proprio motu.

Quoniam etiam de hac re multa in superioribus sunt dicta, ideo breuiter eius singularia tangemus.

Primo. Ergo notandum, quod hoc cælum multis nominib. nominatur. Primo enim dicitur firmamentum, non quod hoc cælum stet fixum, & firmum, sed quia eius stellæ inuariabilem ordinem semper seruant inter se, quoniam in firmamento fixæ sunt, sicut lapis in annulo. Secundo dicitur aplanes, idest non errans, quoniam eius stellæ distinguuntur à planetis, qui dicuntur stellæ errantes, quoniam fortiuntur diuersam latitudinem, & diuersos aspectus habent inter se, non sic stellæ fixæ, quæ semper manẽt in eodem situ, & aspectu inter se. Tertio dicitur stellatum, quia vndique est stellis fixis ornatũ. Quarto dicitur octaua sphera, quia sursum ascẽdendo octauum locum possidet, nam Luna habet primum, Mercurius secundum, Venus tertium, Sol quartum, Mars quintum, Iuppiter sextum, Saturnus septimũ, & firmamentum octauum.

Secundo. Notandum venit, quod hoc cælum magna operatur, & ad generationem, & corruptionem rerum valde agit. Primo propter magnam multitudinem stellarũ, qua prædictum est, & quidem diuersæ magnitudinis, & naturæ. Secundo, quoniam in eo sunt duodecim signa Zodiaci per quæ vagans Sol, quatuor anni tempora facit, Verem, Æstatem, Autumnum, & Hyemem. Tertio, quia ab his stellis firmamenti sumuntur maiores, & diuturniores effectus, quare Astronomi ex stellis primæ magnitudinis, dignitates irrationabiles, idest supra naturam nati diuinant.

Tertio. Notandum, quod Ludouicus Molina p.p. disp. 10. de opere sex dierũ tenuit supra hoc firmamentum esse veras aquas elementares, corruptibiles quidem sua natura, sed ob multitudinem materiæ, & aliquam qualitatem à Deo illis impressam, impedientem corruptionem, dicit non corrumpi, maxime Deo denegante con-

cursum ad corruptionem. Quæ sententia vr fuisse Iustini Martyris, Basilij, Theodoreti, Ambrosij, Crisost. Hilarij, Gennãdij, & Siccopiæ relati à Ruuio lib.2. de cælo, cap.5. q.7. In oppositum tamen stat S. D. p.p. q.68. art.2. vbi breuibus reijcit hanc opinionem. Primo, quia soliditas firmamenti impedit attractionem vaporum ex quibus aqua causatur. Secundo, quia interiacet sphera ignis, quæ illos consumeret. Tertio, quia grauia, & leuia non transeunt orbem Lunæ, & vapores non eleuantur ad cacumina quorundam montiũ. Hinc dicendum venit cum Scholasticis in 2.dist.14.& in singulari cum S.D.q.1.ar.1. Bonauentura, Durando, Alberto, Ægidio, Abulensi, Lirano, Caetano, Catherino &c. quod firmamentum, sicut & omnes spheræ cælestes sunt contiguę, adeo vt inter eas non cadat, nec aqua, nec aliud corpus extraneum. Et negandum est ibi esse veras aquas. Primo, quia saltem in partem possent corrumpi. Secundo, quia mirabile esset Deum in re naturali velle semper operari miraculose, conseruando eas. Tertio, quia ibi per violentiam detinerentur, ne fluerent, & sic nõ possent esse perpetuæ, cum natura inuehat in violentum. Quod autem Ruuio dicat cum S. D. etiam p.p.q.68. art.2. ad 1. quod per firmamentum diuidens aquas ab aquis, intelligatur vltima regio aeris, quæ diuidit aquas in terra currentes ab eis, quæ supra illam generantur, non inficio, sed si aquas supra firmamentum ponemus, non erunt nisi cælum cristallinum, immediatum firmamento, modo supra explicato.

Ad argumentum autem patet, per ea quæ supra diximus, qđ motus actiue conuenit cælis, respectu suæ intelligẽtiæ, & intelligentiarũ, in cuius cõparatione materia, & forma retinẽt rõnem principij passiui motus, sed naturalis, & inclinati ad ipsũ.

DVBIVM XXVI.

An numerus stellarum firmamenti sit maximus.

Videtur quod sic. Sacra scriptura mentiri non potest, quia est sermo Dei. At Sacra scriptura affirmat numerum stellarũ esse maximum, & innumerabilem, vt habetur Gen.15. Deut.10. Hieremiæ 33. Ergo erit maximus.

Respondeo, quod de numero stellarum bifariam loqui possumus. Primo de notis, & terminantibus clare visum, & ad quasdã figuras reductis. Secundo de omnibus stellis, maximis, & minimis, facientibus figuras, & non. Si primo modo de eis loquamur, Astronomi eas faciũt tñ 1022, quas diuidũt in sex classes. Prima est 15. stellarũ. Secũda 45. Tertia 208. Quarta 474. Quinta 217. Sexta 49. Quibus additis, quinque dictæ nebulosæ, & nouem obscuræ, resultat supradictus numerus. Si secundo modo de eis sit sermo, Clauius comment. in 1.caput spheræ Ioan. de Sacro Bosco, concedit quidem aliquas stellas minimas, sed eas clare visas negat.

In contrarium stant multi alij Astrologi, affirmantes multas alias se vidisse.

Secundo. Igitur dicendum venit, quod numerus stellarum computando maximas, & minimas clare visas, & imperfecte deprehensas magnus est, & fere innumerabilis, quod ex multis deduco. Primo, quoniam hoc sacræ paginæ testantur, quę non solum eas innumerabiles faciunt, verum etiam eas numerari dicunt esse opus diuini intellectus, vnde dicitur in Psalm. per energiam. Qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat. Secundo, quia Abraam secundum multos fuit peritissimus Astrologus, & inuentor Astrolabij, & tamen ei dixit Deus multiplicandos esse filios, & descendentes eius sicut arenam maris, & stellas cæli. Si autẽ stellæ tantum essent 10022. paruus fuisset numerus filiorum Israel. Tertio, quia si designemus vnam partem cæli, & eam diligenter, in aere sereno contemplemur, centum & plus stellas in ea reperiemus, & tamen erit minima pars cæli, nec centesima. Addamus quod via lactea est minutissimis stellis confecta, vt suo loco dicemus. Dicendum est ergo, quod stellæ notæ obseruatæ, & figuram faciẽtes sunt 10022. Sed stellæ minutiores, sunt fere innumerabiles, & per hoc patet ad argũ.

Tertio. Igitur notandum venit, quod Astrologi, non solum voluerunt stellas cognoscere, sed etiam eas nominare, & inter eas differentiam ponere. Quapropter vt rectius intelligerentur, & nominarẽtur, eas in 48. constellationes, idest asterismos, seu imagines diuiserunt, quia multæ stellæ simul collectæ vnam figuram conficiunt, & hoc antiquissimum fuit, adeo vt tempore

Iob sic vocarētur, nam patet quod in eius libris, fit mentio de Oriona, de Arcturo, Pleiadibus, &c. & ita apud Homerum, & Hesiodum, vetutissimos poetas. Ad ponendam ante differentiam inter eas tria excogitauerunt Astronomi. Primum, quod diuiduntur figuris, vt supra. Secundo, quod distinguuntur magnitudine, idest quantitate, & luce, idest qualitate. Ideo cum vidissent quindecim stellas maximas, & alijs maiores, eas dixerunt primæ magnitudinis. Secundæ magnitudinis posuerunt 45. Tertiæ 208. Quartæ 474. Quintæ 217. Sextæ 4. Nebulosas, & obscuriores 9. Tertio cogitauerunt, quod etiam in causalitate differunt, quia varios producunt effectus, & ideo quasdam appellauerunt Saturninas, quasdam Iouiales, quasdam Martiales, &c. prout accedunt ad horum causalitatem.

DVBIVM XXVII.

An maior videatur esse numerus stellarum in Hyeme, quam in Aestate.

Videtur quod non. Nam in hyeme si oculus figatur in aliquam stellam (præter enumeratas) eam perdet, vel non stare in vno loco deprehendet. Ergo signum est, quod verus numerus stellarum tantum videatur in æstate, quantum in hyeme.

In contrarium tamen est experientia, quoniam in hyeme grandis multitudo stellarum in cælo comparet, maxime versus polum arcticum, non sic in æstate.

Respondeo, quod de stellis bifariam loqui contingit. Primo secundum se, & ita tot sunt in æstate, quot in hyeme, qa sunt inuisibiles, & fixæ in firmamento. Secundo rōne nostri, & sic multo plures videntur esse in hyeme, quam in æstate. Clauius in 1. caput spheræ censet hoc ex duplici capite prouenire. Primo, quia in hyeme aer est magis purgatus, quam in æstate, vnde tempore verno videntur etiam minimæ. Secundo, quia magis micant eo tempore, quam in æstate, vnde visus circa eas magis allucinatur. Sed ego censeo vtramque causam falsam. Nam quanto magis Sol calefacit, tanto magis vapores terræ consumit, & cōsequenter aerem purgat. Sol autem magis calefacit, & exsiccat in æstate, quam in hyeme, vnde in æstate raræ sunt nebulæ, & in hyeme frequentes. Pariter maior scintillatio prouenit, quia potentia visiua minus potest stellam intueri, ex maiori improportione. Ideo dico, quod tempore hiberno videtur maior numerus stellarum, quia medium est grossius, i. aer, vnde stella non tam infringit visum, tunc enim facit aer, quod occularia facientia literas magnas. Videntur autem tunc magis scintillare, quia videntur esse quo ad nos, in maiori distantia. Et si eam perdet, erit propter magnam scintillationem, allucinantem potentiam.

Qm̄ ad cognitionē spherę habendā noscenda veniunt multa, quæ eam constituunt, ac distinguunt, ideo antequam ad vlteriora procedamus, decreuimus declarare quosdam terminos non communiter cognitos, ac Astronomiæ proprios, & deinde rediemus ad propria.

DVBIVM XXVIII.

An detur æquator in cælo, seu æquinoctialis.

Videtur quod non. Nam æquator idem est, quod æquans dies cū noctibus, adeo vt constituat diem tot horarū, & noctem tot idest 12. & 12. qua de causa dicitur etiā æquinoctialis, i. æquās noctes cum diebus, & secundum Græcos æquidialis, i. æquans dies cum noctibus. At hoc quamuis apud nos verum sit, non tamen ita est apud eos qui æquatorem habent pro Horizonte, nam hi diem vnum tantum habent sex mensium, & noctem vnam in anno sex mensium. Ergo non datur hic circulus in cælo.

Pro intelligentia huius dubij, & dicendorū sciendum est primo, quod Astronomi diuidunt cælum secundum nostram dissegnationem in multos circulos, sed diuersimode. Nam Ioan. de Sacro Bosco, cap. 2. suæ spheræ, eos solum facit decem, sex vocat maiores, quoniam intelliguntur diuidere spheram in duas partes æquales, quatuor vero vocat minores, quoniam non diuidunt spheram in duas partes æquales sed in partes inæquales. Primi circuli. i. maiores sunt. Primus Æquator seu æquinoctialis. Secundus Zodiacus. Tertius Colurus Solstitiorum. Quartus Colurus ęquinoctiorum. Quintus Meridianus, & sextus Horizon. Minores sunt tropicus Can-

cri.

cri, tropicis Capricorni, circulus Articus, & circulus Antarcticus. At alij Astronomi his addunt. Verticalem, qui per verticem cuiuslibet loci ad singula Horizontis puncta deducuntur. Item horarios, sic dictos, quia cælum diuidunt in 24. horas, & hoc dupliciter. Primo in 24. horas æquales, & hoc dupliciter. Primo incipiendo has horas à Meridie, & sic intelliguntur incedere per polos mundi. Secundo incipiendo ab Ortu, vel Occasu Solis, & sic contingunt duo circuli paralleli, idest æque distantes, & vnus horum dicitur maximus apparentium, & alter maximus occultorum. Secundo dicuntur diuidere cælum in 24. horas inæquales, propterea, quia nec supra polos mundi incedunt, nec dictos parallelos contingunt, ex quibus fit æqualitas horarum. Item dant circulos domorum cælestiũ, quas duodecim constituunt. Item circulos positionum, qui per communes sectiones Horizontis, & Meridiani, & per centrum cuiusque stellæ transire dicuntur. Item circulos declinationum qui per polos mundi, & singula æquatoris puncta educuntur. Item circulos latitudinum, qui per polos Zodiaci, & singula eclipticæ puncta describuntur. Maximus autem circulus habet suos parallelos, vt Horizon. parallelos circa verticem capitis descriptos, Æquator circa polos mundi. Zodiacus circa polos Zodiaci, de quibus infra aliqua summarie dicentur.

Secundo. Notandum venit ex Theodosio de sphericis elementis, quod circuli maiores habent suas proprietates, & ita minores. Primo enim proprium est circuli maioris secare alios maiores bifariam. Secundo sunt æquales, quia habent pro diametro, diametrum spheræ. Tertio si transit per polos alterius circuli, maximi, & minimi bifariam eum diuidit, & ad angulos rectos &c. Vide Clauium in 2. caput spheræ, & Theodosium vt supra, hæc enim modo tanguntur, pro quanto possunt facere ad notitiam cæli.

Tertio. Ergo dicendum venit, quod circulus æquinoctialis, seu æquatoris dicitur ille, qui diuidit spheram in duo æqualia, secundum quamlibet sui partem, æque distans ab vtroque polo. Ex hac definitione tot habemus.

Primum, quod diuidit spheram in duas partes æquales, quoniam si deducamus lineã rectam à centro mundi, ad initium Arietis, vel Libræ, in quibus signis Æquinoctium accidit, transeundo vsque ad primũ mobile, cælum manebit diuisum in duas partes æquales.

Secundum est, quod secundum quamlibet sui partem distat ab vtroque polo, scilicet Arctico, & Antarctico, quod necessarium est, cum diuidat cælum in duo æqualia.

Tertium. Hinc sequitur bis in anno æquinoctium fieri, idest in primo puncto Arietis, & in primo puncto Libræ, quoniam tunc Sol in æquatore est, & dies æquales noctibus facit.

Quarto. Deducitur, quod æquator habet multa officia.

Primum, quod ostendit primum mobile spatio 24. horarum circumuolui, quoniam in singulis horis eleuantur quindecim gradus æquinoctialis circuli, in primo mobili descripti, supra Horizontem.

Secundum, quod mensurat tempus, quia ex vna sua completa reuolutione diem naturalem, idest 24. horarum constituit, & ex omni eleuatione 15. graduum vnam horã facit, & ex ascensione vnius gradus 4. minuta.

Tertium. Quod seruit vt certissimus canon ad cognoscendam irregularitatem motus Zodiaci, quia in omni signo Zodiciaci Sol inæquales facit dies noctibus, propterea, quia reperitur tunc in signis obliquis magis, & minus secundum quod illa signa magis, & minus accedunt, & recedunt ab æquatore.

Quintum. Diuidit æquinoctia, idest æquinoctium Arietis, quod accidit mense Martio, ab æquinoctio Libræ, quod euenit in Septembri.

Quintum. Est terminus à quo omnium declinationum punctorum, eclipticæ, & stellarum, quia declinatio nil aliud est, quam distantia puncti eclipticæ, seu alicuius stellæ ab æquatore versus Arcticum, vel Antarcticum.

Sextum. Indicat partes cæli, scilicet Septentrionalem, Meridianamque. Nã pars quæ cadit inter æquinoctialem. V.g. inter primum pũctum Arietis, & polum Arcticum dicitur Septentrionalis, & quæ cadit inter primum punctum Libræ versus Antarcticum dicitur Meridionalis, & ex his partibus aliquas stellas nuncupamus Septentrionales, & aliquas Meridianas.

Septi-

Septimum. Præfinit nobis longitudinem, seu quantitatem diei artificialis, & noctis, in omni terrarum regione, quoniam dies artificialis tanta est, quantus est arcus æquinoctialis circuli, ascendentis supra Hemisperium, dum Sol supra idem Hemispe rium moratur. Quomodo autem hoc fiat vide Clauium cap. 2. sphere suæ.

Octauum. Deseruit Cosmographis, & Geographis, quia penes æquinoctialem stat longitudo ciuitatum, & latitudo, & multa alia officia retinet, quæ non sunt tantum præcipua.

Ad argumentum autem dupliciter respondetur. Primo, quod nox diei æquiparatur in spatio 12. horarum, in illis locis tantũ, in quibus nox, & dies constituunt numerum 24. horarum. Secundo dicitur, quod illæ regiones quæ sub polis existunt, habent diem sex mensium, & noctem totidem mensium, vel alterius numeri, & ita seruant leges æquatoris, non in horis 12. sed in diebus, & mensibus.

DVBIVM XXVIIII.

An detur Zodiacus in cælo, seu firmamento.

Videtur quod non. Nam Zodiacus per duodecim signa diuiditur, duodecim animalibus distinguiturque, scilicet per Arietem, Taurum, Gemini, Cãcrum, Leonem, Virginem, Libram, Scorpionem, Sagittarium, Capricornum, Aquarium, & Pisces. Sed in cælo ista animalia esse nequeunt. Ergo Zodiacus erit quoddam figmentum.

In contrarium est auctor sphere tit. de Zodiaco circulo, qui cum sic definit. Zodiacus est circulus magnus in sphera, qui intersecat æquinoctialem, & ab eodem intersecatur semper in duas partes equales, cuius vna medietas declinat versus Septentrionem, & alia versus Austrum.

Primo. Ergo dicitur circulus magnus, ad differentiam circulorum paruorum.

Secundo. Dicitur in sphera, intellige in firmamento, quia in eo solum sunt stellæ, quæ duodecim signa Zodiaci faciunt.

Tertio. Dicitur, qui intersecat æquinoctialẽ, in duas partes æquales, & ab eo intersecatur, intellige in punctis oppositis, quia sunt circuli æquales.

Quarto. Dicitur, quod vna eius medietas vergit ad Septentrionem, idest ad polum Arcticum, & alia ad Austrum, idest ad Antarcticum, quia vna pars Zodiaci appropinquat ad Arcticum per 23. grad. cum dimidio, & sic alia medietas ad Antarcticum per eandem propinquitatem.

Circa autem hũc circulum. Primo. Notandũ venit, qđ circulus Zodiaci ob duas causas ab Astronomis fuit excogitatus. Prima fuit, quia Astronomi obseruauerunt Solẽ præcipue, & alios planetas, modo recedere ab ęquinoctiali, & accedere ad Arcticũ vsque ad 23. gradum cũ dimidio, vt dum Sol &c. sunt in signis Septentrionalibus, scilicet Ariete, Tauro, Gemini, Cancro, & Virgine, & deinde in signis Australib. recedere ab Aequinoctiali, vt supra, & accedere ad Antarticum, & ideo ex hoc motu obliquo statuerunt circulum illum Zodiaci, per quem Sol, & planetæ oblique moueãtur, nunc magis recedendo ab æquinoctiali, & accedendo ad polos, & modo magis accedendo ad æquinoctialem, & recedendo à polis. Secũda fuit, quia æquator positus fuit cingulus primi motus, qui est ab Oriente in Occidentem, quare ponendus erat etiam cingulus secundi motus, scilicet ab Occidente in Orientem, vt esset regularis via omnium stellarum, fixarum, motarum super polos distantes à polis mundi grad. 23. min. 30. Est autem secundum se circulus regularis, & inuariabilis in firmamento, quamuis respectu diuersorum climatum videatur habere maiorem, & minorem obliquitatem.

Secundo. Notandum venit, quod hic circulus multis nominibus decoratus est ab Astronomis. Primo enim dictus est à Zoi Grece, quod Latine significat vitam, quia motus planetarum sub ipso causat vitam, & motum in omnibus inferioribus viuentibus, vnde dicitur vita viuentium non formaliter, sed causaliter. Ex accesu enim Solis principaliter, & aliorum planetarũ secundario causatur calor, & ex recessu frigus. Calor autem ponitur principium vitæ cum humido temperato, & frigus cũ sicco principium mortis.

Secundo dicitur à Zodion termino Græco significante idem quod animal, quia diuiditur in duodecim signa æqualia 30. grad. & cuilibet signo impositum est nomen alicuius animalis, scilicet Arietis, Tauri, &c. Hoc autem factum est. Primo, quia illa signa

gna habent quædam symbola, & similitudines cum illis animalibus. Nam sicut Aries est animal calidum, ita dum Sol Arierem ingreditur calorem excitare incipit, & in Tauro auget, quia etiam Taurus est fortior Ariete, & eum geminat in Gemini. Dum vero Cancrum ingreditur incipit à nobis recedere, & retrocedere, sicut incedit Cancer retrocedendo. In Leone feruet, quia Leo est fortissimus animalium. In Virgine sterilis est, sicut est virgo, quia illud tempus non est aptũ ad feminandum, sed tantum fructus ad maturitatem perducendum. In Libra æquat dies noctis, sicut Libra in aere suspensa æqualis stat. In Scorpio sua cauda idest mutatione frequenti aeris de calido ad frigidum pungit incautos, sine vestibus existentes. In Sagittario terram sagittat pruinis, ac niuibus. In Capricorno se incipit erigere, & ad nostrum polum ascendere, sicut Capricornus se se ad arbores erigit, & ad frondes. In Aquario abundantiam aquarum causat. Et in Piscibus multo magis, vt mulra natent vt Pisces. Vel melius dicitur secundo, quod à proprietatibus stellarum ista signa constituentium, & affinitatem habentium causalem vt suo loco ostendimus sic dictus est. Vel tertio ad penetrandam differentiam figurarum sub quibus planetæ mouentur, cum alijs *36.* quæ extra Zodiacum constituuntur, nam figuras cæli diximus esse in vniuersum 48.

Tertio. Latine dr̃ signifer, idest portitor signorũ, quia fert 12. signa, ex quibus constituitur, & in ipsa diuiditur, quę acceptio frequens fuit apud Poetas, vt apud Claudianum, & Lucanum patet.

Quarto. Dicitur ab Aristor. 2. de generat. & corrupt. circulus obliquus, & hoc propter tres causas. Prima est propter varietatẽ, & diuersitatem effectuum, nam si Sol recte semper moueretur, eosdem semper effectus produceret, vel ad generationẽ, vel ad corruptionem, modo dum oblique se mouet, & ad nos accedit, ad generationem rerũ facit, vt apparet in vere, & dum à nobis recedit, ad corruptionem operatur, vt patet in Autumno, tunc enim prata, arbores, & volucres, à generandis fructibus suis cessant, & filijs, & ita multa animalia. Secunda est propter vicissitudinem temporum, nam dum oblique Sol se mouet per Zodiacum, Verem, Æstatem, Autumnum, & Hyemem facit, secundum quod ad nos magis accedit, vel à nobis magis recedit, si enim recte moueretur, eadem aeris temperies esset. Tertia est propterea, quia cum quinque sint circuli paralleli, & duo coluri, totum mundum representantes, omnes hos intersecat ad angulos obliquos, exceptis duobus minimis, quibus non appropinquat. Addo quartum, quia cum partes terrę inter se sint distantes, necesse erat, vt quandoque ab vna recederet, & ad aliam accederet, ad hoc vt fœcunditatem sentirent, & sterilitatem experirẽtur, ex accessu, & recessu.

Ad argumentum diximus esse in Zodiaco illa animalia per similitudinem, & virtualem qualitatem.

DVBIVM XXX.

An recte assignentur 12 signa Zodiaco.

Videtur quod non. Nam signum dicitur à significando. Sed plura sunt signa in Zodiaco, quam 12. quæ aliquod singulare significant, vt Pleiades, Hyades, Oriona, Sirion, Procion, &c. Ergo.

In contrarium est auctor sphæræ, qui his duobus versibus hæc signa explicat.

Sunt Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo,
Libraque, Scorpius, Arcitenens, Caper, Amphora, Pisces.

Pro intelligentia horum signorum. Primo. Notandum venit, quod ab Astronomis sub quibusdam caracteribus designantur, breuitatis causa. Nam Aries sic describitur ♈. Taurus ♉. Gemini ♊. Cancer ♋. Leo ♌. Virgo ♍. Libra ♎. Scorpius ♏. Sagittarius ♐. Capricornus ♑. Aquarius ♒. Pisces ♓. Ista autem signa ex diametro sunt opposita. Aries, Libræ, Taurus, Scorpioni, Gemini, Sagittario, Cancer, Capricorno, Leo, Aquario, & Virgo, Piscibus.

Secundo. Notandũ est, qđ Astronomi iustis de causis Zodiacum in 12. signa diuiserũt. Prima desumitur ex elementis, elementa enim quatuor sunt, scilicet ignis, aer, aqua, & terra, & ista in rerum generatione, & corruptione concurrunt, quia mixtum, ex elementis componitur. Elementa autem à corporibus cælestibus mouen-

mouentur ad ſuas proprias actiones. Quoniam igitur compertum eſt quædam ſigna mouere ad caliditatem, & ſiccitatem, vt facit ignis, ideo igni data ſunt tria ſigna cæleſtia, ſcilicet Aries, Leo, & Sagittarius, quæ ſigna dicuntur etiam cholerica, quoniam accenſio ſanguinis choleram ciet. Terræ vero tria alia ſigna data ſunt, quia agunt ad ſiccitatem, & frigiditatem, prout tales proprietates ſibi vendicat terra, & iſta ſunt. Taurus, Virgo, & Capricornus, quæ etiam dicuntur ſigna malencholica. Aeri vero conceſſa ſunt tria alia ſigna ſcilicet Gemini, Libra, & Aquarius, quia iſta tria ſigna ſunt calida, & humida cauſaliter, ſicut eſt aer. Aquæ vero data ſunt Cancer, Scorpius, & Piſces, quia ſunt ſigna frigida, & humida, vt eſt aqua; & ſic habemus 12. ſigna.

Secunda ratio deſumitur ex varietate temporum. Nam annum eſſe diuiſum in quatuor præcipua tempora conſtat, ſcilicet in Verem, in Æſtatem, in Autumnum, & Hyemẽ, & iſta tempora habere initium, medium, & finem perſpicuum eſt. Dicatur ergo, quod cum Ver ſit calidum, & humidum, minus in Ariete, quam in Tauro, & minus in Tauro, quam in Gemini, ideo Veri tria aſſignata ſunt ſigna, ſcilicet Aries, Taurus, & Gemini. Æſtas autem calida eſt, & ſicca vt ſupra, & ſic tria habet ſigna, ad has qualitates facientia ſcilicet Cancrum, Leonem, & Virginem. Autumnus autem ſiccus eſt, & frigidus, & ſic habet conſimilia ſigna, ſcilicet Libram, Scorpium, & Sagittarium. Hyems tandem frigida eſt, & humida, & ſic ad has qualitates faciunt Capricornus, Aquarius, & Piſces. Sed quomodo ſtat quod ſignum igneum faciat ad ſiccitatem, & frigiditatem Autumni vt Sagittarius, cum ſit ſignum calidum, & ſiccum. Et quod Taurus faciat ad humiditatem, & caliditatem Veris cum ſit ſignum terreum, & conſequenter frigidum, & ſiccum?

Reſpondetur, quod & ſi reſpectu eiuſdem iſtam diuerſitatem ſimul non habeant, reſpectu tamen diuerſorum eam obtinent. Nam habere ſupradictas qualitates ſtat dupliciter. Primo formaliter, & hoc negamus. Secundo eminenter, & cauſaliter, & ſic affirmamus. Vt igitur mixtum reſpiciunt, vnum habent, & vt elementa ſecundum ſe mouent, aliud.

Tertia ratio accipitur ex 48. aſteriſmis, ſeu imaginibus collocatis in firmamento. Nam conſtituenda erat differentia inter has, quod quædam ſunt in circulo obliquo idest 12. ſigna Zodiaci, & quædam extra idest aliæ imagines.

Quarta ratio eſſe poteſt, coniunctio Lunæ 12. in anno cum Sole, quamuis Luna tredecies Zodiacum percurrat ſpatio vnius anni. Nam nouilunium facit coitus Solis cum Luna, plenilunium eorum oppoſitio, quadrans hebdomadam, ſeu ſeptimanam.

Tertio. Notandum venit, quod Zodiacus bifariam conſiderari poteſt. Primo ſecundum ſe, & ſic cum ſit quidam circulus, & in circulo ſecundum ſe non ſit, nec principium, nec medium, nec finis, in Zodiaco non potetimus aſſignare aliquod ſignum pro eius initio &c. Secundo ratione noſtri, & ſecundum deſignationem noſtram, & ita Zodiacum deſignamus incipiendo ab Ariete, & terminando ipſum ad Piſces incluſiue.

Sed & hoc habet in re ipſa triplicem rationem. Prima eſt, quia Aries correſpondet generationi, & Libra corruptioni, nam in primo puncto Arietis Ver incipit, & in primo puncto Libræ Autumnus; in Vere vero omnia vigent, & florent, in Autumno vero decidunt, & expoliantur, floribus, folijs, ac fructibus. Incipit ergo Zodiacus ab Ariete, quoniam reſpectu noſtri, qui verſus Septentrionem vergimur, eſt veluti initium vitæ & caliditatis. Septentrio autem cum ſit dextrum cæli, cum ſemper ſtet ad dexteram Solis Oriẽtis ſitque multis ac varijs Stellis inſigníoribus, & nobilioribus quam Meridies decoratus, ideo ab Ariete ſigno Septentrionali initium Zodiaci deſumimus.

Secunda ratio eſt, quia cum in Zodiaco ſint quatuor puncta principalia, & cardinalia, ſcilicet primum punctum Arietis, correſpondẽs Veri, primum punctum Cancri, correſpondens Aeſtati, primum pũctum Libræ correſpondens Autumno, & primum punctum Capricorni correſpondens Hyemi, inter iſta principem locum obtinet Aries. Primo, quia puncta Solſtitialia in nobilitate vincit, cum maximam temperiem aeris tunc cauſet, maximum dierum,

dierum, ac noctium æqualitatem faciat, in omni parte mundi, & maximum parallellum constituit, non sic in Solstitijs, cũ in ipsis breuissimos parallelos habeat, & maximum dierum ac noctium inæqualitatem, & intemperiem secum trahant. Secundò, quia etiam vincit in nobilitate primum punctum Libræ, cum Sol tunc dicatur esse in dextero cæli,& in præstantiori parte, vt diximus.

Tertia ratio est, quia prima dies creationis mundi illuxit à primo puncto Arietis, in quo creatus fuit Sol, & annus incepit, vt supra probauimus. Nos tamen incipimus annum à Solstitio brumali,scilicet à mense Ianuarij, quia computamus annum à natiuitate Christi, quæ prope hunc mensem fuit, & quia visum est antiquis commodius annum incipere à tempore à quo Sol ad nos ascendit,quod fit in primo puncto Capricorni.

Quarto.Notandum venit,quod Astronomi, quamuis sub Zodiaco ponant omnes planetas percurrere,tamen aliqua signa constituunt domum vnius planetæ, & non alterius, & ideo eos dicunt in vno signo exaltari,& in alio deici. Soli,ergo,& Lunæ vnam tantum domum tribuunt, alijs vero duas, vnam principaliorem altera. Incipiendo ergo à Saturno dicunt ipsum habere pro præcipua domo Aquarium, pro minus præcipua Capricornum, pro exaltatione Libram, & pro deiectione Arietem ei oppositum. Iouem pro prima domo Sagittarium, pro secunda Pisces, pro exaltatione Cancrum, pro deiectione Capricornum. Martem, pro prima domo Scorpium,pro secunda Arietem, pro exaltatione Capricornum, pro deiectione Cancrũ. Solem Leonem solum, & pro exaltatione Arietem, & pro deiectione Libram. Venerem pro prima domo Taurum, pro secunda Libram, pro exaltatione Pisces,pro deiectione Virginem. Mercurium,pro prima Virginem,pro secunda Gemini, pro exaltatione Virginem, pro deiectione Pisces. Lunam pro sola domo Cancrum, & pro exaltatione Taurum, & pro deiectione Scorpium.

Quinto.Notandũ venit, quod Auctor sphæræ diuidit quodlibet signum in 30. grad. V. g. Aries habet 30.partes, seu dicamus puncta, vel gradus, per quos Sol, & alij planetæ incedunt, quare cum Zodiacus sit 12.signorum habebit 360. gradus,quæ diuisio fuit prius excogitata à Ptholomeo, nam Erasthones, & Hyparchus ipsum in 83.partes distribuerunt. Quilibet autem gradus diuiditur in 60. minuta, & quodlibet minutũ in 60. secunda,& quod libet secundum, in 60. tertia, & sic deinceps,vsque ad decem. Hocq. omnibus maioribus circulis conuenit. Scito tamen, quod quodlibet signum 30. gradus contineat bifariam potest intelligi. Primo,secundum eandem longitudinem, adeo vt secundum longitudinem, & latitudinem quodlibet signum sit alteri æquale secundum mensurationem per 30. gradus, & hoc non intelligimus,quia Leo,Virgo,& Scorpius sunt signa secundum dimensionem multo plus longiora,quam alia. Secundo secundum propotionalem diuisionem in seipso, quia quodlibet signum secundum se consideratum diuiditur in 30. partes æquales, adeo vt Sol, & Luna vnum gradum circum circa in die transeant, & hoc est quod affirmauimus Zodiacus ergo totus continebit gradus 360. minuta 21600. Secunda 129600. Tertia 77760000. Quarta 4665600000. Quinta 279936000000. Sexta 16796160000000. Septima 1007769600000000. Octaua 60466176000000000. Nona 3629705600000000000. Decima 217678236000000000000. Quæ puncta magnam in cælo occupat dimensionem tam vastum est, & magnum. Quodlibet autem signum sicut in longitudine habet 30. gradus, ita in latitudine 12. sex ad Arcticum, & sex ad Antarcticum, accipiẽdo in medio lineam vnam diuidendum Zodiacum, quæ dicitur ecliptica, & sub hac Sol semper progreditur, non declinando nec in Septentrionem,nec in Meridiem. Alij vero planetæ quandoq. ab ea exeunt,vnde si versus Septentrionem sint extra eclipticam dicuntur habere latitudinem Borealem, & si versus Austrum, Australem,i.Meridionalem,seu Antarcticam.Dicta est autẽ linea ecliptica ab eclipsi Solis, qui sub ea fit, nam si in nouilunio contingat Lunã sub ecliptica esse,& non declinare, nec in Arcticum,nec in Antarcticum,se interponit inter Solem,sub ecliptica semper progredientem & visum nostrum, vnde Sol obscuratur. Solem autem semper sub linea ecliptica ire patet ex horologio mu-

 rali,

rali, nam stylus perpetuo ostendit quod die primi puncti Arietis 1618. eandem vmbram causabit, quam causauit anno 1617. in eodem puncto, & sic de ceteris regulariter.

Sexto. Notandum venit, quod officia Zodiaci, & eclipticæ sunt ista. Primum quod sit mensura motus secundi, scilicet ab Occidente in Orientem, nam primus qui est raptus tendit ab Oriente, in Occidentem. Est ergo officium eius mensurare alium motum à motu primi mobilis, idest omnium stellarum fixarum, & planetarum, nam per ipsum scimus quanto tempore moueantur. Et sicut æquator est maximus circulus descriptus primo motu, & est cingulus primi motus ipsum per æqualia diuidens, & equaliter semotus à totius mũdi polis, secundum suas omnes partes, ita Zodiacus est maximus circulus motu secundo descriptus, & est cingulus secundi motus æqualiter distans secundum omnes suas partes à proprijs polis.

Secundum. Sub ecliptica Zodiaci, vel saltem prope, fiunt eclipses Solis, & Lunæ, vt suo loco dicemus.

Tertium. Ecliptica Zodiaci ex sua obliquitate. Primo facit inęqualitatem dierum. Secundo quatuor anni mutationes, scilicet Verem, Aestatem, Autumnũ, & Hyemẽ. Tertio causat maiorem propinquitatem, & elongationem Solis, & aliorum planetarum à nostro Zenith, secundum quod extolluntur in signis Septentrionalibus, & deprimuntur in Meridionalibus. Quarto est causa generationis, & corruptionis, vt supra diximus.

Quartum. Facit (vltra hoc quod diuidit mundum in duas partes æquales) quod stellę, & planetæ Zodiaci, idest stellæ quæ sunt in Zodiaco, & planetę qui sub eo mouentur, dicantur Arcticæ, Boreales, Septentrionales, quod idem est, secundum quod ab ea declinant versus polum Arcticum. Vel dicantur Meridionales, Antarcticę si ad Austrum vergant. Vide multa alia officia in Clauio sub tit. de Zodiaco in fine.

Ad argumentum dicitur quod illę partes, sunt signi partes, & non signa totalia, ista enim 12. sunt.

De signis Zodiaci in singulari.

QVoniam secundum Arist. 1. Phys. oportet ab vniuersalioribus, ad minus vniuersalia descendere, ideo opus erit, quod postquam egimus de Zodiaco, & signis eius in communi, modo de ipsis diseramus in particulari, prout faciunt ad medicinã, nauigatiuam, & agriculturam.

DVBIVM XXXI.

An Aries recte primum signum Zodiaci dicatur.

VIdetur enim quod non. Nam Aries signnm est Septentrionale. At Septẽtrio frigidus est, & siccus. Aries vero calidus dicitur. Ergo male ponitur primum signũ Zodiaci versus Septentrionem.

Ad explicationem huius signi. Primo notanda est fabula Poetarum de Ariete, qua veritatem annuere voluerunt. Tradunt ergo Frisum, & Hellam fratres, & filios Regis Athamantis à nouerca male tractatos fugisse, & à patre Arietem aureum vellus habentem surripuisse, & deuenisse ad locum angustum in quo mare Mediterraneũ copulatur Maiori mari, vbi modo sedet Constantinopolis, & tunc super Arietem suum insedisse, vt mare trãsacto in Asiam se reducerent, sed Helles non valendo stare super Arietem in mari suffocatus est, ex quo Hellespontici maris nomen duxit. At Frisus tutus in Asiam receptus, cũ Colchum deuenisset, vt Dijs pro securo itinere peracto gratias ageret, Dijs Arietem suum illum aureum obtulit, pellem in templo suspendendo. Dij autem in memoriam huius sacrificij Arietem in cælum transtulerunt cum 13. stellis non admodũ lucidis. Alij vero tradũt, primum signum Zodiaci esse dictum Arietem, quia sicut Aries æquis diebus ac horis iacet modo supra vnum latus, & deinde super aliud, ita dum Sol hoc signum ingreditur æquat dies cum noctibus.

Secundo. Notandum venit quod hoc signum in tres partes secernitur. Prima incipit à primo gradu, & ad decimum terminatur, & de hac prima facie (sic enim dicitur) habemus ista. Primum quod in his gradibus venti concitantur, aquæ, & tempestates, & si quis habuerit quartum gradum Arietis in horoscopo capillos habebit crispos, & id quod pater aquisiuit, ipse dilapidabit. Generaliter tamen nati sub hac prima facie erunt calidi, iracundi, oculos haben-

habentes caliginosos. Secundum est quod hæc prima facies datur Martis dominio. Sed melius dicitur, quod termini Arietis sunt. Iupiter habet à primo vsq; ad 6. Venus ad 12. Mercurius ad 20. Mars ad 25. Saturn⁹ ad 30. & sic planetæ in proprijs terminis dñr habere duas dignitates, i. fortitudines. Tertiũ est, quod sm Albumasarẽ lib. de motibus astrorum, quando Sol, Luna, vel alius planeta ingreditur 1. 2. vel 3. gradum Arietis, erit nubilum, & ventus à Meridie, frigus, & tempestas. Secunda facies Arietis incipit à 10. gradu, & terminatur ad 20. & hæc est satis temperata, quamuis multum inclinet ad caliditatem, & siccitatem. Astrologi hanc faciem dant Soli, quod potest esse verum vt est facies, nam vt terminos habet 11. & 12. gradus sunt Veneris, & alij vsq; ad 20. Mercurij. Addunt quod habens decimumseptimum gradum Arietis in horoscopo erit diues, & delicatus. Tertia facies stat inter 20. & 30. gradũ, & hæc est æstuosa, & pestilens, & sæpe excitat turbines & subitas tempestates. In 29. autem, & 30. gradu in singulari, magnum causat calorem.

Tertio. Notandum venit quod hoc signum secundum totum consideratum ponitur signum igneum, masculinum, diurnum, instabile, colericũ, domus Martis, & exaltatio Solis, & ideo natus sub eo, talis erit naturæ, & inclinationis. Ille autem qui illum in Horoscopo habebit, habebit faciẽ longam, oculos grossos, versus terram inclinatos, collũ longũ, capillos crispos, corpus pilosum, crura subtilia, & debilia, erit multũ loquax, & eloquẽs, bon⁹ comestor.

Quarto. Notandum quo ad eius præsidentiã, quod præest capiti, oculis, ac auribus, cum Saturno pectus offendit, cum Ioue cor, cũ Marte caput, cum Sole genitalia, cum Venere pedes, cum Mercurio talos, cum Luna genua. Inter humores præest coleræ, colori rubeo, & habet tertium clima. Dominatur Germaniæ, Franciæ, Brittaniæ, Baltarniæ, Siriæ, Palestinæ, Polonię minori, Burgundiæ superiori, Slesiæ superiori, Sueuiæ, & Vuestriæ. Ciuitatibus Florentiæ, Neapoli, Capuæ, Ferrariæ, Vincentiæ, Veronæ, Bergomi, Imolæ, Paduæ, Vticæ, Cracouiæ, Marsiliæ, Faentiæ, Anconæ, Forliuio, Dat dolores dentium, oculorũ, & aurium, & causat morbum caducum.

Ad argumentum dicitur, quod Septentrio bifariam considerari potest. Primo secundum signa, & sic habet signa maxime calida, i. calidiora nobis, quam sint signa Australia, quia Sol in eis magis ascendit super Horizontem nostrum, & rectius ferit suis radijs terram, & diuturnius, & ideo maiorem facit calorem. Secundo secundũ circulum poli Arctici, & sic dicitur frigidus, & generans ventos frigidõs, quia ille circulus magis distat à Sole, &c.

DVBIVM XXXII.

An Taurus recte ponatur secundum signum Zodiaci.

VIdetur quod non. Nam Taurus extra Zodiacum tendit, versus Aequinoctialem. Ergo male ponitur signum Zodiaci.

Respondetur, quod Taurus ab Astronomis dicitur secundum signum Zodiaci, in tres partes diuisum, & quia in prima sunt pleiades, ideo facit tempus turbulentum, nubilosum, & ventosum. In secunda humidum, & temperatum in calore. In tertia propter Hiades calidum, & fulminans. Prima facies datur Mercurio, secunda Lunæ, & tertia Saturno. Pro terminis Venus tenet primos octo. Mercurius ab 8. vsque ad 14. Iupiter ad 22. Saturnus ad 27. Mars ad 30. Habet in cælo 33. stellas, ipsius figuram componentes. Fingunt Poetæ Iouem amore Europæ filiæ Agenoris Regis Feniciæ inuasum, se in Taurum transformasse; & Europam supra se sedentem habuisse, quam in Cretam mare natando traduxit, & cum ea coiuit, & in eius reuerentiã voluit quod vna ex quatuor mundi partibus Europa nuncuparetur, & figuram Tauri in cælo collocauit.

Secundo. Notandum quo ad eius naturam quod ponitur à Misaele signum terreum, frigidum, fixum, domus Veneris, exaltatio Lunæ, cum participatione Martis.

Quo ad dispositionẽ corporis natus sub eo sm Hali habebit faciem magnam, frontẽ amplam, & altam, nasum longum, nares apertas, oculos magnos, capillos eleuatos, & nigros, collum grossum, barbam circularem, & corpus laboriosum, sed debile, & paruum.

Pro euentu in iuuentute laborabit multum (secundum Maternum) amittet bona, & iterum ea recuperabit, & amplabit. Si habebit 4. gradũ in Horoscopo erit minax, & ira-

& iracundus, si 7. erit pulchra mulier, & homo superbus. Si 23. infelix in omnibus. Si 24. fortis. Si 25. debilis. Si vltimos gradus humilis, & pauper.

Pro inclinationibus ad extrinseca, natus sub Tauro auidus erit in cumulandis diuitijs, & perdendis, & iterum recuperandis, cũ magno gaudio, & tristitia, laborando, & patiendo, vt faciunt Tauri, & etiam quia ponitur domus substantiæ, possessionis, acceptionis, & dationis.

Quo ad partes corporis dominatur collo, quare causabit infirmitates in eo, & etiam podagram, & si fit cum Saturno pectori nocebit, cum Ioue ventri, cum Marte capiti, cum Sole coscijs, cum Venere pedibus, cum Mercurio cruribus, & cum Luna genibus.

Dominatur malencholiæ, colori viridi, & quinto climati.

Prouincijs. Partiæ, Mediæ, Persiæ. Insulis Arcipelagi, Cipro, Polloniæ maiori, Russiæ albæ, Campaniæ, Rhetiæ, Heluetiæ, Franconiæ, Hiberniæ, Lotaringiæ, Irlandæ, & parti Suetiæ.

Ciuitatibus. Senis, Bononiæ, Palermo, Mantuę, Taranto, Parmæ, Taurino, Carolostadio, Brisciæ, Iustinopoli, Veronæ. Perusiæ, Taruisio, Constantinopoli.

Ad argumentum dicitur, quod signum Zodiaci dupliciter considerari potest. Primo secundum corpus, & sic est in Zodiaco. Secundo secundum aliquam partem, & ita potest exire Zodiacum, versus Austrum, vel Septentrionem, vel æquatorē, vt est in proposito. Nam ex 33. stellis componitur ex his Virgiliæ, seu Pleiades tenent diuersas positiones, nã prima est Borealior, secũda Australior, &c. Ita Hyades stant, prima in naribus Tauri, 2. in ♉ &c. Vide positionem harum omnium stellarum in figuris.

D V B I V M XXXIII.

An signum Gemini recte collocetur in Zodiaco.

VIdetur quod non. Nam nobilissimo corpori, non sunt fabulosa attribuenda. At cælum est nobilissimum corpus. Ergo male ei applicatur, hæc fabula, quod Leda à Ioue impregnata in formam Cigni, ouum produxerit, ex quo orti sint Castor, Polluces, & Helena, & quod occiso Castore, Pollux à Ioue patre impetrauerit, vt fratri defuncto medietatem suæ vitæ tribueret, ita vt vnus vno die viueret, & alius alio, & quod inde Iupiter in signum tam magnæ amicitiæ, eos collocauerit in Zodiaco pro tertio eius signo.

Respondetur, quod Gemini tertium signum Zodiaci nominatur, & recte, quia stellæ quæ hoc signum componunt, efformare videntur figuram duorum se amplexantium. Tradit Misael hoc signum esse aereum, masculinum, mediocre, diurnum; domum Mercurij, & exaltationem caudæ draconis. Est naturæ humidæ, & calidæ, sanguineæ, & sterilis; Prima eius facies aliqualiter est humida, & mala. Secunda temperata, sed declinans ad siccitatem. Tertia incerta, sed potius sicca, quam humida. Prima est Iouis. Secunda Martis. Tertia Solis.

Quo ad dispositionem corporis natos eo ascendente iuxta ea quæ scribit Hali sunt æquales, & recti corpore, pulchri facie, pectore ampli. Si ei coniungatur Mercurius bene fortunatus disponit hominem, & habilem reddit ad literaturam, & scripturam. Ascendente 4. gradu vltra modum facit natura pulchrum, & principibus prædilectum. Generaliter facit natum pulchrum, & bonæ vocis. Fidelem, & amicitiarum cultorem, & à secretis scribam.

Quo ad infirmitates, eas generat quæ ex diminutione, vel abundantia sanguinis pullulant. maxime in humeris, brachijs & manibus, quibus dominatur. Si fuerit cum Saturno infirmitatem causabit in ventre. Cum Ioue in lucabis; Cum Sole in cruribus, Cum Marte in humeris, cum Venere in collo, & cum Luna in pedibus.

Quo ad mutationem aeris dum occumbit cum Hyadis, Aquila, & Delphino aerem mutat, & agitat.

Quo ad humores præest sanguini, mixto colori, & sexto climati. Est domus cognationis, propinquitatis, consilij, fidelitatis, epularum, & somniorum secundum Albumars & ideo ad ista inclinabit.

Quo ad prouincias) Dominatur Hircaniæ, Armeniæ, Cirenæ, Marmaricæ inferiori, Ægypto, Angliæ, Sardiniæ, Brabantiæ, Flandriæ, & Lombardiæ.

Quo ad ciuitates) Cesenæ, Viterbo, Taurino, Reggio, Vercellis, Mogontiæ, Bambergæ,

bergæ, Villaco, Stasfordiæ, Lugduno, Cordubæ, & Nouarriæ.

Ad argumentum dicendum ad maiorem quod fabulosa bifariam considerari possunt. Primo secundum se, & sic sunt irridenda, & reijcienda. Secundo vt ad veritatem rei conducunt sub troppis, & figuris & sic sunt recipienda, & existimanda. Et ita est in proposito. Nam dum Sol Gemini intrat, eius virtus geminatur ad producendos fructus vt dicit Isidorus, & ideo ad hoc sciendum positi sunt hi duo gemelli, & vnus dictus est præsidere inferis, & alius superis per Marcianum, quia in æstate cum noctes sunt breuissimæ, quando vna pars constellationis occidit, alta pars anterior, oritur, & ascendit, quod tamen non est verum, nisi secundum quandam latitudinem.

DVBIVM XXXIIII.

An signum Cancri, recte pro quarto Zodiaci assignetur.

Videtur quod non. Nam natura Solis signa denominantur, vnde diximus signum Gemini positum esse in cælo, quia eo tempore quo illud signum ingreditur, virtus Solis geminatur. At in Cancro Sol maxime feruet, & tamen Cancer est animal frigidum. Ergo male &c.

Respondetur secundum communem sententiam omnium Astrologorum, quod Cancer recte ponitur quartum signum Zodiaci. Tradunt autem aliqui Poetæ hūc esse illum Cancrum, qui momordit Herculem dum prælium habebat cum Idra Lernea, & ab Hercule fuit interfectus. Alij quod ille sit qui Saramantidem Nimpham Iouem fugientem retardauit, & in causa fuit, quod Iupiter eam in copulam habuerit, & ideo in signum gratitudinis eum in cælum, cum nouem stellis collocauit. Est autem signum magnum in cælo, adeo vt etiam partem signi Geminorum occupet. Est Solstitium æstiuale, cum stat in primo eius gradu. Est domus Lunæ, & exaltatio Iouis, Est signum fæmininum, nocturnum, sinistrum, fæcundum, aqueum, Septentrionalem, frigidum, humidum, flegmaticum, mobile, & retrocedens.

Quo ad formam corporis facit natum sub eo idest eo ascendente, à medio grossum, incompositum, & superius subtilem, cum dentibus curuis, & tortis, cum capillis crispis, oculis paruis.

Quo ad inclinationes secundum Hali facit homines, suaues & doctos, rerum publicarum moderatores, & actores. Et secundum Maternum facit hominem sub eo natum, acuti ingenij, sed tardum in agendis negotijs, solitum irasci, & in secreto omnes malos odio habentem, de facili tamen placabilem, & à multis honoratum, propter res publicas quas geret.

Quo ad præsidentiam corporis, dominatur pectori, mammillis, pulmoni, & ventri in parte superiori, & costulis. Ideo dat infirmitates in his partibus, inficit natum lepra, & signis in facie, & dat barbam raram. Cum Saturno virilia offendit, cum Ioue coscias. Cum Marte pectus. Cum Sole pedes. Cum Venere brachia. Cum Mercurio oculos, & gutturem. Cum Luna caput. Dominatur in humoribus flegmæ, colori albo, saporibus acro, & salso, climati septimo.

Quo ad Prouincias. præsidet Numidiæ, Minori Affricæ, Barbariæ, Granatæ, Frisiæ, Franconiæ, Scotiæ, Bithiniæ, Mauritaniæ, Olandæ, Zelandæ, Burgundiæ.

Quo ad Ciuitates. Constantinopoli, Venetijs, Mediolani, Genuæ, Luchæ, Pisis, Mademburg: Bernæ, & Vincētiæ. Nam secundum diuersas ciuitatum instaurationes nouum dominium acrescit.

Ad argumentum dicitur, quod denominatio signorum ex triplici causa principaliter oriri potest. Primo ex natura signi, quia scilicet ex stellis suis agit ad caliditatem, frigiditatem, &c. Secundo ex natura Solis, & hoc dupliciter. Primo quo ad effectus, Secundo quo ad motum, Primo modo Aquarius dicitur signum cæleste, quia spargit, seu effundit aquas, Secūdo modo.i. quo ad effectus Gemini, quia in eo geminatur virtus Solis, & Leo, quia in eo feruet, &c. Tertio vero modo Cancer ponitur signum cæleste, quia dum Sol ipsum intrat, incipit retrocedere, vt facit Cancer, & dies minuere, & noctes augere.

DV-

DVBIVM XXXV.

An Leo recte constituatur quintum signum Zodiaci.

VIdetur quod non. Nam Leo præsidet terrestribus animalibus. Sol autem dũ in Leone est, primum locum non tenet inter signa, Nam dum est in Cancro in maiori eleuatione reperitur, quã in Leone, cum inceperit descendere, & ad Antarcticum appropinquare. Ergo male ponitur in Leone.

Respondetur tamen quod recte Leo ponitur quintum signum Zodiaci, & omissa fabula, quod ille sit Leo ab Hercule occisus in Silua Nemea, iussu Euristei, dico ipsum, esse signum cæleste ex 27. stellis compositum, absque septem, quæ sunt in eius cauda. Est signum igneum, masculinum, fixum, diurnum, domus Solis.

Quo ad dispositionem autẽ corporis, natus sub eo dicit Hali, quod erit buonæ formæ, & pulchræ figuræ, cum capillis aureis, grossior in superiori parte, magis quam in inferiori, quia crura habebit subtilia, Erit ampli pectoris, acuti visus, & sæpe turbidæ faciei, velox ad cursum. Erit cõplexionis calidæ, & humidæ.

Quo ad inclinationes morales. Erit iracundus, verax, iustus, intelligens, patiens, & inimicitiæ simulator. Fixus in suis decretis, & promissionum zelantissimus custos. Secundum Maternum pericula multa faciet, & labores sustinebit, sed in omni vita sua notus erit apud omnes, & proprijs laboribus, ac sudoribus diuitias cumulabit, impatiens erit seruitutis, & amator libertatis. Addit Leopoldus, quod iniurias non sustinebit, sed de facili dulcibus verbis, ac humilibus placabitur, nam erit magnanimus, & magis pro alijs laborabit, quam pro se. Erit bonus comestor, & lecti amator, vocis satis bonæ.

Quo ad mutationes aeris. In prima facie idest decem primis gradibus magno suo æstu spiritus vitales attenuabit, ac franget vires. In secunda incipit pluuias ciere, & in tertia magis, sed in fine cælum serenum reddet. Et dum cum cane maiori, & minori stabit, magnum calorem causabit.

Quo ad infirmitates. Cum dominetur cordi, pectori, lumbis, ac costis spinalibus, in his partibus dabit vt plurimum infirmitates. Quartanarios facit, & in prima ætate febrem diuturnã causabit. Si cum Saturno fuerit, genitalia infirmabit, Cum Ioue coscias, & genua, Cum Marte ventrem, Cum Sole caput, Cum Venere cor, Cum Mercurio humeros, & gutturem. Cum Luna collum. Quo ad humores habet colleram rubeam, quo ad colores aureum, quo ad climata quartum.

Quo ad Prouincias. Dominatur Italiæ excepta Ethruria, Galliæ, Togatæ, Siciliæ, Pugliæ, Boemiæ Parti turciæ, Romandiolæ, Sabinæ, Caldeæ, & Orchiniæ.

Quo ad Ciuitates. Romæ veteri, Damasco, Rauenæ, Siracusæ, Perugiæ, Cremonæ, Pragæ, Vlmæ, Confluentiæ, Luchæ, Cremisio, Mantuæ, & Alexandriæ Aegypti.

Ad argumentum respondetur, quod Sol dicitur esse in Leone, non quia tunc sit in maxima eius altitudine, sed quia sicut Leo est fortissimus animalium, ita tunc Sol maxime feruet, & ebullit, quod accidit, ex natura signi, seu stellarum, quæ illud signũ representant, quæ sunt naturæ Iouis, & Martis, Veneris, & Mercurij, qui agunt ad caliditatem, & quia Sol eo tunc inuenit terram maximo ardore Solis exsiccatam, vnde magis eam calefacit, & quia hoc signum est igneum, calidum, & siccum.

DVBIVM XXXVI.

An Virgo recte ponatur sextum signum Zodiaci.

VIdetur quod non. Nam Virgo sterilis est. At Sol in Virgine maxime est fæcundus, cum tunc omnes fructus terræ, ad maturitatem perducat. Ergo Virgo inepte ponitur signum sextum Zodiaci.

Respondetur, cum communi sentẽtia Astrologorum quod Virgo congrue ponitur sextum signum Zodiaci, quod probat. Primo cum stellæ Zodiaci forment quandam similitudinem Virginis alatæ, & quidem magnæ, quia cum capite occupat fere decem gradus Leonis, & cum pedibus multos Libræ, & cum vna ala extra Zodiacũ exijt. Multas habet stellas numero 26. inter quas vna est præcipua, quæ dicitur spica Virginis, primæ magnitudinis, & admodum fortunata. Secundo hoc probant ex Poetis, & quidem Poetice. Dicunt enim

quidam

quidam quod ista Virgo fuit filia Titonis, & Auroræ, quæ patri dissuasit ne bellum gereret cõtra Iouem, & videndo patrem obstinatum in bello, ad partes Iouis accessit, & ipse in signum gratitudinis eam in cælo collocauit. Alij affirmant hanc Virginem Iouis filiam fuisse, ab eo in mundũ missam ad conseruandam iustitiã, & æquitatem, quod cum non potuisset explere, ad cælum conuolauit. Eius stellæ fere omnes sunt naturæ Martis, Veneris, & Mercurij.

Quo ad facies eius. Prima est Solis calida, & nociua. Secunda, Veneris, temperata. Tertia, Mercurij aquosa, & humida. Est signũ terreum, frigidum, mediocre, nocturnũ, sterile, fæmininum, malencholicum, & commune. Est domus Mercurij, & eius exaltatio. Terminos infra omnium signorum assignabimus.

Quo ad dispositionem corporis. Natus Virgine horoscopante erit erectę figurę, & venustæ, faciem longam habebit, bene formatam, & gratiosam cum oculis claris, & modestis, persona non erit multum pinguis.

Quo ad inclinationes morales. Testatur Hali, quod talis erit bonorum morum, magister scribarum, castus, verecundus, amabilis, grauis, & humilis. Maternus hunc facit vlterius laboriosum, & cogitabundum, secretum, & secretorum indagatorum, eloquentem, & facundum, & ideo propter fælicitatem linguæ officia obtinebit Oratoris, & Nuncij, apud Principes, ac magnos viros, & diuitias cumulabit. Erit lætus, & amicus fidelis, nec multos habebit filios.

Quo ad mutationes temporum. In primis gradibus, & vltimis causabit ventos, & pluuias.

Quo ad infirmitates. Cum dominium exerceat in ventre, & intestinis, male affectũ, natũ in his partibus cruciabit. Si fuerit cũ Saturno offendet pedes. Cum Marte ventrem. Cum Ioue genua. Cum Sole collum. Cum Venere pudenda. Cum Luna humores. Ex humoribus habet malencholiã. Ex coloribus album. Ex saporibus constrictiuum. Ex climatibus sextum.

Quo ad Prouincias. Dominatur Mesopotamiæ, Babiloniæ, Ciliciæ, Croatiæ, Ducatui Athenarum, Carintiæ, Slesiæ inferiori, Athesanæ.

Quo ad Ciuitates. Hierosolimæ, Alexãdriæ, Corinto, Papiæ, Nauariæ, Arezzo, Basileæ, Brundisio, Parisijs, Lugduno, Tolosæ, Parmæ, & Toleto.

Ad argumentum respondetur, quod aliud est generare fructus, & aliud eos genitos ad maturitatem deducere. Primum Virgini negamus. Secundum ei libenter impartimur, quare erit de se sterilis, cum de se non producat fructus.

DVBIVM XXXVII.

An Libra septimum sit signum Zodiaci.

Videtur quod non. Nam antiqui cuiuslibet signi aliquam historiam inuenerũt. At de Libra nullam, quod enim hoc signũ adinuenerint, quia signum Scorpij erat admodum longum, & ideo ab eo demerint octo stellas, & fecerint eas formare signum Libræ, voluntarium omnino videtur, & sine ratione dictum.

In contrarium est communis animi conceptio omnium Astrologorum, & ratio, quia vt dicit Isidorus hoc signum dicitur desumptum ab instrumento ponderandi, quia Sol existens in ea parte cæli, quæ dicitur Libra, dies cum noctibus similes efficit, & æquales. Est autem secundum Misaelem signũ aereum, masculinum, instabile, diurnum, calidum, & humidum, accidentale, rationale, sanguineum, & sterile. Est domus Veneris, & exaltatio Saturni, initium signorum Australium, & principium Autumni. Stellæ eius vt plurimũ sunt Iouiales, & Mercuriales. Circa octauum eius gradum transit lactea via.

Quo ad mutationem aeris. Cum prima eius facies sit Lunæ erit humida, & aquea. Secunda est Saturni, & sicca. Tertia Iouis humida, & ex alijs causis ventosa, & aquea.

Quo ad dispositionem corporis. Tradit Hali, quod natus sub hoc signo erit bonæ, & pulchræ formę, in carne mediocris, & corpore, coloris albi, in facie, & in alijs partibus corporis niger, complexionis calidæ, & humidę, & multum Venereus, ac multi feminis.

Quo ad mores. Natus Libra ascendente secundum Hali erit mediator inter animos discordes, ad eos conciliandos, libenter cantabit, & musica delectabitur, ac Poetica, ardenter amabit mulieres, & solatia.

At

At secundum Maternũ plures sibi concitabit inimicos, ac in multis periculis versabit. Non erit sine tribulationibus, ac persecutoribus, quos quandoque vincet, & ab ipsis aliquando superabitur, sed in prosperis, & aduersis eiusdem generositatis erit, neque de facili in desperationẽ ruinet. Erit varius in filijs, ac vxoribus, quia eos amittet, & alios sibi generabit: Erit sinceræ fidei, & firmæ.

Quo ad infirmitates. His subiectus erit, & sæpe. Notant quidam quod natus sub vltimis gradibus Libræ erit vel vtriusque, vel nullius sexus, & Franciscus Pistarus testatur se hoc esse expertũ Senis in vno qui nullius erat sexus, & per duos dies tantum vixit. Dominatur autem intestinis, & ea quæ sunt circa genitalia, quare has partes male afficit, vnde difficultatem vrinę patietur, fluxum sanguinis, & cataractas in oculis. Si cum Saturno fuerit genua infirmabit, cum Ioue oculos, cũ Marte pudenda, cum Sole humeros, cum Venere caput, cum Mercurio ventrem, & cũ Luna cor. Ex humoribus habet sanguinẽ, ex saporibus dulcem, ex coloribus viridẽ, ex climatibus quintum.

Quo ad Prouincias. Preest. Aethiopiæ, Troglodîtię, Austrię, Alsatię, Ethrurię, Sindgrauię, Liuonię, Sabaudię, Delphinatui.

Quo ad Ciuitates. Gaetæ, Vandæ Sesiæ, Placentiæ, Argentinæ, Viennæ, Francfuordio, Spiræ, Lisbonæ, Vrbino, Salerno, Oruieto, & Romæ nouæ.

Ad argumentum dicitur quod non solum ad breuitatem signi Scorpionis constitutum est signum Libræ, sed etiam quia habet singulares proprietates vt diximus, neque necessaria est fabula pro Signo, sed singularis influxus, & particularis constellatio, & proprietas, quæ habere signũ Libræ iam supra ostendimus.

DVBIVM XXXVIII.

Vtrum Scorpius sit octauum signum Zodiaci.

Videtur quod non. Nam Scorpius ponitur domus Martis, & tamen dicitur signum aqueum, & fæmininum. Hæc autẽ non sibi constant, cum Mars sit calidus, & siccus, & masculinus, vnde videtur incongruum signum.

In contrarium stat cõmunis consensus Astrologorum Scorpionem pro octauo signo Zodiaci recipientium. Hoc autem deducunt ex figura Scorpionis quam formant stellæ multæ post signum Libræ, ante Sagittarium. Secundo ex fabula, quod superbus Orion se iactabat, non esse animal in terra, quod ab ipso non posset interfici, sed Orto Scorpione ex terra, ipsum suo veneno interfecit, quapropter vt discant mortales, non superbire de suis viribus, Iupiter illum in cælum posuit, vt pro exemplari miseriæ humanæ haberent. Est domus Martis principalis, & est signum Septentrionale, fixum, fæcundum, mutum, flemmaticum, aqueum, fæmininum, nocturnum, & frigidum.

Quo ad mutationes aeris. Prima eius facies est Martis, & de facili niues, & ventos gignet. Secunda est Solis, & est temperata. Tertia est Veneris, & turbata. Dum oritur cum Hyadis magna fit perturbatio aeris, per Albumar, & tempestas. Cum occidit cum Pleiadis, fit aeris amenitas, & serenitas.

Quo ad dispositionem corporis. Natus sub eo non est multũ grandis, sed potius paruæ staturæ, habet multos capillos, faciem paruam, & rubicondã, oculos paruos, crura, & pedes longos, agilis & velox ad currendum, & ludendum. Habens decimum gradum Scorpionis, & tertium in horoscopo erit gibbosus, & collo tortuosus.

Quo ad mores. Tradit Hali, quod erit fidei instabilis, nulla re contentus, & secundum Maternum in prima ætate erit acutus, iracundus, agilis, diuersis calamitatibus subiectus, sed tandem eleuabitur ad officia, & honores, & ad magnas lætitias, & si Iupiter fælici aspectu ipsum inspexerit erit eleuati animi, ac gloriosi, & acuti, facundi. Hi varij erũt amatores in amicitijs, & negotijs varias tẽtationes patiẽtur, & calamitates in filijs, sed tandẽ in ipsis erunt fortunati, & læti, mutabũt de facili locum, & melius se habebũt in secundo, quam in primo, sed in iram inclinati, & rixas, apti ad officia, & ad negotia.

Quo ad infirmitates. Erit flegmaticus, & patietur suas infirmitates in genitalibus, renibus, & vesica. Cum Saturno infirmabit talos. Cum Ioue pedes. Cum Marte caput, brachia, & coxas. Cum Sole cor. Cum Venere intestina. Cum Mercurio renes. Cum Luna ventrem.

Quo ad Prouincias. Præest Mauritaniæ, Getuliæ, Capodociæ, Comagenæ, Iudeæ, Idumeæ, Nonergiæ, Suetiæ Occidentali, Cataloniæ, & Bauariæ superiori.
uo ad Ciuitates. Trapezuntio, Alghierio, Aquileæ, Paduæ, Vrbino, Pistoæ, Camerino, Brixiç, Mutinæ, Cremæ, & Damasco.
Ad argumentum dicitur, quod est generaliter signum aqueum &c. Sed propter multas stellas martiales dicitur domus, & fortitudo Martis.

DVBIVM XXXIX.

Vtrum Sagittarius sit nonum signum Zodiaci.

Videtur quod non. Nam nullum monstrũ ponitur in cælo, cum sit perfectum. At Sagittarius in cælo ponitur media ex parte vt homo, & ex alia media vt equs. Ergo hoc signum tollendum est à cælo.

In contrarium est cõmunis sententia Astronomorum, & Poetarum fabula dicentium hunc esse Crotum filium nutricis musarũ qui à Ioue impetrarunt vt in cælo cum arcu, & sagittis collocaretur, media ex parte in formam bestiæ, & ex alia parte in formam hominis, vt significaretur etiã fuisse ferarum venatorem. Formam eius efficiunt diuersæ stellæ naturæ Solis, Martis, Mercurij, Lunç, & Iouis; inter has vna est lucidissima, & dicitur corona. Est domus Iouis, & est signum terreum, nocturnum, meridionale, commune, masculinũ, bicorporeum, ingeniosum, astatum, rationale, sterile, in parte extrema rugiens, siccum, frigidum, & colericum.

Quo ad mutationes aeris. Prima eius facies adscribit Mercurio, sed solet esse frigida, & humida. Secunda datur Lunæ, & tamẽ efficit aerem temperatum, & aliqualiter siccum. Tertia est Saturni frigida, & sicca. Dum cum eo oriuntur Pleiades, & occidunt, & oritur caput Scorpij fit valida turbatio aeris, & dum occidunt Hyades aer mutatur.

Quo ad dispositionem corporis. Natus sub Sagittario capillos aureos solet habere, crura longa, & grossa, faciei, & barbæ longhæ, est, & capillorum subtilium, ventris ampli, & magni, plus pulcher retro videtur, quam ante secundum Hali, frontis est acutæ, & vocis humilis.

Quo ad mores. Maternus tradit, quod natus Sagittario ascendente, multos experietur sudores, afflictiones, & inimicos, patrimonium obtinebit, vnde non sperabat, erit acutus, & ingeniosus, audax, & in multis rebus doctus, & expertus, ac in publicis conuersationibus, ac actionibus inclusus. Longa itinera conficiet, & magnum flumen, vel mare nauigabit, ex quo multas opes congregabit, colericus erit.

Quo ad infirmitates. Quoniam secundum Galenum, & Auicennam talis est complexionis media, inter adustum, & frigidum, ideo non erit multum sanus, nec corpore lubricus. Ideo infirmitates ex hoc signo pullulantes erunt oculorum cecitas, casus ex alto, mutilatio alicuius membri, & febres frequentes. Et mulier ex Leopoldo ex partu morietur, aut ex fluxu sanguinis, aut ex aqua. Cum Saturno offendit pedes. Cum Ioue caput. Cum Marte manus. Cum Sole ventrem. Cum Venere coxas, & brachia. Cum Mercurio partes occultas. Cum Luna dorsum. Præest colere, colori lucido, sapori acro, & mordaci, climati secundo.

Quo ad Prouincias. Dominatur Ethruriæ, Arabiæ felici, Celtichæ, Hispaniæ, Portugallo, Vngariæ, Dalmatiæ, Morauiæ, Schlauoniæ, & Misniæ.

Quo ad Ciuitates. Volterræ, Mutinæ, Coloniæ, Norimbergo, Budæ, Narbonæ, Auinioni, Toleto, Hierosolymæ, Mediolano, Firmo, Ascolo.

Ad argumentum dicitur, quod figura monstri nullam imperfectionem facit in cælo, quia non est figura corporis animati monstruosi, sed tantum secundum designationem, & hoc magis ex parte nostri.

DVBIVM XL.

Vtrum Capricornus sit decimum signum Zodiaci.

Videtur quod non. Nam Capricornus ponitur in cælo, cum cornibus ad annuendum quod Sol in eo signo incipit ascendere versus nos. At hoc est falsum, quia in Capricorno est Solstitium hyemale, Solstitium autem dicitur à stando, & non à se mouendo. Ergo male Capricornus ponitur decimum signum Zodiaci.

Respondetur affirmatiue, quod Capricornus

L ab

ab Astronomis, & Poetis positus est signũ decimum Zodiaci. Poetæ enim quidam fabulantur quod Iupiter traditus cuidam filiæ Regis Amaltei, ipse eum nutriuit per capram, vnde in memoriam facti Iupiter eam posuit in cælo. Alij dicunt quod dum simul essent Iupiter, Mercurius, Apollo, Diana, & Panis, illico apparuit Tipheus vnus ex Titanis inimicis Iouis, quare omnes timore perculsi, mutauerunt figuram, & sic se absconderunt, & Iupiter in singulari assumpsit figuram Capricorni, & in signum huius, hanc figuram voluit esse in cælo. Est signum terreum, fœmininum, nocturnum, meridionale, mobile, siccum, frigidum, bicorporeum, luxuriosum, rugiẽs, melancholicum, domesticum. Domus Saturni, & exaltatio Martis. Habet multas stellas vt plurimum Martiales, & Venereas, cum quibusdam Saturninis, & Mercurialibus.

Quo ad mutationes aeris in prima facie turbat cælum, & frigus acuit, in secunda ipsum serenat, & in tertia niues, & aquas portat.

Quo ad dispositionem corporis. Facit natũ sub eo (secundum Hali) habere crura subtilia, faciem subtilem, & acutam cum aliqua similitudine capræ, cum barba longa, & rara, sub mento, vel acuta. Dat super cilia plena, & grossa, vocem subtilem, & priuat sub eo natum pilis in pectore. Qui habuerit 15. graduum Capricorni in Horoscopo dicit Maternus fore gibbosum, & patuum, & in 16. gradu monstruosum cũ sex digitis.

Quo ad mores. Quoniã Capricornus est domus dominij, & honoris, regis, & regni, gloriæ, imperij, & diuitiarum furtim sublatarum, ideo sub fælici eius gradu natus, & in bono aspectu planetarum magnus vir erit. Tradit autem Maternus, quod hic semper exercitabit amicitiam cum puro affectu, alios vero decipiet, peregrinabitur, lætus erit, & amabilis, morosus in supplicationibus, & malum recipiens ab his quos pauerit. Diuitijs affluet, secreta occulta celata alijs ipse aperiet. Addit Leopoldus Capricornum esse totum bonum, solumq. facere natum pusillanimem, propter suam frigiditatem.

Quo ad infirmitates. Solet inficere lepra, vexare pruritu, scabbie, & fluxu sanguinis, inducit surditatem, & tollit loquelã. Dominatur, genibus, & omnibus neruis, & ideo male affectus has partes lædit. Cũ Saturno caput offendit. Cum Ioue genua, & oculos. Cum Marte crura, & humeros. Cum Sole dorsum. Cum Venere coscias, & cor. Cum Mercurio pudenda. Cum Luna talos. Ex humoribus possidet melancholiam, ex coloribus nigrum, ex saporibus amarum, ex climatibus primum.

Quo ad Prouincias. Dominatur Indiæ, Arianæ, Gedusiæ, Macedoniæ, Sclauoniæ, Traciæ, Albaniæ, Bossinæ, Bulgariæ, Lituaniæ, Saxoniæ, Massouiæ, Istriæ, Marche, Stiriæ, Romandiolæ.

Quo ad Ciuitates. Brandeburg. Anconæ, Faentiæ, Augustæ, Constantiæ, Bergamo, Gant. Vilnæ, & secundũ aliquos Ferrariæ.

Ad argumentum dicitur, quod Solstitium est in primo gradu, & in secundo incipit ad nos ascendere.

DVBIVM XLI.

An Aquarius recte ponatur pro vndecimo signo Zodiaci.

Videtur quod non. Nam dum Sol Aquarium ingreditur paucæ sunt aquæ, & multæ niues. Ergo ab aquis non est dicendum hoc signum Aquarij signum.

Respondetur quod Aquarius iuxta Placitum omnium Astrologorum est vndecimum Zodiaci signum. Poetæ autem in assignanda eius historia non consentiunt, quia aliqui dicunt illum Aquarium stantem semper in actu versandi aquam esse Deucalionem, cuius tempore fuit diluuium. Alij hunc esse Ganimedem ab Aquila raptum, & ad Iouem delatum, cuius factus est pincerna in cælo. Habet multas stellas inter quas vnã præcipuam primæ magnitudinis naturæ Veneris, & Mercurij. Est domus Saturni, & est signum aereum, masculinum, diurnum, occidentale, fixum, calidũ, & humidum, rationale, domesticum, sanguineum, & paucæ prolis.

Quo ad mutationes aeris. Tradunt Astronomi Aquarium dici ab effusione aquarum, quia eo tempore pluuiæ abundant, vel niues. Sed tamen distinguendum venit, & dicendum, quod prima eius faciès solet adscribi Veneri, & ideo in ea abundent niues, & pluuiæ. Secunda Mercurio, & solet esse ventosa. Tertia Lunæ, & est humida, & mutabilis.

Quo

Quo ad dispositionem corporis. Natus sub eius Horoscopo erit gloriator, & vantator, multa deuastans, habens faciem coloratam, & pulchram, & tibiam altera longiorem, candidam pellem.

Quo ad mores. Hali de eo dicit quod multũ seipsum existimabit, erit liber, & liberalis, & sui proprij patrimonij dilapidator. Addit Leopoldus quod erit in medio vitæ bonus, in fine vilis, & si mulier meretrix. Maternus affirmat quod dissipabit acquisitum, & recuperabit deperditum, multis fauebit, & multis victũ præstabit, sed fere omnes erunt ei ingrati. Apud magnos viros erit notus, ob multas eius præclaras actiones. Delectabitur in nobilibus artib. & scientijs, & propter eius preclares mores erit gratus principibus. Et quoniam videbitur attigisse summum scientiarum, multi ei inuidebunt ac de eo male loquentur. Erit melancholicus, vel potius cogitabundus. Non habebit multos filios, erit tamen fortis, & sanguineus.

Quo ad infirmitates. Dominatur tibijs vsq; ad cauillum pedis, & ideo his molestus esse solet, rumpendo, & inflamando has partes. Cum Saturno offendit caput, & collũ. Cum Ioue humeros, pectus, & pedes. Cũ Marte cor. Cum Sole virilia. Cum Venere genua. Cum Mercurio coxas. Cum Luna intestina.

Quo ad Prouincias. Dominatur Sauromatiæ, Osianæ, Arabiæ, medietati Æthiopię, Sarmatiæ, Mosselanæ, parti Bauariæ, & Montisferrato.

Quo ad Ciuitates. Pisauro, Trento, Hamburgo, Brænæ, Inglostadio, & secundum aliquos Treuisio. Nam hoc est notandum, quod aliquæ Prouinciæ, & Ciuitates sub duplici signo ponuntur. Vel secundum diuersas opiniones, vel secundum diuersas partes, vel secundum diuersas reparationes.

Ad argumentum dicitur, quod dato quod Sole ingrediente Aquario abundarent niues, tamen dicuntur abundare aquę, quia nix est aqua congelata, & quia tandem resoluitur in aquam, vnde dum supra terram aquę abundant, dicimus abundare aquas, & non pluuias.

DVBIVM XLII.

Vtrum pisces constituant duodecimum signum Zodiaci.

Videtur enim quod non. Nam secundum Isidorum signum Piscium datur, quia tunc Pisces sentientes calorem Solis, & dissoluendo humores, se confricant, & generant. At hoc non est sufficiens, quia videtur hoc commune omnibus arboribus, & animalibus, quæ eo tempore, vel folia, & flores faciunt, vel ad coitum procliuiora fiunt, propter dissolutionem humorum, & abundantiam sanguinis in vere.

In contrarium stat cõmune placitum Astrologorum, omittendo quod Poetæ dicunt, scilicet quod cum semel Venus cum filio Cupido staret supra ripas Eufrathis, ex improuiso ante eos stetit, Tipheus, Titanes, cuius terrore concussa Venus cum filio in aquam se proiecit, & formam Piscium cum filio assumpsit, in cuius facti memoriam Iupiter hos Pisces in cælo collocauit, & cuius ratione dicunt Scitas, in ea parte fluuij non solere piscari. Habet multas stellas, illæ quæ sunt in corpore Piscium, & in filo Septentrionali Iouiales sunt, quæ in corpore splendidæ, & nodo sunt Martiales, quæ in capite, & cauda Mercuriales. Est signum Aqueum, fæmininum, nocturnum, Septentrionale, commune, fæcundum, frigidum, & humidum, mutum, & flegmaticum. Est domicilium Iouis, & exaltatio Veneris.

Quo ad mutationem aeris. Facit primam faciem quæ est Saturni frigidam. Secundam Iouis pluuiosam. Tertiam Martis ventosam, & calidam.

Quo ad dispositionem corporis. Facit natum sub eo pectoris ampli, capitis parui, barbæ pulchræ, frontis amplæ, oculorum nigri coloris, & forsitan in aliquo membro corporis patietur defectum, & in pedibus retinet aliquod signum, erit coloris albi, & vocis paruæ.

Quo ad mores. Multum diligit comedere, & immoderate bibere, & diu dormire, secundum Hali erit magnanimus, secundum Leopoldum erit pauper, & homo pater multorum filiorum, diliget villam; secundum Maternum qui habuerit Pisces

in horoscopo erit ingeniosus, sapiens, amicus fidelis, & charus, fiet magnus, sed alius eo maior, inimicos habebit, consequetur dignitates, & ex itineribus apud multos notus erit.

Quo ad infirmitates. Erit naturæ flegmaticæ, & multarum infirmitatum. Dominatur pedibus, & in eis dat infirmitates. Cum Saturno offendit brachia, & humeros. Cum Ioue cor, & caput. Cum Marte ventrem. Cum Sole coscias. Cum Venere collum. Cum Mercurio tibias. Cum Luna renes, & circumcirca. Ex humoribus habet flegma, ex saporibus salsum, ex coloribus varium, ex climatibus secundum.

Quo ad Prouincias. Dominatur Fazaniæ, Garamantiæ, Nasamonicæ, Lidiæ, Ciliciæ, Pamphiliæ, Calabriæ, Vormatiæ, Normandiæ.

Quo ad Ciuitates. Ratisbonæ, Rotomago, Sibiliæ, Parentio, Como, Hispalo, Rouano, Compostelle, Alexandriæ, Lombardiæ.

Ad argumentum dicitur, quod quamuis omnia ad fœcunditatem veniant ingrediente Sole signum Piscium, tamen Piscibus hoc singulare tribuitur. Primo, quia hoc non videtur aperte, cum sub vndis natent, sicut cernitur in alijs viuentibus coram oculis nostris positis. Secundo quia stellæ inter Arietem, & Aquarium formant imaginem Piscium aliquo modo. Tertio quia antequam arbores floreant, & animalia generent, Pisces impregnantur, & maxima multitudine ouorum.

DVBIVM XLIII.

An forma, & figura hominis, à cælestibus stellis oriatur.

Videtur quod non. Nam causæ immediatæ magis sibi effectum assimulant, quam primæ, vt homo hominem generat cum Sole, & non Sol cum homine Solem. Sed causæ formæ, & figuræ hominis magis immediatæ quam Zodiaci stellæ, & Planetæ sunt abundantia, & defectus materiæ, actio agentis, dispositio recipientis, aeris temperies, situs locorum, dispositio, & similia. Ergo diuersitas figurarum hominis his attribuenda erit, & non stellis, ac planetis.

Secundo. Causa vniuersalis, quod in vna natura producit, producit & in alia, sit bonum, vel malum, Sol enim in Leone positus non solum calorem magnum generat in homine, sed in omni animali. At multos defectus, monstra, & infirmitates cernimus in hominibus, & non in brutis cum tamen idem sit cæli influxus, & actio eadem. Ergo non à cælis, sed ab agentibus &c. erunt.

In contrarium est sententia Astrologorum diuersitatem staturæ, formæ, figuræ, causæ infirmitatum, sanitatum, &c. reducentium ad planetas, & signa cælestia, quare hoc dicebant. Primum: Ptholomeus asserebat quod signa formæ humanæ tam in Zodiaco, quam extra faciunt corpora sibi similia, & temperata. Figuræ vero animalium, conformia illorum figuræ, vel quo ad magnitudinem, vel paruitatem, vel colorem, vel aliquam debilitatem. Hinc dicebat. Secundo, quod primæ partes signorum faciebant corpus fortius, & vltimæ debilius. Tertio dicebat Hali quod Leo, Virgo, & Sagittarius faciunt naturam maius, & robustius, quam Pisces, Cancer, & Capricornus, quia prima tria signa sunt in Zodiaco maiora, quam secunda Dicebat. Quarto quod initium Arietis, Leonis, & Tauri formabat corpus grossum, & finis horum signorum macrum. At initium Sagittarij, Gemmellorum, & Scorpij formabat corpus debile, & finis forte, & validum? Porta affirmat quinto esse inspiciendas partes Zodiaci ascendentes, quoniam quæ pluribus stellis præditæ sunt, & maioris magnitudinis reddunt corpora maiora, & fortiora, quam illæ in quibus non sunt stellæ, vel paucæ, vel minimæ. Ista igitur dicunt Astronomi esse videnda, & examinanda.

Ad difficultatem autem propositam cur in homine tot defectus, & diuersitates compareant, non sic in brutis multipliciter respondetur. Primo. Theologice, dicendo quod ista homini accidunt. Primo in pœnam peccati, in brutis enim nullum est peccatum. Secundo, vt sciat homo mundum hunc non esse suam habitationem, sed cælum, quare hic præmitur multis malis vt sciat se esse extra domum suam, non sic animalia, quæ habent hoc vniuersum pro initio, & termino suo.

Secundo, respondent quidam alij moraliter dicendo, quod homo sicut in se colligit perfectiones omnium animalium, ita etiã

de

de eorum defectibus in diuersis repertis participat coniunctim, vnde non est mira tanta diuersitas &c.

Tertio, respondent alij hoc prouenire, quia bruta nec comedunt, nec bibunt, nec quid amplius sumunt, quam eorum necessitas postulet. Homo autem comedit quandoq. sine fame, & cibos varios, & sæpe nociuos, & immoderate bibit, luxuriatur &c. & ideo in ipso, & natis eius defectus, & diuersitates abundant. Bruta enim mouentur ab intelligentia non errante, homo vero ab inordinata voluntate, nociua appetente.

Quarto, dicunt alij hoc prouenire, quia bruta generant ex motu cæli, quando ab eo mouentur, idest tempore opportuno ad eorum generationem, non sic homo, qui quandoq. arte, & violentia se mouet ad coitum, vnde oritur quod nascatur in omni constellatione, & aspectu syderum, & consequenter variabilis fiat. At nos dicimus defectus magis apparere in hominibus, quam in animalibus, quia in hominibus sunt notiores, quam in animalibus. Non enim cognoscuntur ita de facili infirmitates animalium, sicut hominum, qui illas propria voce aperiunt, & narrant, sed & multas infirmitates noscunt periti in animalibus, & forsitan maiores, quam in hominibus. Diuersitas autem staturæ, & faciei, præter influxum varium stellarum, & actionem agentium vt supra, potest etiam reduci ad virtutem agentis, varietatem seminis, fortitudinnem imaginationis, & ad similia, quæ in hominibus ob diuersitatem ciborum, & actionum voluntariarum magis variantur, & multiplicantur, notato tamen quod etiam in animalibus sunt multæ diuersitates in magnitudine, fortitudine, ac varijs alijs accidentibus.

Ad primum ergo in contrariū dicitur, quod causæ immediatę bifariam cōsiderari possunt. Primo, vt agunt formaliter, & sic magis sibi assimilant effectum. Secundo, vt agunt virtute, & motione cæli, & sic dicimus quod diuersitas, & defectus in effectibus magis retundat in cælum, quam in causas immediatas, quia hæ non agunt nisi motæ, & causæ primæ magis influunt in effectum, quam secundæ. Secundo dicitur, quod similius agunt, non tamen virtuosius, & independentius vt sydera.

Ad secundum dicimus, quod actiones primarum causarum modificantur in secundis, secūdum naturam ipsarum, vnde duo consideramus in actione. Primum causa prima mouens, vel absolute, vel in ordine corporalium, vt est cælum. Secundū modus agendi, & appropriatio. Primum est à cælo. Secundum ab immediatis causis, sed tamen vt diximus ex motione cæli, vnde ad ipsum in ordine corporalium effectus reducuntur, vt ad primam causam effectiuam.

DVBIVM XLIV.

An aliqua sint signa Zodiaci fixa, & aliqua mobilia, & aliqua communia.

Videtur quod non. Nam cæli sunt inuariabiles, & inalterabiles, & ita Zodiaci signa, vt omnis Philosophia testatur. Ergo male dicitur quod aliqua signa Zodiaci sint fixa, aliqua mobilia, & aliqua communia.

In contrarium est assensus omnium Astrologorum. Hi enim dicunt Arietem, Cancrum, Libram, & Capricornum esse signa mobilia, quia mouent tempus, cum hæc signa faciant quatuor tempora principalia anni, seu eorum initia Aries Verem, Cancer Aestatem, Libra Autumnum, & Capricornus Hyemem. Taurum vero, Leonem, Scorpium, & Aquarium appellant signa fixa, quia firmant, & fixant tempus. V. g. Taurus Verem, Leo Aestatem, Scorpius Autumnum, & Aquarius Hyemem. Nam Sole ingrediente Tauro arbores magis florent, &c. & ingrediente Leone Aestus crescit Aestatis, & ingrediente Scorpione pluuiæ Autumni magis abundant, & ingrediente Aquario niues Hyemis magis crescunt. Communia signa fecerūt Geminos, Virginem, Sagittarium, & Pisces, quia non fiunt notabiles mutationes Veris, Aestatis, Autumni, vel Hyemis in his signis. Dicuntur etiam signa bicorporea, quia duplici corpore figurantur, & eo propter, quod in medio signi fortitudinem temporis præsentis ostendunt, & in fine, vim futuri temporis incipiunt.

Ex his deducūt Astronomi, & cū eis consentit Hippocrates, lib. de aere, aqua, &c. qd nati sub signis mobilibus, mobilitatem appetunt, ideo hi sunt amantes, & publici boni

boni procuratores lingua, & manu, diligunt propriam famam, & quod bene de eis dicatur, temperati sunt, vniones diligunt, ingenium tribuunt, liberaliter impartiuntur, & bonam opinionem. Signa vero communia spiritus corruptibiles efficiunt, & mutabilitatem magnam generant, sunt amantes modo, & modo odientes, varij sunt in moribus, in promissionibus, musicam diligunt, itinera, & propria facta. At signa fixa inclinant ad iustitiam, veritatem, firmitatem, labores, fortitudinem, ad amandam nobilitatem, & actiones heroicas. Ex corde amant, sua fortuna contenti sunt, voluntatem propriam rafrenant, desiderijs proprijs non obediunt, inimicitias dissimulant, & in omnibus suis decretis, & promissionibus firmitatem ostendunt.

Hinc omnis mutatio Solis mutationẽ inducit in animis, quapropter qui sub Aequinoctiali morãtur, qm̃ duo Vera habẽt, duas Aestates, duos Autumnus, & duos Hyemes leuis mentis sunt. Econtra qui sub Septentrionali situ vitam traducunt, quoniam sex menses Aestatis, & sex Hyemis tenent, ideo firmissimi, & obstinatissimi in proprijs sententijs stant. Illi vero, qui in media Zona viuunt, inter immutabilitatẽ, & fixionem reperiũtur, Medij enim sunt.

Ad argumentum dicitur, quod distinctio signorum in mobilia signa, fixa, & communia non est formalis, quasi formaliter sint talis naturæ, sed est causalis, quia ad supradicta operantur causaliter.

DVBIVM XLV.

An quatuor anni tempora, pariant in natis diuersa.

Videtur quod non. Nam quatuor anni tempora magnam mutationem inter se habent, vnde Aestas, & Hyems ex opposito stant. Ver vero, & Autumnus contraria generant. Ver enim prata, & arbores ornat, & Autumnus ista expoliat. At in hominibus in diuersis anni quartis natis non reperitur tanta diuersitas, & contrarietas, sed solum aliqualis. Ergo male ab his anni quartis desumitur aliqua diuinatio de moribus, & natura hominum, sub his quartis natorum.

In contrarium stant omnes Astrologi, qui dicunt diuersa apparere, & esse sub quatuor quartis anni natis.

Quo ad primam igitur quartã, scilicet quo ad ver tradit Ptholomeus, quod hoc facit homines magnæ staturę, multi coloris, fortes, oculos habẽtes temperatos inter caliditatem, & humiditatem. Addit Leopoldus, & cum eo Hali, quod tales erunt calidi, & humidi, potius pingues, quam macri, capillorum pulchrium, sunt magnanimi, liberales, amantes, læti, cantores, diuites, & nobilia officia appetentes. Hæc autem pro fundamento habent caliditatem, & humiditatem temperatam aeris, quæ ad supradicta agit.

Quo ad secundam quartam scilicet Aestatẽ. Dicit Ptholomeus, quod nati in hac quarta solent habere colorem mediocrem, & ita staturam corporis, oculos nigros, capillos crispos, sunt robusti, & hirsuti. Addit Hali quod hi potius erunt grossi corpore, quam extenuati, oculos habentes magnos, capillos multos, & pilos in corpore, Fundamentalis horũ ratio est, quod cum Aestas, sit calida, & sicca, semen etiã participat de caliditate, & siccitate, & hinc fit, quod nati ex talibus dispositionibus inclinantur ad supradictos mores, & etiam ad iracundiam, & furorem, propria caliditatis magnæ.

Quo ad tertiam quartam, scilicet Autumnũ. Asserit Ptholomeus hos fore capillorum flauorum, & mediocriter corporis macri, signorum pleni, oculorum debilium. Subdit Hali istorum color erit vt mellis, vox subtilis, capilli molles. Et quoniam hæc quarta est frigida, & sicca, ideo etiam supradicta causabit, frigiditati, & siccitati non extremæ propria causaliter.

Quo ad quartam quartã, scilicet Hyemem. Dicimus cum Ptholomeo, Hali, ac alijs Astrologis, quod nati sub hac quarta sunt nigri, iustæ staturæ, capillorum asprorum, potius subtiles, quam grossi. Et quia in hac quarta multum superabundat humiditas, ideo tales erunt timidi, debiles, misericordes, & flegmatici, quoniam humiditas ad ista operatur.

Ad argumentum dicitur, quod maius est tẽperamentum hominum, quam aeris, & fortius, nam aer à solo cælo alteratur, at homo cum qualitates contrarias ad vnam reduxerit, & ab anima hæc stabilitas detur, non potest in eo esse tanta mutatio, sicut in simplici elemento aeris cernit.

DV-

DVBIVM XLVI.

Vtrum aliæ imagines stellarum fixarum extra Zodiacum positarum, aliquid faciant.

VIdetur quod non. Nam Zodiacus dicitur ab Arist. causa generationis, & corruptionis inferiorum. Ergo non imagines stellarum fixarum, extra Zodiacum positarum.

Respondetur: quod vt supra diximus multæ aliæ sunt imagines stellarum fixarum in firmamento, quæ non solum ad eius ornatum in eo positæ sunt, sed etiam ad influendum in inferiora, cum & ipsæ lucidæ sint, & cum firmamento moueantur, cælum autem agit lumine, & motu. Has autem vt de eis loquitur vulgus, & locuti sunt Poetæ breuiter hic pono, vt opus hoc sit perfectum.

Apolo Arctico igitur vsque ad Zodiacum prima figura est Vrsæ minoris, quæ à vulgo dicitur currus minor, quoniam septem eius stellæ videntur formare formam currus, & illa quæ in vltimo timonis splédet, dicitur tramontana, seu polaris quam nauigantes aspiciunt, quoniam ista apud nos numquam occidit. Volunt Poetæ hanc Vrsam fuisse nutricem Iouis.

Secunda figura dicitur Vrsæ maioris, composita ex 27. stellis. Tradunt Poetæ quod hæc sit Calixtus filia Licaonis Regis Arcadiæ, quæ à Ioue adamata, & violata, fuit à Iunone in Vrsam conuersa, & à Ioue in cælo posita, cum Boote, & dicitur currus maior.

Tertia est figura Serpentis confecta ex diuersis stellis, quæ cum informibus 32. cernuntur. Hic est ille Draco, quem Iuno ad custodiam viridarij posuerat, ne filiæ Athlantis poma colligerent, qui ab Hercule occisus, à Iunone fuit in firmamento collocatus, iacet inter duas Vrsas.

Quarta est Cefei ex 11. stellis. Hic dicitur Rex Æthiopiæ fuisse, cuius gener fuit Perseus, qui à patre Ioue obtinuit, vt in cælo collocaretur, stellis ornatus.

Quinta est Bootis, seu Arcturi, qui prope currum iacet, & videtur currere versus Vrsam maiorem, quoniam Poetæ fabulantur hunc esse Arcadum, qui persequebatur matrem in Vrsam conuersam, ignorando esse eius matrem, constat ex multis stellis.

Sexta est coronæ Borealis, quam aliqui dicunt esse coronam illam lucentem quam Baccus supra ianuam inferni posuit, vt eius splendore mota mater, ex eo exiret, quod factum fuit, vnde illa corona in firmamento collocata fuit. Alij alia dicunt, quæ quoniam fabulosa sunt, ideo omitto, sufficit enim aperuisse quid nominis respectu aliquarum, qui autem curiosus est de istis legat Franciscum Piffarum, & alios.

Quo ad particulares autem influxus aliqua dicam quæ notiora sunt, & magis recepta. Tradit ergo Maternus quod natus sub secundo gradu Arietis erit faciei austeræ, longhæ barbæ, frontis obstinatæ, vnum habens in visu, & aliud in corde, erit timidus, debilis, & omnis conflictus pauidus.

In sexta parte Tauri Pleiades oriuntur, & si tunc quis nascatur, erit pulchræ frontis, & delectabitur in pulchris, & nitidis vestibus. Hi corpus purgabunt à pilis, & capillos in Austrum vergent, gloriabuntur in pulchritudine, & in gressibus pedes quasi suspendent, Erunt ambitiosi, amabunt, vel semper simulabunt amare, erunt luxuriosi, & molles, in conuiuijs, ac communibus conuersationibus mordaces, ac varijs dictis pungentes aliorum vitas, & gaudebunt multum quod existimentur arguti in dictis. Sed si hic locus ab aliqua stella maligna inspicietur potenti radio cecitate percutientur, & propter hoc miseri fient. Et si stellæ malignæ hunc locum malo aspectu ferient, amara morte morientur, vel ex coitu, vel ex cibo, de qua re vide Manlium in suis carminibus multa de hac positura dicentem. Multa alia de alijs multis stellis fixis dicuntur, præcipue quod omnes stellæ fixæ primæ magnitudinis dant dignitates irrationabiles, idest vltra conditionem, & statum nati: Et quod caput Medusæ cum Luminaribus capite obtruncandos significat, Formanth: futuram nominis immortalitatem promittit, Regulus, & Spica Virginis suprema honorum fastigia, Sirion, & Procion enascenti Soli circumstantes, vel eadem ratione cum Sole culminantes magnam dignitatem, cum magno fastu, & similia, quæ omittimus, quia non sumus modo Astrologi, sed Philosophi.

Ad

Ad argumentum dicitur, quod causa generationis, & corruptionis duplex est. Prima nota, & principalis, & hæc dicitur Sol currens sub signis Zodiaci. Secunda dicitur minus nota, & minus principalis, & talis est omnis planeta, & stella Zodiaci, respectiue tamen, & secundum magis, vel minus.

DVBIVM XLVII.

Vtrum circulus lacteus sit in octaua sphera in firmamento.

Videtur quod non. Primo per Arist. 1. Meteor. c. 8. docentem circulum lacteū non in cælo, sed in aere esse, & probatur primo. Nam humor deductus ad spheram ignis, & sub ea positus accenditur, & fit cometa. Ergo etiam possibile est quod vapores atracti ad supremam aeris regionem, sub stellis multis ac magnis, quod ab his irradiatus viam lacteam faciat, & ostendat. Nec obstat dicere quod hic circulus compareret sub Zodiaco in quo sunt maximæ, & splendentissimæ stellæ, quia dicitur quod Sol sub Zodiaco pergens hanc exhalationem, attenuat, & tollit sua luce, & calore.

Secundo Circulus lacteus in vna parte latior est, in alia constrictior, in vna clarior, in alia obscurior, in vna simplex, in alia geminatus &c. Hæc autem magis propria videtur esse exhalationi, quam syderibus, quæ tantam varietatem non sustinent.

Circa præsentem difficultatem omissis fabulis Poetarum quod via lactea, quæ & Galaxia dicitur facta fuerit ex lacte Iunonis diffuso per cælum, vel secundum alios ex casu, & combustione Phaetontis, vel secundum alios quod sit via animarum ab inferis ad cælos, vel secundum alios via per quam Dij ad consilium pergunt, vel secundum alios domus Illustriū virorum, vel via Sancti Iacobi de Galitia de qua re legendi sunt Plutarcus lib. 2. de placitis c. 1. Macrobius lib. 1. in somnum Scipionis, c. 15. Albertus Magnus 1. Meteor. Stofferinus in sphera Procli, Manilius lib. Astronomicon, Io: Picus Mirandulanus lib. 1. de examine vanitatis c. 12. Hyginus lib. 2. de cælestium signorum historia, & scriptores super Meteor. Arist. nos hic tantum famosiores opiniones rangemus.

Prima igitur opinio fuit Theoprasti qui censuit hanc viam lacteam esse coniunctionem duorum hemispheriorum, ex quarum coniunctione illa claritas fulgeat. Sed hoc stare non potest, cum cælum sit rotundum, nec in diuersa diuisibile per transuersum, vt via lactea apparet.

Diodorus vero tenet esse quendam ignem densum, & concretum, qui propterea firmet oculum, quod non facit alius ignis, qui est subtilis, & raræ naturæ. Sed & hoc falsum est, quia ignis est elementum, nec supra cælos ascendere potest, cum supra eos non habeat suum locum naturalem.

His succedunt Democritus, & Anaxagoras dicentes lacteum circulum non esse nisi lumen quarundam stellarum, quæ non illuminantur in die à Sole, quia inter Solem, & eas obijcitur terra, & interponitur, idest vmbra terræ, nec possunt splendore Solis obscurari, & propria luce priuari. Hanc opinionem reijcit Arist. 1. Meteor. Primo quia non potest fieri, quod Sol quasdam stellas fixas aspiciat, & quasdam non, cum omnes sint supra ipsū n... Secundo quia vmbra terræ vt ex perspectiuis habemus, vltra spheram Saturni non transit. Tertio quia cum corpus densum luminoso obijcitur eo maiori, tandem post vmbram corporis opaci vniuntur, qua de causa non impeditur eorum diffusio. Quarto quia hic circulus semper in eodem situ stat, Sol autem non semper eodem aspectu hūc inspicit, mutat enim aspectum dum in diuersis signis collocatur, vnde non potest esse causa illius lactei circuli.

Post hos successit Arist. de cuius mente bifariam loqui possumus. Primo secundum veritatem. Secundo secundum apparentiam verborum eius. Si primo modo de eius opinione loquamur, dicunt multi textum eius esse corruptum, nam 1. Meteorum cap. 8. videtur tenere hunc circulum non esse in cælo octauo, idest firmamento sed in aere, & non esse nisi quandam exuberantem exhalationem late diffusam in aere, positam sub quibusdam stellis magnis, quæ eam continuo irradiantes causant illam lucem lacteam, vnde secundum veritatem censent Arist. non fuisse talis sententiæ, quod tamen multi reijciunt, dicen-

dicentes, quod nullam aliam vnquam adduxit opinionem, & talis fuisse sententiæ docent Plutarchus, Auerroes, &c.

Sed hæc sententia fuerit vere Arist. vel non reijcitur.

Primo, mirabile esset videre, & inuenire exhalationem terræ tam regularem, non ampliorem, non angustiorem, per tot annorum secula, secundum eandem claritatem, & densitatem, & raritatem, maxime cum in hyeme, & æstate paucæ sint exhalationes.

Secundo, quia cum hic circulus sit ex maximis cæli, cum longitudine sua totum cęlum cingat; & in duo secet, cum magna latitudine, per Geminos, & Sagittariū transeundo foret, quod dum Sol per Geminos, & Sagittarium transiret, & sub se illam exhalationem ex directo haberet, illam consumaret, & disciparet, quod tamen cernitur falsum &c.

Tertio, quia sub alijs partibus cæli stelliferis comparerent similes exhalationes si non tam magnæ, paruiores, & si non tā frequenter, aliquando saltem.

Quarto, quia non ab omnibus sub eisdem stellis videretur, sicut nec Cometa, & alia quæ in aere fiunt sub eisdem stellis cernuntur, sicut accidit viæ lacteæ.

Dicendum est ergo, quod hic circulus lacteus est in octaua sphera, & voluitur eodem motu quo ipsa ab Occasu in Ortum, per vnum gradum, spatio centum annorum. Causatur, autem ex minutis stellis existentibus, in illa parte, quæ ob suam paruitatem non possunt bene a nobis figurari, & quia parum distant, inter se lumen reflectunt, & coniungunt, & ita videntur formare lacteum illum circulum, qui in summa non est, nisi lux multarum stellarum minutarum, quæ se percutit, & simul coniungit. Non habet autem formam proprie circuli, sed cuiusdam magnæ zonæ, quasi geminatæ, & inæqualitatem habentis. Et ita docet Ptolomæus lib. 8. magnæ constructionis, & consentiunt omnes Astronomi, & Philosophi præcipui.

Ad primum ergo argumētum dicitur, quod Cometa & si quandoque sub aliquo syde re generetur, euanescit tamen tandem, & deficit, circulus autem lacteus nunquam defecit, nec varietatem passus est.

Ad secundum negamus assumptum, quia etiam in cælis datur longitudo, latitudo, raritas, & densitas, non quidem ex eisdem principijs. s. ex qualitatibus contrarijs, sed ex dispositione, & natura ipsorum, vt suo loco docuimus.

DVBIVM XLVIII.

An stellæ firmamenti habeant longitudinem latitudinem, & declinationem.

Videtur quod non. Nam superficies est illa quæ habet longitudinem, & latitudinem. At firmamentum, non est superficies. Ergo non est dicendum quod habeat longitudinem, & latitudinem.

Hæc difficultas parua est, & tantum consistit in explicatione terminorum. Scito igitur quod latitudo stellarum differt ab eorundem declinatione, quod latitudo est distantia à linea ecliptica sub qua Sol transit, & à qua parum recedunt planetæ, & hæc est duplex. s. Septentrionalis, & Australis secundum quod stella appropinquat arctico, vel antarctico. Hæc autem est tanta, quanta est arcus circuli maximi per polos Zodiaci, & centrum stellæ transeuntis, quapropter circulus latitudinis dicitur interseptus inter eclipticam, & verum locum stellæ.

Declinatio vero stellæ mensuratur circulo maximo, per polos mundi, & centrum stellæ transeunte, vnde tanta est declinatio quantus est arcus huius circuli inter æquatorem, & stellam, nam declinatio stellę est distantia ab æquatore; v. g. Cor leonis distat à primo puncto Arietis 124. gradibus, nam est in 24. gradu Leonis, gradus autem 24. Leonis distat à 1. gradu Arietis 124. grad. Hinc sequitur longitudo stellæ, quæ itidem sumitur à principio Arietis secundum successionem signorum vt supra. Altitudo autem meridiana cuiusque stellæ est arcus meridiani circuli interseptus inter Horizontem, & stellam in meridiano circulo cōstitutam, dummodo ille arcus quadrantem non superet, sed sit quadrans, vel eo minor.

Ad argumentum dicitur, quod etsi cælum non sit superficies præcise, habet tamen superficiem.

DVBIVM XLIX.

An dentur duo colures in octaua sphera.

Videtur quod non. Nam vnus dicitur colurus solstitiorum, & alter æquinoctiorum. At ista sunt diuersa. s. diuidere solstitia, & æquinoctia. Ergo si vnus illorũ dicitur colurus, alter talis dici nequit. Diuersa enim eodem titulo non dicũtur.

In contrarium est communis consensus Astronomorum.

Dicendum est ergo, quod in sphera dantur duo magni circuli, vnus quorum distinguit solstitia, vnde colurus distinguens solstitia transit per polos mundi, & per polos Zodiaci, quare primus punctus Cancri in quo colurus intersecat Zodiacum dicitur solstitium æstiuale; & tunc Sol est in maxima sua altitudine supra caput nostrum, vnde dicitur in Zenith. i. in summa altitudine respectu nostri. Ex alia vero parte intersecat Zodiacum in primo puncto, seu gradu Capricorni, & tũc dicitur facere solstitium hyemale. Ex vtraque autem parte Sol habet maximam sui declinationem: nam arcus coluri qui cadit inter punctum solstitij æstiualis, & æquinoctialem dicitur maxima Solis declinatio, & secundum Ptolomeum est 23. graduum, & 50. minutorum. Et ita primus punctus Capricorni vbi incipit circulum suum colurus vsque ad æquinoctialem dicitur alia maxima solis declinatio, & est æqualis priori.

Secundus autem colurus dicitur colurus æquinoctiorum, & hic transit per polos mundi, & per prima puncta Arietis, & Libræ in quibus sunt duo æquinoctia, vnde dicitur colurus distinguẽs æquinoctia. Isti autem duo coluri. s. solstitiorum, & æquinoctiorum intersecant sese super polos mundi, ad angulos rectos sphærales, vt in sphera materiali, quæ præ manibus habenda est, de facili videri potest.

Notandum est autem primo circa ætimologiam huius nominis colurus, quod Io. de sacro Bosco dixit, ætimologiam huius nominis trahi à cauda bouis siluestris quæ erecta facit semicirculum non perfectũ. Sed verior interpretatio est, quod à termino Græco coluros venit, significante mutilum, & imperfectum, quia hi circuli apparent semper mutili, & imperfecti habitãtibus in sphera obliqua, quia nunquam eorum omnes partes simul videntur, quoniam vna pars ipsorum non oritur supra Horizontem, quia cum in sphera obliqua vnus ex polis occultetur, ita vna pars coluri quæ circa polum est occultatur, quod non accidit alijs circulis, quia si vna pars illorum supra Horizontem ascendit, in totali reuolutione toti orientur. Accidit tamen quandoque quod toti occultantur, & quandoque toti cernuntur. Hinc deducitur, quod quo adhanc partem omnes circuli magni mobiles, qui per polos mundi incedunt, possunt vocari coluri, idest, mutili, ac imperfecti, quia nunquam omnes eorum partes supra Horizontem in sphera quacunque obliqua ascendunt.

Secundo. Notandum venit quod hoc nomẽ solstitium videtur significare statum Solis, quasi quod sol in initio Cancri, & Capricorni sistat, & non moueatur, non sic tamen est, cum Sol semper moueatur, ideo dicitur solstitium non à stando, sed à paruo, & pauco motu, tunc effecto, quoniam Sol tunc tarde mouetur.

Tertio. Notandum venit multa esse officia Solstitiorum. Primum est, quod diuidunt quatuor puncta principalia Zodiaci, ac ostendunt, quæ puncta dicuntur Cardinalia, & initia quatuor principalium mutationum anni. s. Veris per Arietem, Aestatis per Cancrum, Autumni per Libram, & Hyemis per Capricornum.

Secundum est, quod in coluris est finis ascensus, & descensus Solis, nam in initio Capricorni incipit ascendere, in principio Arietis medium ascensum consumauit, & in vltimo Gemini, succedente primo Cancri gradu, ascensum suum terminauit, vnde in primo gradu Cancri incipit descendere, in primo Libræ medium descensus terminat, & in vltimo gradu Sagittarij succedente deinde primo gradu Capricorni, descensum suum finiuit. Quare a principio Capricorni vsque ad primum gradum Cancri dicitur ascendens cęli, & à principio Cancri, vsque ad primum Capricorni exclusiue, dicitur descendens cæli.

Tertium est, quod distinguit duodecim signa Zodiaci in duas partes. i. in signa quæ in sphera obliqua Boreali rectè ascẽdunt,

dunt, quæ sunt Cancer, Leo, Virgo, Libra, Scorpius, & Sagittarius. Et in signa quæ in eadẽ sphæra oblique ascendunt, quæ sunt Capricornus, Aquarius, Pisces, Aries, Taurus, & Gemini, vt infra ostendetur.

Quartum est, quod colurus distinguens solstitia, maximas declinationes Solis metitur, quæ à diuersis diuersimode obseruatæ sunt. Nam Ptolomeus maximam declinationem Solis, vltra quam ab æquatore non declinat, sed post eam iterum ad æquatorem reuertitur, dixit esse gradi 23. m. 51. sec. 20. Mahometes Aratensis grad. 23. m. 25. Arzael Hispanus grad. 23. m. 24. Prophatius Iudæus gr. 23. m. 32. Ioannes monte Regius gr. 23. m. 30. Dominicus Maria Italus gr. 23. m. 29. Nicolaus Copernicus 23 m. 28. opinio autem monte Regij magis recepta est apud Astrologos. Vide Clauium tit. de duobus coluris, & ab eo habebis exempla, &c.

Quintum. Colurus solstitiorum mensurat quoque distantiam polorum Zodiaci, à polis mundi, quia tanta est distantia, quãtus est arcus coluri solstitiorum inter duos polos. s. polum mundi, & polum Zodiaci, nam hæ duæ distantiæ sunt ęquales. i. distantia polorum, & maximæ Solis declinationis, itaque tanta erit distantia inter hos polos, quanta est maxima declinatio Solis, quoniam vtraque fit in eodem coluro.

Sextum. Colurus solstitiorum qui secat æquatorem ad angulos rectos, ac eclipticam ad angulos obliquos, duo puncta æquinoctialia demonstrat. Sed quoniam quædam diuersitas circa ipsos accidit, ideo ad sciendam veritatem, & causam etiam, nouę correctionis anni, factæ à Gregorio XIII. anno Dñi 1582. qui ab anno decem dies demit, & ęquinoctium ad diem 21. Martij reduxit, vt ad ipsum fuerat anno Domini 325. tempore Concilij Niceni.

Sciendum est, quod Hipparchus ante Christum natum annis 145. inuenit ęquinoctium vernum accidere circa diem 23. Martij. Autumnalem die 26. Septembris, solstitium ęstiuum 25. Iunij, & vernale 24. Decembris. At Ptolomeus qui fuit post Christum natum anno 140. reperit ęquinoct um vernum esse die 22. Martij, Autumnale 25. Septembris, solstitiũ ęstiuum 25. Iunij, & vernale 23. Decembris. Hęc autem diuersitas orta est, quoniam Iulius Cæsar (quẽ ecclesia Romana est secuta) plus anno tribuit, quam ei esset tribuendum, constituit enim annum Solarem ex diebus 365. & horis. 6. quæ per quatuor annos vnitæ faciunt vnum diem bisextilem, additum 28. Februarij; ita vt tunc habeat 29. dies, cum soleat solum habere dies 28. Sed annus solaris vere tantus non est, quia secundum computationes Alphonsi Regis, continet solum dies 365. & horas. 5. M. 49. sec. 16. adeo, vt annus Cæsarianus, & Romanus vere superet annum verum m. 10. vnius horę, & sec. 44. ex quo in omni anno 400. fere dies tres faciat, non vere à motu Solis factos. Itaque corrigendus erat annus, quia si non fuisset correctus contigisset, vt in spatio annorũ 24500. æquinoctia & solstitia vicissim se permutarent, ita vt Ver incideret in Septemb. Autumnus in Martium, Hyems in Iunium, & Aestas in Decembrium quando Christus natus est.

Ad argumentum ergo dicitur, quod nomen genericum pluribus conuenire potest speciebus; & specificum pluribus indiuiduis non autem nomen vnius speciei, alteri speciei. Modo colurus est nomen genericum, vnde potest duobus conuenire coluris. s. æquinoctiorum, & solstitiorũ.

DVBIVM L.

Vtrum in cælo detur circulus meridianus.

Videtur quod non. Nam meridianus dicitur à meridie, seu medio die. Sed dies non incipit à meridie, sed ab ortu Solis secundum illud. Dum Sol est super terram, dies est. Ergo non meridianus, sed lucidialis dandus erat.

In contrarium est communis sententia omnium Astrologorum.

Notandum est ergo primo, quod circuli maiores sunt in duplici differentia. Nam quidam dicuntur intrinseci, quia ex ipsis cõponitur sphera, & mobiles sunt, de quibus diximus. Alij vero dicuntur extrinseci, & immobiles, quia vere non sunt in cęlo, sed designantur in eo per ordinẽ ad terrã secundum quod sydera occidũt, vel oriuntur super terram, & horũ vnus dicitur meridianus, quia quando Sol est in eo

puncto, in quocunque anni tempore dicitur tunc meridies, seu circulus medij diei, quia diem diuidit in duas partes æquales. Alter dicitur Horizon de quo infra.

Secundo sciendum est, quod Meridianus dicitur circulus, transiens per polos mundi, & per Zenith capitis nostri, cuius media pars est super terram, & alia subtus. Differt autem à supradictis circulis. Primo, quia supradicti circuli secundum imaginationem nostram mouentur cum sphera, at meridianus intelligitur, vt immobilis. Secundo sunt vnus circulus quilibet illorum, at meridiani sunt multi, quoniam quilibet locus habet suum meridianum, immo & persona quælibet, quoniam & locus, & persona habent suũ Zenith. Imaginãdum est igitur, quod longitudo cęli ab Occidente desumitur, per lineam deductam in Orientem. i. ad illam partem in qua oritur Sol dum est in æquinoctio, illa enim dicitur Oriens, & summa meridies, & illa in qua occumbit occidua. i. eo tempore quo reperietur in primo pũcto Arietis, & Libræ, in quibus duobus punctis æquinoctium facit. Latitudo vero cęli accipitur ab vno polo ad alium polum. s. ab Arctico ad Antarcticũ. Astronomi ergo & Cosmographi inceperunt mensurare longitudinem terrę ab insulis fortunatis quę sunt occidentales, (quoniam existimauerunt vltra eas non esse terram, sed tantum aquam Oceani,) & versus orientem lineam direxerunt in longitudinem 180. graduum, & deinde ab vno polo ad alium, aliam direxerunt lineam 38. gradu m, tantam existimantes esse latitudinem terrę notam. Ex hac autem longitudine, & latitudine terræ dedu xerunt distantias inter ciuitates; & meridianos diuersos, secundum quod vna est altera Orientalior, vel minus Orientalis.

Tertio, tamen sciendum quod diuersimode notati sunt meridiani, nam secundum Proclũ meridianus dupliciter sumi põt. Primo, Geometrice, & sic quilibet locus, & quælibet persona habet suum meridianum distinctum, si est altera Orientalior. Secundo physice, & sensibiliter, & sic dicit quod meridiani nõ variantur, idest diuersitas ortus, & occasus solis, nisi ciuitates illa, vel personæ, & res distent per 300. stadios, qui sunt milliaria Italica 37. cum dimidio, quia in tanto spacio incipit sensus deprehendere aliquam differentiam inter puncta verticalia ad Solis ortum, quare cum totus ęquator comprehendat min. 21600. & quilibet meridianus per duo minuta ex diametro opposita incedat, in totum erunt in cæli ambitu constituendi 300. meridiani, & hinc est, quod si vna ciuitas non sit magis Orientalis quam alia 36. minutis dicentur habere eundem Meridianum. Sed Cosmographi cum Ptolomeo per polos mundi, & singulos gradus Æquatoris describunt circulos meridianos, qua de re erunt meridiani 180. quoniam quilibet transit per duos gradus oppositos, vnde cum gradus cæli sint 360. meridiani, qui vt diximus transeunt per duos gradus oppositos erunt 180. nam bis 180. faciunt 360. Hinc incipiunt primum meridianum ab insulis fortunatis occidentalibus, quæ modo Canariæ appellantur, (cũ vltra eas non existimauerint esse terrã.) & sunt propè Africam, & Lusitaniam, & sic deinceps accipiendo semper duos oppositos gradus multiplicant meridianos. At Cosmographi vtentes mappis mundi solent solum 12. meridianos describere, quoniam terrã in 24. partes æquales diuidunt, forsitan ob hanc causam, quod inter quoslibet duos proximos intercipiantur gradus qui vnam horam efficiunt, vnde si vna ciuitas in mappa mundi distet ab alia versus orientem tribus meridianis, distabit etiam tribus horis, eleuatione Solis.

Quarto progrediendum est vlterius, & pensandum, quod omnes meridiani cum deducantur ab Austro in Septentrionẽ transeunt per æquinoctialem, transeundo de vno puncto, ad aliud punctum ei oppositum. Quomodo autem linea meridiana inueniatur in vnoquoque loco dicemus alibi.

Quinto igitur æstimandum est, quod officia meridiani sunt ista. Primum est, quod diem diuidit quo ad meridiem & mediam noctem in suas partes æquales, diuidendo diem in tempus ante meridianum, seu matutinum, & in pomeridianum siue vespertinũ, & ita noctem in horas ante mediam noctem, & post mediam noctem.

Secundum est, quod omnia astra dum sunt

in

in meridiano, sunt in maiori sua altitudine possibili, vnde meridies dicitur linea medij cæli, Cuspis Regalis, Cardo Regius, medium cæli, decima domus dignitatum, &c. post Meridianum enim declinant, & quoniam in meridiano feriunt terram per minus obliquos angulos, & magis directos hinc est, quod maiorem, tunc vim adipiscuntur, & vehementius alterãt inferiora, vt patet in Sole, qui in meridie magis calefacit.

Tertium est, quod in meridiano collocatur Zenith, seu vertex cuiusque regionis, vnde per meridianum de facili metimur distantias astrorum, quando fuerint in meridiano, & mensurabimus interualla omnium circulorum parallelorum, & a nostro vertice, & inter se.

Quartum est, quod nobis indicat quanta sit Solis, & aliorum syderum altitudo, nam dum sunt in meridiano, sunt in maiori altitudine possibili supra Horizontem, quę tamen non potest esse maior quadrante. i. 90. gradibus.

Quintum est, quod Astronomi à meridiano incipiunt diem naturalem, & non ab ortu Solis vt fecerunt olim Babilonij, & nunc faciunt Insulæ Baleares, idest, Maiorica, & Minorica. Nec ab occasu Solis vt Athenienses: Nec à media nocte vt Ægiptij, & ecclesia Romana. Ab altitudine igitur Solis in meridiano Astronomi diem naturalem incipiunt, quoniam Sol, & Astra semper eodem modo se habent respectu meridiani, in quacunque regione, non sic respectu Horizontis, qui mirum in modum variatur, ratione maioris, & minoris eleuationis poli supra Horizontem,

Sextum est, quod inuenta altitudine Solis meridiana de facili deprehenditur eleuatio poli in quacunque regione, nam in Zenith cuiuslibet regionis ad Horizontem interijcitur quadrantis circuli 90. grad. Dato ergo quod Sol in punctis æquinoctialibus existat, tunc si auferatur ab eo ex 90. altitudo meridiana, quod superest erit eleuatio poli, i. distantia inter Zenith & æquinoctialem circulum. V. g. altitudo meridiana Venetijs tempore æquinoctiorum cernitur esse 45. grad. tunc his detractis ex 90. remanebunt 45. quare altitudo poli Venetijs erit 45. i. distantia ab æquinoctiali. Altitudo autem meridiana Solis accipitur per Astrolabiũ quadrantem, & annulum, & per umbram alicuius gnomonis, de qua re vide Clauium tit. de meridiano circulo, & omnes alios Astrologos scribentes super spheram Io. de sacro bosco.

Septimum est, quod meridianus in omni regione est veluti Horizon in qualibet sphera obliqua. i. meridianus in qualibet sphera obliqua præstat idem quod Horizon rectus in sphera recta, hinc Astronomi diem à meridie deducunt, cum meridianus sit regularior, quam Horizon.

Octauum est, quod habet insignem vsum in Cosmographia, quoniam munere eius Cosmographi metiuntur longitudines, & latitudines ciuitatum. Vide Clauium vt supra.

Ad argumentum ergo dicitur, quod secundum Astronomos dies incipit à meridie, secundum vulgum vero ab ortu Solis, secundum quem sensum locutus est Dominus.

DVBIVM LI.

Vtrum detur in cælo circulus Horizontis.

VIdetur quod non. Nam Horizon dicitur circulus magnus diuidens cælum in duas partes æquales, ita vt vna semper cadat sub visu nostro. Sed hoc fieri nequit. Primo, quia oculus noster sic videret simul terram totam, quod non est factibile. Secundo, quia dato quod hoc esset possibile ex parte potentiæ, esset impossibile ex parte visi, quia terra non est tota plana, sed diuisa in montes, planities, valles, &c. Ergo falsa est imaginatio Horizontis hoc modo, quod in terra possit media pars cæli videri, quæ totam terram tegat.

In contrarium est communis consensus Astrologorum, connumerantium Horizontem inter circulos maiores.

Pro intelligẽtia igitur huius quęsiti notandũ est primo, quod Horizon dicitur circulus magnus, extrinsecus, & immobilis, diuidens inferius Hemisphærium, a superiori.

Primo ergo diximus eum esse circulum magnum, quare ly circulus ponitur loco generis, quia quidã sunt circuli maiores, & quidam minores, vt supra diximus.

Secundo

Secundo diximus esse circulum extrinsecum, quia non intelligitur esse in cælo, nisi prout terminat nostrum visum, quoniam visus videt eam partem quæ est supra terram, & eam vocat Horizontem, idest, terminatorem visus, seu circulum Hemisperij nostri.

Tertio diximus & immobilis, quoniam Horizon debet esse rectus ad meridianum in omni climate, Horizon autem non potest esse rectus ad meridianum si moueatur, & meridianus stet immobilis, quapropter sicut meridianus est immobilis, ita talis esse debet & Horizon, & ideo tot erunt Horizontes, quot meridiani.

Notandum est autem primo, quod duplex est Horizon. Primus dicitur rōnalis, quia ratione deducitur. s. quod dum media pars cæli est super terram, alia medietas sit sub terra, siue sit oculus qui hoc videat, siue non, conuenit enim cælo mobili circa terram secundum se. Secundus dicitur sensibilis, quia sensu percipitur. Se hoc secundo non loquimur, quoniam potentia nostra visiua non potest vltra quoddā spatium penetrare. Quod spacium dixit Macrobius esse stadiorū 180. idest milliariorum 22. cum dimidio. Erathostenes stadiorum 350. i. milliar. 44. fere. Albertus Magnus Stad. 1000. i. mill. 125. Proclus stad. 2000. i. milliar. 250. Secundum alios stad. 500. i. milliar. 62. cum dimidio. Quæ tamen non valent absolute, cum stellas videamus, quæ longissimo tractu ab oculis nostris distant, & cū instrumento his nostris temporibus reperto per 300. & amplius milliaria in mari videamus, vnde currit de visu nostro, secundum se aliquid discernente secundum propria eius.

Secundo notandum venit, quod duplex datur Horizon. Primus dicitur rectus, & hunc habent qui viuunt sub æquinoctiali, quia illorum Horizon transit per polos mundi diuidendo æquinoctialem, ad angulos rectos sphærales, & hi habent suum Zenith in æquinoctiali, & habitant sub æquinoctiali. Secundus dicitur obliquus, quia intersecat æquinoctialem ad angulos impares, & obliquos, & hunc tenent qui extra æquinoctialem vitam degunt, & ad polos accedunt, his enim Horizon oblique nascitur, vt nobis, ad arcticum polum accedentibus, quare Zenith capitis nostri semper erit polus Horizontis.

Tertio notandum venit, quod multa sunt officia Horizontis. Primum est, quod diuidit cælum in duo hemispheria æqualia. i. in superum visum, & inferum occultum.

Secundum est, quod est causa sphæræ rectæ, & obliquæ, nā facit quod habitantes sub æquinoctiali habeant Horizontem, & spheram rectam, & habitantes extra æquinoctialem eam habeant obliquam, tanto magis quanto ab æquinoctiali recedūt, & ad polos accedunt, vnde maior eleuatio poli obliquiorem facit Horizontem.

Tertium est, quod causat inæqualitatem, & æqualitatem dierum, & noctium, nam his qui sub æquatore sunt, facit, quod perpetuo dies noctibus sint æquales. Illis vero qui versus polos morantur causat, quod habeant dies, & noctes inæquales, præter tempus æquinoctiorū, quia quantomagis Sol accedit ad polum, tanto longiores ducit dies, & breuiores facit noctes, & econtra quanto magis Sol recedit à proprio polo. i. à polo habitantium sub eo accedēdo magis ad oppositum polum, tanto diuturniores traducit noctes, & abbreuiat dies.

Quartum est, quod ostendit moram omniū stellarum supra, & subtus Horizontem. Nam si æqualiter diuidat spheram, vt facit habitantibus sub æquinoctiali, ostendit eis tantum stare stellam supra Horizontem, quantum subtus, i. 12. horas supra, & 12. subtus. Si vero inæqualiter diuidat spheram, & Horizon consequenter sit obliquus stellæ, quanto magis ab æquatore recedunt, & ad polum propriū accedunt, tanto longiorem moram supra terram trahunt, adeo vt quæ prope polum sunt, nunquam his. i. habentibus illum polum pro proprio occidunt, sicut existentes sub opposito polo his numquā oriuntur. Quæ vero magis æquatori appropinquant, ex vna vel altera parte poli, tanto magis supra terram stant, secundum quod magis ab æquatore recedunt, polo proprio appropinquantibus.

Quintum est, quod multum iuuat Cosmographis, quia ad Horizontem referuntur altitudines poli, &c.

Ad argumentum dicitur, quod procedit de Horizonte sensibili, nos loquimur de rationali, quare non sensus, sed ratio postulatur circa hoc.

Secundo

Secundo dicitur, quod Horizon ostendit medietatem cęli deductis impedientis montium, vallium, &c. vnde in magno campo, vel in mari vasto possibile erit videre medietatem cæli dirigendo oculum in circulum. Immo dato quod quis stando supra montem excelsum videret plusquam medium cæli, tamen ipsum non videret supra terram, nisi secundum medietatem, & sic secundum illam diceretur Horizon.

DVBIVM LII.

An præter circulos maximos, dentur alij quatuor circuli minores in cælo.

Videtur quod non. Nam circulus est figura rotunda. At Sol accedendo V. g. ab æquatore ad tropicum Capricorni, non describit circulum, & ita dic de alijs. Ergo male ponuntur hi circuli minores in cælo

In cõtrarium est communis sententia Astronomorum, qui præter enumeratos circulos maximos, alios quatuor minores ponunt. S. circulum tropici Cancri, qui dicitur tropicus æstiualis, & tropicus Capricorni, qui dicitur tropicus hyemalis. Circulus arcticus. i. poli arctici, & circulus antarcticus. i. poli antarctici.

Primus ergo circulus minor dicitur circulus tropici Cancri, qui æqualiter distat ab æquinoctiali. i. per gradus 24. Imaginandũ est ergo quod dum Sol ab Ariete ad Cancrum pergit, semper ascendit, vsque ad primum gradum Cancri, ad quem cum peruenerit incipit retrocedere, idest, declinare iterum ad æquinoctialem, sed in signo libræ, ad cuius signi punctum primum cum deuenerit, semper descendendo versus polum antarcticum, pergit vsque ad primum punctum Capricorni, & tunc incipit de nouo versus nostrum polum ascendere. Est igitur pensandum, quod dum Sol fuerit in primo puncto Cancri, & mouetur circulariter circa terram, tunc describit quendam circulum circa polum arcticum, qui est polus noster, & hic dicitur circulus tropici Cancri, idest, circulus quem facit Sol dum est in primo gradu Cancri, quoniam tunc est in maxima altitudine supra Zenith capitis nostri, & amplius non ascendit, nec vlterius elongatur ab æquatore, sed versus eum descendit. Hoc idem quod diximus de circulo tropici Cancri, dicendum venit de circulo tropici Capricorni, qui ex opposito correspondet tropico Cancri. Dicamus ergo quod Sol dum est in Ariete, & per Taurum, & Geminis transit ad primum gradum Cancri facit quandã quartam partem circuli, adeo vt primus gradus Arietis sit initium ascensus, & dicatur punctum æquatoris, quia tunc æquat dies cum noctibus, & secunda quarta huius circuli incipiat a primo gradu Cancri, tunc enim incipit descendere versus Libram, vnde primus gradus Cancri erit Solstitium æstiuale, & tropicus Cancri, idest, conuersio Solis versus æquatorem in signo Libræ & medius circulus, & alius medius æqualiter erit à Libra ad Capricornum descendendo, & à Capricorno ad Arietem ascendendo.

Secundus ergo circulus minor erit Capricorni tropicus, qui & Solstitium hyemale nuncupatur. Fit enim modo quo supra, quia imaginamur primum punctum Capricorni ad motum diurnum primi mobilis efficere quendam circulum (sicut omnes aliæ stellæ suo modo faciunt) qui secundum omnes suas partes æque distat à polo antarctico, non distans ab æquinoctiali amplius quam 24. grad. sicut etiam diximus distare circulum tropici Cancri.

Tertius circulus minor dicitur poli arctici, qui intelligitur distare a polo arctico 24. grad. & fieri à polo Zodiaci dicto arctico ex hoc, propterea quod intelligitur reuolui circa polum arcticum. i. consideramus in motu cæli circulari quod circa polum sit quidam circulus factus ex circulatione circa ipsum suarum partium, nam poli sunt secundũ se immobiles. Ex opposito stat circulus antarctici poli ex eadem ratione, & motu factus, & in sphera materiali de facili conspicitur.

Officia autem horum circulorum sunt. Primum, quod tropici includunt viam Solis, quoniam vltra eos Sol non euagatur, sed cum venerit ad eos incipit retrocedere vt diximus.

Secundum est, quod polares circuli determinant distantiam polorum Zodiaci à polis mundi, & includunt versus polos mundi regiones quæ diuturniorem traducunt noctem, & diem vnam, quam 24. horarum, & conficitur ex pluribus diebus.

Tertium

Tertium est, quod duo tropici, & duo polares circuli tam in cælo, quam in terra faciunt quinque Zonas, vt infra.

Ad argumentum diximus, quod circulus magnus causatur ex motu Solis ab eodē puncto, ad idem punctum, sicut probat argumentum, at circuli solstitiorum bifariam considerari possunt. Primo, secundum motum Solis per gradus Zodiaci, & sic non faciunt circulum integrū, vt sup. Secundo, vt intelligūtur in primo puncto Cancri, & Capricorni moueri à primo mobili circulari motu circa terram, & sic faciunt circulos, vltra quos Sol non procedit, sed in ipsis incipit retrocedere.

DVBIVM LIII.

An dentur quinque Zonæ in cælo.

Videtur quod non. Nam Zonæ in cælo consideratæ accipiuntur per comparationem ad terram, vnde quædam dicuntur habitabiles, & quædam inhabitabiles. Sed hoc videtur figmentum, cum terra comparetur cęlo, vt punctum, punctum autem non habet latitudinem, nec diuisionem, sed in indiuisibili consistit. Ergo vane distinguimus has Zonas.

In contrarium est communis animi conceptio Astronomorum.

Sciendum est ergo primo, quod quatuor circuli minores inter se sūt paralleli. i. æque distantes, non quod vnus non sit vni vicinior, quam alteri; V.g. Tropicus Cancri, tropico Capricorni, quam circulo poli antarctici, cum sit vltra Capricornum versus polum, sed quia tantum distat antarticus à suo polo, quantum articus à suo. & sic tropicus Cancri à tropico Capricorni quantum econtra. Ex his igitur quatuor circulis quinque Zonæ consurgunt, quia intelliguntur diuidere cælū in quinque partes, quæ dicuntur zonæ, in ordine ad terram, vt habere dicitur diuersas partes sub cælo constitutas.

Secundo ergo deducimus quod prima zona dicitur esse inter tropicum Cancri, & tropicum Capricorni, & hanc vocant torridam, seu ardentem, quia est sub Sole percurrente semper super hanc zonam terrestrem, vnde dicunt eam esse inhabitabilem, quod tamen esse falsum probabimus, cum de elemento terræ dicemus, & quæremus, an sub æquatore detur habitatio, (æquator enim est in hac zona. s. inter tropicum Cancri, & Capricorni, nauigatio enim Hispanorum deprehendit hanc partem esse habitabilem, & temperatam.

Secunda zona dicitur esse sita inter tropicum Cancri, & circulum arcticum, procedendo versus Septentrionem, & hæc dicitur habitabilis, & temperata, quia stat inter torridam, & frigidam, idest, inter eam quę versatur inter tropicum Cancri, & Capricorni, quæ torrida dicitur, ex vna parte, & illam quæ est sub polo arctico, quæ cum maxime à Sole elongetur dicitur frigida, & inhabitabilis. Quare tertia zona ex hac parte erit illa quæ est sub polo arctico, seu eius circulo, quæ cum maxime à Sole distet, dicitur esse inhabitabilis, quod tamen affirmat esse falsum Olaus Gothus, saltem vsque ad eius medietatem. Quarta zona constituitur inter tropicum Capricorni, & circulum antarcticum, & hæc dicitur temperata, & habitabilis, eadem ratione, qua diximus hæc conuenire secundæ zonæ, quia. s. mediat inter zonam torridam, & frigidam, constitutam sub polo antarctico, quæ ob elongationem Solis etiam ipsa dicitur inhabitabilis.

Si quis autem obijciat zonam sub arctico existentem esse quidem frigidam, vt venti qui ab ea spirant Borea, & Aquilo comprobant, non vero zona sub antarctico, quia venti ab ea parte spirantes sunt multum calidi, dicimus, ventos quoque incipientes à circulo antarctico esse frigidos secundum se, sed ex medio per quod transeunt calefieri, nam transeunt per zonam Capricorni, quæ magis calet, quam Cancri, & per torridam quæ dicitur ardere, & ventos calefacere. Compertum est enim quod venti etiam secundum se frigidi si transeant per loca ardentia calent, & calidi si transeant per frigida frigent.

Tertio considerandum venit, quod quælibet zona habet suam latitudinem à Borea, in Austrum, & habet suam longitudinem ab occasu in ortum, sed diuersimode. Nam latitudo est semper eadem à quacunque parte incipias; quia continetur inter duos circulos æque distantes. Sed longitudo non est eadem, quia circa æquatorem maior est, & latior, quam

circa

circa polos, cũ circa eos paralelli semper fiant minores. Latitudo autem cuiuslibet zonæ sic habetur. Tropici enim distant ab æquatore grad.24.seu grad.23.min.30. quare 23.m.30. ex parte poli arctici, & 23.m.30. ex parte poli antarctici faciunt 47. igitur latitudo totius zonæ torridæ à tropico Caneri, ad Capricorni tropicum erit grad. 47. qui gradus faciunt milliaria 2937. vnde erit lata tot milliaribus. Quoniam autem vterque circulus polaris recedit à polo mundi vicino grad.23. mi. 30. ideo tanta erit latitudo zonæ frigidæ arcticæ, & antarcticæ. i. milliariorum, 1468. Si autem ex 90. quæ est 4. cæli subtrahas distantiam circuli polaris à polo, & tropici ab æquatore quæ in totum est 47. grad. habebis quod remanebit latitudo vtriusque zonæ gra.33. qui faciunt milliaria 2687. Longitudinem vero reperies per proportionem æquatoris ad quẽcunque parallelũ; s. inueniendo gradus paralleli ex 360. quos Æquator continet.

Quarto sciendum est etiam, quod de facili sciemus in qua zona sit qualibet ciuitas constituta, inspiciendo circulos parallelos in mappa mundi positos, & terram in quinque partibus, seu zonis diuidendo, vnde omnes ciuitates existentes inter duos tropicos dicentur esse in zona torrida, existentes inter tropicos, & circulos polares ex vtraque parte in temperata. & sub polis in frigidis. Sine Mappa mũdi vero scies, quod omnis ciuitas quę habet minorem latitudinem quam grad.23. m.30. est in zona torrida, & vltra erit in zonis temperatis vsque ad grad.66. m.40. & vltra erit sub polis vsque ad grad.90.

Ad argumentum dicitur, quod terra bifariam considerari potest. Primo in ordine ad totum cælum, & sic se habet vt quid minimum in ordine ad ipsum cum fere improportionabiliter cælum excedat molem terræ. Secundo vt dicit ordinem ad Solem prout directe ferit, vel non caput nostrum, & dicitur esse in nostro Zenith, vel non, & sic dicimus in cælo esse quinque zonas, quibus correspondent quinque terræ partes, à Sole diuersimode inspectas & irradiatas, ex qua irradiatione diuersa consurgit, ita quod quædam zona dicitur torrida, duæ temperatæ, & duæ in extremo frigidæ, & inhabitabiles.

DVBIVM LIV.

An dentur varij ortus, & occasus stellarum.

Videtur quod non. Nam oriri, & occidere conuenit viuentibus, qui vitam accipiunt, & ea priuantur. At stellę non viuunt. Ergo eis non conuenit nec ortus, nec occasus.

In contrarium est placitum omnium Astronomorum, & experientia. Patet enim quod quædam oriuntur supra terram, & quædam occidunt sub terra, idest sub ea absconduntur.

Primo ergo notandum venit circa hanc difficultatem, quod diuersimode loquuntur de ortu, & occasu Poetæ, & Astronomi. Nam secundum Poetas triplex est ortus, & occasus. Primus dicitur Cosmicus & mundanus, & hic est stellæ cum Sole orientis, & occasus Cosmicus & mundanus est illius stellæ, quæ dum Sol in oriente consurgit, ipsa in occidente occidit. Secundus dicit Chronicus ortus, & temporalis, & hic est stellæ exorientis dum Sol sub terra se abscondit. Occasus vero est stellæ cum Sole occidentis, & hoc proprie loquendo de ortu & occasu chronico, & temporali, nam impropríe omne signum, & stella occidens dum Sol est sub terra dicitur occidere, temporaliter, & chronice. Tertius dicitur ortus Heliacus, & hic est signi, vel stellæ prius lumine Solis offuscatæ, quæ deinde primo apparet, cum ab ea recedit, & ita occasus Heliacus, est offuscatio stellæ, quæ cum non multum distet à Sole, eius radijs adumbratur.

Loquendo autem de ortu, & occasu stellarum secundum Astrologos, qui dicuntur ascensio, & descensio signorum; & stellarum, vt hoc melius percipiatur necesse est prius duo scire. Primum est, quod æquinoctialis circulus, secundum omnes suas partes eleuatur vniformiter supra Horizontem tam rectum, quam obliquum, sic, quod in tẽporibus æqualibus æquales arcus æquatoris ascendant supra Horizontem. Probatur dupliciter. Primo, Qualis est primus motus, talis erit & eius regula. Sed motus diurnus est vniformis in omni Horizonte,

zonte, & regularis. Ergo æquator qui est primi motus regula, & mensura, mouetur circa eosdem polos, circa quos totum cælum circumuertitur, scilicet circa polos mundi, necesse erit vt in quacunque sphera emergat vniformiter supra Horizontem secundum omnes suas partes. Secundo, quia æquator, & Horizon faciunt eosdem angulos, cum recto rectos, cum obliquo obliquos. Deprehensumque est singulis horis dum quindecim gradus æquatoris supra Horizontem ascēdunt, totidem descendunt; & spatio quatuor minutorum vnius horæ eleuari, & deprimi gradum æquatoris.

Secundum est, quod Zodiacus alio modo se habet, nam si æquator ascendit vniformiter supra Horizontem, secundum omnes suas partes, Zodiacus tam in sphera recta, quam in obliqua non ascendit vniformiter secundum omnes suas partes supra Horizontem, probatur dupliciter. Primo Zodiacus motu diurno motus, circa alienos polos mouetur, à quibus magis, & minus distat, & consequenter cogitur facere cum Horizonte angulos obliquiores, & minus obliquos, vnde illa pars qua rectius ascendit tardius supra Horizontem eleuabitur, & plus temporis consumet, quam illa signa vel stellæ, quæ minus rectos angulos cum Horizonte efficiunt. Secundo probatur experientia, quia dum Sol est in illis signis qui magis oblique ascendunt, scilicet in Scorpione, Sagittario, Capricorno, Aquario, & Piscibus dies facit breues, & noctes longas, quia de die ascendunt signa quæ magis oblique, & minus recte oriuntur, quoniā magis appropinquant antarctico, de nocte vero ascendunt signa magis nostro polo proxima, quæ magis rectos angulos faciunt, & consequenter plus temporis consumunt in ascendendo, quare cum Sol est in eis dies sunt longiores noctibus. Sex enim signa ascendunt de die, & sex de nocte semper in quodlibet die naturali.

Ortus igitur secundum Astrologos signorum, & stellarum non erit nisi ascensio gradus æquatoris oriens cum illa stella vel signo, & ita occasus, non est nisi gradus æquatoris occidens cum tali stella, vel signo, nam per regulare, & vniforme cognoscitur variabile. Motus autem æquatoris inuariabilis est, & Zodiaci variabilis, ideo hic per illum cognoscitur. Vnde cum singulis horis 15. gradus æquatoris eleuentur, hinc si aliquod signum eleuabitur cum 60. gradu æquatoris supra Horizontem, dicemus quod per quatuor horas eleuatur. Et hoc inseruit ad cognoscendam ascensionem, & descensionem cuiuslibet puncti eclipticæ, & stellæ cuiusuis, computando ascensionem à primo gradu Arietis secundum signorum ordinem vsque ad gradum occidentem secundum eundem ordinem.

Ortus autem & occasus signorum, & stellarum duplex est. Primus dicitur rectus, & est quando maior pars æquatoris oritur, quam signi, idest, plus quam sint 30. gradus signi. Et econtra dicetur oriri oblique, quando minor pars æquatoris consurgit. f. minor 30. grad. Et ita dum descēdit æquinoctialis vltra 30. gradus signi, dicitur occidere recte, quando ex opposito oblique. Plura alia vide apud scriptores in sphera Io. de sacro Bosco.

Ad argumentum dicitur quod duplex est ortus, & duplex occasus. Primus dicitur proprius, & hic conuenit viuentibus. Secundus similitudinarius, & hic conuenit signis, stellis, & planetis, nam dum nobis apparent dicuntur oriri, & dum sub terra se abscondunt dicuntur occidere.

DVBIVM LV.

An Astrologi recte diuidant cælum in 12. domos.

Videtur quod non. Nam mirabile videtur quod Sol, & planetæ tot diuersitates causent, sicut ponunt Astrologi facere, dum diuersas domus ingrediuntur. Quid enim facit quod Sol dum oritur, & dicitur esse in prima domo, fortior sit, & maiora promittat, quam ab vna, vel duabus horis, post ortum, dum dicitur esse in 12? Et quare in prima dicitur habere quinque dignitates, & in 12. quatuor priuari, & sic de multis alijs?

In contrarium stat auctoritas omnium Astronomorum, qui ad sciendas infirmitates, prospera, & aduersa erigunt, figuram cælestem, & eam in 12. domos diuidunt, vt patet apud ipsos.

Ex communi ergo placito Astrologorum in erigenda

erigenda figura cælesti, & diuidenda in 12. domo ista sunt in ea erecta consideranda, quo ad concessa, cauendo semper ab actionibus liberis, vt in se considerantur, quia sic vir sapiens dominatur astris.

Primo ergo notandum est, quod reperta hora nati, vel futura mutationis temporis, vel ædificij &c. in tabula sub altitudine proprij poli reperitur grad. Horoscopi, seu ascendentis cum omnibus alijs vsque ad septimam domum, pro septima autem accipitur gradus signi oppositus primæ pro sexta gradus signi oppositus 12. pro quinta gradus oppositus 11. pro quarta gradus signi oppositus 10. Pro tertia gradus signi oppositus nonæ, pro secunda gradus oppositus 8. & sic habebis erectam figuram cælestem in qua, pones planetas, & stellas fixas secundum signa, in quibus reperientur. V.g. si ascendat 23. gradus Leonis, & Venus sit in 22. gradu eiusdem signi eam ante gradum Leonis ascendentis constitues, & si esset in 24. ea immediate post gradum ascendentem collocabis & sic dic de alijs.

Secundo sciendum est, quod istæ 12. domus vocantur ab Astronomis, mansiones, hospitia, habitacula, & domicilia, & primum domicilium dicitur vita, 2. spes 3. Dea, vel fratres, 4. parentes, 5. liberi, 6. valetudo, 7. coniux, 8 mors, 9. Religio, vel Deus, 10. mediũ cæli, 11. bonus dæmon, 12. malus dæmon. Vel exactius prima domus, quæ Horoscopus dicitur, & angulus orientalis significat vitam, & constitutionem, ac formam corporis. Secunda diuitias, facultates, & bona fortunæ futura nato. Tertia fratres, parentes, & breuia itinera. Quarta bona stabilia Quinta filios, & gaudia. Sexta famulos, & infirmitates. Septima vxorem, & inimicos apertos. Octaua mortem, & hæreditatem. Nona Religionem, sacerdotium, & longa itinera. Decima dignitates, gradus honores, officia, & præeminentias. Vndecima amicos, felicitates, & bona fortunæ. Duodecima hostes occultos, carceres & afflictiones. Ex his ergo primo Astrologi prospera, & aduersa pronunciant.

Tertio notandum, quod istæ 12. domus constituunt quatuor quadrantes. Primus enim dicitur orientalis, & hic includit primam, duodecimam, & vndecimam, domum quousque intelligatur signum ascendens, stella, vel planeta esse in vertice cæli. Secundus dicitur meridianus, & hic includit 10. 9. & 8. domum, quousque intelligatur stella esse in occiduo terræ cardine. Tertius ergo dicitur occiduus, & hic includit 7. 6. & 5. domum, vsque ad imum cæli. Quartus dicitur imus cardo cæli, & hic includit 4. 3. & 2. domum. Primus autem quadrans dicitur masculinus Orientalis, sanguineus, calidus & siccus, quia Sol in eo existens desiccat humiditatem noctu excitatam, & ab hoc cardine oriuntur venti subsolani, aridi, & sicci. Secundus quadrans dicitur fœmininus, meridianus, cholericus, & recessus, propterea quod Sol in eo existens inflammationes in ea parte commouet, & ventos calidos australes educit. Tertius dicitur masculinus, Orientalis, aduentus, melancolicus, frigidus, & siccus, quia Sol in eo repertus, cum vires amittat, humiditatem succrescere sinit, & Fauonij ab hac plaga erumpentes sunt venti humidi. Quartus dicitur fœmininus, Septentrionalis, recessus, flegmaticus, frigidus, humidus, quia cum in eo Sol existat, vt in opposito nostri meridiani calidi, frigus excitat, & quoniam ab hac parte flant venti Aquilonares qui sunt frigidi, & gelati. Ex his etiam Astronomi desumunt inclinationes, & indicia.

Quarto notandum est etiam secundum Astronomos, in quo situ reperiantur planetæ in natiuitate, vel alio principio rei: quoniam domos supradictas diuidunt, in angulares, succedentes, & cadentes. Angulares sunt. i. 10. 7. & 4. quia sunt cardines cæli eo tunc. Succedentes. i. post angulares, (quæ & dicuntur anguli, turres, centra, & cuspides) sequentes sunt 2. 5. 8. 11. Cadentes quæ à Græcis appellantur cataphoræ, & apoclimata, & à Latinis domus pigræ sunt 12. 3. 6. & nona, sic dictæ, quia cum ascendente nullam habent familiaritatem. Dant autem Astronomi maximam efficaciam, & fundamentum angularibus tam in bono, quam in malo, secundum diuersitatem signorum aspectuum & post has collocant, & inspiciunt succedentes, quas temperatas, & mediocres dicunt, sed cadentes debiles, & inefficaces appellant.

Quinto loco vlterius progrediuntur Astronomi, & considerant, quasdam fortitudines

dines, & efficacias planetarum, ex quibus ventura prædicunt certius, vel minus certe, nam quanto futura potiores, & efficaciores causas habent, tanto certius prognosticari possunt.

Quinque igitur dignitates, seu fortitudines planetis, & signis tribuunt in infrascriptis.

Si planeta existat in suo domicilio, idest, propria domo, vel receptione ex domicilio; & consequenter, dum Saturnus est in Capricorno, vel Aquario, Iupiter in Piscibus, & Sagittario, Mars in Ariete, & Scorpione, Sol in Leone, Venus in Libra, vel in Tauro, Mercurius in Geminis, vel Virgine, & Luna in Cancro.

Quatuor vero dignitates, vel fortitudines eis donant in exaltatione, aut receptione ex exaltatione. Quare has habet Saturnus in Libra, Iupiter in Cancro, Sol in Ariete, Venus in Capricorno, & Piscibus, Mercurius in Virgine, Luna in Tauro, caput draconis in Geminis, & cauda in Sagittario.

Tres autem in triplicitate, idest, quando se inspiciunt ex triplicitate, seu participatione, ideo tribus viribus pollent Sol, & Iupiter in Ariete, Leone, & Sagittario, Venus, & Luna in Tauro, Virgine, & Capricorno, Mercurius, & Saturnus in Aquario, Libra, & Geminis, Venus, Mars, & Luna in Cancro, & Scorpione.

Duabus vero gaudent in proprijs terminis, vt Iupiter vsque ab 6. gradum Arietis; Venus ad 12. Mercurius ad 20. Mars ad 25. & Saturnus ad 30.

In Tauro Venus ad 8. Mercurius ad 14. Iupiter ad 22. Saturnus ad 27. & Mars ad 30.

In Gemini Mercurius ad 6. Iupiter ad 12. Venus ad 17. Mars ad 24. Saturnus ad 30.

In Cancro Mars ad 7. Venus ad 13. Mercurius ad 19. Iupiter ad 26. Saturnus ad 30.

In Leone Iupiter ad 6. Venus ad 11. Saturnus ad 18. Mercurius ad 24. Mars ad 30.

In Virgine Mercurius ad 7. Venus ad 17. Iupiter ad 21. Mars ad 28. Saturnus ad 30.

In Libra Saturnus ad 6. Mercurius ad 14. Iupiter ad 21. Venus ad 28. Mars ad 30.

In Scorpione Mars ad 7. Venus ad 11. Mercurius ad 19. Iupiter ad 24. Saturnus ad 30.

In Sagittario Iupiter ad 12. Venus ad 17. Mercurius ad 21. Saturnus ad 26. Mars ad 30.

In Capricorno Mercurius ad 7. Iupiter ad 14. Venus ad 22. Saturnus ad 26. Mars ad 30.

In Aquario Venus ad 7. Mercurius ad 13. Iupiter ad 20. Mars ad 25. Saturnus ad 30.

In Piscibus Venus ad 12. Iupiter ad 16. Mercurius ad 19. Mars ad 28. & Saturnus ad 30.

Vnam habent in suo gaudio, vt Saturnus in Aquario, Iupiter in Sagittario, Mars in Scorpione, Mercurius in Virgine, & Venus in Tauro.

Item varias alias fortitudines supradictorũ cõsiderant, vnde dicũt planetas in decima domo quinque habere dignitates & In Horoscopo In 7. & 4. domo, 4. In 5. & 11. 3. In 2. & 9. 2. In tertia, vnam. Si sit liber à combustione, & radijs 5. si directus 4. Si velox in cursu 2. Si Oriẽtalis. 2. Si partiliter, idest in eodem grad. coniunctus cum Ioue, & Venere, 5. cum capite Draconis 4. In aspectu trigono Iouis, vel Veneris 3. Coniunctus cum Regulo intra distantiam, 5. graduum ante vel post, vel cum spica Virginis. 5.

Ex opposito vero amittunt supradictas fortitudines, & dignitates multipliciter. Primo si planeta sit in suo detrimento, vt Saturnus in Cancro, & Leone, Iupiter in Virgine, & Geminis, Mars in Libra, & Tauro, Sol in Aquario, Venus in Ariete, & Scorpione, Mercurius in Sagittario, & Piscibus, & Luna in Capricorno, tunc enim, dicuntur habere quinque debilitates. Ita in deiectione, vt Saturnus in Ariete, Iupiter in Capricorno, Mars in Cancro, Sol in Libra, Venus in Virgine, Mercurius in Piscibus, Luna in Scorpione, caput draconis in Sagittario, & cauda draconis in Geminis.

Item dicunt planetas sustinere infirmitates, & debilitates in domo 12. 4. In 8. & 6. 4. Si peregrinus, 5. Si combustus à Sole. 5. Si sub radijs Solis 4. Si retrogradus 5. Si tardus in cursu. 2. Si Occidentalis. 2. Si Luna sit imminuta lumine. 2. Si sit partiliter cõiunctus cum Saturno, vel Marte. 5. Si obsessus à Saturno, vel Marte 4. Si sit partiliter in oppositione Saturni, vel Martis 4. Si sit in partili quadrato cum Saturno, vel Marte 2.

Considerandum igitur erit ad sciendum dominatorem anni, vel nati, vel actionis, quisnam sit ille planeta, qui in figura cælesti plures habeat dignitates, inspectis.

&

& cõputatis debilitatibus, & sic ille erit, qui magis fortis reperietur, vnde secundum suam naturam operabitur, de qua natura infra agemus, cũ de planetis sermonem habebimus.

Sexto loco consideraverunt Astronomi etiã plura alia. Nam primo vlterius considerauerunt partem fortunæ, & cuspidis affectionẽ, nam in signo Tauri, & Pisciũ, 5. illi dederũt dignitates. In Virgine. 2. In Libra, Sagittario, Leone, & Cancro. 4. In Geminis 3. In finibus Iouis, vel Veneris. 2. In trigono Iouis, vel Veneris 4. In coniunctione Iouis, ac Veneris, vel capitis Draconis. 5. In Sextili Iouis, vel Veneris. 3. In domo, i. vel 10. 5. In septima, vel 4. 4. In 11. vel 5. 3. In 9. vel 2. 2. In 3. 1. In coniunctione cum Regulo vel spica Virginis intra 5. grad. 5. Liber à radijs Solis, & combustione. 5.

Infirmantur vero, & debilitantur in signis Aquarij, Capricorni, & Scorpionis 5. In finibus Martis, vel Saturni 2. In oppositione Saturni, vel Martis 4. In coniunctione Saturni, vel caudæ Draconis 5. In quadrato Martis, vel Saturni 5. In domo 8. vel 6. 4. In 12. 5. In coniunctione capitis Medusæ intra distantiam 5. grad. 4. A Sole combustus 5. sub radijs Solis 4.

Vlterius processerunt ad examinandum horas rei, de qua dandum est iudicium, nam Babilonij longa obseruatione, & experientia deprehenderunt planetas singulari influxu, & potentiori virtute operari in quibusdam horis quam in alijs, vnde dies ordinauerunt non ab ordine planetarum, nam si hebdomadam incipimus à Dominica qui est dies Solis, dies sequẽs fuisset Veneris, alius Mercurij, alius Lunæ, alius Saturni, alius Iouis, & alius Martis, & sic fuissent ordinati dies hebdomadæ quod falsum est. A dominio ergo primæ horæ diei exorsi sunt, & ceperunt enumerare dies, dando postea per ordinem horas planetis, vt in sequenti tabula.

	Horæ diei inæquales.												Horæ noctis inæquales.											
	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12
Domin.	☉	♀	☿	☽	♄	♃	♂	☉	♀	☿	☽	♄	♃	♂	☉	♀	☿	☽	♄	♃	♂	☉	♀	☿
die Lun.	☽	♄	& sic deinceps suo ordine																					
Martis	♂	☉	& sic deinceps																					
Mercurij	☿	☽	&c.																					
Iouis	♃	♂	&c.																					
Veneris	♀	☿	&c.																					
Sabbati	♄	♃	&c.																					

Post hæc considerant Astronomi directiones, & reuolutiones, vt ad annos applicent ventura, hæc autem ad nos non pertinent, quoniam ad singularia accommodantur. Generaliter enim scias quod directio, seu deductio, est inquisitio arcus æquinoctialis inter significatorem, & promissorem positi, & reuolutio, est reditio Solis ad punctum in quo fuit tempore natiuitatis.

Ad argumentum ergo dicitur non esse mirabiles istas mutationes in ordine ad corpora cælestia, quæ sunt efficacissima, nam videmus in instanti fere consurgere ventos, turbari aerẽ, pluuere, &c. Si ergo Sol dum primo oritur lucidus est, & post paucum tempus nebulis offuscatur, cur etiam in Horoscopo correspondente ortui non potest bona promittere, & in 12. ad quã post ortũ subito transit mala efficere?

DVBIVM LVI.

An cæli, & stellæ influant in inferiora.

Videtur quod non. Nam causa vniuersalis vniuersaliter agit, & vniuersales effectus producit. Sed cæli sunt causæ vniuersales. Ergo agunt vniuersaliter, & non vnum in vno efficiunt, & aliud in alio, eadem actione.

Quoniam hanc quæstionem fuse examinauimus

uimus in prima parte huius vniuersi sub titulo. An cæli agant in hæc inferiora, ideo nunc breuibus eam tangemus pro quanto nos introducit ad sciẽdos influxus cælorum, stellarum, fixarum, & planetarum, vt fortior ac locupletior sit doctrina nostri vniuersi cælestis.

Circa igitur hanc difficultatem quamuis plures fuerint modi dicendi in particulari, duo tamen in vniuersali tantum sunt Primus negat cælos, & stellas influere in inferiora, vnde Picus Mirandulanus libro 5. contra Astrologos cap. 45. &c. reducit omnes effectus ad calorem. Et Georgius Agricola lib. 4.&.5. de natura subterraneorum in solum lumen reducit, & Commentator ad calorem per se effectus refert, & ad alias qualitates per accidens. Secundus modus dicendi est Arist. & omnium peripateticorum dicentium cælum, & astra agere in inferiora lumine, & motu, alterando ea, & mouendo ad agendum, operandum &c.

Conclusio igitur affirmatiua est. Cælum, stellæ fixæ, & planetæ agunt in hæc inferiora lumine, & motu, &c. causaliter probatur primo exemplis in insensibilibus. Nam stella polaris magnetem ad se rapit, Luna fluxum, & refluxum maris causat, Lunariam herbam mutat, & Cõmentator refert in Aegipto fuisse Taurum sacrum cuius genitalia pro Lunæ mutatione augebantur, & diminuebantur, & Cardanus asserit in quadripartitum Ptolomei Leonem X. tenuisse lapidem, qui pro varietate luminis & influxus Lunæ, ex ceruleo in candidum transibat, & Clementem Septimum alterum cuius macula iuxta solis motum, singulo die circumacta oriebatur, & occidebat. Patet etiam quod omnia humida in plenilunio augentur, & macula existens in dorso pantheræ secundum quod Luna crescit, & decrescit, & ipsa hoc idem facit. Quod exoriente caniculа calor augetur, canes in rabiem vertuntur, vina in dolijs accrescũt: Quod herba virgilia cum Virgilijs stellis oriatur, & herba solaris motum Solis obseruet, semper se ad ipsum voluendo. Quod carnes Lunæ expositæ citius putrescunt, quam soli, quod lilia, & rosæ noctu tantum calices suos aperiunt, quod lupinus singulis quibusque diebus ad solem ter colore mutatur, quod teste Cicerone lib. 2. de diuinat. & Gellio lib. 9. cap. 7. arborum succus, qui antea ad radices descenderat, in brumali solstitio sursum ex radice ascendit, quod crescente Luna stellę, pelles vituli marini rigescit, & decrescente laxantur, quod Luna plena, vel crescẽte si ligna scinduntur, inepta fabricis reddun tur, quod si frumenta de areis colligantur Luna deficiente seruantur, oua interlunio gallinis subiecta, pullos imbecilles, & præcipuis membris affectos generant, Alleum si Luna sub terris posita feratur, & rursus Luna sub terra latente vellatur, odoris fęditate caret, vt Palladius refert.

Secũdo probatur ex varijs hominum, & regionum statibus, vt licet legere apud Ptolomeum, Maternum, & alios. Nam nati in frigidis regionibus vbi parua est solis mutatio, homines sunt pertinaces, obstinati, & stabiles, vnde Septẽtrionales sunt feroces, peruicaces, aggrestes, truculẽti, & indomiti, Itali, vero qui in magis tẽperata regione morantur, sunt amicitiarum studiosi, benigni, animis, & corporibus temperati, nobilium rerum percupidi, regni osores, libertatis amatores, populorũ imperio gaudentes, bellaces, legislatores, vnde quidam auctor dixit loquendo de diuersis nationibus, quod Greci sunt leues Scytæ crudeles, Galli Floridi, & inconsulti Afri subdoli, Asiani venerei, Siculi acuti, Babiloñij prudentes, Aegiptij sapientes, Arabes furaces, fraudolenti, instabiles, lucri cupidi. Hispani modici statura, macri, fortes, colore inter fuscum, & clarum, viuaces, animosi, laborum patientes, in prælijs audaces. in negotijs versuti, & calidi, honoris cupidi, elati, rapaces, in omnibus superiores videri appetentes, furiosi, Simulatores, in vestibus pomposi, silentij, grauitatis, & apparentiæ amatores. Persæ voraces, & insatiabiles, Boreales Germani proceri, crudeles, vultu minaci, superbi, ventri indulgentes, vini amatores, mechanicis artibus dediti; Britanni proceri, macri, albi, capillis flauis, oculis cæsis, moribus varij, Angli proceri, musculosi, flauo capillo, barba rufa, & formosi. Sabaudi belli amatores, mendacij osores, suo principi fideles, studijs deditі, & prudentes, & sic discurrendo, & semper animaduertendo quod ista sunt vera non semper, sed vt in pluribus, nã inter Scytas natus est Anacarsis

carsis sapientissimus, & inter Athenienses Cato quidam stultissimus.

Tertio probatur ex Orientalitate, & Occidentalitate planetarum diuersitatum cōplexionis causantium secundum Ptolemeum. Nam si natus habuerit Saturnum orientalem, erit mellini coloris, mediocris crassitudinis, capillis crispus, in pectore pilosus, oculis mediocribus, corpore mediæ magnitudinis, cum frigiditatis, & humiditatis prædominio. Si vero fuerit occidentalis, erit nigri coloris, parui corporis, macilentus, flauos, & raros habens capillos, aptæ compositionis, oculis nigris, cum siccitatis prædominio. Iupiter in natiuitate orientalis facit infantem albi coloris, mediocris capillaturæ, oculis mediocribus, mediocris staturæ, moderatę quantitatis, cum prædominio caloris, & humiditatis. Si vero sit occidentalis erit natus non aptæ albedinis, anteriori parte caluus, capillis planis, oculis & corporis quantitate mediocris, cum prædominio humiditatis. Hoc idem præstat Venus, nisi quod facit infantem pulcheriorem, fęmineæ formæ similem, oculis gratioribus, & splendentibus Marte vero orientali color est albus rubedine mixtus, forma corporis mediocris, carnositas temperata, oculi varij, capilli crispi, complexio calida, & sicca. Occidentali color rubeus, moderata quantitas, parui oculi, plani capilli, complexio sicca. Mercurio orientali color mellis, capilli mediocres, complexio calida. Occidentali color subniger, vel croceus vox exilis, oculi caui, pupillæ caprinæ, complexio sicca. Sol autem facit corpulentum, moderatum, coloris cerulei. Luna crines flauos, corpus candidum, & maculosum. Hæc autem intelligo quando sunt domini in natiuitate, & fortes. Sed ista non possunt esse à solo calore, cum calor sit vnus, non sufficiens tot diuersitates causare. Ergo reducenda hæc sunt in cælos &c.

Quarto probatur ex morbis occurrentibus ex diuersis aspectibus &c. stellarum, & planetarum. Nam obseruatum est ab Astronomis, quod in magnis planetarum coniunctionibus, in tota aliqua regione generales emergunt infirmitates, vnde testatur Guido de Cauliaco in 2. tract. suę chirurgiæ, doctrina 2. c. 5. quod anno domini 1345. fuit magna pestilentia Auenioni in Gallia &c. ob coniunctionem Saturni, Iouis, & Martis in 14. gradu Aquarij. Item patet experientia quod dies critici morbos plurimum variant, quod in Lunæ exortu morbi recrudescunt, ægrotantium corpora deterius afficiuntur, nocent purgationes, & plura similia in morbis reperiuntur, vt quod tot diebus durent, eadem hora, vel prope redeant, euanescant, &c.

Quinto probatur. Vniuersale, & primum alterans, ad omnes effectus agere debet, aliter non esset nec primum, nec vniuersale. Sed cælum cum astris est primum, & vniuersale alterans, vt millies testatus est Arist. & docuerunt omnes philosophi. Ergo agit ad omnes effectus corporales inferiores.

Ad argumentum ergo primo dicitur ad maiorem, quod causa vniuersalis vniuersaliter agere stat dupliciter. Primo actione quasi eius actio stet in vniuersalitate, & nō pertigat ad singulares effectus, & hoc negamus. Secundo causalitate, quia .s. cum omnibus secundis causis concurrit, ad producendos, eorum effectus, & hoc est quod affirmamus. Secundo dicitur ad minorem, quod cæli sunt causæ vniuersales hoc modo, quod intensiue, & extensiue ad omnia inferiora operantur. Intensiue, quia vt causæ primæ secundas mouent, alterant, & coadiuuant. Extensiue, quia quamuis agant lumine, & motu his tamen operantur, & agunt etiam ad efficiētium contrarium qualitatum, quia causa vniuersalis, & eminens potest operari ad contraria in singulari.

DVBIVM LVII.

An influentia imprimantur in instanti.

Videtur quod sic. Primo Vis influendi non videtur minor, quam illuminandi. At illuminatio fit in instanti. Ergo & influxus.

Secundo Astronomi in natiuitate non solum quærunt horas, & minuta, sed & secunda, & tertia &c. At hoc faciunt ad cognoscēdam naturam influxus in natum. Ergo signum est, quod reducitur ad instans.

Tertio Tempus est diuisibile in infinitum. Ergo si pro vnoquoque esset tempus considerandum, sequeretur quod esset diuidendum

dendum in infinitum, quod est falsum.

Circa præsentem difficultatem duas inuenio opiniones. Prima est cuiusdam Lucij Bellancij tenentis influentias cælestes imprimi in instanti. Secunda est Baranzani in sua Vranoscopia p.1.q.5. dub.2. affirmantis astra in tempore influere. Hoc probat

Primo Qualitates diuisibiles, habentes resistentiā in subiecto, non suscipiūtur in instanti, sed in tempore. At influentiæ terminātur aliquando ad secundas qualitates diuisibiles, in subiecto resistente. Ergo in eo non producuntur nisi in tempore.

Secundo. Quod applicatur per motum localem, diuisibiliter, & successiue seu in tempore applicatur, cum motus localis sit in tempore ex 5. & 8. Phy. Sed influentiæ applicantur per motum localem cælorum, & per diuersos aspectus syderum, qui non fit nisi in tempore. Ergo influentię sunt in tempore.

Tertio Influentiæ sæpe contrariantur, vnde necesse est, vt vna alteram expellat per victoriam, quæ fit in tempore.

Respondeo dicendum quod de influentijs dupliciter loqui possumus. Primo quo ad actualem eorum receptionem. Secundo quo ad eorum pręparationem, dispositionem, & proportionem. Si de eis secundo modo sit sermo, sic introducuntur in tempore, præcipue quando habent resistentiam in subiecto. Si vero de eis loquamur primo modo, bifariam cōsiderari possunt. Primo quo ad receptionem, & sic quando materia iam est pręparata, & disposita recipiuntur in instanti. Secundo quo ad intensionem, & perfectionem, & sic possunt durare, & accrescere in tempore, & per annos durare, menses, dies, horas &c. His stantibus respondeo ad rationes vtriusque opinionis.

Ad primum Belancij dicitur, quod illuminatio, & introductio influentiæ currunt pari passu, quando materia est disposita, nō vniuersaliter, quia lux semper habet aerem dispositum ad lucem non sic hæc influentia ad seipsam, cum subiectum sit sub contraria.

Ad secundum dicimus laborem Astrologorum esse optimum, quia in ortu nati, influentia in eo tunc vrget, cum non inueniat natum sub contraria dispositione. Hoc tamen instans non inueniunt, sed propinquum, vnde patet, quod influentia patitur latitudinem temporis.

Ad tertium dicimus quod tempus secundū se est diuisibile in infinitum, non secundum enumerationem prioris, & posterioris prout nostro discursui inseruit, sic enim in tempore damus initium, medium, &c.

Ad primum Baranzani dicitur, quod probat diuisibilitatem, quando adest indispositio, & secundum quando fit præparatio, & intensio, & duratio, tertium idem probat quod primum.

DVBIVM LVIII.

An vis impressa per influentiam sit vera, sed occulta.

Videtur quod non. Nam dum ad vnum pronunciandum duo habemus, ad certius, & notius reducendum est iudiciū. At quod sint in rebus mirabiles quidam effectus, potest pro causa habere vim occultam syderum, & etiam quandam simpatiam illarū rerum cum corporibus cælestibus, & hæc est notior, quam illa vis occulta. Ergo ad simpatiā, & non ad vim occultam syderum sunt reducendi hi mirabiles effectus.

Secundo. Vel hæc qualitas, & vis est corporalis, vel spiritualis. Non corporalis, quia est occulta. Non spiritualis, quia est à corpore. Ergo:

Respondeo cum S. D sic 3. contragentes cap. 99. Habet homo quod secundum corpus est subiectum cælo, secundum intellectum angelis, & secundum voluntatem Deo, vnde homo ratione cæli dicitur bene natus, ratione angeli bene directus, & ratione Dei bene fortunatus. Addit quod cælum influit in hominem. Primo, per modum inspirationis, & inclinationis. Secundo per modum dispositionis. Tertio per modum passionis, eo modo quo passiones sensitiuæ, vt odium, timor, &c. excitant ad aliquid agendum. Quarto per qualitates, quasdam occultas à cælo homini concessas, & quod sicut magnes trahit ferrū ex virtute corporis cælestis, & lapides quidam, & aliæ herbæ alias occultas virtutes habent, sic nihil prohibet, quin etiam homo aliquis habeat ex impressione corporis cælestis, quandam efficaciam in aliquibus corporibus

bus faciendis, quas alius non habet puta medicus in sanando, & agricola in plantando, & miles in expugnando.

Conclusio igitur est. A cælis quędam vis occulta imprimitur corporibus humanis, per quam fiũt apta ad operationes multas probatur. Primo. Materia corporalis subditur cælo, & omnis motus primo per Arist. 2. de gener. & 8. Physic. Ergo nihil vetat, quod aliquam vim imprimat in corporibus humanis. Antecedens præter Arist. habet experiẽtiam in lapidibus, & herbis. Ita videmus fluxum, & refluxum maris causari à Luna per aliquam qualitatem sic mare mouentem. Ita videmus in multis rebus, vt superiori quæstione ostensum est.

Secundo probatur ex his quæ nouimus ex dictis aliorũ, vt quod Sabellicus in tenebris videret, & quod aliqui metallarij cognoscant metalla cum furcis, vel virgis furcatis apud Georgium Agricolam.

Ad primum ergo dicitur primo, quod simpatia simpliciter nõ potest esse causa multorum effectuum, nam nisi fundetur in aliqua qualitate occulta nihil erit, quia similia in aliquo simili conuenire necesse est, & consequenter in quadam virtute actiua communi cælo, & inferioribus quibus communicatur, dependenter à cælo. Secũdo dicitur, quod falsa est minor apud intellectum certius deducentem hoc prouenire ex subalternatione inferiorum ad superiora.

Ad secundum dicitur, quod spirituale dupliciter sumitur. Primo, pro spirituali secundum suam naturam, quia nec in se habet materiam, nec ad eam ordinatur, vt ab ea receptum, & sic illa virtus non dicitur spiritualis, quia diuisibiliter recipitur in lapidibus, plantis, ac corporibus. Secundo pro spirituali causalitate, quia immutat imperceptibiliter, & occulte, vt faciunt etiam species sensibiles, & sic hęc vis dicitur spiritualis, i. occulta.

DVBIVM LIX.

An multum duret influentia cæli ex natiuitate.

Videtur quod non. Primo. Quod de vna influentia dicitur, de alia quoque affirmandum videtur. Sed influentiæ quotidianæ non multum durant. Ergo nec illæ quæ sunt in natiuitate. Maior patet, quia non videtur esse maior ratio de vna quam de alia. Minor constat, quoniam dies transeunt, & influentiæ fluunt.

Secundo. Si influentia natiuitatis esset pro tota vita hominis ad quid obseruare de anno in annum, &c. oppositiones planetarum, & alij aspectus, reuolutiones, directiones, & similia?

Tertio. Si aliqua ratio ducationis influentiæ videtur esse, pensanda veniret ex puncto cõceptionis, & infusionis animæ, cum hoc punctum sit initiũ vitæ hominis, & principium omnium actionum eius, & tamen Astronomi diuinationem sumunt a puncto natiuitatis, & non conceptionis.

In contrarium tamen stat tota schola Astrologorum, erigentium figuram à puncto ortus.

Pro explicatione huius quæstionis. Primo notandum venit, quod dupliciter possumus intelligere influentiã, cæli in puncto natiuitatis semper durare. Primo inuariabiliter, & hoc non affirmamus, cum certum sit quod prospera, & aduersa in varijs annorum temporibus accidant. Secundo fundamentaliter, & radicaliter, sic tamen vt illa influentia varia, & diuersa patiatur, & secum admittat, & hoc verum est. Volumus enim dicere quod nati sub Marte, semper retinebunt de inclinatione ad arma, sub Ioue ad benignitatem, prudentiam, & religionem, & sic discurrendo, cum hoc tamen quod in diuersis annis multa, & varia transibunt, & sustinebunt.

Secundo ergo dicimus, quod sicut in quodlibet anno consideratur vnus eius dominus, qui tamen in quatuor eius principalibus partibus varia inducet, & quod sicut plantæ plantatæ, à plantatione vim suam desumunt, cum hoc tamen quod pro sua duratione, quandoque magis, & quandoque minus fructificabunt, ita etiã homines à pũcto ortus sui inclinationem fortiorem, & initialem ad talem vitam recipiunt, sed cum magna rerum varietate, & inconstantia.

Conclusio ergo est. Influentiæ cęli natales cum homine, ac cæteris rebus radicaliter semper durant. Probatur experientia in herbis, & plantis, quæ iuxta punctum plantationis fructificant magis, vel minus,

nus, & fiunt ad vnum magis aptæ, quam ad aliud, vnde plantæ fructiferæ vberiores fiunt si plantentur Luna decrescente, & non fructiferæ, proceriores fiunt plantatæ Luna crescente. Item videmus quod nati, ab vtero portant quasdam infirmitates perpetuas, & quod ab ortu ad aliquod vnum inclinantur, & non ad aliud, quis ad arma, quis ad studia, quis ad Religionem, &c.

Ad primum negatur assumptum, nam duplex est influentia. Prima dicitur radicalis, quia est veluti radix, ad quam omnes sequentes comparantur, contrarie, vel amicabiliter, & ista consideratur vt diximus ex puncto natiuitatis. Secunda dicitur communis, & ista non tantum vrget vt prima, sicut nec in planta, vel herba tantum facit quotidiana influentia, quantum illa plantationis.

Ad secundum diximus illa facere, quoniam significator, & dominus natiuitatis sortiuntur diuersas directiones, aspectus, &c. in diuersis annis nati.

Ad tertium dicimus, quod punctus conceptionis quidem magnus est, & pensandus, sed tamen generaliter inspicitur punctus natiuitatis, quia hic includit illum conceptionis, nam ex tempore conceptionis, deuenitur per determinata tempora ad punctum natiuitatis. Additur quod punctus ortus est validus, quia est punctus termini factionis rei ortæ, vnde tunc constituitur quasi in perfecto esse, & in suo statu, & dignitate, vnde notatur diligenter, non omittendo punctum conceptionis.

DVBIVM LX.

An cælum possit aliquam substantiam producere.

Videtur quod non. Primo quod perfectiori denegatur, minus perfecto non conceditur. Sed substantiæ separatæ non producunt substantias, nulla enim talis apparet ab eis producta. Ergo nec cælũ, quod est intelligentia minus perfectum.

Secundo. Agens, & patiens, generans, & genitum debent esse simul per Arist. 7. Phy. Sed cælum multum distat ab inferioribus genitis. Ergo non potest ea generare.

Tertio, Quod aliud producit, debet continere productum, vel formaliter, vel saltem eminenter. Sed cælum non continet inferiora formaliter. i. substantialiter, vt patet, cum distinguatur à terrenis formaliter. Nec eminenter, cum non sit altius, inferiora enim, & superiora in corporeitate conueniunt. Ergo, &c.

Respondeo, quod cælum dicatur producere substantiam aliquam inferiorem bifariam intelligi potest. Primo, per se, & immediate, & hoc negatur, cum enim sit causa vniuersalis, vniuersaliter debet agere, & non esse applicatum ad hoc tantũ producendum. Secundo per causas proprias, & immediatas, concurrendo cum eis per suam virtutem alteratiuam, & motiuam inferiorum, agendo per qualitates actiuas, & eas mouendo, adiuuando, & diuersimode modificando, & sic dicimus cęlum mediante substantia particulari producere substantiam, vt cum homine hominem, cum Leone Leonem, & sic discurrendo.

Conclusio ergo est. Cælum, & astra agunt ad productionem substantiæ inferiorum. Probatur primo. Quod inferiori conceditur, superiori non denegatur. Sed elementis, & qualitatibus elementorum conceditur agere ad productionem substantiæ, quia per Aristot. substantia agit per potentiam, & qualitates alteratiuas cuius finis est generatio, vt dicitur 5. Phys. & 8. Et elementa, cum suis qualitatibus sunt inferioras cælo, vt patet. Ergo cælũ, & astra possunt agere ad productionem substantiæ.

Secundo. Quod ordinatur ad medium, ordinatur etiam ad finem. At cælum ordinatur ad medium generationis, s. ad alterationem, cum per Arist. 2. de generat. cælum est causa omnis alterationis. Ergo & generationis, quæ est finis alterationis.

Tertio. Patet in productis ex putri materia, quæ cum non habeant causam immediatam, ad cæli virtutem referuntur, agentem tamen medijs qualitatibus alteratiuis, &c.

Ad primum negatur minor, nam D. Thomas asserit genita ex putri esse genita à substãtia viuente mouente cælum, & dicimus calos agere in virtute intelligentię mouentis. Secundo dicitur ad maiorem, quod magis perfectum, & minus perfectum bifariam considerari possunt. Primo, secundum

dum suam naturam, & sic non est necessarium, quod magis perfectum habeat id omne, quod habet minus perfectum, nam ignis est homine minus perfectus, & tamen comburit, quod non facit homo, & bos est homine imperfectior, & tamen producit bouem, & non homo. Secundo, secundum eandem causalitatem dicendo, quod causa magis perfecta, id omne potest efficere quod causa minus perfecta in eodem ordine, & sic hoc verum est, & concludit pro nobis.

Ad secundum dicendum venit ad maiorem, quod esse simul stat dupliciter. Primo, suppositaliter, ita vt inter agens, & patiens non cadat medium suppositum, & hoc non est necessarium. Secundo virtute, ita vt virtus agentis attingat passum, & hoc est verum, & sic dicimus virtutem cęli attingere inferiorum productionem.

Ad tertium dicimus cælum bifariam considerari posse. Primo, vt eius virtus causaliter est virtus agentis immediati, quia ab eo causatur, mouetur, & modificatur, & sic potest dici continere genita formaliter, sed causaliter, quomodo dicimus etiã solem esse calefactiuum, & exficcatiuum formaliter, non inhærenter, sed causaliter. Secundo, vt secundum se in suo ordine consideratur, & sic dicitur continere inferiora eminenter. Hæc autem continentia duplex est. Prima diuersi ordinis, vt sunt creaturæ, & creator. Secunda eiusdem ordinis, sed eum altiori modo, & talis continẽtia eminẽs est in cælo respectu inferiorum, quia altiori modo in eo continentur, idest, vt in altiori, & nobiliori, & vniuersaliori causa.

DVBIVM LXI.

An cælum possit producere, elementa, metalla, herbas, & plantas.

Videtur quod non. Illa substantia quæ non producit aliam substantiam suæ speciei, videtur esse omnino sterilis. At cælum non producit aliud cęlũ, nec astrũ aliud astrũ. Ergo nec elementa, nec metalla, &c. Maior probatur, quia est facilior generatio sui similis, quam sui dissimilis. Minor est omnium peripateticorum dicentium cælum, & astrum esse ingenerabilia, & sic incorruptibilia, & secundum totum, & secundum partem.

Huic quæstioni. Primo dico, quod cælum generet elementa potest duobus modis intelligi. Primo secundum totum, & sic dico elementum secundum totum, nec generari, nec posse generari à cælo, quia generatio vnius speciei, ad primam causam pertinet. Secundo secundum partẽ, & sic dico cęlum concurrere ad generationem, & corruptionem plurium partiũ ignis, aeris, aquæ, & terræ. Nam videmus ignem gigni, non ab alio igne, cum sit separatus. Ergo à cælo, vt fit in media aeris regione quæ est frigidissima, & tamen ibi generantur virtute cæli fulgura, & speculum concauum Soli oppositum ignẽ concipit, & tela nigra post phialam aqua plenam posita obiecta, comburitur, alba non, & ex vitro, cristallo, & lapide percusso gignitur ignis, &c.

Secundo dico, quod cęlum, & astra generant metalla, non quo ad speciem, quia species metallorum, & lapidum, & omnium rerum fuerunt ab initio mundi creatæ, sed quo ad indiuidua, vnde vbi non erant mẽtalla de nouo fiunt, & noui lapides generantur, non solum pretiosi, vt in India, sed etiam communes apud omnes partes mũdi concurrẽte terra, vt causa materiali, & cælo, ac astris & causis formalibus. Quod Georgius Agricola deducit ex experientia, nam inquit quod fluuij procedentes ab oriẽte in occasum, & alluentes radices montium septentrionalium, si à meridie campestris relinquitur, ducunt maiorem quantitatem auri, & argenti, quam illi fluuij qui currunt ab occidente in ortum, & radices montium septentrionalium lauant, habentes campestrem à meridie, & ratio est, quia fluuij procedentes ab ortu in occasum maiori Solis calore percutiuntur. Qua de causa dicit Cardanus gemmas orientales esse pulchriores, nobiliores, & perfectiores, gemmis occidentalibus, & iudicari diuersæ speciei fere, in splendore, & duritie, quia oriens calidior est, humidior, & pinguior, quam sit occidens. In montibus autem potius generantur, quia montes ratione maioris duritiei diutius conseruant calorem cælestem, & quia rarius illa terra commouetur, & à Deo magis disposita est ad producendum gemmas, aurum, argentum, ferrum, & alia metalla. Hinc deridenda erit opinio Cardani

ni dicentis metallum viuere, & esse plantam sepultam, nascentem sub terra, quia supra terram non posset viuere, & quod ideo terra nostra communis metalla non pducit, quia aratro, & pedibus occiditur. Hoc enim non solum est contra omnem veram philosophiam, verum etiam contra rationem, quia metalla generantur sine simili, & semine, & vnum metallum in venis transmutatur in aliud, & aurum, & argentum cum terra miscentur, vnde ab ea purgantur.

Tertio dico quod cælum, & astra producunt herbas, & plantas mediante calore, & humiditate. De herbis, ergo & plantis bifariam loqui possumus. Primo de genitis ex semine. Secundo de natis sine semine. Primo sensu dico cęlum, & astra non producere plantas, & herbas nisi vt sunt causæ vniuersales, & primæ in ordine corporalium, vnde melius dicuntur coadiuuare eorum generationē, secundum quod Astronomi dicũt, quod Luna existente in signis terreis plantæ, & herbæ plantatæ, & seminatæ firmiores, & longiores faciũt radices, in signis aereis longiores ducunt ramos. Et quod quædam plantæ tot annis producunt fructus, quot diebus Luna distat à sole die plantationis. Loquẽdo vero in secundo sensu dicimus generari à cælo, & astris, quia & cælum, & astra possunt generare etiam substantiam viuentem, & à fortiori angeli, vt patet de genitis ex putri. Et quando DD. dicunt nec angelos, nec demones, nec astra posse producere substantiam sed tantum applicare actiua passiuis per motum, dicendum est, quod hoc intelligitur de illis substantijs quæ habent causas determinatas, & perfectas, vt homo, Bos, & similia. Quæ autem ex semine, & ex putri oriri possunt, possunt etiam astra, & angeli generare, cum à duplici causa esse possint. s. à semine, & cælo, vel intelligentia mouente cęlum ad productionem viuentis iuxta ea quæ docet. S. D. p. p. q. 70. ar. 3. & q. 45. Imò est tanta virtus cæli in plantis quod possit facere eas, de fructuferis, infructuosas, sicut dicunt de palma Ianuæ trãslata, ibi nullum facit fructum, imò alij addunt quod quædam plantæ, & herbæ ad diuersas regiones translatæ mutant speciem, vt ex India translatæ ad Europam, quod tamē non approbo, quia mutatio substantialis ab intrinseco est, & à diuersa forma secundum speciem, vnde erit mutatio in accidentibus, & non in substantia. Ad ista autem cum nulla alia appareat causa dicendũ est astra operari, & agere.

Quarto dico, quod astra generant etiam quædam animalia, vt ea quæ nata sunt ex putri, de qua re vide qua diximus in metaphysica, nam etiam ibi reperies, an aliquod casuale possit dari respectu cæli, & quomodo substantia non sit immediatum principium productiuum, sed per potentiam agat, & per medias qualitates.

Ad argumentum negatur assumptum, quia differẽtia est inter producere perfectius, vel æque perfectum, & producere minus perfectum, & dependens ab eo. Primum enim non datur, quando constat ex tota sua perfectione, & est perfectum in specie, vt sunt angeli, & astra. Secundum vero necessarium est ad conseruationem speciei, & ad manutenendum ordinem vniuersi, vt inferiora dependeant à superioribus.

DVBIVM LXII.

An omnes partes cæli influant in effectum.

Videtur quod non. Primo. Nam vel omnes partes cæli sunt similes, vel dissimiles. Si primum, vna sufficiet agere, sicut vnus homo sufficit alium generare. Si secundum, se impedirent. Hoc non. Ergo omnes agunt.

Secundo. Qood de animalibus dicitur, de hominibus quo ad corpus non negatur, quia quo ad corpus vtriusque est æqua cõditio. At animalia ratione diuersarum partium subijciuntur diuersis signis, nam supra diximus Arietem præsidere capiti, &c. Ergo idem affirmandum erit de omni effectu etiam de homine.

Tertio. Spheræ superiores influunt in omnes partes inferiorum spherarum. Ergo etiã in subiectis omnibus spheris, quia non est maior ratio de illis, quam de istis.

Respondetur quod vel agimus de partibus influentibus principaliter, & directe, vel de agentibus quomodolibet. Si primũ, dico solum stellas, & planetas, agere primo quia teste Arist. astra agunt motu, & lumine, astra autem sunt quæ lucent, &

ad

ad motum ipsorum motus suorum orbiũ ordinatur. Secundo, quia probabile est, quod Deus eas fecerit singulares, & principales, non solum in lumine, verum etiã in efficientia, & causalitate. Si Secundum, probabiliter censeo, non solum cælos per corpora lucida influere in inferiora, verum etiam per omnem aliam partẽ etiam non lucentem. Moueor ad tenendam hanc opinionem non solum propter rationes superius tactas, verum etiam quoniam totũ corpus cæleste, est virtute præditum, non est autem dicendum, quod illa virtus in cælo sit otiosa, & ideo tenẽdum est, quod influat quo ad omnem partem in inferiora, quamuis ille influxus, non possit obseruari, sicut obseruatur ille qui est partis lucentis in prospectu nostro positę. Quoniam tamen argumẽta petunt quasdam dilucidationes, ideo eis respondeo.

Ad primum dicendum, quod principales partes sunt dissimiles, nec tamen se impediunt, quia ordinantur ad diuersos influxus, vnde Aries agit circa caput. Taurus circa collum, & sic discurrendo, Saturnus ad frigiditatem, Mars ad caliditatem, &c. Secundo dicitur, quod non est inconueniens, quod istæ partes dissimilares se oppugnent in mixto, sicut etiam faciunt qualitates elementorum, quare potentior influxus Iouis, superabit minus validum influxum Martis, vel alterius planetæ in natiuitate debilis.

Ad secundum admittimus argumentum, cum hac tamen disparitate, quod influxus erit efficacior in animali, quam in homine, non quo ad causalitatem, quia cælum vno modo fecundum se agit, sed quo ad effectum, quia in homine potest ratione moderari, & voluntate impediri, quo ad actiones liberas, non sic in animalibus, quæ sunt orbata intellectu, & voluntate.

Ad tertium, nihil dicimus, quia pro nobis concludit.

DVBIVM LXIII.

An astra influant in intellectum, & voluntatem hominis.

VIdetur quod sic. Primo, Omnis motus, & actio est à primo motu, vt dictum fuit supra. Sed intelligere, & velle sunt actiones, & motus. Ergo subijciuntur primo motui, qui est motus primi cæli.

Secundo. Vel intellectus, & voluntas subijciuntur cælis, vel cæli his potentijs. Non secundum, quoniam cæli sunt superiores in ordine, superius autẽ agit in inferius, & non econtra. Ergo primum.

Tertio Demones sunt natura nostra voluntate superiores. At demones subijciuntur cælis, & virtutibus eorum in herbis impressis, & lapidibus, his enim fugantur, & quibusdam odoribus, vt sulphore, &c. Ergo.

Respondeo quod influxus cæli agere in intellectum nostrum, & voluntatem dupliciter intelligi potest. Primo quidem influendo. Secundo cogendo, & necessitando. In primo sensu non negamus cælos agere in intellectum, & voluntatem, quia vt probauit primum argumentum, oportet omnes motus subijci primo motui, & omne multiforme vniformi. In secundo, ergo stat nodus difficultates, quia actio superiorum modificatur in inferioribus, ad modum inferiorum recipiẽtium illum influxum, & actionem, & quia natura intellectus & voluntatis est natura potentiarum liberarum, ideo dicimus quod actio cęli modificatur in causis liberis libere, ità vt liberum agere debeant, & sic etiam actio Dei necessaria in efficientia, non tollit libertatem, nec subtrahit contingentiam, quia in causis necessarijs agit necessario, in contingentibus contingenter, & in liberis libere, agendo cum istis ad modum ipsorum.

Secũdo igitur dicendum venit quod duplex est actio. Prima dicitur directa, quia immediate, directe, & per se recipitur in subiecto illi actioni. Secunda dicitur indirecta, & per aliud, quia actio immediate non recipitur in subiecto, sed in alio mouente subiectum. V. g. quod cælum agat in voluntatem dupliciter intelligi potest. Primo per se eum mouendo. Secundo per aliud .i. agendo in sensus internos, & externos, & inclinando, & alterando corpus, ex qua alteratione, & motione voluntas inclinatur ad eligendũ sibi vtile, delectabile, vel non. Primo modo diximus cælum agere in voluntatem, sed non faciendo aliud, nisi vt suo modo agat. f. libere. Secundo vero modo considerando motionem volũtatis, asserimus cælum non agere directe, & per se in voluntatem

luntatem cogendo eam ad actionem, vt docuit .S. D. p.p.q.115.art.5. In tertio con tragentes cap. 46. & 86. inclinando vero vtique. Primo alterando humores, vnde excitata cholera, homo de facili in iniurias præcipitat, mota melancholia deijcitur, & cogitat. Secundo perturbando sanitatem, vel adæquationem humorum in homine, vnde æger plura faciet in ægritudine, quæ non faceret in sanitate, vnde Galenus dixit. Anima temperamentum corporis sequitur. Tertio corrumpendo, & alterando organa sensuum, ob quam causam quidam vsu rationis priuantur, vt amentes, furiosi, Lunateci, & similes, & his modis intelligũtur diuersa dicta DD. Vt illud .S. D.3. contra Gentes cap.86. in fine capitis ex D. Augustino, quod non solum cælum agit in actiones corporum. Et illud D. Damasc. quod corpora cælestia aliquo modo attingunt voluntatem. Et illud Ptolomei in centiloquio, quod Mercu rio existente in aliqua domo Saturni, natus erit ingeniosus Et tot dicta, dicta, & dicenda, quod signa Zodiaci, & planetæ faciunt homines bene fortunatos, vel male, male morigeratos, vel optime, & similia, omnia enim ista intelliguntur indirecte, non vero directe.

Sed Tertio notandum venit, quod alia est ratio de intellectu, & alia de volũtate. Nam intellectus non dicitur liber formaliter, sed radicaliter, & ideo quo ad simplicem intellectionem vt sic potest determinari, & moueri à cælo, Necesse est enim quod pro hoc statu intelligat per cõuersionem ad phantasmata, & ideo præsentato ei phantasmate, necessario intelligit. Sed voluntas adhuc manet indifferens, & omnino libera ad prosequendum, vel fugiendum obiectum ab intellectu intellectum, & ei præsentatum sub ratione vtilis, vel nociui, prosequibilis, vel non, conuenientis, vel non, & ideo admodum indirecte dicitur cælum agere in voluntatem, vt est potentia libera, secundum se considerata.

Quarto notandum tamen venit. Quod quãuis dixerimus cælum indirecte operari in voluntatem, tamen ne error accidat, debemus multos terminos vitare. V. g. cælum cogit, inducit, trahit, & mouet, quia hi termini videntur duo importare .s. actionem cæli, & effectum eius necessariũ .s. tractionem, & impulsum eius necessarium, quod falsum est, quia volũtate mouemur, aliter non essemus agentes liberi. At quid de his terminis, cælum, & astra inclinant? Respondetur quod ly inclinant super duo cadere potest. Primo supra id, quod eis subditur, vt sit sensus. Cæli inclinant natum ratione temperamenti corporis, & hoc verum est, nec vlla lege vetitum dicere, vnde Sixtus V. in Extrauag. sua Creator, cæli, & terrę, nõ tollit astrologiam quo ad medicinam, quæ respicit temperamentum corporis, quod inclinationes voluntatis sequuntur, nisi obsit ratio. Secundo supra voluntatem, in quam cæli non agunt, & sic nec est dicendum cæli inclinant voluntatem, quia inclinant corpus, & non voluntatem, nisi inquantum animi mores sequuntur (libere tamen) temperamentum corporis, & in hoc sensu inhibuit Sixtus V. vt supra, dicere cælos voluntatem inclinare.

Ad primũ dictum est, quod primus motus est causa omnium aliorũ motuum, sed iuxta naturam moti, vnde concurrit cum agentibus liberis libere, cum contingentibus contingenter, & cum necessarijs tantum necessario.

Ad secundum dicendum, quod in homine duo sunt; s. corpus, & anima, quo ad corpus homo subijcitur cælo, quia omnia corpora subijciuntur primo corpori, quod est cæleste, quo ad animam vero cælum subditur homini, quia voluntas nostra soli Deo immediate subijcitur, vnde cum separata fuerit à corpore, nisi obsit peccatũ exaltabitur supra cælos, quia cælos excellit.

Ad tertium negatur quod Demones subijciãtur cælis. Et ad motiuum dicitur, quod expellantur herbis, odoribus, alligentur in annulis &c. dicitur, quod hoc fingunt demones. Primo, vt hominem à Deo auertant, & ad vana, & superstitiosa conuertant, vnde per Idola respondebant, & per phitonissas, vt inducerent homines ad eos adorandos in idolis, & responsis quasi diuinis. Secundo quia potest accidere, quod aliquæ herbæ, & aliqui lapides singulari Dei beneficio, & gratia, & ob aliquam benedictionem, contra demones præualeant, hoc dando Deus demonijs, vt in pœnam peccati ex singulari Dei dispositione, & imperio subijciantur quibusdam infimis rebus, quibus natura præsunt,

sunt, & naturali perfectione præcellunt, quare non sunt multæ herbæ, nec lapides, nec medicaměta spernenda in curatione demoniacorum dum modo semper benedicantur, ad tollendum omne fœdus implicitum cum demonijs. Tertio quia potuit interuenire aliquod pactum initum cum aliquo Demone superioris ordinis, à malefico, quapropter cogantur à demone superiori cedere, curando parum de hoc, dummodo animas miserorũ lucrentur. Vide multa alia quæ de hac materia diximus in superioribus.

DVBIVM LXIV.

An cæli, & astra agant in vires sensitiuas, & vegetantes.

Videtur quod non. Primo. Quod nõ verificatur in minori, nec verificatur in maiori, & perfectiori. Sed plantę quid minus sunt potentijs sensitiuis, patet autem quod plantæ in quacunque cæli constellatione plantatæ, (nisi magna siccitas obsit, vel magnum frigus) viuunt, & crescunt. Ergo signum est quod vegetabilia à cęlis non dependent, & à fortiori, nec sensibilia.

Secundo Dato, quod plantæ, & omnia vegetabilia subdantur cælis, non tamẽ per hoc conuincimur esse idẽ dicendum de potentijs sensitiuis, quia hæ participant de ratione, non vero vegetabilia.

Tertio Temperamentum potentiarum sensitiuarum desumitur à cibis. Ergo non à cælis. Probatur antecedens per Galenũ dicentem, quod si parentes volunt generare ingeniosos filios, & sensibus pollentes faciant in ciborum delectione, quæ ipse scribit in tribus libris de natura ciborum &c.

In contrarium pono duas conclusiones. Prima est. Cæli agunt in potentias vegetatiuas. Probatur primo. Vegetabilia maxima temperie indigent. At hæc vel erit ab elementis, vel a propria anima, vel à cælis. Non ab elementis, quia ipsa sunt contraria, & pugnant secundum se adinuicem. Ergo ab anima, & cęlis, ab anima, extensa per virtutem extensam communicatam à cælis vt supra.

Secundo probatur experientia. Nam vt diximus vegetabilia fortiores mittunt radices dum Luna est in signis terreis, & ramos altiores in signis aereis, & plãtę inserte Luna decrescente vberiores edunt fructus, & plantatæ ea crescente pulchriores in comis crescunt, & quædam vegetantia sub quadam cæli constellatione nascuntur, & sub alia nequaquam, & tot similia habentur.

Secunda conclusio est. Sensus cælestibus influxibus subiacent. Probatur primo. Sola potentia libera, ex sua indifferentia, & libertate eximitur ab influxibus cæli secundum supradicta. Ergo non sensus, quę sunt potentiæ naturales, & determinatæ.

Secundo probatur experientijs, videmus enim iuxta Lunæ, crementum, vel decrementum fantasiam lunatici perturbari, potentiam visiuam aliquorum commoueri, auditiuam confirmari, canes in ortu caniculæ in rabiem de facili conuerti, & alia similia.

Ad primum, primo dicitur quod aliud est agere de plantis quo ad ea quæ conueniunt illis ex natura suæ speciei; & aliud de eis quę conueniunt illis ab extrinseco, .s. conseruari in esse, fructibus abundare &c. Primum enim potest eis conuenire in quocunque loco, quia hoc sibi arrogant ex sua natura. Secundum autem habent à cælis, vnde in contraria regione nec diu viuent, nec fructus in numero faciẽt. Secundo dicitur quod potest talis esse regio in qua plantatæ subito moriantur.

Ad secundum dicendum, quod sensus bifariam considerari possunt. Primo vt subdũtur imperio voluntatis, & sic maior est in differentia in sensibus, quam in vegetatiuis, nam voluntas non poterit impedire digestionem, vel augumentum plantarũ, impediet vero ne oculus videat, faciendo quod palpebræ claudantur. Secundo vt secundum se considerantur, & sic tantum est determinata potentia sensitiua, quantum vegetatiua, quia præsente obiecto, & ipsa potentia non impedita, & debite approximata producet suam operationem, visus visionem, auditus auditionem, &c. quantum nutritiua nutritionem, & augmentatiua augmentationem, & sic diximus subdi cælis.

Ad tertium dicendum quod vnus effectus potest habere plures causas diuersorum ordinum totales, & partiales eiusdẽ ordinis, vnde qđ natus sit ingeniosus, morige-

ratus

ratus &c. poteſt primo eſſe ab eius voluntate, quæ etiam contra naturalem inclinationem ſe applicet virtutibus, vnde legitur de Socrate, quod cum eius diſcipuli cuidam excellenti phinoſomo eius effigiē detuliſſent, vt de ea diiudicaret, & dicente ipſo illam eſſe imaginem flagitioſiſſimi viri, irati diſcipuli Socratis receſſerunt, & dictum præceptori ſuo retulerunt quibus ipſe dixit. Nolite diſcipuli iraſci, bene enim phinoſomus de me dixit. Ego natura ſum ad vitia inclinatus, ſed arte, & imperio voluntatis hæc ſubiugaui. Secundo oriri poteſt ex parentibus dupliciter. Primo ex eorum natura vnde podagroſus facit podragoſum, iracundus iracundum. Secundo ex educatione, quia adoleſcens iuxta adoleſcentiam ſuam, i. educationem ſuam, cum ſenuerit non recedet ab ea, ex Sapiente. Tertio ex multis alijs oriri poteſt, ſed in propoſito dicam ex cibis, nam medici tradunt, quod cibi ſumpti per dies octo ante generationem, faciunt ſecundum eorum naturam ad diſpoſitionem nati, quia maior, vel minor bonitas ingenij, dependet à maiori, vel minori diſpoſitione organorum, diſpoſitio organorum à temperie primatum qualitatum, temperies primario à ſemine, & ſecundario ab elementis. Seminis qualitas a cibis, quos ſumit generans tempore generationis. Hinc Ioannes Huattes lib. 2. de examine ingeniorum tradit parentes, volentes generare filios bonæ memoriæ, debere per octo dies ante generationem comedere truttas, & murenas, ſeu Lampetras, & id genus piſcium. Si bonæ imaginationis, columbos, allia, cepas, poros, rapas, acetum, vinum album, vel genera aromatum, ſed dicit talem filium futurū Reipublicæ noxium, quia ex caloris abundantia, & firmitate imaginationis ſubtiles inuentiones inueniet, & inuentas exequetur. Si voluerint generare filium acuti ingenij comedent gallinarum pullos, cappones, carnem vitulinam, Hiſpanicum Arietem. Si omnibus dotibus ornatum, ſument lac caprarum melle mixtum, quia hic cibus omnium medicorum conſenſu eſt naturæ delicatioris, quocunque alio cibo. Et eodem modo ad faciendum filium boni ingenij, memoriæ, & imaginatiuæ, debet nutriri lacte caprino, melle mixto, vel butiro caprino cum melle, ſic enim vt refert Homerus Græci filios ſuos nutriebant, & alluſit Propheta dum dixit de Saluatore noſtro. Butirum, & mel comedet, vt ſciat reprobare malum, & eligere bonum. Nam lac tribus elementis conſtat, terra cui correſpondet caſeus, aqua cui ſerum, & aere cui butirum, & addito melle, ignis additur, & fit magna temperies. Propter hanc eandem ciborū conſideratione dixit Hyppocrates lib. de fœtus formatione, & libro de aere, locis &c. quod filij beſtiarum parentibus ſemper aſſimilantur, quam maxime, non ſic nati hominum, quia beluæ iiſdem ſemper nutriuntur cibis, homo vero nunc hoc, vel illo, quamuis etiam hoc proueniat ſecundum Ariſt. ex imaginatione vniformi beluarum, non ſic hominum, nam quamuis per Hyppocratem Scytæ ſint eiuſdem naturæ, & figuræ facialis, magis quam aliæ nationes, quia eodem vtuntur nutriendi modo, tamen in eis multæ etiam diuerſitates cernuntur, quæ ex imaginatione pullulare credendum eſt.

DVBIVM LXV.

An influxus cæli poſſint à cauſa naturali impediri.

Videtur quod non. Nam hæc eſt differentia inter cauſam particularem, & vniuerſalem, quod cauſa particularis poteſt impediri, vt quod Sortes non producat Platonem filium cum quinque digitis ſed cum ſex, non vero cauſa vniuerſalis, vnde Ariſtot. dixit 2. Phyſ. quod monſtra quamuis ſint fortuita in ordine ad cauſam proximam, & immediatum, non vero in ordine ad cauſam vniuerſalem. At cælum cum ſuo motu, & lumine eſt cauſa vniuerſalis omnis actionis, & productionis, quia à primo motu eſt omnis motus. Ergo reſpectu cæli non poteſt dari aliquid à caſu ex impedimento præſtito cælo.

Reſpondeo, quod de actione cæli bifariam loqui contingit. Primo de hac, vel illa actione, huius, vel illius aſtri, et ſic non eſt inconueniens quod ſe impediant, & hoc multipliciter. Primo ex parte materiæ, v.g. dum Sol Aquarium ingreditur, facit pluuias, at ſi in aere non extarent vapores, quia magna præceſſit ſiccitas, vel

vel flauerint venti aquilonares, qui sunt frigidi, & sicci, & nubes fugant, ex defectu materiæ non essent pluuiæ. Secundo ex parte concausæ, quia concausa concurrens obstat alteri concausæ, vt vetustas frumenti obstat, vt ex eo producatur frumentum, vnde ex eo fit ordeum. Tertio ex parte concursus, quia est per accidens, vt quod ædificium ruuat, & occidat illum, qui casu prope ipsum fuit; nam in his casibus influxus influxum impedit, ratione diuersarum partium, diuersimode influentium. Secundo autem modo consideratur cælum secundum se totum, & vt est causa generalis omnium motuum, & actionum inferiorum, & in hoc est difficultas, quia quod fit siccitas, & humiditas, germinatio ordei ex frumento, concursus ruinæ domus, cum occisione hominis, quamuis hæc habeant diuersas causas partiales, tamen in ordine ad totum cælum omnis eorum actio, & impedimentum sunt intenta per se.

Secundo igitur considerandum venit, quod aliud est dicere, quod datur contingentia in rebus stante actione cæli necessaria; & aliud est dicere, quod respectu cæli detur contingentia. Nam primum est verum, quia actio cæli regularis, & necessaria modificatur in causa contingenti, & impedibili, ita vt faciat causam talem suo modo producere suum effectum. Secundum verum non est, quia sic est facere aliquid euenire sine actione cæli, & sic est tollere primum motum non esse causam omnium motuum, & aliquid esse præter intentionem causæ vniuersalissimæ. Loquimur enim de cælo coniuncto primo motori ipsum mouenti, quem secundum Philosophum dicimus esse Deum. Sicut ergo respectu Dei non concedimus, aliquid fortuito, & impedibiliter euenire ita nec respectu cæli totius, vt intelligitur à Deo motū, vt causa vniuersalis omnium effectuum.

Tertio ergo dicere possumus, quod influxus cæli à causa naturali potest impediri. Primo loquendo de hoc, vel illo influxu, respectu huius, vel illius partis cæli, non vero respectu totius cæli. Secundo considerando cælum vt influit præcise in hac, vel in illa causa, non vero vt etiam mouet diuersas causas ad concurrendum ad vnum effectum, qui respectu illarum causatum sit per accidens, sed non respectu cæli mouentis adhunc concursum, eo modo quo est per accidens, quod duo serui se inueniant in foro, non vero respectu domini eos mittentis, vt se in foro inueniant. Tertio concedendo quod in secunda causa detur aliqua propria actio, & modificatio, quæ proueniat ex parte subiecti recipientis tantum, & non ex parte modificati, vel actionis cæli in secunda causa modificatæ. Sed huic non assentio, quia non est secunda causa quæ actionem primæ modificet, sed prima causa, quæ se modificat in secunda, sicut non est calamus qui modificet actionem scriptoris formando grossas literas, sed est scriptor qui se modificat in tali calamo ab ipso electo, vt apto ad formandas grossas literas.

Ad argumentum ergo patet quid sit respondendum. Sed etiam possumus addere, quod aliud est loqui de cælo, & aliud de auctore naturæ. Nam auctor naturæ Deus, est causa generalissima omnis esse, & modi essendi, vnde posset etiam facere, quod homo generaret sibi dissimile in specie, v. g. Leonem, quia potest & in speciem, & in indiuidua. At cælum est quidem causa vniuersalis, sed tamen non potest in esse, quia non potest mutare species, nec producere nouum esse, sed tantum diuersificare modum essendi, faciendo de imperfecto perfectum, vel econtra, vnde dicimus absolute nihil respectu Dei posse esse contingens, respectu vero cæli hoc modo, s. respectu eorum ad quæ concurrit cælum vt prima causa.

DVBIVM LXVI.

An influxus astrorum sit aliqua qualitas actiua.

Videtur quod non. Nam vel hæc qualitas erit prima, vel secunda. Non secunda, quia sequeretur prima ab alio causari, quam à cælo, quod non est verum, quia sic cælum non esset prima causa. Non prima, quia talis est elementaris, & expulsiua alterius qualitatis, nam siccitas humiditatem expellit, & caliditas humiditatem tollit. Idem autem non potest esse causa contrariorum; & consequenter cælum contrariarum qualitatum.

Pro explicatione huius quæstionis. Primo notãdum est, quod vt diximus supra, astra agunt maxime mediante lumine, & motu, lumen enim calorẽ producit, calor autem est fomentum vitæ, & initium productionis rei, nam caliditas, & humiditas sunt principia vitæ, siccitas vero & frigiditas mortis, & corruptionis. Lumen ergo calorem causat, & quanto maius est, maiorem calorem efficit, vnde Sol magis calefacit, quam aliud astrum, quia maiori lumine est præditus. Verum est tamen quod ex natura sua quædam astra maioris luminis non ita calefaciunt, vt aliqua minoris luminis, v. g. Venus, & Iupiter, & Luna, cane maiori, & minori, sed vt diximus, hoc prouenit ex propria ratione causalitatis suæ, alijs vero non obstantibus maius lumen maiorem facit calorẽ, & per radios directos, & per reflexos, & sic alterat inferiora, & ad alterationẽ sequitur generatio, & corruptio secundum quod ad ista ordinatur.

Secundo reduc ad memoriam id quod supra de luce diximus, scilicet esse qualitatem excellentem, quæ & si non connumeretur inter primas formaliter, est tamen prima eminenter, quia potest etiam primas causare, vel directe, vel ex consequenti.

Ad argumentum ergo patet.

DVBIVM LXVII.

An cæli sint colorati.

Videtur quod sic. Nam sensus non decipitur circa proprium obiectum. Sed visus percipit colores in cælo, nam Astronomi distinguunt planetas etiam per colores, & Luna quandoque palescit, & aliquando rubescit. Ergo dicendum venit, quod cæli sint colorati.

Sed dicitur, quod cælum non est vere coloratum, nec vere visibile, quia est coloratum. Nam subiectum luminis duplex est. Primum dicitur partiale, & à quo lumen est amouibile, & hoc est perspicuum, terminat enim perspicuum in actu, vt diximus. 3. de Anima. Secundum dicitur subiectum proprium, & à quo lumen non est amouibile, & hoc est cælum, & sunt astra, & ita cum lumen sit visibile, cælum videtur.

Secundo notandum venit, quod vt animadtit Cardinalis Contarenus lib. 5. de elem. & Scaliger exer. 66. in Card. distantia repræsentat visui multas partes, alias supra alias per longitudinem dispositas in linea visuali, vnde sicut corpus opacum, seu condensatum breue, terminat visionem, ita etiam corpus rarum in longum tractũ efficitur visibile, & sic quia totum quod intercedit inter vltimum cælum, & visum nostrum est longissimo tractu fusum, speciem subit densitatis, & terminat visionem. Sic igitur totum hoc spacium per lucidum, quia fit quasi opacum, & lumine percussum, terminat visionem sub colore ceruleo, aut saphirino, quia talem effectum facit rarum illuminatum, in longum deductum. Ricardus tamen in 2. d. 14. circa 3. princ. q. 6. æstimat probabile, id quod videmus esse cælum crystallinum affectum luce propria, Solis, & aliorum, astrorum, quia hoc cælum paulo densius est, quam reliquæ partes non stellatæ orbium inferiorum, vnde visum terminat. Vel possumus dicere, quod cum in cælo sint etiam partes non stellatæ, aliqua densitate præditæ, possunt per lucem obijcere visui nostro quandam coloratam visionem, cum tamen vere cælum non sit coloratum.

Tertio. Notandum venit, quod diuersitas cælorum quæ apparet in planetis duplici causę poterit adscribi. Prima est natura planetæ, vel stellæ, videmus enim aliquas esse lucidas, & quasdam non, & quasdam alijs lucidiores sunt. Quod prouenire putamus ex maiori, minoriue densitate, & perspicuitate lucentis. Quare Astronomi etiam ex colore deducunt aliquas stellas esse Saturninas, alias Martiales, Iouiales, &c. quia accedunt ad causalitatem supradictorum. Secunda ratio erit distantia sydérum, sed hoc non bene quadrat, quia Saturnus magis nobis propinquus est, & tamen minus lucet, quam multæ stellæ fixæ primæ magnitudinis.

Conclusio ergo est. Cæli secundum se non sunt colorati. Probatur. Color causatur ex mixtione qualitatum, prout ostensum est. 2. de Anima. At mixtio qualitatum in cælo esse nequit. Ergo nec color. Omnes propositiones notæ.

Ad argumentum ergo dicimus. Primo ad maiorem, quod potentia non decipitur circa

ea proprium obiectum, quando est debite approximatum, & potentia non sit impedita. Modo cæli multum distant, nec visus valet eos intueri, vt in se sunt. Secundo dicitur ad minorem, quod colores sunt in duplici differentia. Quidam enim sunt veri, alij apparentes. Hi autem colores conueniunt, & differunt. Conueniunt, quod veri, & ficti fundantur in vera entitate, quoniam res fictitio colore visa, est res realis secundum se, quo ad colorem vero dicta per analogiam proportionabilitatis metaphoricam, ad verum colorem. Secundo, quod vterque mouet visum, & eum terminat. Tertio, quod vterque est in aliquo corpore denso, & aliquo modo terminato, in quo visus figi potest. Differunt vero. Primo, quod veri colores sunt formaliter colores ficti vero improprie. Secundo, quod veri semper manent, non sic ficti. Tertio, quod colores apparentes distinguuntur etiam inter se ex parte subiectorum. Nam vel sunt in corpore terminato, vel in interminato. Si primum, plures videntur colores, dum veri colores irradiantur à lumine, sic enim quæ eis opponuntur varijs coloribus variantur, & sic etiam accidit in corpore interminato, de qua re, nõ est hic dicendum. In proposito ergo nostro diximus quomodo color planetarum varietur. Quod vero dicitur de palore, & rubore Lunæ non est verum ex parte Lunæ, quod secundum se mutet colorem, sed ex parte medij, quoniam ex vaporũ interpositione proficiscitur, quapropter dum circulum facit album, futuræ pluuiæ dat indicium, vt infra dicemus.

DVBIVM LXVIII.

An cælum habeat aliqua communia accidentia cum sublunaribus.

Videtur quod sic. Nam in cælo sicut & in hoc mundo inferiori sunt densitas & raritas, quantitas, & diaphaneitas. Et ex Ptolomeo Luna est frigida, & humida, Sol siccus, & calidus, Mercurius siccus, cũ aliqua humiditate. Venus calida, & humida Mars calidus, & siccus. Iupiter humidus, & calidus. Et Saturnus siccus, & frigidus.

Pro solutione huius quæstionis notandum venit, quod duplex fuit opinio, de cælo apud antiquos, & aliquos ex recentioribus. Nam quidam tenuerunt materiam celi, & inferiorum esse diuersæ rationis, vt late ostendi in 8. Metaph. Alij vero sustinuerunt esse eiusdem rationis. Nam Heraclitus, & Pythagoras fecerunt cælũ igneę naturæ dicentes quod cum ignis sursum tendat, cum summitatem vniuersi attigit, in girum se reduxit, sicut facit flamma in summitate fornacis. Empedocles autem fuit in sententia cælum esse solidum vt crystallum ex aere, & igni compactum, & non cadere, quamuis sit graue, propterea quod rapidissime circumuoluitur. Thales, vero & Anaximenes ipsum fecerunt terreum. At Plato ipsum docuit esse ex floribus consitum, vel vt Proclus dicit ex delicijs elementorum confectum, maxime, ex terra vt tangatur, & ex igne vt videatur, sic enim deducitur ex Alcinoo lib. de doctrina Plat. cap. 12. Sed secũdum Taurum, Porphyrium, & Proclum, & Proclum, & Plotinum lib. de mundo eũ constituit ex elementis. Imò D. Basilius hom. 2. Hexam. D. Ambrosius hom. 2. Hexam. c. 3. Theodoretus q. 9. in Genesim, & D. Augustinus 2. de gen. ad lit. cap. 3. cælum ex igni conflarunt, quos tamen D. Bonau. lib. 2. sent. dist. 14. interpretatur dicendo, vere cælum esse quintam substantiam, distinctam ab elementari, sed secundum quandam similitudinẽ, & analogiam dici ignitæ naturæ, quia maxime lucet. Loquendo ergo gratia opinionum supradictorum, qui fecerunt materiam cæli esse elementarem non esset negandum cælum habere aliqua communia accidentia cum inferioribus, cum habeat cum eis eandem materiam. At nos qui cum Arist. D. Thoma, ac alijs in Metaph. defensauimus materiam cæli non esse eiusdem rationis cum inferioribus, negamus quoque communia esse aliqua accidentia, superioribus, & inferioribus conuenientia.

Secundo igitur notandum venit, quod accidentia sunt in duplici differẽtia. Quadam enim dicuntur propria, quia pullulant, & emanant naturali concopitantia cum subiecto, suntque ab eo inseparabilia, vt est disciplinabilitas, & risibilitas in homine, & rugibilitas in Leone. Quædam vero dicuntur communia, quia non sibi vendicant proprium subiectum, nec ab eo sunt,

P 2 insepa-

inseparabilia; vt color, caliditas, frigiditas, &c. De primis nulla est controuersia, quod cæli, & inferiora habeant aliqua accidentia, propria eis communia, nisi apud eos, qui faciunt cælos animatos anima informante, & intellectiua immortali. Vnde dissidium remanet de secundis.

Tertio ergo dicendum venit, quod aliud est dicere, quod aliqua accidentia secundum eandem speciem conueniant superioribus, & inferioribus, & aliud per eandem rationem, & secundum eandem causalitatem. Primum enim est affirmare, quod idem accidens, eiusdem speciei, & non diuersæ sit in vtrisque, & hoc non negamus, concedimus enim lucem, rarum, & densum, & similia accidentia secundum suam naturam specificam, & vt sunt eiusdem speciei esse in superioribus, & inferioribus. Secundum vero est dicere, pullulare, & oriri ex eisdem principijs subiecti, & hoc non concedimus, cum teneamus materiam superiorum, & inferiorum esse diuersi generis subalterni, iuxta dictum Arist. decimo diuin. Corruptibili, & incorruptibili nihil est commune. Recipere ergo possunt superiora, & inferiora eadem accidentia secundum speciem, sed hoc non nascitur ex principijs effectiuis intrinsecis, sed ex dispositione subiecti, in ordine ad extrinsecam causam effectiuam, intrinsecam materialem.

Conclusio igitur est: Cælis & sublunaribus non est vna materia, neque eadem accidentia effectiue propria. Probatur primo Accidentia propria sublunarium cum ipsis sublunaribus intereunt; cum sublunaria, sint generabilia, & corruptibilia. Sed accidentia pullulantia ex corporibus cælestibus incorruptibilia sunt, sicut, & corpora cælestia. Ergo non possunt ea habere vt propria effectiue.

Ad argumentum ergo dicitur, quod raritas, & dēsitas calorū, & inferiorum sint eiusdem speciei, ita & quantitas bifariam intelligi potest. Primo ab intrinseco, & reciproce, & hoc negamus, quoniam habent diuersam materiam, & formam, & efficientiam. Secundo ab extrinseco, quia .s. quod participatur, & recipitur non diuersificatur in receptis, & sic hoc verum est de denso, & raro, & luce, de quantitate vero minime, quia est accidens proprium materiæ, vt materia talis est. Possumus tamen dicere, quod quantitas duobus modis inspici potest. Primo Phisice .s. secundum suam naturam, & sic alia est quantitas cæli, & alia inferiorum, etiam secundum genus proximum, vt de materia diximus. Secundo Logice vt .s. dicit tantum dimensionem, & vt corpus cæleste, & sublunare sibi arrogant trinam dimensionem .s. longitudinem, latitudinem, & profunditatem, vt sic, & ita vniuoce eis conuenit, Logice vt dixi, & physice analogia inequalitatis. Ad illud quod tangitur de planetis sæpe dictum est illas qualitates non conuenire cælis, formaliter, vel planetis, sed causaliter, vt explicatum fuit.

DVBIVM LXIX.

An lux primo die creata sit Sol.

Occasione accidentis lucis, qđ diximus superioribus, & inferioribus cōuenire quæritur hic ex incidēti, an lux prima die creata, secundum quod habemus in 1. cap. Genesis, sit lux Solis. Videtur enim quod non. Nam D. Aug. censet illam esse naturam angelicam. Damascenus elementum ignis, Catharinus corpus Solare cum omni sua luce, quamuis Sol dicatur creatus quarta die quo ad productionem effectuum. Alij corpus quoddam nubilosum accensum eo modo, quo erat accensa nubes, quæ duxit Israelitas per desertum. Alij cælum empyreum, & alij Solis substantiam, & lucem quodammodo informem, sine perfecta figura, pulchritudine, & luce. Ergo &c.

Respondetur tamen cum D. Dionisio, quod lux prima die creata fuit lux Solis, hæc enim bifariam considerari poterat. Primo vt erat veluti informis, & solum diem distinguere habebat à nocte, & sic primo die intelligitur facta. Secundo vt fuit in suo complemento, & perfectione, & tria habuit. Primum distinguere diem à nocte, quia ea existente super terrā dies erat, & ea abscedente nox. Secundum facere dies solares, menses, & annos, inquantum Sol proprio motu rotatur ab occasu in ortum. Tertium est influere in inferiora, & concurrere per lucem, & motum ad omnium inferiorum generationem, & sic secundum illa tria dicitur Sol factus quarta die

die, cum tamen prima die fuerit creatus, cum sua luce informi, i. non reducta ad suam perfectionem quo ad omnia.

Si quis autem quærat in qua parte cæli fuerit Sol cum sua luce creatus. Respondetur quod in oriente. Primo, quia sic potuit facere diem dum motu raptus fuit motus ab oriente in occidentem spacio 12. horarum, & iterum ab occidente in Orientem subtus terrã spacio aliarum 12. horarũ, in quibus fuit nox. Secundo, quia in nobiliori parte cæli cẽsetur creatus, talis est oriens, qui & dicitur dexterum cæli. Nec obstat quod dicitur primo Genesis, Factum est vespere, & mane dies vnus, quibus verbis annuitur prius vespere præcessisse, & deinceps mane, & consequenter quod dies inceperit ab initio noctis, & sic necessario Sol fuerit creatus in occidente. Relicta enim responsione D. Augustini interpretantis hoc de cognitione angelorum vespertina. i. per proprias species rerum, & matutina. i. in verbo. Ad literam dico quod ly vespere non ponitur vt initium diei, sed vt terminus, vt sit sermo Dies fuit terminatus in vespere, qui inceperat in mane, clarum est enim verbis domini nostri, quod tunc dies dicitur, dum Sol est super terram, & non quando est sub terra.

Ad argumentum ergo dicitur, quod verba D. Augustini bifariam intelligi possunt. Primo literaliter quidem, sed cum spirituali etiam intelligentia, & sic possumus dicere per diem intelligi creationem naturę angelicę, & per noctem creationem naturæ materialis & corporalis, tenendo quod secundum veritatem omnia simul sint creata, & quod distinctio tot dierum posita sit à Moyse, adhoc vt facilior esset apud rudes homines.

Secundo literaliter simpliciter, & sic per diem non intelligimus naturam angelicam; sed Solem cum sua luce, facientem diem distinctum a nocte. Opinio vero Damasceni non subsistit, quia ignis in sua sphera non lucet, vt illa lux faciebat, sic enim & modo luceret, quia nulla legitur facta inmutatio lucis. Catherinus vero non auditur quo ad primum; s. quod Sol fuerit primo die creatus cum omni sua perfectione, quoniam sic non fuisset recẽssitus quarta die. Nec satisfaciunt alij per suam lucentem nubem, quia concedunt transitum accidentis de subiecto ad subiectum proprium, quod fieri nequit. Manet ergo opinio, quod prima die fuerit creatus Sol cum sua luce, sed informi, vt supra quod etiam deducitur, quia primus dies dicitur Solis.

DVBIVM LXX.

An Saturnus planeta habeat singularem modum formandi corpus nati sub eo.

Videtur quod non. Nam filij assimilantur parentibus. At potest esse quod pater sit natus sub Ioue, & mater sub Venere. Ergo natus non assimilabitur Saturno, sed potius Ioui, & Veneri.

In contrarium sunt omnes Astronomi.

Pro intelligentia huius quæstionis & sequentium notandum venit, quod Astronomi, & naturales duas causas intuentur ad pronunciandum de forma, & figura nati. Prima est naturalis, & immediata. Secunda est naturalis quidem, sed cælestis, & prima. Ista autem desumitur à signo Zodiaci ascendente, & à stellis, & planetis dominantibus in natiuitate. Tradit ergo in proposito nostro de Saturno Ptolomeus, quod quando Saturnus in natiuitate est solus dispositor, facit hominem staturę moderatę, & pinguedinis mediocris, coloris mellis, capillorum nigrorum, in pectore spissorum, oculorum mediocriũ, At secundum Iulium Maternum extenuat corpus, pallidum inducit colorem, & languidum, & secundum Messahala inter nigrum, & aereum, In motu corporis tardum, terram aspicientem, labia grossa habentem, & nasum simum, capillos vero nigros, & in pectore spissos. At Porta lib. 2. cælestis Phynosomiæ c. 2. ex colore stellæ Saturni deducit formam hominis Saturnini. Dicit enim stellam Saturni esse coloris obscuri, & plumbei, magnitudinis paruæ inter planetas, motus tardi, & sub firmamento est primus planeta, qui se moueat contra motum primi mobilis, mouendo se ob occasu in ortum. Hinc propter colorem fuscum, facit natum sub eo coloris fuschi, & pallidi, habentẽ capillos nigros propter atram bilem, & ideo hi delectabuntur in colore nigro. Propter paruitatem suam facit natum sub ipso nõ proceræ staturæ, & oculorum paruorum.

Pro-

Propter tarditatem motus,talis erit tardi motus,tardi pulsus,& sudoris acidi.Exercebitur in reb.tardis,& grauibus,vt in ædificandis domibus,plantandis vineis, nemoribus,ducendis aquis, & bonificandis agris. Quare fugiet adiscere natare, saltare,currere,& multum loqui,paucorum enim erit verborum. Propter pugnantiam cum motu primi orbis erit rixosus, amator discordiarum, & rebellionum.

Causa autem proxima figuræ, & formæ hominis Saturnini desumitur ex temperamento corporis eius.Nam secundum Medicos,& precipue Galenum,temperatura hominis Saturnini est melancholica, frigida, & sicca. Ex tali autem temperamento efficitur, quod sic temperatus est melancholicus, durus corpore,capillis ruuidus, colore liuidus, supercilijs coniunctis plenus, labijs grossus, & naso simus, dentibus inordinatus,& pectore amplus.

Ad argumentum ergo dicitur, quod filius assimulatur parentibus magis, & minus prout cum nato habent planetas eosdem, vel non,qua similitudo ab his est suo modo.

DVBIVM LXXI.

An Saturnus det singulares mores.

Videtur quod non. Nam vsus facit mores, vnde sapiens. Adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea. Ergo mores non procedunt ab aliquo planeta, vel cælo.

In contrarium sunt Astronomi, & Medici.

Astrologi igitur respicientes causas cęlestes diuersa tradunt de Saturnino. Equidem Ptolomeus dicit, quod si Saturnus in natiuitate erit orientalis, facit natum frigidum,& siccum, & addit Maternus, quod si dominus natiuitatis fuerit bene collocatus,cum augmento Lunæ crescentis,natus erit elati animi, boni consilij, prouide maturi, fidelis,magis diliget seipsum, quam vxorem,vel filios,pauci cibi,& potus, laboriosus, cogitationibus plenus,& anxius.Inter natos erit primus,vel si alius ante ipsum sit natus, separabitur a patre, & matre. Stabilis erit in amando, & magis in odiendo. Opera istius iuxta dictum Abdilæ erunt laboriosa,& aquea,vnde laborabit in construendis ædificijs iuxta aquas,fabricādis piscinis,& puntibus.Iuxta Hali fortis in angulis,& dominus significatoris erit morigeratus,iudiciosus, ingeniosus, sui consigliarius in rebus proprijs,& aliorum in alienis,diues,Regibus charus,thesaurorum dominus, modestus, non inuidus, cogitabundus, sed non mestus,pauci risus, astutus, & homicida secretus.

Medici autem perscrutantes causam proximam. i. temperamentum corporis vt supra tradunt, quod cum Saturnini sint melancholici, frigidi, & sicci,hinc erunt cogitabundi, graues, pauci sermonis, timidi,quoniam socius melācholiæ est timor, secūdum dictum Hippocratis.Et quoniam à sanguine melancolico nascuntur humores,& vapores ad cerebrum tendentes,& ibi spiritus vitales turbantes, ideo causabunt diuersas imaginationes, apprehensiones,studia, & fantasmata, omnia enim ista procedūt ab atra bili,& sanguine melancholico,quibus Saturnus præest. Hinc delectabuntur nigris vestibus, obscuritatibus, & locis subterraneis, fugientque læta, iucunda, & lucentia, erunt tamen prudentes,& prouidi,quoniam ex melancholia oritur grauitas,consilium, & prudentia per Arist. in problemat. Et quoniā à iocundis abstinent,prudentes cēsentur, & quia tardi sunt ad exequendum,optimi consilij dicuntur, Et ex eo quod frigidi sunt, & sicci, fiunt solitarij, rerum Venerearum inimici, vxoris,& filiorum parum amici. Ob id autem quod sunt parchi,& auari,euadent diuites, & opibus affluentes. Erunt laboriosi, quia delectabilia fugiunt,constantes, & firmi,quia sunt tardi corpore,& animo,agricultura,& ædificatiua delectabuntur, quoniam hæ artes tarditate indigent, & labore.

Ad argumentum ergo dicitur, quod duplex pro nunc est causa morum. Prima ab intrinseco, .s. à temperamento corporis, & hanc diximus posse esse planetam. Secunda extrinseca, & artificialis, & hic erit vsus, & habitus in bene operando, nam habitus tria parit. Primum est delectatio, quia habituati in aliquo,in eo delectantur. Secundum est facilitas, quia propter multiplicationem actuum, negotium factum est facile. Tertium est firmitas,quia fit quasi cōnaturalis, vnde merito illi qui volunt suos natos fore virtuosos,& bonis moribus præditos, debent eos ab incunabilis

bilis bene educare, quia mores quas biberint, illos connaturales sibi facient.

DVBIVM LXXII.

An Saturnus infortunatus infelices faciat.

VIdetur quod non. Nam causa naturalis in hoc à libera distinguitur, quod libera diuersis modis operatur, naturalis vero semper eodem modo, vnde ignis semper calefacit, & aqua humectat. At Saturnus agit, vt causa naturalis. Ergo semper eadem faciet, & ad eadem operabitur.

In contrarium sunt Astronomi dupliciter loquentes de Saturno. Primo de eo bene in figura cælesti collocato, vt si est orientalis, in propria domo, facie, terminis, exaltatione, vel in angulis cæli, & de eo sic considerato diximus supra. Secundo, vt est in figura deiectus, & male positus, & sic dicit Ptolomeus, quod Saturnus occidentalis facit hominem nigri coloris, macilentum, magnos oculos habentem, capillos planos, & raros, & paruæ staturæ. Addit Hali si Saturnus erit male affectus facit hominem difformem, & infirmum, curuum, & oculos magnos habentem, in vno quorum maculam tenebit, & vnus illorum altero grandior videbitur. Faciem magnam causabit, & difformem dentes inæquales, & pectus subtile. Nūquam ridebit, erit piger, tardus, & sordidus in vestibus. Addidit Abdila talis habebit capillos crispos, & multos, pectus angustum, & aspectum obscurum. Subdit Dorotheus erit in corpore multum pilosus, & maxime in supercilijs, quę coniuncta tenebit. Subdit Leopoldus, erit multū frigidus, & siccus, & ideo odiosus.

Horum rationem desumunt Medici à positura eius. Nam Saturnus occidentalis magis est frigidus, & siccus quam orientalis, vt tradit Ptolomeus, & Alcabitius addit qđ propter magnam adustionem flegmæ, & humoris melancolici fit distemperatus. Ex his igitur tamquam ex radicibus deducunt, quod natus sub Saturno infelici erit vilis, incognitus, inuidus, solitarius, suspiciosus, melancolicus, fracturis pedum subiectus, odore caprino plenus. Tradit enim Galenus, seu Ætius lib. de Dinamidijs, quod malus odor oritur ex multa frigiditate, vel caliditate. Ex quo pueri non male olent, quia calor ipsorū concoquit, & resoluit eorum sudorem, non sic in hominibus, quia in ipsis sunt quędam humiditates crudæ, & indigestæ, facilis corruptionis, quæ dum in sudorem conuertuntur, malum emittunt odorem. Erit subiectus infirmitatibus melancolicis, flegmaticis, duris, ac simul vnitis, & fere incurabilibus, vt squammæ, epilepsię, lepræ, morphec, cancro, scirro. Hydropisiæ, paralesiæ, hemorroidæ, dissenteriæ, dolori renum, & febri quartanæ.

Ad argumentum ergo dicitur, quod causa naturalis semper idem operetur stat dupliciter. Primo dum est in eadem dispositione, & hoc verum est. Secundo in diuersa dispositione, & circunstantijs sibi necessarijs ad agendum, & sic non semper eodem modo facit idem, sed prout conuenit dispositioni eius &c. & sic accidit planetis.

DVBIVM LXXIII.

An Saturnus habeat aliqua propria.

VIdetur quod non. Nam propria vni soli conueniunt. At effectus sublunarium dependent à cælis, & planetis vt à causis vniuersalibus. Ergo necesse est eos ab omnibus prouenire, & non ab vno solo.

Respondetur quod Saturnus male affectus, & infortunatus, vt ex longa experientia compertum est. Primo has infirmitates tribuit, & hæ à Saturno prouenire solent. Prima est Phtisis. 2. Catharrus. 3. Paralesis. 4. Hydropesis. 5. Quartana. 6. Ectica. 7. Podagra. 8. Elephantiasis 9. Morphea. 10. Cancrus. 11. Diarhea. 11. Splenica passio, & alij morbi frigidi.

Quoad potentias Saturno subijcitur retentrix, & flegmificatiua.

Quo ad mutationes temporum. Saturnus iūctus cum Andromedæ vmbelico, erunt nubila, & interdum pluuiæ, & niues. Cum stellis cæti. Tempus turbidum. Cum Capricorni cornu. Frigus cum nubilis. Cum cane maiori. Venti, fulmina, & pluuiæ. Cum Arietis cauda. Aeris turbatio. Cum corona lucida. Turbidus aer. Cum Delphino. Nubes. Cum Arcturo. Venti cum pluuijs. Cum Lira. Nubila. Cum Præsepi, pluuia, & quandoque venti. Cum Asellis. Sæpe venti. Cum Medusæ capite.

te. Frigus, & humor perseuerans. Cum Stellis Orionis. Imber, & tempestas, cũ ventis. Cum pleyadibus. Aura turbida, nebulosa, cum niue, & pluuia. Cum Piscium nexu. Nubila. Cum Spica. Repentina mutatio. Imbres tonitrua, & fulgura.

Dominatur materiæ nascendi primo mense, & octauo, vnde in primo multum turbat, & in octauo necat. Quo ad situm, & motum, Astronomi ponunt ipsum summum planetam, firmamento immediatum, eius orbem ex tribus partialibus orbibus resultantem, quorum duo sunt eccentrici, & concentrici secundum quid, & vnus eccentricus simpliciter. Ponunt hac nostra tempestate eius Apogeum, in Signo Sagittarij grad. 29. m. 43. Perigeum in signo Geminorum grad. 29. m. 42. maximã eius latitudinem Borealem grad. 3. m. 2. Australem grad. 3. m. 5.

Quoad formam Galileus de Galileis tradit se anno 1610. beneficio perspicilli nuper inuenti obseruasse Saturnum nõ vnicam esse stellam, sed tres simul iunctas, formantes quandam figuram similem illi quę ex tribus o resultat, ita tamen vt o in medio sit grandius sic o O o. Sed ab alijs, hoc non est obseruatum, sed solum quod sit vna stella.

Cum planetis vero cõiunctus ista operatur. Saturnus cum Ioue in in signis Igneis, vel in aliquo aspectu eius (magis tamen vel minus pro varietate, & qualitate aspectuum) excitabit caliditatem, & siccitatem. In signis humidis, continuas pluuias, & inundationes, intendit ventos, nubes, & vim noxiã. Cum Marte in signis igneis erit, procellosus, & grandinosus. In humidis nubilosus, ventosus, & omnium destructor. In Vere faciet tonitrua, & tempestates, in Aestate tonitrua, & pluuias. In Autumno, tonitrua, & grandines, pluuias & turbidum aerem. In Hyeme frigoris remissionem causat. Cum Sole in igneis pluuias, grandines, & frigiditatem. In aquaticis Vere pluuias. Æstate grandines, & tonitrua. Autumno pluuiam, & frigus. Hyeme niues. Cum Venere Frigora, pluuias, himbres, & interdum gradines. Æstate subitas pluuias. Vere pluuias, & frigus. Hyeme, niues, vel pluuias. In siccis siccitatem, & in terreis frigiditatem acuit. Cum Mercurio in signis humidis facit tenebrosum aerem, in siccis, siccitatem. In Vere ventos, & pluuiam raram. In æstate ventos, & nubes, in hyeme, ventos, & niues. Vix noxia fructuum maior est. Cum Luna, nebulas, frigiditatem, & aliquando pluuias in signis humidis, in aereis augmentum frigiditatis, Vere, turbidum, & humidum aerem. Æstate humidum. Autumno nubilosum. Hyeme, niues, sæpe grandines, sæpe siccitates, in siccis temporibus pruinam.

Quo ad theoricam planetarum orbes perfecti Saturni sunt tres vt diximus, vnus eccentricus simpliciter, alij duo secundum quid. Epiciclus, seu paruus orbis imperfectus, vnus in crassitie eccentrici simpliciter immersus. Deferens Saturni quotidie mouetur sex tertijs, & duabus quartis. Singulis annis, 36. secundis 40. tertijs, & 48. quartis. Perficit circulum annis Ægiptijs triginta sex mille, trecentis triginta tribus annis. Eccentricus vero quotidie mouetur vno secundo, viginti & vno tertio, & sexdecim quartis. Annis singulis, duodecim grad. duodecim primis, nouem secundis, triginta tribus tertijs, quinque quartis. Perficit autem circulum 29. annis, diebus 183. Horis. 5. Centrum deferentis Saturni a centro mundi distat, partibus tribus, scrupulis 25. qualium semidiameter est 60. Centrũ ęquantis partibus sex, scrupulis 60. Æquatio centri nulla est in Apogeo., vel perigeo, est vero 6. partium 30. scrupulorum, & 30. secundorum in punctis mediocris trãsitus. Anomalia Saturni argumenti quotidie mouetur, scrupulis 50. Secundis 7. Tertijs 7. Quatuor 40. Singulis annis signis 11. partibus 17. primis scrupulis 32. secundis tribus, tertijs septem. Perficitur anno vno, diebus 12. Horis 21. min. 36. Maxima argumenti æquatio in Saturno est, quando ab Apogeo epicicli distat vti signis tribus, partibus. 6. ad apogeum eccentrici partibus 5. min. 55. secundis 33. Iu perigeo eccentrici, quando ab eodem epicicli apogeo distat signis tribus, partibus. 7. est partium 61. min. 38. secundis 38. Semidiameter epicycli, partium sex, & semis, qualium Semidiameter eccentrici habet 60.

Ad argumentum respondetur, quod aliqua causa vniuersalis potest dici propria, dũmodo ad vnam speciem vel genus se extendat, nam quædam sunt propria indiuiduis

duis, vt principia indiuiduantia, quædam speciei, vt propriæ passiones manantes à natura specifica, & quædam etiam generi, vt eius rationes, prout ab alio genere distinguitur. In proposito ergo influxus Saturni bifariam cōsiderari potest. Primo respectu huius, vel illius indiuidui, & sic non esset causæ vniuersalis. Secūdo respectu omnium ipsum participantiū, & sic dicitur causę vniuersalis. Nec per hoc excludimus actiones, & influxus aliorum cælorum, & planetarū, sed quo ad sibi propria.

DVBIVM LXXIV.

An Iupiter singularem figuram præstet.

Videtur quod non. Nam pictores Iouem formant sub forma Priami, & Caroli Magni, quorum forma dicta est digna imperio, & tamen multi Iouiales, & fortunati reperiuntur, parui, difformes, & defectuosi. Ergo vanum est dicere, quod Iupiter det singularem formam, & figuram.

In contrarium stant Astronomi. Nam Hali, Maternus, Messabala, Leopoldus, & alij de Ioue dupliciter loquuntur. Primo de eo fortunato. Secundo de eo non bene collocato. Dicunt ergo quod quādo Iupiter erit dominus dispositionis, & figuræ, eritque orientalis, faciet natum sub eo album, & pulchricoloris, venerabilisque aspectus, cum oculis nigris, magnis, sed cum parua pupilla, cum capillis mediocribus. Color igitur personæ erit albus, sed declinans ad rubedinem aliquam, frōtem habebit magnanimam, & altam, oculos nigros, magnos, cum parua pupilla, & aliquando lata, sed gratiosa, & rapiens in affectum, ac reuerentiam. Barbam rotundam, & aliquando crispam, maxillas eleuatas, & narices grossas, capillos nec multum spissos, nec raros multum. Staturam mediam, sed pulchram, incessum stabilē, cum oculis ad terram. Dentes anteriores maiores alijs, & aliquando diuersos. Delectabitur in ornato vestitu, sed moderato.

Loquendo vero de Ioue infelici, & male disposito. Dicit Ptolomeus, quod si Iupiter fuerit occidentalis faciet homines albos, capillos habētes duros, mediocrem staturā, caluos, & in humiditate distēperatos, His assentiunt alij Astrologi addentes, quod nigredinē portabit in aliquibus dentibus, & non erit magni capitis, narices habebit curtas, nec filum nasi implentes.

Ad argumentum ergo dicitur, quod procedit de Ioue male disposito, quo ad partes corporis. Vel melius dicitur quod forma, & felicitas non ab vna tantum causa celesti procedunt, sed à multis, & ideo omnes sunt inspiciendæ, & adinuicem comparandæ, quia illa quæ præualebit, effigiabit hominem more suo. Tertio dicitur quod Iupiter fortunatus facit homines formosos, vt diximus.

DVBIVM LXXV.

An præstet singulares morum inclinationes.

Videtur quod non. Nam Astronomi dicunt Iouem esse calidæ naturę. At calidi sunt subdoli, & deceptores. Ergo Iupiter non potest inclinare ad optimos mores, vt tradunt Astronomi.

In cōtrarium stat Ptolomeus cum tota classe Astronomorum, asserentium Iouem inclinare si fuerit Orientalis, & bene dispositus ad benignitatem, iustitiam, honestum. Erit conciliator discordantium, præcipiet solum honesta, vera, & conuenientia. Erit Doctor, vel tribunus, Capitaneus, lætus, ac iocundus.

Naturalis autē causam proximam rimanentes dicunt, quod cum Iupiter dicatur calidus, & humidus temperate, ex temperamento autem calidi, & humidi magnum temperamentum nascitur, ita vt natus cum tali temperie ad iustum, & æquum magnam habet propensionem, & similiter ad honesta, & conuenientia. Dicitur inclinare ad leges, quia secūdum proprium temperamentum iudicat, ac in alijs idem desiderat, & ideo omnia dissidia, fraudes dolos, & oppressiones pauperum abhorret, ac detestatur. Et propter leges quibus incumbunt Doctores, præfecti, iudices, & consiliarij veridici, & æqui euadent. Et quoniam optimum temperamentum non conturbat fantasmata, nec dissonantiam causat in sensibus, ideo tales erunt optimi ingenij, iudicij, & consilij. Sed quis hoc temperamentum declinat ad aereum, & aer est calidus, & humidus, & alterabilis, hinc isti erunt elati, magnanimi, magnarum rerum amatores, liberalesque, &

magis quam habeant opes. Sunt læti, hilares, gloriosi, & imperiosi. Erunt fortunati, & fœlices in omnibus fere suis actionibus, quia ad conuenientia, & iusta (prout iudicabunt ipsi, & alij) manum apponent, cum laude, & amore aliorum, à quibus extollentur. Et quia sunt calidi, & humidi, propterea erunt luxuriosi, nam fomes luxuriæ est caliditas cum humiditate, ex quo temperamento Arietes maxime sunt lasciui. Bene comedunt, quoniam cum sint optimi temperamenti, id quod comedunt, cito degerunt, & famescunt. Erunt fæstiui, & læti, ob hãc causam, quod sanguinem purificatum habent, nam puritas sanguinis cor lætificat secundum Hippocratem, & malus sanguis cor, & animum deijcit, & prosternit. Erunt sani propter optimum temperamentum corporis, & bonam complexionem, quia sanitas non est nisi adæquatio humorum. Erunt patientes quia Sapientes, & diuites, quia laboriosi, & tollerantes vt negotium ad rectum finem perducant. Diligunt vxores, & filios, quia sunt luxuriosi. De Ioue vero male disposito, & infortunato sic dicunt, quod si Iupiter fuerit occidentalis, & male dispositus inducet humiditatem superabundantem destruentem. Hinc hi erunt calui, quia luxuriosi, maculati in capite, & dentibus ob defectum caliditatis. Erunt timidi, molles, inconsiderati, & fœminis similes, quia eorum temperamentum est paruum, & ad humiditatem superfluam accedens, vt est temperies mulierum. Hinc sicut Iupiter orientalis, & bene dispositus facit ex optimo temperamento natos sub eo religiosos, mansuetos, & benefacientes. Ita occidentalis, & male affectus facit natos sub eo irreligiosos, timidos, & malefacientes. Infirmitates autem de quibus infra à Ioue occidentali proficiscuntur, nam eo orientali, sunt pauca ex dicendis.

Ita quo ad formam corporis dicunt naturales, quod cum Iouis stella sit nitida, fulgida, & gratiosa, & in lumine pura, ita facit hominem pulchrum, gratiosum, aspectu iocundum, & amabilem, ac corpore bene dispositum, & proportionatum. Et quoniam eius magnitudo est potius magna, quam parua, ideo facit homines potius magnos, quam paruos. Et quia post Saturnum est planeta tardi motus, hinc est quod etiam Iouiales in incessu potius sunt tardi, quam celeres, patientes, ac tollerantes labores. Dicunt insuper quod habent oculos magnos ob magnam eorum caliditatem, albedinem perfusam rubore ob temperamentum caloris, cũ humido, &c.

Ad argm̃ dicitur, quod procedit de calidis sine tẽperie. Iupiter aũt est calidus tẽperate.

DVBIVM LXXVI.

An Iupiter habeat aliqua propria.

Videtur quod non. Nam Poetæ dixerunt Iouem esse Deorum patrem. Ergo male post Saturnum collocatur, supra enim fuisset constituendus.

Pro explicatione multorum, quę dicuntur de Ioue sciendum est generaliter, quod vt diximus Iupiter dicitur fortuna maior, sicut Venus minor, vnde antiqui fęlicitatę insidentem circulo Iouis posuerunt, quoniam ponitur planeta beneuolus, calidus & humidus, masculinus, in suis qualitatibus temperatus, in colore argenteus, candidus, blandus, ac clarus. Tradunt temperare malitiã Saturni cui proximus est, & immediate coniunctus, quapropter fingũt poetæ. Iouem expulisse à parte regni sui, patrem suum Saturnum, quia vt dicunt Martialis, & Isidorus sua benignitate reprimit malitiam Saturni, quum Saturnus sit siccus, & frigidus, & Iupiter calidus, & humidus. Coniunctus etiam bonis planetis adauget eorum vires, ac felicitates. Præstat sanguineæ complexioni. Sub eo continentur honores, diuitiæ, optima indumenta, & quando reperitur in Horoscopo denotat, reuerentiam, honestatem, fidem, & disciplinam. Erit finis ad saluationem, confortat bonitatem, & solum in duodecima domo repertus tradunt tunc significare seruitutem, paupertatem, & tristitiam à parte quadrupedum, & merorem ex parte familiæ, & seruorum, ita dixerunt Ptolomeus, & Misael.

In singulari vero quo ad infirmitates ab eo prouenientes has dicunt esse. Angina, Pleuritides, Peripneumonia. Apoplexia sanguinea. Sanguinis spasmus. Cephalagia. Cardiaca, & alij morbi, à flatibus, vel sanguine orti. Reddunt naturales causam dicendo, quod cum Iouiales sint calidi, & humidi, ideo data in his intemperie, sequentur

quentur infirmitates, ex humiditate, & caliditate intẽperata prouenientes. Quare solent eas infirmitates facere, quas faciũt paruuli, qui sunt calidi, & humidi. Et quoniam sanguis in Vere abundat, & crescit, ideo in hac anni parte infirmantur, non sic in hyeme, æstate, & Autumno, vt dicit Galenus in 2. Aphorismorum. Et quia sanguis in iecore generatur, & ibi perficitur, hinc infirmitatibus vexantur, quæ ab ipso procedunt, vel circa ipsum sunt. Et quia etiam purum habent sanguinem, qui cor lætificat, ideo mors illorum erit, vel ob magnam lætitiam, vel ob vomitũ, vel corporis fluxum, vel vsum Venereorum, quoniam sanguis purus non admittit admixtionem superfluorum. Erunt subiecti dolori lateris, varollis, gonoreæ, Febribus, tertianæ, pestilenti, & continuæ, facta alteratione in sanguine, in quãtitate, vel qualitate, & intemperie.

Subduntur ei ex potentijs. Tactiua, Digestiua, Nutritiua, & cõcoctiua, cũ spermatica.

Quo ad mutationem aeris dicunt Astronomi, quod quando inuenitur in bono statu est causa serenitatis, temperiei, & salubritatis aeris, pluuiarum salubrium, (nam solus Iupiter ex tribus superioribus planetis dicitur pluuias causare) ventorum septentrionalium, remissionis caloris in æstate, & frigoris in hyeme, fęlicis nauigationis, & fertilitatis annonæ. Dominatur iuuentuti à 14. anno ad 21. vel à 28. ad 35. vel 40 In generatione dat spiritum, & vitam animalem. Cum quacunque stella tempus dulcius. Cum martialibus tonitrua. Cum Venereis serenitas. Cum Saturninis. Impedimentum frigoris. Cum merculiabus aeris claritas. Cum Lunaribus molles pluuiæ. Cum Regulo hyeme Serenitas. Cum planetis vero sic se habet ex longa obseruatione Astronomorũ. Cum Saturno, vt supra, s. in siccis seu igneis signis est valide calidus, & siccus, & in humidis continue pluuiosus, & inundans. Ventus intenditur, nubes, & vis noxia. Cum Marte. Alteratur aer tonitruis fulminibus, & fulguribus pro qualitate signorum. In humidis tonitrua, & coruscationes, in calidis exustio, & caliditas. Si Iupiter prædominatur, augetur. Si Mars crescunt siccitates, incendia, & maligni effectus. Cum Sole in signis aereis, aura serena, & aeris temperies, in humidis fęcundæ pluuiæ, in aqueis caloris augmentum, in terreis serenitas diminuitur. Cum Venere aer tranquillus, temperatus, gratus, serenus, fertilitas fructuum. Si tamen Venus prædominaretur magis, pluuiæ. Si Iupiter magis serenitates, & ventí. Cum Mercurio. Aspectus horũ planetarũ ventos mouet sine pluuia. Cũ Luna Serenitas, & ventus propitius aduehitur.

Quo ad eius motum, & orbis compositionem tot habeas. Primum quod male dixerunt illi, quia affirmauerunt Saturni orbem mouere per accidens orbem Iouis, seu superiorem orbem (planetæ dico) inferiorem. Nã adhoc vt vnus orbis alium moueat necessariæ sunt duæ conditiones. Prima est concentritas. i. habere idem centrum commune, quia diuersitas centrorum impedit quo minus orbis eccentricus simpliciter trahat secum inferiorem eccentricum secundum quid, nam cum eccentricus simpliciter voluatur circa diuersum centrum, non potest imprimere suum impulsum, eo modo, & velocitate qua recipit, alioquin daretur penetratio. Secunda est, vt cælum communicans suũ motum proprium sit superius, & contiguum inferiori cui cõmunicat, cùm enim orbis inferior sit longe minor, non poterit imprimere impetum superiori à quo continetur, cum motus sit de numero eorum, quæ requirunt præsentiam, & approximationem. Istæ autem duæ conditiones deficiunt planetis superioribus respectu inferiorum, nec nec habeat centrum, & quamuis sint immediati, non tamen sunt coniuncti. Secundum est, quod cælum Iouis constat ex tribus orbibus, vt dictum est de Saturno. Habet epyciclum vnum paruum vt Saturnus. Deferens mouetur quotidie vno tertio, quadraginta tribus quartis. Singulis annis 10. secundis 49. tertijs, & 26. quartis. Perficit circulum secundũ Astronomos ann. 109756. Eccentricus quotidie mouetur scrupulis quatuor 50. secundis. 5. tertijs 4. quartis. Singulis annis 30. gradibus 19. scrupulis 30. secundis 17. tertijs. Perficit circulum annis 11. diebus 318. hora vna. Centrum efferentis distat, vt supra, partibus duabus minutis 45. Aequantis partibus. 5. & semis qualium semidiameter eccentrici est 60. Prostapheresis eccentrici, seu æquatio centri in apogeo, vel perigeo nulla.

la. Quando vero centrum epycicli abfuerit ab apogeo medio motu, signis tribus, & partibus tribus vtrunque, est partium 5. scrupulorum 13. secundorum 59. Quando in parte inferiori elongabitur tribus signis, partibus 5. & semis. partium vndecim vnius scrupuli 59. secundorum. Anomalia argumenti quotidie mouetur minutis 54. secundis 9. tertijs 4. Singulis annis. signis 10. partibus 29. min. 25. secundis 8. tertijs 4. perficit circulum anno 1. diebus 33. horis 20. scrupulis 9. Maxima argumenti æquatio ad Apogeum eccentrici, planeta distante ab Apogeo epycicli signis tribus partibus 10. & semis. Est partium 10. min. 30. sec. 9. semidiameter epycicli partium 11. & semis qualium semidiameter eccentrici, habet 66.

Ad argumentum dicitur quod Iupiter ponitur summus planetarum non situ, quia talis est Saturnus, sed benignitate, & fortuna.

DVBIVM LXXVII.

An Mars præstet singularem formam humanam.

Videtur quod non. Nam Mars dicitur origo, & causa iræ, homicidij, & bellorum. Sed ista potius bestijs feris conueniunt quam homini. Ergo melius esset efforfandus Mars sub specie Leonis, Vrsi, Lupi, &c. quam hominis.

Respondent Astronomi, quod omnes planetæ sub specie hominis, quamuis diuersimode effigiantur, quia sapientiam, & intellectum eis omnibus attribuunt. Dicit ergo Ptolomeus, quod Mars orientalis, & dominus faciet hominem albũ, & rubeum, bonæ quantitatis, & sufficientis carnis, oculorum variarum, capillorũ spissorum, & mediocrium. Sed Iulius Firmicus addit ipsum dare capillos rubeos, & oculos sanguineos. Et Hali aureos, faciem rotundam, & inhonestam, cum macula in pede dextero; & cum isto consentiunt Messahala, & Dorotheus. Abdila tamen affirmauit Martialem habere caput curuum, & crassum, colorem faciei rubeum cum nigro mixtum, sicut est illorum qui multum ad Solem ambulant.

Horum autem causam duplicem notauerũt naturales. Primam acceperunt a colore Stellæ Martis. Secundã à temperamento Martialis. Prima ergo causa est, quoniam stella Martis lucida est, rubea, ignita vt carbo ardens, & lucens, vnde dicta est pyrois. i. quasi flamma, annuens naturam ignitam, & horribilem. Ex quo poetæ dixerunt Martem minari bella, infelicitates, mortem violentam, infirmitates ardentes. Hinc tradit Ptolemeus hanc Stellam ardere, & desiccare, ignire, & inflammare, quare non est mirum si etiam faciat hominẽ Martialem rubeum facie, & capillis, & cũ oculis sanguineis, & quoniam stella non est admodum magna, ideo nec Martiales sunt multum magni, sed in motu faciunt passus longos, & celeres. Pro secunda causa cõsiderãt temperamentum Martialis, quod est calidi, & sicci. Ex quo etiam tenent carnem calidam, asperam, sine pinguedine, vocem firmam, fortem, & rusticam, venas apparentes, respirationem fortem. Cito sudant, cito digerunt, & labores sufferunt, hi enim sunt effectus temperamenti calidi, & sicci immediate.

Ad argumentum ergo dicitur, quod homo est paruus mundus, vnde fore eum omnibus rebus habet aliquod commune: vnde potest esse terribilis vt Leo, crudelis vt Vrsus, vorax vt Lupus, rapiens vt Arpiæ, superbus vt Pauo, carnalis vt Canis, &c. & sic omnia vitia, & virtutes possunt homini adscribi.

DVBIVM LXXVIII.

An det inclinationes ad singulares mores.

Videtur quod non. Nam mores dicunt regulam virtuti propriam. Sed Mars parum seruat regulam sicut, & ignis facit, & Martiales solent esse flagitiosissimi viri. Ergo non sunt ei attribuendi singulares mores.

In contrarium dicit Maternus Martem facere homines inuitos, inuincibiles, immobiles, contentiosos, tardos, violentos, audaces, periculosos, deceptibiles, comestores, parum practicos, prima loca appetentes, parum vxorem, filios, & amicos diligentes, & aliorum bonorum concupiscitores, &c. Cũ naturalibus ergo dicemus, quod cũ Martiales sint subditi cholerræ & sint calidi, & sicci, ideo ad iram sunt procliui, & velocis motus sicut est ignis.

Com-

Comprobatur enim hoc ex dominio rubeæ choleræ, quæ secundum naturales efficaciores vires habet in nato ab anno 14. vsque ad 25. in qua ætate solent homines esse magis cholerici, audaciores, & insolentiores, vnde Galenus, Plato, & alij tradunt ex humoribus biliosis consurgere audaciam furorem, & inconstantiam, quare Martiales sunt audaces, furiosi, & inconstantes, & secundum dictum Hippocratis de anatomia viuorum, etiam ingeniosi, acuti, comestores, & luxuriosi. Et propter complexionem calidam multum comedunt, & carnes non bene coctas, & eas digerunt sine amore viuunt, quoniam temperamentum amantium est calidum, & siccum cum moderatione. Sunt mobiles, quia veloces ad operandum, ideo non possunt stare in eodem loco. Sunt leues, & ideo de facili, & sine causa itinera arripiunt siue necessarijs, & conuenientibus, vnde eis oriuntur deinceps labores, afflictiones, & incommoda. Et quia sunt fortes, ideo etiam sunt superbi, imperiosi, temerarij, & audaces.

Ad argumentum dicitur, quod mores dupliciter sumi possunt. Primo communiter, & sic dicuntur de bonis, & malis vsibus, & actionibus, dantur enim boni, & mali mores. Secundo proprie, & sic dicuntur tantum de illis actionibus, & vsibus, qui à virtute regulantur, de quibus procedit argumentum. Secundo dicitur, quod Mars bene collocatus, & si faciat hominem bellicosum, & sanguineum &c. tamen eum etiam facit iusti defensorem, &c. vnde non est sine rectis moribus, & virtute.

DVBIVM LXXIX.

An Mars habet aliqua propria.

Videtur quod non. Nam propria inseparabilia dicuntur, ex Porphirio cap. de proprio. Sed Mars dicitur dux belli cuius finis, est pax. Ergo facit transitum de contrario in contrarium, & sic non est dicendum saltem, quod sit ei proprium mouere bella.

In contrarium sunt omnes gentes qui inter cetera multa, quæ Marti attribuunt, hoc vnum est præcipuum, quod dicatur dux belli, & bellorum Deus, quia præest choleræ, & igni ex quibus nascuntur audacia, animositas, & appetitus vindictæ. Et nisi ex vicinitate quam habet cum Ioue, & Venere temperaretur eius natura, maiora mala, & desidia causaret. Dicamus ergo primo, quod secundum Ptolomeum ex parte corporis disponit potius ad longitudinem, & gracilitatem quam breuitatem corporis, & pinguedinem, dico in iuuentute, quia in senectute ex calore consumente, & siccitate contrahente disponit ad curuitatem. Ex parte vero mentis disponit ad mobilitatem animi, ac leuitatem, ad iram, & animositatem, & ad alias cholericas passiones, vt diximus. Disponit etiam ad igneas operationes, sicut ad ferrarios, & furnarios, sicut Saturnus ad terrarum cultores, & grauium pōderum portitores, & Iupiter ad artes leuiores, cum Iouiales reddat habiliores, vt sint oratores, trapezetæ. i. campsores, argenti tractatores, & scriptores, secundum conditionem nati, & parentum, quæ semper inspicienda veniunt.

Secundo pro medicina dicimus cum Astronomis, & medicis, quod Mars dat has infirmitates. Erisipilā Hemicraneam, putredinem, Abortum. Venarum rupturam, & omnes morbos ex ruptura venæ genitos, & omnes infirmitates, & defectus, qui ex caloris, & sanguinis inflammatione procedunt, & cholera. Vt sunt secundū Hippocratem, & Galenū in Aphorismis, febres tertianæ, & ardentes, Erisipilæ, & signa per corpus diffusa, & omnia alia mala quæ ex cholera gialla, vt dicitur nascuntur. Quare martiales male affecti habent pulsum magnum, colorem vrinæ aureum, focosum, mordacem, sudorem acutum, salsum, & amarum, Somnia ignea de incendijs, homicidijs, litibus, & furtis. Sentiunt pruritum per corpus, sustinent visiones horribiles, & similia. Ex potentijs attribuunt Marti auditiuam vasa fellis, nasum, collum, & testes.

Tertio pro aeris mutationibus, & agricultura. Marte cum arcturo, venti validi, fulmina, & tonitrua. Cum Aquila Hyeme. Niues, & in Aestate pluuia perseuerans. Cum Saturno in signis igneis procellosus, & grandinosus. In humidis, nubilosus ventosus, & omnium destructor, in Vere faciet fulgura, & tempestates, in Aestate pluuias, vel tonitrua, in Autumno tonitrua,

trua, grandines, pluuias, & turbidum aerem. In Hyeme causat frigoris remissionem. Cum Ioue tonitrua, fulmina, & fulgura in humidis, in siccis caliditatē, & siccitatē. Cū Sole erit siccitas, & caliditas. Cum Venere aer suauis, & pluuiæ gratiosæ. Cum Mercurio venti, & turbines. Cum Luna variæ aeris mutationes. Tradunt etiam aliqui quod quāuis Mars sit feruentissimæ naturæ, siccæ intemperate, & calidæ, & maxime si sit orientalis augeat calorem, & si sit occidentalis siccitatem, tamen si illius status mutatur, vel in epyciclo, vel in eccentrico aliquando causat humiditatem, & si sit solus dominus temris producit immensum calorem, tempestates, grandines, fulgura, repentinam classium submersionem, animalium mortem, fructuum destructionem, aeris inflammationem, & mortem repentinam hominis.

Pro motu laborauerunt multum Cheplerus, Tycho, & Maginus, sed tandē cōcluditur, quod epyciclus mouetur spatio 319. dierum.hor.22.min.23. Eccentricus simpliciter spatio vnius anni dierum 321.

Pro integratione, & constitutione eius dicimus quod Mars habet tres orbes completos. Epyciclum vnum. Deferens mouetur quotidie Tertijs 4. Quartis 43. singulis annis secundis 28. Tertijs 44. Quartis 7. Eccentricus mouetur quotidie scrupulis primis 31. sec. 26. Tertijs 26. Quartis 15. Singulis annis signis 6. partibus 11. min. 15. sec. 49. Tertijs 44. Quartis 3. perficit circulum Anno vno, diebus 322. circum circa. Centrum deferentis distat partibus 6. Aequantis partibus 12. vt supra. Prosthapheresis eccentrici, seu æquatio centri, quando centri epycicli elongatur ab apogeo eccentrici vtrinque signis 3. partibus. 5. & semis & est partiū 11. m. 5. secun. 59. Anomalia argumenti quotidie primis scrupulis 27. sec. 41. Quartis 46. singulis annis signis. 5. partibus 18. m. 28. secūndis 30. Quarti 4. Perficitur annis duobus, diebus 49. horis 19. m. 43. Maxima argumenti æquatio in apogeo eccentrici, ipso distat ab apogeo epycicli signis 4. partibus 7. Est vnius signi, partiū 6. min. 54. sec. 18. In perigeo ipso distante ab apogeo epycicli signis 4. partibus 17. Est vnius signi, partium 16. min. 38. sec. 4. Semidiameter epycicli, partium 39. & semis, qualium semidiameter eccentrici, habet 6.

Ad argumentum. Primo dicitur ad maiorē, quod habere aliqua propria stat dupliciter. Primo omni tempore. Secundo cum tali dispositione, & causa, vt quod V. g. quotiescunque Luna cadit inter Solem, & visum nostrum fiat eclipsis. Secundo modo diximus planetas habere aliqua propria, vnde pro vno tempore cum tali dispositione vnus inducet siccitatem, & in alio cum alia dispositione humiditatem, sicut Luna sub ecliptica cum Sole causat eclipsim Solis, & extra non, quare non est mirum Martem disponere quandoque ad bellum, positiue, & negatiue ad pacem, non alterando, nec commouendo sanguinem, & bilem. Secundo dicitur ad minorem, quod dum dicimus finem belli ecce pacem, potest bifariam intelligi. Primo finem intrinsecum, & sic finis intrinsecus belli est occidere, capere, & debellare hostes. Secundo finem extrinsecum. f. ad quem ordinatur bellum, & sic verum est esse pacem. Intendit enim princeps, qui bellum mouet vincere hostes, & eneruare omnes eorum vires, vt his debellatis, & domatis, omnia reducat sub eius imperio, & nullus sit qui eius resistat voluntati.

DVBIVM LXXX.

An Sol det singularem figuram.

Videtur quod non. Nam Sol allucinat visum. Ergo potius tollit formas & figuras, quam det, respectu nostri.

Ptolomeus, Hali, Leopoldus & Dorotheus sunt in sententia Solē, & Lunam singularē formā nō dare, sed alios planetas quib. in figura natiuitatis iungūtur coadiuuare in præstanda, magnitudine, & pulchritudine. Maternus vero dicit, quod quando Sol fuerit coniunctus cum domino natiuitates, format homines corpulentos, cum capillis aureis & lucentibus. Addit Messahala si Sol orientalis fuerit, colorat hominem colore inter aureū, & nigrum, quoddam rubore mixtum, corpus declinabit potius ad paruitatem, quam ad magnitudinem, cum oculis ad colorem auri vergentibus. Sed Abdila tradit facere homines bene in carne, pulchrę, & candidę faciei,

ciei, aliquo rubore perfusæ, cum oculis, quandoque magnis, cum barba plena, & pulchra. Et cum Sol in ascendente erit inducet signum in facie, & capillos citrini coloris declinantis ad rubedinem. Hali dicit. Sol facit hominem coloris aurei, pinguem, album, cum capillis diffusis, capite magno, oculis ad extra aliqualiter tendentibus, faciei rotundæ, & lucentis, aspectus pietosi, vocis raucæ, magnitudinis mediocris, in incessu compositi.

Horum rationem aliqui acceperunt ex figura solis. Sol enim cetrini, & aurei coloris est, declinantis ad albedinem, & rubedinem aliquam, Diffundit radios circumcirca aureos, & ita etiam efficit vt solares ad talem colorem accedant, & circumcirca aureos ac diffusos capillos portent. Et quia est oculus maior orbis ideo dat oculos magnos, & gratiosos. Et quia eius corpus quasi ad extra tendit, ideo facit oculos ad extra tendentes. Et quia nec est tardus, nec velox in motu, hinc etiam solares nec sunt celeres, nec tardi in motu, sed moderati, & compositi. Priuatur lumine per eclipsim, & ita dat defectus in oculis cecitatem, & tenebras. Non est erraticus, & variabilis per stationem, & retrogradationem, & ita suos facit stabiles, eadem semper tenētes, & sentientes, & in propria sententia defendenda peruicaces. Est splendidus, & luminosus, & ita facit suos splendidos, & gratiosos. Sedet in medio planetarum, & ita facit solares alijs dominantes. Naturales vero omnia supradicta ad temperamentum reduxerunt. Nam Ptolomeus dicit Solem habere vim calefaciendi, & leuiter dissecandi, & ideo solares solent esse multum calidi, & inter siccitatem, & humiditatem temperati, ex humiditate autem, & caliditate homo fit pinguis, & corpulentus, carnosæ faciei, albæ, & mediocriter compositus. i. non paruæ staturæ, sed mediocris. Ex caliditate autem, & siccitate sunt capilli aurei, crispi, & longhi, Ex caliditate vero, & humiditate vox efficitur, potens, sed propter humiditatem aliquantulum rauca. Et quia caliditas magna dat motum velocem, & superflua tardū, ideo temperata ex his vt est Solaris dabit motum temperatum, & incessum moderatū.

Ad argumētum dicitur, quod Sol dupliciter considerari potest. Primo in se, & sic ex magna, & intensa eius luce visum allucinat. Secundo in rebus illuminatis, & sic eis tribuit vt videantur, quia sine luce videri non possunt, & ita causaliter potest agere ad formandum sibi similem prout congruit naturæ in quam agit, & etiam tribuere, vt mediante suo luminē obscura videantur.

DVBIVM LXXXI.

An Sol faciat ad singulares mores.

Videtur quod non. Nam quod agit ad omnia, non dicitur agere tātum ad ista. Sed Sol dicitur causa generalis agens ad omnes actus morales, & actiones bonas, & malas. Ergo non debet coarctari ad agendum ad hos mores.

In contrarium dicit Ptolomeus cum Materno, quod quando Sol est coniunctus cum domino natiuitatis facit homines fide plenos, sapientes, modestos, moderatos, humanos, parentes honorantes, sed quadam animi elatione superbos. Si fuerint agricolæ facit, quod proprijs industrijs, & artibus sibi comparent bona, efficaces, sensatos, in locis aquosis delectationem suam ponentes, in rebus honestis magnum studiū collocantes, sed parum diligent vxorem, & natos. Significat etiam Leges, & Principes non iniquos, non difficiles, sed iustos, mansuetos, affabiles, tractabiles, & omni genere virtutum ornatos, sed mente elatos. Annuit grauitatem in sermone, maturitatem in consilio, seueritatem in iudicio recto, magnanimitatem in agendo, & condonando humilitatis, claritatem, apparatum regium, animi fortitudinem, & corporis, honestatem, magnificentiam, victoriam, reuerentiā apud alios, & maiestatem regalem. Donat regna, magistratus, honores, gratiam Principum, sed animum in superbiam eleuat, ac impatientiam iniurias sufferendi, nec sunt multi cibi.

Rationem naturalem non relinquunt Medici, ac Physici dicentes Solem efficere Solares calidos, & siccos, sicut est ipse, complexio autem calida, & humida, & calida, & sicca facit homines superbos, ambitiosos, generosos, & splendidos. Et si sit complexio temperata, temperat etiam mores, vnde eos reddit optimos, cōpositos, æquos huma-

humanos, & superiores honorantes. Sed si siccitas prçualet, inclinat ad pudicitiam, & consequenter subtrahit ab vxore, & filijs dilectionem. Sed quoniam recti sunt, generosi, sapientes, & clari, ideo à principibus gratiam obtinent, & potestatem.

Ad argumentum dicitur, quod agere stat du pliciter. Primo aliqua tantum generali actione, & sic omnia astra agunt aliquo modo, & modo suo ad actiones inferiorum, quoniam mundus inferior à superiori dependet, vt causa secunda, à prima vel simpliciter, vel in tali ordine. Secundo modo singulari, & efficaciori, & ita diximus aliquos planetos ad aliqua singularia operari, & alios ad alia.

DVBIVM LXXXII.

An maris ex Sol infelices multa causent mala.

VIdetur quod non. Nam tale vbicun que ponatur semper est tale, maxime si sit agens naturale, vt sunt stellæ. Ergo Mars, & Sol, & alij planetæ semper eadem causabunt.

In contrarium quo ad formam martialis in felicis dicunt Ptolomeus, Leopoldus. Iulius Firmicus, Hali ac alij, quod si Mars fuerit in genitura occidentalis dabit staturam corporis mediocrem, nasum totũ rubeum, oculos sanguineos, & paruos, capillos raros, & ad rubedinem declinantes, faciem rotundam, cum quibusdam maculis, in fronte percussionem, vel in facie vulnus, aures magnas, digitos longos, caput magnum, & à parte ante eleuatum, aspectum acutum, dentes longos, passusque, & paucam carnem. Addit Messahala. Habebit nasum, & faciem etiam rubeam, & capillos, cum signo in pede sinistro. Et quędam grana minuta rubea in facie, cum paucis pilis in barba.

Reddunt rationem naturalem naturales dicentes, ista prouenire à complexione intemperata calida, & sicca.

Quo ad mores tradunt Astronomi, quod Martiales Martem infortunatum tenentes in sua genitura erunt sine verecundia, homicidia sectantes, alta voce loquentes, rixas suscitantes, Assasini, parentum osores, Deum inhonorantes, & homines, traditores, occisores, pugnatores, audaces temerarij, timidis sæpe, difficiles ad fugiendum, perfidi, obsceni, incauti, mulierum oppressores, sine iudicio, & discretione. Significat etiam Principes, violentos, feros, inhumanos, homicidiarios, periuros, deceptores, fraudolentos, incõstantes, maledicos, vituperatores, diuinorum, & humanorum violatores, & sine omni verecundia promissorum retractatores, ingratos, & malos, quæ omnia mala tanquam à fonte deriuant à natura adusta, & sicca cum immoderata caliditate. Inclinantur ad chirurgiam, & vulnerum medicinam. Ad itinera in quibus sustinebunt aduersa, & labores, sed rapient, & miseros offendent. Delectantur in sanguine, in incendijs, in tonsurandis monetis, loquuntur minaliter, deambulant per ignem, & gladios, & euadunt flagitiosissimi viri. Currunt pericula ex ferro, vulnere, igne, & incendio, præcepitio ex alto, morte repentiua, & violenta ruptura in extremis partibus corporis, frenesia, ac malis corpus deuorantibus, quæ mala sunt effectus ardoris intemperati, & choleræ inordinatæ, cetrinæ ex Galeno lib. de differentijs febrium, & de decretis Hyppocratis, & de facultatibus naturalibus.

Quo ad formam vero solaris infelicis .i. nati sub sole male disposito, & collocato dicit Ptolomeus. Si Sol fuerit occidentalis dabit solari staturam plusquam mediocrem, capillos citrinos, & longos, & aliqualiter crispos. Frequentes infirmitates, pericula ignis, mortem in locis extraneis, violentam, & subitam, ægritudines carnem comedentes, quæ omnia procedunt, vt à fonte ex calido, & sicco intenso. Debilitat, & quãdoque tollit virtutem visiuam, linguam facit balbutientem, & barbam iustam.

Ad argumentum dicitur ad maiorem quod tale bifariam considerari potest. Primo, cum omnibus suis necessarijs, & sic semper facit tale. Secundo cum impedimentis, ac malis circunstantijs, & sic quoniam in istis se modificat, non semper vnum facit, sed plura, secundum naturam earum rerum in quibus se modificat.

DV-

DVBIVM LXXXIII.

An Sol habeat aliqua propria.

Videtur quod non. Nam Sol dicitur qua si solus lucens, vt exponit Isidorus. At hoc est falsum, quoniam omnes Stellæ lucent. Ergo in hoc saltem non est faciendus singularis.

Respondetur, quod Sol multa habet propria, & singularia. Vnde Sol secundum Ambrosium in Hexam. dicitur oculus mundi, iocunditas diei, pulchritudo cæli, mensura temporum, virtus, & vigor omnium nascentium, dominus planetarum, decor, & perfectio omnium stellarum. Et secundū Martialem, est fons mentis, memoria rationis, principium lucis, Rex naturæ, fulgor Olympi, moderator firmamenti. Et secundum Platonem, est numerus omniū animantium. Et de eo sic dicit D. Dionysius lib. de diuinis nominibus cap. 5. Sensibilium essentias, & qualitates multas quidem, & discretas existentes, ipse Sol, vnus, ens, & vniformis, & illuminans lux renouat, nutrit, custodit, perficit, & discernit, vnit, & refouet, fæcunda facit, auget, mutat, collocat, planetas renouat, & viuificat etiam omnia. Secundum autem Astrologos est planeta fortunatus, (nisi per coniunctionem fiat malus) masculinus, diurnus, calidus, & siccus. Est maior omnibus luminaribus quantitate, dignitate, claritate, & potestate.

Sol autem substantia est simplex, sed virtute multiplex. Primo enim illuminat omnia astra, & per ipsum lucent, ac fulgent, vt supra docuimus. Secundo habet virtutem renouatiuam, nam poros terræ aperit, virtutem latentem in radicibus ad actum perducit, terræ superficiem, herbis, frondibus, ac floribus reuestit. Tertio habet virtutem nutritiuam, quia radius Solaris subintrans ad interiora radicum, & seminum, suo calore humiditatem terræ dissoluit, & suaui attractiua, quod radici, & semini est simile de illa attrahit, & illud in nutrimentum terræ nascentium conuertit. Quarto habet virtutem conseruatiuam, nam nisi virtus Solis conciliaret contrarietatem elementorum se dissoluerent, & destruerent. Quinto habet virtutem perfectiuam, quia calor elementaris incipit agere in generatione corporum, & calor Solaris, tunc perducit totum ad debitum complementum, vt dicit Alexander. Sexto habet virtutem discretiuam, quia per lucem colores, species, & figuræ, quæ in tenebris sunt confusæ, agnoscuntur, & abinuicem distinguuntur. Septimo habet virtutem vnitiuam dupliciter. Primo per se, quia vnit, conciliat, & concordat planetas in suis effectibus, & elementa in mixtis. Quare secundum Macrobium, & Marcianum, Sol medius est inter planetas, quia ad melodiam celestem perficiendā hoc facit Sol in suo circulo, quod facit media chordula in Musico instro. Secundo per accidens, inquantum vnit homogenea, & dissoluit æterogenea secundum naturam eorum, in quæ agit. Octauo habet virtutem fæcundatiuam, quia Sol, & homo generant hominem, per Philosophum, & nihil fructificat, aut crescit, vbi Solis radius non attingit. Nono habet virtutem confortatiuam, secundum enim Solis ascensum supra nostrum Horizontem, virtutes animalium fortiores efficiuntur, & vsque ad medium cæli augmentantur, & in eius declinatione vsque ad Occasum propter eius elongationem corpora in suis virtutibus debilitantur, & quasi in somnum resoluuntur, vt patet in floribus, qui in ortu Solis aperiuntur, & in occasu, vel marcescunt, vel clauduntur. Decimo habet virtutem immutatiuam temporum, ordinatiuam, & distinctiuam, quia facit quatuor partes principales anni, & currens per signa australia efficit dies breuiores, & noctes longiores. Econtra vero dum percurrit signa borealia. Et secundum diuersam dispositionem, diuersam immutationem recipit, rubet enim in mane, splendet, & feruet in meridie, & pallet in vespere, & hoc est quod voluerunt poetæ annuere dum dixerunt, currum Solis vehi quatuor equis, nomen primi est Eritheus. i. rubeus in mane. Secundi Arytheus. i. splendidus in tertia, tertij Lampas. i. ardens in nona, quarti Philogeus. i. amans terram in occasu, vt dicit Beda. Vndecimo habet virtutem futurorum pronunciatiuam, vt infra. Duodecimo habet virtutem putrefactiuam, sua enim irradiatione aerem subtiliat, & disgregat, vapores aerem inficientem consumit, dispergit, & fugat,

 fœnum

fœnum exficcat, madefactat &c. Tertio decimo habet virtutem calefactiuam, & inflammatiuam, ex motu, & repercussione radiorum. Quartodecimo habet virtutem attractiuam, attrahit enim à mari, & locis humidis fumos; & vapores, & eos in nubes condensat, & nunc in grandines, nunc in pluuias, & nunc in niues conuertit, & multa alia similia tenet.

Quo ad infirmitates Solares, hæ sunt, Defluxio oculorum, morbi calidi, & sicci, sed non à bile orti. Intemperies frigida, & humida cordis, hepatis, ventriculi. Infert infirmitates calidas, & siccas, vt ex veneno calido, purgationibus corporis, cũ defectibus in oculis, in dextero viri, in sinistro mulieris, quæ oriuntur ex siccitate, & caliditate complexionis Solaris.

Quo ad potentias in speciali subduntur ei. Vitalis, augmentatiua, visiua, & appetitiua.

Quo ad mutationes temporum, Sole exoriente cum Arcturo, venti, & tempestates. Cum Aquila, niues. Cum Andromedę vmbelico, tempus turbidum, & humidum. Cum asellis, subita aeris perturbatio, imbres tonitrua, & fulgura. Cum Acanar, serenitas, & caloris temperies; Cum aurigæ humero dextero, venti. Cũ Capricorni cauda, Nix frigus, & nubes. Cum Capricorni dorso, frigoris augmentum. Cum corona, nubila. Cum canę maiori, serenitas, & calor. Cum corona matutina, ventorum renunciatio. Cum Herculis stellis, venti. Cum hyadibus, nubila. Cum Hædis, pluuiæ in Italia. Cum Lancibus, pluuiæ, & venti. Cũ Lira frigus, & humor. Cum Arietis cornu, vel cauda, turbatio aeris. Cum Delphino venti. Cum Lunaribus, maris, æstus. Cum Leone, nubila. Cum capite Medusæ, nix. Cum Orione, ventus Fauonius. Cum Pleiadibus, venti, & pluuiæ. Cum regulo, ventus aquilo. Cum succulis, pluuiæ. Cum Syrio, maris æstus. Cum trianguli stellis, venti. Cum tauri oculo, pluuiæ cum tonitruis, & fulguribus. Cum vendimiatore, gelidus Aquilo. Cum Virgilijs, fauonius. Cum zona Orionis, fauonius.

Sole vero Occidente cum occasu Arcturi tempestas. Cum occasu Aquilæ, ventus Affricus. Cum occasu Acanar, aerea caliditas. Cum occasu Aurigæ humeri dexteri, venti humidi. Cum occasu Canis, fauonius. Cum occasu caudæ Capricorni, humiditas. Cum occasu Hyadum, maris conuersio. Cum occasu cordis Leonis, imbres, tonitrua, & fulgura. Cum occasu Lirę.i. Occidente cum occasu Lirę (sic enim semper etiam intelleximus supra) nubila frigus, & pluuiæ. Cum occasu lucidæ coronæ, Auster.

Cum planetis vero sic se habet. Cũ Saturno in igneis signis dat pluuias, grandines, & frigiditatem. In aquaticis, Vere pluuias, Aestate grandines, & tonitrua, Autumno pluuiam, & frigus, Hyeme niues. Cum Ioue, in aereis aura serena, & aeris temperies, in humidis fœcundæ pluuiæ, in aqueis caloris augmentum, in terreis serenitas minuitur. Cum Marte in igneis magna caliditas, & siccitas, in aeris venti, & tempestates, in terreis siccitates. Cum Venere humectat in humidis, Vere, & Autumno pluit, Aestate fulgurat, Hyeme humectat. Cum Mercurio in aereis vẽtos humidos, in humidis pluuias, in igneis ventos calidos, corrumpentes, & siccos. In Autumno grandinat, & flat ventos nubiferos, Hyeme, & Vere ningit, Aestate grandinat, & tonat. Cum Luna in humidis pluuit, nubibus croceis cælum tegit, pluuiæ guttas magnas demittit, in calidis, & siccis, serenitatem, semper aerem alterat, secundum qualitatem planetæ prædominantis.

Quoad constitutionem, & motum sunt ei orbes integri quinque, quorum duo sunt eccentrici secundum quid supremus, & infimus, duo eccentrici simpliciter, inæqualis similiter latitudinis, vnus simpliciter eccentricus in medio positus, deferens corpus Solare. Mouentur duo extremi ab occasu in ortum super centrum, axem, & polos eclipticæ, æqualiter sub ecliptica eadem quotidie. Tertijs 4. Quartis 12. Singulis annis. Secundis 25. Tertijs 33. Quartis 12. Perficiunt circulum annis Aegyptijs 50717. Orbes anomaliæ Apogei super centrum commune illis, & paruo circello, à mundi centro remotum, partibus 2. scrupulis 13. quarum semidiameter eccentrici est 66. Mouentur inequaliter, ita vt maxima eccentricitas Solis, nunc fiat maxima, quando centrum eccentrici fuerit in apogeo circelli, nempe partium duarum, scrupulorum 30. secundorum 7. quarũ &c. nunc minima; id est

par.

par. 55. prim. 53. sec. Ideo differentia maximæ, & minimæ eccentricitatis est partium.o. scrup. primorum 34. sec. 14. quarum partium semidiameter eccentrici habet 60. Eccentricus deferens corpus Solare, super centrum mobile ob motum deferentium apogeum mouetur æquabiliter quotidie, partium.o. min. 59. sec. 9. Tertiorum 13. Quartorum 24. Singulis annis perficit circulum. Diebus 365. Horis 3. min. 36. sec. 25. In contrarias partes ipso renitente defertur ab orbibus anomaliæ, ita vt quotidie videatur facere: min. 59. sec. 8. Tertia 7. Quarta 10. & singulis annis perficiat circulum, diebus 365. hor. 6. cum triente fere horæ. Puncta cōtractus in circello diuiso, in 360. partes, fit post signa tria, part. 7. in posteriori vero semi circulo post signa 8. partes 23. Aequatio centri eccentrici. Nulla est in Apogeo, vel perigeo parui circelli, maxima in linea punctorum cootractus, existente Apogeo orbium anomaliæ, nempe partium 7. min. 23. sec. 36. Aequatio centri aufertur à medio Apogeo. Quando anomalia Apogei fuerit in cauitate superioris orbis, seu semicirculi, nondum ad sex signa perducta. Aequatio adiungitur quando superauit sex signa. Motus Solis æqualis, & simplex in Zodiaco, & quotidie à prima stella Arietis, scrupul. primorum 59. sec. 8. tert. 11. quart. 22. Vnde perficit circulum diebus 367. horis 6. primis 9. sec. 39. Motus cōpositus cum motu præcessionis æquinoctiorum. Est scrupulorum primorum 59. sec. 8. tertiorū 19. quartorum 37. vnde perficit circulum diebus 365. horis 5. primis 49. sec. 16. Aequatio maxima centri eccentrici quando Sol distat vtrinque à vero Apogeo sui eccentrici signis 3. partibus 2. & collocatur in Apogeo parui circelli. Est partium 2. min. 23. sec. 24. Aequatio in Perigeo parui circelli, Sole recedente à vero Apogeo signis 3. par. 2. Est partium 11. min. 50. sec. 41. Annus sydereus est illud spacium temporis, quo Sol integro curriculo peracto, reuertitur ad eandem stellam fixam, & diuiditur in æqualem, cui iuxta Copernicum est vltra. Dies 365. scrup. prima diei 15. secunda 24. tertia 7. quarta 31. quæ simul faciunt horas 6. min. 9. sec. 30. pendetq; à medio motu Solis. Et inæqualis. Qui pendet à motu vero, & apparenti, nunc longior, nunc breuior, vel ob irregularitatem motus Solis in eccentrico suo, vel ob mutationem Apogei veri, vel per mutationem eccentricitatis. Annus tropicus, seu vertens, spatium temporis quo Sol ad eundem punctum, vel æquinoctij, vel solstitij reuertitur duplex est, Alius æqualis pendens à medio Solis motu composito, & fit, spatio dierum 365. horarum 5. min. 49. sec. 16. Alius inæqualis, seu apparens à vero Solis motu semper minor anno sydereo propter motum octauæ sphæræ, & causas variantes annum sydereum, maximaq; illius magnitudo. Est dierum 365. horarum 5. min. 55. sec. 53. minima dierum 365. horarum 5. m. 42. sec. 38. iuxta anomaliæ æquinoctiorum complementum.

Ad Argumentum dicitur, quod Sol de suo lucet, aliç stellæ illuminatæ à Sole, vt alibi dictum est.

DVBIVM LXXXIV.

An Venus det singularem formam.

Videtur quod non. Nam Venus specie mulieris pingitur. Sed ipsa non solum præstat mulieribus, sed etiam viris. Ergo male ei attribuitur singularis forma, & particularis figura.

In contrarium sunt Ptolomeus, Hali, & Mesahala, qui sic de Venere loquuntur. Venus Stella est benefica, salutifera, fauorabilis, & amica humanę naturæ, in effectibus Ioui assimilatur, sed ipsum in danda pulchritudine vincit, quia dat pulchritudinem muliebrem. Si autem sit domina geniture, facit corpus moderate longū, & album, & pingue moderate, capillos spissos, & pulchros, oculos vagos, sed cū aliquo rubore, & splendore, & annuit oculis, estq; ad omnia paratos dirigit, diligit vestes cum auro, & argento ornatas, ac colore purpureo tinctas. In motu non est multum velox, nec tarda.

Horum prima ratio est figura stellæ, quæ allectat, & delectat visum, sicut facit stella Iouis, & ideo dicitur amica naturæ humanæ, sicut est & Iupiter. Et quoniam rutilat, ac splendet gratioso quoddam splendore, ideo dare etiam dicitur formam muliebrem gratiosam, ac dilectam, solum quod Venereum tardum facit in motu, &

mollem in actione. Propter eius ſplendorem inter roſarum colorem rutilantem dicitur dare colorem roſeum, cum rubore in oculis rutilantibus, & ſplendentibus ad modũ ſtellæ Veneris in cælo collocatę.

Secundam rationem aſſignant naturales ex temperamento, dum dicunt temperamentum Venerei eſſe quale eſt Iouis. ſ. calidũ, & humidũ, ſolum quod venereum declinat magis ad humiditatē. Propter igitur caliditatē ſanguis in eis abundat, ex quo genæ roſeæ videntur, & oculi rubei, & quoniam ſanguinei ſolent eſſe pingues carne, albi colore, cum rubeo mixto, viſu floridi, & gratioſi, & læti, ideo tales etiam efficiuntur Venerei. Hinc in rubeis veſtibus delectantur, quia ſunt ſanguinei, ex quo etiam ſunt laſciui, maxime abundante humido. Propter humiditatem autem magnam mouent oculos, quia humidum facit motum facilem, vt patet in aqua fluente. Sed quoniam aliqualiter vincit calorem, ideo dat formam muliebrem cum ſupercilijs, ac labijs ſubtilibus, multã carnem in facie, pectus facit anguſtum, & crura groſſa, prout tales ſunt fęminæ.

Venus vero infelix, & male ſituata in figura cæleſti id facit, quo ad formam, & mores quod Iupiter infelix.

Ad argumentum ergo patet, quod Venus ob duplicem cauſam formatur mulieris forma. Primo, quia ponitur fuiſſe mulier, & Secundo, quia etiam viris dat faciem quaſi muliebrem.

DVBIVM LXXXV.

An diſponat ad ſingulares mores.

Videtur quod non. Nam qui aſſimilantur equis, & mulis non ſunt præditi aliquibus rectis moribus. Sed venerei ſunt tales, dicit enim de eis Pſalm. Sicut equus, & mulus, in quibus non eſt intellectus, quia lumbi eorũ repleti ſunt illuſione, i. concupiſcentia, & luxuria. Ergo male poſſunt eis attribui ſingulares mores.

In contrarium docent Aſtronomi Venerem tales præſtare mores, ſi fuerit ſignificatrix ſeparata, ſpiritus naſcentis, & bene collocata, diſponet hominem, & faciet quietũ, manſuetum, bonum, amatorem virtutis, & oſorem vitiorum, ſincerum, corde iocundum, & hilarem. Fugiet rixas, amabit magiſteria, & artes ſubtiles, fugiet periuria, & mendacia, ſe amabilem reddet, amicitiam ſolide ſeruabit, ſolũ quod Zelotopia multum cruciabitur. Amabit nitiditatem, pulchritudinem, mulieres intenſo amore, & ab ipſis amabitur, ſed propter zelum cum ipſis ſæpe rixabitur. Delectabitur in ſono, cantu, comedijs, ſpectaculis, ac alijs repreſentationibus, floribus, ac alijs delectantibus. Student conſeruationibus iuuentutis, ac pulcritudinis, multos habent natos, hi admodum ſunt pij, & miſericordes. Procurabit ſocietates, & familiares cum quibus libenter comedet, & bibet, ſed ſæpe decipietur, & experietur ſe non tantum diligi, quantum diligere, nec ſocios tantum ſibi eſſe fideles, quãtum ipſe ſocijs. Verba habet mollia, & dulcia, oſcula amicabilia, multum ſibi attendit, & faciei in ſingulari, & de facili in planctum prorumpet.

Ratio naturalis horum redditur virtualiter à Galeno de vſu partium vbi dicit, quod ex ſanguine eſt ſperma, & quod homines temperamenti calidi, & humidi ſunt luxurioſi, feruidi, & apti ad prolem, ad fornicationes, adulteria, & ad omnes ſpecies luxuriæ, ex quibus actibus in maritorum, vel aliorum cõiunctorum dãno exercitis, naſcuntur inſidię, & homicidia, vnde non eſt mirum ſi multi Venerei, homines, & mulieres, ferro, & veneno necantur.

Ad argumentum autem reſpondetur, quod de Venereo bifariam nos loqui contingit. Primo de irregulato, & immoderato, qui ſolum ſtudet explere appetitum concupiſcentiæ, & exercere actus libidinis, & hi ſunt veluti equus, & mulus in quibus non eſt intellectus. Secundo de eo qui ſe iudicio regit, & moderat, & talis poteſt eſſe multis bonis moribus præditus.

DVBIVM LXXXVI.

An Venus habeat multa propria.

Videtur quod non. Nam aſtronomi tradunt Venerem eſſe calidam, & humidam. Sed hoc etiam conuenit Ioui. Ergo non habet hęc vt propria.

Reſpondetur quod Venus habet multa propria, & primo nomina quatuor. Nam Venus quatrupliciter nominari poteſt. Pri-

mo communi, & vulgari nomine, & sic dicitur Diana, quia est noncia diei, cũ non multum distet à Sole. Sed hoc ei semper non conuenit, quia non semper præit solem, sed quandoque post ipsum occidit, & ideo duobus alijs nominibus nuncupatur, Lucifer quidem quando oritur ante Solem, & potest dici Diana, & Vesperus, quãdo Sole iam occasum fecit, & ipsa post ipsum ad occidentem properat, sed per aliquod tempus super terram apparet. Quarto dicitur Venus communiter apud Astrologos, quasi sit venerei appetitus, & humoris excitatiua, & nutritiua.

Secundo dicitur planeta beneuolus, fortuna minor, fæmineus, nocturnus, in suis qualitatibus. s. calore, & humiditate temperatus, colorem habet candentem, & refulgentem, & quasi electro similem. Fulget inter alios planetas gaudentius, vnde iubar dicitur, eo quod iubar, radiosum lumen à se emittit, propter quod & vmbram facit. Solum quando est in eodem signo cum Sole non videtur. Dicit Macrobius quod quando. Venus est altior Mercurio, tunc tardius eo mouetur & econtra velocius, quando est inferior. Ex parte corporis dicunt Misahel, & Ptolomeus disponit ad pulchritudinem, & ad voluptates, in tactu, olfactu, gustu, & cantu, vnde facit Cantores, musicorum amatores, specierum confectores, vestium muliebrium incisores. Subduntur ei lumbi, nates, carnes ventris, semen viri, & matrix mulieris.

Quo ad morbos, & medicinam dat infirmitates muliebrium, & omnes morbos, ab humiditate, & frigiditate prouenientes, inficit genitalia, dat gonorream, renum restrictionem, vesicæ, & ventris, & dolores in pudendis, quod forsitan prouenit, quia Venerei sunt quasi vsque ad mortem luxuriosi, quapropter morbo gallico inficiũtur, & sic tormentis multis, ac cruciatibus subijciũtur. Sæpe dat mortem gloriosam, sed & multoties quando est male affecta violentam, cum dedecore, & vituperio, quia Venerei non sunt vno homine, vel muliere contenti, vxore, vel marito, quapropter alios lædunt, & iniuriæ pęnas luunt.

Quo ad potentias, & vires animę ei subduntur, Attractiua, & odoratiua.

Quo ad mutationes aeris, quando Venus fuerit orientalis, i. oriatur cum Arcturo, erunt venti. Cum geminorum capite, venti. Cum Herculis stellis, pluuiæ. Cum Orionis stellis, Venti, & nubes. Cum corona humor. Cum cingulo Virginis Imbres. Cum aurigæ asellis, Humiditas. Cum Saturno æstate pluuias subitas, vere pluuias, & frigus, hyeme niues, & pluuias. Cum Ioue aer serenus, tranquillus, temperatus, & gratus, & fertilitas fructuum. Sed si Venus dominaretur essent pluuiæ, & si Iupiter serenitas, & venti. Cum Marte calor temperatur in Aestate, & frigus in hyeme. Cum Sole, humectat in humidis, vere, & Autumno pluuit, Aestate fulgurat, hyeme humectat. Cum Mercurio iuncta, himbres facit, in humidis nubes, & in horis, vel coniunctionis, vel oppositionis luminarium maximas pluuias. Cum Luna, leues, & tennes pluuiæ, & subfrigidæ, & maris æstus aduehitur, vere tempus nubilosum redditur, & humidum, æstate fit caloris remissio, Autumno nebulæ turbidæ, & hyeme niues.

Quo ad positionem, & motum dicimus cælum Veneris habere orbes perfectos tres, & vnum paruum epiciclum. Sunt ei eccẽtrici secundum quid, inuariabiles, & immobiles, vnde etiam, cum perigeo non mutatur. Medius seu eccentricus super proprium centrum, & polos interdum accedentes, & interdum recedentes à polis Zodiaci, mouetur, & perficit circulum corpore solari. Differentia æquationis centri ab æquatione solis. Diuersa à tempore Ptolomei, & est eccentricus Veneris vna pars sexagesima, cum quarta fere dimidij diametri eccentrici, æquantis vero duarum partium sexagesimarum semidiametri ipsius. Maxima cẽtri æquatio quando centrum epycicli ab apogeo æquali motu distat vtrunque signorum 3. & partis vnius, est partium 2. sec. 17. Semidiameter epycicli, est partium 43. min. 10. quarum semidiameter eccentrici est 60. Motus anomaliæ epycicli quotidie est, min. 36. sec. 59. tert. 28. singulis annis, signorum 7. partium 15. minuti vnius, sec. 45. tertiorum 21. Perficitur spatio, dierum 218. horarum 22. min. 15. Elongationes à medio loco Solis vespertinæ, quando Solem consequitur, partium 46. min. 51. sec. 29. centro epycicli in perigeo eccentrici

existen-

existente, & distante ab apogeo sui epycicli vero signorum 4. par. 17. Matutinæ vero maximæ quando Solem præcedit, partium 48. sec. 38. centro epycicli distante ab Apogeo eccentrici in consequenti, signis 3. & partibus 25. Matutinæ, vel Vespertinę centro epycicli in apogeo eccentrici existente, partium 45. min. 10. sec. 10. ad ambo puncta contingentiæ epycicli. Elongationes à vero Solis loco sunt diuersæ à præcedentibus, nam Matutinæ Sole per priorem semicirculum sui eccentrici discurrente in signis tribus 2. argumenti veri, sunt ad minimam eccentricitate partium 49. min. 59. sec. 19. ad maximam partium 50. min. 52. sec. 2. Vespertinæ Sole in posteriore semicirculo in signis 8. partium 28. argumenti veri, ad minimam, eccentricitatem. Vespertinæ euagationes à vero solis loco maximæ sunt, quando Sol, mediæ lõgitudinis punctum tenet idest signo 8. parte 28. argumenti veri, i. vbi ad minimam Solis eccentricitatem partium 48. min. 42. sec. 10. ad maximam partium 49 min. 14. sec. 53. maximæ digressiones matutinæ, & vespertine à vero Solis loco ad apogeum eccentrici, ad minimam Solis eccentricitatem sunt partium 47. min. 1. ad maximam partium 47. min. 33. sec. 43. Maxima argumenti æquatio ad apogeum eccentrici, distante stella ab apogeo epycicli vtrinque signis 4. partibus 15. cum 12. fere partibus, est signi vnius, partium 15. min. 10. sec. 20. Ad perigeum eccentrici, distante stella ab apogeo epycicli signis 4. partibus 17. eadem prostapheresis epycicli, est signi vnius, partium 16. min. 51. sec. 59.

DVBIVM LXXXVII.

An Venus de suo luceat.

Tandem dubia quædam sunt circa hunc planetam. Primum an de suo luceat, & quidam tenent quod sic. Primo quia in coniunctione cum Sole tamquam magna stella visa fuit. Secundo quia accedendo, & recedendo à Sole semper idem lumen, cum eadem figura tenet, nec diuersas figuras facit, sicut Luna, dum magis, vel minus à Sole recedit. Tertio quia tenet semper figuram circularem nobis obuersam sine cornibus, vnde videtur quod lumen non accipiat à Sole.

His tamen non obstantibus dicimus quidem Venerem de suo lucere, magis quam Lunam; sed tamen percipere lucem à Sole, sicut & omnes stellæ fixæ, & planetæ, vt tenuerunt ex antiquis Anaximander, Antiphon, & Cleomenes, & ex recẽtioribus. S.D. 2. cæli, Albertus Magnus, & fere tota schola peripatetica. Ad obiecta ergo dicitur ad primum, negatur totum, quod dicitur, quia lumine Solis obscuratur, & si videri possit, videbitur iuncta Soli, vt macula in Sole, vt refert Scaliger exercit. 72. in Cardanum de Mercurio Soli coniuncto. Ad secũdum dicitur, quod Venus, & Mercurius qui sunt sub Sole numquam ita distant à Sole, vel ei opponantur, quin omnino ab ipso irradientur, Vel dicendum quod illa mutatio luminis adeo exigua est, vt à nobis notari non possit, maxime cum Venus ad Solem habeat proportionẽ centuplam, quia est centesima pars Solis, vnde si etiam eclipsaretur, eclipsis eius cum magna difficultate deprehẽdi posset. Luna autẽ minus de suo lucet, & est propinqua terræ, vnde eius eclipsis clarius cernitur, & per illa patet quid sit dicendum ad tertium.

DVBIVM LXXXVIII.

An Venus communicet lumen suum Lunæ, & Cometis.

Videtur quod sic. Nam superius illuminat omnia sibi inferiora. Venus est supra Lunam, & Cometas. Ergo hæc illuminare potest.

Quo ad Lunam dicimus quod aliud est quęrere an possit lumine Veneris perfundi, & aliud an diuersæ figuræ quæ apparent in Luna dum à Sole recedit, causentur a lumine Veneris. Primum non iudicamus inconueniens. s. quod superiores planetę tĩgant inferiores suo lumine, vt argumentũ probat, & ex eo quod virtus inferiorum modificat superiorum virtutes, quæ agũt lumine, & motu. Secundum autem censemus falsum, quia manifestum est mutationes figurę Lunę oriri prout à Sole magis, minusve accedit, & recedit.

Quo ad Cometas Tycho to. 2. progymnasmatum cap. 7. videtur esse in sententia, quod cauda Cometæ à Venere illumine-tur,

tur, quia eiusmodi illuminatio semper in plagam à Sole contrariam sparsa non potest esse à Sole, quia cauda non respicit præcise oppositum Solis, sed semper fere declinat, & curuatur in arcum. Sed nos dicimus illuminationem illam, seu lumen causari à sphera ignis, cui propinquum est Cometa, vt suo loco dicemus.

Habeas etiam hic quod Venus numquam lõgius à Sole recedit, quam grad. 40. præit vero, & sequitur solum ob hoc quia mouetur in epyciclo, nisi enim in eo moueretur, nunc citius, & nunc tardius esset fere semper in eadem distantia à Sole ob æqualitatem durationis motus vtriusque eccentrici, sed quia epicyclus ipse motus nunc retardat motum eccentrici, quando .s. retrogradè fertur, nunc adiuuat quando progreditur, ideo stella Veneris in epyciclo circumducta nunc Solem in cursu ante vertit, & nunc quasi defatigata post Solem relinquitur.

DVBIVM LXXXIX.

An Mercurius præstet singularem formam.

Videtur quod non. Nam si singulæ planetæ mutarent formas, & figuras de facili sciri possent, qui nam essent Saturnini, qui Iouiales, qui Martiales, &c. At hoc est falsum, quia vnus in capillis erit Solaris, & in oculis Venereus, in genibus Martialis, & in pectore Mercurialis. Ergo incertum est omne hoc quod dicitur de figuris, & formis causatis in hominibus genitis sub singulari planeta.

Attamen stant in contrarium Astrologi, Ptolomeus, Hali, Maternus, Firmicus, Messahala &c. ex quibus Mercurialis i. natus sub Mercurio fęlici, orientali, bene collocato, domino genituræ, & bene inspecto ab alijs planetis, describitur talis formæ, & figuræ Mercurialis ergo color erit veluti color mellis, participantis de nigro, & citrino, cũ oculis coloritis, quasi sint oculi capræ. Color enim stellæ Mercurij mutabilis est, secundum quod cum diuersis planetis coniungitur, vnde quandoque videtur esse coloris mellis, quandoque viridis, nunc nigri coloris &c. Forma, & statura eius non est admodum magna, quia stella Mercurij parua est, & ideo etiam oculi Mercurialis sunt potius parui, quam magni, & intus pendentes. Nasum habet paruum, labia subtilia, dentes minutos, vocem subtilem, frontem angustam, & membra minuta. Sed quoniam est planeta lumine viuacissimus, ideo etiã natus sub eo erit viuacissimi intellectus, & linguæ, sed in motu moderatus.

Naturales dicunt Mercurialem esse frigidum, & siccum; quare ex frigiditate corpus est macrũ, & macilentum, & propter abundantem siccitatem excauat oculos, & labia subtilia efficit, & vocem subtilem tribuit, cum oculis citrinis, quasi capur, quia mixti sunt cholera, & siccitate. Sed ego cẽseo, Mercurium esse inspiciendum in genitura cum quo coniungatur; vel faciat aspectum, quia mutabilis est naturæ, & induit qualitates eorum planetarum cum quibus copulatur, vnde cum bonis est bonus, & cum malis malus, gaudet autem maxime cum Venere, vnde antiqui finxerunt ipsum cum ea fuisse fornicatũ.

Si vero Mercurius fuerit occidentalis, & male collocatus, dicit Ptolomeus, & cum eo alij consentiunt, quod natus sub eo erit coloris citrini declinantis ad nigrum, macilentus, oculos cauos habẽns, vocem subtilem, sine comis. Facit hominem fraudolentem, loquacem, vanum, tentantem alijs probare quod ipse non credit, amatorem suæ voluntatis, mutabilem, stultum, leuem. Si communicabit cum Saturno studebit arti vanæ, vt Alchimiæ, declinabit à cõmuni sententia, & noua struet, fabulas finget, & narrabit Hi chimeras sẽper nouas formant, futurorũ prædictionem se callere dicunt, plus diligunt concubinas quam vxorem, & turpibus intendunt. Dicit vlterius Maternus, quod si feriatur à mala constellatione maleficarum stellarum, dat multos defectus in humoribus, & si Luna fuerit male collocata efficiet Lunaticos, & morbo caduco laborãtes, qui moriuntur, vel ex aquis, vel ex humoribus dominantibus, patientur morbos contagiosos, vt lepram, & similes. Tradunt aliqui Mercurium participantem cum Pleiadibus, & Hiadibus, aut cum Orionis Stellis, (quæ sunt maleficæ) efficere natos pallidos facie, & citrinos, mãcros, horribiles, qui delectantur in rebus turbidis, & tetris, in negromanticis, alchimicis, chimericis, & sermonibus demoniorum, & horribilium. Ista autem

pro

pro causa naturali habeat, quod temperamentum horum est ex bili citrina, cum nigra melancholia, quæ ad peius semper trahunt, vnde sicut illi, qui claris, & serenis humoribus gaudent, vt ex bili candida, & sanguine euadunt ingeniosi, diuinarum, & humanarum rerum scrutatores, modesti, æqui, & pij. Ita qui bili aurea, & citrina mixta cum nigra melancolica abundant, ad omne facinus parati inueniuntur. Hi sudorem insipidum, vrinam pallidam, & terream faciunt.

Ad argumentum dicitur, quod forma nati dupliciter considerari potest. Primo, quo ad principalia. Secundo, quo ad omnia. Ita planeta dominus natiuitatis bifariam inspici potest. Primo, quando est solus dominus. Secundo, quando admittit secum alias stellas, & planetas. Dico igitur, quod si vnus tantum planeta esset dominus natiuitatis cum eoque nullus alius participaret, natus sub eo fere in omnibus reciperet eius formam, sed quoniam cum eo concurrit signum ascendens, aliæ stellæ, & planetæ, ideo quo ad omnia non sibi assimilat natũ, sed quo ad multa in quibus alios vincit, & secum trahit, vnde non vnam tantum causam debent Astronomi respicere, sed omnes, & eas comparare ad inuicem, & discernere in quo, vel quibus vna alteræ præualeat, & sic iudicare.

DVBIVM XC.

An Mercurius, det singulares mores.

Videtur quod non. Nam fingunt Poetæ Mercurium cum Venere concubuisse, & consequenter deberet disponere ad adulteria, fornicationes, & luxuriam, & tamen ista ei non attribuuntur, sed scientiæ, & studia. Ergo vana sunt quæ de Mercurio dicuntur quo ad mores.

In contrarium sic de eo loquitur Hali. Mercurius seorsum significator spiritus, solusq; & bene collocatus, nascentem facit intellectu acutum, memoria fælicem, & omnium actorum, & agendorum memorem, lucri, & mercaturæ amatorem diligentem, acutum, docilem, & dominabilem, scientiarum maxime vniuersalium inuestigatorem, ac dominum. Addit Maternus, si erit dominus geniture reddit homines sensatos, ingeniosos, studiosos, & omniũ artiũ secretorũ inuestigatores, modestos, ac patientes laborũ. Non sunt multi cibi, nec potus, literis vacant, facundiæ student, & ideo ambasciatores fiunt, & oratores, & magistri literarum, omnia sua negotia bene tractantes, multa bona mobilia, & stabilia acquirentes, familiam propriam bene gubernantes, omnem actum malum luxuriæ mulierum fugientes, sibi attendentes, omnes strepitus & rumores abhorrentes, & omnem religionem amplexantes. Significat amicos fideles, diuinatores, sortilegos, augures, interpretes, oratores, literarum magistros. Labores in omni arte, oculorum inuentiones, & secretorum penetrationes, dulcem sermonem, iudicium sanum, delitias, consolationes, ambitiones, lucra, & tributa quæsita potius titulo honoris, quam lucri. Simulatas conciliationes, affectum dubium, & ancipitem, vilem animi compassionem, cantum non suauem, manum diligentem in omni arte, & acutam nouorum inuentionem.

Horum rationem speculantur naturales, & dicunt Mercuriũ tria posse habere, à quibus supradicta proficiscuntur. Primum est, quod orientalis sit calidus, & Galenus tradit calidos esse cholericos, & siccos, cholerici autem per eundem Galenũ sunt acuti, placidi, nisi irritentur, & perspicaces, & idem in libro Anatomiæ ait, à cholera proficisci inconstantiam, subtilitatem, audaciam, mentis eleuationem, memoriam, & in respondendo velocitatem. Hinc Mercuriales dicuntur acuti, ingeniosi, scientiarum inuestigatores, & domini. Secundum est, quod illa cholera, humor est acutus, & ideo facit eos sollicitos, maxime in colligendis diuitijs. Tertium est, quod est siccus, & hinc est, quod muliebris Veneris non sunt amatores, sed virilis, & parum de vxore, & filijs curant, sed in lucris auidi, periculorum contemptores, & laborum patientes comparent.

Ad argumentum dicitur, quod Mercurius dupliciter considerari potest. Primo, secundum se tantum, & sic fugit luxuriã. Secundo cum planeta calido, & humido, vt cum Venere, vel Ioue, & sic agit ad libidinem. Sed fabula habet fundamentum in hoc, quod Mercurius est planeta mixtus, nunc diurnus, nunc nocturnus, pro

natura

naturа planetarum cum quibus iungitur, & hinc dixerunt coiuisse cum Venere, quoniam ex planetis, supra est, ei immediata.

DVBIVM XCI.

An Mercurius teneat aliqua propria.

VIdetur quod non. Nam vt diximus, Mercurius est planeta mixtus, varius, & versatilis, quandoque bonus, & quandoque malus. Ergo non habet aliqua propria, nam ista sunt sempiterna, & inuariabilia.

Respōdetur tamen, Mercurium habere multa propria. Primo enim, dictus est à Poetis Deus eloquentiæ, & sapientiæ, & aquarum dominus, iuxta dictum Luciani dum de Mercurio loquitur, & sic dicit: Quantum dominus percussit aquam. Dictus est etiam Deus mercatorum, quia disponit, & habilitat ad scientiam, & vsum calculi, & computationis, quæ mercatoribus valde necessaria sunt. Isidorus vocat eum Deum palestræ, eo quia cum Sole luctatur, quasi volens eum superare, semper enim iuxta Solem graditur, non discedens ab eo vltra 30. gradus, & ideo raro videtur, quia fere semper sub radijs Solis occultatur, & hinc propter calorem Solis fuscus depingitur, & propter suam celeritatem cursor Deorum in fabulis nuncupatur, quia nunc ante, nunc post Solem graditur. Quando Solem præuenit radijs solaribus stare videtur, & dicitur stationarius, quando autem sequitur, videtur retrogradus, vt dicit Macrobius. Secundum Ptolomeum sub eo sunt Gemini, & Virgo, sed in Virgine regnare dicitur.

Quo ad morbos, & horum medicinam dicitur dare has infirmitates, Phrenesiam, Maniam, Melancholiam, Epilepsiam, tussim, & abundantiam sputi: Mercuriales dicit Maternus patiuntur animi infirmitates, paruipendentes magna, & multum existimantes parua, sustinet horribiles, & terribiles cogitationes, animi inquietudines, & molestias.

Quo ad potentias, ac animæ vires dantur Mercurio, Locutiua, Immaginatiua, Cogitatiua, & memoria.

Quo ad mutationes temporum, Mercurio cum Aquila, humiditas niuosa, pluuiæ cum ventis. Cum cauda Capricorni. Venti frigidi, niues, & himbres. Cum Leonis cauda, transitus repentinus. Cum Leonis dorso, ventosa humiditas. Cum Lira. Subita perturbatio, & himber. Cum Regulo, venti cum frigore. Cum crure Aquarij, venti, cum nebulis. Cum lucida Hydræ, venti, & frigus. Cum spica Virginis, venti, cum pluuijs. Cum Orionis Stellis, venti cum tonitruis. Cum præsepi, venti cum tempestate. Cum trianguli Stellis, venti, & nubes. Cum cane maiore, venti cum himbribus, & sic cum alijs pro earum natura.

Quo ad planetas, Mercurius cū Saturno, in humidis signis facit, tenebrosum aerē, in siccis siccitatem ventos, Vere, & pluuiā, Æstate ventos, & nubes, & ita in Autumno, in Hyeme ventos, & niues. Cum Ioue fere in omni aspectu mouet ventos sine pluuia. Cum Marte siccitatem inducit. Cum Sole in signeis aqueis, himbres, tonitrua, fulgura, & grandines nociuæ, in igneis siccitas, & æstus, in aereis tenebrositas, & morbi plurimi præcipue in Hyeme. Cum Venere in coniunctione imbres facit, in humidis nubes, & in horis coniunctionis, vel oppositionis luminarium maximas pluuias. Cum Luna pro qualitate signorū multę contingunt variationes, in humidis, humiditatis, in aereis ventorum, in igneis, siccitatis, in terreis frigiditatis, & ventorum persæpe cum mollibus pluuijs.

Item alij dicunt, quod Mercurius dum iungitur planetis alijs si est occidentalis, pluuias magnas excitat, si orientalis ventos immoderatos, tonitrua, fulgura, inflammationes, & fructuum exarsiones, si occultus, & combustus sub radijs Solis, maximam aduehit siccitatem. Si dominus fuerit anni, vel quadrantis, summam instabilitatē in generatione creditur dare, &c.

Quo ad constitutionem, & motum dicimus. Mercurij orbes perfecti sunt quinque, duo deferentes Apogeum æquantis supremus. 5. & infimus, duo deferentes Apogeum eccentrici, sed eccentripycicli, & vnus medius deferens ipsum epycicium. Paruus orbis est vnus in medio eccentrici. Deferentes Apogēum æquantis, super mundi centro, æquabiliter, & regulariter, in consequentia super axe, & polis ecclipticæ planis singulorū æque ab inuicem iacentibus mouentur, ita vt

S quoti-

quotidie traducant absides æquantis nouem tertijs, & 31. quartis. Singulis annis sec. 27. tertijs 50. quartis 38. Perficiatur circulus annis Ægyptijs 22700. Æquator habet centrum distans à mundi centro, partibus tribus. Deferentes absidis eccentrici, æquabiliter super centro circelli extra mundi centrum descripti in antecedentia mouentur eo modo, quo in in Sole similes orbes motu annuo. Centrũ parui circelli distat a centro mundi, partibus sex. A centro æquantis, partibus tribus qualium semidiametri æquantis habet 60. Maxima eccentricitas, contingit quando centrum mobile eccẽtrici erit in Apogeo circelli, distans à centro mundi partibus 9. Minima, quando in Perigeo distans partibus tribus, seu in centro æquantis. Vnde differentia maxime, & minimæ eccentricitatis est partium 6. quarum semidiametri deferentis æquãtis habet 60. Orbis medius mouetur secundum ordinem signorum quotidie, scrupulis primis 59. sec. 8. tertijs 1. quartis 52. Et perficitur motus, spatio dierũ 265. horarum 6. min. 33. sec. 8. Centrum epycicli in Apogeo æquantis, & deferentis, quando centrũ, mobile deferentis est in Apogeo circelli, maxime distat à mundi centro 1. partibus 69. Idem centrum, quando centrum deferentis est in occidentali puncto parui circelli, distat partibus 55. scrupulis 33. cum semisse qualia semidiametri duorum eccentricorum habent 60. Idem centrum existente centro mobili deferentis in Perigeo circelli, distat partibus 57. Idem centrum posito centro mobili in puncto orientali, distat partibus 55. minutis 33. & semis. Maxima centri æquatio dum distat vtrinque ab Apogeo signis tribus partibus 5. & semis, est partium triũ. secundorũ 328. EpycicIus quotidie mouetur, part. 3. min. 6. sec. 24. tertijs 14. Perficit conuersionem, diebus 115. horis 21. min. 5. Maximæ euagationes à medio loco vespertinæ, in Apogeo distantibus vtrinque signis 4. & totidem inter se, sunt in puncto contactus epycicli orientali, signis tribus, partibus 24. & sunt partium 21. min. 8. sec. 14. Matutinæ à medio loco Solis sunt partium 26. m. 34. sec. 56. quando centrum epycicli reperitur in altero puncto triente circuli, ab Apogeo in præcedentia recedente. Matutinæ vero in puncto contactus occidentali, quando centrum epycicli est in minima distantia à terra, sunt partium 26. min. 34. sec. 56. In signis vero 8. post Apogeum, seu in altera accessione ad mundi centrum, partium 21. min. 8. sec. 14. In Apogeo æquantis, partium 19. min. 3. sec. 6. Matutinæ euagationes à vero Solis loco, in media longitudine eccentrici, signis tribus, partibus 2. Anomaliæ Solis annuæ centro epycicli, in puncto contactus dextero, in signis 4. ab Apogeo æquantis, in minima Solis eccentricitate sunt partium 28. min. 25. sec. 37. In maxima vero partium 28. min. 58. sec. 20. Existente vero centro epycicli in signis 8. post Apogeum in eodem puncto contactus. In minima eccentricitate Solis sunt partium 22. m. 58. sec. 55. In maxima partium 23. min. 31. sec. 38. Vespertinæ Sole existente in puncto mediæ longitudinis, seu in signis 8. part. 28. argumenti veri in sinistro contingentiæ epycicli, puncto, & signis 4. anomaliæ eccentrici, sunt in minima eccentricitate partium 28. min. 25. sec. 37. In maxima part. 28. min. 58. sec. 20. In Apogeo vero æquantis, & in puncto contactus epycicli, in minima Solis eccentricitate par. 20. sec. 53. min. 47. In maxima partium 21. min. 26. sec. 50. Maxima argumenti æquatio in Apogeo eccentrici stella in epyciclo tenente signa 3. partes 19. argumenti veri, est partium 19. min. 3. sec. 6. In puncto vero proximi accessus ad terram, stella ab Apogeo epycicli recedente signis 3. & part. 24. est part. 23. min. 51. sec. 35. In Perigeo eccentrici recedente Mercurio ab Apogeo vere signis 3. & part. 23. est partium 23. min. 14. sec. 17.

Ad argumentum dicitur, quod habere aliqua propria stat dupliciter. Primo regulariter, & semper. Secundo in ordine ad causas, vel dispositiones suas.

Primo modo non dicimus Mercurium habere propria, sed secundo modo, quia cum bonis semper est bonus, & cum malis malus, &c.



DV-

DVBIVM XCII.

Vtrum Luna det singularem formam.

Videtur quod non. Nam quod attribuitur Soli, non est attribuendum Lunæ, cum multum differant. Sed Soli attribuitur, à philosophis quod generet hominē, dicitur enim 2. Phy. Sol, & homo generāt hominem. Ergo non debet attribui Lunæ.

Ptolomeus, Maternus, & Leopoldus Lunæ nullam singularem formam concedunt, sed tantum alijs stare in auxilium. Attamen Messahala, Abdila, Hali, & alij multi astronomi hanc ei attribuunt efformationem. Dicunt enim, nati sub Luna bene collocata, & natiuitatis dominium habēte, erunt grandeui corpore, bene tamē proportionati in membris, & pinguedine, multum comedent, & parum bibēt, colore erunt albi, & rosei, cum quibusdā tamen maculis in facie, & quibusdam defectibus in oculis, adeo vt vno oculo priuentur, vel in eo maculam, vel defectum patiātur, vel inequalitatem adeo, vt vnus oculus sit alio altior.

Aliqui cogitauerunt se horum posse reddere rationem ex corpore Lunari. Nam Luna nobis magna videtur, globum habet perfectum, & rotondum, & ita Lunarem facit magnum, sed proportionatum, & perfectum. Secundo est albæ faciei, cum quoddam pallore, & maculis, & ita Lunaris solet esse albus, cum quodam pallore, & maculis in facie, & corpore, quod vt plurimum magis apparet in muliere. Tertio est motu velocissima, sed mutat faciem qualibet hebdomada nunc lumen augendo, nunc lumen subtrahendo, & ita facit Lunarem instabilem, peregrinātem, & magna itinera libenter suscipientem. Ex eius albedine deducitur, quod sit humida, & ex nigredine mixta quod sit frigida, & talis temperamenti est Lunaris .s. frigidus, & humidus. Sæpe eclipsatur, & defectus sustinet, & ita Lunaris patitur in oculis, quia vel non videt, vel non bene videt, vel caliginose, & inordinate respicit, quod solet etiam esse effectus omnium stellarum nebulosarum, vt sunt Aselli, pleiades, & similes. Rationem tamen intimiorem tetigerunt naturales, temperamentum metientes, & ex eo supradicta deducentes. Natura enim Lunaris humida est, frigida, & flegmatica. Ptolomeus tāmen, Artesius, & Arcofilus sunt in sententia, quod Luna à coitu Solis vsque ad primum quadrantem est humida. In secundo quadrante est calida .s. vsque ad oppositionem Solis. In tertio est sicca, & in quarto frigida, tamen generaliter Astronomi eam fecerunt humidam, & frigidā. Temperamentum autem humidum, & frigidum facit homines magnos, crassos, carnosos, & rotondos. Quoniam hoc habet humiditas .s. deducere humida ad rotonditatem. Ex frigiditate pili deficiunt, & albus color succrescit, si frigiditas præualet, albedo ad liuidum declinat, & homines ad coitum inhabiles reddit. pauci cibi, & difficilis digestionis. Qui autem cerebro sunt frigidi deficiūt in oculis, quia ex humido nascuntur, & humido mixto cum calore conseruantur, cecitas enim ex resolutione quorūdam musculorum, oriri tradidit Galenus in lib. de causis sintom. Viri autem solent pati defectum in dextero oculo, & mulieres in sinistro, quia homo calidior est muliere, & dextera sinistra parte, quare si deficiat vigor in homine inficit dexterum oculum, & si in muliere sinistrum.

Ad argumentum ergo dicitur, quod concurrere ad generationem, vel alterationem inferiorum stat dupliciter. Primo principaliter, & maxime, & sic concurrit Sol, qui dicitur pater vitæ, & fons luminis, quo lumine aguut superiora in inferiora. Secūdo concomitanter, & concausaliter, & sic omnes cæli, stellæ, & planetę magis, minusve concurrunt, & inter hos Luna, quæ est planeta terræ propinquior, Arist. locutus est in primo sensu.

DVBIVM XCIII.

An Luna disponat ad singulares mores.

Videtur quod non. Nam sapiens loquendo de stulto, & fatuo eum Lunæ comparat, & ait. Stultus vt Luna mutatur. Sapiens stabit vt Sol. Fatuus, & stultus sine moribus est. Ergo & Lunaris.

In contrarium dicit Hali. Lunaris est complexionis humidę. Talis est dispositiua ad bonos mores, & ad quietem. Ergo Lunaris erit bene morigeratus, & quietus.

Quia tamen, vt diximus supra ex Galeno, temperiem variat, ideo nec mirum est, si Lunaris mutetur. Vnde Maternus dicit, Lunaris erit leuis negotiator, multa tentans, & pauca resoluens, aquarum, & negotiorum ex aqua amator, vagus, & quietis stationis impatiens, in inventute religiosus, sed deinceps mutabilis, modo locuples, & modo pauper. Viuet extra patriam, & si Luna fuerit bene collocata consequetur opes, & honores, seruabit leges & diliget artes, res magnas inuestigabit, negotia principum tractabit, legatione fungetur, & circa negotia aquatica, & terræ culturã plurimum insudabit. Parum bibet, & multum comedet, vxorem, ac filios diliget, & honestatem seruabit.

Supradicta autem tanquam à proxima causa nascuntur ex temperamento humido, & frigido. Nam frigidi parum ad coitum sunt apti, & ad Religionem dediti, quare poetæ Dianam .i. Lunam finxerunt virginem, quia parum inclinat, & disponit ad coitum, & connubia. Dixerunt vijs dominari, quia Lunares itinerates sunt, & peregrini, & ambasciatores. Faciunt eam ferarum persecutricem, quia venatores de difficili stant immoti. Galenus etiam tradit proprium flegmæ esse disponere homines ad castitatem, & pudicitiam, & taciturnitatem. Et quia flegmatici sunt frigidi, cibos appetunt, & quia sunt humidi superfluum potum fugiunt. Et quia frigidi, & humidi sunt mulieris complexionis, ideo solent esse timidi, & debiles, vt sunt mulieres, mutabiles, & instabiles. Ab humiditate ortum ducunt silentium, & morum probitas, & quia timidi sunt, ideo nulli nocere tentant. Induunt albas vestes, & morantur libenter in locis humidis, quia simile diligit suum simile, & ex hoc porci prompti sunt ad alba, quia flegma abundant, & ita cholericis placent vestes aurei coloris, qua in eis abundat cholera cetrina, & ceruis, ac tauris grata sunt rubea, quia sanguine multo scatent, & melancholici delectantur in nigris, propter nigrum humorem, & melancholiam eis dominantem.

Ad argumentum ergo dicitur, quod aliud est significare, & disponere ad mutabilitatem, & aliud ad fatuitatem, & morum prauitatem. Primum concedimus Lunæ, & hic defectus quidem est, sed non peruersio morum. Secundum autem est quod negamus.

DVBIVM XCIV.

An Luna teneat multa propria.

Videtur quod non. Nam varietas nominum, varietatem proprietatum ostendit, quia nomina imponimus rebus secundum eorum proprietates. Sed Luna multis nominibus nominatur, s. Diana, Proserpina, Luna &c. Ergo est signum, quod eadem non retinet propria.

Respondetur quod Luna multa habet propria, & singularis adnotatione digna. Respectu ergo nostri dicitur luminare minus, & Luna est quasi luminum vna, quia post Solem in hoc inferiori hemisperio dum est plena magis fulget, & irradiat. Dicitur autem secundum Ambrosium in Hexam. decor noctis, mater roris, humoris ministra, dominatrix maris, temporis mensura, æmulatrix Solis, mutatrix aeris, Lumen quidem à se non habens, sed illud à Sole acquirens.

Dicamus ergo Primo quod singulari quodam modo Lumen mutuat à Sole, nam semper media eius pars illuminatur, computando partem versus Solem, cum ex qua terram respicit, quamuis in nouilunio per totũ versus Solem sit illustrata, & in plenilunio totã versus terram. Habebit ergo, quod sit sui luminis mutatiua.

Secundo quod sit triplicis status ostensiua nam dum primo à Sole recedit apparet corniculata ad modũ arcus, cornibus versis versus ortum, & dum post pleniluniũ accedit ad Solem recipit eadem corniculationem, sed cornibus versis semper ad occasum. Apparet vacua in parte auersa à Sole, & in parte ad Solem conuersa plena.

Tertio est omnium humorum augmentatiua, quare dicit Marcianus quod eius defectui omnia compatiuntur, & eius detrimentum, inferiorum est detrimentum, nã dum crescit, per occulta naturæ spiramina ingreditur, & fluxus humorum augmentantur, in eius vero detrimento, in ossibus medullæ, cerebella in capitibus, & humores in corporibus diminuuntur, sicut eius incremento multiplicantur.

Quarto est aquarum maris attractiua, quia

sicut Magnes trahit ferrum post se, sic Luna mouet, & trahit post se Oceanum. vnde ea oriente intumescit mare, & crescit ex parte orientali, & decrescit in parte occidentali, & econtra quando est in occasu, crescit mare ex parte occidentis, & decrescit ex parte orientis, & secundum quod Luna plus, vel minus proficit in lumine, sic plus, vel minus in suo fluxu se extendit, vel retrahit mare. Oceanus autem in incremento Lunæ seruat hunc modum, Nam primo die quo Luna crescere incipit, abundat in summo, in secundo die minuitur, & descẽdit vsque ad septimum diem, deinde crescit semper per septem dies, ita vt in 14. die erit Oceanus in summo, vnde in plenilunio, & nouilunio mare est plenissimum.

Quinto est roris in aere generatiua, nam suam humiditatem in aere imprimit, & eius superficiem insensibiliter immutat in eius superficie rorem gignit, & quanto Luna est serenior in æstate, quo tempore aer magis calescit, tanto abundantius rorem super gramina spargit.

Sexto inter planetas breuissimo tempore est sui cursus completiua cum spacio 28. dierum totum Zodiacum percurrat.

Septimo per eclipsim est sui luminis priuationem passiua. Sed de hac re infra.

Octauo est mutationis temporum significatiua, vt magis infra dicemus; Pro nunc sufficiat dicere cum Beda, quod si Luna in principio rubeat vt aurum, ventos ostendit. Si in summo eius corniculo quibusdã maculis nigrescit, pluuiosum mensis exordium protendit. Si vero nigrescit in medio, plenilunium serenum protẽdit. Cum vero in nocturna nauigatione scintillat ad remos, in breui tempestas futura erit.

Nono est terræ fœcunditatis subministratiua, vnde à gentibus dicta est Proserpina, ex eo quod seminum est fœcunditatiua, & hoc maxime per rorem. Dicitur enim Diana. i. siluarum, & nemorum Dea, quia feris de nocte pascua quærentibus, in nemoribus, & in siluis luminis beneficium administrat.

Decimo secundũ Abulensem, est aeris mundificatiua, suo enim motu cõtinuo aerem rarefacit, & subtiliat, vnde si non esset motus sphęræ Lunæ, aeris ex nocturna vaporum exhalatione grossicies inficeret, & corruptionem nõ modicam generaret.

Vndecimo supra corpus humanum omnium Astrologorum consensu est maxime potestatiua. Nam vt dicit Ptolomeus lib. de indicijs astrorum. Sub Luna continetur ęgritudo, amissio, timor, & damnum, vnde circa mutationem humani corporis virtus Lunaris potissime operatur, quod accidit propter motus sui velocitatem, & propter ipsius ad nos vicinitatem, & propter occultam sui naturaliter potestatem, vnde de morborũ mutatione Medicus perfecte non discernit, qui lunares effectus in corporibus non cognouit, quia vt dicit Hyppoc. in principio prognosticans ait: Luna est quoddã cæleste sydus, in quo oportet Medicum prouidere, cuius prouidẽtia est mirabilis, & stupenda. Et Galenus in com mẽto de diebus criticis dicit. Rem certam quæ non fallit, attendat Medicus quam docuerunt Astrologi Ægiptiorum, quia per coniunctionem corporis lunaris cum stellis fortunatis, fiunt ægritudines terminãtes in bonum, cum contrarijs vero contrariæ. s. ad malum, & ideo cautus, & perfectus Medicus secũdum doctrinam Hyppocratis debet aspicere primam Lunam, & quando est plena luminis, quia tũc crescunt humores in hominibus, & medullæ, & fit nutrimentum in mari, & in omnibus rebus mundanis. Quando ergo infirmus in lectum cadit, est valde necessarium videre si Luna tunc exeat de coniunctione, tũc enim crescit infirmitas, quousque veniat in oppositionis gradum. s. ad plenilunium, & tunc si fuerit cum malo planeta, aut in malo signo, & aspexerit domum Martis nati infirmi, vel saltem Scorpionem, tunc de morte timendum est. Si vero fuerit cum bono planeta, & in bona domo, seu signo, & aspexerit dominum domus vitæ. s. Martem, qui est domus Arietis, siue primi signi, tunc de vita sperandum est, & sic de alijs videndum est, & legi potest in lib. Hyppoc. quem dicitur composuisse de iudicio infirmitatis secundum Lunam.

Quo ad infirmitates. A Luna sunt paralysis tortura, membrorum commotio, & reliqui morbi a neruorum obstrictione, frigiditate, & humiditate. Iulius vero Firmicus tradit solere Lunam maculare corpus varijs signis, & ipsum lepra inficere, & varijs plagis cruentare, eneruare viribus, & oculos hebetare, & male disponere, Epilepsia

lepsia ferit lunarem, & faciei inordinatio-ne quadam, vires suas ostendit in paralisia, maxime in lingua, labijs, oculis, & membrorum distorsionibus. Galenus autem de locis affectis. Oribasius in 8. & Paulus Egineta in 3. docent initium paralesię in lingua, oculis, ac alijs membris causari à flegma frigida implente principales vētricolos cerebri. Et Galen. de causis Sint. dicit paralesiam linguæ originem ducere à frigiditate, & humoribus crassis, ac tardis. Et ita distorsio mandibulæ, & ab hac prouenit apoplesia, & totius corporis paralisia. Et lib. de oculis asserit paralesiā oculorum trahere suum principium ab humoribus frigidissimis, ad neruos currētibus. quæ omnia diximus pro causa cælesti habere Lunam.

Luna autem existente in trino aspectu Iouis, bona est sanguines, vacuatio. Cum Marte in trino, mediocris phlebotomia. In trino Solis. Optima sectio venæ. Veneris, Sanguis congrue trahitur. Mercurij. Non nocet sanguinis emissio. In trino Iouis in Cancro. Prodest bilis euacuatio, flegmatis, & melancholiæ eductio cum electuario. Martis in Scorpione. Expulsio pituitæ cum potione. Solis in Scorpione. Pituitæ eductio cum potione. Veneris in Scorpione. Bilis euacuatio cum potione. Iouis trino in Scorpione. Melancholiæ purgatio cum potione. Martis in Piscib. Pituitę, expulsio cum pillulis. Solis in Piscibus. Pituitæ purgatio cum pillulis. Veneris in Piscibus. Bilis euacuatio cum pillulis. In trino Iouis in Piscibus. Melancholiæ purgatio cum pillulis. Martis in Cancro. Pituitæ purgatio cum electuario. Solis in Cancro. Flegmatis expulsio cum electuario. Veneris in Cancro. Bilis expulsio cum electuario. Luna in cōiunctione Solis. Sanguinis emissio, ante, vel post tres dies pessima. Saturni. Mala est sanguinis eductio ante, & post vnum diem. Martis. Ne venam seces, spacio vnius diei, ante, & post. Veneris. Abstineas à sanguinis misione vno die ab vtraque parte. Mercurij. Non licet venam aperire, ante, & post diem non lapsum. Capitis, & caudæ Draconis. Nefas est venam ante, vel post diem aperire. Luna vero in coniunctione Iouis. Optima tunc est venæ sectio. Veneris, fortunatæ, non combustæ. Licet sanguinem trahere.

Luna in quadrato Saturni. Sanguinem diei interuallo ab vtraque parte ne trahas. Iouis sine periculo vena aperitur. Veneris. Congrue sanguis elicitur. Martis. Periculum est sanguinem mittere. Solis. Sanguinis vacuatio spacio dimidij diei, ante, & post nocet.

Luna in oppositione Saturni Sanguinem diei interuallo ab vtraque parte ne trahas. Martis. Noxia Sanguinis emissio integro die ab vtraque parte. Solis. Die, ante, & post nefas est venam aperire. Iouis. Optima sanguinis vacuatio. Veneris. Vtile est venam aperire.

Luna in sextili supradictorum. Dic vt in aspectu trino.

Luna in prima quadratura. Licet iuuenibus venam secare. In oppositione. Ætate florentibus. Post oppositionē vsque ad secundum quartum. Senibus. A secunda quadratura ad coniunctionem, etiam decrepitis, sed in parua quantitate.

Luna in Ariete, & Sagittario. Pituitosis. In prima medietate Aquarij, & Libræ. Melancholicis, at non in tibijs, si in Aquario, vel natibus, si in Libra. In Cancro, vel Piscibus. Biliosis, at non in pulmonum vena si in Cancro, vel pedū, in Piscibus. In Leone, Scorpione, & Geminis, & vltima medietate Libræ, Nullis, quia Leo, est nimis calidus. Gemini præsunt brachijs, vbi est venæ sectio. Scorpio, & vltima pars Libræ, sunt via combusta. Luna in triplicitate terræ. Tantum in principio curationis morbi antiqui.

In Ariete Leone, & Sagittario, prosunt balnea dissoluentia, quia sunt signa calida, & sicca. In Geminis, & Libra. Prosunt balnea humectantia, quia sunt signa aerea. In Cancro Scorpione, & Piscibus. Prosunt balnea refrigerantia, & humectantia, nec non dissoluentia. Luna in Aquario. Officiunt balnea, cum sit domus Saturni, sed prosunt cum cucurbitulis. In Geminis. Nocent balnea cum cucurbitulis in brachijs, humeris, vel manibus.

Luna in coniunctione, quadrato, & oppositione Saturni, vel Martis. Nocent balnea. Cum planetis combustis, & domino octauæ domus. Vitentur balnea. In quadrato, vel oppositione Iouis, vel Veneris trino, sextili, vel coniunctione Solis. Balnea sunt optima. In quadrato, coniunctione, vel oppositione Martis, & Saturni.

turni. Noxiæ cucurbitulæ, Ariete, & Sagittario. Bonę cucurbitulæ pituitosis, excepto capite in Ariete, & coxis in Sagittario. Cancro, Scorpione, & Sagittario. Biliosis modo non tangantur. Pedes. In Piscibus. Pectus, in Cancro. Fæmora in Scorpione. In Aquario Luna existente, & Libra. Melancholicis, modo in Aquario tibiæ, in Libra, nates relinquantur. In ruminantibus, vt Ariete, Tauro, & Capricorno. Vtilis est prouocatio vomitus, sternutamentum, & gargarismata. Scorpione, & Libra. Ænemma initiandum.

Luna existente in signo cui subest membrũ. Topica remedia illi applicentur, at ignis & ferrum absint. Ipsa aucta lumine, aut crescente. Remedia carnem generantia adhibeantur. Diminuta lumine, & numero. Carnem minuentia.

Luna cum Mercurio, & Ioue. Febris ephemera, & diaria plurium dierum, seu smocos non putrida quæ spiritibus, non curentur, quia his subijciuntur. Cum Saturno, Marte, & Venere. Smocus, siue continens putrida non curetur, quia ab his regitur. Cum Marte, Venere, & Saturno, tertiana quæ bili flaua, continua, quotidiana, quæ pituita, quartana continua, quæ melancholia, quia illis subduntur. Cũ Marte, & Venere. Tertiana exquisita quæ flaua bili pura, & spuria, quæ flaua bili pituitæ mixta gignitur, quia ab his reguntur. Cum Venere. Quotidiana intermittens, quæ pituita dulci, & epiata, quę pituita vitrea generatur, quia ab illa gubernantur.

Luna cum Saturno Quartana intermittens, quæ fit melancholia, quia illius imperio subest. Cum Mercurio purgationes vaporum, & spirituum ne fiant, quia illis Mercurius dominatur. Luna cum Ioue. Ne sanguis purgetur, quia ab illo regitur. Cũ Marte. Ne bilis, quia ab illo gubernaẽ.

Luna crescens, cum Marte quadrato. Oculi non curentur, quia ob caliditatem illis est noxius. Cum prima hora Martis. Oculorum cura non incipiatur. In Ariete, vel alio signo mobili. Ignis vel ferrum oculo apponatur.

Quoad vices animæ: Lunæ subduntur. Seminificatiua. Gustatiua. Manducatiua; & ciborum concoctiua.

Quo ad mutationes aeris. Luna cũ Saturno facit. Nebulas, frigiditatẽ, & aliquando pluuias in humidis, in aereis augmentũ frigiditatis, vere turbidum, & humidum aerem. Aestate humidum. Autumno nebulosum, Hyeme, niues, sæpe grandines, sæpe siccitates, in siccis temporibus pruinã. Cũ Ioue erit serenitas, & ventus propitius. Cum Marte. In humidis pluuit, in igneis exsiccat, rubefacit cælum, & interdum pluuias secum ducit, in aereis calefacit, coruscat, & fulgurat, & Aestate idem format. Cum Sole. In humidis pluuit, nubibus croceis cælum tegit, pluuiæ guttas magnas demittit, in calidis, & siccis serenitatem. Semper aerem alterat pro qualitate planetæ prædominantis. Cum Venere. Leues, & tenues pluuiæ frigidæ. Vere quidem tempus nubilosum redditur, & humidum. Æstate fit caloris remissio. Autumno nebulæ turbidę, hyeme niues. Cum Mercurio pro qualitate signorum multæ contingunt variationes in humidis, humiditatis, in aereis ventorum, in igneis siccitatis, in terreis frigiditatis ventorum, etiam persępe cum mollibus pluuijs.

TABVLA EFFECTVVM LVNÆ pro Agricultura.

Luna existente plena.

Bonum est plantare vites, illas purgare, vineas suffodere. Triticum non seminare, capitis dolorem medicare, capillos scindere, fabas serere, sanguinem trahere.

Luna noua.

Bonum est arbores ad materiam sternere, ipsa sub terra existente, & maxime tempore brumali, à quarta illius die vsque ad vigesimã, ipsa supra terram existente, & beneficis coniuncta, arbores plantare, grana seminare, & sanguinem iuuenibus elicere.

Luna quadrata, & crescente.

Bonum est oues tondere, arbores ex quibus ædificia fieri debent exscindere, campos pro colligenda magna copia fęni stercorare, lentis seminare, si semen, & terra sint arida, seminare, venam viris ad 16. ætatis annum aperire.

Luna quadrata decrescente.

Bonum est arbores inserere, campos pro colligendis uberioribus seminibus stercorare, si humidum sit semen, & terra seminare, sanguinem senum trahere.

Luna

Luna in trino tum alijs planetis, vel alio aspectu.

Bonum est Luna existente in libra hortos colere, consita, & arbusta. In Aquario idē. Cum Saturno in Tauro, Virgine, Capricorno, serere, plantare, & suffodere vineas. Cum Saturno in domo bona, plantare arbores. In Tauro, Aquario, vel Leone cum Venere plantare. Cum Saturno forti, directo, & significato, quascunque arbores transplantare, Luna orientali à Sole arbores, quas cito crescere volumus, sub radijs Solis semina diminuuntur, aspecta in Ariete à planeta de signo aqueo, ratificatur semen.

Luna sub terra stante.

Bonum est abstinere a granis serendis, colligendis, aut reponendis arbores scindere pro ædificando, eruere, vel obruere allium, vel vlpinum, frumenta, & alia grana colligere.

Luna supra terram.

Bonum est, syluas ad ignis materiam, ac Lucos, & quæcunque celeriter crescere cupimus, scindere.

Habet autem Luna quod fere cum omnibus stellis inclinat ad humiditatem, & frigiditatem.

Quo ad motum, & constitutionem, vide tabulam copernicam, & theoricam planetarum apud Astrologos, nam quoniam multa ac varia ad hoc propositum dicuntur, quæ non est meū examinare, ideo ad illos te remitto, & i his adhuc magistrū cupio.

DVBIVM XCV.

An Saturnus cum alijs planetis coniunctus diuersa faciat.

Videtur quod non. Nam virtus fortior debiliorem vincit, & tollit. Ergo si virtus Saturni fuerit fortis, omnes alias virtutes eneruabit.

In contrarium dicunt Messahala, Maternus, Hali, & alij in substantia infrascripta. Saturnus cum Ioue .i. si sint domini in natiuitate nati, reddunt hominem albæ faciei, capillorum castanei coloris, oculorum nigrorum, mediocris quantitatis, capitis calui, & quorundam dentium nigrorum. Sed si ambo essent occidentales, color erit mellis, in incessu oculos ad terram inclinatos tenebit, & cum vno pede alterum percutiet, supercilia coniuncta seruabit, & pellem siccam ostendet.

Ratio naturalis est, quia temperamentum mixtum ex humido, & frigido, inducit colorem albū in facie, & castanearum in capillis. Et quoniam frigiditas Saturni potest temperare caliditatem Iouis, si hoc tēperamentum sit moderatū, dat vitam longam, vultum venerabilem, & maiestate ornatum, disponit ad iustitiam, clementiam, ac magnanimitatem, ac personam sic in omnibus cohonestat, vt eam omnibus reddat amabilē, ac reuerentia dignā.

Saturnus vero cum Marte participante de dominio geniture, faciet natū coloris sub nigri cum quoddam rubeo, non bene erectum, grossum, cum maculis sæpe in faciem, cum capillis raris, Hali vero dicit. Si Saturnus fuerit cum Marte sociatus, & ambo fuerint potentes, reddent hominem audacem, impium, litigiosum, subdolum, magnis periculis se obijcientem, sine discretione, & recto iudicio, inimicitiarum conseruatorem, se extollentem supra magnos viros, omnium infamiarum contemptorem. Diligit labores aliorum vincere omnes, nulli obedire. Contra potentes se obijcit, omnia velociter peragit, & vt plurimum prospere. Sed si hi fuerint deiecti, vel Saturnus fuerit, cum alijs planetis in mala positione, inclinabit natū ad furta, assassinia, amicorum, & inimicorū deceptiones, faciet, infidelem, homicidam, rixosum, negromantem, omni libidini studentem, & in summa malum hominem.

Ratio naturalis, & immediata esse potest, quia caliditas, & siccitas Martis, paucos pilos tribuunt, & intensa caliditas faciei maculas. A caliditate sunt inclinationes, ad iram, audaciam, imperium, superbiā, ex quibus multa mala antedicta proficiscuntur.

Si vero Saturnus sit cum Sole, quoniam frigiditas Saturni temperat caliditatem Solis, & eius siccitas ex calido, mitigat siccitatem ex frigido, ideo natus sub hac coniunctione, & dominio, non erit multum pinguis, nec magnus, sed medio modo se tenens, cum tamen statura eius potius trahat ad magnitudinem, quam ad paruitatem. Et quia frigiditas, & siccitas faciunt ad medietatem oculorum, caliditas, & siccitas ad magnos, ideo harum quali-

tatum

catum mixtio faciet ad aliquam magnitudinem oculorum. Et sicut frigiditas, & siccitas deformem figuram dabant, ita caliditas cum aliqua siccitate præstabit pulcherrimam figuram in statura, & pinguedinẽ in facie. Ita frigiditas, & siccitas pilos dãt nigros, caliditas, & siccitas flauos, ergo horum mixtio dabit pilos de vtroque colore participantes, qui est color dictus castenaceus, seu mellis. Facies frigidi, & sicci solet esse coloris mellis, ad nigredinem declinantis. Calidi, & sicci, cum aliqua participatione humidi alba. Ergo ex participatione horum resultabit color clarus mellis. Mores autem sunt eccellentes in frigido, & humido, in humido, & calido temperate si sint à melancholia, vel sanguine, vt in saturninis solaribus, & ideo tales erunt potius statura magni, quam parui, coloris mellis clari, pinguedinis conuenientis, & morum nobilium. Saturno existente cum Venere color nati erit mellatus, vel oliuaster, spectabilis tamen, capilli castenacei, facies rotunda, mandibulæ mediocres, oculi pulchri, & laudati, & nigredo pupillæ superabit albuginem. Dicit vlterius Maternus, quod cum Venus sit fortuna minor, adeo facit homines, claro, nobiles, & fęlices, & si Saturnus bonam configurationẽ cum Venere tenebit, & ambo in genitura sint potentes, facient sic natum scrutatorem legum, æmulatorem iusti, & æqui, sollicitum ad procurandum rerum diuinarum honorem, mansuetum, verecundum, & modestum, & suæ voluntatis dominum, sed in Zelo mulierum ab ipso dilectarum excedet. At si in malo statu essent, disponent ad perfidiam, & pertinaciam, fornicatorem, & incestuosum, solitarium, rerum optimarũ persecutorem, Zizaniarum seminatorem, secretorum nõ sibi attinentium perscrutatorem, bonorum contemptorem, & omnium legum vituperatorem facient.

Causa naturalis horum assignari potest, quia Venus .i. caliditas, & humiditas iunctæ siccitati, & frigiditati Saturni formam, & mores anteadictos dare solent. A frigiditate est color mellis, a caliditate, & humiditate albus rosatus subobscurus, & ex temperie horum est color oliuaster pulcher, & gratiosus. Oculi qualitatis calidæ, & humidæ, sunt nigri, vel declinantes, ad nigredinem, & laudati ab omnibus, &c. Cũ autem Venus malignitatem Saturni mitiger, si est fortis, præstat moribus, si debilis, & deiecta cedit. 1

Cum autem Saturnus fuerit cum Mercurio .i. qualitas sicca, & frigida Saturni, cum qualitate calida, & sicca Mercurij seu facta fuerit mixtio melancholiæ Saturni cũ colera Mercurij, resultabit quædam tertia figura, ex supradictis composita. Et quia, vt diximus siccitas, & frigiditas mellis colorem faciunt, vel nigrum, & Mercurius pallidum, ideo ex his coaelescens erit fere niger. Vterque.s. Saturnus, & Mercurius faciũt corpus carnosum potius, quam extenuatum, & mixti, reddent corpus cõuenienter in carne, & statura. Mercurius facit faciem longam, nasum longum, & digitos manuum longos, at Saturnus eum sua frigiditate, & siccitate partem huius magnitudinis demit. Et quia humor cholericus, & melãcolichus sunt pessimi, ideo disponunt ad malos mores, ad maleficia, sortilegia, incantationes, & inimicitias cum parentibus.

Si sit cum Luna.i. siccitas, & frigiditas, cum humiditate Lunæ, faciet faciem non bene albam, sed pallidam, sed si fortes sint, & potentes in natiuitate, temperamentum quoque forte faciet, & consequenter etiã corpus, & mores. At si temperamentum non sit bonum, corpus erit etiam male affectum, deformitate, ignorantia, seruilitatẽ, ignauia, podagra, oculorum infirmitate, & morbo caduco.

Ad argumentum autem dicitur, quod virtus fortis tollat minus fortem stat dupliciter. Primo totaliter, & hoc est falsum, si ad temperamentum debeat venire cum minus forti, vt sit in actionibus, & influxibus planetarum, cum sint vniuersales. Secundo fortitudine, & potentia efficaciori, & hoc cõcedimus, sed non vrget contra nos.

DVBIVM XCVI.

An Iupiter cum alijs planetis quadam singularia operetur.

Videtur quod non. Nam Iupiter semper dicitur fortuna maior. Ergo non potest vmquam à sua natura deficere, & diuersa habere, nunc prospera, & nunc aduersa, secundum quod diuersis adiungitur, vel eis configuratur.

In contrarium dicit Hali, quod qui habuerit Iouem cum Marte, vel in bono eius aspectu, &c. natus sub hoc felici eorum statu audacē faciet magnis periculis, ac litibus se exponentem, sapientem, prudentem in suis actionibus, nulli se humiliantem, & semper ad victorias aspirantem, ad honores, & gradus, astutum, bellicosum, rerum nouarum inuentorem, veracem, magnanimum, & iracundum. At si essent deiecti, infelices, & humiliati, disponēt natum ad alios vituperandum, ac opprimendum, numquam parcentem, inuerecundum, instabilem, secretorum reuelatorem, furem, inobedientem, se omni modo defendentem, ingratum, accusatorem, Superbum, vanum, vantatorem, & in omni opere suo instabilem, ac mutabilem, blasphemum, hyppocritam, simulatorem, leuem, & vituperatorem constituent.

Causa naturalis erit temperamētum purū, & inordinatum caliditatis, & humiditatis Iouis cum caliditate, & siccitate Martis. Fit ergo compositio sanguinis, cum flaua bili, & ex hoc facies efficitur alba, cum rubore quodam cholerico. Sanguis .i. Iupiter facit oculos magnos, & cholera martialis grossos, & sic oculi istius erunt maiores, quam si Iupiter solus esset dispositor natiuitatis.

Si Iupiter fuerit cum Sole, cum Iupiter sit calidus, & humidus, & Sol calidus, & siccus, natus cum horum temperamento color erit albus, cum quadam rubedine, & flauitate pulcherrime effigiante, statura erit potius magnus, quam paruus, & forma spectabilis. Oculis erit flauis, quoniā cholera oculos flauos facit, & sanguis rubeos, & mixtio cholerae, & sanguinis, flauos, cum quadam rubedine. Caliditas, & siccitas capillos incrispant, siccitas, & humiditas deplanant, & mixtio harum qualitatum causabit capillos cum quadam planitie, & crispitudine, & talis erit forma Ionialis, & solaris. Mores vero eius erunt praestātes, & fortunati, quia vterque seorsum, & simul disponit ad optimos mores, & felicitatem.

Iupiter cum Venere felicem natum faciunt, quoniam vterque fortuna est, & temperate calidus, & humidus, vnde forma talis erit spectabilis, & amabilis. Oculi eius nigri, & magni, sed non difformes, nec incongrui, sed admirabiles & conspicui. Erit caluus, & luxuriosus, quia à Venere ista sunt, simul cum pulchritudine, & moderatione staturae, cum capillis speciosis, facie rotunda, & mandibulis non multum magnis, praestabit moribus, quia eius temperamentum optimum erit.

Ioue cum Mercurio stante, cum Iupiter sit calidus, & humidus, & Mercurius calidus, & siccus, cum hoc tamen quod multum participet de natura eius planetae cui adiungitur, dicendum est, quod cum Mercurio erit beneficus, & bonus, & dabit aliqua mercurialia. A Mercurio est frons alta, à Ioue pulchra. Ergo participabit de eleuatione, & pulchritudine frōtis. A Mercurio est nasus longus, facies longa, & digiti manus lōghi, & corpus delicatū, à Ioue gratia, & pulchritudo. Ergo particips de vtroque habebit faciem mediocrate prolongā, sic nasum, digitos manuum, & corpus in medietate delicatum. Mercurius disponit ad paruitatē, & cauitatem oculorū ad colorem oculorū caprarum, vel flauū. Iupiter ad eorum pulchritudinem facit. Ideo de his participans non habebit oculos nec in totum flauos, nec nigros, sed participantes de vtrisque. Iupiter facit ad staturam iustam, & proportionatam, Mercurius ad paruitatem staturae, & suauitatem. Ergo ex horum mixtione erit corpus moderatum. Et ita dic de alijs partibus corporis, & moribus, nam secundum philosophū medium participat de extremis.

Vltima mixtio, & participatio est Iouis cum Luna, quae hoc operatur, Luna enim, & Mercurius disponunt ad colorem album, sed Luna, cum quoddam pallore, & Mercurius cum quadam varietate, & ideo color Iouialis Lunaris erit albus, cum quadam rubedine permixta, potius apparente quam vera. Statura erit mediocris, quia vterque eam talem dat, patietur tamen aliquam humiditatem in oculis, vel ruborem, propter Lunae proprietatem, sed non grandem, propter Iouis benignitatem. Erit iustus, verecundus, & bonus propter Iouem, eritque aquaticis rebus deditus propter Lunam.

Ad argumentum dicitur, quod Iupiter sit fortuna maior bifariam potest intelligi. Primo secundum se, & hoc est verum. Secundo respectu circumstantiarum, & sic potest deiici, & infortunari, vel ex coniunctione malefici planetae, vel ex malo situ,

tu,&c. sed cum hoc tamen semper exercebit aliquas vires suæ benignitatis.

DVBIVM XCVII.

An Mars singularia operetur cum alijs planetis.

VIdetur quod non. Nam faciens ad destructionem omnium, non agit ad aliquid illorum proprium. Sed Mars dicitur planeta maleficus, & bellorum, & ruinarum auctor. Ergo non producet aliquid aliorum planetarum, iunctus cum eis.

In contrarium sunt antedicta, & vlterius dicunt Astronomi, quod si Mars cum Sole erit, & cum eo de dominio nati participabit, dabit colorem non proprie rubeum, sed vt rubeum, & caluitium, capillos cælestis coloris .i. ad aliquam huius coloris similitudinem, staturam gratiosam, & oculos non bene nigros, sed potius grossos, quam paruos. At si fuerit à Sole combustus, denotat ab isto fore incendia, ruinas, & strages publicas, & si Mars fuerit in occasu, minatur mortem violētam. Ratio horum est, quia Mars calidus, & siccus est intemperate, Sol vero temperate, i. non excedenter, & color Solis est aureus, & Martis rubeus, hinc color Martialis Solaris nec proprie erit rubeus, nec flauus, sed medius inter hos colores. Mars dat capillos rubeos, & Sol aureos, participans ergo de vtroque eos habebit medij coloris, qui videtur declinare ad colorem cæleſtē. Mars raros dat capillos barbæ, Sol spissos ergo de his participans eos habebit, nec raros, nec spissos. Et si Mars facit corpus moderatæ carnositatis, & Sol aliqualiter pingue, sed paruæ staturæ, pulchræ tamē, participatio horum erit corporis aliqualiter pinguis, & iustæ, & pulchræ staturæ. Vterque est naturæ calidæ, calor autem in publicum producit occulta, & ita Martialis Solaris publica habebit officia, honores, & dignitates.

Mars cum Venere, idest caliditas, & humiditas cum caliditate, & siccitate, causabit optimum temperamentum, quia excessiua caliditas Martis, temperabitur à moderata caliditate Veneris. & maxima siccitas Martis moderabitur à suaui humiditate Veneris. Mars ergo cum det colorem faciei rubeum, staturam corporis competentem, & pinguem potius quam extenuatam, capillos capitis spissos, faciem rotondam, mandibulas mediocres, aspectum terribilem, Venus vero tribuat colorem roseum declinantem ad quandam gratiosam nigredinem, mixtam quadam claritate, & albedine, staturam corporis longam, & pulchram, capillos spissos, & cum quadam gratia in se conuersos, faciē rotundam, sed speciosam, oculos (gazolos) vt dicitur, lucentes, & in amorem rapientes, corporis pinguedinem, & vultū iocundum. Ergo ex horum temperamento consurget color faciei rubeus, mixtus quadam albedine non clara, sed accedente ad colorē nigrum clarū. Statura corporis erit æqua, & proportionata, capilli multi, crispi, & pulchri, facies rotunda, gratiosa, & non ampla, oculi lucentes, & cum albedine quadam nigrescentes, corpus cū quadam pinguedine consistens, & aspectus latus, & festiuus. Et quoniam sola Venus Martis furorem temperat, ideo istorum mixtio opportuna erit ad alliciendos optimos mores, & temperandam iram.

Marte existente cum Mercurio, idest caliditas, & siccitas vehemens, cum Mercurio, idest cum caliditate, & siccitate remissa, resultabit tale temperamentū, quale est illud, quod de vtroque potest participare. Cum ergo Mars tribuat corpus satis carnosum, & Mercurius mediocris staturæ, & delicatum, consequenter corpus Martialis Mercurialis erit moderatū, & delicatum, color eius erit rubeus, quia Mercurius dat colorem flauum, & Mars rubeum, color autem flauus in rubeo cōtinetur, Barba erit rara, & parua, quoniā vterque ad hoc operatur, labia erunt subtilia, quia ad ista vterque conuenientem actionem habet.

Mars cum Luna, idest caliditas, & siccitas cum frigiditate, & humiditate, Martialis Lunaris erit albus ex Luna, cum rubedine quadam propter Martem. Habebit oculos potius magnos, quam paruos, & potius albos, quam nigros, quia Mars facit oculos magnos, & Luna non nigros. Portabit supercilia cum gratia pulchra, & eleuata, propterea quod Mars ea deformia non tribuit, & Luna pulchra ea reddit. Facies rotūda erit, quia ad eius rotunditatem, & Mars & Luna disponunt. Statura erit competens, quoniam ab vtroque stat proportio, & conuenientia staturæ.

Ad argumentum dicitur, quod faciens ad malum potest facere ad peius, si ei noua malitia maligni planetæ addatur, & potest facere ad minus malum si eius malitia minuatur, & ad bonum, si ad bonum temperamentum traducatur, vt explicatum fuit in singulari de Marte superius.

DVBIVM XCVIII.

An Sol cum alijs planetis singularia operetur.

Videtur quod non. Nam quicquid in inferioribus reperitur, in superiori adunatur, vt tradunt Philosophi. At Sol suo lumine omnes planetas excedit. Ergo omnem eorum virtutem, & actionem continebit, & non cum illis declinabit, & accedet.

In contrarium sunt Astrologi dicentes. Si Sol participauerit cum Venere faciet hominem mediocris staturæ, & pulchræ, coloris albi rosati, clari, & spectabilis, multorum capillorum, à parte ante caluitiũ patientem, sed non grande, faciei rotundæ, & iubilantis, oculorum pulchriũ, mandibularum non magnarum, & tantæ carnis, quod poterit inter pingues connumerari.

Si participabit cum Mercurio, Solaris Mercurialis habebit colorem mellis, & illius planetæ, qui illum respexerit, vel cum eo iunctus fuerit. Barbam habebit pulchrã, sed non multam, nec spissam, oculos potius grossos, sed vagos. Et si communicabit cum Mercurio in bono statu, & fortitudine, inclinabit natum ad iustitiam, & æquitatem, sed si sit sauciatus à radio inimico in malo statu, & deiectione, erit peruicax, obstinatus, & proprij capitis, & cum magna difficultate reducetur ad bene operandum, (Si Hali credendum est.)

Si participabit cum Luna, species Solaris Lunaris erit spectabilis, alba, ex parte clara, & ex parte rubedini admixta, oculi erunt pulchri, supercilia iocunda, facies rotunda, statura mediocris, & nasus æqualis.

Ratio naturalis supradictorum pensanda venit ex temperamento, calido & humido Veneris, cum calido, & sicco Solis. & sic dic de ceteris planetis, cognita enim natura temperamenti, de facili diuinare possumus, de statura, forma, ac inclinationibus nati, & mixti ex tali temperamento.

Ad argumentum ergo dicitur, quod superius bifariam considerari potest. Primo, vt est superius, & inferiorum perfectiones in se colligit per altiorem rationem, nam quicquid perfectionis est in inferioribus, reperitur in superiori, non quodlibet, sed suo, sed nobiliori modo, & secundum altiorem rationem, & sic necesse est quod omnis actio causata à planetis, & elementis mediante Luce participata à Sole, fit in Sole, non formaliter vt est in hoc vel illo planeta, stella, vel elemento, sed causaliter, & eminenter, prout est causa, altior hoc, & illo.

Secundo potest considerari, vt modificatur in inferioribus, & omnibus illud participantibus, & sic induit modum illorum participantium, & cum ipsis agit secundum illorum modum. Vnde etiam dicimus actionem Dei modificari in secundis causis, secundum naturam illarum, adeo vt in causis necessarijs, necessario operetur, in liberis, libere, & in contingentibus, contingenter, & sic dicitur Sol agere secundum quod communicat cum alijs planetis.

DVBIVM XCIX.

An Venus cum alijs singularia tribuat.

Videtur quod non. Nam Poetæ dixerunt Venerem adulterium, cum Marte fecisse, annuendo, quod solum cum Marte gaudet, & singularia operatur. Ergo non cum alijs planetis.

In contrarium stant Astronomi dicentes, quid si Venus participabit de dominio mali cum Mercurio, Venereus Mercurialis tenebit faciem longam, nasum longum, & subtilem, frontem eleuatam, oculos, pulchros, sed non in totum nigros, digitos longos, staturam speciosam, & iustã, mediocrem tamen, barbam spectabilem, non multum spissam.

Secundum Hali si Venus, & Mercurius fuerint in bono, ac fælici statu, natus sic sub eis, amabit leges, amicos, bonos mores, scientias, pulchra, & speciosa, musicam, poeticam, subtilitates omnes artium, vestigia bonorum, zelabit suam legem, ac totis viribus ampliabit, ac defensabit, noua adinueniet, & excogitabit, suas actio-

nes

nes ad formam actionum magnorum virorum cōparare contendet, polite, & eleganter loquetur, prudenter discutiet, & à multis laudabitur.
Si vero essent in infelici statu, erit subdolus, ac varius, vnum habens in ore, aliud in corde, vni vnum dicens, & alteri aliud, nulli fidens, profunda cogitans, inconstans in omnibus, & cum omnibus amicis, & inimicis, a multis nominatus, multa negotia amplectēs, & pauca perficiēs.
Si Venus cum Luna participabit orientali respectu Solis, & bene disposita, annuit hominem pulcherrimi coloris in quo albedo præualebit rubedini, supercilia gratiosa, & beneuola, oculos nigros, faciem rotundam, & gratiosam, staturam conuenienter proportionatam. Rationem autem inuenies temperamentum intuendo.
Ad argumentum dicitur, quod aliud est affirmare. Venerem cum Marte maxime consentire, nullumque esse planetam magis Martem mitigantem quam Venus, & aliud quod nullo modo cum alijs participet, vel aliquod singulare operetur. Primum concedimus, & fuit a Philosophis, & Poetis concessum, at secundū nōn fuit negatum, & à nobis supra fuit explicatū.

DVBIVM C.

An Luna aliqua singularia cum alijs habeat.

Videtur quod non. Nam Luna sicut, & alia astra agunt per lucem, Sed Luna quandoque est priuata luce. Ergo tunc nihil operabitur.
In contrarium dicunt Astronomi si Mercurius participabit cum Luna, & fuerit bene dispositus, reddet natum coloris albi mixti cum colore rubeo, habens pulchra supercilia, oculos pro medietate nigros, faciem rotundam, conuenientem staturā, & spectabilem, & si coniungatur cum Luna in finibus suæ latitudinis, disponet natum ad multas artes, sed cum inconstantia magna, in omnibus. Si erit in aliquo nodorum, acuet spiritus, eos subtiles reddet, & ingeniosum constituet, & si Luna fælix fuerit, nominatum, & famosum inter gentes ipsum reddet. Sed si fuerit deiecta, natus erit vilis, ignotus, tardus, piger, & negligens in suis negotijs.

Ad argumentum dicitur quod Luna numquam luce priuatur ex vtraque parte, quia dum ab vna parte lucet, ab alia luce priuatur, & hinc est, quod semper producit effectus suos, sed potentius dum est versus nos, toto lumine perfusa, quam luce priuata.

DVBIVM CI.

Vtrum planetæ per signa Zodiaci diuersa operentur.

Videtur quod non. Nam influxus regularis multam diuersitatem pati non potest. Influxus cælorum, & planetarum sunt regulares, nam quanto res altius tendunt, tanto magis ad vniformitatem accedunt. Ergo non habebunt tantas diuersitates, quantas dicunt Astronomi illos habere per diuersa signa Zodiaci.
In contrarium dicunt Astrologi. Sol in prima facie Arietis existens reddit homines rubeos, cum naso simo, ventre paruo, & angusto, macilentos, & signatos in pede sinistro, vel cubitu. Habebit amicos multos, malum odientes, & bonum prosequentes. In secunda facie facit eos nigros, sed gratiosos, ciuiles, iracundos, suspiciosos, scientes, sed quandoque decipientes, vndique ab inimicis obsessos, eos occidere cupientes, sed temperamentum eorum erit bonum, & sanum. In tertia facie reddit homines multum rubeos, cū flauo colore tamen in aliquibus partibus, solitarios, insidias, & fraudes semper meditantes.
In Tauro generaliter inclinat ad dominandum, occidendum, vincendum, & thesauros acquirendum, propter Venerē cuius est domus. In singulari in prima facie facit natum vanum, quandoque cum magnis labijs, oculis, & sæpe in ceruice signatum; sed deliciantem, & gaudentem. In secunda & prima etiam lasciuum libidinosum, vagabundum, & mutabilem. In tertia (ob Saturnum cui adscribitur hæc facies) complessione frigidum, doloribus aurium, ventris, & crurium subiectum.
In Geminis vniuersaliter reddit animum debilem erit paucarum virium, proprij capitis, & talia faciens, quę illum vilem, & sordidum ostendunt. In prima tamen facie

cie erit staturæ moderatæ, pulchri corporis, omnium partium proportionem habens, in capite, vel genibus signatus, mansuetus, & laboriosus, à mulieribus deformatus, & sterilis effectus. In secunda facie erit minoris staturæ, maior in nigredine, in cubitu, & genitalibus signatus, & vbi in alijs defecerit, in eloquentia abundabit. In tertia deficiet bonitas nati, & cessabit debita membrorum proportio, erit insensatus, & fabularum disseminator.

Sed in Cancro generaliter, disponit natum ad se delectandum in fabulis, iocis, ludis rediculis, deceptionibus, versibus currentibus, & ludentibus, In prima facie eum corpore proportionatum facit, angustum supercilijs, & pilis, ingeniosum, in dextero brachio, & cruribus signatum. In secunda multi coloris, in capillis rubeum, paruum, imberbem, in oculis signatum. In tertia pinguem. simum, in supercilijs multum pilosum, & in facie quasi tumidum.

In Leone generaliter inclinat ad arma, ad bella, ad triumphos, ac victorias. In prima facie facit corpus gratiosum, mixtum colore albo, & rubeo, erectum, fidelem, amicum, & veracem, à multis cognitum, & à principibus ob eius egregias virtutes amatum. Habebit oculos varios, & pedes morbidos, maxime in senectute. In secunda pectore, genitalibus, & voce amplum, sapientem, & honorabilem. In tertia paruum, colore roseum, cum albo, mulierum amatorem, ac concubitorem, multis infirmitatibus subditum.

In Virgine vniuersaliter iuxta dicta Hali reddet natum tacitum, rerũ leuium, & auium amatorem, cupidum cibi, & potus, & dormitionis in locis odoriferis, & vitiosum. In prima facie secundum alios facit natum corpore longum, statura proportionatum, facie pulchrum, coma crispum, voce sonorum, in multis artibus doctum, sed in generandis filijs infortunatum. In secunda facie, gratiosum, oculis paruum, naso pulchrum, doctum, bonum, integrum, & laude cupidum. In tertia simplicem, docilem, sensatum, & prudentem.

In Libra secundum Hali generaliter disponit ad melancholiam, ad oppressionem suiipsius, & suorum ab exteris. Iuxta dicta aliorum in prima facie facit natum facie formosum, simplicem, laboriosum, & modestum, & patietur vulnus in capite. In secunda facie, facie pulchrum, sed quãdoque oculis Lippum, quia in oculis habebit defectum. In tertia honorabilem, obseruandum, pulchrum, sed auertat, ne veneno interimatur, sit vir, vel mulier.

In Scorpione dicit Hali generaliter disponet natum ad superbiam, sed erit magnæ pulchritudinis, & perfectionis in corpore, limpidus, prætiosis vestitus, in incessu conpositus, & in magno pretio, & timore habitus. Alij dicunt in prima facie facit hominem difformem, in capite, aut humeris, aut in sinistro pede, vel brachio signatum, pectore amplum, dicitorem acutum, sobrium tamen, & discretum. In secunda facie capite magnum, loquacem, in spatulis, vel genibus signatum. In tertia statura paruum, oculis mobilem, meretricibus, ac cibis deditum.

In Sagittario dicit Hali, Sol in omnibus partibus Sagittarij est Rex potens, mala faciens, homines sine iure expolians, prouinciarum, & vrbium depopulator, & destructor. Alij dicunt in prima facie facit natum statura procerum, curiæ principum deditum, & bonarum artium studiosum. In secunda aspectu non contemnendum, pulchrum, flauum, in pectore signatum. In tertia longum, pulchrũ, corpore longum, & grossum. in pectore, & pede signatum.

In Capricorno dicit Hali Sol in omnibus eius partibus est rex magnæ famæ, magni nominis, bonus, persecutor malorum, amator bonorum, defensor pauperum, & oppressorum. Alij dicunt phinosomiam nati Sole existente in Capricorno fore talē. Capite paruus, oculis derfosis, loquela moderatus, leuis, placidus, suspiciosus, vilium personarum socius, laboriosus, multis litibus vexatus, puellarum, pauperum amator, quibus aliqua infirmitate sauciabitur, & in nauigationibus versus Orientem fortunatus. Alij dicunt quod in prima facie facit natum album in pectore, & tenerum, statura competentem, aliqualiter in facie nigrum, & signatum, leuiter in cubitu, vel pectore. In secunda facie pulchrum, in brachio sinistro signatum, & si de nocte erit natus, erit malitiosus, inge-

ingenio acutus, & naso longus. In tertia corpore erit gratiosus, facie citrinus, signatus in brachio, vel genu, iracundus, amabilis, & mulierum amator.

In Aquario dicit Hali Sol est rex minimæ famæ, & nominis, paucos habens seruos, plus se existimans, quã valeat, sua peragens, super suos potens, & durus. Alij, in prima facie Aquarij facit hominem pulchrum facie, in pectore signatum, & in sinistro pede, benignum, affabilem, cum omnibus tractabilem. In Secunda aliqualiter longum, facie rubeum, in tergo, vel cubitu signatum, varijs tribulationibus subiectum. In Tertia statura breuem, facie rosatum, sub cubitu signatum, mulierum amatorem: Sed in vltimo gradu Aquarij natus erit in omnibus suis partibus, & actionibus ingratus.

In Piscibus in omnibus partibus disponit ad risum, solatia, ludos, pigritiam, quietem, propriam inclinationem, vnionem cum omnibus rebus, quæ illi videntur malæ, ad vitia, & scelera. In prima facie facit natum corpore mollem, pectore album, barba conuenientem, voce clarum, oculis grandem, carnosum, & honestum. In Secunda, statura paruum, equalem, barba nigrum, aliqualiter pelosum, agilem, & leuem. In Tertia in omnibus membris gratiosum, & placidum, voce raucum.

De Luna per signa Zodiaci.

Luna existente in omni parte Arietis tradit Hali, dicitur, Rex grandis, claræ famæ, magnæ potentiæ, pulcher, corpore perfectus, aspectu compositus, & in reuerentiam habitus, multos honores, & dignitates acquirens.

In omnibus partibus Tauri facit natum bene compositum, in negotijs suis fœlicem, ab hominibus amatum, diligentem gaudia, & quietem. Erit secundum Maternũ gratiosus, boni aspectus, & bonorum morum, cum modestia negotia sua tractabit, quietam vitam ducet, & bonæ complexionis apparebit, à populis quoque diligetur.

In omnibus partibus Geminorum reddet natum membris debilem, fortuna pauperem, & mendicum, & male se habebit in vestitu, in negotijs, & temperamento corporis. Maternus quoque addit, hos mali aspectus futuros, in corpore defectuosos, pauperes, miseros, infelices, imperitos, inscios, in tractandis negotijs imprudentes, ex quibus actionibus nascentur dedecora, & mala, in honore, rebus, ac vita. Moribus erunt rustici, villani, sordidi, abiecti, in vestitu, cibo, & omni alia eorum actione deiecti, cum tamen multi possint pollere inter tot mala, ingenio, & arte.

In omnibus partibus Cancri Rex magnus, alti gradus, ampli regni, dominus præcepti, & inhibitionis, boni aspectus, honestus, pulcher, proceræ staturæ. Maternus quoque dicit. Habentes Lunam in Cancro habebunt aspectum pulchrum, faciem gratiosam, corpus longum, erunt amabiles, & in reuerentia habiti, potentes, diuites, & dignitatibus ampli.

In Leone dicitur etiam Rex nobilis, & coronatus, sed à populis eiectus, & sine obedientia repertus.

In Virgine disponit natum ad melãcholiam ad multas cogitationes, & anxietates Reddit eum vilem in vestitu, & loquela, acutum tamen, sed ob multas contrarietates, vilibus versibus, vestibus, & cantu cogetur panem sibi acquirere.

In Capricorno dicitur Rex altus, nobilis, magnæ laudis, & nominis, pulcher, limpidus, clarus in vestibus, & bonæ staturæ.

In piscibus disponit natum ad vilitatem, & seruitutem, ad ludos, ad venationes, ad socordiam, & negligentiam suarum rerũ.

De Saturno per signa Zodiaci.

Saturnus iuxta dicta Hali in prima facie Tauri repertus reddit natũ effeminatum, libẽter cum pueris, ac mulieribus conuersantem. In alijs duabus faciebus dicitur Rex senex, membris debilis, corpore mãcilus, lassus, subdolus in verbis, sed contra seipsum.

In Cancro facit natum multum vultu deformem, omnes qui illum viderint, vel audierint de illo mirabuntur, & si cum eo fuerit Luna, aut eum forti aspectu aspexerit, cruciabitur multis tribulationibus, ac fastidijs, ex nigro fele procedentibus. Dispe rabunt in infirmitate, & de difficile ab ea liberabuntur. Erunt tamen animo simplices, misericordes, & miseriarum aliorum subleuatores.

Saturnus in Scorpione reddit natũ multum difformem, causam multorum malorum, rixarum, color eius erit rubeus, sed obscurus, pellis faciei erit sicca, & in toto corpore. Habebit faciem rugosam, capillos

pillos, nigros, & leues, & erit pessimorum morum.

In toto Sagittario est magnus, lassus, incompositus, cum spina curua, aut aperta, miser, & pauper.

De Ioue per signa Zodiaci.

Iuppiter in secunda facie Tauri est cecus, in membris debilis, colloangustus, pauper, & vilis, cum spina curua. In prima facie Aquarij facit natum venatorem, limpidum, clarum, pulchris vestibus vestientem, in honorem, & timorem habitum. Erit gulosus, ebriosus, & sine cura rerum suarum, totus luxui, & quieti deditus, & ita disponit etiam in tertia facie.

De Marte per signa Zodiaci.

Tradi Hali quod Mars in tertia facie Tauri mirabiliter reddit hominem deformem, & vultu abominabilem, amatorem ludorum, gaudiorum, vitiorum, & cantionum, deuoratorem, temerarium, & ob ista in multis tribulatum.

In tertia facie Geminorum est vilis pauper, defectuosus, pauperibus seruiens, & debilibus petentibus eleemosinam. & dum Saturnus per loca geniturae transierit, fiet ita defectuosus, & miser, vt nec possit sibi acquirere necessaria.

In secunda facie Cācri est vultu inhonestus, & mirabilis figuræ, omnibus in derisum. Subdit Maternus, quidem inclinatio erit ad exonerandum bombardas, balistas, & arcos, & ad nutriendum equos pro bello, erunt milites, & sæpe alijs incutient timorem.

In secunda facie Leonis mestus apparet, ansiosus, ac doloribus plenus, proprijs manibus caput suum percutit, & propriā barbam sibi euellit. Maternus vero dicit. Omnes qui Martem, in Leone habuerint, erunt fortes, audaces, facie mesti, manu ad iaciendum prompti ad se percutiendum, propter multos parati, cogitabundi, & in cogitatione manus ad barbam tenentes.

In prima facie Virginis est vultu deformis & mestus, iram diu nutriens. In secunda & tertia facie est cecus, debilis in membris, vilis & imprudens in negotijs. Maternus dicit, erunt deformes, multum iracundi, quoniam diu conseruabunt in corde, tentabunt multa quæ ab alijs superari non potuerunt. Sed dum Saturnus ad secundum trigonum geniturae peruenerit, periculum erit ne ceci fiant, aut in aliquo membro debilitentur, erunt obscuri, & pauperes, adeo vt sibi necessaria acquirere non valeant.

In prima, & secunda facie Libræ exonerat balistas, arma tenet, honestus est, in bona opinione hominum reperitur, & multi eum timent. In tertia facie delectatur in ludis, cantionibus, gaudijs, comessationibus, & quiete. Erit boni aspectus, pulchræ formæ, deditus delitijs, & iaculationibus. Et cum Saturnus peruenerit ad secundum trigonum geniture, tunc morabuntur, in conuiuijs ludricis, & charis societatibus, ludent, & cantabunt, & quietam vitam traducent.

In tertia facie Sagittarij est veluti fæmina in ornatu, vestitu, locutione, & pigritia, effeminatus, & irrisor. Et cum Saturnus transierit primum trigonum geniture, erit audax, fortis, magnanimus, & in magnis negotijs occupatus, qui incutiet sui amorem, & timorem in alios, ob magnitudinem rerum à se gestarum.

De Venere per signa Zodiaci.

Dicit Hali Venus in omnibus partibus Arietis defectus patitur, & est plena melancholia, doloribus, & est anxia, & pauperrima, grauata multis cogitationibus, & oneribus.

In Gemini dat faciem pulchram, & delectantem. Erit omnibus gratus ac omnibus beneficus, cum magno ardore pietatis, præcipue erga afflictos, & pauperes. Sapiēs erit, astutus, ingeniosus, ac facundus.

In omnibus partibus Leonis defectiua est, & pauperrima, afflicta, & multis malis grauata, ac varijs laboribus pressa, & onerata.

Ita in omnibus partibus Virginis plena est doloribus, anxia, melancholica, in membris debilis, & socia pauperum, & debilium.

In omnibus partibus Capricorni ludos amat vinum, & ebrietatem sectatur, in cantu, & sono, rebus pulchris, ac societatibus delectatur, honestatem amplexatur, & pulchram formam, ac staturam tribuit.

De Mercurio per signa Zodiaci.

Mercurius secundum Hali, & Maternum in omnibus partibus Scorpionis pulcher est, formatus, bene equitat, multum timetur, & in pulchris vestibus delectatur, erit morigeratus, honestus, & liberalis.

In

In omnibus partibus Piscis pulcher est, sagax, intelligens, honestus, honoratus, & fortis, corpore perfectus, & omnibus suis membris aptus; vestes pulchras diligit, & ornatas, facundiam, doctrinam, eruditionem prosequitur, ob quas causas à multis honorabitur, ac diligetur.

In Capricorno pauper est, diminutus, infirmus, membris debilis, ac multis laboribus pressus. Erit ignobilis, pauper, omnibus facultatibus spoliatus, infirmus, continue tribulatus laboribus, ac impedimentis vitæ.

Circa supradicta autem primo nota, ista Astrologos deprehendisse ex longa experientia, & iuxta eorum dicta hic apposita, paruum tamen fundamentum in his faciens.

Secundo igitur intimius speculabis positionem supradictorum in domibus proprijs, terminis, faciebus, & angulis cæli, quia ista supradictis existimo præualere.

Ad argumentum autem dicitur, vt etiam supra tetigimus, quod influxus cæli sit regularis, & vniformis bifariam intelligi potest. Primo quo ad productionem diuersorum, & sic dicimus non producere vnum tantum, sed plura, quia virtus quanto est superior, tanto ad plura, & diuersa se extendit. Secundo, quo ad modum producendi diuersa, & sic diximus semper eadem producere, datis, & non mutatis circunstantijs, quæ semper inspicienda veniunt.

Postquam actum est de astris, ac eorum virtutibus vt ab ipsis exeunt, & in inferioribus recipiuntur, modo quędam quasi corrolaria, & effectualia dubia addemus, proponemus, & dissoluemus, vt perfectior existat hæc nostra doctrina de vniuerso cælesti.

DVBIVM CII.

An natura Astri sit alia à natura sui cæli.

Videtur quod non. Primo pars densa, & rara eiusdem naturæ nec differunt specie. Sicut quælibet pars ignis est ignis, & qualibet pars aquæ aqua est, & si possint aliquibus accidentarijs differentijs differre. Sed stella non est nisi pars densa eiusdem sui cæli rari. Ergo dicendum est, quod non differat specie ab eo Maior est nota. Minor est Aristot. 2. cæli.

Secundo Cuilibet corpori ab alio specie distincto conuenit proprius motus, per Arist. 1. cæli tex. 8. Sed astrum, seu stella non habet alium motum proprium, à motu sui orbis. Ergo ab eo non differt specie.

Tertio si specie distinguerentur, esset, quia habent diuersos effectus. At hoc non obstat, quia etiam in animali vno secundum speciē, cerebrum, cor, manus &c. habent diuersos effectus. Ergo &c.

Circa hanc difficultatem duas opiniones inuenio. Prima affirmat orbem, & suam stellam esse eiusdem speciei. Sic enim docent Auerroes 2. cæli tex. 79. Albertus Magnus tract. 3. cap. 4. 2. cæli. Ricardus 2. d. 14. art. 3. q. 6. Io. Maior. q. 8. Niphus 2. cæli, tex. 41. Achillinus lib. 1. de orbib. & alij quidam. Secunda sententia negat stellas, fixas, & firmamentum, & consequenter quamlibet stellam, & suum orbem esse eiusdē speciei. Sic docuit. S. D. 2. cæli lec. 10. Sōcinas 12. Metaph. q. 19. & alij Thomistæ.

Omittam quæ prisci dixerunt, & vera non sunt, vt quod sydera sint terrea, & punicea, vt dixit Diogenes, vel fint annexa cristallo si sint fixa secundum Empedoclem, & si errantia soluta, vel sint quasi carbones igniti, efformati e nubibus ignitis, vt dixit Xenophanes, vel saxum ignitum vt dixerunt Anaxagoras, & Democritus, & similia, quæ in scholis non sunt recepta. Tenentes ergo materiam orbis celestis, & syderei esse diuersę speciei, immo, & generis subalterni à materia inferiorum, adhuc specificam distinctionem damus inter orbem, & suam stellam, sicut inter annulum aureum, & lapidem pretiosum in ea insertum.

Considerandum est ergo secundo, quod diuersitas proprietatum ostendit etiam diuersitatem naturarum, quia propria fluūt ab essentia vt eius passiones propriæ, & singulares, non enim risibilitas, & disciplinabilitas possunt alteri quam homini conuenire, quia sunt passiones solum fluētes à natura rationali. Si igitur consideremus proprietates stellarum, & orbium, inueniemus eas esse diuersas, & differentes. Nam orbi conuenit ex intrinseco moueri, stellæ nequaquam, quare natura in orbe est principium motus, & in stella fixionis, & quietis. Secundo orbis sua natura rarus est, & ex sui conditione nō sibi

vendicat recipere, & reflectere lumen, stellæ vero vtique, & non ab extrinseco tantum, vt conuenit cuilibet illuminato, sed ab intrinseco, vt competit lucenti, sua natura susceptibili lucis. Tertio differunt in figura, quia & si ambo sint figuræ rotũdæ, & circularis, stella tamen non est in totum rotunda, sed cum partibus acutis ad centrum stellæ terminantibus. Quarto influxus sunt à stella, non vero ab orbe, nisi cum ordine ad stellam, vel secundum aliam rationem. Quare dicendum venit, quod orbis, & stella non solum accidentarijs differentijs differant, sed etiã essentialibus, & sic specie distinguantur. Nec hoc incongruum censeri potest, quia multiplicatio secundum speciem, perfectionem arguit, & non imperfectionem annuit, nam quanto entia sunt perfectiora, tanto magis secundum speciem multiplicantur, vt docet. S.D. p.p.q.50.art.3. & ibi probatur.

Ad primum ergo dicendum, quod rarum, & densum est duplex. Primum eiusdem speciei, vt pars aquæ densa, & rara. Secundum dicitur diuersarum specierum, vt V.g. fumus, & carbo. Prima non differũt specie, secunda vtique, & ad similitudinẽ horum se habent stella, & orbis, nam orbis constat ex tota sua perfectione, adeo vt non possit multiplicari in eadem specie orbis, & stella constat ex tota sua perfectione, ita vt non sit in potentia, secundum totum, nec secundum partem ad formam sui orbis, vel ad aliam stellam in eodem orbe.

Ad secundum dicendum, quod maior intelligitur de corporibus quibus conuenit moueri per se, modo stellis fixis non conuenit moueri, sed figi in firmamento, & stellis planetarum in suis orbibus, & ad motum suorum orbium moueri.

Ad tertium dicendum, quod partes eiusdem totius sunt in duplici differentia. Quædã enim vna, eademque forma informantur, & solum in officijs eiusdem totius distinguuntur, vt cor, cerebrum, &c. in animali. Quædam vero diuersis formis in esse constituuntur, & perficiuntur, quia habẽt diuersas operationes, non solum numero, sed & specie distinctas, vt cęlum, & astrũ, & ista necesse est specie distingui.

DVBIVM CIII.

An planeta quibusdam rebus dominentur.

Videtur quod non. Nam virtus superioris planetæ recipitur in inferioribus successiue, & ordinate. Ergo necesse est, quod ad omne id, quod inferiores planetæ causant, concurrant etiam superiores, & sic non habebunt aliqua propria sibi efficere.

In contrarium stat sententia Astronomorũ, qui sic dicunt, planetas infrascriptis dominari.

In metallis. Aurum Soli dant, argentum Lunæ, Æs Ioui, Ferrum, & chalibs Marti, plũbum Saturno, Stamnum Veneri, Cuprum Mercurio.

In lapidibus pretiosis. Carbunculus, & Adamas, Soli, Sapphirus, & Smaragdus granatus, & Corneolus, Ioui. Onix, Iaspis, Topacius, & Heliotropius, Saturno. Lunaris, Cenolus, & Corallus, & Calcedonius Lunæ. Turquestus, Margarita, Berillus, Veneri, Magnes, Garatronius, Iacintus, & Amatisthus Marti. Achates, & Crysolitus Mercurio, Pracius, Ballacius, & alij eiusdem generis, ad illum planetam reducuntur, cui conueniunt lapides eiusdem, vt Pracius ad Iouem, propter affinitatem cũ Smaragdo. Ballacius ad Solem, propter similitudinem cum carbunculo.

In arboribus dicimus, quod Laurus, & Cinnamomum subijciuntur Soli. Myrtus, vitis, & olea, Veneri. Laurus cupressus, Surba, Mespilla, Saturno. Citrus, & alia id generis, ficus, & similia Ioui. Quercus, Iuniperus, & piper Marti, Poma, Cerasa, & Prunæ Lunæ. Mala punica, & vua crispa Mercurio.

In granis, Lupinus, & vtraque solaris Soli. Lenticus, & Caltha. Saturno. Toxica, & Colutea Lunæ. Ioui feniculus, & Anison.

In herbis, & floribus, subduntur Mercurio, Amaracum, Rosa, Ozinius, Violæ, & Vaccinia, Marti, Ruta, & Absyntium.

In animalibus. Lunæ, Oues, Canceri, Testudines, & Ranæ. Saturno, Salamandrę, Remoræ, torpedines, cochleæ, & Asini. Soli. Homo, Leo, Aquila, & Delphinus. Veneri, Cuniculi, Ceruꝰ, Damę, & Columbę. Ioui. Elephanti, equi, & sues. Marti, Tauri, canes, Tygres, & pantheræ. Mercurio, Simiæ, & Feles.

In

n coloribus, color niger subditur Mercurio, Rubeus Ioui. Flameus, & Croceus, Marti. Splendidus, Lucidus, & purus Soli. Viridis, & Ceruleus Veneri, Ferrugineus, & Cinereus, Mercurio. Candidus Lunæ.

Ex elementis. Ignis, & aer, cum animalibus ibi existentibus subijcitur Soli. Aqua, & terra cum suis animalibus Lunæ. Ideo Talpę, & Vermes Soli expositi moriūtur, & Belluæ, terram, & aquam intrantes, expirant.

Ad argumentum autem dicitur, quod virtus superioris in inferioribus recipiatur, dupliciter potest intelligi. Primo ita vt suā vim amittat, & hoc negamus, modificat, enim, & mouet inferiores causas ad producendos suos effectus. Secundo, vt virtutem suam conseruet, & secundas causas ad coagendum secum assumat, & hoc verum est, & intentum.

DVBIVM CIV.

An planetæ sint fortiores in agendo stellis fixis.

Videtur quod non. Nam prognosticum desumendum est præcipue, à pręcipua, & efficaciori virtute. Sed ab ascendente figuo Zodiaci, quod est constitutum stellis fixis, desumitur pręcipuum prognosticum, vnde figura constituitur ex duodecim signis Zodiaci, & in eis solum considerātur planetæ. Ergo stellæ fixæ in agendo erunt potentiores.

Respondetur quod influxus syderum bifariam considerari potest. Primo quo ad diuturnitatem, & firmitatem, & sic. Primo pensatur à stellis fixis, quoniam ex fixione, & immobilitate agunt fere semper eodem modo, & eodem influxu, vnde quę ab ipsis procedunt, siue bona, siue mala, cum maiori difficultate vitantur, fixius enim agunt, & mouent. Secundo quo ad variabilitaté, & intensionem, & mutationem, & sic primo pendet à planetis. Primo quia immediatus agunt, & consequenter alterant, vnde sunt tot alterationes à Luna, quia est terræ maxime propinqua. Secundo, quia cum eorum motus sit velocior, & actiuus necesse est, vt maiorem continuo causet, & variationem. Tertio, quia auctor naturæ eis singularem orbē dedit, ad multiplicandos varios effectus in inferioribus, ex quo Sol tantas varietates facit, & ita alij planetę suo modo, quāuis tam dilucide non cognoscantur.

Ad argumentum ergo dicitur, quod de vita nati duo considerare possumus. Primum est tota vita, & sic à signis, & stellis in eis collocatis desumitur. Secundum est singularitas effectuum, quia in vno anno, mense, die, vel hora hoc faciet, vel ei hoc, vel illud accidet, & istud desumitur à planetis, prout discurrūt sub signis Zodiaci, & in suis aspectibus, terminis, faciebus, &c. reperiuntur.

DVBIVM CV.

An Luna post Solem sit cæteris potentior.

Videtur quod non. Nam quicquid potest virtus inferior, multo fortius potest superior. Ergo cum Luna sit planeta infimus, Saturnus vero, Iupiter, Mars, Venus, & Mercurius superiores, id poterūt, & fortius, quod Luna.

Respondetur, quod planetæ inter se bifariā considerari possunt. Primo quo ad virtutem agentem, apparenter, & varie, & sic dicimus Solem, & Lunam maxime operari in inferiora, vnde à Sole est varietas diei, & noctis, Veris, Æstatis, Autumni, & Hyemis, Lux, calor, & mille alterationes inferiorum, & à Luna sunt menses pluuiæ, rores, maris fluxus, & refluxus, & multa alia in superioribus explicata. Pensandum est enim quod maior, & intensior influxus rerum inferiorum alteratiuus pendet à Sole, & Luna, ob has causas. Prima, quia superiora agunt in inferiora motu, & lumine, Sol autem citius mouetur Marte, Ioue, & Saturno, simul cum Venere, & Mercurio per annum, Luna vero velocissimo cursu signa Zodiaci percurrit, & ideo magis alterant, & variabilius ex velocitate motus. Et ita ex luce, quia Sol omnibus alijs astris lucem tribuit, & clarius inferiora perlustrat, & ita Luna, & propterea luce, maiorem causant alterationem. Secunda causa est, quia Sol, & Luna nullam patiuntur retrogradationem, vel stationem, & ideo cum continuo sub signis Zodiaci currant, cum mutatione tot aspectuum, & variationibus terminorum, facierum, ortu, & occasu stellarum fixarum possūt multiplicem causare mutabili-

tabilitatem. Tertia causa est situs Solis, & Lunæ, nam Sol positus est in medio planetarum, tanquam eorum Rex, & Princeps, vt Lucerna cæli, oculus mundi, centrum stellarum errantium, & gubernator omnium. Luna etiam ipsa ob magnum eius lumen, velocitatem, & propinquitatem ad terram maxime operatur, cum sit veluti omnium syderum tabellaria, recipiendo eorum influxus, & concitato suo motu, & magna eius luce, deferendo eos modificatos ad nos. Secundo possunt planetæ considerari quo ad firmitatem, & efficaciam influxuum, maxime occultorum, & sic dicimus, quod quanto planetæ sunt superiores, & consequenter in motu tardiores, tanto potentius agunt ad stabilitatem effectuum in inferioribus, vnde maximis coniunctionibus, & reuolutionibus Iouis, & Saturni, diuinant Astronomi, maximas reuolutiones, & mutationes in regnis, ac alijs sublunaribus, vt exemplis comprobat Iunctinus de iudicijs, nam ostendit maximas regnorum, & imperiorum mutationes accidisse tempore magnarum coniunctionũ, & reuolutionum superiorum planetarũ; qua ratione Iupiter dictus est maximum fortunium, & Saturnus maximum infortunium.

Ad argumentum autem dicitur glossando maiorem, quod quicquid potest virtus inferior potest, & superior, sed nobiliori modo, modo planetæ superiores possunt causare, quod inferiores, sed excellentius, idest, firmius, & fortius, non cum tanta variabilitate, & mutatione. Secundo dicitur, quod maior valet, quando ad eosdem effectus concurrunt simul, & vnite virtus inferior, & superior, nam intellectus, qui est virtus superior sensibus, non videt, tangit &c. sicut faciunt sensus externi, quia in hoc non subordinantur, modo potest esse, quod planeta inferior haberet quosdam effectus sibi proprios producere, ad quos superiores, non debent concurrere, & si hoc non sustineam, quia virtutes eorum sunt subordinatæ, modificatæ tamen, vt dixi- mus supra.

DVBIVM CVI.

An Sol comburat alios planetas, signa, & domos.

Videtur quod non. Nam tunc fortius signa influunt, quando cum Sole mortur, vt, Leo tunc magis ignit, & calefacit terram, quando Sol est in ipso, (est enim signum igneum,) & virtus vnita cum alia virtute, efficacius operatur, vnde duo plura faciunt, quam vnus solus. At combustio nil aliud dicit, nisi esse sub radijs Solis, vel cum Sole, & tunc impediri à potenti sua virtute. V. g. Mars sub radijs Solis impeditur à sua maiori efficacia. Ergo dicendum venit, quod male ponatur ista combustio, quasi impedimentum influxus combusti.

Respondetur, quod Sol dicatur comburere alios planetas, signa, & domos, dupliciter potest intelligi. Primo proprie, quasi ista incendat, & consumet, sicut facit combustio ligni, lignum combustibile. Secundo similitudinarie, ita, vt id faciat Sol cum his quæ sub radijs eius directis, vel fere directis reperiuntur, quod facit ignis combustibili applicatus, & sic intelligitur. Similitudo autem in his consistit. Primo, quod sicut virtus debilior opprimitur à potentiori, ita directus influxus, per lucem transmissus tollitur, vel eneruatur, per directum influxum radiorum Solis, tunc enim planetæ dicuntur combusti, quando coniunguntur Soli, vel ab eo non multum distant, V. g. vltra 10. gradus, quamuis dicantur magis, & minus cõburi, prout magis, vel minus Soli appropinquant. Secundo, quia sicut duo lumina idem subiectum illuminantia hoc habent, quod minus offuscatur à maiori, & eius actiuitas impeditur, ita dum simul sunt Sol, & alius planeta, cum Sol sit luminare maius, & causa luminis planetæ minus lucentis, prouenit, quod lux minoris tollitur, & offuscatur, & consequenter eius virtus debilitatur, adeo vt propria non producat fortiter, sed debiliter, & ideo causet in suo genere influxus multa impedimenta, & imperfectiones, quare planetæ combusti patiuntur multos defectus, nec id totum faciunt, quod facerent si sint boni, & si mali malignius operantur.

tur; quia ficcitas, & caliditas Martis augetur ex iuncta caliditate, & ficcitate Solis, & ficcitas Saturni ex ficcitate Solis accrefcit, & eius frigiditas parum minuitur, quia non eft frigiditas cum humiditate, quæ poffit calefieri, fed eft frigiditas arida, quæ fit aridior luce Solis.

Ad argumentum dicitur, quod aliud eft loqui de planetis, & aliud de fignis, & ex confequenti de domibus quas figna Zodiaci conftituunt, nam planetæ, non multum diftant à Sole, & ideo ab eo poffunt ex propinquitate comburi, figna autem Zodiaci multum diftant, vnde id facit Sol in cælo, quod cor in homine, nam cor proximas partes nimis calefacit, & incendit, longinquas vero modificat, & attemperat, & temperate calefacit vt cerebrum. Ita Sol planetas, fibi proximiores comburit, figna vero Zodiaci magis longinqua moderate attemperat, & calefacit; fecundum eorum tamen naturam & afpectum, vnde in Leone adurit, quia in eo maximam habet dignitatē, & quia in eo funt ftellæ fixæ Martiales, & calefactiuæ, & quia iam terrā ex directa percuffione facta dum erat in Cancro, eam fua frigiditate, & humiditate priuauit. Argumentū, ergo non eft ad propofitum, quia procedit de fignis, & nos loquimur de planetis tantum.

DVBIVM CVII.

An planetæ fint fortiores in ingreffu dignitatum, & fixa ftella in angulis.

Videtur quod non. Nam quanto Rex magis figit pedem in regno, tanto fortior fit. Sed planetæ funt veluti Reges in ingreffu fuarum dignitatum. Ergo fortiores erunt in medio, quam in initio.

Refpondetur, quod de maiori fortitudine planetarum bifariam loqui poffumus. Primo in commouendo, & alterando. Secundo in intedendo, & augendo fuam potentiam, & virtutem. Si primo modo loquamur, dicimus planetas fortiores effe dum fuas dignitates, domos, & exaltationes ingrediuntur, nam etiam in ingreffu Regis, maior eft lætitia, commotio populi, maior munerum copia, & vberior amoris, ac demonftratio, & ita dum planeta ingreditur fuas domos, exaltationes, pūcta Cardinalia, & afpectus fælices, tamquam Rex coronatur, & fic magis in his punctis in natiuitate, in plantatione arborum, in ædificatione vrbium, &c. exercet potiores vires, vnde ex nouilunio præfagimus totam mutationem pro illa Luna, & ex ingreffu Solis in primo puncto Arietis deducimus fęlicitatem, vel malignitatē totius anni, immo videmus, tunc Solem elementa commouere, vegetantibus flores, & folia communicare, fanguinem augere, & perturbare, herbas gignere, & ceteras fimiles mutationes caufare. Si autem difputatio fit de intenfione, & perfectione virtutis, affirmamus planetas fuas vires augere, fecundum quod progrediuntur magis ad medium fuarum domorum, dignitatum, &c. Primo, quia tunc magis obtinent fimilitudinem cum partibus cæli, quam in ingreffu, vbi fit tranfitus à diffimili ad fimile. Secundo, quia non fit tranfitus de extremo ad extremum nifi per medium, dum autem res eft in medio, eft in maiori fua perfectione, nam à medio recedendo, accedit ad naturam extremorum. Hinc eft, quod Sol, & Luna calorem augent, & mutata ad perfectionem deducunt magis in Solftitio, vel plenilunio, quam in æquinoctiali; vel nouilunio. Loquendo vero de ftellis fixis dicunt Ptolomeus, Albumazar, & alij Aftronomi, quod in angulis repertæ tunc fortiores funt, nam tunc per rectum, feriunt, & influunt, totumque in quod influunt circundant, vt facit ignis per partes viciniores combuftile.

Ad argumentum autem patet, quod procedit quo ad commotionem, cum nos loquamur quo ad intenfionem.

DVBIVM CVIII.

An Sol poffit à Luna eclipfari totus.

Videtur quod non. Nam Luna eft minor Sole, quam maxime. At tegens aliud totum debet ei effe æquale. Ergo Luna non poterit totum Solem eclipfare, ideft, obtenebrare.

Circa hanc difficultatem primo notandum venit, quod eclipfis non eft defectus luminis Solis, quafi Sol in eclipfi; fecundum fe priuetur lumine, nam lux

eft

est connaturalis Soli, & ab eo minime separari potest. Dicitur ergo defectus Solis non ex parte Solis, sed ex parte nostri, quia Luna se interponit inter Solem, & visum nostrum, cum autem corpus Lunę sit densum, & opacum, potest impedire lucem Solis ne ad nos transeat, vnde in eclipsi Solis sicut corpus Lunæ versus nos est lumine priuatum, ita versus Solem est totum lumine illustratum, sicut videtur in plenilunio à nobis.

Secundo, notandum est, quod ad eclipsim Solis tot requiruntur. Primum, quod fiat in nouilunio, nam cũ eclipsis Solis sit interpositio Lunæ inter Solem, & visum nostrum, non poterit Luna eclipsare Solem, nisi dum ei coniungitur, quod solum fit in nouilunio. Nec obstat quod in passione Domini acciderit eclipsis Solis, cum tamen tunc Luna esset plena, nam 14. die Lunæ mensis Martij, Pascha Domini celebrabatur, & in 15. solemnitas erat altissimi, & die ante Sabbatum crucifixus est Iesus, Luna existente tota irrorata à Sole, nam hoc miraculose, & non ordinario motu Lunæ accidit, vnde Dionysius Areopagita tunc exclamauit. Aut Deus naturæ patitur, aut mundi machina dissoluetur, quare iussit Athenis ædificari altare Deo ignoto, quod Paulus reperiens, & ex eo nactus est occasionem prædicandi fidem Domini nostri Iesu Christi.

Secundum necessarium est, quod tunc Luna sit in eodem signo Zodiaci cum Sole, & in eodem gradu, secundum eandem longitudinem, & latitudinem, vel cum parua distantia, adeo vt linea egrediens à nostro oculo, & per centrum Lunæ transiens pertingat præcise ad centrum Solis, vel corpus Solis, secundum quod eclipsis fit maior, vel minor, Hoc autem accidit dũ coniunguntur in capite, vel cauda draconis, quæ sunt sub ecliptica sub quibus Sol progreditur, & hinc est, quod non in omni nouilunio fit eclipsis Solis, quia Luna Soli copulatur extra eclipticam, extra caput, & caudam draconis, & à latere procedendo. Ad eclipsim ergo Solis opus erit vt sint in capite, vel in cauda draconis.

Ad argumentum autem respondendo dico, posse Lunam totum Solem obscurare, quamuis sit eo minor, quod factum esse narrat Plutarchus, Martianus, Cappella, Herodotus, Tucydices, & Liuius apud Cheplerum in sua Optica Astronomica. Nec obstat, quod Luna sit minor Sole, dummodo ipsa diametraliter opponatur nostro visui, eo modo quo parua manus oculo obiecta, magnum parietem totaliter occultare potest, Luna enim multum prope terram existit. Circumcirca comparebit tamen radius, coronæ similis, quia lux Solis, & eius radij exeunt, & feriunt. Poterit ergo Luna totum Solem eclipsare si ex directo tota opponatur Soli, adeo vt ex directo mediet inter Solem, & visum nostrũ, & eclipsabit partem Solis tantũ, si à latere ipsum contingat ex directo.

DVBIVM CIX.

An Luna possit eclipsari.

Videtur quod non. Nam eclipsis est obscuratio corporis lucidi, facta medio corpore opaco, vt dum Luna interponitur inter Solem, & visum nostrum. Sed inter Lunam, & visum nostrum non cadit corpus opacũ, nos enim sumus super terram, & ideo inter nos, & Lunam non cadunt nisi corpora diaphana, s. aer, aqua, & ignis. Ergo Luna nõ põt pati eclipsim.

In contrariũ est experientia, vidimus enim sæpe Lunam eclipsatam.

Dicendum est ergo, quod sicut eclipsis Solis, est interpositio Lunæ inter Solem, & oculum nostrum, ita eclipsis Lunæ est interpositio terræ inter Solem, & Lunam, existente in capite, vel cauda draconis, tunc enim solum patitur eclipsim, vnde si accidat, quod in plenilunio Luna opponatur Soli existens in capite vel cauda Draconis, quia tunc ingreditur vmbram terræ, ideo eclipsatur. Et ita in oĩ plenilunio non patitur eclipsim, quia in omni plenilunio non ingreditur caput, vel caudam draconis, si enim accideret plenilunium existente Luna in capite, vel cauda draconis, fieret eclipsis Lunę.

Notandum est ergo, quod dum dicimus eclipsim Lunæ esse interpositionem terræ inter Solem, & Lunam, per terram non intelligimus elementum terræ, quoniam Luna est supra terram, sed per terram capimus vmbram terræ. Cum enim Sol sit multo maior quam terra, necesse est plus medietate terræ illuminari à Sole, & propterea vmbram terræ esse similem cono, seu turbini, cuius vertex à superficie ecli-

ptica

pticæ nunquam recedit, eo quod neque centrum Solis ab eadem deflectat, & semper est Soli oppositus, cum terra sit in centro eclipticæ nempe totius mundi. Hinc est, quod cum plenilunium fiat, dum Sol, & Luna reperiuntur in gradibus oppositis per diametrum, Luna vero non sit sub ecclíptica, nisi quando fuerit, vel in capite, vel in cauda draconis, merito dicimus, quod tunc fiet eclipsis, dum Luna fuerit in ecliptica Soli opposita, existēs in capite, vel in cauda draconis, tūc enim ingreditur vmbram terræ, & à Sole non illuminatur, ab eo enim lumen recipit. Potest autem tota tunc deobscurari, & secundum partem. Tota obscurabitur, & in omni terra, si præcise reperiatur in capite, vel cauda draconis, quia tunc necesse est eam totam in vmbram terræ mergi. Secundum partem, si prope caput, vel caudam draconis accedat, tanto magis denigrabitur, & si non accedat intra aliquos terminos, deliquium non patietur. Dicunt tamen aliqui etiam vmbram aeris causare eclipsim, tum quia Luna etiam deficit, vtroque luminari supra Orizontē existenti, quando terra non potest vmbrā facere, & quia in principio eclipsis adhuc Luna existente in radijs Solis per aerem transmissis, tunc non versatur in vmbra terræ, & tamē tunc eclipsatur, & quia aer radijs Solis priuatus fit aliquo modo opacus, & consequenter ad faciendam vmbram aptus.

Ad argumentum ergo patet, quod vmbra terræ est illa quæ cadit, sed & terra potest cadere, si Sol, & Luna opponantur diametraliter, adeó vt linea deducta à Sole sub terra existente ad Lunā supra terram morantem, transiret per centrum terræ, vel partem terræ, secundum quod eclipsis esset maior, vel minor.

DVBIVM CX.

An eclipses Solis, & Luna habeant effectus.

Videtur quod non. Nam magis occultātur Sol, & Luna in nocte, quam in eclipsi. At in nocte nō tot causant effectus, magnos, & mirabiles, sicut dicunt facere eclipsim Astronomi. Ergo eclipses non habent tot effectus.

In contrarium sunt Astrologi, affirmantes eclipses Solis, & Lunæ mirabiles parere effectus, vt infra.

Eclipses ergo Solis primo multum refrigerant, & iō non debent esse generales orbi.

Secundo. Cum multiplicantur eclipses magnæ, vt factum fuit ab anno 1539. ad annum 1545. necessario succedit sterilitas sequentibus annis, quia nimis refrigeratur terra, & exsiccatur.

Tertio. Si cum hoc imbres copiosi, aut inundationes successerint, quæ aucto frigore persæpe euenire solent, tunc fames dira succedit, vt testatur Cardanus 7. Aphorismorum, aphorismo 51. 52. 53.

Quarto. Eclipsis tres habet virtutes, s. Potentem ratione cōiunctionis luminarium si est eclipsis Solis, vel oppositionis, si est Lunæ. 2. Generalem, quoniam lente infrigidat, & ideo in multos dies intenditur. 3. Propriam, quæ habetur à loci dominatione, Idem Cardanus aphoris. 59.

Quinto. Dominus eclipsis, in eclipsi magnā habet potentiam, & ideo illius natura attendenda erit, vt tradit Ptolomeus cap. 7. lib. 2. quadripartiti, textu 31.

Sexto. Stellæ fixæ locum eclipsis comitantes, & illius tempore vel orientes, vel medium cælum tenentes, plurimum valent, quam ob causam summopere considerandæ sunt.

Septimo. Si Saturnus fuerit dominus eclipsis, causat corruptionem à frigore, morbos longos efficit, tabes, consummationes ortas ex catharis, fluxus, & febres quartanas adducit, exitia, pauores, animalium penuriam, brutorum morbos, frigus horrendum, glaciem, nebulā, densas, nubes, tenebras copiosas, niues, naufragia, mortem piscium, fluuiorum inundationes, aquarum deprauationes, fructuum caritatem, erucas, locustas, & id genus alia, excitabit, & causabit.

Octauo. Si vero Mars fuerit dñs eclipsis, faciet morbos biliosos, sanguinis eruptiones, infirmitates acutas, febres tertianas, ventos calidos pestiferos, tabificos, fulmina, turbines, siccitatem, maris æstum, frugum sterilitatem, & conflagrationes.

Nono. Venus fęcunditatem, humiditatem, ventos temperatos, tempestiuas pluuias, aquarum vtiles exundationes, & animantium copiam.

Decimo. Mercurius morbos siccos, febres quotidianas, phytises, tusses, anhelationes,

nes, ventos validos inordinatos, & instabiles, tonitrua ignita, & fulmina, animalium, seu plantarum interitum, si tamen occidentalis, flumina minuit.

Duodecimo. Imagines stellarum, & signa Zodiaci pro diuersis qualitatibus quibus oriuntur tempore eclipsis influunt.

Tertiodecimo. Domini eclipsium pro varietate domorum in quibus vel fiunt eclipses, vel ipsi resident variantur.

Quartodecimo. Color luminarium tempore eclipsis subliuidus, & niger Saturnos effectus portendit Candidus Iouiales. Rutilans Martiales. Flauus Venereos. Varius Mercuriales. Per tota luminarium corpora diffusus, ad plures prouincias sese extendētes. Ita Ptolomeus cap. 9. lib. 2. Quadripartiti.

Quintodecimo. Crinitæ stellę tempore eclipsium de natura Martis, & Mercurij, ad bella, & æstus prouocant.

Sextodecimo. Eclipsis Solis, aut Lunæ in florentem arborem incidens, eo anno sterilem reddit Card. aphor. 110.

Decimoseptimo. Eclipsis Solis in florentem messem incidens sterilitatem affert. Idem aph. 16. 2. aph.

Decimooctauo. Solent eclipses pluuias adducere, maxime si adiuuentur à Saturno, & Venere; siccitatem vero, si à Ioue, & Marte.

Decimonono. Eclipses in terreis signis exsiccant, & sterilitatem afferunt. In aqueis humectant, & pestes cum sterilitatibus causant. In aeris vētos, & seditiones cum pestilentia. In igneis incendia, & æstus.

Vigesimo. Hæc omnia his præcipue accidūt regionibus, quæ vel sunt sub signo ecliptico, vel eidē quouis modo cōciliantur. Ita Ptolomeus cap 5. lib. 2. Quadripartiti, & illis hominibus, quorum loca præcipua natiuitatum, cum eisdem signis conueniunt.

Vigesimoprimo. Quot horæ æquinoctialis elabuntur tempore eclipsium, tot annos in Solari deliquio, & menses in Lunari duraturos effectus Astronomi pronunciant. Cardanus 7. aphor. aph. 75.

Vigesimosecundo. Eclipsis incidens in orientalem finitorem, significat effectum futurum, quatuor proximis mensibus futuris, quo ad exordium, at quo ad perfectionē vehementiores futuros in primo mense durationis totius.

Vigesimotertio. Si in medio cæli fiet, vehementia effectuum in medio triente totius durationis erit.

Vigesimoquarto. Si in occidentali cardine, in vltimo triente, & eodem modo, si dominus eclipsis, in eisdem locis. Ita Cardanus 7. aphor. aph. 76.

Vigesimoquinto. Scias generaliter eclipses Lunæ per se semper exsiccare, & parum refrigerare.

Ad argumentum autem respondemus, quod duplex est occultatio luminarium. Prima est per se, quia secundum se se occultant, & abscondunt sub terra, & hæc non facit ad effectus aliquos extraordinarios, sed ad eosdem tantum ad quos à Deo auctore naturæ fuerunt ordinati, nisi enim nox diei succederet, calor, & æstus cuncta consummarent, & nisi dies post noctem veniret, omnia rigescerent. Secunda dicitur per aliud, i. impedimentum extraordinarium, vt per interpositionem Lunæ in eclipsi Solis, vel vmbrę terræ in eclipsi Lunæ, & isto quoniam extraordinaria est facit ad effectus extraordinarios ante dictos.

DVBIVM CXI.

An Sol faciat dies æquales, & inæquales.

Videtur quod non. Nam dominus noster de die loquens dixit. Nonne 12. sunt horæ diei. Ergo omnis dies debet habere horas duodecim.

Pro notitia inęqualitatis dierum, & noctium considerandum est primo, quod de die bifariam loqui possumus. Primo vt est reuolutio Solis ab vno puncto ad idem punctum, vel ad parum distans, & sic dicimus hanc reuolutionem Solis duo habere. Primum, quod sic dicitur facere diem naturalem, i. 24. horarum, quia solum in spacio 24. horarum ad idem punctum à quo recessit, ad illud die expleto redit. Secundum est, quod talis dies, constituitur ex tempore quo Sol est super terram, quod communiter dicitur dies & ex tempore quo Sol est sub terra, quod dicitur nox. Secundo de die loqui possumus communiter, vt distinguitur contra noctem, adeo vt dies tantum dicatur illud tempus in quo lucet Sol super terram, & nox tempus illud in quo Sol est sub terra nostra, & hic vocatur

vocatur dies artificialis. Differentia est autem inter diem naturalem, & artificialem, quod dies naturalis est semper 24. horarum, artificialis vero quandoque multarum horarum, quandoque paucarum, secundum quod dicemus. Nam quando arcus supra Horizontem existentes sunt æquales arcubus sub Horizonte, dies sunt æquales noctibus. at quando arcus supra Horizontem stantes maiores existunt, vel minores, dies artificiales sunt maiores, vel minores noctibus.

Secundo ergo considerãdum venit, quod Sol duplicem motũ habet. Primus est, ab vno solstitio ad aliud, vt à primo puncto Cancri, ad primũ punctũ Capricorni, quod dr descensus Solis, nã dum ingreditur primũ punctum Cancri, & procedit ad primum punctum Capricorni semper descendit à suo auge. i. à suæ altitudine, & econtra dum ingreditur primum punctum Capricorni, & procedit ad primum Cancri semper ascendit ad nos, continue faciendo maiores parallelos, & ideo hic dicitur ascensus Solis, & ita in ascensu, & descensu semper describit 182. parallelos, & semis fere, 182. cum semis ascendendo, & totidem descendendo. Secundus motus consideratur dum percurrit ab vno æquinoctio ad aliud. i. de Ariete, ad Libram, vel econtra, & sic dum currit ab Ariete ad Libram facit 187. parallelos. i. 187. dies, vt patet computando à die 21. Martij in quo Sol ingreditur primum punctum Arietis, & procedit ad 24. Septembris, in quo die intrat primum punctum Libræ. At percurrens à primo puncto Libræ ad primum Arietis facit solum parallelos 178. tot enim solum dies intercedunt à 24. Septembris ad 21. Martij. Ratio autem huius diuersitatis est, quia Sol existens in ascensu, qui vsque ad primum gradum Cancri est, dicitur esse in semicirculo Boreali, quo magis accedit ad primum gradum Cancri, magis accedit ad augem sui eccentrici, qui est punctus longissime distans à terris, quo vero fit propinquior primo gradu Capricorni, tanto magis fit propinquior etiam opposito augis eccentrici. i. ad pũctum, quod est proximus terræ, cum igitur Sol maiorem circulum faciat dum est in auge, quam in opposito augis, ideo etiam causabit longiores dies.

Tertio ergo quasi corollariæ quædam deducemus ex supradictis. De habitantibus sub æquinoctiali.

Primo ergo dico, quod habitantes sub æquinoctiali multa habent. Primum est, quod semper ipsis dies sunt æquales noctibus, i. habent semper diem 12. horarum, & totidem noctem, sicut nos habemus tempore nostrorum æquinoctiorum, i. dum Sol intrat primum gradum Arietis, & dum ingreditur primum gradum Libræ, quia enim tunc recte ascendit, & quasi diuidit cælum in duas partes æquales, ideo facit dies æquales noctibus.

Secundum est, quod hi habent duo solstitia alta, & duo bassa. nam dum Sol est in Ariete incipit illis aliquo modo ascendere, i. tantum, quod est vera ascensio, & si non talis, quæ occultet Solem cum aliqua inæqualitate diei, cum semper habeant dies æquales. Primo ergo ascendit in primo puncto Arietis vsque ad primum gradum Cancri versus Arcticum polum, deinde in primo puncto Cancri incipit descendere vsque ad primum gradum Libræ, & tunc incipit de nouo ascendere versus Antarcticum polum vsque ad primum gradum Capricorni, & in eo incipit primo descendere versus Arietem. adeo vt Aries Cancer, Libra, & Capricornus inseruiant ipsis pro quatuor solstitijs, duo facientia ascensum, & duo descensum.

Tertium est, quod consequenter habebunt duas Æstates, duos Hyemes, duo Vera, & duos Autumnos. Siquidem dum Sol erit in primo gradu Arietis, & incipit ascendere sicut facit apud nos causabit Æstatem, nam tunc apud nos est Æstas cum Sol est in maiori altitudine non quacunque, sed directe feriente caput nostrum, quæ altitudo dicitur Zenith, cum igitur hi sub æquinoctiali sint, dum Sol erit in duobus æquinoctijs. s. Ariete, & Libra, erit in maiori directa altitudine ad caput ipsorum, & consequenter nostrum Ver, & Autumnus erunt eis duæ Æstates. Duo Hyemes autem erunt in Cancro, & Capricorno, quia Hyems causatur ex maiori distantia à Zenith, & tunc magis distabit, quia à primo gradu Cancri incipit accedere ad primum Libræ, & à primo Capricorni ad primum Arietis. Duo vera vero, & duo Autumni erunt in menbbus intermedijs, quia non proceditur de extremo ad extremum nisi per medium. Sed hoc

 vide-

videtur obstare, quod dum Sol ab Ariete procedit ad Cancrum semper ascendit,& eleuatur versus Arcticũ,& ita dũ ascendit à Libra ad Capricornũ, quanto aũt magis Sol eleuatur, tanto magis causat calorem & sic in Cancro, & Capricorno illis non faciet hyemes, sed Æstates. Dicitur enim, quod causa caloris est accessus ad Zenith habitantium .i. ad talem situm quod feriat ex maiori altitudine,& directione existentes sub eo. Hoc autem accidit existentibus sub æquinoctiali in signo Arietis, & Libræ, vnde & si ascendat tunc Sol. i. in Ariete ad nos, tamen recidit, & elungatur ab eorum Zenith,& ita in Libra accedendo magis, ac magis successiue modo ad Arcticum, modo ad Antarcticũ,& ideo eum erit in maiori elũgatione ab eorum Zenith causabit Hyemes, & cum fiat ipsis bis in anno, duos Hyemes habebunt æquales, &c.

Quartum est, quod quinque genera vmbrarum habent. Prima est occidentalis, & hæc fit dum Sol est in æquinoctiali. Nam sciendum venit, quod omne corpus opacum.i. non luminosum semper mittit vmbram ad partem corpori luminoso oppositam, si igitur in mane Sol oriatur in æquinoctiali, mittet vmbram ad occidentẽ quæ orienti opponitur, & hæc est prima vmbra. Secunda est orientalis, quæ fit dum Sol est in occidente, opposito orienti. Tertia est perpendicularis, & directa dum Sol per directum ferit caput stantis in terra, idest, dum est in medio cæli. Quarta est Australis, i. versus Austrũ dũ Sol in signis Borealibus reperietur, quia Borea,& Auster.i. polus arcticus,& antarcticus opponuntur. Quinta erit versus Boream, dum Sol erit in signis australibus ratione qua supra.

Notandum est autem, quod oriens,& occidens bifariam sumitur. Primo respectu habitantiũ,& sic ille dicitur oriẽs, in quo eis Sol nascitur, & occidẽs vbi eis occidit generaliter. Secundo respectu Horizontis in quo eis surgit Sol, & cadit cum æquinoctiali i. quando in æquinoctiali reperitur, & hic dicitur verus oriens, & occidens quem nauigantes inspiciunt, & de quo Astronomi proprium nomen formant.

Quintum est, quod hi semper vident vtrũque polum, & omnes stellas orientes, & occidentes, quoniam Horizon istorum rectus est, & recte transit per polos mũdi.

Ad argumentum ergo dicitur, quod dies bifariam sumitur. Primo, vt est medietas diei naturalis, qui est 24. horarum, & sic dicitur habere 12. horas, sicut & nox 12. Secundo, vt mensuratur luce Solis, & ita non semper habet 12. horas. Primo modo locutus est Dominus. Vel dicendum, quod loquebatur de die æquinoctiali, tunc enim 12. sunt horæ diei, & lucis Solis. & 12. noctis, & tenebrarum.

Esset hic disputandum an sub æquinoctiali sit habitatio, sed hanc difficultatem, cum de elemento terræ agemus, discutiemus, & resoluemus.

DVBIVM CXII.

An qui Zenith habent inter æquinoctialem, & tropicum Cancri, & Capricorni, habeant inæqualitatem dierum.

Videtur quod non. Nam motus regularis, tantum est in ascensu, quam in descensu. At hoc falsum est, nam Sol ascendendo ad Cancrum de die in diem plus temporis consumit, quam descendendo ad Libram, quæ est signum Arieti ex diametro oppositum. Equidem die 21. Martij incipit à primo puncto Arietis ascendere vsque ad 24. diem Iunij, in quo ingrediendo Cancrum incipit descendere vsque ad 24. Septembris, quo die Libram ingreditur. Patet ergo quod fere per tres dies tardius ascendit quam descendat, & ita ab Ariete ad Libram currendo consumit fere 187. dies, & à Libra redeundo ad Arietem solum 178. & tamen gradus correspondent gradibus sibi oppositis.

Pro enucleatione, & declaratione supradicti argumenti adnotandum venit, quod habitantes inter æquinoctialem, & tropicum Cancri, omnia infrascripta tenent. Primum est, quod hi solum bis in anno æquinoctium habent, idest, dum Sol intrat primum gradum Arietis, & dum ingreditur primum punctum Libræ, & de cetero semper tenent dies,& noctes inæquales, magis & minus, secundum quod Sol surgit ad Cancrum, & ab eo descendit ad Libram,& deinde ad Capricornum, quan

to

to enim magis Sol eleuatur super nostrū Horizontem, tanto longiorem, & altiorem circulum facit, & consequenter diuturniorem diem, & quo magis descendit dies abbreuiat, & noctes elungat.

Secundum est, quod quatuor Solstitia habent, duo ima, dum Sol ab eorum Zenith quantum potest declinat, dum ad vnum modo, modo ad alium polum accedit, quod fit, dum est in initio Cancri, & Capricorni, cum enim stent inter æquinoctialem, & tropicum Cancri, necesse est vt dum Solem tenent in Cancro, quod declinauerit, quantum potuit versus Arcticum polum, & dum eum vident in Capricorno, pariter comprehendant ipsum accessisse, quantum valuit ad antarcticum. Duo vero Solstitia alta habebunt, dum Sol super eorum Zenith se extollendo quantum potest transit supra eorum capita, vna vice transeundo ad Cancrum, & alia ad Capricornum, nam transitus ad imum non fit nisi per medium.

Tertium est, quod & ipsi pariter duas obtinebunt Æstates, & duos Hyemes, duo Vera, & duos Autumnos, nam cum Sol bis transeat supra eorum capita, dum fuerit in maiori sua altitudine directa faciet Æstatem, & duas, quia bis hunc motum Solis sentiunt. Duo Hyemes erūt, dum fuerit in maiori sua depressione. f. dum fuerit in Cancro, & Capricorno, & duo Vera, & duos Autumnos, dum ab his decesserit. Sed quoniam dum est in Capricorno magis declinat ab eorum Zenith, quàm dum fuerit in Cancro, quia habitāt inter æquinoctialem, & Cancrum, ideo durior erit Hyems, & longior, dum Sol fuerit in Capricorno, quam in Cancro, & ita dico de illo Autumno, & Vere, quæ fiunt prope Capricornum.

Quartum est, quod in vno Hyeme habent noctes breuiores, quam in alio, & dies longiores, quam in alio, secundum quod Sol magis ab eis declinat, vel minus, quia enim magis ab eis recedit in Capricorno, quam in Cancro, ideo in hoc signo existens longiores noctes ducet, & breuiores dies, & econtra in Cancro.

Quintum est, quod quinque vmbras habēt, vt supra, excepto hoc, quod vmbram perpendicularem non habent in æquinoctijs, quia non sunt directe sub æquinoctijs, sed eam tenent in alijs punctis.

Sextum est, quod polum antarcticum nō vident, nec stellas prope eū existentes orientes, & occidentes, quia sub eis non sunt vnde eis absconduntur. Ecōuerso vero semper intuentur polum arcticum, cum suis stellis, orientibus, & occidentibus, quia polus, & hæ stellæ supra eos eleuantur. Has easdem proprietates tenent, qui inter æquinoctialem, & tropicum Capricorni morantur, sed econtrario.

Ad argumentum dicendum, quod motus Solis sit regularis in ascensu, & descensu bifariam intelligi potest. Primo, quo ad parallelos, adeo vt quot in ascensu conficit, tot etiam in descensu constituat, & hoc negamus, & bene argumentum negationem probat. Secundo in suo numero ordinario, & sic dicitur regularis, quia non in vno anno tantum, sed in omni tot facit perpetuo, & regulariter, & hoc est quod intelligimus.

DVBIVM CXIII.

An existentes sub tropico Cancri, vel Capricorni videant inæqualitates dierum, &c.

Videtur quod non. Nam quod affirmatur de dissimili vno, de alio non affirmatur, quia dissimilia non conueniunt. Sed de existentibus inter æquinoctialem, & tropicum Cancri diximus eos habere dies & noctes inæquales. Ergo existentes sub tropico Cancri, vel sub tropico Capricorni hanc inæqualitatem non videbunt. Probatur, quia varias habent habitationes, & diuersa Zenith.

Resolutio huius dubij facilis est notatis proprietatibus istorum, quarum prima est, quod in æquinoctijs dies vident noctibus æquales, in alijs vero temporibus nequaquam, propter maiorem accessionem, & recessionem Solis ad eorum Zenith.

Secunda est, quod duo solstitia habent, primum altum dum Sol est in Cancro, & aliud bassum, dum est in Capricorno. Primum transit per eorum Zenith, secundum per oppositum eorum Zenith.

Tertia est, quod vnum Ver, vnam Aestatē, vnum Autumnum, & vnum Hyemem sustinent, quoniam Sol in his quatuor anni quartis in qualibet earum tria signa percurrit, & tres menses colligit, quare

Ver incipit eis à primo gradu Arietis, & & durat per totum Arietem, Taurum, & Gemini. Deinde in primo gradu Cancri incipit eorum Aestas, & eis durat per totum Cancrum, Leonem, & Virginem. Deinceps à primo gradu Libræ incipit eorum Autumnus, & durat per totam Libram, Scorpionem, & Sagittarium. Et postea initium eorum Hyemis est in primo gradu Capricorni, & currit per totum Capricornum, Aquarium, & Pisces.

Hinc sequitur quarta proprietas .s. habere quinque vmbras, i. orientalem in sero, occidentalem in mane, perpendicularem, & sub pedibus, vno solo die, quando .s. Sol est in eorum Zenith, quod erit in primo gradu Cancri, omni vero alio tempore anni Sol in meridie mittit vmbras Septentrionem versus, quia numquam transit eorum Zenith, sed cum peruenit ad primum gradum Cancri, descendit ad Austrum, & sic ex opposito mittit vmbras versus Septentrionem. Vmbram autem australem facit, dum est in signis borealibus, tam in mane, quam in sero, sed in meridie numquam australem, quia vt diximus numquam Sol declinat ad polum arcticum, vltra primum gradum Cancri. Septentrionalem mittit, dum in signis australibus inuenitur.

Quinta proprietas est, quod stellæ quæ sunt in circulo arctico, numquam eis occidunt, & quæ in antarctico numquam eis apparent, vt supra.

Ad argumentum dicitur, quod dissimilia sunt in duplici differentia. Nam quædam dicuntur dissimilia simpliciter, & quo ad omnia, & ista in nullo conueniunt. Alia dicuntur dissimilia secundum quid, idest, quoad aliqua, sed quo ad aliqua similia, quia habent aliqua communia in quibus conueniunt, & ista in communibus communicant, & in dissimilibus discrepant, & talia sunt quæ diximus, idest, habitantes inter æquinoctialem, & Cancrum, vel Capricornum, vel sub Cancro, vel Capricorno.

DVBIVM CXIV.

An habitantes inter cancrum, & arcticum, habeant quadam singularia.

Videtur quod non. Nam inter contigua non potest esse multa dissimilitudo. Sed habitantes inter arcticum, & tropicum Caneri, sunt contigui habitantibus sub tropico Caneri; nam vbi hi desinunt, alij incipiunt. Ergo inter hos non potest esse multa differentia, vel dissimilitudo.

Respondetur tamen, quod habitantes inter Cancrum, & arcticum, vt sumus nos, habemus multa communia, & multa singularia. Primum est, quod dum Sol est in æquinoctijs, idest, in primo gradu Arietis, & Libræ habemus dies æquales noctibus, in alijs vero temporibus nequaquã magis & minus, prout accidit eis quibus ascendit Sol in sphera obliqua, vt supra.

Secundum est, quod duo Solstitia habent vt supradicti, sed in his habent diuturniores maximos dies, vel minimos, & ita noctes, quã supradicti, quoniam semper eis crescunt maximi dies, vel noctes proportionaliter, nam quanto magis Sol accedit ad polum, dies crescunt, & quanto ab eo magis recedit, noctes augentur.

Tertium est, quod Sol numquam per eorum Zenith transit, quoniam numquam extra tropicos progreditur, inter quos Zodiacus stat, nos autem inter tropicum Cancri, & polum moramur.

Quartum est, quod in meridie semper mittunt vmbram ad Septentrionem, sed in æquinoctijs in mane eam tenent occidentalem, & in sero orientalem. Dum Sol est in signis borealib. vmbræ sunt australes, & dum est in australibus boreales, seu septentrionales, quia vt diximus vmbra semper currit ad partem oppositam corpori luminoso.

Quintum, semper vident polum arcticum, cum stellis quæ circa ipsum sunt, antarcticum cum suis stellis numquam.

Ad argumentum dicitur, quod inter contigua non est dissimilitudo, aliqualis tamen & sic euenit inter stantes sub tropico Cãcri, vel Capricorni, & morantes inter tropicum Cancri, & arcticum, vel inter tropicum Capricorni, & inter antarcticum, eadem enim est proportio ex opposito.

DV-

DVBIVM CXV.

An sub Arctico detur habitatio.

VIdetur quod non. Nam sub arctico propter distantiã Solis niues, & glacies sũt perpetuæ, adeo vt quæ descenderunt non possint liquefieri, & de nouo aduenientes magis eas indurent, vnde deducendum venit, quod omnia sint niue, glacie, & frigore plena. Ergo non erit locus hominum habitationi idoneus.

Respondetur breuiter, quod de polo arctico bifariam loqui contingit. Primo, præcise, & sic præcise sub polo arctico, non videtur possibilis habitatio, ꝑpter ea quę adducta sunt in argumento. Secundo prope ipsum, & sic possibilis videtur habitatio, vt multæ nauigationes ostenderunt. Hi autem primo habent æquinoctialem pro Horizonte perpetuo, & quia æquinoctialis diuidit zodiacum in duas partes æquales, relinquendo sex signa versus arcticum, .s. Arietem, Taurum, Gemini, Cancrum, Leonem, & Virginem, & sex versus antarcticum .s. Libram, Scorpium, Sagittarium, Capricornum, Aquarium, & Pisces. Itaque cum istis æquinoctialis, & Horizon vnũ sint, & respectu æquinoctialis sex signa semper sint supra terrã, & sex sub terra, ideo dum Sol erit in istis sex signis, perpetuum vnum diem eis causabit, qui erit sex mensium .s. à primo gradu Arietis, vsque ad primum Libræ, quod erit à die 21. Martij vsque ad 24. Septembris, & ita patientur vnam perpetuam noctem in sex mensibus, dum Sol steterit in signis australibus. & ideo habebunt annum vnius diei, & vnius noctis. Secundo numquam hi videbunt noctem multum obscuram, propterea quod æquinoctialis est eorum Horizon, Sol autem non potest magis elōgari ab æquinoctiali .i. dũ fuerit in Cancro, vel Capricorno quam per 24. gradus, & ita Sol non descendet vltra 24. gradus ab æquinoctiali .i. in primo gradu Capricorni, nec eleuabitur eis vltra 24. gradus .i. dũ fuerit in primo gradu Cancri. Tertio numquam videbunt ortum, vel occasum stellarum, quæ sunt ab æquinoctiali ad arcticum, quia videbunt eas continuo circumuolui, & ita numquã videbunt ortum, vel occasum stellarum quæ sunt ab æquinoctiali ad antarcticum, quoniam illa pars perpetuo eos latet.

Ad argumentum patet per supradicta.

DVBIVM CXVI.

An ortus signorum, & stellarum possit quibusdam regulis regulari.

VIdetur quod non. Nã regula debet esse certa, proportionata, & inuariabilis, indiuisibilisque, quia regula est mensura, & mẽsura tales adipiscitur cōditiones, iuxta Arist. 10. diuinorum. Sed regulæ ortuum, & occasuum signorum, & stellarum non sunt certæ, quia de rebus superioribus solum habemus cognitionem topicam, & probabilem, secundum illud Arist. de animalibus. Iocundissimum est aliquid scire de superioribus, etiam si topice, quam certa scientia aliquid scire de inferioribus. Neque sunt nobis, & nostris motibus proportionatæ, cum nostri motus sint varij, & nostra cognitio consurgat ex variabilitate effectuum, & motuum rerum inferiorum, ad sciendos motus cęlorum. Neque sunt indiuisibiles, cum Astronomi dent multi ortus, & occasus astrorum .s. Cosmicum, Acheronycum, & Heliacum, rectum, & obliquum. Ergo non dantur de supradictis certæ regulæ.

Ad maiorem enucleationem supradictorum, & dicendorum, latius nobis, sed summarie percurrenda sunt quæ faciunt ad motum, ortum, & occasum signorum, & stellarum. Diximus igitur supra ortum, & occasum astrorum duplicem esse .s. Astrologicum, & Poeticum. Poeticum triplicẽ esse, Cosmicum .i. cum Sole Oriente, & Occidente, Acronychum .i. post occasum Solis, .i. dũ Sol occidit surgere supra Horizontem dr̃ ortus Acronychus, & occasus post occasum Solis occidere .i. in principio noctis, nam improprie omnis stella per totam noctem occidens, dicitur occidere Acronyce. Heliacum .i. intrare sub radijs Solis, & ab ipsis offuscari hic dicitur occasus Heliacus, & ortus dum se liberat à radijs Solis, & incipit nobis apparere.

Astrologicus autem ortus, & occasus astrorum nihil aliud est, quam ascensus alicuius partis æquinoctialis cum aliquo signo, vel descensus cum aliqua parte æquinoctialis. Differunt ergo Poeta, & Astrologus

gus in cõfiderando ortu,& occafu figno-rum,ftellarum,aut partis eccliptiç,quod Poeta intuetur qualitatem temporis or-tus, & occafus. f.an fiat in Vere, Æftate, Autumno, aut Hyeme,in tali menfe,die, vel hora,in mane,vel fero,die vel nocte, Aftrologi vero contemplantur quantita-tem temporis eiufdem ortus, vel occafus .i.quanto tempore aftrum fuper Horizõ-tem afcendat, aut defcendat, quare non diuidunt ortum,& occafum in Cofmicũ, Acronychum,& Eliacum, proprium, & improprium, diurnum, & nocturnum, matutinum, & vefpertinum, vt faciunt Poetæ, fed eum diuidunt in rectum,feu tardum ortum,vel occafum,& obliquum .i.velocem, & hoc in recta, vel obliqua fphera.

Sciendum eft ergo fecundo, quod motus æ-quinoctialis differt à motu Zodiaci, quod motus eius tam in fphera recta,quam ob-liqua femper eft vniformis, & regularis, adeo vt femper qualibet hora quindecim eius gradus afcendãt fuper Horizontem, & 15.defcẽdant ex 360. eius gradibus qui bus conftat,adeo vt in fpatio 24.horarum totus afcenderit per 12.horas,& per alias 12. defcenderit,feruata proportione. Ra-tio,eft quia mouetur fuper proprios po-los motu primi mobilis, qui completur fpatio 24. horarum, motus vero Zodiaci tam in fphera recta,quam in obliqua non eft vniformis,& regularis fecundum om-nes fuas partes,quoniam aliquæ eius par-tes velocius afcendunt fuper Horizontẽ, & aliquæ tardius, & ita accidit in defcen-fu, nam zodiacus fuper polis mundi mo-uetur à quibus non æqualiter diftat, & ideo facit cum quodlibet Horizonte an-gulos vel magis obliquos, & confequen-ter caufat quod partes fignorum afcen-dentes tardius afcendant,vel minus obli-quos,faciendo quod citius afcendant ficut patet in fphera materiali, & ex hac obli-quitate maiori, vel minori dies euadunt longiores, quia dum Sol eft in fignis tar-dius afceudẽtibus facit diem longiorem, quam dum eft in illis qui citius afcendũt, clarum eft enim quod quodlibet die fex figna afcendunt, & fex defcendunt,zodia cus autem,& ipfe diuiditur ficut & æqui-noctialis in 360. gradus. Neceffe erit er-go quod aliquod fignum zodiaci afcen-dat,vel defcendat cum 30. gradibus æqui noctialis,vel plus,vel minus,aliter motus zodiaci, & æquinoctialis effent vnifor-mes, quod falfum eft. Itaque illa pars æ-quinoctialis,quę cum figno,ftella,vel ali-qua parte eccliptica afcendit dicitur or-tus aftrorum, & illa pars æquinoctialis, quæ defcendit cum figno, vel ftella, &c. occideute, dicitur eorum occafus.

Sed Tertio fciendum venit, quod de ortu,& occafu fignorum bifariam loqui contin-git. Primo de eorum ortu, & occafu re-cto, & obliquo in fphera recta. Secundo de eifdem in fphera obliqua. Si primo modo loquamur duo notanda funt. Pri-mum,quod æquinoctialis, & zodiacus in quatuor quartas diuiduntur.f. in duobus æquinoctijs, Ariete,& Libra, & in duo-bus folftitijs.f. Cancro, & Capricorno, quibus quatuor quartis zodiaci, quatuor quartę æquinoctialis correfpondent,quia funt quartæ duorum magnorum circulo-rum fibi corrifpondentes,& ideo cum hę quartæ zodiaci, & æquinoctialis cum Ho rizonte coniungantur,neceffe erit, quod dum vna quarta zodiaci afcendit,afcendat quoque quarta æquinoctialis fibi cotermi nalis, & dum occidit,occidat quoque par quarta æquinoctialis fibi correfpondens.

Secundum eft, quod aliud eft loqui de or-tu, & occafu præcifo quartæ zodiaci, cum quarta æquinoctialis, & aliud eft lo-qui de partibus harum quartarum, verbi gratia,quod gradus vnus zodiaci,femper correfpondeat vni gradui æquinoctialis, adeo vt fimul femper afcendant gradus, & gradus zodiaci, cum gradibus,& gra-dibus æquinoctialis. Secundum non dici-mus, quia v.g. accipiendo primam quar-tam zodiaci, quæ eft à primo gradu in-clufiue Arietis, vfque ad primum gradũ exclufiue Cancri inuenienius, quod fem-per maior pars zodiaci huius quartæ orta erit, vel occiderit, & non tot gradus vel pars æquinoctialis, & econuerfo incipien do ab ortu, & occafu fecundæ quartæ zodiaci.f. à primo gradu Cancri inclufi-ue, vfque ad primum Libræ exclufiue re periemus, quod maior pars æquinoctialis orta erit,vel fub occafu, quam pars zodia ci, nam non vniformiter, & eodem mo-do oriuntur,& occidunt,& ideo inter eas eft ifta difparitas. nam Aries, Virgo, Li-bra, & Pifces furgunt,& cadunt oblique, & ideo velocius,econtra Gemini,Cancer,

Sagit-

Sagittarius, & Capricornus recte ascendunt, & descendunt, & consequenter tardius. Alia vero quatuor signa .s. Taurus, Leo, Scorpio, & Aquarius oriuntur, & occidunt, secundum medietatem vniuscuiusque eorum proximam æquinoctiali oblique, & secundum aliam medietatem proximam solstitijs recte. Primum ergo asserimus.s. quod sumendo initium, & finem.i. ascensum, & descensum terminatiue, æqualiter ascendunt.i. in eodem tempore incipiunt ascendere, & in eodem tempore descendunt .i. terminant suum descensum, adeo vt simul terminent suum descensum, sicut simul inceperunt ascensum.

Si vero loquamur de ortu, & occasu signorum, recto, & obliquo, in sphera obliqua tres regulæ assumendæ sunt. Prima est quod duæ medietates zodiaci ab æquinoctijs incipientes, in quocunque Horizonte simul oriuntur, & occidunt, cum medietate æquinoctialis sibi conterminantis, quoniam æquinoctialis se intersecat cum ecliptica in punctis æquinoctiorum, in duas partes æquales, vnde necessarium est finem, & principium supradictarum medietatum simul, & in eodem tempore quemcunque Horizontem tangant, tam in ortu, quam in occasu. At omnis alia zodiaci pars, & medietas à quocunque vbi incipiat, dummodo non incipiat ab æquinoctijs, in sphera obliqua, non ascendit, nec descendit æqualiter cum æquinoctiali, sed cum aliqua medietate zodiaci, surget, vel cadet plus quam medietas æquinoctialis, & cum aliqua minus, quia Horizon obliquus non se intersecat, vnquã in angulis rectis cum æquinoctiali, sicut faciebat in sphera recta, sed se intersecant in angulis obliquis, vt ad longum ostendunt Astronomi, & videtur in sphera.

Secunda regula vera in sphera obliqua, & recta est, quod dum oritur vnum signum, occidit signum aliud ei ex diametro oppositum, adeo vt dum primus gradus Leonis surgit, cadat tunc primus gradus Aquarij, quod est signũ ei oppositum, & dũ vltimus gradus Leonis occidit, necesse est vltimum gradum Aquarij oriri, quia Horizon, & Zodiacus se intersecant in duas partes æquales, cum sint maximi circuli sphæræ, & ita semper medietas Zodiaci erit supra Horizontem, & medietas sub ipso, i. sub terra. Sciendum est tamen, quod hic loquimur de duobus signis sibi oppositis, & quo ad totum, & quo ad gradus, quod dum vnum horum oritur, aliud sibi oppositum occidit, non autem volumus affirmare, quod eo modo, quo vnum signum surgit, eo etiam modo cadat, quoniam signum quod recte surgit, & consequenter tardius in sphera obliqua, oblique occidit, quia ortus cuiuslibet signi est æqualis occasui signi sibi oppositi, vnde si ortus eiusdem signi esset æqualis occasui eiusdem signi, signa opposita, æquales ortus haberent, quod pugnat contra inæqualitatem dierum, & eorum dispositionem in Zodiaco, qui obliquus est, & sex signa eleuat versus arcticum, & sex versus antarcticum.

Tertia regula in sphera obliqua vera, est, quod illa signa zodiaci, quæ æqualiter à duobus æquinoctiorum punctis distant æqualiter oriuntur, & occidunt, quia æqualiter declinant ab æquinoctiali, & ex consequenti tenent æqualem situm, & similem respectu Horizontis obliqui.

Quarta est, quod comparando ortum, & occasum, qui fiunt in omni sphera obliqua ortui signorum, & occasui omni, qui fiũt in sphera recta, respectu eorũdem, quod omnes arcus ab Ariete incipientes, & vsque ad finem Virginis tendentes in sphera obliqua citius oriuntur, & minores arcus conficiunt, quam in sphera recta. Ecõtrario vero signa quæ sunt à Libra, vsque ad fines Piscium inclusiue, maiores arcus conficiunt in sphera obliqua, quam in recta, vt patet in sphera, & his præcipuis regulis peritus astronomus de facili educere poterit æqualitatem, & inæqualitatem dierum, & noctium, habita ratione ad diuersos Horizontes sub sphera recta, & obliqua.

Ad argumentum pro quanto tangit incertitudinem superiorum dicimus, quod corpora superiora bifariam considerari possunt. Primo physice.i. quo ad eorum naturam, virtutem, & influxum in singulari, & particulari, & sic solum probabilem cognitionem de eis habemus, quamuis enim Astrologia secundum se sit scientia, tamen imperfecte à nobis participatur. Secundo mathematice, quo ad motum, situm, & dispositionem in vniuerso, & sic sunt notissima, quia habent motum regularem,

larem, & dispositionem inuariabilem, & sic de his modo diximus.

Ad id, quod impugnat de varietate motuũ, dicimus, quod duplex est causa. Prima dicitur immediata, & particularis, & hæc est immediata, vniuoca, vna, & determinata, suo effectui similis in eadem specie, vnde sic Leo solum Leonem generat, & homo hominem. Secunda dicitur vniuersalis, & æquiuoca, seu analoga, & ista potest esse causa multorum effectuum, & diuersorum, & tales causæ sunt corpora cælestia, vnde sunt causæ multorum effectuum, & motuum, immo omnium.

Ad id quod obijciebatur contra indiuisibilitatem motuum cęli dicendum, quod vnus est motus regulatissimus, & maxime vniformis, qui est motus primi mobilis, regula, & mẽsura omnium aliorum motuum, & hic dicitur vnus, & indiuisibilis simpliciter. Alij vero motus regulati sunt, & vniformes in suo genere, quia quamuis sint multi numero respectu multorum mobilium .i. cælorum, tamen vniformitate sunt simplices, quia semper seruant eãdem mensuram motus.

DVBIVM CXVII.

An inæqualitas dierum & noctium dicatur ciuilis.

VIdetur quod non. Nam ciuile est quoddam moribus præditum. At inæqualitas dierum, & noctium res quædam naturalis est, causata ex motu Solis. Ergo male dicitur ciuilis. Maior patet, quia ciuile venit à ciue, & ciuitate, quæ habent respectum ad mores, & vniones hominum.

Quamuis hoc dubium de nomine solum videatur litigare, tamen potiora petit. Altius ergo. Primo exordiendum est, & recolendum, quod duplicem diximus esse diem. Primum diximus naturalem, causatum à motu æquinoctialis, nam tempus quo semel totus æquinoctialis reuoluitur motu primi mobilis circa terram, cum tanta parte æquinoctialis, quanta correspondet arcui Zodiaci, quem Sol interim motu proprio, contra primum mobile perambulat, quod dicitur esse min. 59. & quasi sec. 8. dicitur dies naturalis, & ex his constituitur annus, i. ex 365. diebus H. 5. mi. 55. sec. 26. tert. 10. & quart. 56. & hic dies constituitur ex die artificiali .i. dicente Solem super terrã, & ex nocte in qua Sol est sub terra. Secundus dies dicitur artificialis, qui nil aliud est nisi tempus, per quod Sol est super terram, & dicitur artificialis, quia diuersus est in diuersis partibus terræ habitabilis, habitatio enim est quoddam artificiale ab arte procedẽs, & voluntatem hominum sequens. Sic etiam duplex hora reperitur. Prima nuncupatur æquinoctialis, quæ est 24. pars diei naturalis, constituta ex ascensione 15. gradus eiusdem æquinoctialis supra terram, omnis enim ascensio 15. graduũ æquinoctialis, horam æquinoctialem constituit. Vere tamen esset addendum aliquid 15. illis gradibus propter motum, quo Sol primo mobili nititur, i. min. 59. sec. 8. sed quoniam id parui momenti est, ideo omittitur. Secunda hora dicitur temporalis, quæ & dicitur naturalis, inęqualis & planetaria & est 12. pars diei artificialis, & noctis similiter. Hæ autem cõmuniter apud nos si sunt diei, à Solis ortu initium sumunt (quamuis vulgus ab aurora incipiat sumere horas diei, & à tenebris, post Solis occasum ab aliquo paruo tempore noctis horas computare incipiat,) vere tamen principium diei est ab ortu Solis, & noctis ab occasu. Hæ ante dicuntur horæ inæquales nõ secundum se, cum qualibet hora mensuretur ascensione 15. graduũ ęquinoctialis, sed in ordine ad horas præcedentis diei, quia Sol semper suo motu; diem vel elungat ascendendo ad Cancrum, vel abbreuiat descendendo ad Capricornum, exceptis duobus diebus æquinoctiorum Arietis, & Libræ, in quibus horas æquales constituit. Secundum autem has horas inæquales Prisci desumpserunt dominium planetarum, prout supra diximus, & ideo etiam planetarias nuncupauerunt.

Hora autem in 60. minuta diuiditur, adeo vt 60. minuta faciant vnam horam, & minutum distinguitur in 60. secunda, & 60. secunda, in 60. tertia, & sic in infinitum.

Si autem cupis dignoscere horas æquales, etiam tempore noctis, & videre qualibet hora signum ascendens &c. habeas Astrolabium, & vtere breuibus regulis D. Francisci de Ledoso Aluernensi.

Ad argumentum dicitur, quod forsitan ali-

qui vocauerunt diem ciuilem, diem naturalem, quia est vniformis, & regularis, nõ sic dies artificialis, ciuitates autem regulis quibusdam voluntarijs quidem, sed inuariabilibus regulari debent. Vel quia Prisci numerabant diem per 24. horas, & nõ per tot horas diei, vel noctis, sicut nos facimus. Secundò dicitur, quod aliqui dixerunt diem ciuilem dicendum esse artificialem.

DVBIVM CXVIII.

An dentur dies critici, & hi ab omnibus planetis fiant.

Videtur quod non. Nam humor vitiosus numquam potest esse bonus, & si sit in corpore infirmo motus, & ex motu causet infirmitatem, si infirmus est infirmus, humor malus semper erit in motu. Ergo non dantur dies critici, i. mutationis infirmitatis, & hi ex motu Lunæ, & planetarum, sed omnes infirmitates & earum mutationes aptius reducentur ad concitatos humores in corpore infirmo.

In contrarium, est Galenus 2. Aphorismorũ com. 13. & lib. 1. Epidemiorum com. 3. & lib. 3. prognosticorum com. 1. & lib. 3. de decretorijs diebus. & Hippocrates, qui propterea dicit non esse fidendum Medico Astronomiæ ignaro, quia poterit dare pharmacum ob ignorantiam dierum criticorum tempore inconuenienti, & eo mortem accelerare.

Pro explicatione huius difficultatis primo sciendum est, quod Crisis idem est quod notabilis mutatio in morbo, vel ad salutem, vel ad mortem, & ideo dies critici illi sunt, in quibus fit magna morbi mutatio, vel in bonum, vel in malum. s. vel ad prognosticandam sanitatem, vel ad annũciandam mortem.

Secundo notandum, quod Crisis multipliciter diuiditur. Primo enim diuiditur in perfectam, & imperfectam. Perfecta est notabilis mutatio morbi, quæ si fit in bonũ, dicitur laudabilis, si in malum, inlaudabilis. Imperfecta est leuis alteratio morbi, quæ & ipsa potest esse laudabilis si in bonum, & inlaudabilis si in malum.

Secundo diuiditur etiam multis alijs modis. Nam alia dicitur crisis salua, quia fit sine accidentibus malis, & plurimum alterantibus. Alia dicitur dubia, quia coniungitur cum malis accidentibus, & ponit periculum in morbo. Alia dicitur iudicata quando die quarta signa coctionis apparent. Alia dicitur non iudicata, quando dies septima sine iudicio est.

Dies ergo infirmitatis in tres classes diuidũtur. Nam quidam dicũtur critici, quidam iudicatiui, & quidam intersidentes, i. positi inter iudicatiuos, qui ferunt de infirmitate iudicium, & criticos, qui vt diximus notabilem mutationem morbi dicũt. Dies critici communiter dicuntur 4. 7. 11. 14. 21. 27. vel 28. infirmitatis. Non critici 6. 8. 10. 12. 16. 19. 22. 25. infirmitatis.

Sed Tertio notandum est duas oriri difficultates. Prima à quo sit desumenda præcipua crisis, iudicium &c. an à Luna, vel ab alijs planetis. Secunda est à quo die incipiendum sit iudicium de infirmitate.

Et quidẽ primæ difficultati dr, quod ab oib. planetis vere esset desumendũ iudicium, quia ex eorum directionibus, aspectibus, reuolutionibus, & positturis causantur infirmitates, vnde aliæ sunt à Saturno, aliæ à Marte, &c. vt supra suo loco diximus. Attamen, quia hoc difficile foret, si singulorum infirmorum cõsiderandæ essent natiuitates, directiones, &c. ideo Luna in his diebus constituendis præcipue contemplamur. Primo quia experientia hos docuit ipsam maxime operari in infirmo, & maxime infirmitatem alterare. Secundo, quia cũ sit planeta terræ propinquior, sicut in aere, & mixtis magnas mutationes causat in suis quartis, ita dicimus idẽ operari in corpore humano, quod mixtũ est ex elementis. Tertio, quia cum sit domina humiditatis, & humoris mobilis, qui de facili ab ea alteratur, pronunciamus propterea ab ea prouenire maxime alterationem dierum in infirmitate. Iudicium tamen aliorum planetarum non est spernendum, quia vere ab illis possunt causari infirmitates, & vere causantur, vnde perfectus Medicus deberet esse Astrologus, & considerare vniuscuiusque infirmi ortum. Sed quia (vt dixi) hoc esset nimis arduum, & difficile, ideo saltem inspiciet ista. Primum locus Lunę in primo die infirmitatis, quia ab eo debet sumere initiũ computationis dierum infirmitatis, ab eo die desumendo quartas Lunæ, ita vt primus dies sit veluti nouilunium. Secunda

pars dies 7. plenilunium dies 14. & dies 21. vltima quarta. Secundo loco considerabit etiam aspectum Lunæ ad Solem, eo die quo cepit infirmitas, quia si in malo aspectu fuerit, augebitur infirmitas, & magnum periculum faciet, precipue si etiam cum maleficis planetis male se habuerit, & eo magis, si cum domino infirmitatis. Tertio obseruabit mutationes infirmitatis in diebus criticis, quia ex his diuinabit.

Ad secundam difficultatem dicimus, quod quælibet forma in subiecto introducenda habet duos status. Primus est dispositionum ad ipsam, quia forma, extensa, & diuisibilis, vt est infirmitas, non introducitur in materia nisi prius disposita, magis, & minus successiue. Secundus est introductionis formæ v.g. febris, qui fit in instanti. Quousque igitur febris abfuerit non erit dies infirmitatis, sed præparationum ad eam, & ideo dies à quo desumendum est principium infirmitatis, & incipiendum computare, erit dies primus veræ, & realis febris, qui dicitur dies decubitus, & non dies indispositionum, & præparationum.

Obseruabunt ergo Medici primo loco gradum Lunæ, in primo die infirmitatis.

Secundo formabunt aliquem circulum representantem perfectam circulationem Lunæ, & reuolutionem ad eundem gradum, quem Luna possidebat tempore infirmitatis.

Tertio diuidet circulum primo loco in quatuor partes, vt in illis consideret, & figat quatuor aspectus Lunæ, in primo coniunctionem, in secundo primum quadratum, in tertio oppositionem, & in quarto secundum quadratum.

Quarto singulas supradictas quartas diuidet in duas partes, & in his partibus ponet quatuor dies iudicij, sicut sunt quatuor puncti diuisionum.

Quinto vnamquamque portionem circuli, seu octauam in duas alias diuidet, vt in octo punctis significentur dies intersidentes. His factis ponenda est Luna in primo gradu principij infirmitatis, & sic ducenda per omnia pūcta significata. Itaque primus dies erit initium infirmitatis, post gradum principij infirmitatis erit primus intersidens. In secundo primus iudicatiuus. In tertio secundus intersidens. In quarto prima crisis. In quinto tertius intersidens. In sexto secundus iudicatiuus. In septimo quartus intersidens. In octauo secunda crisis. In nono quintus intersidens. In decimo tertius iudicatiuus. In vndecimo sextus intersidens. In duodecimo tertia crisis. In tertiodecimo septimus intersidens. In quartodecimo quartus iudicatiuus. In quintodecimo octauus intersidens. In sextodecimo quarta crisis. Et sic dicas de Sole, ac alijs planetis, quando ab eis desumentur crises.

Ad argumentum dicimus Fracastorium irrisisse omnes supradictos dies ratione tacta in argumento, quia .s. malitiosus humor ille est, qui inclusus in corpore, & venis, per tres dies, & septem mouetur, & sit causat illas alterationes. Sed iste considerauit solum causam proximam, & nō respexit primam in corporibus alterantibus, quæ sunt corpora cælestia, vt supra diximus, omnis enim motus inferiorum à motu superiorum est, sic exigente, & postulante vnione, & cōnexione corporum cælestium, & inferiorum subordinatæ. Dicimus ergo ad argumentum, quod humor ille vitiosus, quousque durat, corpus aggrauat, & inficit, sed non eodem modo, & eadem ratione, sed magis, & minus, secundum diuersitatem aspectuum, &c. vt explicatum est.

DVBIVM CXIX.

An dentur anni climaterici, &c.

Videtur quod non. Nam quantitas non est actiua, sic enim distinguitur à qualitate quæ actiua est. Sed annus non est nisi numerus dierum, & mensium, numerus autem est quantitas discreta. Ergo non habet aliquid operari, & agere, & sic non dabitur distinctio inter diē, & diem, mensem, & mensem, annum, & annum.

In contrarium est communis consensus Astrologorum, dicentium dari annos climatericos, seu decretorios, in quibus habita ratione reuolutionum, progressionū, & directionum domorum celestium, nec non alphridiariarum magnū imminet vitæ periculum, climacter enim dicitur lex quædam moriendi.

Desumunt ergo Astronomi annos climatericos. Primo à progressione cuspidum primæ, & decimæ domus in natiuitate, nam

nam qui incidunt in quadrato, vel oppositione ad radios Horoscopi, aut medij cæli sunt infelices. Vt quartus annus, & septimus infantiæ. Secundo anni incidentes in domos infelices, fiunt infelices, vt in sextam domum, quæ est domus infirmitatum, in duodecimam, quæ est domus inimicorum, carcerum, & animalium, vt est annus 18.27.36.45.54.63.72.81.

Tertio anni in quibus Horoscopus, seu gradus ascendens profectione sua peruenit ad sextam sunt periculosi, vt 18.42.& 54.

Quarto quando cuspis medij cæli ad sextam accedit, vt in anno 9. 45. & 81. natus subijcietur infortunijs, vel infirmitatibus.

Quinto quando gradus Horoscopi progreditur ad 12.domum, vt in anno 36. 72. & 84.tunc periculum est de carcere, vel priuatione libertatis, vel persecutione à viris potentibus, vel graui malo ex parte animalium.

Sexto, quando medium cæli deuenit ad 12. domum, vt in anno 27. & 63. timendum est de deiectione à dignitate, & honore.

Septimo, quando Horoscopus octauam domum intrat, quæ dicitur domus mortis, timendum est de morte.

Octauo ex Censorino dist.14.de die natali, omnis annus septimus dicitur infortunatus, & mutabilis, vt sunt 7.14.21.28. 35. 42.49.56.63.70. 77. &c. & ratio est, quia annus septimus datur planetæ malefico, qui inæqualitatem facit, & importat. Cardanus autem genitura 34. & 39. tradit, quorum sint septennia dicendo, quod primum est Lunę, secundum Mercurij, tertium Veneris, quartum Solis, quintum Martis, sextum Iouis, septimum Saturni, octauum iterum Lunæ, & sic iterum vt supra procedendo.

In primo septennio pensatur ambulatio, & locutio, in secundo capacitas rationis, in tertio, flos pulchritudinis, potentia amoris, & gaudium, in quarto robur, & honor, in quinto labor, & audacia, in sexto consilium, sapientia, & rerum cura, in septimo auaritia, & nimis timor, & in octauo plures infirmitates artheticæ.

Alfridiariam filiorum assignant à 28. anno vsque ad 42.quia Mars, & Iupiter illis dominantur, diuitiarum à 35. vsque ad 49. sub Ioue, & Saturno. Voluptatis à 14. vsque ad 21.sub Venere. Ingenij à 7. vsque ad 14.& à 21.vsque ad 28.sub Mercurio, & Sole. Honoris à 21. vsque ad 28. sub Sole. Laborum à 21.vsque ad 35.sub Sole, & Marte. Consilij, & astutiæ à 22. ad 49. sub Saturno. Alias alfridiarias post annũ 49. asserunt esse plenas nimio timore, vel nimia audacia. Vt autem omnium alfridiarum, seu omnium annorum cuiuscunque facillima habeatur cognitio ponetur in fine horum tabula, notando quod in prima linea ponũtur planetę, qui dicuntur principales alfridiariæ, & in duabus lineis lateralibus erunt conparticipes in singulis annis septennij, cum hoc tamen vt linea dextera nocturnis natiuitatibus, & sinistra diurnis inseruiat. in medijs vero lineis sunt anni vitæ, à primo vsque ad 84. Tabula ista erit in fine dubij.

Nono. Annus 49. qui constat ex septennario in se ducto, & 63. qui resultat ex septennario in nouenarium, & vigesimus primus, qui ex ternario in septennarium deducitur omnium sunt periculosissimi.

Decimo. Quando malefici planetæ sunt in octaua domo tunc infrascripti anni erunt nato lætales, annus 8.20. 32.44. 56.68. & 80. quia in illorum aliquo, Horoscopus semper octauam ingreditur.

Vndecimo. Hi anni solent mutationem vitæ afferre, quia horoscopus ad septimam domum sibi oppositam transit. Hi anni sunt. 7.19.31.43.55. 67.& 79.

Duodecimo. Periculo vacant anni climaterici, si infortunium in illos incidens, amicitiam habet, cum Sole, Luna, vel cum ascendente.

videtur obstare, quod dum Sol ab Ariete procedit ad Cancrum semper ascendit, & eleuatur versus Arcticũ, & ita dũ ascendit à Libra ad Capricornũ, quanto aũt magis Sol eleuatur, tanto magis causat calorem & sic in Cancro, & Capricorno illis non faciet hyemes, sed Æstates. Dicitur enim, quod causa caloris est accessus ad Zenith habitantium .i. ad talem situm quod feriat ex maiori altitudine, & directione existentes sub eo. Hoc autem accidit existentibus sub æquinoctiali in signo Arietis, & Libræ, vnde & si ascendat tunc Sol. i. in Ariete ad nos, tamen recidit, & elungatur ab eorum Zenith, & ita in Libra accedendo magis, ac magis successiue modo ad Arcticum, modo ad Antarcticũ, & ideo eum erit in maiori elũgatione ab eorum Zenith causabit Hyemes, & cum fiat ipsis bis in anno, duos Hyemes habebunt æquales, &c.

Quartum est, quod quinque genera vmbrarum habent. Prima est occidentalis, & hæc fit dum Sol est in æquinoctiali. Nam sciendum venit, quod omne corpus opacum.i. non luminosum semper mittit vmbram ad partem corpori luminoso oppositam, si igitur in mane Sol oriatur in æquinoctiali, mittet vmbram ad occidentẽ quæ orienti opponitur, & hæc est prima vmbra. Secunda est orientalis, quæ fit dum Sol est in occidente, opposito orienti. Tertia est perpendicularis, & directa dum Sol per directum ferit caput stantis in terra, idest, dum est in medio cæli. Quarta est Australis, i. versus Austrũ dũ Sol in signis Borealibus reperietur, quia Borea, & Auster. i. polus arcticus, & antarcticus opponuntur. Quinta erit versus Boream, dum Sol erit in signis australibus ratione qua supra.

Notandum est autem, quod oriens, & occidens bifariam sumitur. Primo respectu habitantiũ, & sic ille dicitur oriẽs, in quo eis Sol nascitur, & occidẽs vbi eis occidit generaliter. Secundo respectu Horizontis in quo eis surgit Sol, & cadit cum æquinoctiali. i. quando in æquinoctiali reperitur, & hic dicitur verus oriens, & occidens quem nauigantes inspiciunt, & de quo Astronomi proprium nomen formant.

Quintum est, quod hi semper vident vtrũque polum, & omnes stellas orientes, & occidentes, quoniam Horizon istorum rectus est, & recte transit per polos mũdi.

Ad argumentum ergo dicitur, quod dies bifariam sumitur. Primo, vt est medietas diei naturalis, qui est 24. horarum, & sic dicitur habere 12. horas, sicut & nox 12. Secundo, vt mensuratur luce Solis, & ita non semper habet 12. horas. Primo modo locutus est Dominus. Vel dicendum, quod loquebatur de die æquinoctiali, tunc enim 12. sunt horæ diei, & lucis Solis. & 12. noctis, & tenebrarum.

Esset hic disputandum an sub æquinoctiali sit habitatio, sed hanc difficultatem, cum de elemento terræ agemus, discutiemus, & resoluemus.

DVBIVM CXII.

An qui Zenith habent inter æquinoctialem, & tropicum Cancri, & Capricorni, habeant inæqualitatem dierum.

Videtur quod non. Nam motus regularis, tantum est in ascensu, quam in descensu. At hoc falsum est, nam Sol ascendendo ad Cancrum de die in diem plus temporis consumit, quam descendendo ad Libram, quæ est signum Arieti ex diametro oppositum. Equidem die 21. Martij incipit à primo puncto Arietis ascendere vsque ad 24. diem Iunij, in quo ingrediendo Cancrum incipit descendere vsque ad 24. Septembris, quo die Libram ingreditur. Patet ergo quod fere per tres dies tardius ascendit quam descendat, & ita ab Ariete ad Libram currendo consumit fere 187. dies, & à Libra redeundo ad Arietem solum 178. & tamen gradus correspondent gradibus sibi oppositis.

Pro enucleatione, & declaratione supradicti argumenti adnotandum venit, quod habitantes inter æquinoctialem, & tropicum Cancri, omnia infrascripta tenent. Primum est, quod hi solum bis in anno æquinoctium habent, idest, dum Sol intrat primum gradum Arietis, & dum ingreditur primum punctum Libræ, de cetero semper tenent dies, & noctes inæquales, magis & minus, secundum quod Sol surgit ad Cancrum, & ab eo descendit ad Libram, & deinde ad Capricornum, quan-

to enim magis Sol eleuatur super nostrũ Horizontem, tanto longiorem, & altiorem circulum facit, & consequenter diuturniorem diem, & quo magis descendit dies abbreuiat, & noctes elongat.

Secundum est, quod quatuor Solstitia habent, duo ima, dum Sol ab eorum Zenith quantum potest declinat, dum ad vnum modo, modo ad alium polum accedit, quod fit, dum est in initio Cancri, & Capricorni, cum enim stent inter æquinoctialem, & tropicum Cancri, necesse est vt dum Solem tenent in Cancro, quod declinauerit, quantum potuit versus Arcticum polum, & dum eum vident in Capricorno, pariter comprehendant ipsum accessisse, quantum valuit ad antarcticum. Duo vero Solstitia alta habebunt, dum Sol super eorum Zenith se extollendo quantum potest transit supra eorum capita, vna vice transeundo ad Cancrum, & alia ad Capricornum, nam transitus ad imum non fit nisi per medium.

Tertium est, quod & ipsi pariter duas obtinebunt Æstates, & duos Hyemes, duo Vera, & duos Autumnos, nam cum Sol bis transeat supra eorum capita, dum fuerit in maiori sua altitudine directa faciet Æstatem, & duas, quia bis hunc motum Solis sentiunt. Duo Hyemes erũt, dum fuerit in maiori sua depressione. f. dum fuerit in Cancro, & Capricorno, & duo Vera, & duos Autumnos, dum ab his decesserit. Sed quoniam dum est in Capricorno magis declinat ab eorum Zenith, quam dum fuerit in Cancro, quia habitãt inter æquinoctialem, & Cancrum, ideo durior erit Hyems, & longior, dum Sol fuerit in Capricorno, quam in Cancro, & ita dico de illo Autumno, & Vere, quæ fiunt prope Capricornum.

Quartum est, quod in vno Hyeme habent noctes breuiores, quam in alio, & dies longiores, quam in alio, secundum quod Sol magis ab eis declinat, vel minus, quia enim magis ab eis recedit in Capricorno, quam in Cancro, ideo in hoc signo existens longiores noctes ducet, & breuiores dies, & econtra in Cancro.

Quintum est, quod quinque vmbras habẽt, vt supra, excepto hoc, quod vmbram perpendicularem non habent in æquinoctijs, quia non sunt directe sub æquinoctijs, sed eam tenent in alijs punctis.

Sextum est, quod polum antarcticum nõ vident, nec stellas prope eũ existentes orientes, & occidentes, quia sub eis non sunt vnde eis absconditur. Econuerso vero semper intuentur polum arcticum, cum suis stellis, orientibus, & occidentibus, quia polus, & hæ stellæ supra eos eleuantur. Has easdem proprietates tenent, qui inter æquinoctialem, & tropicum Capricorni morantur, sed econtrario.

Ad argumentum dicendum, quod motus Solis sit regularis in ascensu, & descensu bifariam intelligi potest. Primo, quo ad parallelos, adeo vt quot in ascensu conficit, tot etiam in descensu constituat, & hoc negamus, & bene argumentum negationem probat. Secundo in suo numero ordinario, & sic dicitur regularis, quia non in vno anno tantum, sed in omni tot facit perpetuo, & regulariter, & hoc est quod intelligimus.

DVBIVM CXIII.

An existentes sub tropico Cancri, vel Capricorni videant inæqualitates dierum, &c.

Videtur quod non. Nam quod affirmatur de dissimili vno, de alio non affirmatur, quia dissimilia non conueniunt. Sed de existentibus inter æquinoctialem, & tropicum Cancri diximus eos habere dies & noctes inæquales. Ergo existentes sub tropico Cancri, vel sub tropico Capricorni hanc inæqualitatem non videbunt. Probatur, quia varias habent habitationes, & diuersã Zenith.

Resolutio huius dubij facilis est notatis proprietatibus istorum, quarum prima est, quod in æquinoctijs dies vident noctibus æquales, in alijs vero temporibus nequaquam, propter maiorem accessionem, & recessionem Solis ad eorum Zenith.

Secunda est, quod duo solstitia habent, primum altum dum Sol est in Cancro, & aliud bassum, dum est in Capricorno. Primum transit per eorum Zenith, secundum per oppositum eorum Zenith.

Tertia est, quod vnum Ver, vnam Aestatẽ, vnum Autumnum, & vnum Hyemem sustinent, quoniam Sol in his quatuor anni quartis in qualibet earum tria signa percurrit, & tres menses colligit, quare

Ver incipit eis à primo gradu Arietis, & & durat per totum Arietem, Taurum, & Gemini. Deinde in primo gradu Cancri incipit eorum Aestas, & eis durat per totum Cancrum, Leonem, & Virginem. Deinceps à primo gradu Libræ incipit eorum Autumnus, & durat per totam Libram, Scorpionem, & Sagittarium. Et postea initium eorum Hyemis est in primo gradu Capricorni, & currit per totum Capricornum, Aquarium, & Pisces.

Hinc sequitur quarta proprietas .s. habere quinque vmbras, i. orientalem in sero, occidentalem in mane, perpendicularem, & sub pedibus, vno solo die, quando .s. Sol est in eorum Zenith, quod erit in primo gradu Cancri, omni vero alio tempore anni Sol in meridie mittit vmbras Septentrionem versus, quia numquam transit eorum Zenith, sed cum peruenit ad primum gradum Cancri, descendit ad Austrum, & sic ex opposito mittit vmbras versus Septentrionem. Vmbram autem australem facit, dum est in signis borealibus, tam in mane, quam in sero, sed in meridie numquam australem, quia vt diximus numquam Sol declinat ad polum arcticum, vltra primum gradum Cancri. Septentrionalem mittit, dum in signis australibus inuenitur.

Quinta proprietas est, quod stellæ quæ sunt in circulo arctico, numquam eis occidunt, & quæ in antarctico numquam eis apparent, vt supra.

Ad argumētum dicitur, quod dissimilia sunt in duplici differentia. Nam quædam dicuntur dissimilia simpliciter, & quo ad omnia, & ista in nullo conueniunt. Alia dicuntur dissimilia secundum quid, idest, quoad aliqua, sed quo ad aliqua similia, quia habent aliqua communia in quib. conueniunt, & ista in communibus communicant, & in dissimilibus discrepant, & talia sunt quæ diximus, idest, habitantes inter æquinoctialem, & Cancrum, vel Capricornum, vel sub Cancro, vel Capricorno.

DVBIVM CXIV.

An habitantes inter cancrum, & arcticum habeant quadam singularia.

Videtur quod non. Nam inter contigua non potest esse multa dissimilitudo. Sed habitantes inter arcticum, & tropicum Cancri, sunt contigui habitantibus sub tropico Cancri; nam vbi hi desinunt, alij incipiunt. Ergo inter hos non potest esse multa differentia, vel dissimilitudo.

Respondetur tamen, quod habitantes inter Cancrum, & arcticum, vt sumus nos, habemus multa communia, & multa singularia. Primum est, quod dum Sol est in æquinoctijs, idest, in primo gradu Arietis, & Libræ habemus dies æquales noctibus, in alijs vero temporibus nequaquā magis & minus, prout accidit eis quibus ascendit Sol in sphera obliqua, vt supra.

Secundum est, quod duo Solstitia habent ut supradicti, sed in his habent diuturniores maximos dies, vel minimos, & ita noctes, quā supradicti, quoniam semper eis crescunt maximi dies, vel noctes proportionaliter, nam quanto magis Sol accedit ad polum, dies crescunt, & quanto ab eo magis recedit, noctes augentur.

Tertium est, quod Sol numquam per eorum Zenith transit, quoniam numquam extra tropicos progreditur, inter quos Zodiacus stat, nos autem inter tropicum Cancri, & polum moramur.

Quartum est, quod in meridie semper mittunt vmbram ad Septentrionem, sed in æquinoctijs in mane eam tenent occidentalem, & in sero orientalem. Dum Sol est in signis borealib. vmbræ sunt australes, & dum est in australibus boreales, seu septentrionales, quia vt diximus vmbra semper currit ad partem oppositam corpori luminoso.

Quintum, semper vident polum arcticum cum stellis quæ circa ipsum sunt, antarcticum cum suis stellis numquam.

Ad argumentum dicitur, quod inter contigua non est dissimilitudo, aliqualis tamen & sic euenit inter stantes sub tropico Cācri, vel Capricorni, & morantes inter tropicum Cancri, & arcticum, vel inter tropicum Capricorni, & inter antarcticum, eadem enim est proportio ex opposito.

DV-

DVBIVM CXV.

An sub Arctico detur habitatio.

VIdetur quod non. Nam sub arctico propter distantiã Solis niues, & glacies sũt perpetuæ, adeo vt quæ descenderunt non possint liquefieri, & de nouo aduenientes magis eas indurent, vnde deducendum venit, quod omnia sint niue, glacie, & frigore plena. Ergo non erit locus hominum habitationi idoneus.

Respondetur breuiter, quod de polo arctico bifariam loqui contingit. Primo, præcise, & sic præcise sub polo arctico, non videtur possibilis habitatio, ꝑpter ea quę adducta sunt in argumento. Secundo prope ipsum, & sic possibilis videtur habitatio, vt multæ nauigationes ostenderunt. Hi autem primo habent æquinoctialem. pro Horizonte perpetuo, & quia æquinoctialis diuidit zodiacum in duas partes æquales, relinquendo sex signa versus arcticum .s. Arietem, Taurum, Gemini, Cancrum, Leonem, & Virginem, & sex versus antarcticum .s. Libram, Scorpium, Sagittarium, Capricornum, Aquarium, & Pisces. Itaque cum istis æquinoctialis, & Horizon vnũ sint, & respectu æquinoctialis sex signa semper sint supra terrã, & sex sub terra, ideo dum Sol erit in istis sex signis, perpetuum vnum diem eis causabit, qui erit sex mensium .s. à primo gradu Arietis, vsque ad primum Libræ, quod erit à die 21. Martij vsque ad 24. Septembris, & ita patientur vnam perpetuam noctem in sex mensibus, dum Sol steterit in signis australibus. & ideo habebunt annum vnius diei, & vnius noctis. Secundo numquam hi videbunt noctem multum obscuram, propterea quod æquinoctialis est eorum Horizon, Sol autem non potest magis elõgari ab æquinoctiali .i. dũ fuerit in Cancro, vel Capricorno quam per 24. gradus, & ita Sol non descendet vltra 24. gradus ab æquinoctiali .i. in primo gradu Capricorni, nec eleuabitur eis vltra 24. gradus .i. dũ fuerit in primo gradu Cancri. Tertio numquam videbunt ortum, vel occasum stellarum, quæ sunt ab æquinoctiali ad arcticum, quia videbunt eas continuo circumuolui, & ita numquã videbunt ortum, vel occasum stellarum quæ sunt ab æquinoctiali ad antarcticum, quoniam illa pars perpetuo eos latet.

Ad argumentum patet per supradicta.

DVBIVM CXVI.

An ortus signorum, & stellarum possit quibusdam regulis regulari.

VIdetur quod non. Nã regula debet esse certa, proportionata, & inuariabilis, indiuisibilisque, quia regula est mensura, & mẽsura tales adipiscitur cõditiones, iuxta Arist. 10. diuinorum. Sed regulæ ortuum, & occasuum signorum, & stellarum non sunt certæ, quia de rebus superioribus solum habemus cognitionem topicam, & probabilem, secundum illud Arist. de animalibus. Iocundissimum est aliquid scire de superioribus, etiam si topice, quam certa scientia aliquid scire de inferioribus. Neque sunt nobis, & nostris motibus proportionatæ, cum nostri motus sint varij, & nostra cognitio consurgat ex variabilitate effectuum, & motuum rerum inferiorum, ad sciendos motus cęlorum. Neque sunt indiuisibiles, cum Astronomi dent multi ortus, & occasus astrorum. s. Cosmicum, Acheronyceum, & Heliacum, rectum, & obliquum. Ergo non dantur de supradictis certæ regulæ.

Ad maiorem enucleationem supradictorum, & dicendorum, latius nobis, sed summarie percurrenda sunt quæ faciunt ad motum, ortum, & occasum signorum, & stellarum. Diximus igitur supra ortum, & occasum astrorum duplicem esse .s. Astrologicum, & Poeticum. Poeticum triplicẽ esse, Cosmicum .i. cum Sole Oriente, & Occidente, Acronychum .i. post occasum Solis, i. dũ Sol occidit surgere supra Horizontem dr ortus Acronychus, & occasus post occasum Solis occidere .i. in principio noctis, nam improprie omnis stella per totam noctem occidens, dicitur occidere Acronyce. Heliacum .i. intrare sub radijs Solis, & ab ipsis offuscari hic dicitur occasus Heliacus, & ortus dum se liberat à radijs Solis, & incipit nobis apparere.

Astrologicus autem ortus, & occasus astrorum nihil aliud est, quam ascensus alicuius partis æquinoctialis cum aliquo signo, vel descensus cum aliqua parte æquinoctialis. Differunt ergo Poeta, & Astrologus

gus in cōſiderando ortu, & occaſu ſignorum, ſtellarum, aut partis eccliptieę, quod Poeta intuetur qualitatem temporis ortus, & occaſus. ſ. an fiat in Vere, Æſtate, Autumno, aut Hyeme, in tali menſe, die, vel hora, in mane, vel ſero, die vel nocte, Aſtrologi vero contemplantur quantitatem temporis eiuſdem ortus, vel occaſus .i. quanto tempore aſtrum ſuper Horizōtem aſcendat, aut deſcendat, quare non diuidunt ortum, & occaſum in Coſmicū, Acronychum, & Eliacum, proprium, & improprium, diurnum, & nocturnum, matutinum, & veſpertinum, vt faciunt Poetæ, ſed eum diuidunt in rectum, ſeu tardum ortum, vel occaſum, & obliquum .i. velocem, & hoc in recta, vel obliqua ſphera.

Sciendum eſt ergo ſecundo, quod motus æquinoctialis differt à motu Zodiaci, quod motus eius tam in ſphera recta, quam obliqua ſemper eſt vniformis, & regularis, adeo vt ſemper qualibet hora quindecim eius gradus aſcendāt ſuper Horizontem, & 15. deſcēdant ex 360. eius gradibus qui bus conſtat, adeo vt in ſpatio 24. horarum totus aſcenderit per 12. horas, & per alias 12. deſcenderit, ſeruata proportione. Ratio, eſt quia mouetur ſuper proprios polos motu primi mobilis, qui completur ſpatio 24. horarum, motus vero Zodiaci tam in ſphera recta, quam in obliqua non eſt vniformis, & regularis ſecundum omnes ſuas partes, quoniam aliquæ eius partes velocius aſcendunt ſuper Horizontē, & aliquæ tardius, & ita accidit in deſcenſu, nam zodiacus ſuper polis mundi mouetur à quibus non æqualiter diſtat, & ideo facit cum quodlibet Horizonte angulos vel magis obliquos, & conſequenter cauſat quod partes ſignorum aſcendentes tardius aſcendant, vel minus obliquos, faciendo quod citius aſcendant ſicut patet in ſphera materiali, & ex hac obliquitate maiori, vel minori dies euadunt longiores, quia dum Sol eſt in ſignis tardius aſceudētibus facit diem longiorem, quam dum eſt in illis qui citius aſcendūt, clarum eſt enim quod quodlibet die ſex ſigna aſcendunt, & ſex deſcendunt, zodiacus autem, & ipſe diuiditur ſicut & æquinoctialis in 360. gradus. Neceſſe erit ergo quod aliquod ſignum zodiaci aſcendat, vel deſcendat cum 30. gradibus æquinoctialis, vel plus, vel minus, aliter motus zodiaci, & æquinoctialis eſſent vniformes, quod falſum eſt. Itaque illa pars æquinoctialis, quę cum ſigno, ſtella, vel aliqua parte eccliptica aſcendit dicitur ortus aſtrorum, & illa pars æquinoctialis, quæ deſcendit cum ſigno, vel ſtella, & occideute, dicitur eorum occaſus.

Sed Tertio ſciendum venit, quod de ortu, & occaſu ſignorum bifariam loqui contingit. Primo de eorum ortu, & occaſu recto, & obliquo in ſphera recta. Secundo de eiſdem in ſphera obliqua. Si primo modo loquamur duo notanda ſunt. Primum, quod æquinoctialis, & zodiacus in quatuor quartas diuiduntur. ſ. in duobus æquinoctijs, Ariete, & Libra, & in duobus ſolſtitijs. ſ. Cancro, & Capricorno; quibus quatuor quartis zodiaci, quatuor quartę æquinoctialis correſpondent, quia ſunt quartæ duorum magnorum circulorum ſibi corriſpondentes, & ideo cum hę quartæ zodiaci, & æquinoctialis cum Horizonte coniungantur, neceſſe erit, quod dum vna quarta zodiaci aſcendit, aſcendat quoque quarta æquinoctialis ſibi cōterminalis, & dum occidit, occidat quoque par quarta æquinoctialis ſibi correſpondens.

Secundum eſt, quod aliud eſt loqui de ortu, & occaſu præciſo quartæ zodiaci, cum quarta æquinoctialis, & aliud eſt loqui de partibus harum quartarum, verbi gratia, quod gradus vnus zodiaci, ſemper correſpondeat vni gradui æquinoctialis, adeo vt ſimul ſemper aſcendant gradus, & gradus zodiaci, cum gradibus, & gradibus æquinoctialis. Secundum non dicimus, quia v. g. accipiendo primam quartam zodiaci, quæ eſt à primo gradu incluſiue Arietis, vſque ad primum gradū excluſiue Cancri inueniemus, quod ſemper maior pars zodiaci huius quartæ orta erit, vel occiderit, & non tot gradus vel pars æquinoctialis, & econuerſo incipiendo ab ortu, & occaſu ſecundæ quartæ zodiaci. ſ. à primo gradu Cancri incluſiue, vſque ad primum Libræ excluſiue reperiemus, quod maior pars æquinoctialis orta erit, vel ſub occaſu, quam pars zodiaci, nam non vniformiter, & eodem modo oriuntur, & occidunt, & ideo inter eas eſt iſta diſparitas. nam Aries, Virgo, Libra, & Piſces ſurgunt, & cadunt oblique, & ideo velocius, econtra Gemini, Cancer,

ſagit-

Sagittarius, & Capricornus recte ascendunt, & descendunt, & consequenter tardius. Alia vero quatuor signa .s. Taurus, Leo, Scorpio, & Aquarius oriuntur, & occidunt, secundum medietatem vniuscuiusque eorum proximam æquinoctiali oblique, & secundum aliam medietatem proximam solstitijs recte. Primum ergo asserimus .s. quod sumendo initium, & finem .i. ascensum, & descensum terminatiue, æqualiter ascendunt .i. in eodem tempore incipiunt ascendere, & in eodem tempore descendunt .i. terminant suum descensum, adeo vt simul terminēt suum descensum, sicut simul inceperunt ascensum.

Si vero loquamur de ortu, & occasu signorum, recto, & obliquo, in sphera obliqua tres regulæ assumendæ sunt. Prima est quod duæ medietates zodiaci ab æquinoctijs incipientes, in quocunque Horizonte simul oriuntur, & occidunt, cum medietate æquinoctialis sibi conterminantis, quoniam æquinoctialis se intersecat cum ecliptica in punctis æquinoctiorum, in duas partes æquales, vnde necessarium est finem, & principium supradictarum medietatum simul, & in eodem tempore quemcunque Horizontem tangant, tam in ortu, quam in occasu. At omnis alia zodiaci pars, & medietas à quocunque vbi incipiat, dummodo non incipiat ab æquinoctijs, in sphera obliqua, non ascendit, nec descendit æqualiter cum æquinoctiali, sed cum aliqua medietate zodiaci, surget, vel cadet plus quam medietas æquinoctialis, & cum aliqua minus, quia Horizon obliquus non se intersecat, vnquā in angulis rectis cum æquinoctiali, sicut faciebat in sphera recta, sed se intersecant in angulis obliquis, vt ad longum ostendunt Astronomi, & videtur in sphera.

Secunda regula vera in sphera obliqua, & recta est, quod dum oritur vnum signum, occidit signum aliud ei ex diametro oppositum, adeo vt dum primus gradus Leonis surgit, cadat tunc primus gradus Aquarij, quod est signū ei oppositum, & dū vltimus gradus Leonis occidit, necesse est vltimum gradum Aquarij oriri, quia Horizon, & Zodiacus se intersecant in duas partes æquales, cum sint maximi circuli sphæræ, & ita semper medietas Zodiaci erit supra Horizontem, & medietas sub ipso, i. sub terra. Sciendum est tamen, quod hic loquimur de duobus signis sibi oppositis, & quo ad totum, & quo ad gradus, quod dum vnum horum oritur, aliud sibi oppositum occidit, non autem volumus affirmare, quod eo modo, quo vnum signum surgit, eo etiam modo cadat, quoniam signum quod recte surgit, & consequenter tardius in sphera obliqua, oblique occidit, quia ortus cuiuslibet signi est æqualis occasui signi sibi oppositi, vnde si ortus eiusdem signi esset æqualis occasui eiusdem signi, signa opposita, æquales ortus haberent, quod pugnat contra inæqualitatem dierum, & eorum dispositionem in Zodiaco, qui obliquus est, & sex signa eleuat versus arcticum, & sex versus antarcticum.

Tertia regula in sphera obliqua vera, est, quod illa signa zodiaci, quæ æqualiter à duobus æquinoctiorum punctis distant æqualiter oriuntur, & occidunt, quia æqualiter declinant ab æquinoctiali, & ex consequenti tenent æqualem situm, & similem respectu Horizontis obliqui.

Quarta est, quod comparando ortum, & occasum, qui fiunt in omni sphera obliqua ortui signorum, & occasui omni, qui fiūt in sphera recta, respectu eorūdem, quod omnes arcus ab Ariete incipientes, & vsque ad finem Virginis tendentes in sphera obliqua citius oriuntur, & minores arcus conficiunt, quam in sphera recta. Ecōtrario vero signa quæ sunt à Libra, vsque ad fines Piscium inclusiue, maiores arcus conficiunt in sphera obliqua, quam in recta, vt patet in sphera, & his præcipuis regulis peritus astronomus de facili deducere poterit æqualitatem, & inæqualitatem dierum, & noctium, habita ratione ad diuersos Horizontes sub sphera recta, & obliqua.

Ad argumentum pro quanto tangit incertitudinem superiorum dicimus, quod corpora superiora bifariam considerari possunt. Primo physice .i. quo ad eorum naturam, virtutem, & influxum in singulari, & particulari, & sic solum probabilem cognitionem de eis habemus, quamuis enim Astrologia secundum se sit scientia, tamen imperfecte à nobis participatur. Secundo mathematice, quo ad motum, situm, & dispositionem in vniuerso, & sic sunt notissima, quia habent motum regularem,

larem, & dispositionem inuariabilem, & sic de his modo diximus.

Ad id, quod impugnat de varietate motuũ, dicimus, quod duplex est causa. Prima dicitur immediata, & particularis, & hæc est immediata, vniuoca, vna, & determinata, suo effectui similis in eadem specie, vnde sic Leo solum Leonem generat, & homo hominem. Secunda dicitur vniuersalis, & æquiuoca, seu analoga, & ista potest esse causa multorum effectuum, & diuersorum, & tales causæ sunt corpora cælestia, vnde sunt causæ multorum effectuum, & motuum, immo omnium.

Ad id quod obijciebatur contra indiuisibilitatem motuum cęli dicendum, quod vnus est motus regulatissimus, & maxime vniformis, qui est motus primi mobilis, regula, & mẽsura omnium aliorum motuum, & hic dicitur vnus, & indiuisibilis simpliciter. Alij vero motus regulati sunt, & vniformes in suo genere, quia quamuis sint multi numero respectu multorum mobilium.i. cælorum, tamen vniformitate sunt simplices, quia semper seruant eãdem mensuram motus.

DVBIVM CXVII.

An inæqualitas dierum & noctium dicatur ciuilis.

Videtur quod non. Nam ciuile est quoddam moribus præditum. At inæqualitas dierum, & noctium res quædam naturalis est, causata ex motu Solis. Ergo male dicitur ciuilis. Maior patet, quia ciuile venit à ciue, & ciuitate, quæ habent respectum ad mores, & vniones hominum.

Quamuis hoc dubium de nomine solum videatur litigare, tamen potiora petit. Altius ergo. Primo exordiendum est, & recolendum, quod duplicem diximus esse diem. Primum diximus naturalem, causatum à motu æquinoctialis, nam tempus quo semel totus æquinoctialis reuoluitur motu primi mobilis circa terram, cum tanta parte æquinoctialis, quanta correspondet arcui Zodiaci, quem Sol interim motu proprio, contra primum mobile perambulat, quod dicitur esse min 59. & quasi sec. 8. dicitur dies naturalis, & ex his constituitur annus, i. ex 365. diebus H. 5. mi. 55. sec. 26. tert. 10. & quart. 56. & hic dies constituitur ex die artificiali.i. diceret te Solem super terrã, & ex nocte in qua Sol est sub terra. Secundus dies dicitur artificialis, qui nil aliud est nisi tempus, per quod Sol est super terram, & dicitur artificialis, quia diuersus est in diuersis partibus terræ habitabilis, habitatio enim est quoddam artificiale ab arte procedẽs, & voluntatem hominum sequens. Sic etiam duplex hora reperitur. Prima nuncupatur æquinoctialis, quæ est 24. pars diei naturalis, constituta ex ascensione 15. gradus eiusdem æquinoctialis supra terram, omnis enim ascensio 15. graduũ æquinoctialis, horam æquinoctialem constituit. Vere tamen esset addendum aliquid 15. illis gradibus propter motum, quo Sol primo mobili nititur, i. min. 59. sec. 8. sed quoniam id parui momenti est, ideo omittitur. Secunda hora dicitur temporalis, quæ & dicitur naturalis, inęqualis & planetaria & est 12. pars diei artificialis, & noctis similiter. Hæ autem cõmuniter apud nos si sunt diei, à Solis ortu initium sumunt (quamuis vulgus ab aurora incipiat sumere horas diei, & à tenebris, post Solis occasum ab aliquo paruo tempore noctis horas computare incipiat,) vere tamen principium diei est ab ortu Solis, & noctis ab occasu. Hæ ante dicuntur horæ inæquales nõ secundum se, cum qualibet hora mensuretur ascensione 15. graduũ ęquinoctialis, sed in ordine ad horas præcedentis diei, quia Sol semper suo motu, diem vel elungat ascendendo ad Cancrum, vel abbreuiat descendendo ad Capricornum, exceptis duobus diebus æquinoctiorum Arietis, & Libræ, in quibus horas æquales constituit. Secundum autem has horas inæquales Prisci desumpserunt dominium planetarum, prout supra diximus, & ideo etiam planetarias nuncupauerunt.

Hora autem in 60. minuta diuiditur, adeo vt 60. minuta faciant vnam horam, & minutum distinguitur in 60. secunda, & 60. secunda, in 60. tertia, & sic in infinitum.

Si autem cupis dignoscere horas æquales, etiam tempore noctis, & videre qualibet hora signum ascendens &c. habeas Astrolabium, & vtere breuibus regulis D. Francisci de Ledoso Aluernensi.

Ad argumentum dicitur, quod forsitan ali-

qui vocauerunt diem ciuilem, diem naturalem, quia est vniformis, & regularis, nō sic dies artificialis, ciuitates autem regulis quibusdam voluntarijs quidem, sed inuariabilibus regulari debent. Vel quia Prisci numerabant diem per 24. horas, & nō per tot horas diei, vel noctis, sicut nos facimus. Secundò dicitur, quod aliqui dixerunt diem ciuilem dicendum esse artificialem.

DVBIVM CXVIII.

An dentur dies critici, & hi ab omnibus planetis fiant.

VIdetur quod non. Nam humor vitiosus numquam potest esse bonus, & si fit in corpore infirmo motus, & ex motu causet infirmitatem, si infirmus est infirmus, humor malus semper erit in motu. Ergo non dantur dies critici, i. mutationis infirmitatis, & hi ex motu Lunæ, & planetarum, sed omnes infirmitates, & earum mutationes aptius reducentur ad concitatos humores in corpore infirmo.

In contrarium, est Galenus 2. Aphorismorū com. 13. & lib. 1. Epidemiorum com. 3. & lib. 3. prognosticorum com. 1. & lib. 3. de decretorijs diebus. & Hippocrates, qui propterea dicit non esse fidendum Medico Astronomiæ ignaro, quia poterit dare pharmacum ob ignorantiam dierum criticorum tempore inconuenienti, & eo mortem accelerare.

Pro explicatione huius difficultatis primò sciendum est, quod Crisis idem est quod notabilis mutatio in morbo, vel ad salutem, vel ad mortem, & ideo dies critici illi sunt, in quibus fit magna morbi mutatio, vel in bonum, vel in malum. f. vel ad prognosticandam sanitatem, vel ad annunciandam mortem.

Secundo notandum, quod Crisis multipliciter diuiditur. Primo enim diuiditur in perfectam, & imperfectam. Perfecta est notabilis mutatio morbi, quæ si fit in bonū, dicitur laudabilis, si in malum, inlaudabilis. Imperfecta est leuis alteratio morbi, quæ & ipsa potest esse laudabilis si in bonum, & inlaudabilis si in malum.

Secundo diuiditur etiam multis alijs modis. Nam alia dicitur crisis salua, quia fit sine accidentibus malis, & plurimum alterantibus. Alia dicitur dubia, quia coniungitur cum malis accidentibus, & ponit periculum in morbo. Alia dicitur iudicata quando die quarta signa coctionis apparent. Alia dicitur non iudicata, quando dies septima sine iudicio est.

Dies ergo infirmitatis in tres classes diuidūtur. Nam quidam dicūtur critici, quidam iudicatiui, & quidam intersidentes, i. positi inter iudicatiuos, qui ferunt de infirmitate iudicium, & criticos, qui vt diximus notabilem mutationem morbi dicūt. Dies critici communiter dicuntur 4. 7. 11. 14. 21. 27. vel 28. infirmitatis. Non critici 6. 8. 10. 12. 16. 19. 22. 25. infirmitatis.

Sed Tertio notandum est duas oriri difficultates. Prima à quo sit desumenda præcipua crisis, iudicium &c. an à Luna, vel ab alijs planetis. Secunda est à quo die incipiendum sit iudicium de infirmitate.

Et quidē primæ difficultati dr̄, quod ab oīb. planetis vere esset desumendū iudicium, quia ex eorum directionibus, aspectibus, reuolutionibus, & posituris causantur infirmitates, vnde aliæ sunt à Saturno, aliæ à Marte, &c. vt supra suo loco diximus. Attamen, quia hoc difficile foret, si singulorum infirmorum cōsideranda essent natiuitates, directiones, &c. ideo Luna in his diebus constituendis præcipue contemplamur. Primo quia experientia hoc docuit ipsam maxime operari in infirmo, & maxime infirmitatem alterare. Secundo, quia cū sit planeta terræ propinquior, sicut in aere, & mixtis magnas mutationes causat in suis quartis, ita dicimus idē operari in corpore humano, quod mixtū est ex elementis. Tertio, quia cum sit domina humiditatis, & humoris mobilis, qui de facili ab ea alteratur, pronunciamus propterea ab ea prouenire maxime alterationem dierum in infirmitate. Iudicium tamen aliorum planetarum non est spernendum, quia vere ab illis possunt causari infirmitates, & vere causantur, vnde perfectus Medicus deberet esse Astrologus, & considerare vniuscuiusque infirmi ortum. Sed quia (vt dixi) hoc esset nimis arduum, & difficile, ideo saltem inspiciet ista. Primum locus Lunę in primo die infirmitatis, quia ab eo debet sumere initiū computationis dierum infirmitatis, ab eo die desumendo quartas Lunæ, ita vt primus dies sit veluti nouilunium. Secunda

Y pars

nam qui incidunt in quadrato, vel oppositione ad radios Horoscopi, aut medij cæli sunt infelices. Vt quartus annus, & septimus infantiæ. Secundo anni inciden tes in domos infelices, fiunt infelices, vt in sextam domum, quæ est domus infirmi tatum, in duodecimam, quæ est domus inimicorum, carcerum, & animalium, vt est annus 18.27.36.45.54.63.72.81.

Tertio anni in quibus Horoscopus, seu gradus ascendens profectione sua peruenit ad sextam sunt periculosi, vt 18.42.& 54.

Quarto quando cuspis medij cæli ad sextam accedit, vt in anno 9. 45. & 81. natus subijcietur infortunijs, vel infirmitatibus.

Quinto quando gradus Horoscopi progreditur ad 12. domum, vt in anno 36. 72. & 84. tunc periculum est de carcere, vel priuatione libertatis, vel persecutione à viris potentibus, vel graui malo ex parte animalium.

Sexto, quando medium cæli deuenit ad 12. domum, vt in anno 27. & 63. timendum est de deiectione à dignitate, & honore.

Septimo, quando Horoscopus octauam domum intrat, quæ dicitur domus mortis, timendum est de morte.

Octauo ex Censorino dist. 14. de die natali, omnis annus septimus dicitur infortunatus, & mutabilis, vt sunt 7.14.21.28. 35. 42.49.56.63.70. 77. &c. & ratio est, quia annus septimus datur planetæ malefico, qui inequalitatem facit, & importat. Car danus autem genitura 34. & 39. tradit, quorum sint septennia dicendo, quod pri mum est Lunę, secundum Mercurij, tertium Veneris, quartum Solis, quintum Martis, sextum Iouis, septimum Saturni, octauum iterum Lunæ, & sic iterum vt supra procedendo.

In primo septennio pensatur ambulatio, & locutio, in secundo capacitas rationis, in tertio, flos pulchritudinis, potentia amoris, & gaudium, in quarto robur, & honor, in quinto labor, & audacia, in sexto consilium, sapientia, & rerum cura, in septimo auaritia, & nimis timor, & in octauo plures infirmitates artheticæ.

Alfridiariam filiorum assignant à 28. anno vsque ad 42. quia Mars, & Iupiter illis do minantur, diuitiarum à 35. vsque ad 49. sub Ioue, & Saturno. Voluptatis à 14. vsque ad 21. sub Venere. Ingenij à 7. vsque ad 14. & à 21. vsque ad 28. sub Mercurio, & Sole. Honoris à 21. vsque ad 28. sub Sole. Laborum à 21. vsque ad 35. sub Sole, & Marte. Consilij, & astutiæ à 22. ad 49. sub Saturno. Alias alfridiarias post annũ 49. afferunt esse plenas nimio timore, vel nimia audacia. Vt autem omnium alfridia rum, seu omnium annorum cuiuscunque facillima habeatur cognitio ponetur in fine horum tabula, notando quod in prima linea ponũtur planetę, qui dicuntur principales alfridiariæ, & in duabus lineis lateralibus erunt conparticipes in singulis annis septennij, cum hoc tamen vt linea dextera nocturnis natiuitatibus, & sinistra diurnis inseruiat. in medijs vero lineis sunt anni vitæ, à primo vsque ad 84. Tabula ista erit in fine dubij.

Nono. Annus 49. qui constat ex septennario in se ducto, & 63. qui resultat ex septennario in nouenarium, & vigesimus primus, qui ex ternario in septennarium deducitur omnium sunt periculosissimi.

Decimo. Quando malefici planetæ sunt in octaua domo tunc infrascripti anni erunt nato lætales, annus 8.20. 32.44. 56.68. & 80. quia in illorum aliquo, Horoscopus semper octauam ingreditur.

Vndecimo. Hi anni solent mutationem vitæ afferre, quia horoscopus ad septimam domum sibi oppositam transit. Hi anni sunt. 7.19.31.43.55. 67.& 79.

Duodecimo. Periculo vacant anni climaterici, si infortunium in illos incidens, amicitiam habet, cum Sole, Luna, vel cum ascendente.

TABVLA ALFRIDIARVM VT SVPRA.

	Luna	Merc.	Ven.	Sol	Mars	Iup.	Sat.	☾	☿	♀	☉	♂	♃	Iupit.
Sol ☉	1	8	15	22	29	36	43	50	57	64	71	78	☾	Luna.
Ven. ♀	2	9	16	23	30	37	44	51	58	65	72	79	☿	Merc.
Mer. ☿	3	10	17	24	31	38	45	52	59	66	73	80	♀	Ven.
Lun. ☾	4	11	18	25	32	39	46	53	60	67	74	81	☉	Sol.
Satur. ♄	5	12	19	26	33	40	47	54	61	68	75	82	♂	Mars.
Iup. ♃	6	13	20	27	34	41	48	55	62	69	76	83	♃	Iupit.
Mars ♂	7	14	21	28	35	42	49	56	63	70	77	84	♄	Satur.

Ad argumentum dicitur, quod numerus dierum, mensium, & annorum, vt supra non est numerus numerans, qui dicitur formalis numerus nullam dicens actiuitatem, sed est numerus planetarum, seu numerus numeratus corporum celestium influentium tali die, mense, & anno, vnde dicuntur dies actiui.

DVBIVM CXX.

An duplex sit annus, Solaris, & Lunaris.

Videtur quod non. Nam Annus non est nisi mensura quædam certa, qua mensuratur motus Solis, à primo puncto Arietis, ad idem primum punctum Arietis. Sed talem motum non conficit Luna eisdem diebus, quo Sol. Ergo vnus solus annus est assignandus. s. Solaris, & alius relinquendus. s. Lunaris.

Quoniã multa de anno diximus supra, ideo pauca de eo hic dicemus. Primo ergo obseruo, quod de anno dupliciter loqui contingit. Primo communiter. Secundo proprie. Si primo modo de eo loquamur multipliciter sumitur. Primo pro reuolutione stellarum fixarum ad idem punctum in quo fuerunt creatæ, quod secundum Arist. lib. de proprietatibus elementorum fiet spatio 36. millium annorum, & secundum Platonem curriculo 15. millium, vt tradit Macrobius in lib. Ciceronis, & hic annus dicitur mundanus, seu magnus. Secundo capitur pro reuolutione planetarum ad idem punctum, suo proprio motu expleto, quam reuolutionem dicemus annum planetarium, quia est planetarũ, & sic annus Saturni est 30. annorum, Iouis 12. Martis duorum, Solis, Veneris, & Mercurij 365. dierum, circum circa, vt supra notatum fuit. Lunæ vero est 27. dierum, & hor. 6. circum circa. Tertio accipitur pro anno legali, qui secundum Hebreos à Lunæ cursu desumitur, qui propterea dicitur legalis, quia lex vetus facta sua præcipiebat ad cursum Lunæ, vt dicit Beda, & habetur Exod. 12. dum dicitur. Mensis iste erit vobis principium mensium anni, & post 14. diem Lunæ Martij. Pascha Domini celebratur iuxta illud. Quarta decima die Pascha Domini est, & in 15. solennitatem celebrabitis altissimo Domino. Quarto sumitur pro anno qui dicitur emergens, quia propter notabilem aliquem casum annum a tempore quo ille casus incepit, vel actio, cõputationem dierum, & mensium desumimus, & ita Græci à prima Olimpiade annos enumerabãt, & nos à natiuitate Christi, vnde sæpe contingit, quod medium anni legalis, est principium emergentis, & econuerso, & per hoc conciliantur multa dicta scripturæ. Secundo modo principaliter sumitur annus proprie, & sic solũ verificatur de circulatione Solis, quæ facit annum Solarem, & Lunæ, quæ constituit annum Lunarem, & de his solum modo loquemur.

Secundo ergo notandum venit, quod annus dicitur ab an, quod est circum, quia quasi circulus in se redit, & renouatur. Quare apud Aegyptios ante literas inuentas per pictum draconem, caudam suam incidentem, & in se reuertentem significabatur, & hinc est, quod Isidorus dixit annum esse reuolutionem Solis, & anfractum, quia peractis 365. diebus, cum sex horis fere, redit ad locum suum primum

à quo

à quo discessit. Hic annus habet quatuor tempora, seu quartas, s. Verem, Aestatem, Autumnum, & Hyemem, quę duobus solstitijs, & æquinoctijs fiunt, nam æquinoctium primum est mense Martio, dum Sol ingreditur primum gradum Arietis. Secundum mense Septembri, dum intrat primum gradum Libræ. Primum Solstitiū, quod dicitur æstiuale, quia facit Aestatē est in primo gradu Cancri, & fit mense Iunio. Secundum quod dicitur Hyemale, quia facit Hyemem, est in primo gradu Capricorni, & fit mense Decembri. Iuxta ista quatuor præcipua anni tempora ad implorandam diuinam bonitatem, & clementiam, vt nos ab omni malo custodiat, in his quatuor præcipuis anni temporibus. S.R.E. inducit quatuor ieiunia triduana. Primum pro Vere fit in prima hebdomada Quadragesimæ. Secundum pro Aestate in septimana Pentecostes. i. post festum eius. Tertium pro Autumno post Crucis festum. i. sequenti septimana. Et quartum pro Hyeme, hebdomada integra ante natiuitatem Domini. Duplex autem est annus Solaris. Primus dicitur regularis, & hic est 365. dierum. Secundus dicitur bisextilis, & hic est 366. dierum, & fit in omni quarto anno. Ratio autem est, vt suo loco diximus, quia quilibet annus est 365. dierum, & hor. fere 6. sex autem quatuor. i. in quarto anno faciunt horas 24. & 24. horæ vnum diem naturalem, & hinc est quod mense Februario omni quarto anno damus vnum diem vltra cōsuetum, & sicut solet esse 28. dierum, eū facimus 29.

Tertio notandum est circa annum Lunarē, quod hic continet 12. Lunationes, quę fiunt in 354. diebus, nam sexies 30. & totidem 29. dies tantam summā perficiunt. Sed notandum venit, aliud esse loqui de circulatione Lunę ab vno puncto ad idem punctum. V.g. à primo gradu Arietis, ad eundem primum gradum Arietis toto zodiaco peragrato, & aliud est loqui de nouilunio. i. de die quo iterum Soli coniungitur. Si primo modo loquamur, dicimus Lunam 27. diebus cum sex horis secundum quosdam totum percurrere cælum, & ad idem punctum redire. Si vero secundo modo, affirmamus Lunam consumare duos dies cum sex horis antequam Solem inueniat, quia Sol ab eo tempore, quo eam in præcedenti mense coniunctam habuit, tantum suo proprio motu iter fecit, quantum potest Luna per duos dies, & horas sex iter facere. Quia tamen Lunationes istæ 12. ex 54. tantum diebus constant, quia numquam attingit 30. dies antequam de nouo Solem inueniat, ideo annus Solaris, excedit annum Lunarem 11. diebus, & hic 11. numerus, est numerus Epactæ, nam Epacta nihil aliud est, nisi numerus dierum quibus annus Solaris communis diebus 365. excedit annum Lunarem, qui est dierum 354. ita vt Epacta primi anni sit vndecim. Et ista Epacta inuenitur semper dies Lunæ. Nam scita Epacta anni, cui semper addetur in alio anno 11. & si contingeret habere 19. in sequenti anno addentur 11. vt cum peruentum fuerit ad 30. numerum, incipiatur numerus Epactæ in 11. numero sicut primo. Si autem non deuenerit numerus ad 30. præcise, sed excesserit, tollatur numerus excedens demendo 30. & ita ille erit numerus Epactæ illo annō.

Scito igitur numero Epactæ, ei addatur numerus dierum mensis, & his, numerus calendarum, idest, mensium, incipiendo à Martio, & sic habebitur dies Lunæ. v. g. Volo scire quot nā dies Lunæ habeamus hodie, quæ est dies 29. Martij 1618. Primo ergo quæro locum, & numerum Epactæ anni præteriti, qui fuit 23. hoc igitur anno incipiendo à Martio debeo addere 23. numerum 11. & ita totus numerus erit 34. tunc ab hoc numero demo 30. quoniam non excedit 30. tunc habeo quatuor Epactæ. Ergo hoc die 29. mensis Martij anni 1618. habeo 4. Epactæ. Huic numero addo dies 29. mensis, & ex his resultat numerus 33. Huic addo numerum Calendarum mensium. i. vnum, quoniam suppono annum secundum Astronomos incipere à Martio, & sic ex omnibus supradictis resultat numerus 34. idest 4. Epactæ 29. mensis & 1. Calendarum, & ab hoc numero autem deducendum semper venit 30. & sic concludo Lunam habere dies 4.

Ex eodemmet motu Lunæ habetur ciclus decem nouenalis sic dictus, quia est reuolutio numeri 19. ab vno, vsque ad 19. qua reuolutione completa, iterum ad vnitatem, i. ad vnum reditur. Vt v. g. hoc anno 1618. aureus numerus, qui idē est, quod

quod ciclus decem nouennalis est 4. igitur sequenti anno erit, 5. & sic quodlibet anno addetur vnum, vsque ad 19. ad quē numerum, cum fuerit peruentum, redibimus iterum ad 1. & sic iterum successiue vsque ad 19.

Annus autem Indictionis, non significat nisi reuolutionem 15. annorum ad. 1. & ab vno vsque ad 15. & cum ad 15. peruentum fuerit, redeundum erit ad 1.

Ita annus Lunaris quandoque dicitur embolismalis, & embolismus, non est nisi excrementum anni Solaris ad Lunarem, vnde ille annus dicitur embolismalis in quo cadit, & recolligitur vna Lunatio 30. dierum, recollecta ex illis 11. diebus, in quibus superat annus Solaris, annum Lunarem, & ideo tertius annus est embolismalis, quia in illo recolligitur lunatio 30. dierum, tribus diebus insuper remanentibus, quia ter 11. sunt 33. remanentibus tamen alijs tribus diebus. Propterea annus 8. erit etiam embolismalis additis illis sex diebus ad alios 22. dies, qui ex supercrescentia 7. & 8. anni recolliguntur. Sed ad hoc vt Lunatio 8. anni quæ est embolismalis sit 30. dierum, oportet mutuare duos dies ex embolismali subsequenti, & ita erit procedendum vsque ad 19. annum, quando circulus embolismalis adimpletur, continens annos 12. communes, & septem embolismales. Embolismales enim sunt, 3.6.8.11.14.17.& 19.

Ad argumentum patet, quod procedit de anno Solari tantum, nos autem vlterius etiam damus annum Lunarem, qui fuit apud multas gentes in vsu, & ideo non contemnendus.

DVBIVM CXXI.

An quatuor præcipua tempora anni dentur.

Videtur quod non. Nam solemus dicere, quod Ver est temperatum, nec frigidū, nec calidum, & ita Autumnus, Aestas vero calida, & sicca, & Hyems frigidus, & humidus. At hoc falsū esse cernitur, quia fere totus mensis Iunij saltem vsque ad 24. diem est Veris, & tamen magis tunc feruet Sol quam in principio mensis Septembris, quod est Aestatis, & magis rigent omnia in initio Decembris, quod dicitur Autumni, quam in initio Martij, quod est Hyemis. Immo quando nos habemus Hyemem, antepedes nostri habent Aestatem &c. Ergo male possumus hæc quatuor præcipua anni tempora designare.

Respondetur tamen vere, & realiter nos cernere, & experiri ista quatuor præcipua tempora anni.

Prima igitur quarta anni dicitur Veris, quæ secundum Astrologos est principium anni, & causatur dum Sol primum punctū Arietis ingreditur, & per rectam lineam versus Septentrionem ascendit. Hæc quarta anni tam diu durat, quam diu Sol permeat per Arietem, Taurum, & Gemini, vsque ad initium Cancri, quod est à die Martij 21. vsque ad 24. Iunij circūcirca.

Ver autem multa habet. Primum, quod est temperatum, nec multum calidum, nec frigidum, vnde est tempus sanissimum, minime mortiferum, nec infirmatiuum. Nā vt tradit Galenus natura his duabus qualitatibus delectatur, s. caliditate, & humiditate temperate. Nam caliditas est causa effectiua nutrimenti, & augmenti, humiditas vero est causa materialis eorundem, & ideo in Vere maxime generatur sanguis, qui magis est necessarius nutrimento corporis.

Secundum est, quod secundum temperiem suam, & conditionem multum operatur ad ægritudinem, vel sanitatem. Nam in Aphoris. dicitur. Quod si Hyems fuit sicca, & borealis, & Ver fuerit pluuiosum, in Æstate erunt febres acutæ, & dissenteriæ, maxime in humidis natura. Etenim cum in hyeme humores sicci per frigiditatem retineantur, acuuntur, & per nimiā Veris humiditatem destemperantur, & sic multæ superfluitates generantur, quæ tandem per calorem resoluuntur. Quod si calor in Æstate non sit potens eas consummare, putrefacit, & sic febres acutas generat, & multas alias passiones inducit. Si vero Hyems fuerit calida, & humida, & Ver extiterit frigidum, & siccum, necesse erit homines in Aestate ægrotare, & mulieres parituras leui de causa abortire, cuius rationem reddit Galenus dicendo, quod quando corpora prægnantium in hyeme sunt calida, & humida, sunt etiam, ex consequenti, tenera, & rara. vnde frigiditas aeris vernalis subito penetrantis

ad

ad interiora fætum lędit, cum per frigiditatem, & siccitatem, mortificetur fætus quoniam hæ sunt qualitates mortificatiuæ. Fętus autem aggrauat, cum est mortificatus, & sic retinacula abrumpit, & tunc mulier necessario abortit.

Tertium est, quod Ver terram diu per frigus clausam aperit, & radices, & herbas in terra mortificatas producit, ac dilatat, & floribus, & herbis terram renouat, Aues ad garritum, & amorem inducit, & sollicitat, & miro decore totam terræ superficiem induit, & venustat, tunc enim terra ridet, syluæ frondent, prata florent, cælum splendet, mare quiescit, volucres nidificant, & vociferant, & omnia, quæ in hyeme videbantur mortua, & marcida vernali tempore, i. veris renouantur.

Quartum est, quod vires viuentibus accrescit, & auget, vnde Ver dicitur à virore, vel vigore, tunc enim arbores, & herbæ virescere incipiunt, & frondere, & animalia calefieri, & ad coitũ magis excitari.

Quintum est, quod tempus Veris, est tẽpus agriculturæ, & laboris, lætitię, & amoris, quare secundũ Marciani, seu Macrobiũ serenitas, & amenitas aeris vernalis, dicitur risus Iouis, & Veneris. Habet solum nocumenti, & perniciei in aquis, quæ tunc temporis minus sanæ sunt ad bibendum, quia à vaporibus tunc resolutis ingrossantur, & à ranis, alijsque vermibus tunc tẽporis semen projicientibus inficiuntur, & ideo si necesse fuerit eas bibere consulit Constantinus, vt primo decoquantur, & sic per ebullitionem, subtilientur, & purificentur.

Sextum est, quod possumus dicere ipsum tres menses comprehendere, & quamuis non comprehendat totum Martium, sicut nec totum Iunium, vt dictum est supra, quia tamen media participant de extremis, ideo libenter ei dabimus Martium, Aprilem, & Maium, saltem in hac descriptione. Martius ergo fit primus mensis, qui sic dicitur, vel vt aliqui tradunt à Marte, cum sit tempus, quo solent Principes, ad bella procedere, vel à Marte Romanorum auctore, vel à mare, cum tunc animantia ad marem, & coitum, soleant procedere. Ab Hebreis autẽ dicitur mensis Nissan, & habet 31. dies, & in 21. die tenet æqualitatem dierum cum noctibus. Hoc mense terrę pori aperiuntur, & humores incipiunt ascendere, in herbis, arboribus, ac animalibus, vnde Martius depingitur tamquam vinitor, vel hortolanus, quia tunc est tempus amputandi superflua a vitibus, ac alijs arboribus. Tempus autem in mense Martio, est valde mutabile, & instabile, & ideo facillime tunc corpora animantium alterantur. Reddit aquas non multum sanas ad bibendum, cũ tunc seminibus Piscium, Ranarum, & Vermium inficiantur, præcipue dum Sol medium signi Piscium peragrat.

Secundus mensis est Aprilis, sic dictus quasi aperilis, quia omnia tunc aperiuntur, & tunc germina, flores, & folia, de terra, & arboribus egrediuntur, vnde depingitur, vt gestans flores, quia tunc terra decoratus folijs arborum, ac floribus. Vel dicitur quasi Aphrilis à semine, quia tunc apertis poris terræ sunt apta seminationi, ac agriculturæ. Ab Hebreis dicitur Var, & habet 30. dies. Circa finem dies habet horas 14. nox 10. circiter.

Tertius mensis dicitur Madius, seu Maius à Maia Matre Mercurij, vel secundum alios à maioribus natu, qui in Republica sunt maiores, vel secundum alios a madefactione pluuiarum, quia tunc temporis oriuntur Pleiades, & Hyades, & aliæ stellæ pluuiales, quarum virtute pluuiæ mittuntur, & rores ad seminum iactorum madefactionem, & irrigationem elabuntur. Tunc enim maxime aues vociferant, & gaudẽt, prata rident, & florent, syluæ virent, & omnia fere animantia, ad gaudium, & amorem excitantur, & propter aeris temperiem, & temporis iocunditatem in hominibus lætitiæ geminantur, vnde depingitur iuuenis, & æquitans, & volucrem super manum gestans. Apud Hebreos dicitur Siban, habet dies 30. dies 15. horas & noctem 9. circiter.

De Aestate.

Secunda quarta anni dicitur æstas, quæ est calida, & sicca, quia Sol tunc terram validis radijs, percutit, & adurit. Incipit autẽ Aestas á primo gradu Cancri, & procedit ad primum vsque gradum Libræ, quod fit spatio trium mensium, percurrendo totum Cancrum, Leonem, & Virginem. Habet autem Aestas multa.

Primum est, quod sua natura est calida, & sicca, & cholerae generatiua, quia fortissimam imprimit in inferiora irradiationem,

nem, & transit per canem maiorem, & minorem, ac alias stellas Martiales, quæ calorem causant: vnde Sol superflua illa consumit, quæ Hyems generauit, dies longiores efficit, flores, & fructus ad maturitatem perducit, quia vi caliditatis suæ intensæ, humores in fructibus tunc digerit, & digestos eis incorporat, ac coniungit, quod vero superfluum est desiccat, penitus, & consumit. Apes mellificantes suis floribus reficit, & satiat, nocturnis temporibus rorem generat, & herbarum superficiem ne diurno æstu arescant, rigat, & humectat.

Secundum est, quod si Aestas suam temperiem exierit, infirmitates calidas, & siccas, generare, & inducere consueuit. Item calore suo humidas partes consumẽdo destruit, & siccitate sua partes terrestres comprimit, & coniungit, & sic terram aperit, ac scindit. Consumptis enim partibus aqueis, quæ fuerant causa coadunationis partium, & constrictionis, necesse est vt pars à parte diuidatur, & sic scissura in partibus terreis efficiatur, & propterea etiam terram rimosam, & cauernosam reddit. Item loca paludosa aquositatem consumendo desiccat, exasperat, & indurat, & porosas partes animalium caloris sui subtilitate subintrat, & humorem subcutaneum dissoluendo sudorem prouocat, & sic quod est superfluum destruit, & annichilat. Per pororum etiam aperitionem fit spirituum exhalatio, & substantialis humiditatis euaporatio, & ideo vires debilitat, & eneruat. Ex caliditate, & siccitate choleram excitat, & inflammat, & ideo febrilem calorem generat, & augmentat.

Tertium est, quod tempore æstiuo aues canore maxime vociferant, & modulantur, & volucres Syluestres ad pullificandum maxime animantur. Cælum maxime tonat, & tempestates, vt suo loco dicemus inducit.

Primum mensem Aestatis (quamuis maior pars sit Veris) dicemus esse Iunium, Hic autem mensis, ait Isidorus dictus est Iunius, à iuuentute Romana, quia populus Romanus in centurias iuniorum, & seniorum fuit diuisus. Ab Hebreis, autem dicitur Tamurz, & in hoc mense tenemus longissimum diem, qui est, dum Sol ingreditur Cancrum, & constituit Solstitium æstiuale, tunc autem calore Solis humorem in radicibus desiccante omnia ad maturitatem tendunt, & ideo depingitur secans fæna, quia fæna in pratis tunc sunt matura.

Secundus mensis dicitur Iulius, à Iulio Cæsare sic dictus, quia in illo mense est natus, vel vt alij dicunt, quia hoc mense ad imperium fuit sublimatus. Hebrei illum dicũt Ab. Est mensis feruentissimus, quia hoc mense Sol Leonem propriam domum intrat, & inter canes procedit, quare tunc augetur calor, & in caliditate fit excessus, & hinc omnes etiam calidæ passiones intenduntur, & tempus multum medicinæ disconueniens redditur. Ex nimio calore ad interiora, radicitus subintrante segetes maturescunt, vnde Iulius depingitur cum falce segetem resecante, quia hoc est tempus congruum messioni.

Tertius mensis dicitur Augustus, ab Augusto Cæsare nuncupatus, qui apud Hebreos dicitur Elul. In hoc mense fruges in horrea recolliguntur, & ideo depingitur cũ flagello triturante, terram à frugibus denudat, & expoliat. Nam in hoc mense Sol Virginem intrat, sicut autem Virgo est sterilis & infecunda, sic terra eo tempore fit quasi sterilis, & suis fructibus orbata.

De Autumno.

Autumnus ab augendo est dictus, quia eo tempore potissimum fruges, vina, & fructus in horreis, & cellis vinarijs abundant, & augentur. Est enim hoc tempus thesaurus colligens omnes fructus, in alijs temporibus seminatos, vnde Isidorus dicit, quod nutrici Iunonis comparatur ratione fertilitatis. Homines enim sollicitos, & negotiosos circa fructuum collectionem reddit, agros à frugibus, & arbores à fructibus orbatas reddit, sua siccitate, & frigiditate frondes, & folia mortificat, & deijcit, terram sterilem efficit, & vim germinatiuam amputat, & præscindit.

Primo ergo habet, quod est sua natura frigidus, & siccus, & est Veri contrarius, & ideo est humoris melancholici, frigidi .f. & sicci generatiuus, & multarum infirmitatum, & pessimarum causatiuus, vnde Hippocrates in Aphorism. dixit. In Autumno acutæ accidunt infirmitates, & mortiferæ. Et Galenus eo loci. Autumnus

nus pestilentior est ceteris temporibus, & in multis illaudabilis. Primo propter mutabilitatem temporis, nunc enim est calor, nunc frigus. Secundo, quia cum sit post Aestatem inuenit multos humores incensos ex calore præcedente, quos repercutit frigus Autumnale ad interiora, & non permittit eos exire, qui tandem putrefiunt, & inducunt pessimas passiones, vt quartanas, & febres vix curabiles, & hoc, quia Autumnus frigidus est, & siccus, & inordinatus. Hinc etiam hoc tempore fiunt corpora debiliora, propter nimiam siccitatem à qua consumitur substantialis humiditas, & propter inæqualitatem aeris, pori tunc subito aperiuntur, nunc subito clauduntur, vnde fit calidarum fumositatum retêtio, quas cum virtus non potest expellere, multitudine, & acumine materiæ, passiones mortiferæ subsequuntur.

Secundo Phtisicis Autumnus solet multum esse nociuus, quia sua frigiditate, & siccitate pulmonem desiccat, & rumpit ad modum pampini, & ideo phtisicos valde ledit, ita & morbo gallico (vt dicitur) labotantes, quia virtus deficit, & virus male succrescit.

Tertio damus ei pro nunc tres menses Septembrem, Octobrem, & Nouembrium.

September sic dicitur, quia est septimus mẽsis à Martio, seu dicamus ab imbre temporaneo, quia in mense Martio solent imbres inundare, & ab Hebreis dicitur Tiseri. In hoc mense est secundum æquinoctiũ, quod dicitur Hyemale, seu Autumnale, sicut primum dictum est Vernale, idest, Veris, & fit dum Sol intrat primum gradum Libræ. Est finis Aestatis, & principium Autumni, in quo est vendemia, & ideo depingitur tamquam vindemiator, racemos colligens in corballo. Est mensis mutabilis, & instabilis, cuius calor in principio est intensus, sed in fine remittitur, & tepescit, sapiens frigiditatẽ autumnalẽ. Fuit semper in magna veneratione apud Hebreos. Nã Hebrei primo solennizauerunt diem sabbathi, qui est septimus hebdomadæ, quoniam eo die requieuit Deus ab omni opere, quod patrarat Gen. 1. adeo vt die Sabbathi nullum opus seruile erat licitũ, nec dominis, nec seruis, nec iumentis, nec peregrinis. Nec in domibus Hebreorum die septimo ignis accendebatur, & cibus necessarius pro die Sabbathi die ad ipsum præcedenti præparabatur. Cultioribus tamen indumentis populus in sabbathis ornabatur, Lautioribus cibis, & epulis communiter vtebatur. Templum orationis gratia plusquam in alijs diebus frequentabatur, altaria maioribus sacrificijs, & pinguioribus oblationibus semper cumulabatur. Lex à sacerdotibus in sinagogis hoc die exponebatur, cantus cum psalmodia solennius agebatur, omnis discursus, & euagatio populo prohibebatur, & iter sabbathi tantum mille passuum permittebatur. Arma sumere nisi pro defensione legis inhibebatur, & violator eius omnino interfici iubebatur.

Secundo Hebrei in septimo mense festum Scenopegiæ celebrabant, & erat festiuitas tabernaculorum, & celebrabatur in memoriam expeditionis, quando recedentes de Aegypto, in tabernaculis morabantur, vt tradit Isidorus. Scenopegia enim Grece, Latine idem est, quod tabernaculum. Hæc igitur solennitas in Septembri semper celebrabatur, quia collectis frugibus, de omnibus decimas domino obtulerunt, ac lætitiæ, & gaudio tunc specialiter vacauerunt, frondibus, & ramis domos suas ornauerunt, fructus arboris pulcherrimæ .i. poma cedri in manibus portauerunt. Nota etiam, quod decimo die triplex festum celebrabant; s. expiationis, quia decimo die vt dixi mense Septembris Summus Pontifex intrabat cum sanguine vitulæ rufæ, & expiabat sancta sanctorum, & ideo dicebatur dies expiationis. Secundo dicebatur dies afflictionis, quia eodem die populus ieiunabat pro reatu vituli, quem adorauerunt in deserto. Tertius vocabatur dies propitiationis, quia tali die dominum audierunt sibi fuisse placatum super transgressione vituli idolatræ in deserto.

Erat etiam apud Hebreos septimus annus celebris, de quo multa legi possunt in sacris literis.

Secundus mensis Autumni dicitur October, quasi sit octauus mensis ab imbre. Ab Hebreis dicitur Marchainan, est mensis naturaliter siccus, & frigidus, vnde terram desiccat, & eam ad susceptionem seminis disponit, & habilitat, vnde tunc temporis semina hyemalia glebæ commendantur & ideo depingitur in similitudinem ho-

minis seminantis, solum cauendum est, qd in initio solet esse calidus, & in fine frigidus, quare tamquam Scorpius in fine graui frigore pungit, & ferit.

Tertius mensis nominatur Nouember, quasi ab imbre nonus, ab Hebreis dicitur Cishleus. Sua frigiditate ad interiora penetrat, & grauiter corpora lædit, sua siccitate, & frigiditate arborum folia constringit, desiccat, & deijcit, poros in animalibus claudit, & recollectis humoribus intrinsecus eos congelat, coagulat, & compingit. Et ideo tunc temporis animalia, & maxime Porci multum impinguantur, propter quod depingitur quasi rusticus, quercus percultiens, & glandibus porcos suos reficiens.

De Hyeme.

Hyems ab eundo dicitur, quia tempore hyemali Sol, solet ire, & volui breuiori circulo, quam in æstiuali, vnde dies breuiores efficit, & noctes longiores ducit, vt dicit Isidorus.

Primo ergo hyems est frigida, & humida, phleginatis nutritiua, & si est aspera, homines desides, & pigros ad operandum reddit, quia nerui frigiditate constringuntur, contrahuntur, quodammodo, & coarctantur, & ita membra ad operandum nō ita de facili laxantur. Item ex frigore pori clauduntur, & reuocato calore naturali ad interiora virtutes animales confortantur, propter quod appetitus excitatur, & plura cibaria quam in alijs temporibus requiruntur. Vnde Hippocrat. in aphorismis dixit, quod Hyeme ventres sunt natura calidiores, & somni longissimi; calor enim cum tunc sit multus, multo indiget nutrimento.

Secundo si Hyems suas qualitates excedat, varias passiones in corporibus generat, multi enim humores clausis poris, in concauitatibus corporis aggregantur, qui nō inuenientes viam euaporationis calefiūt, & citius putrefiunt, ex quo variæ infirmitates necessario procreantur.

Tertio est quidem humida, & frigida, & ideo quia est humida, niues & aquarum inundationes tunc multiplicantur, & viæ, & semitæ, lubricæ, & lutosæ efficiuntur. Quia tamen est magis frigida quam humida, ideo fit magis aeris, & aquę constrictio, & congelatio; & sic omnia beneficio caloris nascentia, & viuentia, rigore frigoris mortificantur, & præteritæ Æstatis omnia vestigia annullantur. Pori terræ constringuntur, & omnium corporum vmbrę prolonguntur, & corpora infrigidantur. Partes tamen calidæ interius fugientes dominantem frigiditatem inaggerant, & ideo aquæ puteales, fontanæ, & loca subterranea magis quam in Aestate calida sentiuntur, quia fugiens sibi cōtrariam aeris frigiditatem, interiora petit, & in venis puteorum, fontium, & concauitatibus locorum per antipheristasim se includit, & ideo propter talem caloris præsentiam aquæ in fonte, vel in puteo non gelantur.

Quarto Hyemi dabimus tres menses. Primus dicitur December, i. ab imbre Martij decimus, ab Hebreis dicitur Tibeth. Est mensis solstitialis, quoniam in ipso Sol ingreditur Cancrum, est finis Autumni, & principium Hyemis, & solet esse niuosus, vel pluuiosus. In hoc mense propter asperitatem frigoris, altilia, & animalia domestica sunt pauci motus, & multæ quietis, & ideo multum impinguantur, vnde tūc temporis mactantur, & propter hoc depingitur tamquam carnifex, qui cum securi percutit, & mactat Porcum suum.

Secundus dicitur Ianuarius, dictus à Iano, qui apud Hebreos (secūdum multos) est Noe. Nam vt dicit D. Aug. gētiles crediderunt Ianum fuisse quendam Ducem prępotentem, & magnum, & in magno pretio habendum, vnde etiam ei duas facies figurabant, vnam ante, & aliam post se, quia apud eos fuit finis anni præteriti, & initiū futuri. Vel dicitur Ianuarius, quasi limes, & ianua noui anni, vnde Ianus cui dicatus dicitur pingitur bifrons, demonstrando exitum vnius anni, & introitum alterius. Depingitur comedens, & de scypho bibens, quia animalia tunc abundantiorem cibi copiam exigunt, & requirunt, quoniam propter subintrationem caloris ad interiora, maxime appetitus viget. Ab Hebreis dicitur Sebat.

Tertius est Februarius à Februo, seu Plutone dictus, cui ab antiquis hic mensis est consecratus. Ianuarium enim Dijs superioribus, & Februarium inferioribus, antiquus error gentilium consecrauit. Est mensis multum pluuiosus, & aquosus, quia Sol ascēdēdo multos vapores eleuat, & in aquam resoluit. Depingitur vt senex

ad

ad ignem stans, & pedes calefaciens, quia sæpe frigora tunc tempore vrgent, & venti. Si est bisestilis, habet dies 29 si non, solum 28.

Ad argumentum dicitur, quod quando sermo est de aliqua re, latitudinem, & extrema habentem, dum de ea est sermo fit secundum se, & non secundum sua extrema, quæ participant de his quibus coniunguntur, secundum quod eis coniungũtur. Quia ergo 20. & amplius dies Iunij appropinquant Aestati magis, quam 20. dies Septẽb. qui & si sint Aestatis, sunt tamen eius, vt iam declinauit, & extenuata est, ideo magis feruet Sol in principio Iunij, quã Septembris, &c. & ita applica ad alia.

DVBIVM CXXII.

An sint à Medicis obseruandi aliqui gradus signorum, & aspectus planetarum.

Videtur quod non. Nam si hoc esset, sequeretur, quod in repẽtinis malis nullum præstandum esset remedium, dato quod Luna, Sol, vel alius planeta esset in aliquo gradu de dicendis, vel aspectu. Hoc autem non esset nisi exponere infirmum manifestæ morti. Ergo Medici non debent infradicenda obseruare.

Præterea. Quæ vt famosiora posuimus supra obseruanda, vt dies criticos &c. & tempora anni adhuc Astronomi plura alia obseruarunt pro Medicis.

Primo ergo obseruarunt quosdam gradus signorum Zodiaci malos, sed diuersimode, vnde etiam varijs nominibus nominauerunt. Quosdam enim dixerunt puteales, & hos dixerunt mortales, si hora infirmitatis Luna, & etiam si alius planeta in eis reperiatur, vel dominus ascendentis, magis tamen Luna. Alios dixerunt tenebrosos, & hos affirmauerunt periculosos. Alios vacuos, & hos dubios. Et alios lucidos, & hos laudabiles, & bonos. Hi autem gradus designantur in infrascriptis figuris.

Gradus puteales.

Arietis 6. 11. 16. 23. 29.	Libræ 1. 7. 20. 30.
Tauri 5. 12. 24. 25.	Scorpionis 9. 10. 22. 23. 27.
Gemini 2. 12. 17. 26. 30.	Sagitarij 6. 12. 15. 24. 27. 30.
Cancri 12. 19. 23. 26. 30.	Capricorni 2. 7. 17. 22. 24. 29.
Leonis 6. 13. 15. 22. 23. 28.	Aquarij 11. 12. 17. 22. 24. 29.
Virginis 8. 13. 16. 21. 25.	Piscium 5. 9. 24. 27. 28.

Gradus tenebrosi.

Arietis 3. 8. 16.	Libræ 3. 5. 10. 21.
Tauri 1. 2. 30.	Scorpionis 3. 30.
Gemini 3. 5. 7. 27	Sagittarij 3. 12.
Cancri 2. 14.	Capricorni 1. 7. 22.
Leonis 10.	Aquarij 6. 13.
Virginis 3. 5. 30.	Piscium 3. 7. 18. 30

Gradus vacui.

Arietis 1. 4. 24. 30	Libræ 9. 30.
Tauri 5. 12. 20.	Scorpionis 5. 7. 14. 28.
Gemini 3. 4. 16. 30.	Sagittarij 11. 23.
Cancri 2. 4. 18. 30.	Capricorni 9. 25.
Leonis 5. 25	Aquarij 4. 25.
Virginis 2. 5. 10. 27.	Piscium 3. 25.

Gradus Lucidi.

Arietis	7	5	9	20	29		Libræ	4	6	8	1	8	27
Tauri	3	4	7	8	15	28	Scorpij	4	6	8	20		
Gemini	4	6	8	12			Sagittarij	7	9	19	29		
Cancri	8	13	28				Capricorni	3	4	5	10	19	30
Leonis	3	30					Aquarij	5	8	9	21	30	
Virginis	4	6	8	16			Piſcium	2	4	6	12	22	28

Secundo obſeruant annos climatericos ſeu peridioles, de quibus dictum eſt ſupra. Inter hos autem quidam dant maximos, & minimos, & principales. Maximi ſunt anni multiplicati in omni ſeptennio, adeo vt 7. per nouem numeretur, vnde 9. ſepties fit numerus 63. & ideo 63. dicitur annus climatericus maximus. Et ita multiplicatio numeri ſeptennarij per 12. nam 7. duodecies ſunt 84. Ideo ſecundum Aſtronomos anni 63. & 84. ſunt anni climaterici maximi, & perículoſiſſimi, colligentes ſemper ſecum medietatem anni præcedentis, & ſequentis. Minimi ſunt qui multiplicantur per 7. ſed in numero pari tantum, vt 14. 28. 42. &c. Principales, ſunt qui multiplicantur per 7. per numeros caſos vt 21. 35. 49. &c. Rationem horũ ſupra aſſignauimus dominio planetarum.

Tertio tradunt, & bene, quod Medici in conſiderandis diebus criticis, non inſpiciant diem infirmitatis, vt dicitur ſupradigitos, ſed in ephemeridibus diligentur intueantur horam, & diem, & tunc in ephemeridibus notent gradum Lunæ quem tenet, & ab eo gradu computent dies & aſpectus, ſcientes, quod aſpectus coniunctionis eſt in eodem gradu, ſextilis in diſtantia graduũ 60. quadratus grad. 90. oppoſitio gradu 180. qui aſpectus non ſemper contingunt eodem die, quia Luna in vno die naturali 24. horarum, quandoque currit gradu 12. quandoque 13. & aliquando 14. 15. & 16. vnde ex hoc oritur multa alteratio dierum.

Quarto cenſent inſpiciendum etiam eſſe locum Solis hora decubitus, & Lunæ, in domibus cæli, quia ſi Sol tunc appropinquet ad occaſum, malum indicium eſt, ſ. virtutem infirmi eſſe debilem, & à luminare maiori ſub terra deferri. Inſpiciendum quoque eſt, an Luna ſit afflicta, oppreſſa, aut a maleficis circundata, aut inimico aſpectu intuita, an ſit in augmento, vel diminutione luminis, an velox, vel tarda, ſi à maleficis decedat, vel ad eos accedat, ad vnum, vel plures, nam ex his bona, & mala indicia deſumantur, & prognoſtica deducuntur. Non erit prætereundum intueri, an in diebus criticis aliquid patiatur, vel in ordine ad totum cælum, vel ad poſitionem cæli hora infirmitatis.

Quinto, vt ſupra diximus habenda eſſet natiuitas infirmi, cum ſuis directionibus, & reuolutionibus, ac mundi accidentibus, vt ſic poſſimus notare ecclipſes, magnos coniunctiones, & ſimilia.

Sexto obſeruant pro ſciſcione venæ, & deductione ſanguinis, ac preſtandis medicinis multa, quæ etiam vt plurimum ſupra ſparſim ſunt adducta. Vt primo quod dũ Luna eſt in ſignis ruminantibus. ſ. Ariete, Tauro, & Capricorno, ſeu cum aliquo planeta retrogrado iuncta, non eſt bonum ſumere medicinam laxatiuam, quia vt dicit Hermes vomitum prouocabit, & reuocationem.

Secundo, quod nec debent dare medicinas dum Luna eſt in malo aſpectu cum Saturno, & Marte, quia Saturnus, vt frigidus eã tenet, & reſtringit, & Mors ſua nimia caliditate eam ratefacit, & relaxat, & quandoque cum ea ſanguinem emungit.

Tertio ſecundum Ptolomeum cent. 19. non eſt dandum pharmacum laxatiuum dum Luna eſt cum Ioue, quia ipſe ſua benignitate, i. caliditate, & humiditate impedit confortando naturam, ne ſuperflua, & nociua emittat.

Quarto, nec ſi dominus aſcendentis hora ſumptionis medicinæ, cum alio planeta in medio cæli ſit collocatus, quia vt tradit idem Ptol. 21. cent. infirmus nauſeam patietur, & medicinam euomet.

Quinto in dandis medicinis inſpiciendus eſt finis, ſ. ad quem finem detur, ſcilicet ad qua m virtutem corroborandã, vel ſubleuandam, quia oportebit tempus aptum expectare in quo opportunius, ac efficacius operari poſſit, quod fiet quando Lu-

na

na erit cum planeta illi parti subleuandæ iuncta, vel in illo signo, vel in felici aspectu, quæ ad hoc vt sciantur infrascriptam tabulam appono ex Ptolomeo.

Sol gubernat. Vim vitalem in corde, & Attractiuam.
Iupiter——Vim vitalem vegetabilem, & augmentabilem, & naturalem, in hepate, & digestiuam.
Saturnus——Vim receptiuam, & retentiuã.
Mars——Vim irascibilem.
Venus——Vim generatiuam, concupiscibilem, & appetitiuam.
Mercurius. Vim Imaginatiuam, fantasiam, & cogitatiuam.

Dum ergo Luna debet corroborare vnam ex his virtutibus, necesse erit vt sit tum vno horum planetarum, vel in felici eius aspectu. V.g. dum debet corroborare virtutem generatiuam sit cum Venere, & Attractiuam cum Sole, sed in signo naturæ Solaris. s. in signo calido, & sicco, vt sunt Aries, & Sagittarius, non Leo quia feruet, ideo pono etiam hic signa.

Sagittarius, & Capricornus præsidens Attractiuæ.
Gemini, & Libra regunt Vim digestiuam.
Taurus, & Virgo.——Vim retētiuam.
Cancer, Scorpius, & Pisces. Vim expulsiuã.

Hali autem supra dictum 56. Ptolomei generaliter tradit, quod dum Luna crescit bonum est vti extrahentibus ab intrinseco, ad externa, quia natura tunc humores rapit, & trahit ad externa. Dum autem decrescit. s. a 14. vsque ad nouum coitum cum Sole, optimum erit vti internis medicinis, quia tunc natura trahit, & deducit humores ad interiora.

Septimo etiam obseruant ad educendum sanguinem. Primo cum Auicenna, quod in eo deducendo quatuor sunt inspicienda. Primum est ætas, quia nec pueris, nec senibus tollitur. Secundum consuetudo, quia non assuetis difficilius vena scinditur, assuetis vero facilius, quia natura solet sæpe sic se deonerare. Tertium est virtus, quia à corpore robusto tollitur, non à nimis debilitato. Quartum est tempus in quo quarto insudãt singulariter Astronomi.

Ideo Secundo dico cum Hyppocrate, quod in extremo calido, vel frigido, nec ante nec post à quibusdam diebus caniculæ debet homo purgari, vel flebotomiæ subijci, & hoc intellige nisi magna necessitas vrgeat.

Tertio ergo dicũt pro phlegmaticis bonum esse deducere sanguinem quãdo Luna est in Ariete, & Sagittario. Pro melancholicis dum est in Libra, & Aquario. Et pro cholericis in Cancro, Scorpione, & Piscibus. In Gemini dum reperitur omnino à scissione venæ est abstinendum. In signis terreis, vt in Tauto, Virgine, & Capricorno parum proficiet.

Quarto dicunt quod nullo modo ab illo mẽbro sanguis deducetur, in quo tempore deductionis sanguinis Luna reperitur. Vt nullo modo à capite, dum est in Ariete A collo in Tauro, A brachijs in Gemini. A pectore in Cancro, A terminantibus particulariter cum corde, dũ erit in Leone. Ab intestinis in Virgine. A virilibus in Libra. A renibus in Scorpione. A coxijs in Sagittarijs. A genibus in Capricorno. A stinchis in Aquario. A pedibus in Piscibus, quia supradicta signa enumeratis partibus dominantur.

Quinto dicunt, quod in his aspectibus vena non est scindenda.

In coniunctione Solis, nec per tres dies ante, nec per tres post.

Nec Saturni per vnum diem ante, & per vnum post, & ita cum Marte iuncta. Nec si sit cum Mercurio combusto, vel Venere combusta .i. si fuerint prope Solem, per quinque gradus.

In oppositione Solis per vnum diem ante, & per vnum post. Ita in oppositione Saturni, & Martis.

In aspectu quadrato cum Sole, Saturno, & Marte, per 12. horas ante, & per 12. post.

Omnes alij aspectus iudicantur boni, i. aspectus sextilis, trigonus, coniunctionalis, & oppositus, sed cum alijs planetis à supradictis.

In primo Lunæ quadrante bonum est scindere venam, vel alio modo educere sanguinem à sanguineis. In secundo à cholericis. In tertio à phlegmaticis. In quarto à melancholicis.

Octauo etiam obseruarunt, (sicut & supra diximus) coniunctiones planetarum, quas tres esse dixerunt. Primas dixerunt diarias .i. quasi dierum, quoniam quodlibet mense, in aliquo dierum mensis contingit Lunam cum aliquo planetarum coniungit, & quodlibet anno cũ Sole, ac Venere,

&

TABVLA ALFRIDIARVM VT SVPRA.

	Luna	Merc.	Ven.	Sol	Mars	Iup.	Sat.	☾	☿	♀	☉	♂	♃	Iupit.
Sol ☉	1	8	15	22	29	36	43	50	57	64	71	78	☾	Luna.
Ven. ♀	2	9	16	23	30	37	44	51	58	65	72	79	☿	Merc.
Mer. ☿	3	10	17	24	31	38	45	52	59	66	73	80	♀	Ven.
Lun. ☾	4	11	18	25	32	39	46	53	60	67	74	81	☉	Sol.
Satur. ♄	5	12	19	26	33	40	47	54	61	68	75	82	♂	Mars.
Iup. ♃	6	13	20	27	34	41	48	55	62	69	76	83	♃	Iupit.
Mars ♂	7	14	21	28	35	42	49	56	63	70	77	84	♄	Satur.

Ad argumentum dicitur, quod numerus dierum, mensium, & annorum, vt supra non est numerus numerans, qui dicitur formalis numerus nullam dicens actiuitatem, sed est numerus planetarum, seu numerus numeratus corporum cęlestium influentium tali die, mense, & anno, vnde dicuntur dies actiui.

DVBIVM CXX.

An duplex sit annus, Solaris, & Lunaris.

Videtur quod non. Nam Annus non est nisi mensura quædam certa, qua mensuratur motus Solis, à primo puncto Arietis, ad idem primum punctum Arietis. Sed talem motum non conficit Luna eisdem diebus, quo Sol. Ergo vnus solus annus est assignandus. s. Solaris, & alius relinquendus. s. Lunaris.

Quoniã multa de anno diximus supra, ideo pauca de eo hic dicemus. Primo ergo obseruo, quod de anno dupliciter loqui contingit. Primo communiter. Secundo proprie. Si primo modo de eo loquamur multipliciter sumitur. Primo pro reuolutione stellarum fixarum ad idem punctum in quo fuerunt creatæ, quod secundum Arist. lib. de proprietatibus elementorum fiet spatio 36. millium annorum, & secundum Platonem curriculo 15. millium, vt tradit Macrobius in lib. Ciceronis, & hic annus dicitur mundanus, seu magnus. Secundo capitur pro reuolutione planetarum ad idem punctum, suo proprio motu expleto, quam reuolutionem dicemus annum planetarium, quia est planetarũ, & sic annus Saturni est 30. annorum, Iouis 12. Martis duorum, Solis, Veneris, & Mercurij 365. dierum, circum circa, vt supra notatum fuit. Lunæ vero est 27. dierum, & hor. 8. circum circa. Tertio accipitur pro anno legali, qui secundum Hebreos à Lunæ cursu desumitur, qui propterea dicitur legalis, quia lex vetus facta sua præcipiebat ad cursum Lunæ, vt dicit Beda, & habetur Exod. 12. dum dicitur. Mensis iste erit vobis principium mensium anni, & post 14. diem Lunæ Martij. Pascha Domini celebratur iuxta illud. Quarta decima die Pascha Domini est, & in 15. solennitatem celebrabitis altissimo Domino. Quarto sumitur pro anno qui dicitur emergens, quia propter notabilem aliquem casum annum a tempore quo ille casus incepit, vel actio, cõputationem dierum, & mensium desumimus, & ita Græci à prima Olimpiade annos enumerabãt, & nos à natiuitate Christi, vnde sæpe contingit, quod medium anni legalis, est principium emergentis, & econuerso, & per hoc conciliantur multa dicta scripturæ. Secundo modo principaliter sumitur annus proprie, & sic solũ verificatur de circulatione Solis, quæ facit annum Solarem, & Lunæ, quæ constituit annum Lunarem, & de his solum modo loquemur.

Secundo ergo notandum venit, quod annus dicitur ab an, quod est circum, quia quasi circulus in se redit, & renouatur. Quare apud Aegyptios ante literas inuentas per pictum draconem, caudam suam incidentem, & in se reuertentem significabatur, & hinc est, quod Isidorus dixit annum esse reuolutionem Solis, & anfractum, quia peractis 365. diebus, cum sex horis fere, redit ad locum suum primum

à quo

à quo discessit. Hic annus habet quatuor tempora, seu quartas, s. Verem, Aestatem, Autumnum, & Hyemem, quę duobus solstitijs, & æquinoctijs fiunt, nam æquinoctium primum est mense Martio, dum Sol ingreditur primum gradum Arietis. Secundum mense Septembri, dum intrat primum gradum Libræ. Primum Solstitiũ, quod dicitur æstiuale, quia facit Aestatẽ est in primo gradu Cancri, & fit mense Iunio. Secundum quod dicitur Hyemale, quia facit Hyemem, est in primo gradu Capricorni, & fit mense Decembri. Iuxta ista quatuor præcipua anni tempora ad implorandam diuinam bonitatem, & clementiam, vt nos ab omni malo custodiat, in his quatuor præcipuis anni temporibus. S.R.E. inducit quatuor ieiunia triduana. Primum pro Vere fit in prima hebdomada Quadragesimæ. Secundum pro Aestate in septimana Pentecostes. i. post festum eius. Tertium pro Autumno post Crucis festum. i. sequenti septimana. Et quartum pro Hyeme, hebdomada integra ante natiuitatem Domini. Duplex autem est annus Solaris. Primus dicitur regularis, & hic est 365. dierum. Secundus dicitur bisextilis, & hic est 366. dierum, & fit in omni quarto anno. Ratio autem est, vt suo loco diximus, quia quilibet annus est 365. dierum, & hor. fere 6. sex autem quatuor. i. in quarto anno faciunt horas 24. & 24. horæ vnum diem naturalem, & hinc est quod mense Februario omni quarto anno damus vnum diem vltra cõsuetum, & sicut solet esse 28. dierum, cũ facimus 29.

Tertio notandum est circa annum Lunarẽ, quod hic continet 12. Lunationes, quę fiunt in 354. diebus, nam sexies 30. & totidem 29. dies tantam summã perficiunt. Sed notandum venit, aliud esse loqui de circulatione Lunę ab vno puncto ad idem punctum. V.g. à primo gradu Arietis, ad eundem primum gradum Arietis toto zodiaco peragrato, & aliud est loqui de nouilunio. i. de die quo iterum Soli coniungitur. Si primo modo loquamur, dicimus Lunam 27. diebus cum sex horis secundum quosdam totum percurrere cælum, & ad idem punctum redire. Si vero secundo modo, affirmamus Lunam consumare duos dies cum sex horis antequam Solem inueniat, quia Sol ab eo tempore, quo eam in præcedenti mense coniunctam habuit, tantum suo proprio motu iter fecit, quantum potest Luna per duos dies, & horas sex iter facere. Quia tamen Lunationes istæ 12. ex 54. tantum diebus constant, quia numquam attingit 30. dies antequam de nouo Solem inueniat, ideo annus Solaris, excedit annum Lunarem 11. diebus, & hic 11. numerus, est numerus Epactæ, nam Epacta nihil aliud est, nisi numerus dierum quibus annus Solaris communis diebus 365. excedit annum Lunarem, qui est dierum 354. ita vt Epacta primi anni sit vndecim. Et ista Epacta inuenitur semper dies Lunæ. Nam scita Epacta anni, cui semper addetur in alio anno 11. & si contingeret habere 19. in sequenti anno addentur 11. vt cum peruentum fuerit ad 30. numerum, incipiatur numerus Epactæ in 11. numero sicut primo. Si autem non deuenerit numerus ad 30. præcise, sed excesserit, tollatur numerus excedens demendo 30. & ita ille erit numerus Epactæ illo anno.

Scito igitur numero Epactæ, ei addatur numerus dierum mensis, & his, numerus calendarum, idest, mensium, incipiendo à Martio, & sic habebitur dies Lunæ. v. g. Volo scire quot nã dies Lunæ habeamus hodie, quæ est dies 29. Martij 1618. Primo ergo quæro locum, & numerum Epactæ anni præteriti, qui fuit 23. hoc igitur anno incipiendo à Martio debeo addere 23. numerum 11. & ita totus numerus erit 34. tunc ab hoc numero demo 30. quoniam non excedit 30. tunc habeo quatuor Epactæ. Ergo hoc die 29. mensis Martij anni 1618. habeo 4. Epactæ. Huic numero addo dies 29. mensis, & ex his resultat numerus 33. Huic addo numerum Calendarum mensium. i. vnum, quoniam suppono annum secundum Astronomos incipere à Martio, & sic ex omnibus supradictis resultat numerus 34. idest 4. Epactæ 29. mensis & 1. Calendarum, & ab hoc numero autem deducendum semper venit 30. & sic concludo Lunam habere dies 4.

Ex eodemmet motu Lunæ habetur ciclus decem nouenalis sic dictus, quia est reuolutio numeri 19. ab vno, vsque ad 19. qua reuolutione completa, iterum ad vnitatem, i. ad vnum reditur. Vt v. g. hoc anno 1618. aureus numerus, qui idẽ est, quod

quod ciclus decem nouennalis est 4. igitur sequenti anno erit, 5. & sic quodlibet anno addetur vnum, vsque ad 19. ad quē numerum, cum fuerit peruentum, redibimus iterum ad 1. & sic iterum successiue vsque ad 19.

Annus autem Indictionis, non significat nisi reuolutionem 15. annorum ad. 1. & ab vno vsque ad 15. & cum ad 15. peruentum fuerit, redeundum erit ad 1.

Ita annus Lunaris quandoque dicitur embolismalis, & embolismus, non est nisi excrementum anni Solaris ad Lunarem, vnde ille annus dicitur embolismalis in quo cadit, & recolligitur vna Lunatio 30. dierum, recollecta ex illis 11. diebus, in quibus superat annus Solaris, annum Lunarem, & ideo tertius annus est embolismalis, quia in illo recolligitur lunatio 30. dierum, tribus diebus insuper remanentibus, quia ter 11. sunt 33. remanentibus tamen alijs tribus diebus. Propterea annus 8. erit etiam embolismalis additis illis sex diebus ad alios 22. dies, qui ex supercrescentia 7. & 8. anni recolliguntur. Sed ad hoc vt Lunatio 8. anni quæ est embolismalis sit 30. dierum, oportet mutuare duos dies ex embolismali subsequenti, & ita erit procedendum vsque ad 19. annum, quando circulus embolismalis adimpletur, continens annos 12. communes, & septem embolismales. Embolismales enim sunt, 3.6.8.11.14.17.& 19.

Ad argumentum patet, quod procedit de anno Solari tantum, nos autem vlterius etiam damus annum Lunarem, qui fuit apud multas gentes in vsu, & ideo non contemnendus.

DVBIVM CXXI.

An quatuor præcipua tempora anni dentur.

Videtur quod non. Nam solemus dicere, quod Ver est temperatum, nec frigidū, nec calidum, & ita Autumnus, Aestas vero calida, & sicca, & Hyems frigidus, & humidus. At hoc falsū esse cernitur, quia fere totus mensis Iunij saltem vsque ad 24. diem est Veris, & tamen magis tunc feruet Sol quam in principio mensis Septembris, quod est Aestatis, & magis rigent omnia in initio Decembris, quod dicitur Autumni, quam in initio Martij, quod est Hyemis. Immo quando nos habemus Hyemem, antepedes nostri, habent Aestatem &c. Ergo male possumus hæc quatuor præcipua anni tempora designare.

Respondetur tamen vere, & realiter nos cernere, & experiri ista quatuor præcipua tempora anni.

Prima igitur quarta anni dicitur Veris, quæ secundum Astrologos est principium anni, & causatur dum Sol primum punctū Arietis ingreditur, & per rectam lineam versus Septentrionem ascendit. Hæc quarta anni tam diu durat, quam diu Sol permeat per Arietem, Taurum, & Gemini, vsque ad initium Cancri, quod est à die Martij 21. vsque ad 24. Iunij circūcirca.

Ver autem multa habet. Primum, quod est temperatum, nec multum calidum, nec frigidum, vnde est tempus sanissimum, minime mortiferum, nec infirmatiuum. Nā vt tradit Galenus natura his duabus qualitatibus delectatur, s. caliditate, & humiditate temperate. Nam caliditas est causa effectiua nutrimenti, & augmenti, humiditas vero est causa materialis eorundem, & ideo in Vere maxime generatur sanguis, qui magis est necessarius nutrimento corporis.

Secundum est, quod secundum temperiem suam, & conditionem multum operatur ad ægritudinem, vel sanitatem. Nam in Aphoris. dicitur. Quod si Hyems fuit sicca, & borealis, & Ver fuerit pluuiosum, in Æstate erunt febres acutæ, & dissenteriæ, maxime in humidis natura. Etenim cum in hyeme humores sicci per frigiditatem retineantur, acuuntur, & per nimiā Veris humiditatem destemperantur, & sic multæ superfluitates generantur, quæ tandem per calorem resoluuntur. Quod si calor in Æstate non sit potens eas consummare, putrefacit, & sic febres acutas generat, & multas alias passiones inducit. Si vero Hyems fuerit calida, & humida, & Ver extiterit frigidum, & siccum, necesse erit homines in Aestate ægrotare, & mulieres parituras leui de causa abortire, cuius rationem reddit Galenus dicendo, quod quando corpora prægnantium in hyeme sunt calida, & humida, sunt etiam, ex consequenti, tenera, & rara. vnde frigiditas aeris vernalis subito penetrantis

ad

ad interiora fœtum lędit, cum per frigiditatem, & ſiccitatem, mortificetur fœtus quoniam hæ ſunt qualitates mortificatiuæ. Fętus autem aggrauat, cum eſt mortificatus, & ſic retinacula abrumpit, & tunc mulier neceſſario abortit.

Tertium eſt, quod Ver terram diu per frigus clauſam aperit, & radices, & herbas in terra mortificatas producit, ac dilatat, & floribus, & herbis terram renouat, Aues ad garritum, & amorem inducit, & ſollicitat, & miro decore totam terræ ſuperficiem induit, & venuſtat, tunc enim terra ridet, ſyluæ frondent, prata florent, cælum ſplendet, mare quieſcit, volucres nidificant, & vociferant, & omnia, quæ in hyeme videbantur mortua, & marcida vernali tempore, i. veris renouantur.

Quartum eſt, quod vires viuentibus accreſcit, & auget, vnde Ver dicitur à virore, vel vigore, tunc enim arbores, & herbæ vireſcere incipiunt, & frondere, & animalia calefieri, & ad coitũ magis excitari.

Quintum eſt, quod tempus Veris, eſt tẽpus agriculturæ, & laboris, lætitię, & amoris, quare ſecundũ Marcianũ, ſeu Macrobiũ ſerenitas, & amenitas aeris vernalis, dicitur riſus Iouis, & Veneris. Habet ſolum nocumenti, & perniciei in aquis, quæ tunc temporis minuſ ſanæ ſunt ad bibendum, quia à vaporibus tunc reſolutis ingroſſantur, & à ranis, alijſque vermibus tunc tẽporis ſemen proijcientibus inficiuntur, & ideo ſi neceſſe fuerit eas bibere conſulit Conſtantinus, vt primo decoquantur, & ſic per ebullitionem, ſubtilientur, & purificentur.

Sextum eſt, quod poſſumus dicere ipſum tres menſes comprehendere, & quamuis non comprehendat totum Martium, ſicut nec totum Iunium, vt dictum eſt ſupra, quia tamen media participant de extremis, ideo libenter ei dabimus Martium, Aprilem, & Maium, ſaltem in hac deſcriptione. Martius ergo ſit primus menſis, qui ſic dicitur, vel vt aliqui tradunt à Marte, cum ſit tempus, quo ſolent Principes, ad bella procedere, vel à Marte Romanorum auctore, vel à mare, cum tunc animantia ad marem, & coitum, ſoleant procedere. Ab Hebreis autẽ dicitur menſis Niſſan, & habet 31. dies, & in 21. die tenet æqualitatem dierum cum noctibus. Hoc menſe terrę pori aperiuntur, & humores incipiunt aſcendere, in herbis, arboribus, ac animalibus, vnde Martius depingitur tamquam vinitor, vel hortolanus, quia tunc eſt tempus amputandi ſuperflua à vitibus, ac alijs arboribus. Tempus autem in menſe Martio, eſt valde mutabile, & inſtabile, & ideo faciliime tunc corpora animantium alterantur. Reddit aquas non multum ſanas ad bibendum, cũ tunc ſeminibus Piſcium, Ranarum, & Vermium inficiantur, præcipue dum Sol medium ſigni Piſcium peragrat.

Secundus menſis eſt Aprilis, ſic dictus quaſi aperilis, quia omnia tunc aperiuntur, & tunc germina, flores, & folia, de terra, & arboribus egrediuntur, vnde depingitur, vt geſtans flores, quia tunc terra decoratus folijs arborum, ac floribus. Vel dicitur quaſi Aphrilis à femine, quia tunc apertis poris terræ ſunt apta ſeminationi, ac agriculturæ. Ab Hebreis dicitur Var, & habet 30. dies. Circa finem dies habet horas 14. nox 10. circiter.

Tertius menſis dicitur Madius, ſeu Maius à Maia Matre Mercurij, vel ſecundum alios à maioribus natu, qui in Republica ſunt maiores, vel ſecundum alios a madefactione pluuiarum, quia tunc temporis oriuntur Pleiades, & Hyades, & aliæ ſtellæ pluuiales, quarum virtute pluuiæ mittuntur, & rores ad ſeminum iactorum madefactionem, & irrigationem elabuntur. Tunc enim maxime aues vociferant, & gaudẽt, prata rident, & florent, ſiluæ virent, & omnia fere animantia, ad gaudium, & amorem excitantur, & propter aeris temperiem, & temporis iocunditatem in hominibus lætitiæ geminantur, vnde depingitur iuuenis, & æquitans, & volucrem ſuper manum geſtans. Apud Hebreos dicitur Siban, habet dies 30. dies 15. horas & noctem 9. circiter.

De Aeſtate.

Secunda quarta anni dicitur æſtas, quæ eſt calida, & ſicca; quia Sol tunc terram validis radijs, percutit, & adurit. Incipit autẽ Aeſtas à primo gradu Cancri, & procedit ad primum vſque gradum Libræ, quod ſit ſpatio trium menſium, percurrendo totum Cancrum, Leonem, & Virginem. Habet autem Aeſtas multa.

Primum eſt, quod ſua natura eſt calida, & ſicca, & choleræ generatiua, quia fortiſſimam imprimit in inferiora irradiationem,

nus pestilentior est ceteris temporibus, & in multis illaudabilis. Primo propter mutabilitatem temporis, nunc enim est calor, nunc frigus. Secundo, quia cum sit post Aestatem inuenit multos humores incensos ex calore praecedente, quos repercutit frigus Autumnale ad interiora, & non permittit eos exire, qui tandem putrefiunt, & inducunt pessimas passiones, vt quartanas, & febres vix curabiles, & hoc, quia Autumnus frigidus est, & siccus, & inordinatus. Hinc etiam hoc tempore fiunt corpora debiliora, propter nimiam siccitatem à qua consumitur substantialis humiditas, & propter inaequalitatem aeris, pori nunc subito aperiuntur, nunc subito clauduntur, vnde fit calidarum fumositatum retétio, quas cum virtus non potest expellere, multitudine, & acumine materiae, passiones mortiferae subsequuntur.

Secundo Phtisicis Autumnus solet multum esse nociuus, quia sua frigiditate, & siccitate pulmonem desiccat, & rumpit ad modum pampini, & ideo phtisicos valde ledit, ita & morbo gallico (vt dicitur) laborantes, quia virtus deficit, & virus male succrescit.

Tertio damus ei pro nunc tres menses Septembrem, Octobrem, & Nouembrium.

September sic dicitur, quia est septimus mẽsis à Martio, seu dicamus ab imbre temporaneo, quia in mense Martio solent imbres inundare, & ab Hebreis dicitur Tiseri. In hoc mense est secundum equinoctiũ, quod dicitur Hyemale, seu Autumnale, sicut primum dictum est Vernale, idest, Veris, & fit dum Sol intrat primum gradum Librae. Est finis Aestatis, & principium Autumni, in quo est vendemia, & ideo depingitur tamquam vindemiator, racemos colligens in corballo. Est mensis mutabilis, & instabilis, cuius calor in principio est intensus, sed in fine remittitur, & tepescit, sapiens frigiditatẽ autumnalẽ. Fuit semper in magna veneratione apud Hebreos. Nã Hebrei primo solennizauerunt diem sabbathi, qui est septimus hebdomadae, quoniam eo die requieuit Deus ab omni opere, quod patrarat Gen. 1. adeo vt die Sabbathi nullum opus seruile erat licitũ, nec dominis, nec seruis, nec iumentis, nec peregrinis. Nec in domibus Hebreorum die septimo ignis accendebatur, & cibus necessarius pro die Sabbathi die ad ipsum praecedenti praeparabatur. Cultioribus tamen indumentis populus in sabbathis ornabatur, Lautioribus cibis, & epulis communiter vtebatur. Templum orationis gratia plusquam in alijs diebus frequentabatur, altaria maioribus sacrificijs, & pinguioribus oblationibus semper cumulabatur. Lex à sacerdotibus in sinagogis hoc die exponebatur, cantus cum psalmodia solennius agebatur, omnis discursus, & euagatio populo prohibebatur, & iter sabbathi tantum mille passuum permittebatur. Arma sumere nisi pro defensione legis inhibebatur, & violator eius omnino interfici iubebatur.

Secundo Hebrei in septimo mense festum Scenopegiae celebrabant, & erat festiuitas tabernaculorum, & celebrabatur in memoriam expeditionis, quando recedentes de Aegypto, in tabernaculis morabantur, vt tradit Isidorus. Scenopegia enim Grece, Latine idem est, quod taberuaculum. Haec igitur solennitas in Septembri semper celebrabatur, quia collectis frugibus, de omnibus decimas domino obtulerunt, ac laetitiae, & gaudio tunc specialiter vacauerunt, frondibus, & ramis domos suas ornauerunt, fructus arboris pulcherrimae .i. poma cedri in manibus portauerunt. Nota etiam, quod decimo die triplex festum celebrabant; s. expiationis, quia decimo die vt dixi mense Septembris Summus Pontifex intrabat cum sanguine vitulae rufae, & expiabat sancta sanctorum, & ideo dicebatur dies expiationis. Secundo dicebatur dies afflictionis, quia eodem die populus ieiunabat pro reatu vituli, quem adorauerunt in deserto. Tertius vocabatur dies propitiationis, quia tali die dominum audierunt sibi fuisse placatum super transgressione vituli idolatrae in deserto.

Erat etiam apud Hebreos septimus annus celebris, de quo multa legi possunt in sacris literis.

Secundus mensis Autumni dicitur October, quasi sit octauus mensis ab imbre. Ab Hebreis dicitur Marchainan, est mensis naturaliter siccus, & frigidus, vnde terram desiccat, & eam ad susceptionem seminis disponit, & habilitat, vnde tunc temporis semina hyemalia glebae commendantur, & ideo depingitur in similitudinem ho-

minis seminantis, solum cauendum est, qd in initio solet esse calidus, & in fine frigidus, quare tamquam Scorpius in fine graui frigore pungit, & ferit.

Tertius mensis nominatur Nouember, quasi ab imbre nonus, ab Hebreis dicitur Cisleus. Sua frigiditate ad interiora penetrat, & grauiter corpora lædit, sua siccitate, & frigiditate arborum folia constringit, desiccat, & deijcit, poros in animalibus claudit, & recollectis humoribus intrinsecus eos congelat, coagulat, & compingit. Et ideo tunc temporis animalia, & maxime Porci multum impinguantur, propter quod depingitur quasi rusticus, quercus percultiens, & glandibus porcos suos reficiens.

De Hyeme.

Hyems ab eundo dicitur, quia tempore hyemali Sol, solet ire, & volui breuiori circulo, quam in æstiuali, vnde dies breuiores efficit, & noctes longiores ducit, vt dicit Isidorus.

Primo ergo hyems est frigida, & humida, phlegmatis nutritiua, & si est aspera, homines desides, & pigros ad operandum reddit, quia nerui frigiditate constringuntur, contrahuntur, quodammodo, & coarctantur, & ita membra ad operandum nō ita de facili laxantur. Item ex frigore pori clauduntur, & reuocato calore naturali ad interiora virtutes animales confortantur, propter quod appetitus excitatur, & plura cibaria quam in alijs temporibus requiruntur. Vnde Hippocrat. in aphorismis dixit, quod Hyeme ventres sunt natura calidiores, & somni longissimi, calor enim cum tunc sit multus, multo indiget nutrimento.

Secundo si Hyems suas qualitates excedat, varias passiones in corporibus generat, multi enim humores clausis poris, in concauitatibus corporis aggregantur, qui nō inuenientes viam euaporationis calefiūt, & citius putresfiunt, ex quo variæ infirmitates necessario procreantur.

Tertio est quidem humida, & frigida, & ideo quia est humida, niues & aquarum inundationes tunc multiplicantur, & viæ, & semitæ, lubricæ, & lutosæ efficiuntur. Quia tamen est magis frigida quam humida, ideo fit magis aeris, & aquę constrictio, & congelatio, & sic omnia beneficio caloris nascentia, & viuentia, rigore frigoris mortificantur, & præteritæ Æstatis omnia vestigia annullantur. Pori terræ constringuntur, & omnium corporum vmbrę prolunguntur, & corpora infrigidantur. Partes tamen calidæ interius fugientes dominantem frigiditatem inaggerant, & ideo aquæ puteales, fontanæ, & loca subterranea magis quam in Aestate calida sentiuntur, quia fugiens sibi cōtrariam aeris frigiditatem, interiora petit, & in venis puteorum, fontium, & concauitatibus locorum per antipheristasim se includit, & ideo propter talem caloris præsentiam aquæ in fonte, vel in puteo non gelantur.

Quarto Hyemi dabimus tres menses. Primus dicitur December, i. ab imbre Martij decimus, ab Hebreis dicitur Tibeth. Est mensis solstitialis, quoniam in ipso Sol ingreditur Cancrum, est finis Autumni, & principium Hyemis, & solet esse niuosus, vel pluuiosus. In hoc mense propter asperitatem frigoris, altilia, & animalia domestica sunt pauci motus, & multæ quietis, & ideo multum impinguantur, vnde tūc temporis mactantur, & propter hoc depingitur tamquam carnifex, qui cum securi percutit, & mactat Porcum suum.

Secūdus dicitur Ianuarius, dictus à Iano, qui apud Hebreos (secūdum multos) est Noe. Nam vt dicit D. Aug. gētiles crediderunt Ianum fuisse quendam Ducem prępotentem, & magnum, & in magno pretio habendum, vnde etiam ei duas facies figurabant, vnam ante, & aliam post se, quia apud eos fuit finis anni præteriti, & initiū futuri. Vel dicitur Ianuarius, quasi limes, & ianua noui anni, vnde Ianus cui dicatus dicitur pingitur bifrons, demonstrando exitum vnius anni, & introitum alterius. Depingitur comedens, & de scypho bibens, quia animalia tunc abundantiorem cibi copiam exigunt, & requirunt, quoniam propter subintrationem caloris ad interiora, maxime appetitus viget. Ab Hebreis dicitur Sebat.

Tertius est Februarius à Februo, seu Plutone dictus, cui ab antiquis hic mensis est consecratus. Ianuarium enim Dijs superioribus, & Februarium inferioribus, antiquus error gentilium consecrauit. Est mensis multum pluuiosus, & aquosus, quia Sol ascēdēdo multos vapores eleuat, & in aquam resoluit. Depingitur vt senex ad

ad ignem stans,& pedes calefaciens, quia sæpe frigora tunc tempore vrgent,& venti. si est bisestilis, habet dies 29 si non, solum 28.

Ad argumentum dicitur, quod quando sermo est de aliqua re, latitudinem, & extrema habentem, dum de ea est sermo fit secundum se, & non secundum sua extrema, quæ participant de his quibus coniunguntur, secundum quod eis coniungûtur. Quia ergo 20. & amplius dies Iunij appropinquant Aestati magis, quam 20. dies Septéb. qui & si sint Aestatis, sunt tamen eius, vt iam declinauit, & extenuata est, ideo magis feruet Sol in principio Iunij, quã Septembris,&c.& ita applica ad alia.

DVBIVM CXXII.

An sint à Medicis obseruandi aliqui gradus signorum, & aspectus planetarum.

Videtur quod non. Nam si hoc esset, sequeretur, quod in repẽtinis malis nullum præstandum esset remedium, dato quod Luna, Sol, vel alius planeta esset in aliquo gradu de dicendis, vel aspectu. Hoc autem non esset nisi exponere infirmum manifestæ morti. Ergo Medici non debent infradicenda obseruare.

Præterea. Quæ vt famosiora posuimus supra obseruanda, vt dies criticos &c. & tempora anni adhuc Astronomi plura alia obseruarunt pro Medicis.

Primo ergo obseruarunt quosdam gradus signorum Zodiaci malos, sed diuersimode, vnde etiam varijs nominibus nominauerunt. Quosdam enim dixerunt puteales, & hos dixerunt mortales, si hora infirmitatis Luna, & etiam si alius planeta in eis reperiatur, vel dominus ascendentis, magis tamen Luna. Alios dixerunt tenebrosos,& hos affirmauerunt periculosos. Alios vacuos, & hos dubios. Et alios lucidos, & hos laudabiles, & bonos. Hi autem gradus designantur in infrascriptis figuris.

Gradus puteales.

Arietis 6. 11. 16. 23. 29.	Libræ 1. 7. 20. 30.
Tauri 5. 12. 24. 25.	Scorpionis 9. 10. 22. 23. 27.
Gemini 2. 12. 17. 26. 30.	Sagittarij 6. 12. 15. 24. 27. 30.
Cancri 12. 19. 23. 26. 30.	Capricorni 2. 7. 17. 22. 24. 29.
Leonis 6. 13. 15. 22. 23. 28.	Aquarij 11. 12. 17. 22. 24. 29.
Virginis 8. 13. 16. 21. 25.	Piscium 5. 9. 24. 27. 28.

Gradus tenebrosi.

Arietis 3. 8. 16.	Libræ 3. 5. 10. 21.
Tauri 1. 2. 30.	Scorpionis 3. 30.
Gemini 3. 5. 7. 27	Sagittarij 3. 12.
Cancri 2. 14.	Capricorni 1. 7. 22.
Leonis 10.	Aquarij 6. 13.
Virginis 3. 5. 30.	Piscium 3. 7. 18. 30

Gradus vacui.

Arietis 1. 4. 24. 30	Libræ 9. 30.
Tauri 5. 12. 20.	Scorpionis 5. 7. 14. 28.
Gemini 3. 4. 16. 30.	Sagittarij 11. 23.
Cancri 2. 4. 18. 30.	Capricorni 9. 25.
Leonis 5. 25	Aquarij 4. 25.
Virginis 2. 5. 10. 27.	Piscium 3. 25.

Gradus Lucidi.

Arietis	7	5	9	20	29		Libræ	4	6	8	1	8	27
Tauri	3	4	7	8	15	28	Scorpij	4	6	8	20		
Gemini	4	6	8	12			Sagittarij	7	9	19	29		
Cancri	8	13	28				Capricorni	3	4	5	10	19	30
Leonis	3	30					Aquarij	5	8	9	21	30	
Virginis	4	6	8	16			Piscium	2	4	6	12	22	28

Secundo obſeruant annos climatericos ſeu peridioles, de quibus dictum eſt ſupra. Inter hos autem quidam dant maximos, & minimos, & principales. Maximi ſunt anni multiplicati in omni ſeptennio, adeo vt 7. per nouem numeretur, vnde 9. ſepties fit numerus 63. & ideo 63. dicitur annus climatericus maximus. Et ita multiplicatio numeri ſeptennarij per 12. nam 7. duodecies ſunt 84. Ideo ſecundum Aſtronomos anni 63. & 84. ſunt anni climaterici maximi, & periculoſiſſimi, colligentes ſemper ſecum medietatem anni præcedentis, & ſequentis. Minimi ſunt qui multiplicantur per 7. ſed in numero pari tantum, vt 14. 28. 42. &c. Principales, ſunt qui multiplicantur per 7. per numeros caſſos vt 21. 35. 49. &c. Rationem horũ ſupra aſſignauimus dominio planetarum.

Tertio tradunt, & bene, quod Medici in conſiderandis diebus criticis, non inſpiciant diem infirmitatis, vt dicitur ſupradigitos, ſed in ephemeridibus diligenter intueantur horam, & diem, & tunc in ephemeridibus notent gradum Lunæ quem tenet, & ab eo gradu computent dies & aſpectus, ſcientes, quod aſpectus coniunctionis eſt in eodem gradu, ſextilis in diſtantia graduũ 60. quadratus grad. 90. oppoſitio gradu 180. qui aſpectus non ſemper contingunt eodem die, quia Luna in vno die naturali 24. horarum, quandoque currit gradu 12. quandoque 13. & aliquando 14. 15. & 16. vnde ex hoc oritur multa alteratio dierum.

Quarto cenſent inſpiciendum etiam eſſe locum Solis hora decubitus, & Lunæ, in domibus cæli, quia ſi Sol tunc appropinquet ad occaſum, malum indicium eſt, ſ. virtutem infirmi eſſe debilem, & à luminare maiori ſub terra deferri. Inſpiciendum quoque eſt, an Luna ſit afflicta, oppreſſa, aut a maleficis circundata, aut inimico aſpectu intuita, an ſit in augmento, vel diminutione luminis, an velox, vel tarda, ſi à maleficis decedat, vel ad eos accedat, ad vnum, vel plures, nam ex his bona, & mala indicia deſumantur, & prognoſtica deducuntur. Non erit prætereundum intueri, an in diebus criticis aliquid patiatur, vel in ordine ad totum cælum, vel ad poſitionem cæli hora infirmitatis.

Quinto, vt ſupra diximus habenda eſſet natiuitas infirmi, cum ſuis directionibus, & reuolutionibus, ac mundi accidentibus, vt ſic poſſimus notare ecclipſes, magnos coniunctiones, & ſimilia.

Sexto obſeruant pro ſciſcione venæ, & deductione ſanguinis, ac præſtandis medicinis multa, quæ etiam vt plurimum ſupra ſparſim ſunt adducta. Vt primo quod dũ Luna eſt in ſignis ruminantibus. ſ. Ariete, Tauro, & Capricorno, ſeu cum aliquo planeta retrogrado iuncta, non eſt bonum ſumere medicinam laxatiuam, quia vt dicit Hermes vomitum prouocabit, & reuocationem.

Secundo, quod nec debent dare medicinas dum Luna eſt in malo aſpectu cum Saturno, & Marte, quia Saturnus, vt frigidus eã tenet, & reſtringit, & Mors ſua nimia caliditate eam rarefacit, & relaxat, & quandoque cum ea ſanguinem emungit.

Tertio ſecundum Ptolomeum cent. 19. non eſt dandum pharmacum laxatiuum dum Luna eſt cum Ioue, quia ipſe ſua benignitate, i. caliditate, & humiditate impedit confortando naturam, ne ſuperflua, & nociua emittat.

Quarto, nec ſi dominus aſcendentis hora ſumptionis medicinæ, cum alio planeta in medio cæli ſit collocatus, quia vt tradit idem Ptol. 21. cent. infirmus nauſeam patietur, & medicinam euomet.

Quinto in dandis medicinis inſpiciendus eſt finis, ſ. ad quem finem detur, ſcilicet ad quam virtutem corroborandã, vel ſubleuandam, quia oportebit tempus aptum expectare in quo opportunius, ac efficacius operari poſſit, quod fiet quando Lu-

na

na erit cum planeta illi parti sublepandæ iuncta, vel in illo signo, vel in felici aspectu, quæ ad hoc vt sciantur infrascriptam tabulam appono ex Ptolomeo.

Sol gubernat. Vim vitalem in corde, & Attractiuam.

Iupiter———Vim vitalem vegetabilem, & augmentabilem, & naturalem, in hepate, & digestiuam.

Saturnus———Vim receptiuam, & retentiuā.

Mars———Vim irascibilem.

Venus———Vim generatiuam, concupiscibilem, & appetitiuam.

Mercurius Vim Imaginatiuam, fantasiam, & cogitatiuam.

Dum ergo Luna debet corroborare vnam ex his virtutibus, necesse erit vt sit tum vno horum planetarum, vel in felici eius aspectu. V. g. dum debet corroborare virtutem generatiuam sit cum Venere; Attractiuam cum Sole, sed in signo naturæ Solaris. s. in signo calido, & sicco, vt sunt Aries, & Sagittarius, non Leo quia feruet, ideo pono etiam hic signa.

Sagittarius, & Capricornus præsidens Attractiuæ.

Gemini, & Libra regunt Vim digestiuam.

Taurus, & Virgo.———Vim retētiuam.

Cancer, Scorpius, & Pisces. Vim expulsiuā.

Hali autem supra dictum 56. Ptolomei generaliter tradit, quod dum Luna crescit bonum est vti extrahentibus ab intrinseco, ad externa, quia natura tunc humores rapit, & trahit ad externa. Dum autem decrescit. s. a 14. vsque ad nouum coitum cum Sole, optimum erit vti internis medicinis, quia tunc natura trahit, & deducit humores ad interiora.

Septimo etiam obseruant ad educendum sanguinem. Primo cum Auicenna, quod in eo deducendo quatuor sunt inspicienda. Primum est ætas, quia nec pueris, nec senibus tollitur. Secundum consuetudo, quia non assuetis difficilius vena scinditur, assuetis vero facilius, quia natura solet sæpe sic se deonerare. Tertium est virtus, quia à corpore robusto tollitur, non à nimis debilitato. Quartum est tempus in quo quarto insudāt singulariter Astronomi.

Ideo Secundo dico cum Hyppocrate, quod in extremo calido, vel frigido, nec ante nec post à quibusdam diebus caniculæ debet homo purgari, vel flecbotomiæ subijci, & hoc intellige nisi magna necessitas vrgeat.

Tertio ergo dicūt pro phlegmaticis bonum esse deducere sanguinem quādo Luna est in Ariete, & Sagittario. Pro melancholicis dum est in Libra, & Aquario. Et pro cholericis in Cancro, Scorpione, & Piscibus. In Gemini dum reperitur omnino à scissione venæ est abstinendum. In signis terreis, vt in Tauro, Virgine, & Capricorno parum proficiet.

Quarto dicunt quod nullo modo ab illo mēbro sanguis deducetur, in quo tempore deductionis sanguinis Luna reperitur. Vt nullo modo à capite, dum est in Ariete A collo in Tauro, A brachijs in Gemini. A pectore in Cancro, A terminantibus particulariter cum corde, dū erit in Leone. Ab intestinis in Virgine. A virilibus in Libra. A renibus in Scorpione. A coxijs in Sagittarijs. A genibus in Capricorno. A tibijs in Aquario. A pedibus in Piscibus, quia supradicta signa enumeratis partibus dominantur.

Quinto dicunt, quod in his aspectibus vena non est scindenda.

In coniunctione Solis, nec per tres dies ante, nec per tres post.

Nec Saturni per vnum diem ante, & per vnum post, & ita cum Marte iuncta. Nec si sit cum Mercurio combusto, vel Venere combusta .i. si fuerint prope Solem, per quinque gradus.

In oppositione Solis per vnum diem ante, & per vnum post. Ita in oppositione Saturni, & Martis.

In aspectu quadrato cum Sole, Saturno, & Marte, per 12. horas ante, & per 12. post.

Omnes alij aspectus iudicantur boni, aspectus sextilis, trigonus, coniunctionalis, & oppositus, sed cum alijs planetis à supradictis.

In primo Lunæ quadrante bonum est scindere venam, vel alio modo educere sanguinem à sanguineis. In secundo à cholericis. In tertio à phlegmaticis. In quarto à melancholicis.

Octauo etiam obseruarunt, (sicut & supra diximus) coniunctiones planetarum, quas tres esse dixerunt. Primas dixerunt diarias .i. quasi dierum, quoniam quodlibet mense, in aliquo dierum mensis contingit Lunam cum aliquo planetarum coniungit, & quodlibet anno cū Sole, ac Venere,

&

& Mercurio, & hæ coniunctiones mutationem in aere, vel corpore humano, & vniuerso causant, cito transeuntem, quia breues sunt. Secundas appellant medias seu annuas, quas duo superiores planetæ faciunt .s. Saturnus, & Iupiter, quod solet accidere omni 20. anno, & tunc malo afficitur illud signum, in quo fiunt per totum illud tempus. Tertias vocant centenas, & maximas, quæ fiunt in primo gradu Arietis omni 800. vel 1000. anno inter Saturnum, & Martem, quę coniunctiones maximæ dicuntur, quoniam important mutationem imperiorum, statuum, & morum, & fere omnium rerum, quare dicuntur etiam anni periodici Imperiorum, vt antiqui obseruarunt.

Verũ est tamen, quod anni periodici dominiorum, & Imperiorum, vt deduxit Iustinus ex Platone, est omnis annus 500. illius Imperij, vel dominij, adducens pro ratione, quod cum natura sit finita, & terminata, & armoniæ similis, necesse est, quod sicut omnis armonia simplex est quintena, quia supra eam non est aliqua consonantia, nam octaua est vnisona, & sexta tertiæ est similis, & tertia, & quarta concluduntur in quintas, ita opus est, quod armonia dominiorum, & Imperiorum omni quinto centenario terminetur. Et sicut vna cantilena terminata, alia incipitur, ita vno dominio completo, aliud exordium sumit. Secundam causam multi attribuunt motui stellarum fixarum, quoniam omni tanto tempore mutando situm, mutant aspectum. Tertiam alij desumunt ab experentia omnium rerum magistra, quoniam omni 500. anno mutiones magnæ acciderunt, vel circa annum 500. hunc enim numerum non in indiuisibili, sed circumcirca inspicimus.

Incipientes ergo ab Imperio Hebreorum, quod Dei voluntate est institutum, propagatum, & defensatum, videmus hunc numerum Deum non exclusisse, sed tamquã secundã causam assumpsisse, vel propter aliam nos latentem causam. Nam à libertate quam consecutus est populus Hebreus à seruitute Aegypti, vsque ad ædificationẽ templi transierunt anni 480. Templum perdurauit annis 422. quando fuit destructum à Nabuchodonosor. Deinde fuit reedificatum, & ab eius reedificatione vsque ad natiuitatem Christi transierunt anni 516. Regnum Hebreorum à Saul, vsque ad vltimum Ezech. perdurauit annis 505. A diluuio ad circũcisionem, transierunt anni 391. A peregrinatione Abrahami vsque ad egressum de Aegypto anni 430. A liberatione seruitutis Aegypti vsque ad Christum anni 536. secũdum aliquos. Quam computationem non approbo, quoniam à Saul vsque ad vltimum Ezech. dixerunt transisse annos 505. & tamen constat per 40. annos stetisse in deserto, & sub iudicibus in terra promissionis multos annos perdurasse, vnde miror, quod in foribus deliquerint.

Monarchia Assyriorum à Nino vsque ad Sardanapalum durauit secundum aliquos annis 1200. & secundum alios 1300.

Monarchia Persarum a Ciro capta Babilonia, annis 208.

Monarchia Græcorum ab Alexandro Magno, annis 283.

Assirij dominauerunt Persis annis 520.

Athenienfium dominium à Cecrope vsque ad Codrum 290. Et tot annis durauit regnum Spartanorum.

Ab excidio Troiæ vsque ad Romulum transierunt anni 450. Et tot annis fere in Alba regnauerunt successores Aeneæ.

Respublica Romana ab expulsione Regum vsque ad Augustum annis 500.

Monarchia Imperatorum annis 502.

Constantinus Magnus post 489. annos dimisit Romanum Imperium, & illud in antiquum Bizantium ab eius nomine dictum Constantinopolim transtulit.

A Carlo Magno vsque ad hũc annum 1618. durat imperium nostrum annis 715. Et electio Imperatoris apud Germanos, eis concessa à Gregorio V. anno 996. durat vsque modo apud eos annis 622.

Tradunt etiam annum 700. & 800. periodicum esse.

A Mahometi lege vsque ad hũc annum sunt anni 1000.

Ab imperio Turcarum anni 871. Nam anno à natiuitate Christi 747. Persiam obtinuerunt, & sui Imperij fundamenta iecerunt.

Obseruant etiam horas planetarias dantes primã horam diei planetæ cuius est dies, quidam incipiendo ab ortu Solis, & quidam semper à 12. hora, de qua re supra diximus.

Ad argumentum dicitur, quod remedia in infir-

infirmitatibus, etiam repentinis non negliguntur. Primo, quia ignoramus an causa sit tantæ efficaciæ, quod possit irremediabiliter occidere, nam causæ superiores in secundis modificatur, & diuersa est dispositio secundarum causarum. Secundo, quia potest esse, quod dum vna causa minatur, alia suffragetur, habita consideratione ad statum causarum cęlestium in puncto infirmitatis, & in puncto natiuitatis, ad quod multum mentem dirigimus. Tertio, quia quando omnia pugnarent contra infirmum, & omnia ei obessent, adhuc non est negligenda cura infirmi, quia Deus vult vt secundas causas inspiciamus semper, vt eius potentiæ instrumenta, & eas assumamus, vt diuinæ eius bonitatis riuulos, & quando omnia essent disperata, forent aliquales consolationes infirmi, & domesticorum eius, vnde vsque ad vltimum suspirium est visitandus infirmus, & aliquali medicamento subleuandus, vel corpore, vel spe.

De magnitudine autem cælorum, & distantia dicemus, cum de magnitudine terræ disputabimus, quoniam vnum infert aliud.

FINIS.

DISPVTATIONES
DE VNIVERSO ELEMENTARI
In tres partes diuisæ.

In Prima de Elementis, & mixtis disputatur.

In secunda de generatione, & corruptione, & mixtione, temperamentis, Actione, Alteratione, Augmento, Decremento, Nutritione, & Concoctione differitur.

In Tertia de Exhalationibus, & vaporibus, in communi, & particulari agitur. De Flamma, Face, Capra saltante, Lancea, Trabe, Sideribus discurrentibus, Igne perpendiculari. Fatuo, Tonitruis. Fulminibus, & Cometis. De Voragine. Halo. Corona. Iride, Paralijs, Nubibus. Rore, Pruina. Melle. Manna. Nebula. Pluuia. Niue. Grandine, & Ventis. De signis pluuiæ. Serenitatis. Ventorum. Abundantiæ. Belli, & Pestilentiæ. De Oceano. Maribus, Fluminibus, Fontibus. Lacubus. Aquis, & Piscibus. De terra, Asia, Affrica, Europa; America. De Terræmotu. Metallis. Montibus. Lapidibus. Antris. Hiatibus. Plantis. Serpentibus, Quadrupedibus, & tandem de homine, fuse, & resolute pertractatur.

PER F. MICHAELEM ZANARDVM
S. T. Lectorem, Ordinis Prædicatorum.

CVM PRIVILEGIO.



VENETIIS, Apud Ambrosium Dei. M. D. C. XIX.
Ad Signum Sancti Marci.

PERILLVSTRI, ET
ECCELLENTISSIMO D. D.
ANDREAE DE SALICIBVS
A SECRETIS
ILLVSTRISSIMI, ET REVERENDISSIMI D. D.
FRANCISCI VENDRAMENO
Venetiarum Patriarchæ, Sanctæque Romanæ Ecclesiæ Cardinalis. Domino obseruandissimo.



Ioannes Baptista Carminato. S. P. D.



EA est virtutis conditio, vt ad sui amorem non modo pulchritudine alliciat, sed dignitate impellat, & cogat. Nam, vt inquit Cicero, animi hominum mouentur ad diligendum, cum eorum, quibus cum vsu coniuncti sunt, virtutem, & bonitatem perspiciunt: Natura enim appetunt honestatem, cuius si quasi lumen aliquod intuentur, nihil est, quod vt eo potiantur, non parati sint, & ferre, & perpeti. Sed quorsum hæc humanissime. Domine? Eò vtique tendunt omnia, vt caussæ rationesque illæ pateant, quæ in tui me obseruantiam, admirationemque rapiunt. Cum enim, & ipse virtuti verum honorem debere nouerim, teque ea mirificè præditum, decoratumque esse viderim, me tui quoque addictissimum esse tibi significare, palamque facere volui. Quem tibi amicum non conciliant, quem tui amantem non reddunt probitas illa tua, ingenuitas, comitas, facilitasque morum, & cætera ægregia animi tui ornamenta, quæ tibi studio, atque labore parasti, vt ea omittam, quæ à benefica in te natura tradita sunt, aut aliunde accessere? Sit mihi non falso adulatori, sed vero laudatori testis Amplissimus ille tuus Cardinalis Vendramenus, qui hisce omnibus optime perspectis te sibi à secretis esse voluit, tantoque amore amplexus est, vt non solum harum quas dixi virtutum, sed singularis etiam fidei tuæ summæq; prudentiæ in rebus agendis verum, irrefragabileque reddat testimonium. Sed hæc hactenus; non enim eo consilio ad

ſcribendum acceſſi, vt de tuis laudibus orationem inſtituerem, ſed vt eam, qua te ſponte colo, obſeruantiam tibi declararem, & apud omnes teſtatam relinquerem, quod quidem mihi ex voto abundeque fiet, ſi tù, (quæ tua erit humanitas) hoc exiguum à me munus, opus nimirum ad modum Reuerendi Patris F. Michaelis Zanardi meis expenſis impreſſum, eo animo excipies, quo à me tibi offertur, grato nimirum, atque beneuolo, quod ſi feceris, ego operam dabo, vt aliàs aliquod aliud maius meæ erga te obſeruantiæ extet teſtimonium. Interim faxit Deus, vt ſicuti virtute excellis, ita dignitate emineas. Vale,

LE

LICENTIAM
REVEREND. P. MAGISTRI
GENERALIS TOTIVS
Ordinis Prædicatorum,

Habes in initio aliarum partium Philosophiæ.

ATTESTATIONES.

Opus cuius titulus est. Disputationes de triplici vniuerso R. P. F. Michalis Zanardi Sacr. Theolog. Lectoris Ordin. Prad. Ego Frater Io. Petrus Astorius Sacr. Theol. Magister eiusdem Ordin. diligenter examinaui, & maturo iudicio, magnoque labore concinnatum hoc opus deprahendi, nihilque sana fidei, aut moribus salutaribus aduersum continere inueni, sed varia, ardua, & difficilia mira claritate, & breuitate explicare cognoui, nec non scitu digna in apertum prodere in studiosorum vtilitatem, ac iocunditatem reperi, qua propter impressione dignum, ac ab omnibus studiosis legendum, & amplexandum iure merito censui.

Dat. Venetijs Die 4. Iulij 1619.

Frater Ioannes Petrus Astorius S. Theol. Magister, qui supra.

Nos F. Raymundus Zanellus. S. T. Lector, ac Conuentus. S. Dominici Venetiarum Prior, vidimus disputationes de triplici vniuerso. R. P. F. Michaelis Zanardi. S. T. Lectoris moralis in supradicto nostro Conuentu, nihilq; in eis fidei, vel bonis moribus dissonum reperimus, & ideo eas approbamus, & pro quanto in nobis est facultatem eas imprimendi facimus.

F. Raymundus. qui supra, manu propria.

Attestationibus suprascriptis hærens, idem Opus Typis concessit: Fr. Ioannes Dominicus Vignutius, Ordinis Prædicatorum, Sacr. Theolog. Doctor, & Generalis Inquisitor &c.

INDEX QVÆSTIONVM PRIMÆ PARTIS

VNIVERSI ELEMENTARIS.

Index quæstionum Secundæ partis vniuersi Elementaris.

42 Vtrum

INDEX QVÆSTIONVM PRIMÆ PARTIS

VNIVERSI ELEMENTARIS.

Index quæstionum Secundæ partis vniuersi Elementaris.

42 Vtrum

tur

Index Quæstionum tertiæ partis.

INDEX NOTABILIVM RERVM VNIVERSI ELEMENTARIS.

D

E

F

G

H

Ha-

Du-

Corrigebat F. Io. Petrus Astorius Mag.

ERRATA.

Hic non sunt minutiora Errata notata, quia alia ratione irrepserunt, quam auctoris, & correctoris incuria. Vbi in accusatiuo, in quibusdam paucis tamen locis inueneris Verem, & roburem, lege Ver, & robur. Cetera poteris tu prudens Lector corrigere, tibi enim etiam relinquitur aliquis labor, & ratio exercitij.

QVAESTIONES
DE VNIVERSO ELEMENTARI IN COMMVNI.

F. MICHAELIS ZANARDI BERGOMENSIS: ORD. PRAEDIC.



ARGVMENTVM OPERIS:

Vniuersum hoc in tres partes secernitur.

In prima communiores, & familiares Quaestiones, quae ad naturam elementorum, & mixtorum faciunt ponuntur, ventilantur, & resoluuntur.

In secunda omnes quaestiones quae ad eadem elementa pertinere possunt, exactius examinantur. Atque omnia ad generationem, & corruptionem, cum elementorum, tum mixtorum, & ad istorum qualitates, mixtiones, temperamenta, Actiones, Alterationes. Augmentum, & decrementum. Nutritionem, & Concoctionem pertinent examini argumentorum subijciuntur.

In tertia de omnibus in igne, aere, aqua, & terra, ex vapore, & exhalatione genitis disputatur, fusius, & copiosius quam vsque modo ab aliquo factum sit.

QVÆSTIO I.

Vtrum vniuersum sit perfectum.



VIDETVR quod non. Primo. Omne perfectum est pulchrum. Vniuersum non est pulchrum. Ergo nec perfectum. Maior est D. Dionisij cap. 4. de diuinis nominibus. & Platonis in Cratylo. Minor probatur. Primo, quia in vniuerso reperiuntur mõstra. Hæc autem pulchra appellari indecens est. Secundo. Quia in eo sunt multa peccata, & scelera, quæ ipsum fædant, vnde S.D. in 4. dist. 47. q. 2. a. 2. affirmat, quod propter hanc causam mũdus in suo termino igne purgabitur. Tertio, quia rerum antipatia, & repugnantia, & elementorum perpetua lis, & contrarietas ordinem vniuersi perturbat, & consequenter eius pulchritudinem cõtaminat, nam pulchritudo stat in ordine.

Secundo. Illud dicitur perfectum cui nihil deest. Sed vniuerso nostro multa desunt. Ergo non est perfectum. Maior est definitio perfecti. Minor comprobatur, quoniã in thesauris diuinæ Sapientiæ, & potentiæ adhuc latent multæ vniuersi perfectiones, aliter Deus non posset addere ei maiorem perfectionem. Et in potestate naturæ est augere rerum perfectiones, & artium, vt continua experientia nos docuit, & docet, continuæ enim nouæ

subtilitates adinueniuntur.

Tertio. Perfectum superflui non admittit consortium, quia hoc superfluum vanũ est. At in hoc nostro vniuerso multa sunt superflua. Nam omnia incorruptibilia in vno simplici indiuiduo possunt conseruari, & corruptibilia in minori numero indiuiduorum, immo cum homo sit finis vniuersi, vt dicitur secundo Phys. debuerant abesse ab vniuerso omnia ea quæ ei nocent, vt serpentes, & inimica. Ergo.

Quarto. Illud dicitur magis perfectum, quod ex duobus perfectis coalescit, quam illud quod secundum se tantum dicit vnã perfectionem, & vnum perfectum, quia sic additur perfecto perfectum. Sed Deus non est minus secundum se perfectus, quam cum vniuerso, nam Dei perfectio est infinita, infinito autem nulla potest fieri additio. Ergo signum est, quod vniuersum secundum se non est quoddam perfectum, aliter adderet perfectionem.

Quinto. Quod ex vna parte est imperfectum saltem, non potest dici, nec simpliciter, nec in suo genere perfectum. At tale est vniuersum, nã etsi ex parte superiorum sit incorruptibile, & in actu potentiæ semper coniuncto, ex parte tamẽ inferiorum corruptibile est, & potentiale ex parte materiæ, quæ secũdum se est omni actu priuata. Ergo non est perfectum.

Sexto. Quales sunt partes boni, tale est bonum, quod ex ipsis constat, & ita dicimus de perfecto. At partes boni si in aliquo deficiant, immo si bonum ex vna parte deficiat non potest absolute bonum dici, cum dicat D. Dionisius, quod bonũ est ex integra causa, malum autem ex defectu vnius. Ergo cum in vniuerso sint multæ partes imperfectæ, & deficientes, facient quidem, & causabunt, quod vniuersum nostrum absolute non poterit dici perfectum.

Septimo. Illud non potest dici perfectum, cui deficiunt vere, principaliores partes ex quibus ponitur perfectum. Sed ab vniuerso nostro vere subtrahuntur partes principaliores, ex quibus à Philos. positum est perfectum. Ergo non est dicendum perfectum. Maior est nota. Minor probatur. Nam partes principaliores sunt intelligentiæ, & homo. Modo intelligentiæ non spectant adhoc nostrum vniuersum, cum dicat D. Dionisius cap. 5. cælestis Hierarchiæ, quod sunt mentes supermundanæ. i. extra ordinem vniuersi consistentes. Ita homo dicitur incola mundi, incola autem non est pars eius in quo stat vt in domo. Et dicitur finis mundi, finis autem extrinsecus est, & quid perfectius eo, quod ad ipsum ordinatur.

Octauo. Aut vniuersum perfectius fuit, in statu innocentiæ, aut post peccatum. Si primum, modo non erit perfectũ, cum à sua maiori perfectione decesserit. Si secundum, sequeretur peccatum esse perfectionem, quod omnino falsum est.

Nono. Post diem iudicij vniuersum erit perfectius, cum tunc sit dicendum purgatũ & mundatum, & tamen tunc in eo, non erunt mixta, & corruptibilia. Ergo cum his modo non est perfectum.

Decimo. Si vniuersum dicendum esset perfectum, foret propter rationes Arist. 1. cæli quarum prima est, quia est corpus diuisibile secundum omnem dimensionem, scilicet longitudinem, latitudinẽ, & profunditatem. Et secunda, quia a nullo continetur. Sed hę rationes friuolæ sunt. Prima quidem, quia non sufficit talis diuisibilitas ad eius perfectionem, aliter etiam corpus fine ordine esset perfectum, quia in trinum esset diuisibile. Secunda etiam, quia locus a nullo continetur, & tamẽ est quid imperfectum vnde, non con tineri ab alio non arguit perfectionem.

Pro explicatione, & resolutione huius quæstionis, Primo notandum venit, quod ex dictis dinersis antiquorum multiplex est mundus, vt colligitur ex Platone in Timeo, Plotino lib. 5. eun. 3. c. 6. D. Aug. lib. 3. contra Acad. D. Tho. 1. p. q. 91. art. 1. ac alijs. Primus quidem dicitur Archetypus, siue intelligibilis, & hic non est nisi diuinus intellectus, vt est ideis, & exemplaribus rerum omnium factarum, & facien darum fæcundus, vnde à D. August. 1. Retract. c. 3. dicitur diuina mens, & ratio sempiterna, & incommutabilis, qua mundum fecit, prout dixit Boetius.

——— Tu cuncta superno.
Ducis ab exemplo, pulchrum pulcherrimus ipse
Mundum mente gerens, similiq; ab imagine formans,
Perfectas iubes perfectum absoluere partẽ.

Secundus mundus dicitur Angelicus, qui ex triplici hierarchia constat. Pro quare

re breuiter colligendum enim de vniuerso agere datur locus, licebit etiam ad eius partes extendere sermonem est, quod dũ & dicere D. Dionisium triplicem in vniuersali constituisse hierarchiam. Primam dixit supercælestem, & hanc posuit in tribus diuinis personis. Secundam dixit cælestem, & hanc constituit in sanctis Angelis. Tertiam nominauit subcælestem, & hanc locauit in prælatis. At modo solũ de calesti aliqua dicemus, quoniam ista est quæ constituit mundum Angelicum.

Hierarchia ergo cælestis triplex est. Prima dicitur Græce Epiphania, & superior, & sic definitur à D. Dionisio. Epiphania est incalescentis affectionis incendio, altioris intellectus fastigio iudicij libera resultatio distributa. Hierarchia autem in tribus consistit, scilicet ordine, scientia, & actione. Ordo autem Angelorum in hoc consistit, quod Angeli superiorum ordinum, diuinum lumen copiosius hauriunt, & ad eos quos immediate sub se habent transfundunt. Nam excellentia ordinum stat, in maiori simplicitate, & minori essentiæ compositione. Secundo in maiori sapientiæ perspicacitate, & tertio in ardentiori liberi arbitrij libertate, & vsu, superiores enim in supradictis præcellunt inferiores.

Prima autem Hierarchia ex tribus ordinibus Angelorum constat. s. ex Seraphinis, Cherubinis, & Thronis. Seraphini in diuini amoris incendio præalijs feruent, Cherubin in sciẽtiæ claritate pollent, & Throni in iustitiæ perpendiculo alijs præeminent.

Seraphin ergo est primus ordo in suprema Hierarchia, incipiendo numerare à Deo, de quo sic, dicit Dionisius, Pulchre prima cælestium hierarchiarum excellentissimis essentijs sanctificatur, ordinem habens altiorem, omnibus circa Deum immediate collocatum. Et ideo primæ operationis theophoniæ in ipsum tamquam Deo proximum deferuntur. Subdit. Est autem Seraphin mobile semper circa diuina, & incessabile, calidum, acutum, & superferuidum, intentæ, & inflexibilis semper motionis, suppositorum reductiuum, actiue exemplificatiuum, recalificans ea, & resuscitans in similem caliditatem, & igneum cælitus, & holocaustomatis purgatiuum, circumuelatum, inestinguibile, habens luciformem, & illuminatiuam proprietatem, omnis tenebrosæ obscurationis persecutricem, & manifestatricem.

Dicitur autem mobile. i. semper amans, nũquam affectum circa diuina quietare sinens. Dicitur incessabile, quia talis amor numquam excidit, & numquam ab appetitu amati requiescit. Dicitur calidum, quia ad modum caloris accensum animum excitat vis amoris. Dicitur acutum, quia vis amoris penetrat ad intima conditoris. Dicitur superferuidum, quia sicut illud, quod ebullit caloris vehementia, vndique se iactitat, & diffundit, sic affectus Angelicus nihil inconsideratũ relinquit, immo quanto plus cognoscit, tanto amplius scire cupit. Dicitur inflexibilis motionis, quia ad aliud præter Deum, & ad ipsum non diuertit. Dicitur suppositorum reductiuum, quia ad diuinæ illuminationis participationem inferiores ordines reuocat, & reducit. Dicitur actiue exemplificatiuum, quia non solum inferiores ad amandũ incendit, verum etiam eis formam, & exemplum præbet, qualiter summum bonum sit super omnia diligẽdum, & qualiter sit per amorem in Deum redeundum, & secundum eius beneplacitũ incedendum. Dicitur recalificans, & resuscitans in similem caliditatem, quia ad hoc laborant, vt inferiores, & si non æqualiter, tamen differenter ardeant, & ferueſcant, nam subiecti Angeli per Seraphinos continue ad amplioris amoris affectum excitantur. Dicitur igneum, cælitus, & holocaustomatis purgatiuum, quia ignis diuinus primos Angelos sibi proximiores accendit, vt alios incendant, illuminat, vt illuminent, & purgat, vt purgent. Dicitur incircumuelatum, quia sine omni velamine figuræ, vel creaturæ interposito, diligit videre Deum, & à plenitudine lucis æternæ, sine aliquo medio illuminatur, vt illuminet, & accenditur, vt accendat. Recipit enim immediate a Deo influentiam.

Secundus ordo supremæ Hierarchiæ dicitur Cherubinorum. Cherubin autem interpretatur, plenitudo scientiæ. Nam Deus est summe bonus, & summe sapiens, & vt summe bonus per Seraphinos dicitur communicare suam bonitatem, & vt summe sapiens per Cherubinos suam scientiam, & sapientiã. Hi autem multis titu-

lis decorantur. Primo enim dicuntur cognoscentes, quia in dono diuinæ sapientiæ sunt magis excellentes. Secundo à D. Dion. vocãtur Deifidi, quia diuinam visionem cæteris altius participant. Tertio dicuntur etiam altissimæ dationis luminũ acceptiui, quia excellentia diuinæ illuminationis in ipsis adimpletur. Quarto, nuncupantur quoque contemplatiui, quia per lumen diuinæ sapientiæ, diuinam pulchritudinem contemplantur. Quinto dicuntur communicatiui, quia lumen eiusdem diuinæ sapientiæ, quod in eis copiose diffunditur, per ipsos ad ordines illuminandos abunde deriuatur. Sexto dicuntur diuini fulgoris, & contẽplationis immediate susceptiui, quia diuinam virtutem, & essentiam non in aliqua imagine, vel figura intuentur, sed in semetipsa eam contemplantur. Septimo. Dicuntur diuino alimento domestica, atque viuifica vnitate diuinæ refectionis repleti, quia in hoc quod replentur lumine cognitionis, reficiuntur dulcedine dilectionis. Non quidem satis prodesset illuminari per cognitionem, nisi etiam reficerentur per dilectionem. Hæc autem refectio. Primo, dicitur domestica, quia solum amicis, & domesticis præparatur. Secundo dicitur viuifica, quia viuificat ea refectũ. Tertio dicitur vnica, quia cum carnali delectatione non gustatur. Est autẽ vna per excellentiam, & multiplex per virtutem, quoniam omnẽ satietatem cõprehendit.

Tertius ordo eiusdem summæ Hierarchiæ est Thronorum, sic dictus a dono iudicij, eo quod Deus in eis dicatur sedere, & sua iudicia discernere, & cuncta subiecta per illos disponere, vt dicit Isidorus. Quare illi Angeli in quibus singulariter relucet rectitudo diuini iudicij, Throni nuncupantur. Hinc à D. Dionisio vocantur. Primo sedes altissimæ, quia immediatius Deo altissimo dispositione hierarchica collocantur. Secundo dicuntur sedes compactæ, quia compactio sedium æquitas est iudiciorũ, quę in hoc stat, vt ex culpa pœnam, ex iustitia gloriam, & ex qualitate operis, qualitatem retributionis quilibet sortiatur, cohærent enim apte pęna pro culpa, & gloria pro iustitia. Tertio nominantur sedes Deiferæ, quia Deũ, sibi præsidentem ferunt, & diuinam potestatem per diuina iudicia in subiectis creaturis ostendunt. Quarto etiam dicuntur sedes supermundanæ, quia nos spiritualiter instruunt, vt à re materiali, & terrena nos euacuates, ad æternorum susceptionem nos coaptemus. Throni itaque diuinam virtutem assumũt, & ad inferiora transfundunt.

Secunda Hierarchia dicitur media, quæ à D. Dionisio vocatur opophonomia .i. diuina illuminatio, & diuiditur etiam ipsa in tres ordines .s. in principatus, potestates, & dominationes.

Principatus sunt, qui homines docent, & instruunt, vt maioribus suis debitam reuerentiam præstent, vt Prælatis, Regibus, & Principibus suis. De his autem dicit Dionisius. Ad Principatus pertinet vniuersalis ducatus, & regimen ductiuum ad Dei similitudinem, quia isti Angeli habent ex officio, vt alios inferiores ordinaliter ad Deum reducant, & doceant ipsum reuereri & in seipso, & in proximo, & specialiter in superiori. Nam vt dicit D. Dion. habent alios reducere, & conuertere ad primum, & principale principium .s. Deũ quem ipsi prout possibile est imitantur, & quantum fas est in præsidendi officio Principi assimilantur. Et Isidorus dicit. Principatus sunt, qui Angelorum agminibus præsunt, qui pro eo quod subditos Angelos ad explendum diuinum ministerium ordinant, & disponunt, Principatus vocabulum acceperunt. Nam alij sunt, qui administrant, alij qui assistunt, millia enim millium ministrabant ei, & decies centena millia assistunt ei, Dan. 7.

Potestates secundum Isidorum dicũtur, quibus potestates aduersæ sunt subiectæ, quę ideo potestatum nomine nuncupantur, quia maligni spiritus eorum potestate coercentur, ne tantum noceant, quantum cupiunt, & affectant. Horum officium secundum D. Greg. magnum est, illos qui in bello spirituali desudant confortare, & ne ab aduersarijs violenter superentur defendere, & vt boni victoriam obtineant viriliter adiuuare. D. vero Dionisius de eis sic loquitur. Potestatum ministerium est, cauere, ne aliquid aduersum possit bonis obsistere, vel nocere. Et iterum. Ipsæ sanctæ potestates habent æquipotentem .i. æqualem cum dominationibus potestatẽ, quæ eadem diuina munera in suo ordine, & gradu humiliter suscipiunt, & sine con

fusione

fusione custodiunt. Nihil enim tyrrannice præcipitant contra inferiores, nihil violẽtia, & fortitudine attemptant, sed potius Deiformiter.i. ad diuinam similitudinem Angelos inferiores reuocant, & ad potentificam, & causalem potentiam, i. ad Deũ, qui omnia potest, & omnium est causa supermundane, & intellectualiter reducere non cessant, vt per has Deiformes proprietates mediæ cælestium animarum dispositiones illuminentur, purgentur, & perficiantur.

Dominationes (qui est quartus ordo, sicut quintus Principatus, & sextus Potestates) secundum Isidorum potestatibus, & virtutibus præsunt, & præeminent, quæ pro eo, quod cæteris agminibus Angelorum præsunt, siue dominantur, dominationes nuncupantur. Horum officium secundum Gregoriũ est in bello spirituali nos instruere, qualiter oporteat homines prælationis officium exercere. Docent enim prælatos, qualiter sine tyrannide, & subditorum oppressione, in regimine debeãt se habere.

Secũdum vero D. Dion. horum Angelorum ministerium est, vt seruili timore deposito, in Deum moueri, & absque reflexione ad commodum temporale ei incessanter famulari, quæ singulari excellentia inuisibilem annunciationem in subiectis ordinibus solo imperio formant. Sunt Angeli huius ordinis ab omni oppressione liberi, vt libere ad summum eleuentur, & nulli infra summum subijciantur.

Tertia, & vltima Hierarchia, quæ dicitur ephionia sic describitur. Inferior hierarchia est diuinum participium naturæ legibus occurrens, secreta reuelans, pro capacitate discreta naturæ legibus occurrens. In ista sunt tres ordines Angelorum .s. Virtutes, Archangeli, & Angeli.

Virtutes secundum Isidorum sunt Angelorũ agmina, ministeria habentia ad virtutes, & miracula facienda, in quibus potissime relucet virtus diuina propter quod & virtutes nominantur. De his autem sic dicit D. Dionisius. Ipsa sanctarum virtutum cognominatio, fortem quendam, & incommutabilem docent vigorem, secundum eis inditatam deiformitatem, ad nullam diuinarum illuminationum susceptionem imbecilliter infirmatam. Horum officium est docere prælatos prælationis officium exequi feliciter, & constanter, & vt ipsius onus sustineant patienter. Per Gregorium vero est in his qui virtutem habent docere, qualiter imaginem Dei in se reparent, & reforment, ac reformatam viriliter custodiant, ac conseruent, vnde per istorum Angelorum ministerium virtus miracula faciendi perfectis conceditur, vt reducti ad primum statum, in quo Deus fecit hominem ad sui imaginem, per huiusmodi miracula ostendatur.

Archangeli secundum Isidorum, summi nuncij, vel nunciorum principes interpretantur, Nam inter Angelos primatum tenẽt, quoniam sunt Duces, & Principes sub quorum ordine vnicuique Angelorum officia deputata sunt. Archangeli enim Angelis præsunt, vt patet in Zacharia, vbi Angelus maior dixit minori. Vade, & doce puerum illum &c. Inter hos est Gabriel, qui Virgini mittitur, vt illum denũciaret venturum, qui contra aereas potestates, debuit victoriam obtinere, & triũphum, quia Gabriel Dei fortitudo interpretatur. Est quoque Raphael, qui Dei medicina nominatur, quoniam ad Thobiam est missus, & eius oculis curationem adhibuit, & cecitatem abstulit, & detersit, Est quoque Michael Angelorum Princeps, qui Luciferum à cælo expulit, & in infernum Dei virtute præcipitauit. Secundum Greg. horum officium est de his quæ ad promotionem fidei pertinent, vt de aduentu filij Dei, de eius gestis, & mysterijs fideles promouere. Et secundum Dionisium, prophetias, prophetis reuelare, demones hominibus dominantes arcere, ne vlterius plus ledant, & sic potestatum est eos coercere, ne dominium sibi accipiãt, ac vsurpent. Angelos inferiores ad principale principium suum conuertunt, & quantum eis possibile est Angeli inferiores ipsis mediantibus ad ipsum informantur.

Angelorum ordo infimus est, & Angelus nuncius interpretatur, eo quod voluntatem domini populis annunciare consueuit, vnde Angelus nomen est officij, & non naturæ, spiritus enim est natura, officio angelus. Secũdum Dionisium ab alijs illuminationem suscipiunt, homines ad Dei cognitionem subleuant, & adducunt, & vt iuste viuant informant, & instruũt, Isti primo quos custodiunt, a vitijs retrahunt,

hunt,& ad bonum stimulant, & impellũt Act. 12. Secundo reficiunt, ne sub onere cadamus 3.Regum 19.Tertio Arcent Demones ne nos ledant Thob. 8. Quarto in ambiguis instruunt Dan.9. & 10. Quinto Ducunt in vijs ne deuiemus Thobiæ 5. & Exodi 23. Sexto Nos in tristitijs consolantur Gen.16. & Lucæ 23. In peccatis compatiuntur,ne desperemus Isaiæ 24.& Iud. 2. Septimo Velociter currãt ne cadamus Isaiæ 24. Octauo Adiuuant nos contra hostes ne vincamur Gen. 32. & Machab. penult. Nono sanant nostra vulnera ne moriamur Tob. 11. Decimo Peccata nostra ad nostram memoriam reuocant, vt erubescamus. Iosue 2.Vndecimo.Voluntatem domini annunciant,vt ei acquiescamus Lucæ 2. Duodecimo. Impedimenta auferunt,vt liberius Deo seruiamus Exodi 23. Decimotertio. Frequenter nos visitant, & nobis præcauent, ne offendamus Isaiæ 60. Decimoquarto. Semper Deo assistunt, vt contemplentur Lucæ 1. Dan. 7. Decimoquinto. Orando nobis merentur Tob. 33. Decimosexto. A diuina laude non retardantur Isaiæ 6.& Apoc. 5. Decimoseptimo Deum sine velamine, & facie ad faciem contemplantur Matth. 18. Decimooctauo. Nulla corporea molle aggrauantur Lucæ vlt. Decimonono. In instanti intelligit, vult, & operatur pensata actione prout egreditur a substantia operantis. Vigesimo. Homines ex subita eius præsentia territos, bonus Angelus blandiendo consolatur Luçe 1.Vigesimoprimo. Quando vult apparet, & quando vult latet, corpus assumit, & peracto suo officio illud deponit. Videtur comedere, & bibere, nec tamen comedit, vel bibit conuertendo alimentum in sui substantiam Thobiæ 12.

Præter bonos Angelos, mũdum Angelicum constituentes, ad huc sunt mali Angeli, qui secundum Platonem in Timeo dicuntur Cacodæmones, i. mala scientes, nam demon idem sonat,quod sciens, & cacodæmon mala sciens. Hi rebellando à Deo ad pænas æternas sunt adiudicati, nam vt dicit Damascenus, id quod hominibus est mors, Angelis est lapsus, post casum enim non est eis pænitentia, quemadmodum post mortem hominibus non est vita.Horum caput fuit Lucifer sic dictus secundum Gregorium, pro eo quod alijs Angelis clarior est creatus, sed contra conditorem suum superbiens, lucem, & claritatem perdidit,& formam deformẽ, & obscuram apost[illegible] æ suæ merito acquisiuit, vnde & Dionisius. Lumẽ igitur creatus à conditore, propria voluntate tenebratio factus est.Hic etiam dicitur. Secundo Sathan id est aduersarius,quia sua malitia, Deo qui summe bonus est continue aduersatur,& vt dicit Hieron. præcipirata audacia,magis præsumit, quam possit. Tertio dicitur Beemeth Iob 40. quod interpretatur animal,vel bos,nam sicut bos fœnum comedere, & conterere appetit, sic iste suggestionis suæ dente spiritualium virorum vitam mundam conterere quærit. Quarto Dicitur Leuiathan Iob 40.i.additamentum, quia vt dicit D. Gregorius, malum malo addit, & pænam pænæ addere non desistit, sicut enim & sua, & suorum culpa crescit,sic & pæna. Quinto. Dicitur Grece Appollion,quod idem sonat Latine,quod exterminator; iuxta illud Psal. Exterminauit eam aper de sylua. Sexto. Dicitur communiter Diabolus .i. Hebraice deorsum fluens,quia à cælo fuit præcipitatus, & Græce idem sonat quod criminator, quia proiectus est, vt accusator fratrum suorum. Apoc.12. Dicitur etiam serpens & Draco Apoc.12.propter eius virulentã astutiam. Leo 1. Petri vlt. propter eius apertam violentiam.Vectis Isaiæ 25.propter eius obstinatam duritiem. Coluber tortuosus Iob, propter ipsius in isto aere caliginoso latentiam.Faber conflans prunas, & formans vas in opus suum Isaiæ 55.quia eius exercitio vita electorum qui vasa gratiæ sunt comprobatur.Demones autem generaliter vt dicit Isidorus triplici acumine vigent.s. subtilitate naturæ, temporum experientia, & diuturnitate, & sanctorum spirituum reuelatione.Semper autem tendunt ad malum,vnde quando compelluntur ab homine exire,conãtur in porcos intrare, & ideo vt semper mali,pœnam vbicumque pergant,secum portant.

Tertium vniuersum,seu mundus dicitur magnus,& hic colligit omnes creaturas, superiores, & inferiores, incorporeas, & corporeas,incorporeas.i. Angelos,& corpora superiora vt causas,inferiora,vt superiorũ effectus, & de hoc vniuerso dicitur,

tur, quod illud posuit Deus in pōdere, numero, & mensura, & hic mundus proprie est illud quod vniuersum nominatur. i. vniuersorum vnitas, mirabili quoddam ordine disposita. In hoc igitur vniuerso Angeli præsident, sidera in cælo lucent, igne omnia calent, aere omnia viuentia spirāt, & vigent. In hoc aqua terræ latera circūcingit, & terra omnia inferiora sustinet, & nutrit. In hoc est cælum, quod hominū, & Angelorum domus, & habitaculum dicitur, & in summā in hoc constituta sunt, quæ in verbo, & per verbum creata sunt.

Quartus mundus dicitur elementaris, quia ex quatuor elementis componitur, & hic solum quæ sub globo Lunæ sunt colligit, & comprehendit. Hic ergo mundus dicitur vniuersitas creaturarum, sub globo Lunæ existentium, in modum sphæræ conglobatarum. Marcianus autem sic eum definiuit. Mundus est circulus, ex quatuor elementis, eisdem totis in sphæræ modum conglobatis, terram in medio vndique defixam, æternis cæli raptibus circumcurrens. Hic bifariam considerari potest. Primo secundum totum, & sic nullam admittit contrarietatem. Secundo secundum suas partes, & vt vna pars alteri cōfertur, & sic multas importat cōtrarietates, quoniam calidum contrariatur frigido, & siccum humido. Dicitur autem nutritor corporum, & genitor, sed est carcer animarum, & spirituum durissimum exiliū, locusque miseriarum innumerabilium, & pœnarum. Nā mundus est locus reatus, & transgressionis, incolatus, & peregrinationis, doloris, & lacrymationis, laboris, & fatigationis, horroris, & confusionis, motus, & mutationis, fluxus, & alterationis transitus, & corruptionis, insolentiæ, & perturbationis, violentiæ, & oppressionis, fraudolentiæ, & deceptionis. In mundo hoc inuenitur, vanitas, malignitas, cupiditas, anxietas, defectibilitas, & vetustas. Mundus notos allicit, & diligit, ignotos abijcit, & contemnit, multis obest, paucis prodest, amatores suos decipit, & fallit, multa promittit, sed pauca soluit, contemptores suos ad modum vmbræ insequitur, & apprehendere non desinit, sed suos sequaces fugere satagit, & contendit.

Quintus mundus, qui paruus dicitur est homo. Vocatur autem paruus mundus, quia est veluti summa, & collectio omnium rerum. Nam esse habet cum lapidibus, viuere cum plātis, sentire cum animalibus, intelligere cum Angelis, ratione animæ est incorruptibilis, & perpetuus vt cæli, ratione corporis est corruptibilis, prout sunt omnia mixta. Et ratione intellectus, & voluntatis particeps est beatitudinis. Immo natura humana tanta excellentia dotata fuit, vt à verbo diuino assumi, atque ad diuinitatē, & vnionem verbi personalitatis promeruerint, quas tātas, & tot excellentias celebrarunt Trysmegistus in Pymandro, Gregor. magnus hom. 29. in Euang. Naziāzenus orat. 2. de paschate, & multi alij patres. Modo hic agere intendimus de vniuerso tantum elementari, prout terminatur in quatuor corporibus simplicibus. s. in elementis, & mixtis.

Secundo notandum venit, quod perfectum bifariam sumi potest Primo simpliciter. s. pro perfecto omnimode, ita vt ei nulla desit perfectio, & ita solus Deus sic dicitur perfectus, quia est collectio omnium perfectionum, & nulla est perfectio quæ ei possit deficere, aliter non esset infinite perfectus. Secundo in suo genere, quia. s. in suo genere habet omnem eam perfectionem, quæ ei ex sui natura, statu, & conditione potest conuenire, & hoc modo quærimus an hoc nostrum vniuersum ex simplicibus, & mixtis corporibus compositum sit perfectum, adeo vt non sit in potētia naturali, ad aliam perfectionem.

Tertio, ergo notandum est, & quod perfectio vniuersi in tribus stare videtur. Primo in naturis in suo genere perfectis ex quibus constat: nam nobilitas, & perfectio fundamentaliter pensatur ex natura ipsa rerum. Secundo in distinctione, & varietate earundem rerum, quia sic perfectio additur perfectioni. Tertio in ordine, & dispositione partium in vniuerso, ita vt omnia suas sedes teneant, & nullā confusionem pariant. Hanc autem triplicem perfectionem in hoc nostro vniuerso conspicimus.

Primo enim habet perfectionem omnium naturarum, ista enim in tribus consistit. Primo in substantia sua, & natura, vt perfectio hominis in natura humana, & esse hominis. Secundo in proprijs accidentibus, naturali sequela à natura emanantibus, vt risibilitas, & disciplinabilitas

nabilitas ab homine vt est homo, & vt quantus, quod nascatur cum debita proportione, & membris, naturæ humanæ congruentibus. Tertio in accidentibus aduentitijs, vt in colore, figura, qualitatibus alterantibus &c. Ista autem qualibet natura habet. Est enim talis, natura essentia, & quidditas, quæ habet sua propria, & communia accidentia.

Secundo tenet etiam secundam perfectionē, quæ stat in varietate, & distinctione naturarum, & rerum vniuersi. Nam apertum est, & manifestum, quod in rebus sunt diuersi gradus. Quædam enim solū sunt, & non viuunt, vt lapides, & metalla, quædam sunt, & viuunt vita tantum vegetatiua, vt plantæ. Quædam sunt, viuunt, & sentiunt, vt animalia, & quædam adhuc intelligunt, vt homines. Inter ista mixta possunt dici perfectiora simplicib. elementis, plantæ metallis, animalia plantis, & homines brutis, corpora superiora incorruptibilia, vt incorruptibilia sunt, corporibus inferiorib. corruptibilibus, vt sunt corpora corruptibilia, & substātiæ a materia separatæ.i. Angeli, (si ad eas licet ascendere) omnibus substantijs materialibus. Sub his autem magna cernitur varietas, & distinctio. Nam quædam sunt grauia, & quædam læuia, supera, & infera, calida, sicca, frigida, & humida in Elementis. In metallis, alia obscura, alia nitentia, alia prætiosa, alia vilia. In plantis item, quædam sunt vrbanæ, & quædam syluestres, aquatiles, terrestres, humiles, sublimes, florigeræ, & non. In animalibus quoque sunt animalia, terrestria, aquatilia, volatilia, quadrupedia, reptilia multipliciter.

Non deest nostro vniuerso tertia perfectio, quæ est ordinis.i. dispositio omnium partium in vniuerso, quoniam quæ agunt, & influunt in superiori parte ad agendum accommodata fixa sunt, vt cæli, & elementa. Duplicem autem ordinem in hoc nostro vniuerso contemplamur. Primus est omnium partium ad suum principium .s.ad Deum, qui est omniū causa efficiens finis, & exemplar. Secundus est omnium partium inter se, quia omnes consentiunt ad faciendam quandam harmoniam, & concentum. Sicut enim in lira, & organo, vel alio musicali instrumēto, quamuis cordę diuersum secundum se emittant, & faciant sonū, ad vnū concentū tamen suauiorem quam secundū se sunt præstandū, quod & in musica cernimus. Ita etsi res sint diuersæ, & in vna essentia, & natura non consentientes, tamen simul collectæ suauissimum, & præstantissimum hunc vniuersi ordinem constituunt, ac efficiūt. Quare Pythagoras eum harmonicum dixit, & similem liræ, & D. Aug. Epist. 5. & 28. ipsum carmini comparauit dicendo, quod sicut carmen sillabis, longis, et breuibus, concinne, & numerose constat, ita etiam mundus iste ex altis, & imis, diuturnis, ac varijs rebus componitur.

Secundo ergo loco principali ponitur hæc conclusio. Vniuersum elementare perfectum est. Probatur Primo ex illo Gen. 1. vbi dicitur, quod cum Deus omnia creasset, illa respexit, & approbauit vt perfecta, dum dicitur. Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.

Secundo. Illud dicitur perfectum, cui nihil deest de requisitis ad ipsum, vt si homo habeat omnia suæ naturæ conuenientia. Sed vniuerso nihil deest de sibi requisitis, habet enim naturas, distinctas, ordinatas, & bene dispositas, vt supra ostensum est. Ergo dicitur perfectum.

Tertio. Tunc effectus perfectus dicitur, cum in suum principium tendit, & ei coniungitur, sine impedimento. At vniuersum nostrum in Deum tendit, ab eoque dependet in esse, viuere, & conseruari, dicente Apost. In ipso sumus, mouemur, & intelligimus. Ergo vniuersum nostrum in suo statu, & genere, est perfectum.

Ad primum ergo negatur minor. Ad primā probationem dicitur, quod duplex est perfectio. Prima dicitur essentialis, & hac nō carent monstra; v.g. homo cum sex digitis in manu non caret natura humana, & rationalitate. Secunda dicitur quantitatiua, quæ est partium discretiua in debito numero, & perfectione, & hac possunt monstra carere. Sed hoc bifariam considerari potest. Primo comparando hominem v.g. monstruosum homini perfecto, etiam secundum quantitatem suæ naturæ congruentem, & sic monstrum non pertinent ad perfectionem naturæ humanæ, vnde dicitur homo mancus, vel imperfectus. Secundo comparando monstrum vniuerso, Dei prouidentia gubernato, & sic pertinet ad perfectionem vniuersi.

vniuersi, quia hæc varietas eum admirabiliorem reddit, & ostendit magnam Dei prouidentiam, facientis ne natura suo secundario fine careat, quando producere primum.i. perfectum non potest.

Ad secundam probationem cum D. August. lib. 16. de ciuitate Dei cap. 8. & cap. 11. En chir. dr quod mala culpæ bifariam inspici possunt. Primo sin se, & sic mala sunt, turpia, & imperficiëtia. Secundo in ordine ad virtutes, quas ex indirecto causant, augent, & extollunt, & sic per accidens spectant ad perfectionem. Nō enim esset pænitentia sine peccato, patientia martirum sine martirio, misericordia sine miseria &c. vnde in hoc apparet magna Dei potentia, ex malo extrahentis bonum.

Ad tertiam dicitur cum D. Ambrosio lib. 3. Hexam. cap. 4. & D. Greg. Nisseno lib. Hexam. quod dessidentia & contraria secundum se, comparata toti vniuerso magnam consonantiam faciunt, & mirabilem ordinem efficiunt, sicut dictum est de diuersis vocibus in musica, & diuersis cordis in musicali instrumento, quæ faciunt ad vnū suauiorem concentum.

Ad secundum dicendum, quod de creaturis à Deo creabilibus dupliciter loqui contingit. Primo quo ad gradus generales rerum, & ita affirmamus non posse Deum perfectiorem creaturam condere, (secundum ea quæ, modo Scimus) nam si aliquam de nouo crearet, contineretur sub gradibus essendi, viuēdi, sentiendi, & intelligendi, corruptibilium, vel incorruptibiliū &c. Secundo quoad contenta sub his gradibus, & sic potest semper nobiliorem, & nobiliorem creaturā creare. Sed hæc esset maior perfectio vniuersi extensiua, & actualis, non vero intensiua, & virtualis, nam virtualis potest intendi, vt patet in diuersis adinuentionibus nouis, in artibus tamen notis, vel possibilibus cognosci, sufficit enim quod lateant in viribus naturæ.

Ad tertium quod fuit Manicheorum respōdent D. Aug. lib. 1. de Gen. contra Manich. cap. 16. De ciuitate Dei lib. 11. cap. 22. D. Ambrosius li. 3. Hexam. cap. 9. D. Hier. lib. 2. contra Iouinianum &c. quod res vniuersi duobus modis possunt considerari. Primo vt alijs comparantur, & sic possunt videri superfluæ, & quædam noxiæ. Secūdo vt vniuerso referuntur, & ita omnes sunt necessariæ, quia incorruptibilia species diuersas constituūt, & quando essent indiuidua, multiplicarent p erfectionem extensiuam naturæ. Nociua etiam vni, alteri possunt esse proficua, & saltem facient ad multiplicādas species, & ampliandam naturæ virtutem.

Ad quartum respondet virtualiter S. D. in 3. d. 6. q. 2. art. 3. glossando maiorem, & dicendo tunc eam veram esse, quādo vnum perfectum in alio non continetur, & præcipue si sit secundum altiorem gradum, prout continet Deus omnem perfectionem vniuersi eminentissime, & infinite, vnde sicut punctum additum lineæ eam non facit lōgiorem, ita minus, vniuersum Deo additum, quia ab eo comprehenditur, & efficitur.

Ad quintum dicendum, quod vniuersum secundum omnes suas partes non debet esse incorruptibile, & in actu, cum constet ex gradibus incorruptibilium, & corruptibilium, actualium, & potentialium, & ideo in suo genere dicitur perfectū, quia ad suum genus pertinet similem diuersitatem habere, cum sit elementare, & creatum.

Ad sextum dicendum, quod procedit de bono, & perfecto simpliciter. Nec valet, qd sic solus Deus diceretur bonus, immo quod nulla res esset bona, quia quælibet secum trahit suam imperfectionem. Dicitur enim, quod vere nulla res est bona simpliciter præter Deum, sed tamen multa sunt bona in suo genere .s. quando ei in suo statu non deficit aliquid, quod ei conuenire debeat, vt ille est pulcher, qui habet omnium suorum membrorum perfectionem, ille sanus, qui humorum tenet adæquationem, & sic discurrendo. Si autē ista in sua ratione deficerent, etiam secundum partem, in suo genere non dicerentur perfecta. Hoc autem non tenet in vniuerso, quia de ratione eius, est habere aliqua potentialia, defectibilia, &c. vnde nec in corpore omnia membra habent excellentiam oculorum, nec in ciuitate omnes sunt nobiles, & primates, & tamen corpus dicitur perfectum, ita & ciuitas in suo statu.

Ad septimum primo dicitur, quod procedit de vniuerso, secundo, & vltimo modo considerato. Secundo dicitur, quod intelligentiæ dicuntur supermundanæ, quo ad

modum intelligendi, quia siue phantasmatibus, & discursu intelligunt, non quo ad esse, quia sunt in vniuerso creato. Homo vero dicitur incola terræ ratione animæ, pars vero vniuersi, vt vniuersum etiam animam colligit, vel vt beatificabilis est incola, vt pars corporis, pars vniuersi. Dicitur autem finis omnium rerum artificialium, & naturalium non extensiue, quasi omnia entia vniuersi colligat, sed intensiue, quia ad eius beatitudinem omnia inseruiunt. Vel vt pars est ignobilior vniuerso, vt eius nobilissima pars inter mixta, dicitur eo nobilior, vt est mixtum secundum totum corruptibile.

Ad octauum dicendum, quod per se vniuersum fuit perfectius ante peccatum, quia per ipsum multa sunt infirmata, occasionaliter autem est perfectius post peccatum, quia fuit in causa incarnationis verbi, Immò dicitur quod iustitia originalis fuit quidem dignior quo ad multa, sed modo gratia diuina præstantior est, vnde fortiores reddit homines, quam fecerit iustitia originalis.

Ad nonum dicendum, quod aliud est loqui de vniuerso vt sic, & aliud de eo secundū illum, vel illum statum. Nam primo modo mixta pertinent ad perfectionem vniuersi, quia sunt entia, & bona à Deo creata, & vt bona approbata. Secundo vero modo considerata dicimus, quod sortiuntur perfectionem in statu vniuersi corruptibilis, vt modo, quia modo natura nostri vniuersi elementaris hoc postulat. Post diem vero iudicij, quoniam vniuersum adipiscetur statum incorruptibilitatis, ideo tunc mixta quæ sunt corruptibilia non facient ad eius perfectionem.

Ad decimum dicendum ad id quod obijcitur contra primam rationem, quod Arist. intelligit vniuersum esse perfectum corpus, & ideo vt corpus trinam habere dimensionem. Sed hoc non solum, sed etiam habere continentiam ordinatam, & vniuersalem, & infra addit deinde alias perfectiones vniuersi, vnde omnia, quæ de vniuerso ab eo differuntur inspicienda sunt.

QVAESTIO II.

An possint esse plura vniuersa seu mundi saltem per diuinam potentiam.

Videtur quod non. Primo. Nam ab vno exemplari tantum, non potest esse nisi vnum exemplatum. Sed vnum est tantum exemplar mundi, seu vniuersi nostri. s. mundus Archetypus, seu mundus intelligibilis diuinus, vt docuerunt Plato, Boetius, & D. August. lib. 1. Retract. c. 3. Ergo tantum potest esse vnus mundus.

Secundo. Mundus materialis debet esse ex materia, quia per hanc dicitur materialis. Sed hic noster mundus omnem materiam abripuit, & consumpsit, per Arist. 1. cæli, c. 1. Ergo alius non est possibilis.

Tertio. Si esset possibilis alius mundus, vel hoc esset potentia actiua, vel passiua. Non passiua, quia non datur materia in potentia ad alium mundum. Non actiua, quia quandoque deuenisset ad actum, maximè potentia Dei, quæ est efficax. Ergo non est possibilis.

Quarto. Dei perfecta sunt opera, neque in eius operibus potest esse aliquid inordinatum. Sed datis pluribus mundis, non possent esse nisi inordinati. Quomodo enim elementa essent simplicia, & vniformia? Quomodo posset dici vniuersum, si non comprehenderet alios mundos? Quomodo vnus motor tantum esset, & vnius mobilis? Ergo.

Quinto. Vel hic mundus de nouo creatus posset esse melior isto, vel non. Si non, Deus esset impotens. Si ita, Deus esset inuidus, vel malus, quia non faceret, quod posset, & melius esset. Ergo.

Sexto. Quæ consistunt in indiuisibili non possunt multiplicari. Sed species rerum per Arist. 8. Metaph. sunt sicut numeri, qui consistunt in indiuisibili, addita enim vnitate alio numero, variatur. Ergo non possunt in multis mundis multiplicari.

Septimo. Vel vniuersum, seu mundus de nouo creatus esset similis isti, vel non. Si non, peruersus esset modo ordo nostri vniuersi, vt nobiliora sint inferioribus superiora. Si ita, esset multiplicatio inutilis, quod Deo conuenire non potest.

Octauo. Si Deus posset creare alium mundum, posset & creare infinitos, quia vir tus

tia Dei non determinatur, nec ad vnum, nec ad infinita. Sed Deus nō poteſt creare infinitos mundos. Ergo. Probatur minor. Primo, quia omnes gradus entium creati ſunt, vt diximus. In his autem ſtat perfectio vniuerſi. Secundo, quia formę ſunt velut numeri 8. Metaph. text. 10. & Deus eſt vnitas per D. Dioniſium cap. 5. de diuinis nominibus. Sed numeri verſus vnitatem non pergunt in infinitum. Ergo nec ſpecies verſus Deum. Tertio. Quia incarnatio Chriſti huic noſtro vniuerſo attulit omnem perfectionem, adeo vt quilibet alius mundus creatus, erit ſemper deterioris conditionis.

Pro dilucidatione huius quæſtionis primo ponemus aliqua fundamenta. Secundo loco quaſdam concluſiones, & tertio ſolutiones omnium argumentorum.

Quo ad primum primo notandum venit, quod tria hic quærimus. Primum, an de facto ſint plures mundi. Secundo, an dato, quod de facto nō ſint plures, an a Deo poſſint effici, ſaltem ſua abſoluta potentia. Tertio. Dato quod poſſit alium mundum efficere, an poſſit ſemper perfectiorem, & perfectiorem in infinitum creare, quæ & ſi ſub ſingularibus quæſtionibus tractari poſſint, tamen breuitatis cauſa ad vnam tantum redegi.

Quo ad primum. Primo notandum venit, quod de vnitate mundi plures apud antiquos fuerunt opiniones, vt teſtantur D. Ambr. lib. 1. Hex. c. 1. D. Aug. 12. de ciuitate Dei c. 41. Plutarchus lib. 2. de placitis c. 5. Cicero li. 2. Academ. quæſt. & alij plures. Sed duplex eſt ſententia principalis. Prima affirmatiua, quæ plures mundos ponit. Secunda negatiua, quæ vnum tantum mundum conſtituit. Primam tenuerunt Manichei, Metrodorus, Anaximander, Anaximenes, Archelaus, Ariſtarchus, Xenophanes, Diogenes, Leucippus, & Epicurus. Sed Manichei fecerunt plures mundos, ſed finitos. Democritus vero eos voluit infinitos, & diuerſos, adeo vt in quibuſdam lucerent Sol, Luna, & Stellæ, & in quibuſdam non, in aliquibus eſſe animalia, & plantas, & in alijs nequaquam. Alij vero ſupradicti hanc diuerſitatem non admiſerunt, ſed tantum infinitatem ſtatuerunt, vnde cum Alexander Magnus Macedo, (vt tradit Plutarch. de tranq. animi) audiuiſſet Anaxarchum de pluralitate mundorum differentem ingemuit, & lacrimatus eſt, & ſciſcitantibus amicis propter quam cauſam lacrymas fudiſſet, dixit. Heu ſi infiniti ſunt mundi, quæ gloria mea, quod vſque modo vnum non ſubiugauerim?

Vnum autem mundum tantum fecerūt Thales, Pythagoras, Hippaſus, Anaxagoras, Parmenides, Meliſſus, Heraclitus, Zeno, Plato, & Ariſt. & omnes Catholici, nam Albertus Magnus, ſecunda p. ſummæ de homine, D. Iſidorus lib. 8. Ethimol. cap. 5. D. Io. Criſoſt. in principio Gen. Method. lib. de reſurrect. D. Hieronymus epiſt. ad Habitum, (de qua reuidendus eſt Sixtus Senenſis Bibliotheca ſancta lib. 3. annot. a 13.) dicunt hereſim eſſe conſtituere plures mundos, & habetur 24. q. 3. can. Quidam autem circa finem, & nos infra ex ſacris literis probabimus.

Secundo. Notandum venit, quod mundus ſit vnus multifariam poteſt intelligi. Primo, intrinſece, & phyſice, quaſi ſit vnus vna anima informante, & hoc falſum eſt, & vt damnatū reijciendum, vt in quæſt. 1. vniuerſi cæleſtis diximus. Secundo, extrinſece & hoc verum eſt. Nam primo tenet vnitatem ordinis, qua omnia ad eius integritatem, perfectionem, & bonitatem ordinantur. Secundo, vnitatem ſubalternationis, quia ſuperiora agunt, & mouent inferiora, vt docuit Ariſt. 8. Phy. 2. & 12. Metaphy. & tertio vnitatē proportionis, quia commenſurantur adinuicem.

Tertio. Notandum venit, quod vt docuit Albertus Magnus cap. vlt. de homine, triplicem ordinē in vniuerſo contemplamur. ſ. in ſe, ad hominem, & ad Deum. Primus ergo ordo mundi, ſeu vniuerſi eſt in ſe, & hic eſt locati ad locum, mobilis ad motorem, potentiæ ad actum, primæ cauſæ ad ſecundam. partium ad totum &c. nam iſti ordines reperiuntur in vniuerſo in ſe inſpecto. Secundus ordo eſt ad hominē, & hic vel eſt ad eius illuminationem, & cuſtodiam, & ſic Angeli ad ipſum ordinantur, vnde vocantur à D. Paulo. Adminiſtratorij ſpiritus. Vel eſt ad eius compoſitionem, & ſic ad ipſum ordinantur elementa, vnde ex his dicitur mixtum. Vel eſt ad eius ſuſtentationem, ornamentum quo ad corpus, vel quo ad animam, & ſic ad ipſum ordinata ſunt mixta, artes & virtutes. Tertius ordo eſt ad Deum, &

talis est triplex, s. vt ad causam primam effectricem, & motricem, vt ad causam finalem, & exemplarem.

Quo ad secundum principale, primo notandum est, quod Vuitgleph, & Abailardus hæretici, hæretice dixerunt Deum non posse alios effectus facere, quam fecerit, quia tenuerunt Deum non libere agere, sed ex naturæ necessitate, vnde sicut ignis non potest nisi calefacere, ita nec Deus creare, nisi sicut creauit, & fecit, quod nos reiecimus, 8. Phy. & reprobat Vualdensis in Doctrinali fidei antiquæ cap. 10. Quod ergo Deus possit sua absoluta potentia plures mundos efficere docuerunt. S.D. 1.d.44.q.1.ar.2.D.Bonau.q.1.Duran. q.3.Gabriel, & Ocham.q.2.art.2.Capreolus 1. d.43. q. vnica ad 2. Caietanus 1.p. q.47.art.3. Albertus Magnus lib.1.de cælo tract.3.cap.6. Immo hanc defensauerunt. SS. Patres Athanasius in oratione contra Idola. Ambr. lib.2. Hexam. c. 2. Basilius hom.2. Hexa. Iustinus Martir.lib. de quorundam decret. Arist. reprehensione, & alij.

Secundo ergo notandum venit quod Deus omnia ea potest, quæ contradictionem, non implicant, producere autem plures mundos nullam inuoluit repugnantiam.

Tertio, notandum venit, quod tripliciter possumus intelligere non posse esse plures mundos. Primo, ex defectu potentiæ actiuæ, quia vel est debilis, & infirma, & impotens, vel quia agit de necessitate naturæ, & non libere. Secundo, quia non agit ordinaria sua virtute, sed supranaturali, & absoluta sua potentia. Tertio, quia debent omnia esse ordinata vno ordine ad vnum, vt docuit Arist. Negare Deum non posse plures mundos efficere primo modo. s. ex defectu potentiæ, vel modi eius agendi error est, vt diximus supra in hoc enim sensu locuti sunt. SS.Patres. In secundo vero sensu. s.dicere Deum sua ordinaria potentia non posse alium mundum creare, idest stante hoc ordine rerum, & nulla mutatione facta in rebus ipsis, nullus est error, vt docuit. S. D.p.p. q.47.art.3. sed bene esset hæresis hoc negare de absoluta diuina potentia, quoniã ista nulli rei creatæ alligatur; nec ab aliqua earum determinatur. Tertio etiam modo, in quo sensu, & secundo locutus est Arist. 1.cæli.cap.9. non est docere falsum, quia si multi essent mundi, multæ essent ordinationes, rerum numero distinctæ ad Deum, vt ad causam effectiuam, & finalem, modo enim est tantum vnus ordo numero, quo stante voluit dicere Arist. non possent esse plures mundi, quia necesse esset mutari ordines, & ex vno multos fieri.

Quo ad tertium Durandus 1. d.44. q.2. Aureolus apud Capreolum.q.2. & Scotus 3. dist.13.q.1.apud Caietanum 1.p. q.25.ar. 6. docuerunt posse quidem Deum producere alios atque alios mundos in infinitũ perfectiores, non quo ad species, quia in eis fiet status ad perfectissimam, vltra quã non erit processus, sed quo ad indiuidua, quæ sunt in infinitum multiplicabilia, etiam secundum perfectionem; non vero essentialiter, & specifice. Oppositum docuit S. D. & cum eo Caiet. p. p. q. 25. art. 6. ad 1.s. posse Deum multiplicare in infinitum omnem creaturam, & in numero, & specie, & indiuidualiter, & essentialiter, hoc enim nullam inuoluit repugnantiam, cum talis infinitas non sit in actu, sed in potentia semper actui permixta in infinitum, Non quod deueniamus quandoque ad mundum infinite perfectũ, sed ad mundum cui semper in infinitum possit addi perfectio.

Secundo vero notandum venit, quod multipliciter possumus intelligere Deum posse augere perfectionem vniuersi. Primo ex parte operantis, quasi Deus adinuenerit inexcogitatum modum melius efficiendi nouum mundum, vel reparandi creatum, & sic dicimus hoc non esse possibile, quia Deus vna bonitate, vna sapiẽtia, & vna potentia omnia creat, & reficit, perficitq. Hæc autem semper in Deo fuerunt, & sunt in infinita perfectione, vnde non est sicut homo, qui nouas adinuẽtiones vel subtilitates in artibus adinuenit; Secundo potest intelligi quo ad maiorem perfectionem specierum, & essentialem. s. quod possit augeri, & sic dicimus non posse stante vnitate mundi, s. in sensu composito, quia si essentialiter variarentur species, mutarentur, cũ sint sicut numeri, quibus si addatur vnitas, variantur. Tertio potest intelligi, quo ad maiorem perfectionem intensiuam, & accidentalem in specie: ũm, v.g. quod homo fieret perfectior, quã modo sit, & sic Durandus

randus 1.d.44.q.3. Aureolus apud Capreolum d.43.q.1.art.2. Conimb.1. de cælo c. 9.q.2.art.2.& Vasquez. p.p. D.Tho. disp. 107. c.3. docent partem affirmatiuam. f. posse Deum intendere perfectionem specierum, vt facere hominem perfectiorẽ, v.g. reparando eum,& reducendo ad statum innocentiæ in quo fuit creatus. Oppositum videtur docuisse S. D. p. p. q.25. art.6.in 1.dist.44.q.1.art.2. & cum eo Capreolus ibidem, Alexand. Alensis 2. par. q. 18. membro 3. Altisiodorensis lib. 1. summæ cap.12. q.7. Dicendum autem venit cum Ruuio, 1.cæli c. 1. q. 4. quod variatio specierum dupliciter potest fieri accidentaliter. Primo manente eodem ordine vniuersi, adeo vt non inuertatur, nec alteretur, sed simpliciter tantum intra terminos suæ naturæ perficiatur magis, & sic non negamus hoc posse fieri, V. g. quod albedo magis digreget visum, homo recuperet statum innocentiæ, aqua fiat clarior, &c. Secundo variato ordine vniuersi, V.g. si aqua fieret rarior quam aer opus esset eam supra aerem ascendere, si homo fieret intellectualior Angelo, opus esset eo esse perfectior, &c. & sic dictum est Deum non posse augere has perfectiones accidentaliter, intellige in sensu composito, idest stante tali natura intra terminos suos. Quarto hoc potest intelligi de ordine vniuersi, & ita dic esse possibilis maior perfectio, dummodo non alteret suum ordinem, stante eo ordine.

Quoad secundum principale. Prima conclusio est. De facto tantum est vnus mundus. Prob. Primo ex sacris literis, quæ de eo, vt de vno mundo loquuntur, vt Io. 1. ibi. Et mundus per ipsum factus est. Matt. vlt. & Marci vlt. ibi Euntes in mundum vniuersum, prædicate euangelium omni creaturæ. Item Gen. 1. enumerantur à Deo facta, quæ omnia apud nos sunt, & deinde subditur. Et requieuit Deus, die septimo ab vniuerso opere, quod patrarat, idest, post illam creationem, cessauit ab omni alia factione. Et D. Paulus Act. 17. & ad Rom. 5. docuit Deum fecisse ex vno homine genus humanum, & per vnum hominem peccatum in mundum introisse.

Secundo probatur communi consensu SS. patrum, vt supra diximus.

Tertio probatur rationibus. Primo. Vnus est ordo superiorum ad inferiora, quia multa corpora cælestia sunt subordinata cum vno ordine cũ inferiorib. Ergo vnus erit ordo inferiorũ ad superiora. Sed plures mundi distincti non possent habere hunc ordinem, cum non subalternarentur, sicut corpora cælestia, vt patet. Ergo.

Secundo. Mirabile esset, si alij mundi darentur, quod nulla ratione, experientia, relatione, vel saltem diuina reuelatione nobis non innotuissent, quod ad eos non fuerint missi prædicatores fidei, &c.

Tertio. Deus, & natura nihil faciunt frustra. Sed frustra essent hi plures mundi, cum vnus hic qui vt̃ omnia à Deo creata optime concludat, & ex his dicatur Dei opus perfectum. Ergo non est tenendus, nisi vnus mundus. Rationes tamen istæ probabiles sunt, & non demonstratiuæ.

Secunda conclusio est. Deus sua absoluta potentia, potest plures mundos efficere. Probatur. Illud, quod non implicat contradictionem est Deo possibile. Sed plures mundos creare non implicat contradictionem. Ergo est ei possibile. Maior est nota. Minor probatur. Nam sicut Deus, ex nihilo effecit hæc elementa, & cælos, ita potest alia elementa, mixta, & cęlos efficere. Si vero quæratur an diuersæ speciei, idest alium ignem diuersæ speciei, dicendum venit, hoc non implicare. Hoc enim semper inspiciendum est, quod implicantia respicit præteritum, vel factum irreuocabile, non vero futurum, vnde potentia Dei semper se extendit ad futura, quæ non inuoluunt aliquod præteritum, ita vt sit præteritum, & debeat assumi vt non præteritum. Poterit igitur Deus creare nouos cælos, qui influant, sine motu, & luce, & poterit noua elemẽta condere, quæ stent immobilia &c. nã mutata natura, mutantur etiam proprietates. Idem dico de homine, posset enim illum facere ex aere, & non ex terra resultantem, & cum anima mortali, & gloriæ incapace, &c. Non enim video in his aliquam pugnantiam mutata natura, & specie. Solum censeo non posse Deum efficere meliorem ordinem vniuersi ad seipsum Deum, quia non potest esse in vniuerso melior ordo quam ad Deum ipsum, dico essentialiter.

Tertia conclusio. Deus potest semper alium, & alium mundum in infinitum perfectio-

rem

rem creare, syncategorematice, & in actu permixto potentiæ. Probatur, quia tale infinitũ non repugnat in rebus vt 3. Phys. ostendimus ad quem locum te remitto.

Ad primum dicendum ad maiorem, quod duplex est exemplar. Primum præcisum, & sic ab vno exemplari tantum est vnum exemplatum. Secundum multiplex, quia multipliciter est imitabile, & ita ab hoc possunt esse plura exemplata. Ita autem est in facto, nam diuina essentia diuino intellectui obijcitur, nõ solum vt exemplar de facto huius vniuersi, sed etiam infinitorum, vnde de facto a mundo isto secundum vnam ideam imitatur, sed de possibili secundum multas imitari potest, & sic a diuino intellectu intelligitur.

Ad secundum quod est argumentum Arist. ad probandum vnum solum mundum dicitur, quod valet de materia creata, Deus autem, & nouam materiam, & nouum mũdum materialem potest creare, Vide de hoc Iustinum Martirem vt supra & D. Ambrosium lib. 1. Hexam. c. 2.

Ad tertium dicendum mundum esse possibilem ex parte vtriusque potentiæ. Ex parte materiæ non productæ iam, sed producibilis. Et ex parte potentiæ actiuæ Dei; quia non ordinatur ad actum, si enim ad illum esset ordinata, ad illum deuenisset, sed ad illum non ordinatur de facto, sed tantum de possibili.

Ad quartum dicendum, quod si Deus crearet nouum mundum, illi etiam suum ordinem statueret, vel nostro specifice similem, vel secundum speciem differentem, vt diximus supra. Terra enim qualibet ad suum centrum moueretur, & leuis ad suum. Et si essent diuersæ speciei, secundum quod eorum natura postularet. Nec tunc hoc nostrum vniuersum esset vniuersum simpliciter, sed tantum nostrum. Posset tamen dici esse in vniuerso generali omnium creaturarum. Et tunc esset vnus primus motor, non vnum primum mobile, dato alio cælo supremo in alio vniuerso creato, Deus enim posset immediate mouere plura prima mobilia in diuersis ordinibus, quia non est vni præcise applicatus. Vel faceret plures primos motores in suo genere applicatos, & determinatos ad mouendum sua mobilia.

Ad quintum dr̃ Deum nõ esse inuidum, nec malum, si non efficiat mundum perfectiorem, quia non habet ius mundus, vt melior sit, quã à Deo sit creatus opus enim liberissimum, & liberalissimum est Dei, vnde nõ potest aliquid petere plus quam ei Deus dederit. Aliud est enim loqui de productione mundi, & aliud de generatione filij. Nam filius actione immanenti, & vt eiusdem naturæ cum patre generatur, & ideo pater debet eum generare perfectum, mũdus vero producitur actione trãseunti, & libere, & ideo prout Deo placuit.

Ad sextum dicendum, quod species, & numerus æquiparentur bifariam potest intelligi. Primo quo ad essentiam, & sic est verum, quia sicut noua vnitas addita numero, illum variat, ita essentia essentiæ addita, illam diuersificat, vnde rationale additum sensitiuo, ex animali vt sic, rationale efficit. Secundo quo ad intensionem perfectionis seu quo ad perfectionem accidentalem, & sic non æquiparantur, quia numeri nõ sustinent augmentum perfectionis, species vtique, vnde Deus potest semper augere perfectionem vniuersorum, & specierum vniuersi, vel de nouo creare magis, vel minus perfectas accidentaliter.

Ad septimum dicendum posse Deum creare aliud vniuersum, & simile, & dissimile huic nostro. Si esset simile non esset multiplicatio inutilis, quia extensiue magis multiplicaretur ostensio diuinę bonitatis Si dissimile, bonus esset ordo vtriusque vniuersi, quia Deus prout illis conueniret, ea crearet.

Ad octauum negatur minor. Ad primam probationem dicitur, quod crearet nouas species sub illis gradibus si omnes sunt creati. Ad secundam dicitur, quod numeri prout egrediuntur ab vnitate possunt in infinitum multiplicari, & ita mundi, prout a Deo crearentur. Ad tertiam dicitur, quod incarnatio Christi, ex parte assumentis .i. ex parte verbi, non potest perfici, ex parte vero assumpti, vtique, quia multis alijs modis potuisset humanã naturam assumere, vt dando ei gratiam inamissibiliter &c. vel potuisset etiam, assumere angelicam naturam.

QVAE-

QVÆSTIO. III.

Vtrum mundus sit generabilis, & corruptibilis.

Videtur quod sic. Primo. Nam omne mixtum ex contrarijs compositum, est corruptibile per Arist. 2. Phys. Sed mundus noster hic inferior est compositus ex contrarijs elementis. Ergo est naturaliter corruptibilis.

Secundo. Omnium natura constantium determinata est quantitas in maximum, & in minimum per Aristot. 1. Phys. & 2. de Anim. Ergo possibile est, quod elementa, quæ continuo se alterant, & corrumpunt, quod tandem deueniant ad tam paruam quantitatem, vt sub ea non possit saluari forma elementi. Et ita dicimus de mixtis nam vidimus raros esse natos, qui procerioris sint naturæ parentibus, Ergo tandem deuenietur ad tam paruam quantitatem, vt forma animalis non possit in ea stare.

Tertio. Generatio non potuit esse ab æterno, nec corruptibilia, quia tempore & nō æternitate mensurantur. At res suo principio correspondent. Ergo si inceperunt esse in tempore, deficient quoque in eo.

Quarto. Id quod est necessarium respectu alicuius finis, fine adepeo non est amplius necessarium, sed superfluum. Sed totus hic mundus factus est propter hominem, vt per ista iuuaretur ad consequendam beatitudinem. Ergo ea adepta post diem iudicij, mundus hic vt superfluus tunc desinet, & corrumpetur. Minor nota. Maior probatur, quia non est ratione sui.

Pro explicatione breui huius questionis, (nā de incorruptibilitate cælorum egimus ad longum in Metaph.) Primo. Notandum venit, quod circa præsentem difficultatem fuerunt duæ opiniones. Prima tenet perpetuitatem mundi, quam docuit Arist. Alia eam negat, quam plures defensauerūt.

Secundo notādum, quod bifariam possumus quærere an mundus sit in perpetuum duraturus. Primo cum generali Dei concursu. i. ordinario, quem semper habuit, & habet. Secundo cum particulari, & extraordinario, quem ex sacris litteris ad conseruandum mundum in perpetuum non habemus, vnde quærimus, an stante rerū ordine, & Dei generali concursu ordinario, mundus sit in æternum duraturus, aut vero quandoque finem habiturus.

Tertio obseruandum venit, quod fide docemur de duplici statu mundi. Primum vocamus imperfectum, quem ab initio vsque ad diem iudicij habiturus est mundus, in quo ipsum contemplamur prout modo iacet. Secūdum dicimus perfectum in quo non erit nec motus, nec tempus iuxta illud Apoc. 10. vbi dicitur, quod Angelus iurauit per viuentem in secula seculorum, quod postquam alter Angelus tubam cecinerit amplius non erit tempus. i. motus cæli, qui tempus causat, quoniam cæli quiescent. Cessante enim fine, cessant quoque ea quæ ordinantur ad finem, motus autem cæli ordinantur ad generationem hominum, & mixta ad sustentandam ac iuuandam vitam hominis, quare generatione terminata, & vita animali hominis finita, non erit opus vt cæli amplius moueantur. Nota autem hic cum S. D. in 4. d. 48. q. 2. art. 2. quod non est certum cælum quieturum, in eo situ, in quo fuit creatum, quia sic sequeretur mundum debere durare, quousque noua sphera ad primū suum locum redeat, quod dicit spacium annorum 49000. & ita etiam quod stellæ veniant ad suum pristinum locum, quod fiet spatio annorum 36000. & sic mundus esset multum duraturus, & dies iudicij posset sciri, quæ omnia diuinis literis non consentiunt. Item tunc corpora cælestia clariori luce perfundentur iuxta illud Isaiæ 30. lux Lunæ, sicut lux Solis, & lux Solis erit septipliciter, & 60. Ecce ego creo cælos nouos, & terram nouam, non quo ad substantiam, vt interpretantur DD. sed quo ad nouum, statum, & perfectiores qualitates. Tunc enim etiam elementa liberabuntur à corruptione, a vicissitudine alterationum, & a permixtione alterationum, & vaporum, & reddentur vt cælestia corpora lucida, & clara, secundum statum tamen cuiusque elemēti. Ista enim debere permanere in æternū quo ad substantiam testatus, est sapiens Ecclesiast. 3. ibi. Didici, quod omnia opera, quæ fecit Deus, perseuerent in æternum. Hæc autem omnia fient concursu Dei speciali.

Secundo ergo loco principali ponitur hæc conclusio. Mūdus generali Dei concursu potest

potest durare in perpetuum. Probatur. Primo. Vel enim loquimur de corporibus cælestibus, vel sublunaribus. Si primum corpora cælestia sua natura sunt incorruptibilia, & eorum motores. i. intelligentiæ non fatigantur, nec laxantur in eorum motibus. Si secundum vel est sermo de elementis. Vel de mixtis. Si de elementis patet, quod & si secundum partem corrumpantur, quod secundum totum stant, & si ex vna parte recipiūt decrementū, ex alia illud resarciunt, & cōpensant vt ostēderunt Plato in Timeo, & Philo in lib. de mundi incorrupt. Si de mixtis, patet quod materia, quæ est fundamentum omnium mixtorum est incorruptibilis, & forma quæ ei dat esse, numquam eum definit, quia generatio vnius est corruptio alterius, & econtra.

Secundo. Prouidentia optimi prouisoris hoc facit, quod omnibus prouidet iuxta eorū naturam, & proportionē. Sed stante ordine rerū, ac earū armonia, & proportione fit, vt nulli tantam permittat facultatem circa aliam, vt possit eam extinguere, nec notabiliter consumere, vnde contrarietas elementorum, & qualitatum sic est naturaliter attemperata, vt sibi continua conseruentur, & superius sit locus naturalis, atque conseruatiuus inferioris, & si vna ex vna parte alterum destruit, ab alio etiam vicissim destruitur, sed vtriusque iactura reparatus, partim ex materia alterius, partim ex materia aliorum, proueniant conseruetur naturalis integritas omnium.

Tertio. Causa perpetua, perpetuum solet habere effectum. Deus creator est causa perpetua mundi. Ergo mundus quo ad substantiā debet stare, vt perpetuus eius effectus.

Ad primum dicimus ad maiorem, quod mixtum duplex est. Primum est mixtum in seipso per mixtorum vnionem in vno supposito, & hoc corruptibile est, ex pugnantia contrariorum in eodem, quia vnum tandem alteri præualet. Secundum dicitur quoddam ordinē mixtum, quia .s. in suo ordine includit contraria, sed non vt in vno supposito, sed vt in vno ordinato, vt mundus includit elementa, & tale non est corruptibile secundum totum, sed secundum partem. s. elementa, vt iam supra diximus, & ostendimus.

Ad secundum dicendum, quod elementa dū se alterant, & corrumpunt secundùm vnam partem, se resarciunt secundum aliam pro quanto semper opus est. Et quod antiqui nostri fuerint proceriores, & fortiores iuxta illud, Georg. grandiaq; effossis mirabuntur ossa sepulchris, tamē verum est etiam multos posteriores suis parentibus euadere grandiores, & virtuosiores. Sed dicimus etiam, quod status mixtorum, & elementorum bifariam inspici potest. Primo, secundum se, & sic videtur posse deficere. Secundo, vt est opus naturæ nō deficientis in necessarijs, & ita affirmamus naturam ita esse sollicitam, Dei virtutem roboratam, vt nūquam defecerit in conseruanda omni specie.

Ad tertium dicendum ad minorem, quod res suo principio correspondeant potest duobus modis intelligi. Primo in esse quoad dependentiam, quia sicut à principio habuerunt esse, ita ab eo illud virtualiter retinent, & hoc est verum. Secundo quo ad modum incipiendi, & terminandi, ita vt sicut esse recepit post non esse, ita debeat tandem post esse ad non esse terminari, & hoc est falsum, in creatis sua natura incorruptibilibus, vt sunt Angeli, cæli, & animæ nostræ, immo mūdus secundum se, & quoad substantiam consideratus.

Ad quartum dicendum ad minorem, quod vniuersum sit factum, propter hominem bifariam potest intelligi. Primo solum, & hoc negamus, factum est enim ad ostendendam Dei bonitatem, sapientiam, & potentiam. Secundo principaliter in ordine creabilium, & hoc est verum, sed cum defecerit secundus finis, stabit semper primus, & ideo erit perpetuum Dei testimonium. Secundo dico, quod mundus factus sit propter hominem duobus modis potest intelligi. Primo physice, & in genere entis, & sic vnaqueque res facta est propter suam perfectionem, & operationes naturales. Secundo moraliter, & in ordine ad finem extrinsecum, scilicet ad beatitudinem, & sic omnia propter hominem dicuntur facta, quia sunt beatitudine incapacia, & Angeli iam eam sunt adepti.

QVAE-

QVÆSTIO IV.

Vtrum machina mundi diuidatur in æteream, & elementarem regionem.

Videtur quod non primo. Corruptibili, & incorruptibili nihil est cõmune per Arist. 10. diuinorum. Sed regio æterea est incorruptibilis, & elementaris corruptibilis. Ergo non potest dari mundus his communis.

Secundo. Quæ vniuntur, & sunt sua natura dissimilia, per aliquam dispositionem precedentem vniuntur, quia vnio est similium, à dissimili autem ad simile non fit transitus nisi per alterationem dispositiuam. Sed æterea numquam fiunt elementaria, neque econuerso. Ergo ista non possunt vniri in vno vniuerso.

Tertio. Elementa agunt in sibi immediatum. At ignis, qui ponitur immediatus orbi Lunæ æthereo in ipsum non agit, neque enim comburere, nec desiccare potest illũ. Ergo male ponitur mundus sic vnitus, & diuisus

Pro explicatione huius quæstionis notandum primo est, quod Aristotelis libello de mundo (si eius est) sic mundum describit. Mundus est compages, constans ex cælo, terra, & reliquis naturis, quæ in eis continentur. Et alibi. Mundus est corporum ordinatio, & distributio, quæ à Deo, & propter Deum conseruatur. Hæ autem descriptiones de mundo vt superiora, & inferiora includit currunt, non vero de mundo tantum elementari valent, & sic etiam diuiditur mundus non elementaris, sed vniuersalis, i. vniuersitas creaturarum in regionem æteream, seu calestem, & elementarem seu sublunarem.

Secundo. Notandum venit, quod regio æterea bifariam sumi potest. Primo proprie, & sic tantum dicitur de cælis decem, supra omnia elementa collocatis. Secundo impropric, & communiter, & sic multi diuidunt cælum, in aereum, æthereum, olympicum, igneum, firmamentum, aqueum, empyreum, seu sanctorum Angelorum. Vocant cælum aereum medium aeris interstitium, quod à grossis vaporibus aquæ, & terræ non est per omnia infectum, vnde illa pars aeris purior, & ab inferioribus qualitatib. impermixtior, propter suam diaphaneitatem, seu naturam transparentem nomine cæli] decoratur, iuxta illud Matth. 13. Volucres cæli comederunt illud. Cælum æthereum plures dixerunt supremũ aeris interstitium, quod spheræ ignis est coniunctum, & dicitur æthereum, quia illud medium inter ignem, & aerem confinium est, ab igne splendoris, & illuminationis receptiuũ. Etheros enim Græce splendor dicitur Latine, secundum Isidorum. Cęlum igneum appellauerunt centrum spheræ ignis, pro pter ipsius ignis puritatem, & summam subtilitatem, quam præ ceteris elementis habet, & propter quasdam alias proprietates quasi cæl estes, quas consequitur ex vicinitate orbis planetarum. D. tamen Gregorius super illud Iob. Intuere cælũ, & contemplare ætera, nomine æteris intelligit totam regionem à Luna vsque ad Stellas fixas percurrentem, quæ concludit septem cælos planetarum. Sed alij etiã cum his adiunxerunt superiores cælos, & cum his consentimus sic distinguentes regionem æteream, ab elementari.

Tertio. Notandum est, quod elementaris regio in quatuor elementa diuiditur, scilicet, igne, aere, aqua, & terra, quorum terra est infimum elementum, quoniam omnium aliorum feces recipit. Supra terram est aqua, quæ nisi à terra impediretur, ad centrum terræ procederet, quia est grauis. Econtra aer, qui est supra aquam, & ignis, qui est immediatus post Lunam sunt elementa leuia, de quibus infra dicemus.

Secundo loco principali ponitur ista concl. Machina mundi in æthereã, & elementarẽ recte diuiditur. Probatur. Illa est bona diuisio, quæ sufficienter euacuat naturam diuisi. Sed regio sufficienter diuidit superiora ab inferioribus, per æthereum, & elementare, quia superiora elementis dicuntur æterea, & inferiora elementaria. Ergo diuisio est bona.

Ad primum dicitur ad maiorem, quod corruptibili, & incorruptibili nihil est commune vniuocum, analogum sic, & ita regio prius dicitur de regione æterea, & deinde de elementari. Secundo dicitur, quod duplex est commune, scilicet secundum rem, & secundum nomen, possunt itaque habere aliquod nomen commune. v.g. regio, non vero naturam, quia non datur natura quæ sit incorruptibilis, &

corruptibilis secundum se.

Ad secundum dicendum, quod duplex est vnio. Prima dicitur naturæ in vno tertio, vt elementa vniuntur in mixto. Secunda dicitur contactiua, quia. s. fit solum per contactum. Argumentum procedit de prima, nos loquimur de secunda. s. quod elementa, & cæli vniuntur in vno vniuerso, quoddam ordine, vnum supra aliud existendo. Sed ne fallaris putando, quod quia vniuntur in nomine regionis, quod etiã vniantur in aliqua tertia natura eius.

Ad tertium dicitur, quod elementa agunt in sibi immediatum, eo modo quo conuenit eis in illud agere, & in quod agunt recipere. Cælum autem Lunæ non est capax exsiccationis, nec calefactionis, & ideo ignis in eo non imprimit, suas qualitates. Secundo dicitur, quod superiora agunt in inferiora, & consequenter cælum Lunæ in ignem, vnde igni est recipere à Luna influxum, & non Lunæ dare.

QVÆSTIO V.

An quatuor sint elementa, ignis, aer, aqua, & terra.

Videtur quod non. Primo, quia ignis non videtur elementum. Nam si daretur, cum polleat maxima vi agendi, & omnia consumet, alijs elemẽtis interitum, & consumptionem attulisset, maxime cum calor aeris, calori ignis non resistat, & humiditas non est tantum efficax, vt illius impetum coerceat. Ergo omnia deflagrasset.

Secundo. Ignis non conseruatur, nisi in ignibili, vnde semper indiget materia quam deuoret. Sed supra aerem non est materia ignibilis, & conseruatiua ignis. Ergo nec ibi poterit ignis esse.

Tertio. Omnia elementa habent proprium situm, & spheram in vniuerso. Ignis nõ generatur.n.in subterraneis, specubus, in montium fastigijs, in suprema regione aeris, vt patet in cometa ignito. &c. Ergo.

Quarto. Natura omnino dissimilia non coniungit. Sed ignis omnino dissimilis est cęlo Lunæ, cui ponitur coniunctus, quia efferuescit maxima caloris intemperãtia, cælum vero est omnium contrariarum qualitatum expers. Ergo.

Quinto. Arist. 1. Meteororum cap. 4. docet supra aquam esse aerem, & id, quod quamuis consueuimus ignem appellare, non est tamen ignis. Ita etiam Hippocrates lib. de flat. dixit totum spatium, quod inter cælum, & terram funditur esse aere plenum. Et magister sent. 2. d. 17. dicit Rabanum, & Strabonem terrestrem Paradisum vsque ad Lunarem globum pertingere, ergo ibi non potest esse ignis.

Sexto. Sacræ literæ dum factionem, & creationem vniuersi narrant, nullam mentionem faciunt de igne. Ergo signum est, quod non detur in concauo orbis Lunæ, vt elementum quartum.

Pro resolutione, & intelligentia huius quæstionis. Primo, notandum venit, quod elementum multipliciter sumitur apud Arist. 5. Metaph. Primo.n. sumitur pro re ex qua aliquid primo componitur, quo pacto literæ dicuntur elementa dictionum, quia ex dictionibus componuntur, & in eas resoluuntur. Secundo pro his quæ virtualiter rei substantiam causant, ipsam ingrediendo non natura, sed virtute, & sic cæli possunt dici elementa, quia eorum virtute generantur inferiora. Tertio pro ingredientibus rem compositam, illamq; in esse mixto constituentibus, & ita quatuor dicimus esse elementa, ex quibus mixta componuntur, & in quæ tandem resoluuntur.

Secundo. Notandum venit, quod elemẽtum sic fuit definitum ab Arist. lib. 3. de cælo, cap. 3. Elementum corporum mixtorum est, id in quo cetera corpora diuiduntur, in quibus potentia inest, ipsum vero in specie diuersa est indiuisibile, quę definitio consentit cum illa quam eidem dedit Arist. 5. Metaphy. Dicitur ergo elementum corporum mixtorum, adhuc vt excludamus cælum, quod late dicitur elementum. i. vltimum, & virtualiter, quia rei compositionem intrat virtualiter. Nec per hoc arguas, ergo elementa in mixto erunt actualiter, quod non acceptauimus 8. Metaphy. Dicitur enim, quod intrare virtualiter compositionem alicuius stat dupliciter. Primo per proprias qualitates physice, & realiter, siue ex his resultet simplex qualitas, vel non, & sic elementa vere ingrediuntur mixtum, nã vere, physice, & realiter est calidum, frigidum,

gidum, ficcum, & humidum. Secundo per virtualem solum influentiam, mouentem elementa ad se vniendum in mixto, & sic cæli intrant mixta. Dicitur in quod cetera corpora diuiduntur, i. tamquam in partes, nam etiam elementa simplicia sunt, sed tamen diuisibilia in partes, vt aqua in plures partes aquæ, aer, &c. Hinc patet quantum male philosophati sint Fonseca, & Suarez. 5. Metaphy. dum dixerunt quatuor corpora simplicia non dici proprie elementa, quia non sunt omnino simplicia, cum componantur ex materia, & forma. Respondetur enim quod duplex est simplex, f. à compositione materiæ, & formæ, vt sunt. Deus, Angeli, & anima nostra, & aliud à compositione elementorum, quia non dicitur mixtum elementare, & hac simplicitate fruuntur elementa, quamuis sint composita ex materia, & forma, vnde mixta dicuntur in elementa resolui. Dicuntur etiam potentia. i. virtualiter manere in mixtis. Et quamuis Arist. dicat in potentia, vel actu, cum tamen actu non maneant in mixto, tamen firmiter tene ipsum sic esse locutum, non quod tenuerit ea in mixto posse esse in actu, sed quia nondum stabilierat hoc, quod tandem fecit in libris de generatione. Additur indiuisibile specie in aliam speciem, quia non potest diuidi elementum in diuersa secũdum speciem, vt diuiditur mixtum, nã quælibet pars aquæ, est aqua, quælibet pars aeris, aer &c.

Tertio. Ergo notandum venit, quod elementum debet habere quatuor conditiones. Prima, vt sit causa sicut ex quo aliquid fit, idest causæ materialis teneat rationem. Secunda, quod id quod fit, ex eo primo via generationis tamen fiat, vt epistola ex literis primo fit, ex syllabis non, vel dictionibus. Tertia, quod illud sit in existens. i. intrinsecum, & Quarta, quod sit indiuisibile specie in aliam speciem, idest non diuidatur in diuersas species, vt diuiditur mixtum in carnem, ossa, & sanguinem, at elementum diuiditur semper in partes eiusdem speciei, vt aqua in aquam, ignis in ignem, &c. His conditionibus pensatis Isidorus dixit, quod elementum dicitur quasi hilementum, ab hile, quæ est omnium corporum materia, & fundamentum. Sed vere tamen quarta cõditio non conuenit materiæ, quia cum sit pura potentia, non est indiuisibilis secundum speciem, si enim non est species, nec diuidi potest secundum speciem, vt optime notauit. S. D. 5. Metaph. cum peritiori schola.

Quarto. Notandum venit hic superficialiter, quod elementis attribuuntur suæ propriæ qualitates, quæ adinuicem pugnant, ac contrariantur, vnde adinuicem agunt, & patiuntur, generantur, & corrumpuntur. Hæ ergo bifariam considerari possunt. Primo, secundum se, & sic non se compatiuntur adinuicem, nam caliditas frigiditatem expellit, & siccitas humiditatem. Secundo, vt ad medium reducuntur, & in quoddam temperamento à virtute cæli rediguntur, & ita in mixto consentiunt, & communicant, in esse in quam remisso, quia in gradu intenso se expellunt. Harum qualitatum duæ sunt actiuæ. f. caliditas, & frigiditas, & duæ passiuæ. f. siccitas, & humiditas, & hæ omnes vocantur primæ qualitates, quia primo labuntur ab elementis in elementata. Habeas tamen, quod caliditas, & frigiditas dicantur actiuæ qualitates, & siccitas, & humiditas passiuę, bifariam intelligi potest. Primo simpliciter, & secundum se, & ita omnes agunt. Secundo in respectu, quia passiuæ, per actiuas inducuntur, & hoc est verum, nam caliditas non solum siccitatem, sed etiam humiditatem inducere potest, sed & custodire, vt põt videri in carne salsa. Calor enim Solis terrestres partes dissoluit, & aquosas, & aereas, & sic relaxando, & remolliendo à calore humiditas inducitur, siccitatem vero inducit, quia agens in humiditatem prius eam dissoluit, & dissolutam consumit, & sic siccitas, quæ est lima caloris inducitur, & etiam conseruatur.

Quoad ad secundum principale cõclusio est. Tãtum sunt quatuor elementa, ignis, aer, aqua, & terra. Probatur, primo auctoritate, & consensu Platonis, Hippocratis, & Aristotelis, qui communi placito quatuor tantum faciunt elementa.

Secundo probatur rationibus. Primo, Quot sunt qualitates primæ, tot oportet esse horum subiecta. Sed primæ qualitates sunt quatuor. vt supra. Ergo & prima corpora simplicia earũ subiecta erunt quatuor, adeo vt terra sit sicca, & frigida, aqua humida, & frigida, aer calidus est, & humi-

dus, & ignis calidus & siccus, vnde quāuis terra aduersetur aquę in siccitate, ei tamen copulatur in frigiditate, & ita aer contrariatur aquæ in caliditate, sed cum ea consentit in humiditate, ita ignis opponitur aeri in siccitate, sed cum eo copulatur in caliditate, ex quo ordine, & complexione resultat mirabilis ordo vniuersi, qua de re Boetius lib.3.de consolatione philosophiæ Met.9. sic cecinit.

Tu numeris elemēta ligas, at frigida flāmis,
Arida conueniant liquidis, ne purior ignis
Euolet, aut mers is deducant pōdera terras.

Secundo. Quod enim sunt in homine humores, tot in eo videntur esse elementa his dominantia. Sed in mixtis quatuor sunt humores.s.sanguis, flaua bilis, atra bilis, & pituita, & quatuor in eis cernuntur tēperamenta, sanguineus, biliosus, melancholicus, & phlegmaticus, quæ quatuor elementis correspondent, vt sæpius docent medici. Ergo quatuor erunt elementa tantum.

Tertio. Tot sunt elementa, quot motus. Sed duo motus sunt, ad mediū, terræ, & aquæ, & duo a medio. i. a terra ad locum sursum.s.aeris, & ignis. Ergo quatuor erunt corpora simplicia, his motibus mobilia.

Quarto. Hoc sic probat Arist.2.cæli. cap.3. duobus suppositis. Primum quod circulari motu cælum moueatur, & consequenter sit necessarium centrum circa quod perpetuo voluatur, quod est in terra. Secundū est, quod dato vno contrariorum in rerum natura, opus erit aliud ei repugnans existere. His stantibus sic deducitur ratio. Vbi est inuenire motus circularis, ibi oportet quoque adesse, medium circa quod sit hic motus circularis. At cęlum perpetuo motu circulari mouetur. Ergo danda erit terra circa quam, vt circa centrum voluatur. At terra de se est grauissima, & infima in genere corporū elementarium. Ergo oportebit adinuenire eius contrarium s. ignem qui est corpus leuissimum, & sit inter elementa supremum. At inter extrema sunt media, igitur constituenda erat aqua, quæ cōsentiret cum terra in grauitate, & aer, qui conueniret cum igne in leuitate.

Ad primum ergo dicimus, quod quamuis Pythagorici teste Arist. 2. cæli tex. 73. & quidam alij apud D.Augustinum lib. 1.de genes. ad literam admiserint ignem, tamen ei negauerunt sphęram sub concauo orbis Lunæ dicentes, Pythagorici, quod ignis erat in centro terrę, sub Iouis custodia, & alij in cælis quos igneos volebant. Ad primum ergo dicendum venit, sustinendo opinionem Arist. quod ignis sit elementum, & in concauo orbis Lunæ existens, quod impetus ignis, & eius deflagratio coercetur. Primo ab influxibus cælorum, qui eius voracitatem refrenant, & maxime Luna cui est immediatus sua frigiditate, & humiditate eum coercet. Secundo, quia rarus est, & purus in sua sphera, & ideo non tantum consumens, & ardens sicut videmus flammam minus calidam, quam carbonem, sed & in orbem Lunæ nihil potest, quia est corpus inalterabile, & incorruptibile, agens autem non agit nisi in materiam sibi proportionatā, & suæ actionis capacem.

Ad secundum negatur maior absolute de igne in propria sphera, & admittitur extra eam, quia extra eam habet contrariū, vnde indiget conseruatiuo, non sic in propria sphera vbi nō inuenit corruptiuum.

Ad tertium dicendum, quod ignis ex omni mixto potest deduci, sed vt comprobet suam spheram esse concauum orbis Lunæ in quocunque loco generetur, semper sursum ascendit, ad hoc vt comprobet ibi esse suum locum, & situm.

Ad quartum dicendum, quod dissimilitudo est duplex. Prima in natura, & hanc non habent Luna, & ignis, comparando Lunā alijs elementis, & mixtis. Inter elementa enim ignis purissimus est, vnde magis est in simplicitate naturæ similis Lunæ, quam alia elementa. Secunda dicitur in qualitatibus actiuis, & passiuis, & in his est omnino Lunæ dissimilis, sed & alia elementa, quia ignis est calidus, & siccus, Luna vero his est expers, & incapax, vnde ei nullo modo potest nocere ardor ignis.

Ad quintum respondet S.D. supra illum locum, quod ita se habet ignis in sua sphera, cum igne genito, & concreto cum materia combustibili, sicut se habent aqua, & glacies, quæ est aqua congelata, vnde glacies, non dicitur communiter aqua, sed glacies, & ita ignis in sua sphera. Communiter, & apud vulgares voluit dicere ibi Arist. non consueuit vocari ignis, sed solum ille, qui ardet in materia combustibili. Loquitur enim secundum ea quæ di-

cit

cit vulgus; Hippocratis autem dictum sensum tenet, illud tale spacium esse corpore tenui,& subtili plenum, in quo numero est etiam ignis.Ad dicta Rabani, & Strabi respondet Argentinas 2. d 20. q. 1. art 1.& dicitur,quod est locutio hyperbolica, ostendens magnam altitudinem paradisi terrestris.Vel vt dicit S.D.p.q. 102. art. 1. est locutio metaphorica, volens annuere paradisum terrestrem accedere, ad pulchritudinem, & tranquillitatem corporum cælestium.Nam secundum veritatem paradisus terrestris non attingit orbem Lunæ, quia ibi est sphera ignis, nec ascendit mediam aeris regionem,quia est multum intemperata, & habitationi insuauis,& incompetens.

Ad sextum respondent Damascenus lib. 2. fidei orthod.cap. 5. & D.Basilius hom. 2. de mundi opif. & Beda lib. Hexam. Moysem tantum de duobus elementis expressam fecisse mentionem .s. de terra, & aqua, quia rudi populo loquebatur, & captui eorum se accommodabat, tamen fuere simul omnia elementa creata. Et D. Hieronymus epist. 128. ad Fabiolam docet quatuor elemēta fuisse significata, bisso, purpura, hyacintho, & cocco, quibus olim vestimenta summi sacerdotis distinguebantur.

QVÆSTIO VI.

Vtrum sint quatuor, primæ qualitates elementares.

Videtur quod non. Primo. Nam terræ attribuitur frigiditas,& siccitas. Sed hoc est falsum, nam non minus in Æstate est calida, & sicca, quam in Hyeme, Autumno,& Vere humida,& in æquinoctijs temperata. Ergo propter istas qualitates non ponemus hunc numerum.

Secundo. Illa singularem numerum constituunt,quæ seorsum reperiri possunt, aliter sub vno nomine comprehenduntur, At caliditas non est sine siccitate, quia exsiccat,nec frigiditas sine eadem siccitate, quia restringit. Ergo &c.

Tertio. Illud dicitur primum, quod à nullo causatur, & alia causat. Sed caliditas non solum causatur ab igne,sed etiam a luce, & ita si efficit calidum,efficitur à calido. Ergo non potest habere vim primæ qualitatis,& ita argue de alijs.

Respondetur tamen quod sensu,& experiētia comprobamus quatuor esse primas qualitates; s. caliditatem,& siccitatem in igne, frigiditatem,& siccitatem in terra, humiditatem,& frigiditatem in aqua, caliditatem, & humiditatem in aere, & in mixtis omnes, de quibus qualitatibus passionibus elementorum modo aliqua dicemus, quoniam opportunior non dabitur in hoc vniuerso elementari locus,quā hic, vbi de eo agimus modo in generali.

Primo ergo notandum venit circa caliditatem, quod caliditas est duplex. Prima dicitur cælestis.i.Solis, dicimus enim Solem esse calidum,& siccum, quod non intelligas formaliter inherentur, quia corpora cælestia carent omnibus qualitatibus, sed virtualiter, quia sua luce causat calorem, & dic etiam formaliter,non vt dixi inherenter,sed formaliter causaliter,quia formaliter causaliter est calefactiuus, & exsiccatiuus,sed non formaliter inhærenter calidus, & siccus. Secunda dicitur caliditas elementaris, quæ inter qualitates ponitur summe actiua, & primum locum tenet in igne,qui propterea dicitur primum calidum,& causa omnium calidorum. 2. Metaph.

Hæc autem multa habet.

Primo enim dicitur dissolutiua, quia partes dissoluit,& his solutis, res debilior efficitur, nam per partium coherentiam fuit fortior.

Secundo est effectiua omnis generationis, & est veluti artifex, sua ui initium operis generationis initiatiua.

Tertio est inferiorum ad superiora reductiua,nam faciendo motū a centro ad circūferentiam,terrestria dissoluit in aquosa,& aquosa in aerea,& illa in ignea,& sic inferiora, & media in sua superiora reducit.

Quarto est durorum remollitiua, agendo enim in grossam substantiam, eam dissoluendo mollificat, vt patet in metallis calore liquefactis, dissoluendo enim terrestria in aquosa remollit.

Quinto est liquidorum, & mollium induratiua, vt patet in ouo igni apposito, quia liquidioribus, & subtilioribus partibus resolutis, terrestribus partibus remanentibus indurescit.

Sexto densorum est subtiliatiua, habet enim motum a centro ad circunferentiam, & sic

fic vi fua rem in quam agit, diffoluit, & fuæ actioni idoneam reddit, & fic dum ré ad fuam fimplicitatem reducere laborat, eam per confequens fubtiliat.

Septimo eft depuratiua, metallorum, & rubiginis ipforum confumptiua, quia agendo in fubftantiā metalli, illam diffoluit, & fi quid inuenit fæculentię, & rubiginis cõfumat, & feparat, & fi fuerit aurum omnino purum, violentia caloris diffoluitur, fed non confumitur, nec in fuo pondere minoratur.

Octauo accidētaliter eft corruptiua, vt dum calor plus confumit, quam diffoluat, tunc enim humores putrefiunt, & corrumpuntur, vt patet in cumulo frumenti, aqua afperfo, vbi calor interclufus, aquam in fumofitatem refoluit, quæ inclufa, & retenta, grana emollit, putrefacit, & corrumpit.

Nono eft grauium alleuiatiua, nam dum humiditas per calorem refoluta confumitur, pondus minoratur, & fic fubftantia rei leuiatur, & propterea calore agente in humiditatem fumus generatur, qui fumus alleuiatur, & depuratur, & in fubftantiam leuem, & aeream mutatur, & ita rem à qua exit reddit leuiorem. Quare corpora animalium viuentium funt leuiora, quā mortuorum, propter calorem, & fpiritū, in arterijs, & venis contentum, & fic etiā corpora animalium funt leuiora poft cibum, quam ante, propter caloris confortationem.

Decimo accidentaliter quoque eft aggregatiua, quia agendo in fubftantiam rei, fubtiliores, & leuiores, partes confumit, & remanentibus partibus groffioribus fit compactio, & aggregatio. Per apertionē etiam pororum fit fpirituum euaporatio ex vi caloris, ex quorum pręfentia corpus leuiatur, & quibus euaporatis per ipforū abfentiam aggrauatur.

Vndecimo eft rubei coloris generatiua, agēs enim in materiā partes terreftres in aquofas refoluit, & illas in aereas, & igneas, vnde ex circunfufione ignearum partium imitantiū rei fuperficiem color igneus .i. rubeus generatur, vt eft videre in rofis, & dum calor calidos humores in corpore facit, ex eorum diffufione per corporis fuperficiem color rubeus generatur.

Duodecimo accidentaliter quoque eft difcoloratiua, quia caliditas poros aperit, & fic humores exhalant, & fpiritus euanefcũt, ex quorum præfentia fiebat coloratio, & fic ex eorum abfentia difcolor generatur, ficut eft videre de rofa, quæ de fumo fulphuris albefcit.

Decimotertio accidentaliter eft viuificatiua, quia per caliditatem præftantem motu cordis in fpiritibus, fit fpirituum in corpore reftauratio, & nutrimenti membrorum fit competēs adminiftratio, & fic per cõfequens corpus regitur, & viuificatur.

Decimoquarto nimis intenfa eft naturaliter mortificatiua, quia dum vltimus motus caloris agit in fubftantiam, eam ad vltimū refoluit, & refoluendo in fine deftruit, & confumit.

Decimoquinto dicitur fumme actiua, penetratiua, fumme mobilis, & motiua, ex motu radiorum fuiipfius generata, communicatiua illorum in quæ agit fuæ fpeciei, illorum quæ mortua funt, & deftructa, viuificatiua, & renouatiua, vt in radicibus, & plantis hyemali tempore mortificatis patet, quæ vernali tempore reuiuifcunt, florent, & fructificant.

Decimofexto eft propria virtute faporum immutatiua, nam acetofa, & agreftia in dulcia conuertit, vt eft videre in fructibus, & vuis. per nimiam autem intenfionē, & exceffum dulcia in amara, & falfa conuertit. Nam ex calore intenfo, fanguinem exurente, fanguis in choleram conuertitur, & per eundem aqua per fortem ebullitionem, fubtiliores partes aereas cõfumentem, & terreftribus manentibus in talem fubftantiam tranfmutatur.

Decimofeptimo eft indigeftorum, & crudorum maturatiua, & maturitatis in fructibus celerius perfectiua. Vnde in regionibus calidis, fructus citius maturefcunt, & plus dulcefcunt, quam in frigidis.

Decimooctauo eft formarū in materia virtualiter latentium ad actum deductiua, vt patet in mineralibus. Nam per caloris actionem, aurum, æs, argentū, & aliæ fpecies metallorum de lapidibus educuntur, & forma nobiliori veftiũtur, per calorem etiam cineres diffoluuntur, & purgatæ in vitrum conuertuntur.

Decimonono eft multarum impreffionum in aere caufatiua, vt puta nubium, corufcationum, fulgurum, imbrium, & fimilium. Nam fua vi actiua vapores varios, ficcos, & humidos ad diuerfa aeris interftitia

ſtitia eleuat, quibus condenſatis in nubes, calor incluſus eos alterat, ac in varias ſpecies transmutat, quas tandem in diuerſas ſpecies diſſoluit, & diſſolutas nunc in ſpeciem niuis, grandinis, pluuiæ, ſeu imbris ad terras vndique tranſmittit.

Vigeſimo eſt etiam ſuorum obiectorum à centro ad circunferentiam eleuatiua, vt patet in elementis, in quibus dominatur, vt in aere, & igne, quæ ſumma diſtantia a terra elongantur, & in oleo quod ſupra alios humores ſupernatat, & in omnibus alijs in quibus calor vincit.

Vigeſimoprimo eſt diſpoſitionum ſeu qualitatum ſui obiecti oſtenſiua, vt patet in corpore vbi dominatur calor. nam ſi corpus, eſt calidũ, erit caro multa, pinguedo pauca, color rubeus, tactus calidus, intellectus bonus, homo facundus, multum mobilis, audax, iracundus, amans, libidinoſus, multum appetens, cito digerens, vocis aſperæ, verecundus, fortis, velocis pulſus, pili multi nigri, vel ſubrubei. Caliditas autem diuerſos effectus generat, ex natura diuerſa recipientium, vt diximus.

Secunda elementaris qualitas eſt frigiditas, quæ etiã ipſa multas habet proprietates.

Primo enim eſt a circunferentia ad centrum motiua, & ideo partes in quas agit, ad ſe vicinius trahit, & ſic tardius ſuum effectum perficit.

Secundo eſt accidentaliter calefactiua, per antiperiſtaſim, expellendo calorem ſibi contrarium ad intima, vt patet in puteis quorum aquæ in Hyeme ſunt calidiores, quam in Æſtate, quia. ſ. frigiditas expellit, quantum poteſt caliditatem.

Tertio eſt condenſatiua, quia partes ſemper ad ſe rapit, & ad centrum deducere contendit. Nam partes erant prius per interpoſitionem humiditatis a centro ſeparatæ, & ſeiunctæ, ſed condenſata humiditate ad centrum conſtringuntur.

Quarto tamen per accidens quandoque eſt diſſolutiua, & partium diſiunctiua; ſicut eſt videre in cerebro frigiditate aliqua conſperſo, vi cõpreſſionis humiditatis in eo retenta, exprimitur, dilabitur, & per diuerſa cerebri emunctoria diſperditur, vt in patiẽtibus catharum ex cauſa frigida.

Quinto naturaliter eſt ingroſſatiua, quia dũ pactione frigiditatis partes partibus vicinius coherent, totum groſſius efficitur.

Sexto eſt partium ignis in aerem condenſatiua, & aerearum, in aquam, & aquearum in terreſtres, quia ſemper adunat, & conſtringit.

Septimo eſt tamen accidentaliter ſubtiliatiua, quia quandoque per frigiditatem cõſtringentem, multa fit humiditatis oppreſſæ eductio, quæ humiditas in poris contenta, ſubſtantiã ex hoc ingroſſabat, tunc humiditatis fit eductio, & ſic conſequitur accidentaliter ſubſtantiæ ſubtiliatio, ſicut patet in pelle lota, & expreſſa.

Octauo accidentaliter quoque eſt alleuiatiua, quia facta eductione humiditatis, quæ grauabat, totius ſubſtantiæ fit alleuiatio.

Nono frigiditas temperata eſt vitæ rei conſeruatiua, quia dum per frigiditatem humiditas condenſatur, caliditatis intenſio retardatur, vnde ſicut paulatim humiditas per poros reſoluitur, ita reſoluta paulatim conſumitur, & ſic ne calor diſſoluat rei ſubſtantiam impeditur, & res ne pereat beneficio frigiditatis cuſtoditur, vnde in locis frigidis, & antroſis, cadauera paulatim ſine fętore frigiditate reſiſtente conſumuntur.

Decimo tamen eſt accidentaliter corruptiua, & deſtructiua, nam dum digeſtio in ſtomacho ex frigiditate impeditur, tunc impedita debita actione caloris naturalis, generantur corrupti humores, ex quibus ſequitur corporis corruptio, dum corrupti humores corpori incorporãtur, quod eſt videre in vulneribus, quibus nimis frigida appoſita reſtringuntur, vnde recentes fumoſitates interius carnẽ remolliũt, & eam corrodentes, vel corrumpentes putrefaciunt.

Vndecimo naturaliter eſt diſcoloratiua, ſicut videmus, quia in Hyeme calor corporis, vel cordis fugiens ſuum contrarium humorem & ſpiritum ad interiora ſecum inducit, & ſic exteriorem cutis ſuperficiẽ calore depauperatam, diſcoloratam relinquit, vt patet in labijs, & genis.

Duodecimo tamen accidentaliter eſt coloratiua, nam per frigiditatem fit pororum conſtrictio, & ſpirituum, ac humorum retentio, & ſic fit quandoque ſuperficialiter cutis coloratio.

Decimotertio nimis intenſa eſt mortificatiua, quia dum per eam fit nimia conſtrictio in corde, ſpiritus omnino deficiunt, & ſic corde mortificato, a quo aliorum procedit viuificatio, ſequitur illorum neceſſaria

cessaria mortificatio. Et etiam ex frigiditate nimis dominante calor debilis exstinguitur, & sic spiritus vitalis non habens fomentum suffocatur.

Decimoquarto est tamen etiam accidentaliter viuificatiua, sicut est videre in quibusdam auibus, quæ ex arboribus procreantur, quæ vice fructuum tamquam quædã tuberositates ex arbore nascuntur, sed quamdiu sunt in arbore nullatenus viuificantur, & hoc accidit secundum Commentatorem super lib. vegetabilium, propter ligni porositatem, & fumositatem à cortice exhalantẽ, sed quando illæ tuberositates ruptis renaculis in aquã cadunt, frigiditate poros exterius constringente, fumositates interius retinentur, quæ adinuicem cõculcatæ depurantur, ac subtiliantur, & dum interius detinentur, in spiritum conuertuntur, ex cuius multiplicatione, & diffusione per singulas partes illæ turbositates viuificantur, & postea in quandam speciem auium transformantur, quæ tamen ab alijs auibus in natura, & complexione multum sunt diuersę, parum enim habent de carne, & minus de sanguine, & ideo ad esum non sunt aptæ.

Decimoquinto est albificatiua, & palidificatiua, sicut caliditas est nigrificatiua. vnde mauri, qui sunt multum calidi sunt nigri, & septentrionales, qui multum sunt frigidi sunt albi, cuius rationem assignauit Arist. de cælo, & mundo, quia .s. ex dominio frigiditatis in frigidis regionibus, matrices mulierum ad talem fętum disponũtur, vnde procreant filios albos secũdum cutem, & longos, ac flauos, molles, & laxos crines habentes. Econtrario vero in calidis regionibus, ibi filios pariunt nigros, crispos, ac paucos crines habentes vt apparet in Æthiopibus.

Decimoquinto est sui obiecti, & virtutis manifestatiua, nam in illis corporibus vbi dominatur, est color albus, capillus mollis, & laxus, intellectus durus, & obliuiosus, appetitus paruus, somnus multus, incessus grauis, & tardus, secundum Astrologos.

Tertia prima qualitas elementaris est siccitas, quæ ponitur qualitas passiua, à frigiditate modo, & modo à caliditate introducta, & magis ab illa, quia siccitas est lima caloris, dicitur enim siccitas quasi sine succo, i. humore, quia siccitas, & humiditas opponuntur, vnde sicut effectus humiditatis est humectare, ita effectus siccitatis est exsiccare, quamuis pro secundarijs effectibus habeat inspissare, exasperare, consumere, motum retardare, destruere, & mortificare.

Primo ergo habet, quod sit desiccatiua, vnde desiccat partes humidas, & retrahit à circunferentia ad centrum, & ne sine termino humiditas se diffundat, vt obicem ei se opponit, vt patet in mari, nam vbi terræ siccitas præualet, impetus maris vltra procedere non audet, iuxta illud Iob 38. Qui posuit mare terminum, & Hier. 5. Posuit arenam terminum maris.

Secundo est sibi necessariorum attractiua, & sibi similium incorporatiua, superfluorũ, & dissimilium expulsiua.

Tertio est naturaliter attenuatiua, quia consumit humiditatem, quam in subiecto inuenit, qua cõsumpta sequitur extenuatio.

Quarto est substantiæ induratiua, quia consumendo in materia humiditatem illam duram efficit, sicut est videre in luto, quod exsiccatum, fit durum.

Quinto est rarefactiua, quia si agat in rem subtilem, vt in aeream substantiam, siue aqueam, subtilior efficitur, & rarior, vnde flante Borea, vento frigido, & sicco, nubes fugiunt, aer rarescit, desiccatur, & subtiliatur.

Sexto naturaliter est asperatiua, quia consumit humiditatem quam in subiecto inuenit, & quam consumere non potest, indurat, & ita in superficie inducitur quædã inæqualitas, ex vacuitate depressa, & duritie eleuata, ex qua fit asperitas, quæ nihil aliud est quam inæqualitas secũdum durum corpus.

Septimo est multorum aliorum effectuum per se effectiua. Nam per nutrimentalis humoris consumptionem, corpus exsiccat, cutis superficiem contrahit, & corrugat, senium accelerat, corpus superficialiter discolorat, & deformat, situm immoderatam prouocat, arterias exasperat, vocem impedit, & rarificat, caput à capillis spoliat, & decaluat, articulos manuum, ac pedum contrahit, & incuruat, vt est videre in leprosis.

Octauo accidentaliter autem potest aliquãdo esse humiditatis inductiua. Est enim lima caloris, & vt talis excitat, & intendit caloris motum, siue actum, qui excitatus, dissoluit,

dissoluit, quam inuenit humiditatem, quæ quidem dissoluta, & per membra diffusa, humiditatẽ elicit. Dum enim dominatur, quia habet motum ad centrum, membra coarctat, & constringit, & sic per constrictionem humiditas educitur, quæ prius fuerat per corpus diffusa, vnde videtur corpus humectari, quod prius siccũ fuit. Sic etiam videmus in montibus siccis herbas humidas generari, sicut est herba, quę dicitur crassula, cimbalaria, vermicularia, &c. Nec hoc est mirum, nam siccitas quę naturaliter intendit conseruari montem in sua siccitate, & hoc per suum simile.s. per siccum, vi actiua ad suum nutrimentũ attrahit omne siccum, humidum vero abhorrens, & fugiens, tamquam suum contrarium de se repellit vsque ad radices herbarum, quæ in superficiæ montis tamquam superfluæ ab interioris montis substantia sunt reiectæ, vnde humorem sic reiectum radices attrahunt, & inde nutriuntur herbæ humidæ, & crassæ fiunt. Eandem rationem videtur attulisse Commentator in meteora cur fontes, & flumina nascuntur de montibus, quia (vt dicit) cum sint montes cauernosi, & spongiosi, & plurimum etiam contineant calidi fit a montibus magna attractio, & ratione vacui, & ratione calidi aeris inclusi. Quod igitur attrahitur simile monti in siccitate sibi incorporatur. Quod vero dissimile est vt pote in humiditate repellitur, & in vnum locum aggregatur, quod tandem expellitur, & foras per capita fontium ad flumina perficienda deriuatur.

Nono per accidens quoque potest esse remollitiua, quando enim siccitas humiditatem consumit, quæ est partium conglutinatio, sequitur per consequens partium separatio, & mollificatio, sicut est videre in vetustissimo ligno, cuius humiditate per siccitatem consumpta, molle redditur, & in puluerem mollem, tactui cedentem redigitur.

Decimo accidentaliter pariter est lenificatiua, sicut quãdo ex siccitate calor acuitur, qui suo accidente humores dissoluit, qui dissoluti, & per aliam arteriam distillantes eas leniunt, & humectant.

Indecimo est etiam motus tardatiua, nam per dominium siccitatis nimis partes aereæ, & aquosæ in terrestres inspissantur, & sic substantia grossior, & grauior effecta, tardiorem se dat ad motum. Per nimiam enim siccitatem spiritus exinaniuntur, quorum multitudine corpus velocius mouebatur, vnde eorum facta diminutione per siccitatem, difficilius mouetur. Accidentaliter tamen quandoque est motus adiuuatiua, quia siccitas faciẽs motum ad centrum, ęqualiter ducit partes circunferẽtiæ ad medium, & sic fit partium æqualiter circunflexio, & rotũdatio. Vnde quia rotundum non habet angulos in quibus possit impediri, volubilitate sua mobilius redditur.

Duodecimo est subtiliatiua, & depuratiua, nam consumendo humidas superfluitates spiritus subtiliat, & depurat, & sic velociores eos reddit, & quidem a superfluitate depurati, qua corpus grauabatur, ad motum habilitant corpus ipsum.

Decimotertio naturaliter est consumptiua, & per hoc, quod humores consumit, corpus euacuat, & a suo nutrimento depauperat, & necessario inanitur.

Quarta qualitas elementaris, & passiua, actiuarum qualitatum impressionibus obediens, & subdita, & actionum caliditatis, & frigiditatis susceptiua, est humiditas ipsa, cuius officia sunt nutrire, augere, conseruare, & restaurare, quia secundum Philosoph. omnia humiditate, & caliditate generantur, & conseruantur. V.g. granũ terræ commissum primo perfunditur humiditate aquea, & aerea, & per inclusum calorem naturalem rarificatur, & dilatatur, & tandem actione caloris humiditas resoluta, grossiorem sui partẽ, terrestriorem terræ inferius transmittit, quam terra in suis visceribus recipit, & calore incluso coagulat, & in radicis substantiam per commixtionem humidi, & sicci conuertit. Illa autem humiditas radicalis derelicta, & in radice sic procreata, humorẽ quem in terra inuenit sibi similem ratione similitudinis, & in via attractiua inclusi caloris, sibi attrahit, & attractum quantum sibi sufficit in sui nutrimentum conuertit, & quod non est sibi necessariũ per calorem illam humiditatem dissoluentem, & subtiliantem ipsam superius trãsmittit, & primo in substantiam germinis, deinde in substantiam stipitis, vltimo in substãtiam floris, frondis, & fructus, coagulat, & conuertit.

Dicamus ergo, quod humiditas. Primo est gene-

generatiua, augmentatiua, & nutritiua.

Secundo est deperditorum in vegetantibus, & animantibus restauratiua. Nam per calorem continue intrinsecus, & extrinsecus agentem corpora consumuntur, & cito perirent, nisi per restaurationem humidi repararentur, & ideo fuit necessaria cibi, & potus assumptio, adhoc vt per hæc fieret humidi deperditi restauratio.

Tertio est inferiorum conseruatiua, nam ex cōtinua aggregatione radiorum in aere, & in terra, tanta fieret caloris generatio, & siccitatis inductio, quod aer inflammaretur, & terra combureretur, nisi virtus actiua caloris per aeris, & aquæ humiditatem, actioni eius resistentem, debita proportione ad temperiem redigeretur.

Quarto est partium terræ coniunctiua. Terra etenim tantæ siccitatis est, quod nisi ab humiditate aquæ humectaretur, quęlibet eius particula ab alia dissolueretur. Et ideo natura fecit montes spongiosos, & terram in multis locis cauernosam, & porosam, vt sic fieret ratione vacui, aeris, & aquæ fortis attractio, adiuuante siccitatis mitigatione, & partium terræ separabiliū vnione, vnde quod facit sanguis currens per venas in corpore, idem facit humiditas in venis terræ, rigat enim terræ siccitatem, & eam disponit, ac habilitat ad fęcunditatem.

Quinto est fluxiua, vnde termino alieno coercetur. A centro enim ad circunferentiam cum sit motiua, nisi impedimentum inueniret, tota flueret, & se destrueret, vnde videmus aquam maris à littore cōpesci, & ab arena terminari.

Sexto naturaliter est mollitiua, quia partes materiæ duras, & compactas per sui diffusionem, remollit, rarificat, & relaxat. Accidentaliter tamen est induratiua, sicut videmus in gibbis, & in quibusdam apostematibus frigidis, in quibus humores frigidi confluuenres ad centrum indurantur, & condensantur. Et idem contingit in immoderato calore, partes liquidiores consumente, quibus consumptis, partes grossiores compinguntur pariter, & indurantur.

Septimo naturaliter est purgatiua. Nam sua remollitione, & partium per quas diffunditur relaxatione, partes sordidas diuidit, & lubrificando remouet, & abstergit, vt maxime patet in aqua, & patet in tritico, & furfure, in sapone, in medulla fabæ, & in cōsimilibus, quæ maximę sordes faciei, & manuum, & totius corporis mundificant, & depurant.

Octauo est sui motus in latus diffusiua, & nō in altum, nisi calor accedat. Extensiuo calore tamen in altum eleuante crescit. Hinc homines calidi, vt cholerici, obediente humiditate substantiali caloris actioni, sunt alijs. s. phlegmaticis longiores, & in omnibus extremitatibus corporis, alijs partibus, & circunstantijs cōcurrentibus hinc inde æqualiter in gracilitate, & longitudine aptiores. Vbi autem multus est calor, & multum humidum, nō quidem actioni igneæ superfluus, aut diminutus, sed congruus, & commensuratus, corpora in omni diuisione fiunt magna, longa, & lata. Alta quidem, propter calorem subtiliores partes humiditatis ad summitatem eleuantem. Lata, & spissa propter virtutem eiusdem caloris partes grossiores humiditatis ad singulas partes interiores secundum sui indigētiam vndique diffundentem, & partem parti adunantem.

Nono naturaliter est lenificatiua. Nam dum in omnes partes se diffundit, omnes partes replet, & sic superficiem rei complanat, & adæquat, lenitatēq; causat. Accidentaliter tamen est exasperatiua. s. quādo aliquo casu simul calidi, & frigidi humores ad aliquem locum confluunt, & concurrunt. Calidi enim superficiem eleuant, & frigidi deprimunt, & sic ista contrarietas inæqualitatem superficiei, & asperitatem causant.

Decimo humiditas temperata est omnium actionum animæ, & corporis adiuuatiua. Nam ex humoribus spiritus regentes corpus generantur, & in esse conseruantur. Hinc virtus visiua crystallino humido cōseruatur, & operatur, gustus cum humido saliuali sapores discernente confortatur, &c. Superflua tamen humiditas operationes impedit, ac tollit quandoque, vt patet in apoplexia, in qua superflua humiditas sic omnes ventriculos cerebri occupat, quod non permittit per neruos sensibiles spiritum animalem ad sensificandum corpus, & mouendum animam in corpore suas peragere actiones, imò a corpore subducit motum, & operationem, & tandem inducit

inducit suffocationem, & mortem. Phlegmatica enim humiditas occupans totam cerebri regionem meatus neruorum opilat, vnde non potest duci spiritus animalis ad inferiora, imò intercluditur anhelitus, & vita finitur. Hæc autem humiditas quandoque peccat in quantitate, & quandoque in qualitate, & quandoque est a causa intrinseca, & quandoque ab extrinseca. A causa intrinseca est a mala complexione. Ab extrinseca ab aere, cibo, potu, somno, vigilia, inanitione, repletione, quiete, & motu, quæ vocantur a Galeno res non naturales, quia habent causam voluntariam. Sed de his ad medicos.

Ad primum dicitur, quod terra bifariam cõsiderari potest. Primo secundum se, & in suo centro. Secundo vt est affecta ab externo, & in sua superficie alterata. Primo modo dicitur sicca, & frigida, nam dato quod in centro terræ sit infernus, hoc nõ est opus naturale terræ, sed diuinæ potentiæ, recludentis impios in imo terræ. Argumentum ergo procedit de terra secundo modo considerata.

Ad secũdum negatur maior, nam per se subsistere stat dupliciter. Primo suppositaliter, & sic conuenit solum supposito distinctis. Secundo natura, & ratione, & sic omnia sua natura in supposito distincta, singularem numerum constituunt, vt in homine rationalitas, disciplinabilitas, risibilitas, oculi, manus &c.

Ad tertium dicendum, quod caliditas dupliciter sumitur. Primo absolute, non descẽdendo ad hanc, vel illam, & sic ponitur prima qualitas. Secundo vt est hæc, vel illa, & de hac procedit argumentum. Sed contra, quia caliditas elementaris est illa, quæ ponitur prima qualitas. Dicitur ergo, quod lux de se non est calida, aliter esset Sol calidus à quo exit, sed dicitur calida non formaliter, sed causaliter, & sic formaliter ponitur elementaris, quia formaliter inherenter subiectatur in elemẽtis calefactis.

QVÆSTIO VII.

Vtrum quatuor sint humores, qualitatum, elementarium filij, sanguis cholera, phlegma, & melancholia.

Videtur quod non. Primo. Idem non potest esse causa cõtrariorum. Sed humor aliquis ex supradictis erit causa vitæ, & mortis, infirmitatis, & sanitatis. Ergo male ponuntur.

Secundo. Semen est illud quod præcipuum tenet locum in generatione. Ergo cum supradictis est adiungendũ, & sic non erunt quatuor tantum humores.

Tertio. Bona diuisio debet fieri per membra opposita. Supradicta non est talis, quia vnum contrariorum non fit alterum, & tñ phlegma transit in sanguinem. Ergo &c.

Respondetur tamen, quod quatuor præcipui humores, quasi germina quatuor elementarium qualitatum inanimati ponuntur. Horũ autem generatio sic fit. Primo enim recipitur cibus in loco decoctionis & in stomaco incipit pars subtilior cibi, & liquidior, quæ à Physicis phthisinaria vocatur, per quasdam venas ad epar trahi, & ibi per calorem naturalem in quatuor humores, s. sanguinem, phlegma, choleram, & melancholiam diuidi, & transmutari. Calor enim naturalis, quod inuenit frigidum, & humidum, in naturam phlegmatis conuertit, & quod calidum, & humidum est, in naturam sanguinis, & quod est calidum, & siccum, in choleræ, & frigidum, & siccum in naturam melancholiæ redigit. Primo ergo generatur phlegma, secundo sanguis, cum decoctio est perfecta. Tertio cholera, quę excedit temperamentum, & vltimo melancholia, quasi aliorum fex, & pars terrestrior. Hæc autem generatio est recta, & nõ reciproca, quia phlegma per decoctionẽ fit sanguis, & non econtra. Similiter ex sanguine fit cholera, dum immoderatus calor exsiccat humorem, & subtiliat, sed cholera non fit sanguis. Sic cholera per adustionem fit melancholia, & non econuerso. Dicit enim Constantinus, quod in horum generatione id accidit, quod accidit in musto dum fit vinum, nã feruente musto generatur quædam spuma, quæ in superiori parte ascendit, & quædam substantia terrea, quæ ad fundum descendit, & quædam aquea, quæ euanescente fit vinum, & quia semper vinum retinet de hac aquositate, quæ continuo tamen per calorem vini resoluitur, hinc fit, quod quanto vinum magis antiquatur, tanto calidior, & perfectior efficitur, & quanto purior euadit, tanto eius concoctio finitur. Ita in humoribus pars

superiora petens est cholera, imam partem melancholia, substantia indigesta, & non cocta phlegma, & humor depuratus, & concoctus, sanguis. Et quia sanguis non est vndique purus, sed alijs humoribus admiscetur, ideo ex commixtione variat speciem, & colorem. Nam per commixtionem choleræ apparet rufus, cum melancholia niger, cum phlegmate aquosus, & spumosus. Est igitur humor, & quædã substantia actualiter liquida, per digestionem in corpore animalis generata, ex coniunctione elementarium qualitatum, apta membra nutrire, eorum actiones confortare, & naturaliter, vel accidentaliter impedire, nam hi in debita proportione sanitatem efficiunt, & in distempetamento infirmitatem inducunt.

Primum ergo locum damus sanguini, qui dupliciter potest considerari. Primo secundum bonas eius proprietates. Secundo secundum malas. Sanguis ergo generaliter consideratus, secundum Isidorum à Græco nomen sumpsit, & dicitur sanguis, quia. s. sustentat, viuit, & viget, vitam enim dicitur sancire, quia eam confirmat. In venis autem dicitur sanguis, & effusus dicitur cruor, eo quod effusus currendo currit. Alij dicunt, quod sanguis dicitur quasi suauis, quia est tactu, & gustu suauis. Hinc est, quod animalia sine sanguine eo libenter cibãtur, vt patet in vermibus, & muschis, quæ carnibus insident, & sanguinem sugunt, & inde sibi attrahunt alimentum. Sanguis autem primo efficit bonam valetudinem, & sanitatem, si est clarus, temperatus, & purus, vnde ait Constantinus lib. 3. Quando sanguis generatur in magna quantitate erit causa ægritudinis, quoniam atteauatur, & fit aquosus, & propter hoc forsitan sudat homo sanguinem, quod quidem est, vt puto, propter liquidam superflui sanguinis abundantiam, à qua se intendit natura exonerare. Et cum sanguis alteratur à cursu naturæ suæ, & fuerit corruptus, exibit à stomacho, & à naribus. Item cum putrescit in aliquo membro, nisi reducatur arte, vel natura, efficitur ex eo virus, & in saniem commutatur.

Secundo. Dicit Arist. de animalibus lib. 3. quod habentia sanguinem sunt maioris corporis, & maioris virtutis non habentibus sanguinem. In omni autem animali bonæ dispositionis sanguis est mediocris, & non multus, vt in potantibus abunde vinum, nec paucus, vt in pinguibus, quia corpore crassi, sunt pauci sanguinis, & feminis, quia quanto magis generatur pinguedo, sanguis minuitur.

Tertio. Facit quod corpus sanguineum citius putrescat, & maxime prope ossa, & ideo citius putrescit homo, quam alia animalia, quia homo habet sanguinem subtilem respectu aliorum animalium, quorum sanguis est nigrior, & spissior, & maxime Tauri, & Asini. Sanguis autem in inferiori parte corporis generaliter est spissior, & nigrior, quam in superiori.

Quarto sanguis causat maiorem audaciam, ac animi roborem ob sui caliditatem, vnde omne animal carens sanguine est timidum, & animal quanto habet sanguinem mundum, calidum, & leuem, tanto magis ostendit animi roborem. Hinc quia sanguis in parte dextera calidior est quã in sinistra sit, quod dextera fortior sit, promptior, & habilior ad operandum quam sinistra. Et propter hanc rationem dicit Arist. Leonem prius mouere pedem dexterum, quam sinistrum. Et mulier masculi grauida, subito vocata, primo mouet pedem dexterum, quam sinistrum, ob caliditatem sanguinis masculi. Dicit quoque, quod sanguis est præcipua materia cordis, & epatis, vnde cor concauum est, ad sanguinem copiosius recipiendum, & spissum, ad eundem diligenter custodiendum, & in nullo membro est nisi in venis, preterquam in corde, de quo per quasdam venas ad alias partes corporis transit, sed non econtra, quia cor est origo, fons, & principium sanguinis, & ideo prima creatio cordis est sanguinea, & residet in medio animalis, & in omni habente sanguinem, vt totum corpus viuificet, & muniat.

Quinto. Dicitur generaliter, quod sanguis de se est purus, & calidus, subtilis, dulcis, animalis nutribilis, naturalis virtutis conseruatiuus, sedes animæ, & ipsius contentiuus, iuuentutis perfectiuus, complexionis alteratiuus, vigoris cordis, & spiritus conseruatiuus, lætificatiuus, amotis excitatiuus, sui diffusione in superficie corporis coloratiuus, sanus, & temperatus sanitatis datiuus, corruptus, corruptionis indul-

inductiuus, cum alijs humoribus admixtus malitiæ eorum temperatiuus, sua virtute oculis applicatus dolorum illorũ mitigatiuus. Si sit columbæ, vel hirundinis ex ala dextera extractus, oculis calidus instillatus, macularum oculorum abstergitiuus. Si sit Tauri, & bibatur crudus, ob sui magnum excessum caloris, & siccitatis, est interfectiuus, &c.

Quo ad malum vero sanguinem dicendum est, quod sicut bonus est naturæ amicabilis, ita malus est naturæ inimicus, vnde ei graues infert passiones. Talis sanguis est menstrualis in mulieribus, qui in mulieribus generatur ex abundantia humiditatis, & defectu caliditatis. Hic si cito non euacuetur causa est, & ratio multarum passionum. Inducit enim spiritualium quasi suffocationem, quandoque hydropisim, aliquando phrenesim, seu aliam manifestam passionem, vnde cito prouocanda est eius euacuatio. Tanta.n.est malitiæ eius dicit Isidorus, quod eius cõtactu fruges non germinant, musta acescunt, herbæ moriuntur, arbores fructus amittunt, ferrum rubigo corrumpit, æra, & metalla nigrescunt, canes si ex eo comedunt in rabiem efferuntur, glutinũ asphalti, quod nec ferro dissoluitur, ipso pollutum ipso dispergitur.

Hic sanguis multa alia habet. Primum, quod in matrice recolligitur tamquam in sentina, à qua si debito modo expellatur, corpus mollificando alleuiat. Secundum post eius purgationem matricem ad generationem, & conceptionem, disponit, & habilitat, vnde mulieres facilius post immediatam menstrui purgationem impregnãtur. Tertium solet accidere mulieribus in fine mensis secundum Arist. sed secundum alios, dum incipit Luna deficere, quia corpora sunt tunc frigidiora, & tunc sanguis alteratur, & ex eo superfluitas menstrualis efficitur, quæ si expellatur, sanitas est mulieris, si non, vel propter grossitiem sanguinis, vel altitudinem matricis, vel defectum expulsiuæ virtutis, corpus mulieris multis molestijs aggrauabitur. Hoc autem verũ est in mulieribus à 14. anno vsque ad 50. nam ante, nec post est menstruum, quia in puellis meatus sunt angusti, & virtus debilis, & in quinquagenarijs sanguis tepescit, & frigescit, vnde ab hac immunditia immunes reddũtur. Quartum. Quod est de superfluo menstrui in lac conuertitur, & post conceptionem non sunt menstrua, quia eis fœtus nutritur, aues vero talem fluxum nõ patiuntur, quia transit in eis in plumas. Quintum. Mulier non patiens menstrua, non generat.

Secundus humor est phlegma, qui dicitur humor semicoctus actione caloris imperfecti, ex frigida, & humida natura generatus. Arist. vero dicit ipsum esse cibi superfluitatem, quæ non digeritur. Est.n. naturaliter humor frigidus, humidus, & insipidus, cui si superueniat intensus calor naturalis, in sanguinem conuertitur, sed non econtra.

Duplex autem est phlegma. Quoddam dicitur naturale, & quoddam innaturale. Naturale est frigidum, & humidum, in colore album, in substantia fluuidum, in sapore fere in totum insipidum, in epate generatur. Eius præsentia cum sanguine ponitur necessaria, vt eius frigore, feruor sanguinis temperetur, & eius liquiditate spissitudo sanguinis intemperie conseruetur, & sic expeditius ad singula membra nutrimentum sanguinis deportetur. Deficiente sanguine calor naturalis digerit phlegma, quia aliquo modo intendit membra reficere, & nutrire. Vtile est etiam iuncturæ membrorum, & alijs partibus, sua liquiditate eas humectando, ne ex calore motus, vel ex sanguine calido, à suo officio retardentur, & siccitate superinducta non impediantur.

Phlegmatis autem innaturalis quattuor sunt species. Prima dicitur philegmatis acetosi, & hoc est frigidum, & siccum, propter melancholiæ admixtionem. Secunda est phlegmatis dulcis, & hoc participat de natura sanguinis, & ita etiam de eius sapore, & dulcedine. Tertia est phlegmatis salsi, quod prouenit à cholera rubea vnde est calidum, & siccum, & corrosiuum. Quarta est vitrei, propter colorẽ vitri, cui simile est sic dictum. Hic autem omnino à calore elongatur, & ideo ceteris speciebus est compactius, & difficilius ad digerendum, & si fuerit corruptum, diuersas infirmitates in corpore generat.

Homo autem phlegmaticus multum his signis cognoscitur. Est enim corpore deses, grauis, & tardus, sensu hebes mente obliuiosus, carne mollis, & fluuidus, colore

re liuidus, in facie albus, corde timidus, sputis, & excreationibus multis plenus, piger, & somniculosus, crine mollis, & flauus, & laxus, parui appetitus, paruæ sitis, nisi phlegma sit salsum, quia tunc salsus humor in ore sentitur, propter ea lidi humoris admixtionem. Huius pulsus est mollis, grossus, & tardus, vrina alba, spissa, cruda, & discolorata, statura pinguis, & grossa, in extremitatibus breuis, & curta, cuius cutis superficies plana est, & lenis, ac à pilis denudata. Somniat de aquarum, niuium, & pluuiarum inundatione, & nauigatione, in aquis frigidis, & etiam natatione, patiuntur morbos frigidos, & præcipue tempore hyemali, quia tunc phlegma intenditur.

Tertius humor, dicitur cholera, quia secundum Isidorum in humore cholerico calor temperamentum excidit. Duplex autem est species choleræ. Prima dicitur naturalis, quæ naturaliter est calida, & sicca, in substantia subtilis, in colore rubea, clara, in sapore amara, cum quodam acumine, quæ quanto est calidior, tanto magis in colore est rubicundior, & in gustu amarior. Dum in corpore generatur, in duas partes diuiditur. Nam vna cum sanguine transit, & alia ad cistā fellis transmittitur.

Humor autem cholericus si non excedat terminos naturæ, est aliorum humorum subtiliatiuus, digestionis confortatiuus, fæcis, & putredinis mundificatiuus, corporis secundum dimensiones longitudinis, & latitudinis distensiuus, animositatis, & audaciæ generatiuus, mobilitatis, & leuitatis effectiuus, ad iram & appetitum vindictæ excitatiuus, venerei appetitus prouocatiuus, virtutis expulsiuæ adiuuatiuus, materiæ grossæ attenuatiuus, à centro ad circunferentiam diffusiuus, secundum citrinitatem, vel nigredinem superficiei substantiæ in colore mutatiuus.

Secūda species choleræ dicitur innaturalis, quia intelligitur egredi à natura propter aliquod extraneum sibi commixtum. Nā commixtio cū cholera rubea, & phlegmate aquoso generatur cholera citrina, quæ præ ceteris est nimis calida, & nociua. At si phlegma fuerit grossioris essentiæ, spissioris, generatur cholera vitellina, si autem cholera vitellina nimis aduratur, generabitur cholera prassiua, sic dicta, quia in colore est viridis, & amara, & acuta sicut est herba dicta prassium, seu porrus, nam adustio facit in ea nigredinem, quæ mixta citrinitati, mixtam viriditatem producit. Prima ergo species est choleræ citrinæ. Secunda vitellinæ. Tertia prassiuæ. At quarta adiungitur, quæ dicitur choleræ æruginosæ, quæ declinat ad colorem cineris, & procedit ex adustione maiori choleræ prassiuæ, & tātū adurit, quod exsiccat eius humorositatem. Hæc vltima omnibus est peior, & deterior, vnde eius venenositas magnas inducit passiones, pessimas, & mortiferas.

Cholera tamen non excedens suos terminos ordinarios iuuat sanguini, quia eum subtiliat, ad hoc vt possit facilius transire per angustos meatus ad interiora corporis nutrienda. Ita etiam illa cholera quæ ad cistam fellis processit, primo corpus mundificat, fel nutrit, calefacit stomachum, & intestina, ipsa pungit vt à superfluis se exonerent, vnde sæpe accidit torsio, & ventris dolor, & cholerica passio, quia via, quę est inter fel, & intestina opilatur.

Cholerici vero generaliter solent esse iracundi, animo immansueti, leues, & instabiles, impetuosi, corpore longi, tenues, & macilenti, colore fusci, in erinibus nigri, & crispi, pilis hispidi, & hirsuti, tactu calidi, pulsus fortis, & velocis. Vrina istorum in substantia est tenuis, & subtilis, in colore ignea, *rutilans*, & clara. Si autem cholera in aliqua parte corporis fuerit corrupta, molestissimas causabit passiones, cum his signis.

Cutis erit glauca, vel citrina, appetitus deficiet, amaritudo in ore sentietur, ita vt dulcia videantur amara, & sapida insipida, punctura, & ardor erit in stomacho, ex calido fumo pungente neruos stomachi, & mordicante. Abominatio cum vomitu cholerico, cum siti, linguæ siccitate, ex fumo calido traheam arteriam desiccante, & humorem saliualem circa neruos linguæ consumentem, oculorum concauitas, cum huuido aspectu, pulsus subtilis, velox, & spissus. Vrina rubea, & intensa, dolor capitis grauis, vigilia, & alienatio mentis, in somnis horribiles visiones. Somniant enim de igne, fulgure, mirabili aeris inflammatione, quod fit ex igneo fumo cerebrum petente, & imaginatiuam immutante.

Quartus

Quartus humor dicitur melancholia, quæ est humor spissus, & grossus ex fece, & turbulentia sanguinis generatus, & idem est melancholia, quod niger humor, vnde a physicis cholera nigra nominatur. Ista duplex est. Prima dicitur naturalis. Secunda innaturalis. Prima in duas partes diuiditur, vna enim remanet cum sanguine, vt ipsum aptet ad membra melancholica nutrienda, inspissat enim ipsum, ne sua liquiditate subterfugiat digestionem. Secunda pars transmittitur ad splenem, propter mundificationem totius corporis, & propter nutrimentum ipsius splenis. Secunda dr innaturalis, & hæc est maxime inimica naturæ, & pessimas, ac venenosas habet proprietates.

Signa melancholiæ dominantis sunt. Color cutis in negredinem mutatur, vel liuorē, in ore sentit acidum, ponticum, & terrestre, secundum diuersitatem humoris, animo est timidus, & tristis, & sine causa dubitat de carcere, de morte, & suspicatur de amico &c.

Ad primum dicimus ad maiorem quod idē non est causa contrariorum, secundum idem, & sic idem humor erit causa vitæ in temperamento, & mortis in excessu, vnde non est secundum idem.

Ad secundum dicitur, quod semen non est humor, aliter esset etiam in infantibus. Est autem superfluum alimenti, & instrumentum potentiæ generatiuæ, vnde differentia magna est inter humorem, & semen, quod humor est substantia liquida ex coniunctione elementarium qualitatum, semen vero est substantia liquida orta ex nutritiua &c.

Ad tertium dicitur ad maiorem, quod diuisio generis & specierum fit per differentias oppositas, nō vero analogi in sua analogata, est enim potius enumeratio, & talis est ista.

QVAESTIO VIII.

Vtrum terra sit alijs elementis præstantior.

Videtur quod sic. Primo illud est perfectius, quod possidet finem, quam illud, quod ad finem tendit, quia est in suo termino. Sed terra est in suo fine. f. quiete, alia vero elementa non, cum continuo mouentur ad propria loca, quibus adeptis est quiescunt. Ergo elementum terræ erit præstantius alijs elementis.

Secundo. Illa res præstantior est censenda, quæ magis proficit, & vtilitatem affert, ea re, quæ potius nocet, & lædit, quam iuuet. At terra multum proficit viuentibus. Nos enim nascentes excipit, natos alit, nos in suo sinu complectitur in morte, & aperit. Est placida, mitis, indulgens, raro homini irascitur, perpetuo se ad omnes eius commoditates accommodat, visceribus gemmarum, argenti, auri, aliorumve metallorum opulentiam procreat, & stirpium, atque herbarum genera ad animantium sustentationem magna largitate fundit. At econtra aquæ rigescunt in grandines, & intumescūt in fluctus. Aer procellis furet, & ignis fulminibus territ. Ergo terra erit nobilior his.

Tertio. Id elementum erit nobilius, quod magis accedit ad similitudinem hominis, qui dicitur finis omnium rerum. Sed talis est terra. Ergo. Minorem ostendit Seneca lib. 3. nat. quæst. cap. 15. dicens. Quod sicut in homine sunt venæ sanguine plenæ, & arteriæ, quæ sunt spiritus conceptacula, sic in terra quædam sunt venæ per quas aqua currit, & quædam per quas aer flat. Et sicut scissa vena sanguis fluit, quousque est, ita terra patefactis venis semper fluit, & manat. Et sicut in homine sunt quædam partes duræ, vt ossa, quædā molliores, vt cerebrum in capite, & in ossibus medullæ, sic in terra quædam partes sunt duræ, vt lapides, & metalla, & quædam fluidæ vt bitumen, ergo terra videtur præstantior.

Ex altera parte videtur, quod aqua sit nobilius elementum. Nam ei mira, & insignia encomia attribuit D. Ambros. lib. 3. Hexam. cap. 5. dum dicit. Bonum mare, tamquam hospitium fluuiorum, fons imbriū, detiuatio alluuiorum, inuectio commeatuum, quo sibi distantes populi copulantur, quo præliorum remouentur pericula, quo barbaricus furor clauditur. Subsidium in necessitatibus, refugium in periculis, gratia in voluptatibus, salubritas valetudinis, separatorum coniunctio, itineris compendium, transfugium laborantium, subsidium vectigalium, sterilitatis augmentum. Ex hoc pluuia in terras transfunditur, si quidem de mari aqua, radijs solis hauritur, & quod subtile eius est rapitur,

pitur, deinde quanto altius eleuatur, tanto magis nubium obumbratione frigescit, & imber fit, qui non solum terrenam tēperat siccitatem, sed etiam ieiuna arua fęcundat &c. Ergo aqua erit inter elemēta excellentissimum.

Secundo. Illud magis existimādum est, quod est magis necessarium. Sed aqua necessarior est saltē igne, nam sine aqua hominū vita traduci non pōt, est enim in omni tēpore, & omnibus necessaria, sine igne vero possunt homines viuere, immo vsus aquæ solet esse sine dispendio, ignis non, cū emenda sint ligna, quibus nutritur. Ergo aqua erit saltem igne præstantior.

Tertio. Perfectissimum opus naturæ est posse generare. Sed hoc opus aquæ attribuitur teste Plinio lib 9. de hist. nat. c. 2. dicente esse verum commune dictum, Quicquid nascitur in partibus naturæ, id in mari esse præter multa alia. Ignis vero nullum generat animal per Arist. lib. 2. de gener. animalium, c. 3. & 4. Meteor. cap. 4. Ergo.

Ex altera parte videtur aer cæteris præferēdus. Primo. Illud maxime æstimandum venit, sine quo humana vita non subsistit. Sed sine aere non subsistit vita nostra. Nā vt dicit Auicenna fen. 2. primi, doct. 2. c. 2. Aer est vitæ nostræ pabulum, & Galenus 9. Metaph. Sine ambiente nos aere nec morbus tollitur, nec sanitas subsistit. Imo suo flatu ignem conseruat, & terram pluuijs per ipsum causatis irrigat, & fęcundat. Ergo præstabit inter cætera elementa.

Secundo. Natura humida, & calida cæteras antecedit, quia vita humana consistit in calido, & humido. At talis naturæ est aer, vt diximus, & infra magis videbimus. Ergo.

Tertio. Aer vocatur ſępe in scripturis cælū, iuxta illud. Volucres cæli. Sed cælum inter innanimata excellit. Ergo.

In contrarium est S. D. p. p. q. 67. artic. 2. cum communi schola dante igni inter elementa principatum, & primatum.

Tertio ergo considerandum venit, quod nobilitas rerum bifariam considerari potest. Primo secundum substantiam, & naturā, & ita per se natura excellentiora, absolute nobiliora dicuntur. Secundo secundū aliqua accidentia, & sic secundum quid tantum illa, quæ in aliquibus accidentibus præcellunt, dicuntur præstantiora. Si igitur primo modo elementa consideremus, igni primatum dabimus, cum eius natura purissima sit inter elementa, & maxime à fecibus elongata, efficacissima & virtuosissima, adeo vt Deus ipse ignis nomine decorari voluerit. Secundo autem modo possunt secundum quid, & ab extrinseco, quædam ex alijs elementis dici nobiliora, vt argumenta probant.

Conclusio ergo est. Inter elementa nobilissimus est ignis. Probatur. Primo. Quanto magis natura est actualior, tanto magis est perfectior, quia actus est perfectio simpliciter, & ideo Deo damus maximam nobilitatem, propter maximam eius naturæ actualitatem, cum dicatur actus purus. Sed ignis inter elementa est magis in actu, vnde est maxime actiuus. Ergo ignis inter elementa præstat.

Secundo. Nobilitas rei arguitur ex nobilitate propriæ passionis, quæ emanat ex natura eiusdem rei, quia secundum conditionem naturæ est conditio passionis, non enim homo esset disciplinabilis, nisi esset rationalis. Sed passio ignis propria alias passiones elementorum vincit. Ergo, & natura. Probatur minor, nā passiones elemētorum, sunt eorum qualitates, quæ sunt caliditas, humiditas, siccitas, & frigiditas. Ignis autem in summo calidus est, & calor est alijs qualitatibus, actuosior, & ad efficiendas res vniuersalior, tam in operibus artis, quàm naturæ, nam artium dicitur magister, & natura, dicitur ignis artificiosus, secundum Ciceronem ex Zenone, lib. 2. de Nat. Deorum, & secundū Arist. 2. de Anima, tex. 50. est instrumētum animæ, quia anima omnia calore operatur.

Tertio. Ordo secundum nobilitatem in rebus conspicitur, secundum situm in vniuerso, quia quanto res sunt nobiliores, tanto altiorem locum obtinent. Sed sphera ignis secūdum situm est supra omnia alia elementa. Ergo & eius natura.

Ad primum pro terra dicimus primo, quod finis arguit nobilitatem secundum quid, & ab extrinseco, non naturæ, & ab intrinseco. Secundo dicitur, quod moueri ad finem stat dupliciter. Primo, per remotionem à statu violēto, & sic illud potest secūdum finem dici nobilius, quod iam suā adeptus est libertatem, adipiscēdo finem. Secundo, per tendentiam ad suum locum simpli-

ſimpliciter, & ſic tantum eſt nobile illud de cuius natura eſt moueri ad finem, quantum illud cuius naturæ conditio eſt quieſcere. Eſt enim his ſuo modo vtrumque connaturale, vnde motus aeris, & ignis non arguunt imperfectionem. Tertio dicitur, quod res ſunt penſandę in ſua ſphera, & in ſuo eſſe, & non prout per aliud aliquid habent.

Ad ſecundum dicitur, quod præſtantia ignis eſt maior in generatione, quæ eſt opus maximum, quia calore fit, & eſt finis præcipuus naturæ, nam alij fines, & vtilitates ſunt extrinſece, & particulares.

Ad tertium dicitur, quod duplex eſt ſimilitudo. Prima in actualitate, & puritate naturæ, & hac ignis eſt magis ſimilis animæ noſtræ, in qua tamquam in cauſa reſidet nobilitas corporis humani. Secunda dicitur in figura, vel partibus corporis, & hac poteſt magis terra eſſe ſimilis homini, ſed hæc accidentaria eſt.

Ad primum pro aqua pariter dicitur, quod omnia adducta probant nobilitatem extrinſecam, non intrinſecam, & naturæ.

Ad ſecundum negatur maior, nam etiam cibus eſt neceſſarijſſimus hominibus, & tamen non eſt nobilior aqua, vt eſt totum elementum.

Ad tertiũ dicitur, quod ignis generat ignẽ, generatio autem ſui ſimilis in ſpecie arguit perfectionem, & non diſſimilis.

Ad primum pro aere dicimus, quod probat maiorem præſtantiam extrinſecam, & nõ naturæ, quę non ſumitur à neceſſitate, ſed ab actualitate, & puritate naturæ in ſe.

Ad ſecundum dicimus, quod maior currit in viuente, & in nobilitate ſe tenente in viuendo, non verò valet de nobilitate elementari, quæ rimatur, ex qualitatibus elementaribus, & actualitate naturæ, in quibus ignis præualet.

Ad tertium dicitur, quod aer vocatur cęlum metaphorice, à metaphoris autem non deſumitur nobilitas intrinſeca rerum.

QVÆSTIO IX.

Vtrum elementum ſuperius ſit maius inferiori in profundum.

Videtur quod ſic. Primo. Amplitudo, & magnitudo rei, facit ad eius perfectionem ſaltem quantitatiuam, ſed elementa quo ſunt ſuperiora, eo ſunt perfectiora, vt ſupra definitum eſt, Ergo ampliora, & maiora.

Secundo. Per Ariſtot. 2. de generat. tex. 37. Elementa inter ſe habent proportionem decupam, quia ex vna parte terræ fiunt decem aquæ, & ex vna aquæ decem aeris, & ex vna aeris decẽ ignis. Ergo elementum ſuperius erit decies maior inferiori.

Tertio. Terra vndique aquis cingitur, nimirum Oceano, Mediterraneo, Arabico, Perſico, & Caſpio mari. Et in eius gremio ſunt innumera flumina, fontes, & tot rentes, & in eius vẽtre tot putei, & aquarum venæ, adeo vt non poſſit terra perfodi per decem cubitos, quod aqua non reperiatur. Ergo ſignum eſt, quod ſphera aquæ eſt maior terra.

Item pro aere facit, quod Cometa generatur in regione aeris, vt docet Ariſtot. 1. Metheorum, cap. 7. & tamen quorundam illorum altitudo tanta eſſe videtur, vt æqualitatem cum ſyderibus habere videantur. Quod enim altitudo aeris ſit ſolum 52. milliariorum falſum eſſe deprehenditur, quia multi tradunt montem Teneriffem aſſurgere ad altitudinem 15. leucatarum, quæ ſunt pluſquam 60. milliaria.

Item pro igne eſt, quod omnia elementa inferiora poteſt purgare.

Pro explicatione huius difficultatis notandum venit, quod de amplitudine elementorum bifariam loqui poſſumus. Primo, ſecundum circunferentiam, & ſic cũ aqua terram cingat, & aer aquam, & ignis aerem, dicendũ venit, quod elementa quanto ſunt ſuperiora, tãto magis ſint ampliora. Secundo, ſecundum profunditatem, & altitudinem, & in hoc ſtat difficultas. Poteſt enim eſſe, quod aer ambiat corpus, & non tamen habeat profunditatem propriam, ſed ſolum ſuperficiem, quę eſt longitudo, cum latitudine tantum.

Secundo notandum venit, quod circa præſentem difficultatem ſunt duæ opiniones. Prima eſt, quod profunditas aquæ ſit maior, quam terræ. Hanc defendunt Aegidius lib. 2. Hexam. cap. 24. Burgẽſis ad primum caput Geneſis, & alij multi. Secunda hoc negat, & videtur eſſe communior, & verior.

Concluſio igitur eſt. Non eſt neceſſarium, quod quanto elementa ſunt ſuperiora, tanto magis ſint altiora, ſecundum longi-

tudinem. Probatur primo. Vnicuique in sua arte credendum est. Sed obseruare altitudinem, & profunditatem rerum est opus mathematici, qui de demensionibus speculatur. Ergo ei standum erit. Modo periti mathematici obseruarunt diametrum terræ, seu dicamus totam eius profunditatem esse milliarium 6070. Experti autem sunt totum Oceanum nauigantes, per bolidem demissam explorantes, quod profunditas aquæ ad duo, vel tria milliaria est, præterquam apud Sueuica littora quædam, sed pauca, apud quæ non anchoris, sed ferreis annulis naues cohibentur. Confirmatur, quia non est credibile, quod detur maior altitudo, quam illa quæ est patris omnium marium, idest, Oceani, etiam si omnes aliæ aquæ conueni rent in vnum. Altitudo autem Oceani, & profunditas eius non est adhuc reperta tanta, vt decupla proportione terra eius profunditatem non excedat, apud Scaligerum exerc. 28. in Cardanum.

Secundo pro aere docent mathematici eius profunditatem non esse plusquam 52. milliarium, in qua summa milliariorum Cometę concluduntur apud Petrum Nou ũ, lib. de crepusc. Vitellio lib. 10. propos. 60. Athazenum lib. 7. suæ prospectiuæ. Confirmatur. Nam aeris regio illa censetur, quæ exhalationes terræ recipit. Sed non est credibile exhalationes terræ à virtute Solis trahi vltra 52. milliaria, videmus enim tempore nebularum solũ pedes montis cooperiri, & niues non stare nisi supra cacumina montium altitudinis 30. aut 40. milliariorum per directum. Et Cometæ quæ in suprema aeris regione generantur, non progrediuntur vltra 52. milliaria, vt auctores supradicti Geometrice demonstrant. Ergo dicendum venit, profunditatem aeris non esse quantum terræ.

Tertio pro igne quidem ratio esse videtur maioris profunditatis, quoniam mathematici faciunt ipsum profundum in sua sphera, milliarium 120578. circiter, incipiendo ab eo loco à quo terminantur exhalationes, & progrediendo vsque ad concauum orbis Lunæ, ad quẽ vsque ascendit ignis. Possumus igitur dicere duo extrema elementa, scilicet ignis sursum, & terra deorsum maiorem alijs elementis continere profunditatem, quoniam hæc duo elementa alia concludunt.

Ad primum. Primo dicitur ad maiorẽ, quod valet comparando partes principales vniuersi, sed diuersi generis inter se, vt corpora cælestia ex vna parte, vt incorruptibilia secundum totum, & partem, & elementa ex alia, vt corruptibilia secundum partem, & alterabilia, non autem valet comparando adinuicem ea, quæ sunt eiusdem generis, vt sunt elementa, in genere corporis simplicis. Secundo dicitur, quod valet quando magnitudo multiplicat perfectionem in magno, nam mons magnus in genere motium erit perfectior, quam paruus, quia in monte, vt sic nõ cõsideramus nisi magnitudinem. Hoc autem non est verum, quando non multiplicat perfectionem, vnde homo est nobilior plantis, animalibus, & montibus, & si magnitudine eis in multum cedat. Et homo paruus potest esse sapientior magno.

Ad secundum dicendum venit esse falsum, quod elementa seruent inter se proportionem decuplam, scilicet, quod superior sit decies maior inferiori. Probant hanc falsitatem Astronomi. Primo, quia sic totum compositum ex elementis, scilicet, aere, aqua, & igne contineret terram millies centies, & vndecies, vt patet in hac continua proportione decupla.i. 10. 100. 1000. omnes enim hi numeri in vnum collecti faciunt 1111. Hoc autem falsum est, quia secundum Astronomos semidiameter totius regionis elementaris, à distantia à centro mundi, vsque ad concauum Lunæ continet diametrum terræ trigesies ter. Quare & tota diameter spheræ elementorum, toties etiam cõtinebit diametrum totam terræ, nam eadẽ est proportio diametrorum, quæ semidiametrorum. Quoniam vero spheræ sunt in triplicata diametrorum proportione, efficitur vt tota sphera elemẽtorum, spheram terrestrem contineat trigesies quinquies millies, nõgenties, trigesies, & septies, vt in his numeris vides, idest 33. 1089. 35937. Secũdo, quia sic distantia à centro mundi vsque ad concauum Lunæ comprehenderet solum semidiametrum terræ decies, & paulo plus, ita vt secundum legem triplicatæ proportionis sphera elementorum spheram terræ comprehendat millies centies, & vndecies. Ex quo sequeretur, oculum nostrum distare ab orbe lunari, solũ nouem duntaxat semidiametris terræ,

quod

quod est contra omnium Astrologorum experientiam. Falsissimum enim semper est, secundum Astronomos distantiam Lunæ à terra continere 1111. semidiametros terræ, cum tantum Sol vix à centro mundi distet. Et ridiculum apud eos est velle dicere spheram aquæ esse maiorem terra millies. Hoc enim sequeretur, si spheræ triplicatam proportionem diametrorum haberent. Dicendum ergo venit, cum Alexandro Picolom. opusc. de quantitate terræ, & aquæ, cum Fernelio Ambiano in sua Cosmoteria, & Clauio in 1. cap. spheræ, Io. de Sacro Bosco fol. 130. quod elementa, nec decuplam, nec aliquam aliam continuam proportionem seruāt. Ad Aristot. igitur dicitur, ipsum voluisse inferre, quod si vna pars terræ, quæ est densa deberet in aquam resolui, resolueretur in decem partes, idest fieret tanta aqua quod esset maior illa parte terræ decies, & ita si ex aqua fiat aer, & ex aere ignis, vnde proportio stat in subtilitate, & in casu, si est possibilis, & non absolute.

Ad tertium dicendum, quod computata profunditate totius terræ, & comparata cum omnibus aquis, terra est maior. Nam pensandum venit, quod fundus aquæ, est terra, & ideo aqua est super terram, quamuis vbique eam non cooperiat, supra terram autem non multum extollitur, vnde necesse est affirmare profunditatem terræ esse maiorem.

Ad illud de aere dicimus oculum decipi, & magis esse standum instrumentis Astrologorum, & rationibus. Et ad dictum de monte Teneriffi dicitur, quod si tantæ altitudinis est, quod non est expertū in cacumine suo debet esse in sphera ignis. Nec ab igne consumitur, quia ille ignis est rarus, tenuis, & in propria sphera non consumptiuus, & natura potuit tantæ altitudini prouidere, ne consumaretur ab igne.

QVÆSTIO X.

Vtrum elementa sint figuræ rotundæ.

Videtur quod non. Primo. Cui conuenit moueri motu circulari, ei conuenit figura circularis, per Arist. 1. cæli, tex. 5. & 2. tex. 22. & 1. de Anima, tex. 48. Ergo cui cōuenit motus rectus, ei videtur adstribuenda figura recta, ad hoc vt sic se habeat res ad motū, sicut se habet ad esse. Sed terrę, & aquæ, vt grauib⁹ cōuenit motus rectus deorsum, & aeri, & igni, vt leuibus motus rectus sursum. Ergo ista elementa erunt figuræ rectæ, & non circularis & rotundæ.

Secundo. Plato in Timeo igni attribuit Tetraedron, idest figuram Pyramedalem, aeri Octaedron, idest figuram quādam similem pyramidi, aquæ Icosaedron, quæ est figura mobilitati aquæ, conueniens, Hexaedron terræ, idest figuram cubam. Ergo non rotundam.

Tertio. Quod terra non sit rotunda probatur. Primo, quia dum Sol ascendit supra Horizontē nostrum, si terra esset rotunda ipsum secaret in figuram arcus, & tamen ipsum secat in figuram planam, quia terra plana est, & ideo secundum planum secat. Secundo, quia sic mare esset terra altius, quia eam ambit. Tertio, quia terra est inæqualis, vt flumina ostendunt, quoniam nonnulla ab Oriente in Occidentem, & quædam econuerso fluunt, quod in causa est declinatio terræ in hanc, & illam partem. Quarto, quia multæ insulæ in medio maris eleuantur, montes ingentes supra superficiem terræ extolluntur, & multæ valles humiliantur. Figura autem rotunda non admittit aliquid angulis fractum, nihil eminens, & nihil lacunosum.

Item, quod aer, & aqua nō sint figuræ rotundæ probatur. Nam necesse est, quod sub æquinoctiali plus aeris in ignem conuertantur, quam sub Polis, quia illa regio est calidior. Ergo, oportet quod ignis ibi sit profundior, & sic non retineat figuram rotundam. Secundo, quia videmus ignem nostrū in pyramidis figurā sursum ascendere, & acuminari, & in formam mucronis desinere. Ergo signum est, quod talem ex sua natura habet figuram.

In contrarium ponuntur hæ conclusiones. Prima conclusio est. Terra est figuræ rotundæ. Probatur primo. Inęqualitas astrorum in Oriente surgentium, arguit inæqualitatem terram habitantium, quia si terra esset plana, dum Sol, vel aliud sydus surgit in Oriente, conspiceretur etiam ab his, qui incolunt Occidentem, & eadem hora quo fit Eclipsis, ab omnibus in quibuscūque regionibus videretur, quod tamen falsum est, quia Orientales prius vi-

dent Solem, & sydera surgere, quam Occidentales, & in diuersis horis Eclipses dignoscuntur. Ergo hoc ex rotunda figura, magis, & minus eleuata, vel depressa oritur. Ergo terra erit rotundæ figuræ ab Oriente in Occidentem.

Secundo probatur, quod etiam sit rotundæ figuræ ab Austro in Septentrionē ex duobus. Primo, quia nautæ referunt, se videre aliquas stellas Septentrionales eleuari, & alias meridionales deprimi, dū ab Austro, ad Septentrionem, iter dirigunt. Secundo, quia habitantes Septentrionem, non vident Stellas prope Austrum, nec e conuerso. Ergo signum est, quod terra nō est planæ figuræ.

Sed quod sit circularis, & rotundæ figuræ probatur. Vmbra figuram eius cuius est vmbra imitatur, vt experentia docet. Sed vmbra terræ est circularis, vt conspicitur in Eclipsi Lunę, in quo Luna vmbram terrę ingreditur, videmus enim illam vmbrā esse circularē, & rotundæ figuræ. Ergo, & terra.

Secundo. Omnes partes terræ versus centrum descendunt, & quantum possunt se cōglobant, vt patet in omni re graui. Ergo descendendo coeunt adinuicem, & se comprimendo faciunt figuram rotūdam.

Secunda Conclusio est. Aqua est rotundæ figuræ. Probatur primo. Eadem figura cōuenit toti, & partibus, si totum sit homogeneum. At partibus aquæ conuenit figura rotunda. Ergo & toti aquæ. Probatur minor. Nam si inspiciamus guttas aquæ cadentes, videbimus, si non absorbeantur ab eo super quod cadunt, quod in figuram rotundam se redigunt. Huic rationi respondet Maurolycus negando paritatem rationis in toto, & partibus, dicit enim, quod aqua se redigit in rotundum, quia est corpus graue, descendens ad centrum, gutta verò vt resistat siccitati, sic enim conglobata virtuosior efficitur ad contradicendum suo contrario. Sed hoc non tollit efficaciam rationis, cum cogatur concedere rotunditatem aquæ, quod est intentum nostrum in probatione, & eo magis, quia etiam tota aqua est rotunda, vt resistat contrario.

Secundo. Corpus graue naturaliter tendit deorsum, & descendendo, dum inuenit impedimentum maioris descensus, si est naturæ mollis se conglobat, vt etiam possumus probare in multis modijs frumēti, simul iactis. At aqua est grauis, & continuo ad centrum currit. Ergo dum terram pro impedimento inuenit, opus est, vt se conglobando in figuram rotundam efformet; & sic totam terram ambiat, & cingat. Et hæc ratio magis currit in aqua, quam in terra, quia aqua est æqualiter in omnibus suis partibus grauis, & ideo æqualiter currens versus centrum, non sic terra, quæ habet aliquas partes licciores, & ideo leuiores, & sic valles nō impl'ētes.

Tertio. Hoc probat Ptolomeus Almag. c.4. Quia qui ex alto ad terram nauigāt, prius vident montes, & turres, & dum propius ad ciuitatem accedunt, alia cernunt, quæ humiliora sunt. Hoc autem videtur esse attribuendum aquæ tumori.

Tertia Conclusio est. Aer est figurę rotundę. Probatur. Superficies interna aeris totam spheram aquæ cingit, & ita superficies externa internæ coniungitur. At aqua, vt probauimus est figuræ rotundæ. Ergo, & aer.

Quarta Conclusio. Ignis est rotundæ figuræ. Probatur. Ignis sursum tendit, vsque ad concauum Orbis Lunæ in quo concluditur. At cōcauum orbis Lunæ est rotundum, sicut rotunda sunt omnia sydera, & astra. Ergo & ignis.

Quinta conclusio est. Omnia elementa sunt figuræ rotundæ. Probatur primo. Illam figuram censenda sunt elementa habere, quam ob suam perfectionem retinet totum vniuersum, quia elementa sunt principales partes sublunares vniuersi. At vniuersum globosum est. Ergo & elemēta.

Secundo. Omnia elementa hunc ordinem habent, vt superius ambiat, & cingat inferius secūdum totum. At terra quia adunatur ad centrum constituit figuram rotundam, & ita aqua, quia vndique amplexatur terram, & ita aer aquam, & ignis aerem. Ergo &c.

Tertio. Quod natura alijs tribuit, elementis præcipuis eius partibus negare non debuit. Sed cæli sunt rotundi, astra rotunda, animalium membra, trūchi arborum, fructus eorum, & lapides, secundum tamen exigentiam istarum rerum. Ergo hanc figuram non debuit elementis negare.

Ad primum dicendum, quod motus arguat figuram bifariam intelligi potest. Primo in his quibus connaturale est sic moueri, quia

quia talis motus est eius naturæ accommodatus in suo statu, & esse constitutæ, sicut conuenit cælo circulariter moueri, quia in suo esse constitutum ei conuenit moueri circulariter. Secundo in his in quibus non conuenit sic moueri, sed sic tendere ad proprium locum. Primo modo arguit figuram, quia dicit connaturalitatem motus cum mobili. Secundo autem modo non, quia motus nõ constituit rem in proprio loco, sed in via ad eum. Itaque motus in proprio loco arguit figuram, nõ extra proprium locum, & ita grauia in proprio loco, si secũdum se tota moueantur, circulariter mouentur, & ita leuia, sed dum descendunt, vel ascendũt ad propria loca mouentur motu recto.

Ad secundum dicimus Platonem, non secundum veritatem elementis dedisse figuras adductas, sed globosam, vt patet in eodẽ Timeo, secundum autem quandam metaphoram, & similitudinẽ dedit igni Tetraedon, quia dum ascẽdit format formã pyramidis, & mucronis. Ita aeri datur Octaedron, quæ est figura proxima pyramidi, quia est proximus igni. Cubum datum est terræ propter suam stabilitatem, qu ia cubum ineptissimum est ad motum, sicut Icosaedron est figura consimilis mobilitati aquæ. De qua re est legendus Alcinous in lib. de doct. Plato. c. 13. Bessar. lib. 1. contra calumnit. Plat. c. 6. Maurolycus 1. Dialog. suæ Cosmograph.

Ad tertium contra rotunditatem terræ dicimus ad primum, quod aliud est loqui secũdum veritatem, & aliud secundũ quod nobis videtur. Nam terra vere intersecat Solem circulariter, sed à nobis non sic conspicitur, quia nobis terra maior Sole videtur, & sic solum vnam partem terræ intersecare, quæ & si in se habeat altissimos montes, & profundissimas valles, tamen plana videtur, quia respectu tantæ molis ferè nihil est, & terra ad cælum comparata sicut punctum se habet, vnde non potest nobis impedire visionem Solis, nisi per accidens, & ex defectu potentiæ.

Ad secundum dicitur, quod siue aqua totam terram ambiat, siue non (de hoc enim suo loco erit disputatio) cum aqua sit terræ conglobata, cum ab ea sustineatur, non est mirum, quod altior terra esse possit, & tamen non fluat, totamque terram cooperiat, de qua re etiam infra tractabimus ex proprijs.

Ad tertium dicimus, quod terra dicatur rotunda bifariam intelligi potest. Primo, Mathematice, & perfecte, sic quod omnes lineæ a centro ad circunferentiam ductæ sint æquales, & ita terra non est rotunda, quia in se continet eminentes montes, & imas vales, & multas inæqualitates, ex quibus flumina in diuersas partes currũt. Secundo Physice, & imperfecte, idest tali modo, quod si quis eam e regione superiori intueretur secundũ eius superficiem continentem, & ambientem, eam videret, & diceret esse rotundæ figuræ, & sic dicimus terram figuræ esse rotundæ, secundũ externã suam superficiem, quare in eclipsi Lunæ ad Lunam mittit figuram rotundam, & per hoc patet, ad quartum.

Ad primum inquantum tangit ignem, qui multum aeris in se conuertit sub æquatore, & econtra multum ignis aer ad se reducit sub frigidis polis. Respondet Fernelius lib. 1. suæ Cosmot. quod ignis quantum ad superficiem conuexã, secundum quam terminatur ad concauũ orbis Lunæ est sphericæ figuræ, non verò secundum superficiem concauam, secundũ quã cingit aerem, propter rationem adductã, vnde secundum hanc partem tenet figuram oualẽm. Sed hoc non audiunt quidã quos Aliacensis refert quæst. 5. tract. de sphera volentes ignem ex vtraque parte esse sphericum, quia dum aer in ignẽ conuertitur sub æquatore, continuo accurrit aer è regione polari, ad replendam partẽ aeris consumpti, quod non censeo inconueniens pensata natura vniuersali prouidente, ne aer secundum suam naturam, & figuram deficiat, succurrendo per continuam subministrationẽ aeris in parte polari superflui, parti æquinoctiali aere indigenti, ad se conseruandum in sua sphærica sphera. Secundo dicimus, quod non est pensanda spherica figura in elementis mathematice, & omnino pfecte, sed physice, vt diximus. Et additur, quod figura locati consideratur secũdum superficiem ambientem, quia ista est, quæ rem in suo loco constituit. Sic autem vnum elementum cingit alterum, secundum rotunditatem, & sphereicitatem.

Ad illud de igne in modum pyramidis surgente, eodem modo dicitur, & additur quod

quod talem figuram facit dum ad propriã ſpheram aſcendit, nos verò loquimur de elementis in ſuis ſpheris collocatis.

QVAESTIO XI.

Vtrum duo elementa ſint grauia, & duo leuia.

Videtur quod non. Primo. Nam medium participans de extremis, non denominatur ab vno extremorum, ſicut color medius inter album, & nigrum non dicitur, nec album, nec nigrum. Sed aer, & aqua participant de grauitate, & leuitate. Ergo non eſt dicendus aer leuis, nec aqua grauis. Probatur minor. Primo, quia leuitas aeris eſt qualitas motiua media inter leuitatem ignis, & grauitatem terræ, & ita grauitas aquæ eſt qualitas media inter grauitatem aquæ, & leuitatẽ ignis, vt aſſerit Phil. 4. de cælo, cap. 6. Secundo, quia aer non eſt ſumme leuis, vt ignis. Ergo habet de grauitate, & ita aqua non eſt ſumme grauis, vt eſt terra. Ergo participat de leuitate. Tertio, quia aer in loco ignis deſcẽdit, & in loco aquæ aſcendit. Et aqua in loco terræ aſcendit, & in loco aeris deſcendit. Aſcenſus verò, & deſcenſus nõ proueniunt niſi à grauitate, & leuitate.

Secundo probatur, quod ignis non ſit ſumme leuis. Nam ſumme leue nullam habet grauitatem, nec conſequenter deſcenſum. At ignis ſecundum quaſdam particulas deſcendit, vt docet Ariſtotel. 1. Metheor. cap. 4. Ergo non eſt ſumme leuis.

Tertio probatur, quod terra non ſit ſumme grauis. Primo, quia aurum, plumbum, & argentum viuum ſunt terra grauiora. Secundo, quia cadauera in quibus terra dominatur, & ſi primo vadant deorſum, tamen poſt non multum temporis ſupra aquas emergunt, & natant. Tertio, quia refert Plinius lib. 2. Nat. Hiſt. cap. 95. Tyrrheum lapidem etiam grandem ſupra vndas natare, & quaſdam inſulas, quas vocat ſemper fluctuantes. Et lib. 6. cap. 27. ait lacum Aritheſſam, & lacũ Apoſcidamum omnia pondera ſuſtinere. Quod & de lacu Aſphaltide refert Ioſephus de Bello Iudaico lib. 5. cap. 5. Ergo &c.

Reſpondetur tamen, quod duobus modis aliquid poteſt dici graue, & leue, etiam in ſummo. Primo loco, & ſitu, quia, ſcilicet ſumme graue eſt ſub omnibus elementis, & ſumme leue ſupra omnia elementa, & ſic ignis dicitur ſumme leuis, quia ſedet ſuper omnia elementa, & terra dicitur ſumme grauis, quia ſtat ſub omnibus elementis, ignis eſt enim ſummum elementum, & terra imum. Secundo modo carentia contrariæ qualitatis, quia ſcilicet ſumme leue nullam ſecum admittit grauitatem, & ſumme graue nullam partem leuitatis, & ſic in igne ſaluatur maxima leuitas, & in terra maxima grauitas, at in medijs elementis eſt difficultas.

Secundo igitur conſiderandum venit, quod leuitas, & grauitas in elementis medijs bifariam conſiderari poſſunt. Primo per ſe, & ſic illa dicenda ſunt elementa grauia, quæ de ſe, & ex ſua natura deorſum tendunt, vt terra, & aqua. Et illa erunt leuia, quæ motum ſurſum habent ex ſua natura, vt aer, & ignis. Secundo in comparatione, & in reſpectu, & ſic poſſunt habere diuerſas rationes, ſecundum quod ad extrema comparantur. Et ita aqua poterit dici leuis comparata grauitati terræ, & grauis cõparata leuitati aeris, & ignis. Primo modo ergo nos conſideramus elementa, quæ eſt cõſideratio, ſecundum eorum naturam, nam ſecunda eſt quaſi per accidens, & ita primo modo affirmamus ignem, & aerem eſſe leuia elementa, ignẽ in ſummo, aerẽ non tantum, & ſic terra eſſe ſumme grauem, non tantum terram.

Ad primum. Primo reſpondẽt aliqui, quod duplex eſt medium. Primum dicitur nominatum, quia tenet proprium nomen, vt colores medij reſpectu extremorum, & hoc abſoluto nomine appellatur. Secundum dicitur innominatum, quia non habet proprium nomen, ex carentia vocabulorum, vt elementa media reſpectu grauitatis, & leuitatis, & iſta poſſunt ab extremis quibus comparantur denominari, vt aqua comparata aeri dicetur grauis, & terra leuis. Secundo dicitur ad primam probationẽ minoris, quod pro nobis eſt, quia facit, quod aqua, & aer non dicantur, nec ſumme grauia, nec ſumme leuia. Et ita ad ſecũdum patet. Ad tertium dicitur, illud non eſſe mirum, quia aer comparatus igni eſt grauis, & comparatus aquæ eſt leuis.

Ad ſecundum dicitur, quod deſcendere ſtat dupli-

dupliciter. Primo naturali, & intrinseca propensione, & inclinatione. Secundo ex aliquo impulsu extraordinario, impresso à corporibus cælestibus. Primus arguit grauitatem, & hunc descensum negamus cælo. Secundus probat solum motum, & impulsum possibilem ab extrinseco, & talem concedimus igni, sed nobis non officit, qui de motu deorsum loquimur, prout proficiscitur à naturali proprietate.

Ad primum tertij dicitur, quod terra dupliciter considerari potest. Primo in sua simplicitate, & puritate, prout iudicatur esse in centro, & propè centrum. Secundo, vt est mixta cum vicinis elementis aere, & aqua, vt est hæc terra, quam pedibus calcamus. Primā dicimus grauissimam inter omnia grauia, secundam nequaquam, sed aurum, plumbum, & argentum viuum ea grauiora posse esse concedimus. Secundo dicimus, quod quando affirmamus terram esse grauissimam loquimur de terræ elemento, & ignis elemento, & sic dicimus nullam rem esse terra grauiorem, & igne leuiorem, comparando naturam naturæ, & non partem parti.

Ad secundum dicitur, quod dum corpora putrefiunt, & insaniem redundant, perdunt multum de terrestri, & de aero, ac grauitate, & inde ex vadi imo ad summum ascendunt, rupto felle, & iecore.

Ad tertium dicitur, quod in illis lapidibus plus dominantur alia elementa, quam terra, & ideo supernatant. Quæ verò de insulis fluctuantibus circumferuntur fabulosa censentur. At de illis lacubus dicta (si vera sunt) dicendum est, esse aliquam qualitatem actiuam in illis, quæ impellat, & proijciat, quæ descendere deberent, sursum.

QVÆSTIO XII.

Vtrum elementa in suis locis sint grauia, vel leuia.

Videtur quod sic. Nam Arist. 4. de cælo, c. 5. aperte docet aerem, & aquam in suis locis grauitatem potius habere, quā leuitatem, quia aer aqua subtracta descendit, & ita aqua si terra ei subtrahitur. Ergo in suis locis sunt grauia.

Secundo. In 4. cap. eiusdem docet vtres aere plenos esse grauiores, quam sine aere, quia aer deorsum descendit. Et lignum centum librarum celerius per aerem ferri, quam plumbum vnius libræ. Et econtra plumbum vnius libræ celerius per aquam descendit, quam lignum eiusdem ponderis, quod immo supernatat, quia leuitas aeris illud, scilicet lignum in sua regione deorsum trahit, non autem in aqua. At grauitas terræ quæ est in plumbo, licet etiam in aqua deorsum impellat, in aere tamen paucioribus iuuatur, quam virtus motiua ligni.

Tertio. Naturalis proprietas rei, ab ea est inseparabilis vbicūque ponatur, vt semper homo est disciplinabilis. At leuitas, & grauitas sunt naturales proprietates elementorum, vt dixit Arist. 1. cæli. Ergo semper sunt grauia vel leuia, in quibuscumque locis ponantur.

Respōdetur, quod dupliciter possumus querere ān elementa sint grauia, & leuia in suis spheris. Primo, quo ad qualitates suas, quærendo an omnia elementa sua natura, sint affecta secundum se grauitate, & leuitate, & sic nulla est difficultas, quoniam constat nō posse separari ab his suis qualitatibus, & affectionibus. Secundo, quo ad actum grauitatis, & leuitatis, idest an elemēta in suis spheris grauitent, aut leuitent, adeo vt verbi gratia dicamus aquā in sua sphera esse taliter grauē, quod pōderet, & ita aerem, & sic deorsum tendere, & in hoc secundo stat difficultas.

Secundo ergo notādum, quod circa præsentem difficultatem videntur esse duæ opiniones. Prima est Villapandi 4. de cælo, cap. 5. qui affirmat elementa in suis spheris leuitare, & grauitare. Secunda, quę videtur cōmuniter recepta hoc negat. Quā receperūt Archimedes, Ptolomeus, Simplicius, Themistius, Syrianus, Alexander D. Thomas, ac ferè omnes peripatecі.

Tertio ergo dicendum venit, quod elementa bifariam considerari possunt. Primo, vt à natura sunt in suis spheris collocata, ita vt grauius sit sub minus graui, & leuius, supra minus leue, ignis supra aerem, & aqua supra terram. Secundo, vt contra suam naturalem conditionem collocantur, vt magis graue supra minus graue, & magis leue, supra minus leue. Primo modo nec leuitant, nec grauitant, quod constat. Primo, quia naturali impetu ad suas

suas spheras tendunt, vt in eis qui escant, & non vt ex eis moueantur, vnde si ignis tendit sursum, & ita aer, est vt in suis locis consistant. Secundo, quia sic aer esset pondus capiti nostro, & hi qui sub aquis natant, magnum aquarum pondus supra humeros suos sentirent, quod est falsum, etiam si ad profundum maris descendissent. Secundo autem modo sunt grauia, & leuia. Primo, quia cum minus graue est sub grauiore non est in suo loco, & ita dũ minus leue est supra magis leue. Et ita si se debent reducere ad propria loca, debet minus leue grauitare, & minus graue leuitare. Secundo, quia hoc experientia deprehendimus, nam si aer esset supra ignẽ descenderet, sicut descendũt aqua, & terra supra aerem posita. Et ita aliqui liquores supra alios natant, quia leuiores sunt, vt Oleum supra aquam, aquæ salsæ supra dulces, & balsamum vt grauius descendit sub aqua, & argentum viuum sub omnibus metallis, auro excepto.

Ad primũ aliqui aperta fronte dicunt Arist. in hac parte errasse, & Mathematicos verum dixisse. Tamen melius dicitur, quod elementa media bifariam cõsiderari possunt. Primo, vt sunt in sua simplicitate. Secundo, vt apud nos sũt permixta vaporibus, ac alijs qualitatibus grauitantibus. Primo modo loquuntur Mathematici, & secũdo Arist. nã sic constat, quod ex qualitate addita grauitante grauitant, voluit igitur dicere ea grauitare non per se, sed per aliud.

Ad secundum dicitur, quod aer in vtre inclusus est ex illo, qui circa terram est, & consequenter multis vaporibus permixtus, & eo magis si sit exsufflatus ab homine, multum enim sputi tunc vehit secum. Si autem aer esset purus, & sincerus non faceret vtres grauiores. Lignum autem centum librarum citius descendit per aerem, quam libra plumbi, quia in ligno est maius põdus terræ, & aquæ, quã in libra plumbi. Econtra in aqua, quia in plumbo parũ est de leuitate aeris, ideo citius descendit, non sic lignum in quo prævalet aer, qui nõ prævalebat dum per aerem volitabat, quia in propria sphera non grauitat.

Ad tertium dictum est, quod procedit de grauitate, & leuitate, vt sunt passiones, non vt dicunt actũ leuitatis, & grauitatis.

QVÆSTIO XIII.

Vtrum si terra subtraheretur aqua, aqua descenderet.

Videtur quod non. Primo. Solum graue deorsum descendit. Sed definitum iam est aquam in sua sphera non esse grauem. Ergo adhuc ab ea subtracta terra non descenderet.

Secundo. Ordo vniuersi prævalet omni actioni particulari, quia natura plus est sollicita circa bonum vniuersale, quod est diuinius, & excellentius, quam circa bonũ particulare, quod est minus. Sed ordo vniuersi est, vt quodlibet elemẽtum in sua sphera permaneat immobiliter. Ergo etiã mota terra, aqua in sua sphera staret.

Tertio. Natura quantum potest mala tollit. Sed maius malum esset terram tollere, & spheram aquæ mutare, quam solum terrã tollere. Ergo dato hoc inconuenienti terræ, natura secundo obstaret, scilicet ne aqua amoueretur à suo loco.

Circa præsentem difficultatem duas inuenio opiniones. Prima est Conimbr. q. vlt. 4. de cælo dicentium, quod si Deus subduceret terram ab aqua, aqua non descenderet, nec si tolleret aqua, aer, nec si aer, ignis deorsum tenderent, nisi vacui periculum immineret, aut aqua, vel aer impura essent. Secunda est Ruuij q. vltima in libris de cælo tenentis, quod si subtraheretur ab aqua terra, vel aqua ab aere, quod aer, & aqua descenderent. Probat hoc primo. Quia omne graue naturaliter descendit deorsum. Tunc aqua esset grauis. Ergo descenderet. Secundo. Quia necessarium est, vt si aqua non descendat, quod ei supponatur elementũ magis graue, scilicet terra. Ergo ea subducta, deorsum tenderet.

Censeo primo, quod si ab aere, & igne subducerentur aqua, & terra, nisi periculum vacui adesset, non descenderent. Hoc puto certum, quia eorum motus non est deorsum, sed sursum, nec sunt elemẽta grauia, sed leuia. Difficultas solũ posset esse, si sphera ignis tolleretur, an aer sursum vsque ad concauum orbis Lunæ ascenderet. In quo casu teneo affirmatiuam partem, quia est ei naturale sursum ascendere, vnde ne daretur vacuum natura, auge ret

ret spheram aeris, ita vt duas spheras occuparet, scilicet aeris, & ignis. Quando enim sumus inter duo inconuenientia, iudicãdum est, naturam magis semper vim suam esse assumpturam ad tollendum maius inconueniens permittendo minus, sicut etiam facit prudens homo. Modo maius longe inconueniens est dari vacuum, & esse in orbe regionem otiosam, quam quod aer cui est cõnaturale sursum ascendere, magis sursum ascendat, quam ei ordinarie conueniat, & ideo putandum est, quod tunc causabit motum aeris sursum vsque ad concauum orbis Lunæ. Secundo ita censeo, quod si terra tolleretur, aqua descenderet, sed tunc, vel augeretur, ne eius regio vacua staret, vel aer ipse regionem aquæ impleret.

Hoc deduco. Primo, quia & si aqua in sua sphera non sit grauis, qñ est supra magis graue, adeo vt magis graue pro suo cẽtro fere habeat, tamen si magis graue tolleretur, ipsa tunc esset in vniuerso summe graue, (succederet enim terræ) & necesse fieret ei deorsum descendere, quantum posset. Secundo, quia terra, & aqua vnum globum facere videntur, & siccitas terræ in causa est, quod aqua eam nõ cooperiat. Ergo sublato impedimento descenderet. Tertio, quia aqua inter elementa grauia connumeratur. Si ergo non descenderet ad locum vbi terra erat, non esset grauis, nec posset dici moueri deorsum, nam non esset deorsũ terra. Ergo erit locus iã terræ.

Ad primum ergo dicitur, quod aqua in sua sphera non dicitur grauis, dũ ei stat quasi pro centro magis graue, idest terra, cum qua ferè vnum globum facit. Dato autem quod ab ea subduceretur magis graue, ipsa esset inter grauia grauissima, & sic oporteret eam imum locum occupare.

Ad secundum dicitur ad minorem, quod valet de ordine vniuersi præsenti, tunc autem esset immutatus.

Ad tertium dicitur, quod maius malum, esset locum terræ vacuum seruare, quam quod ab aqua occuparetur. Secundo dicitur, quod tunc aqua non diceretur spheram suam mutare, eam enim tãtum transferret ad locum inferiorem, sed nõ in eadem dispositione, quia situs elementorum esset alio modo dispositus.

Sed quis interrogabit, quomodo tunc aqua staret. Respõdetur quod globum faceret, & centrum proprium adipisceretur, versus quod omnes partes aquæ accurrerent, & sic eam immobilem secundum totum redderent, sicut modo cernitur in terra.

QVÆSTIO XIIII.

Vtrum grauitas aquæ, & terræ, & ita leuitas aeris, & ignis specie differant.

Videtur quod sic. Primo. Subiecta specie distincta habent diuersas passiones specie distinctas. Sed elementa specie distinguuntur. Ergo grauitas, & leuitas, quæ sunt earum passiones specie distinguuntur. Minor nota est. Maior etiam conceditur. Quia propria conueniunt vni soli, & semper.

Secundo. Diuersitas terminorum motus, arguit diuersitatem mobilium, quia terminus est, qui specificat motum, & mobile, vt est mobile. Sed terminus motus elementorum causatus à grauitate, & leuitate est distinctus specie. Ergo, & principia horum motuum. Maior est Aristot. 5. Phys. Minor constat, quia terminus motus ignis est sphera Lunę, aeris superficies conuexa ignis, aquæ superficies conuexa terræ, & terræ suum centrum.

Tertio. Facultas motiua simplex, & mixta specie distinguuntur, sicut faciũt mixtum, & simplex. At grauitas terræ mouẽs deorsũm, & leuitas ignis sũrsum tendentis sunt simplices facultates, intermediorum vero elementorum, scilicet aeris, & aquæ mixtæ, per Arist. cap. 4. & 5. 4. de cælo. Ergo differunt specie.

Circa hãc quæstionem sunt duæ opiniones. Prima est multorum recentiorum apud Ruuium 4. de cælo, quæst. 1. tenentiũ grauitatem aquæ, & terræ specie differre, & ita leuitate ignis, & aeris. Secundam amplexatur Ruuio vt supra, tenens specie non distingui, quã probabiliorem, & doctrinæ Arist. & S. Thomæ conformiorem inueni.

Secundo ergo notandum venit, quod grauitas, & leuitas pertinent ad secundam speciem qualitatis, scilicet ad naturalem potentiã, & impotentiam, cum sint principia motus duplicis, scilicet à medio, & ad medium, principium autem immediatum operationis ad naturalem potẽtiam,

& impotentiora attinet. Erunt igitur naturales mobilium proprietates, eis ab intrinseco, vt propriæ passiones conuenientes, & ex eorum naturis emanantes, vnde moueri ad alium terminum quam suum, erit eis violentum.

Tertio sequitur, quod si sint qualitates de secunda specie, quod ab eorum subiectis, quæ sunt substantiæ, realiter distinguuntur, vnde substantia manente, possunt augeri, & minui. Distinguuntur etiam realiter inter se, cum sint in diuersis subiectis, vt eorum naturales passiones, & proprietates, & ad sursum, & deorsum moueantur sua naturali propensione, quod sufficit ad causandam distinctionem realẽ mobilium, vt annuit Arist. 5. Phy.

Quarto. Considerandum igitur est, quod magnum discrimen est inter differre specie, & differre magis, & minus, secundum maiorem extensionẽ, vel intensionem in eadem specie. Nam ad primum requiritur differentia essentialis faciens aliud, ad secundũ vero solum sufficit diuersitas intentionis, secundum magis, & minus, faciens solum alteratum. Si igitur consideremus leuitatem in aere, & igne, non inuenimus leuitatem ignis esse diuersæ naturæ, a leuitate aeris, & ita grauitatem aquæ esse aliã à grauitate terræ, sed solũ grauitatem terræ esse maiorem grauitate aquæ, & leuitatẽ aeris esse minorẽ leuitate ignis, vnde est differentia, secundum magis, & minus in eadem specie, & non in diuersis speciebus.

Conclusio ergo est. Grauitas aquæ, & terræ est vna specifice, & ita leuitas aeris, & ignis. Probatur primo. Quot sunt motus distincti secundum speciem, tot sunt principia mouentia secundũ speciem. Sed duo tantum sunt motus elementorum, secundum speciem, scilicet à medio, vt aeris, & ignis, & ad medium, vt terræ, & aquæ, per Arist. 1. celi. Ergo duæ tantum erunt principia horum motuum, scilicet, vna leuitas in mobilibus à medio, & vna grauitas in mobilibus ad medium. Maior patet, quia motus distinguuntur, vel ex terminis specificis, vt sunt non hoc sursum, vel deorsum hoc, sed sursum, & deorsum, vt sic. Vel ex principijs à quibus pullulant hæ passiones, secundum ea quæ diximus 5. Phys.

Secundo. Quæ differunt specie, differunt oppositis differentijs essentialibus, vt homo rationalitate distinguitur à Leone, q est animal irrationale. At leuitas ignis, & aeris carent his diuisiuis differentijs formalibus, quæ nam sunt? aut quomodo vocantur? Ergo non distinguuntur specie.

Tertio. Non sunt multiplicandæ species sine necessitate. Sed nulla est necessitas distinguendi specifice duas leuitates, & duas grauitates, sicut nec distinguendi duas albedines, quia intensior est in niue, quam in pariete. Ergo, &c.

Ad primum ergo in contrarium negatur maior, nam cignus, & nix specie distinguuntur, & tamen vna est horum albedo secũdum speciem, vnde diuersitas subiectorũ est materialis, & non formalis, & specifica. Secundo dicitur ad maiorem, quod subiecta specie distincta habeant distinctas passiones specificas stat dupliciter. Primo, in his per quæ constituuntur in esse, & ab alijs distinguuntur, vt homo rationalitate, & risibilitate in esse constituitur, & his ab alijs distinguitur. Secundo, in his quæ multis possunt esse communia, vt volatiuum omnibus auibus, gressiuum omnibus animalibus, & similia, & secundum ista non diuersificatur communis ratio, in eam participantibus, & ita est de luce, quæ est communis ratio omnibus lucẽtibus, & grauitas omnibus grauibus, & leuitas omnibus leuibus.

Ad secundum dicendum ad minorem, quod duplex est terminus leuium, & grauium. Primus dicitur formalis, quia est veluti terminus primo inspectus, & directe intentus, & hic est in leuibus sursum, vt sic, & in grauibus deorsum, vt sic. Secundus dicitur potius materialis, & indirecte intentus, & talis est concauum orbis Lunæ in igne, conuexum sphæræ ignis in aere, conuexum sphæræ terræ in aqua deorsum descendente, & centrum terræ in terra. Patet enim, quod adhuc ignis diceretur moueri sursum, & sursum obtinere summum locum, etiam quod non attingeret spheram Luna, &c. Primo termino distinguuntur motus, & non secundo, quia potius est terminus materialis, quam formalis.

Ad tertium Niphus concessit leuitatem aeris esse mixtam, & ita grauitatem aquæ. Sed contra ipsum scribit Marsilius 2. de gener.

gener.quæst.7.Albertus de Saxonia lib.3. de cælo,quæst.1.& S.D.primo cęli,lect.4. Ruuio vt supra.Primo,quia qualitas mixta secunda,redundat ex mixtione primarum qualitatum in corpore mixto. Elementa autem omnia sunt corpora simplicia, & ideo prædita qualitatibus simplicibus. Secundo, quia motus simplex debet esse ab vna virtute simplici motiua. At motus omnium elementorum per Arist. 1.de cælo,cap.2.est motus simplex,& corporis simplicis. Tertio,quia non est maior mixtio in passione, quam in subiecto, sed minor, vt in risibilitate, quam in homine. Si ergo duo media elementa sunt corpora simplicia,vt docuit primo cęli Aristot. & confitetur omnis philosophia. Ergo magis erunt passiones simplices grauitas,& leuitas in ipsis. Ad argumentum igitur dicendum est, quod grauitas aquæ, & leuitas aeris dupliciter possunt considerari. Primo, in respectu,& sic aer potest dici grauis aliquo modo comparatus igni, idest, non summe leuis, vt ignis, & ita aqua potest aliquo modo dici leuis, terræ collata, quæ est summe grauis. Secundo, in se,& absolute, & ita aqua dicitur grauis,& aer leuis.

Sed quid dicendum est de grauitate, & leuitate mixtorum, sunt ne in ipsis qualitates simplices, an mixtæ?

Respondetur,quod intrinsece, idest, secundum se considerata sunt simplices,& eiusdem speciei, cum grauitate,& leuitate elementorum, nam mixtio est miscibilium vnio formalis, numquam autem leuitas fit grauitas, nec econtra,sicut nec frigiditas caliditas formaliter. Extrinsece autē, & ratione subiecti mixti possunt dici mixtæ, quia subiectum secundum diuersa potest de vtraque qualitate participare.

Sed nonne aqua ascendit quandoque ad locum aeris,& descendit ad locum terræ,& ignis extra sphera mouetur motu recto, & in sphera motu circulari ad motum orbis Lunæ?

Respondetur, quoad aquam. Primo, quod loquimur de toto elemēto,& non de parte,quę potest moueri motu sibi contrario. Secundo dicitur, quod dum aqua fit aer, aqua consideratur non secundum se absolute, sed vt participat de superiori, & sic potest moueri sursum, & ita ignis in sua sphera circulariter, qui motus non est violentus,sed naturalis, non absolute,sed participatiue.

Sed est ne idem motus aquæ dum sursum ascendit,cum eo cum quo descendit?

Resdondetur negatiue, quia dum ascendit mouetur virtute alterius,& dum descendit propria.

QVÆSTIO XV.

Vtrum mixtio elementorum sit possibilis.

Videtur quod non. Primo. Omne quod mouetur, ab aliquo mouetur. Sed elementa à nullo possunt moueri ad vniendum se in mixto. Ergo mixtio nō est possibilis. Maior est Aristot.7. Phys. Minor probatur. Vel mouerentur seipsis ad se vniendum in misto, vel ab alio. Si ab alio non esset naturalis mixtio, quia esset ab extrinseco, naturalia enim sunt intrinseca. Non à seipsis, quia non exeunt suam spheram nisi ab alio impellantur, & cum sint naturæ perfectę non possunt moueri, ex se extra sua loca ad generationē mixti. Ergo mixtio elementorum non est possibilis.

Secundo. Causa nobilior est suo effectu, & producens producto ex 5. Metaphys. Sed elementa non possunt esse nobiliora mixto animato, & viuente, cum ipsa sint inanimata,& vita orbata. Ergo non possunt se vnire ad causandum mixtum.

Tertio. Si fieret mixtio,miscibilia se diuiderent,vt docet Arist.1. de generat.cap. vltimo. At hoc nequit fieri. Probatur. Aut partes vnius miscibilis penetrarēt partes alterius,aut non. Primum est impossibile, quia non datur penetratio corporum. Si secundum, mixtio non erit vera mixtio, sed iuxta positio, quia partes vnius ponerentur iuxta alias.Ergo non est possibilis.

Quarto.Si mixtio fieret,quælibet pars mixti mixta esset. Hoc falsum, quia sic esset penetratio corporum. Maior videtur clara, quia non est pars simplex, sed mixta, quoniam mixtum,est vndequaque mixtū.

Quinto. Mixtio debet fieri per miscibilium diuisionem,aliter non vnirentur. At hæc est impossibilis. Ergo,& mixtio. Probatur minor. Nam si diuiderentur miscibilia, vel diuiderentur in omnem partem, vel non. Primum est impossibile,& secūdum non potest esse, quia non esset maior ra-

tio, quod magis in vnam partem, quam in aliam diuidantur.

Sexto. Omne mixtũ in aliquo loco fit mixtum, qnia omne corpus est in loco per Arist.4. Phys. Sed elementa non possunt naturaliter conuenire in vno loco; cum quædam sursum tendant, & quædam deorsum descendant. Ergo &c.

Septimo. Si elementa debent misceri, debent esse quatuor, quia si essent duo tantum, & vnum altero esset fortius, alterum corrumperet, & sic non fieret mixtio. Et si esset æqualiter forte, vnum alterum secum non duceret. Et si tria essent, duo essent symbola, & sic tertium vinceret, necesse est ergo, quod sint quatuor. At hoc dato, duo, & duo sibi resistent, & sic non venient ad mixtionem.

Pro explicatione huius quæstionis. Primo notandum venit, quod mixtio tripliciter sumitur. Primo, pro aggregatione plurium rerum sub propria forma remanentium, & figura, vt frumentum misceri potest millio, & pili lanæ in panno. Secundo, pro aggregatione plurium rerum nõ remanẽtium in propria forma, & figura, sed venientium ad mixtionem quandam imperceptibilem, quo pacto aromata in mortariolo contusa dicuntur misceri in farinam, & de his mixtionibus non loquimur, sed de tertia, quæ est quædam vnio, & mixtio sub vna forma substantiali, proprijs formis corruptis, quo pacto dicimus aerem, ignem, aquam, & terram ammittere proprias formas in homine, & acquirere formam hominis.

Secundo notandum venit, quod circa an est vnionis elementorum in mixto non est difficultas, quoniam experientia, & sensus de ea nos docent, sed circa modum, & explicationem huius mixtionis non est vnus modus dicendi. Sunt enim aliqui qui dicunt hanc mixtionem proprie non esse elementorum, sed metaphorice, pro quanto conspicimus in mixto similes qualitates, quales experimur esse in elementis. Alij dicunt esse quidem mixtionem, sed non ex puris elementis, sed prout fuerunt sub vno mixto, sicut compositum non est ex simplici materia, sed ex materia quæ iam erat sub alia forma. Alij concedunt mixtionem, sed eam negant naturalẽ esse, quia nulla res in suo esse perfecta ad aliã ordinatur, vnde affirmant illam euenire, quia natura vniuersalis intendit, & vult mixta, vnde est de intentione naturæ vniuersalis, non vero particularis, sicut de intentione naturæ vniuersalis est ascensio grauis ad replendum vacuum, non vero est de intentione naturę particularis grauis, naturaliter tendentis deorsum. Nos autem damus mixtionem propriam, possibilem in ordine ad simplicia elementa, & de intentione naturæ particularis cuiuslibet mixti.

Tertio ergo considerandum venit, quod ad mixtionem quinque concurrunt. Primum est causa effectiua vnitiua mixtionis, idest agens coniungens miscibilia, cum sæpe sint in diuersis locis. Secundum est causa quidem effectiua, sed generatiua mixti. Tertium est modus quo fit mixtio. Quartum est locus in quo fit. Quintum est miscibilia, idest, sine quibus non fit mixtio, vno etiam tantum deficiente. Præcipua autem difficultas est circa tertium, quia non apparet modus, quo ista misceri possint, & terminari. Nam si ad substantiam terminanẽ, erit generatio, & si ad accidẽs, erit alteratio, quia mixtio est miscibilium alteratorum vnio, & consequenter videtur terminari ad qualitatem.

Quarto ergo cum S.D. 4. contra Gentes, cap.81. considerandum venit, quod forma mixti nõ est forma substantialis, quia vna tantum est forma substãtialis in mixto, consequitur tamen generationem substantialem, eo modo quo docuit Arist. 1. de Generat.tex.84. scilicet, quia dum generatur mixtũ, & in esse substantiali constituitur per formam substantialem, tunc ex vnione formæ cum materia elementorum manentium virtute in mixto, resultat quędam qualitas formaliter vna, & virtute multiplex, quæ est formæ substantiali connexa, & ad eius conseruationem necessaria, vnde non est quidem generatio, quia in generatione non manet nisi materia prima, in mixtione vero remanent miscibilia virtute. Nec est alteratio simpliciter, quia alteratio est accidẽtalis, at vnio miscibilium est formæ substantiali connaturalis, & immediata, vnde potius videtur dicẽda generatio nõ proprie, & substantialis, sed secundario, & accidentalis ratione termini, quia ex illa vnione resultat illa simplex qualitas, iam dicta.

Secundo

Secundo ergo loco principali ponitur hæc conclusio. Mixtio elementorum est possibilis. Probatur. Primo. Illud est fieri possibile, quod habet causas possibiles. At mixtũ habet causas possibiles, & mixtio. Ergo est possibilis. Maior est clara. Minor probatur, ex quatruplici causa. Primo quidem ex parte materiæ, quoniam materia est illa, quæ subijcitur generationi, & est quo aliquid fit, & ita ex elemẽtis tamquam ex corporibus simplicibus res fieri dicuntur, vt 5. diuinorum ostendimus. Secundo. Ex parte formæ, quia deprehendimus in mixto multas actiones elementorum, & proprietates, quas concludere oportet in vna forma mixti, à qua virtualiter proficiscantur. Tertio. Ex parte efficientis, eo quia mixtio habet duplex efficiens. Primum est commune, & primum, quod est cælum, quod lumine, & motu agere ad generationem, & mixtionem elementorum affirmauit Arist. vbique. Secundum est proximum, & immediatum, scilicet oppositio elementorum, quæ cum in gradu remisso se cõpatiantur, opus est, vt constituant mixtum. Quarto. Ex parte finis, quia mixtio ordinata est ad generationem mixti, non enim generaretur mixtum, nisi esset mixtio. Et ad eius conseruationem, quoniam dum mixta pacem seruanr, mixtum conseruãt, & dum illam turbant, interimunt.

Secundo. Quod patet expresse, non est probare necesse. Sed mixtio elementorũ expresse patet. Primo, quia cernimus in vere, & in æstate, sæpe ex aqua pluuiali, & puluere generari quædam animalia. Secundo ex dominio qualitatum elementarium in mixtis, nam in animalibus, choleræ dominatur ignis, phlegmati, aquæ, sanguini, aer, & melancholiæ, terra. Et ita in cholericis dominatur ignis in auibus, & sanguineis, aer, in piscibus, in phlegmaticis aqua, in leporibus, alijsque melancholicis terra. Item videmus lignum magni ponderis non submergi ab aquis, quia in eo prædominantur qualitates ignis, & aeris, scilicet leuitas, & sursum stare, quare ligna magis porrosa, vt putrida, & sicca difficilius merguntur, quia in poris stat aeris dominium, & potestas ignis, vnde ex mõte Aethna in Sicilia iaciuntur multi punices porositate pleni, & consequenter impulsu, & virtute ignis. Ita quia in oleo viget aer, super omnes alios liquores supernatat, & similia.

Tertio. Videmus etiam quod mixtio non solum fit ex materia, quæ erat sub forma alterius mixti; verbi gratia cadauer, ex materia quæ erat sub forma equi, verum etiam quod aliquod mixtum immediate fit ex puris elementis, vt patet in nouis vaporibus, qui quotidie gigniuntur, & sunt via admixtionem, & multa mixta immediate in elementa conuertuntur. Ergo &c.

Ad primum negatur minor. Ad probationem dicimus mixtionem fieri ab intrinseco, & ab extrinseco. Ad oppositionem, quod non ab extrinseco respondetur, duplex esse agens extrinsecum. Primum est purum extrinsecum, cui nullo modo subijcitur passum, vel motum, sed continuo ei resistit, & agens ei violentiam infert, quoniam nulla potentia naturalis est in ipso ad hoc, vt à tali agẽte extrinseco moueatur, vt est lapis, ad hoc vt sursũ ascendat. Secundum dicitur extrinsecum supposito, sed intrinsecum virtute, quia habet, quod natura in quam agit ei subijciatur, & ab ipso moueatur, vt sunt elementa in ordine ad cælum, à quo per lumen, motum, & influentias stellarum alterantur, mouentur, & ad mixtionem reducuntur, & tale agens extrinsecum nõ est violentum, vt dicit S.D. 1. de generat. tex. 84. quia inferiora superioribus connectũtur, & ab eis mouentur. Habent enim Stellæ specialem effectum in elemẽtis, vnde Sol mouet calorem, & ignem, & Luna aquã, congelationem Saturnus, æstũ Mars, temperiem in calido Iupiter, & in frigido Venus, commixtionem facilem Mercurius, & stabilitatem, ac varietatem mixtorum, firmitas, & varietas stellarum fixarum.

Ad illud, quod non mouentur à seipsis dicitur, quod duplex est natura perfecta. Quædã in se absolute, quæ nõ ordinatur, ad maiorem perfectionẽ, vt sunt lapides, arbores, animalia, cæli, & intelligentiæ, & istæ non sunt cum alijs in vnũ suppositum vnibiles. Quædam vero sunt naturæ perfectæ quidẽ in se, sed ordinatæ ad maiorem perfectionem suam, vel tertij, vt sunt elementa, quæ in mixto viuo consequuntur perfectionem viuentis, & istæ naturæ possunt vniri.

Ad

Ad secundum dicitur ad maiorem, quod duplex est causa. Prima vniuoca particularis, & immediata huic, & sic talis vt causa saltem erit nobilior suo effectu, sed vt res, & res, cum suo effectu erit eiusdem perfectionis substantialis, sicut sunt Plato pater, & fortes filius. Secunda dicitur æquiuoca, & vniuersalis, vt sunt omnia corpora cælestia, & elementa respectu mixti, & ista duplex est. Prima mouens, & non veniens in compositionem cũ moto, sed per se subsistens, vt cæli, & ista est perfectior effectu. Secunda mouens, & veniens in cõpositionem tertij, & ex hoc maiorem perfectionem acquirens, vt accidit in elementis, dum miscentur ad constituendum mixtum, & hæc non est nobilior suo effectu. Secundo dicitur, quod valet de causa totali, elementa autem non sunt causę totales perfectionis mixti, quia etiam est à forma.

Ad tertium dicitur, quod mixtio neque est penetratio partiũ miscibilium, neque est iuxta positio, neque generatio, neque corruptio, neque motus localis, neque alteratio, vt docuit Arist. 1 de generat. Non est penetratio, quia dum elementa vniuntur in mixto, non manent in suo esse, sed corrumpuntur corruptione perfectiua, & post corruptionem miscentur, & constituunt mixtum. Non est iuxta positio, quia vt dixi non manent elementa in suo esse, & subsistendo, iuxta se ponuntur. Non est generatio, quia in generatione materia non miscetur formę, sed seorsum manent, in mixtione vero miscibilia non manent actu, sed miscentur in vno tertio, quod est omnia illa solum virtute. Nõ est corruptio, quia in corruptione forma non remanet nec actu, nec virtute, elementa vero, & si actu non maneant, sed corrumpantur, (corruptione, secundum quid) manent tamen virtute. Non est motus localis, quia non est opus, quod dũ fit mixtio fiat loci mutatio, & si miscibilia possint mutare locum. Non est alteratio, quia qualitates alterantes manent in actu in subiecto alterato, vt caliditas in manu calefacta, & albedo in pariete dealbato, elementa autem, & eorum qualitates non manent in mixto actu, sed tantum virtute. Sequitur ergo, quod si aliquo supradictorum sit nominanda, dicenda est generatio secundum quid, quia ex eis generatur mixtum, & etiam alia ratione possit dici corruptio secundum quid, quia elementa corrumpuntur, sed non virtute in mixto.

Ad quartum dictum est, quod quælibet pars est mixta, sed non ex elementis, vel eorũ partibus manentibus actu, sed virtute.

Ad quintum dicendum, quod est diuisio in partes paruas, sed nõ minimas, immo erit in maiores, & minores, quia miscibilia nõ sunt semper vniformia, vt possint, diuidi in partes æquales. Istæ autẽ partes agunt adinuicem, qu ou sque formæ substantiales elementorum corrũpantur, & sic vniuntur, & ex vnione illorum resultat forma mixti. Ista autem diuisio fit à virtute cæli, & generantis mixtum, à quibus accipiunt vim se separandi secundum se, & se vniendi in vno tertio, cum ad hanc vnionem ordinentur, vt superiori virtuti subduntur.

Ad sextum dicitur, quod mixtio potest fieri in aere, aqua, & terra, quia in his locis mixta generari possunt, sed præcipue in terra, in mutuo contactu trium elementorum, terræ, aquæ, & aeris. In igne vero an possit generari mixtum, dicam infra. Pro nũc Arist. videtur circa hoc sibi contrarius. Nam 2. de generat. animalium asserit ex igne, & glacie nullũ gigni animal, quod & reperit de ortu, & interitu, & tamen lib. 5. animalium cap. 19. affirmat in fornacibus Cipri gigni quosdam vermes dictos Pyrales, qui in flamma viuunt, & volitant. Sed pro nunc breuiter dicitur, quod in sphera ignis nullum nascitur animal, in illis autem fornacibus. (Si est verum quod ibi generentur) ignis non est omnino purus, vnde miscetur materiæ putridæ lapidum, vel lignorum, & ex illis generantur.

Ad septimum dicemus infra debere elementa esse quatuor, quæ tamen in gradu remisso possunt conuenire, & vniri.

QVÆSTIO XVI.

Vtrum recte sit definita mixtio.

Videtur quod definitio mixtionis non sit bona, quæ est. Mixtio est mixtorum alterabilium vnio. Primo. Nam si daretur mixtio elementorum cum alteratione, sequeretur, corruptio totius orbis, quia omnia

omnia elementa possent in vnum redigi, & sic mundi ordo, & machina confunderetur, & rueret. Probatur assumptum per regulam communem. Sicut totum se habet ad totum, ita pars ad partem, & econtra, ex Arist. 1. de hist. animalium. At si partes elementorum misceri possunt, ergo & tota elementa, & sic orbis confusio.

Secundo. Ista quæ miscibilia dicuntur, sunt quatuor elementa. At ignis, & terra non sunt miscibilia. Ergo nec aer, & aqua. Antecedens probatur, quia inter conditiones mixtionis vna ex præcipuis est; quod miscibilia sint humida, ignis autē, & terra sunt elementa sicca. Consequentia probatur, quia necesse est quatuor elementa coadunari adinuicem.

Tertio. Si est mixtio elementorum, aut fiet à se, vel à cælo, vel ab arte. Non ex se, quia nulla res desiderat sui corruptionē, nec etiam perfectiuam, quia quælibet res appetit sui conseruationem, quantū potest. Non à cælo, quia dominatur in totū elementum, & tantum, quantum in omnē eius partem. Si igitur non vnit elementa secundum totum, ergo nec secundū partem. Non ab arte, quia mixtum constat natura, & elemēta nō dominātur ab arte.

Quarto. Aut elementa secūdum se sibi vendicant suas qualitates in summo, aut non. Si ita, non possunt vniri, vt dicit Comm. 4. Meteororum. Si non, ergo non possunt conseruari, quia sunt in statu innaturali.

Quinto. Mixtio debet esse naturalis, & vt plurimum prope terram. At ignis ad terram non potest descendere nisi per violentiam, cum naturaliter semper sursum tendat. Ergo non erit mixtio alteratorum elementorum adunatio, & vnio.

Incontrarium est Aristot. in primo libro de Ortu, & interitu in calce, vbi sic definit mixtionem. Mixtio est miscibilium elementorum vnio, & est sensus, quod mixtio non est generatio, nec corruptio, nec alteratio elemētorum tantum, sed est ipsorum mixtio, & vnitio, non secundum quod seorsum, & secundū se in suis sphæris reperiuntur, sed prout remittunt suas vires, & ad esse remissum veniūt, manentibus eorum qualitatibus non in actu, & seorsum, sed virtute, & potentia suo modo, & hoc ad perfectionem mixtorum, & totius vniuersi.

Notādum erit igitur, quod ex mixtione elementorū, & qualitatum ipsorum in quodam esse remisso consurgit quoddam temperamentum, seu adæquatio qualitatum elementarium, scilicet caliditatis, frigiditatis, humiditatis, & siccitatis in esse temperato, vnde Auicenna cap. de complexionibus sic definiuit temperamentum. Temperamentum est complexio, & qualitas ex mutua actione, & passione, contrariarum qualitatum, elementis competentium consurgens, quarum partes in eam paruitatem rediguntur, vt plurimū vnius tangat plurimum alterius. Quæ definitio bona est inquātum dixit contra Galenum temperamentum esse qualitatem, & non esse substantiam. Sed mala, quoniam annuit formas elementorum in esse suo in mixto seruari, quod non admittimus: Ideo melius Arist. definiuit temperamentum dicēdo. Quod est vnitio, per remissionem quatuor primarum qualitatum, ex mutua earum actione prodiens, inseruiēs formæ mixti ad conseruationem, & actionem. Ex alteratione autem, & intemperie harum qualitatum dum vna aliam superat generātur infirmitates, & tandem mors.

Secundo notandum venit, quod temperamentum, & mixtio per Arist. 1. de ortu, & interitu, tex. 86. distinguūtur, quoniam mixtio proprie consurgit ex vnione elementorum sub vna forma mixti, temperamentum vero ex coitu qualitatum elemētarium. Primo autem fit temperamentum, idest qualitates elementorum veniūt ad temperamentum, & deinde sequitur mixtio elementorum, nam substantia non agit nisi mediantibus qualitatibus. Ad cauendos ergo errores, & improprios modos loquendi sciendum est, quod tria sunt quæ magnam affinitatem habent, & ideo sæpe vnum pro alio sumitur. Ista sunt cōpositio, mixtio, & temperamentum, quibus alia adiunguntur non tantum affinia, vt confusio, iuxta positio, accumulatio, esse simul, & similia, quæ denotant quandam vnionem.

Compositio ergo bifariam sumi potest. Primo late, & sic est quasi genus ad mixtionem. Nam duplex est compositio. Prima dicitur secundum naturam. Secunda, secundum artem, vt componuntur domus, vestes, syllabæ, &c. Prima autem quæ est secūdum naturam tenet quinque gradus. Pri-

Primus est compositionis ex actu, & potentia. Secundus ex elementis, & eorum qualitatibus in mixto, quæ compositio dicitur mixtio proprie. Tertius ex mixtione partium similium pro cõpositione membrorum, vt partium similium ad constituenda brachia, crura, carnem, & ossa. Quartus, ex mixtione membrorum, vt manuum, pedum, capitis &c. ad constituendum animal, seu mixtum animatum, anima sensitiua. Quintus ex gradibus entium, verbi gratia, ex gradu corruptibilium, & incorruptibilium, materialium, & immaterialium ad constituendum vniuersum. Compositio per naturam differt ab ea, quæ est ab arte, quoniam est per creationem, generationem, vel alterationem, & quæ ab arte non. Secundo modo sumitur compositio proprie, & sic distinguitur à mixtione, quia talis compositio. Vel dicit componentia seruata in suo esse, vt est compositio materiæ, & formæ, illis in suo esse sincero remanentibus. Vel dicit solum vnionem componibilium, sine hoc, quod ex ipsis vnum proprie resultet, sicut est compositio granorum contritorum in farinam. Ex mixtione vero fit vnum tertium corruentibus elementis, & earũ qualitatibus, vt eas habent seorsum, & solum in mixto remanentibus virtute, & in hoc sensu dixit Arist. 1. de ortu, & interitu, mixtionem non esse compositionem.

Ita mixtio tripliciter sumitur. Primo, pro iuxta positione, & cõfusione minimorum alicuius generis, vel conditionis, sine alteratione, quo pacto dicuntur misceri milites duorum exercituum, adinuicem pugnantium, & grana frumenti, hordei, & millei in vno modio. Et de hac locutus est Arist. lib. de sensu, & sensili dum dixit. Ea ad sensum misceri, quæ contingit ad minima diuidi, vt Equi varij, semina varia, homines varij, hominum enim vnus homo, & equorum vnus equus minimus est. Secundo, vsurpatur pro iuxta positione cum alteratione, siue temperamento, tamen remanente, & stante, & noua forma, vt solent misceri pharmaca, & aqua cum vino. Tertio, proprie sumitur pro perfecta, & propria mixtione, quam diximus esse miscibilium alteratorum, & ita interitum, & cum temperamento vnitionem, & sic loquimur hic de mixtione.

Tertio considerandum venit, quod mixtio, & miscibilia suis proprijs conditionibus vallantur. Horum prima est, scilicet miscibilium quod habeat vnam communem materiam pro subiecto. Secunda, quod sint contraria. Tertia, quod simul agant, & patiantur vicissim. Quarta, quod sint apta secerni, & seorsum subsistere. Et quinta, vt quantitatem tribuant mixto, & non solum aliquam qualitatem. Qua propter dixit Arist. cap. de mixtione stamnũ cum alijs metallis non misceri, quia dissoluitur in halitus, & solum colorem delinquit. Ad mixtionem vero tria requirũtur. Primum, vt miscenda, idest elementa veniant ad quandam æqualitatem, quia si vnum semper præualeret, alterũ destrueret, & sic non fieret mixtio. Secundum, quod agendo, & patiendo vnum non destruat alterum, sed ad temperiem reducat summe calidum, summe frigidum, & ita humidũ, & siccum. Tertium ne remaneant seorsum actu perfecto, & completo, sed in vnum tertium redigantur, in quo remaneant potentia, & virtute.

Ad facilitatem autem mixtionis tria faciunt. Primũ est vt sint humida, sicca enim difficilius iunguntur. Secundum, vt non sint tenacia, sed leuia, quia tenacia resistunt. Tertium, vt non facile resoluantur, quia sic non venirent ad mixtionem.

Item ad actionem mixtionis requiritur. Primo, quod miscibilia alterentur, quia est alteratorum vnio. Secundo, quod vniantur. Tertio, quod virtus eorum seruetur. Et quarto, quod quælibet pars mixti sit mixta, quia de mixto æterogeneo est sermo. His enim optime notatis, & digestis totam definitionem mixtionis recte colliges, & hæc habes ab Aristot. cap. de mixtione.

Ad primum negatur, quod elementa secundum totum possint misceri. Primo, quia impediuntur ab auctore naturæ, ob bonum, & conseruationem totius vniuersi. Secundo à virtute cæli ea seruante, & colligante in suas spheras. Et tertio, quia extrema pugnant, & ignis validior est terra, vnde eam consumaret. Ad illam proportionẽ ergo. Sicut totum ad totũ, &c. dicitur, quod hæc propositio valet in mathematicis, in quibus solum cõsideramus proportiones, in physicis vero non est semper vera, vt quando parti, vel toti attribuitur

attribuitur ratio repugnãs alteri illorum, quod accidit propter diuersitatem materiæ, & varietatem causarũ, ista enim multum variant proportionem.

Ad secundum dicitur, quod sicca, sine humido non possunt quidem misceri, sed sicca cum humidis vtique, vt dicitur 2. de ortu, & interitu 49. In aerem cum valde calidis iuncta, & solidis non miscentur, vt stamnum cum aere, sed per actionem caloris in halitus resoluuntur, sed cum proportionatis vtique. Ad probationem ergo consequentiæ dicitur, quod quatuor elementa coadunantur adinuicem, & bene, quia frigida contemperant calida, & sicca humida.

Ad tertium dicitur, quod misceri possunt. Primo à se, non ex se præcise, quia qualibet res secundum se considerata apperit sui conseruationem, sed vt ab auctore naturæ ordinata sunt ad cõstitutionẽ mixti. Secundo à cælo per lumen, & motũ, præcipue à Sole per calorem, & à Luna per humiditatem, conspirantibus alijs Stellis suis varijs aspectibus. Tertio etiam quandoque ab arte, vt est ministra naturæ, operante cum Magia naturali, connectente varijs modis actiua passiuis mirabiliter.

Ad quartum dictum est, quod qualitates elementorum veniunt in mixto ad temperamentum, & adæquationem, & quãdo vna alteram vincit, mixtum ad interitum conducit.

Ad quintum dicitur, quod ignis communicat suum calorem inferioribus, & per calorem concurrit ad generationem mixti.

QVÆSTIO XVII.

Vtrum elementa maneant in mixto in actu.

Vide in 8. Metaphys. quæst. 10. in nostra Metaphysica.

QVÆSTIO XVIII.

Vtrum detur mixtum æquale penitus.

Videtur quod non. Primo. Illud mixtum non est æquale, in quo vnum ex elementis dominatur. Sed in mixtis vnum elementum alteri dominatur per Aristot. dicentem 1. Cæli, mixta moueri, sibique locum optare per elementum prædominans in eis. Ergo non datur mixtum æquale.

Secundo. Mixtum, vel mouetur, vel non. Si mouetur, vel sursum, vel deorsum. Si sursum, vel deorsum, Cur? nonne propter prædominium elementi, quia si præualet leue, mixtum sursum ascendit, si graue, deorsum descendit. Dicendo autem, quod mixtum quiescat, est tollere omnem motum. Ergo mixtum æquale non datur.

Tertio. In omni mixtione, dum miscibilia miscentur, sicut necesse est vnum illorum habere rationẽ materiæ, ita opus est aliud obtinere rationem formæ, & actus, per Aristot. 1. Phys. & 5. Sed actus, & forma præcellunt materiam, vel tenentẽ locum materiæ. Ergo in mixto necessum est inuenire inæqualitatem.

Quarto. Dum vnum fit ex pluribus, necesse est vnum illorum præualere, & mouere, quia ab æqualibus non prodit actio, cum vnum debeat alterum mouere. At mixtum ex pluribus elementis componitur. Ergo &c.

Quinto. Mixta generantur in loco aliquo elementorum, & in eo loco in quo generantur, ex eo quid amplius accipiunt, dicente Arist. 2. de ortu. & interitu 48. quod quia mixta maxime fiunt in terra, ideo in eis terra præualet. Ergo non datur mixtum ad æqualitatem.

Sexto. Arist. in principio 4. Metheororum dicit, tunc mixta generari, cum qualitates actiuæ, passiuis superabundant, & calor humori terminum tribuit. Ergo oportet qualitates elementares esse in inæqualitate.

Septimo. Idem 1. de ortu, & interitu 89. dicit. Elementa misceri, dum eorum facultates adæquantur, nec dicit ad æqualitatem, sed quodam modo, annuens non penitus æquari. Ergo &c.

Octauo. Accedit eiusdem Phil. authoritas 10. Metaphys. tex. 23. dum aperte dicit, media ex extremis constare, & magis vnum extremorum includere, quã aliud. Idem docuit Plato in Timeo inquiens, tũc misceri elementa, dum fit vnum ex multis superanti simile, adeo vt familiariter cum victore cetera permaneant. Estq. sentẽtia Auerr. 1. cæli, tex. 7. 2. de ortu, & interitu 48. 4. Metheororum, tex. 10. in 2. suarum Collectionum, cap. vlt. & 10. Metaphys.

Gg Com-

Comment. 34. Cum his sunt Auicenna, & Algazel, & alij multi.

In contrarium arguitur. Primo, quod detur mixtum ad æquale penitus, vt tenent Galenus, & alij multi. Quibus conuenit magis, & minus, eis competit etiam æquale, & inæquale. Mixto, seu temperamento mixti conuenit magis, & minus, idest, magis calidum, vel minus calidum, humidū, siccum, &c. Ergo eis potest conuenire æquale, & inæquale, idest, mixtis.

Secundo. Non fit transitus de extremo ad extremum, nisi prius perueniatur ad medium. At in temperamentis fit transitus de magis calido, vel humido, &c. ad minus calidum, humidum, &c. Ergo necesse est venire ad medium. At transmutatio potest terminari ad medium, vt patet in transmutationibus colorum. Ergo poterit temperamentum mixti esse æquale.

Tertio. Quod arguit perfectionem in natura, non est ei denegandum, quia natura est multum sollicita circa perfecta. At tēperamentum ad æqualitatem arguit magnam perfectionem in natura, quia in eo collocata est magna perfectio mixti. Ergo non est hoc æquale temperamentum ei denegandum.

Quarto. Si dantur mensurata, datur & mensura cum sint relatiua. Sed dantur intemperata sic dicta, quia excedunt temperiē, & æqualitatē. Ergo necesse est dare hanc temperiem, & temperamentum æquale.

Quinto. Arist. in 2. parte problem. quærit. Cur corpora temperata de facili labuntur in morbum, & de facili curentur. Ergo supponit dari temperamentum, idest, æquale in mixtis, à quo per morbum recedītur.

Sexto. Idem 2. de Anima testatur, instrumentum tactus esse positū in medio, quia sic sensus de extremis iudicat.

Ad explicationem huius quæstionis. Primo notandum venit, quod D.D. duplex æquale, seu temperamentum considerant. Primum dicunt Geometricum, seu ad iustitiam distributiuam, & sic dicitur, quia tribuit vnicuique tale temperamentū quantum, & quale ei rei conuenit, sicut facit iustitia distributiua vnicuique tribuendo, quod ei æque, & bene pensata natura, & conditione illius rei, ei conuenit. Secundum dicūt Arithmeticum, quod absolute, & ad pondus dicitur æquale, idest, omnino, & exacte, sicut sunt pondera in trutinis. De primo æquali nulla est controuersia, quia omnes concedunt naturam omnium parentem, & matrem omnibus dedisse, & dare per se illa, quæ eis competunt, & congruunt, neque eis deficere in necessarijs, nec abundare in superfluis, vnde difficultas stat in secūdo æquali, seu temperamento, quod est omnino æquale.

Secundo notandū igitur venit, quod loquendo de æqualitate ponderis diuersæ sunt sententiæ. Vna enim, vt diximus hoc affirmat, & altera negat. Alij verò contendunt Auerroem conciliare cum Galeno distinguendo quadruplex temperamentum. Primum dicunt temperamentum, seu complexionem innatam, naturalem, & primam, secūdum quam forma fuit introducta in materia, & hanc affirmant nō posse esse innatam ad pondus, quia secundum hanc animal est magis frigidum, quā calidum. Secūdum vocant influxum, nam præter qualitates mixti, adhuc in animali sunt aliquæ partes calefacientes, vt cor, aliæ infrigidantes, vt cerebrū, & aliæ multas passiones inducentes, & quia cor maximam partem habet in animali, ideo temperiem à corde inductam, & influxam, vocauerunt quidem influxum, & secundum hanc autumant animal esse magis calidum, quam frigidum. Tertium constituunt compositum ex innata, & influxa, dicendo, quod dum qualitates influxæ cū naturalibus coniunguntur, temperiē exactam, & ad pondus faciunt, & talem temperiem locant in tactu, adhoc, vt bene, & optime sentiat omnes qualitates, quia nō eas sentit, nisi excedant eius temperamentum, & propterea dixit Arist. cap. de tactu 2. de Anima, plantas, & ossa ob id non sentire, quia non habent hoc temperamentum, seu hanc complexionem, & de hac tenent Galenum esse locutum. Quartum nominant totalē, quia coalescit ex aggregatione omnium qualitatum, in ordine ad totum animal, quia in eo tantum est caloris, quantum frigiditatis, siccitatis, & humiditatis, sed non in ordine ad hanc, vel illam partem animalis, quia vna est calidior altera, vt cor cerebro, &c. & hoc modo tenent cū Auerroe non esse æqualitatem complexionis, seu temperamēti in animali ad pondus. Conciliant igitur hos Doctores, dicendo Auerroem esse locu-

tum

tum de prima, & secunda complexione, & Galenum de tertia, & quarta.

At Marsilius 2. de Generat. quæst. 15. & Albertus de Saxonia quæst. 11. & multi alij alio modo procedunt. Dicunt enim, quod qualitates primæ sunt in duplici differentia. Quædam enim vocantur motiuæ, & hæ sunt grauitas, & leuitas. Quædam verò dicuntur alteratiuæ, & hæ sunt caliditas, frigiditas, humiditas, & siccitas. Stante hoc tripliciter potest in his intelligi (aiunt) æquale ad pondus. Primo in omnibus qualitatibus, tam motiuis, quam alteratiuis, & sic est impossibile, quia istæ duæ æqualitates sunt incompossibiles, quia qualitates alteratiuæ pugnant cum motiuis, nam maior frigiditas causat maiorem grauitatem, & caliditas leuitatem. Secundo in solis alteratiuis, & sic dicunt posse dari agens, quod reducat qualitates alteratiuas ad temperiem, & æqualitatem, faciendo quod excedens caliditas, vel humiditas se conducat ad temperamentum, & medium. Tertio in solis motiuis, & ita dicunt non repugnare dari æquale ad pondus, quia tales qualitates possent intendi, & remitti ab agente aliquo valido. Affirmant tamen tale æquale in grauitate, & leuitate, quod si poneretur in sphera ignis descenderet, & in terra ascenderet, quia sursum haberet tria elementa deorsum, & deorsum tria sursum, at positum in confinio duorum, scilicet, aeris, & aquæ staret, quia tunc staret inter æquales resistentias. Ita hoc æquale tandem corrumperetur, quia in actu esset ad æqualitatem, sed non in potentia, quia esset semper alterabile, & ad inæqualitatem reducibile.

Tertio. Igitur ad enodandam hanc difficultatem sciendum est, quod forma mixti a duobus præcipue dependet. Primo enim dependet à qualitatibus elementaribus, & ab his potius in genere causæ materialis depedet, quam effectiuæ, quia sunt veluti dispositiones, & preparationes ad formam mixti, in quo remanent virtualiter, Secundo dependet à virtute agentis, vt à virtute seminis in animalibus, & plantis, ex semine productis, vel influxus cæli, in productis à cælo. Ex his autem ista sequuntur. Primum ex parte virtutis productiuæ, quod secũdum quod inuenit dispositionem, sic etiam mixtum producit, dummodo dispositiones sint ad eandem speciem, vnde est, quod homo generans hominem, potuit illum generare melioris, & deterioris complexionis, quia dispositio fuit magis, minusve ad æqualitatem. Secundum est, quod secundum formam introducendam præparantur etiam dispositiones, vnde ad vlteriorem formam superadditur semper vlterior dispositio, & postquam productum est mixtum, adhuc natura satagit ei dare dispositionẽ ad conseruationem, & quãdo ab hac deficit, finit mixtum corrumpi, vel secũdum tantum, vt ab optima valitudine transit ad nõ ita bonam, vel in partem, vt dum transit ad infirmitatem, vel in totum, vt decurrit ad corruptionem. Itaque complexio, seu temperamentum potest habere triplicem terminum, scilicet, æqualitatem in temperie, inæqualitatem aliquam in aliqua intemperie, & corruptionem in totali resolutione omnis temperamenti.

Quarto. Vlterius pensandum venit, quod temperies est genus, vnde non est eadem in omnibus natura temperies, verbi gratia, Leonis, erit intemperies hominis, & plantæ animalis, vnde in specie subalterna quatuor temperies, complexiones, seu temperamenta reperiuntur. Primum dicitur calidum, & siccum, & hoc constituit complexionem cholericam. Secundum calidum, & humidum, & hoc agit a com plexionem sanguineam in animalibus. Tertium frigidum, & humidum in excessu, & hoc inducit complexionẽ phlegmaticam. Quartum frigidum, & siccum, & hoc operatur ad constituendam complexionem melancholicam, & istæ species subalternæ in multas alias distinguuntur, secundum quod sunt diuersæ choleræ, phlegmata, &c. Sed in nulla harũ ad pondus inuenitur æquale, non solum in diuersis indiuiduis, sed nec etiam in speciebus, si humores supradicti specie distinguuntur.

Quinto. Igitur dicendum venit, quod cum complexio duplex sit, vna quæ præcedit introductionem formæ mixti, quæ ideo potest dici innata, quia non est nisi præuia, & connaturalis dispositio qualitatum ad formam mixti. Altera, quæ ipsam sequitur, & eam cõseruat, & aptiorem reddit operationibus, quæ propterea potest dici influxa, quarum prima necesse est, quod sit sicca, & frigida, quoniam adhuc

tenet rationem innanimatorum, quę sunt frigida, & sicca, fere in totum, & altera stat magis calida, & humida, quoniam est influxa à corde, quod est calidum. Hinc dico non videtur esse possibile reperire temperamentum, seu complexionem ad æqualitatem ponderis, quæ est quasi indiuisibilis. Adest enim distemperies inter partes animalis confertas adinuicem, quia cerebrum valde frigidum est, & humidū, ossa, cartilagenes, & nerui frigidi, & sicci, pulmo humidus, & cor calidum, & insuper vt forte, & durum, est terreum, & vt operans opera vitæ humidum, & calidū, quæ omnes qualitates supradictæ adinuicem agunt, & quamuis ad quandam temperiem se redigant, non tamen talis est, vt possit dici stare in indiuisibili, & ad pondus.

Sexto vlterius sciendum venit, quod mutatio temperamenti in magis, & minus fundamentaliter quidem, & initiatiue procedit à temperamento connaturali, quia tale est veluti radix, & initium totius vitæ animalis, vnde organizatio bona futuram nati vitam sanam, & temperatam promittit, & si fuerit mala, intemperatā dabit. Attamen formaliter, & immediate à temperie influxa proficiscitur, quia ista est, quæ præsentialiter vrget, quare mutationes quę fiunt in ætatibus hominum ad istā reducuntur.

Aetates enim hominum secundum Fernelium lib. 3. præcipuæ sunt quinque. Adolescentia, Iuuentus, Virilitas, Senectus, Decrepitudo.

Adolescētia quæ calore, & humiditate abundat, & in qua fit hominis augmentum, durat vsque ad 25. annum, sed diuiditur in quatuor ætates.

Prima dicitur infantia, durans vsque ad quartum annum, & quia in hac superabundat caliditas, & maxima humiditas, ideo infans non bene se regit supra pedes, quia nimia humiditas laxat partes.

Secunda dicitur pueritia, progrediens vsque ad decimum annum, in qua & si calor, & humiditas superabundent, tamen humiditas incipit desiccari, & sic homo incipit esse habilior ad ambulandum, & si vires non sint validæ, quia adhuc multa est humiditas.

Tertia dicitur pubertas, & hæc durat vsque ad 18. annum, vigente calore, & humiditate immoderatā semper deficiente.

Quarta proprio nomine insignitur adolescentiæ, & se extendit vsque ad 25. annū, in qua semper calor viget, sed humiditas deficit, cum hoc tamen, quod excedit siccitatem.

Secunda ætas principalis (si Fernelium sequamur) dicitur iuuentus, florida, & prospera, fortis, & agilis propter magnum temperamentum qualitatum, & influxū, & hæc se extendit, secundum quosdam vsque ad 35. annum, & secūdum alios ad 40.

Tertia dicitur virilitas à 40. vsque ad 50. annum se extendens, & mediocritatem temperamenti qualitatum tenens.

Quarta dicitur senectus vsque ad 65. annū, in qua ætate declinat complexio ad frigiditatem, & siccitatem, ad quam tandē magis, ac magis accedit, in ætate decrepita, quousque conuertatur in puluerē, & terram frigidam, & siccam, de qua sumptus est. Decrepitudo autem computatur à 65. anno, vel 70. vsque ad finem. Quæ regula Physica est, nam vnicuique determinata est sua periodus, ita vt cito, vel tarde in omnis mutet complexionem.

Secundo ergo loco principali ponitur hæc conclusio. Rectius, & probabilius sustinetur non dari æquale temperamētum in pondere. Probatur. Primo. Ex pluribus constans, non æqualiter ex eis constat, sed necesse est vnum alteri dominari. Ergo non potest dari æquale ad pondus. Pro hac conclusione sunt omnia argumenta, in initio quæstionis posita.

Sed ad primum respondent aduersarij, quod elementa mouentur per graue, & leue. Hic autem motus duplex est, scilicet, absolutus, vt in mixtis inæqualibus, & comparatiuus, quia in igne, & aere dicetur graue, & descēdet, & ī terra, & aqua leue, ideo ascendet, at in medio quiescet, ita vt in aqua partim mergi, & partim supnatare debeat, vt videmus in quibusdā lignis. Sed sicut hæc responsio est tantum imaginaria, ita non saluat æqualitatē ad pondus, nisi secundum imaginationem, cum tamen loquamur Physice. Quis vnquam tale mixtum vidit, quod in igne, & aere descendat, & in terra, & aqua ascendat vsque ad medium? Quod enim dicitur de ligno aliam habet causam, scilicet, grauitatem terræ, cum leuitate aeris, & ideo non descendit, nec ascēdit. Secundo, quia aqua-

æqualitas ponderis non est æqualitas in respectu, est enim æqualitas absoluta, & in se, non vero secundum quid. Nam etiā aqua terræ comparata dicitur leuis, & aeri grauis, & tamen absolute connumeratur inter elementa grauia.

Ad secundum respondent, sed male, quod in medio sisteret. Sed subinfertur rectè. Ergo nō esset mobile, & sic perfectum mixtum sua perfectione actuali careret. Ad alia non respondent, vel aperte male.

Ad primum contra nostram conclusionem dicunt aliqui ad maiorem, quod valet nisi impedimentum obstet, sicut obstat ob dominium vnius elementi supra aliud. Secundo dicitur, quod in accesu ad extrema potest etiam esse magis, & minus, & etiā in accesu ad medium, & numquam detur æqualitas, quia obstat natura qualitatum miscibilium, quoniam vna alteri comparata semper, aut in totum, aut in tantum vincit.

Ad secundum dicitur ad maiorem, quod duplex est medium, scilicet, secundum aliqualem temperiem, cum hoc tamē, quod in eo quæ ad medium veniunt, inæqualitatem quandam teneant, quia vnum se habet vt actus, aliud vt potentia. Aliud verò erit medium per se subsistens, completū, & perfectum. & hoc secundum negamus in mixto, & damus primum.

Ad tertium dicimus ad maiorem, quod non est denegandum naturæ id quod in ea dicit perfectionem non absolutam, & omnimodam, sed sibi possibilē, & congruentem, vnde ad minorē dicimus mixto sufficere æqualitatem geometricam.

Ad quartum pariter dicitur, supponere Aristot. dari temperamentum geometricum, sed non Arithmeticum, & ad pōdus. Sufficit enim ad corpus sanū, quod nulla graui laboret infirmitate, sed quod nullum patiatur defectum, quis dabit? Et sic.

Ad quintum idem dicitur, adæquatio enim humorum ad quandam temperiem, dicitur mensura per negationem omnium intemperatorū, quæ temperies reperitur in corpore sano, & intemperies in ægro, sed non valet datur temperies, ergo ad pondus.

Ad sextum, quod est argumentum Galeni dicitur, quod vtique instrumētum tactus positum est in medio, adhoc vt bene iudicet de sensibilibus, at quod vt medium ad pondus, negatur. Sufficit enim temperies quædam tactus ad percipienda omnia tangibilia, per accessum, vel recessum ab eo.

QVÆSTIO XIX.

Vtrum detur purum elementum.

Videtur quod sic. Nam nullum est genus, quod in omnibus suis speciebus patiatur defectum, quia perfectio est per se intenta à natura. Sed impuritas, & imbecilitas, & remissio sunt defectus, & dispositiones præter naturam. Ergo non est dicendum genus elemēti, in omnibus suis speciebus pati defectum impuritatis. Minor est Arist. 2. cæli, tex. 37.

Secundo. In perfecto nō inuenitur aliquod, quod sit sua perfectione destitutum. Mundus est perfectus, & elementa sunt partes principales mundi. Ergo non est affirmandum, quod hæ partes sint sua perfectione destitutæ, idest puritate.

Tertio. Quodlibet elementum quantum potest ad suam perfectionem se reducit, vnde si aqua fiat calida, sua natura redit ad frigiditatem, si moueatur ab extrinseco sursum, sua naturali propensione tendit deorsum. Ergo pariter tenendum est, quod dum ad aliquam mixtionem fuerit deductum, per suam naturam ad puritatem se reducat.

Quarto. Quod cum alio reperitur, & ei nō repugnat seorsum existere, quandoque seorsum stabit. Sed elementa ad mixtionem concurrunt, & eis non repugnat seorsum esse. Ergo sicut in mixto dicuntur mixta, per se erunt pura. Maior patet. Minor est Arist. de ortu, & interitu, cap. de mixtione.

Quinto. Motus simplex oportet esse à corpore simplici. Motus saltem ignis, & terræ est simplex, vnius sursum, & alterius deorsum. Ergo elementa mobilia erunt pura, & simplicia. Minor est Arist. 1. cæli. Maior probatur, quia si corpus esset compositum ex contrarijs, posset secundum illa pati motus contrarios.

Sexto. Arist. 3. de Gener. animalium, cap. 11. dicit. Ignis apud nos est forma in aliena materia. Ergo in sua sphera erit forma, sine mixtione alicuius materię, vnde subdit. Sed genus hoc quærendum est apud Lunam, idest genus ignis purum.

Septimo. Idem 2. de ortu, & interitu 22. ait. Extrema sincera ignis, & terra, annuens extrema elementa esse pura. Media verò, vt aer, & aqua non esse quidem mixta, sed non ita pura, & sincera, vt extrema.

Octauo. Idem Aristot. 2. de Gener. cap. 3. affirmat elementa, quæ nos sentimus non esse pura, vnde flāma nostra nō est ignis, sed ignea, quia flamma est spiritus sicci ardor, vt dicitur 1. Metheororum, & quod est simile aeri nō est aer, sed aereū, & sic de alijs. Hoc probat sic Arist. Elementa pura debent esse immixta. Sed ignis, & aqua, quę apud nos sunt non sunt immixta, quia ignis noster est superabundantia caloris, seu caliditatis, sicut glacies est superabundantia frigiditatis. Coagulatio enim, & arsio sunt quædam superabundantiæ, hæc caliditatis in igne, hæc frigiditatis in glacie, apud nos existente. Deducere ergo intendit, quod ista elementa non sunt pura, nisi secundum se considerata.

In contrarium arguitur, quod non dentur elementa pura. Primo. Arist. 2. de ortu, & interitu 2. dicit. Non est autem. Ignis, & aer, & vnumquodque horum simplex, sed mixtum. Simplicia verò huiusmodi sunt, non tamen eadem, vt quod igni simile igneum, non ignis, & quod aeri, aereum, & non aer. Nec dicendum est, cum D. Thoma, quod ibi non ex propria sententia loquatur, sed ex mēte Empedoclis, quia aliud dicebat Empedocles, scilicet, elementa non posse permutari, vel vllo pacto remitti. Nec rectè loquitur Philosophus dicendo per mixta intellexisse cōposita ex materia, & forma, nam patet, ibi eum loqui de non facientibus ignem, sed igneum, materia autem, & forma non destruit, sed constituit sua singula elementa.

Secundo. Arist. tria principia fecit ex parte materiæ, scilicet, primum subiectum, prima contraria, & elementa, sicut ergo non est materia absque contrarijs, nec contraria sine elemētis. Ergo nec elementa erūt absque mixtura.

Tertio. Hoc probant Alchimici dicentes nullum esse elementum purū, nec in substantia, nec in qualitate, sed tamē fieri potest, vt quodlibet elementum purum extrahatur à mixto quodlibet, quia quinta essentia potest extrahi ex quodlibet mixto. Probant ergo elementa non esse pura sic. Non potest dari quale infinitum. At daretur, dato puro elemento, quia haberet suam qualitatem in summo, in summo autem est infinita, quia est infinite intensibilis.

Quarto. Omne sapidum, & omne coloratum est mixtum, nam sapor, & color sunt ex mixtione, ex 2. de Anima. Sed omnia elementa sunt colorata, & saporosa, ex Aristot. de sensu, & sensato, & lib. de coloribus. Ergo &c.

Quinto. Arguit Galenus. Si daretur aqua pura, vel esset fluuens, vel congelata. Si congelata, non erit pura, quia est via ad terram, & proprio termino circumscribitur, & est aliquid Metheorologicum. Non fluuens, quia cum aqua debeat esse frigida, glacies est ea frigidior, dicitur enim excessus frigoris, reprimitur enim humor fluuens retinens aliquid de caliditate, quia nihil fluuit sine caliditate. Secundo, quia si daretur aqua pura, esset vbi eius maior est copia, vt in mari. Hoc est falsum, quia aqua maris est salsa, & permixta.

Item non potest dari ignis purus. Nam vel esset ignitiuus, vel non. Si ita, non esset purus, quia esset vt forma in aliena materia egens alimento, & etiam, quia incensio non est sine luce, & humore. Lux autem in mortalibus est secunda qualitas, nō competens sinceris elementis secundum Auerroem. Si non erit ignitiuus, & incensiuus, non erit summe calidus, quia incensio est excessus caloris, vnde & Aristot. 2. de ortu, & interitu, tex. 28. ait. Maxime flamma ignis est, hęc autem est fumus ardens, fumus autem ex aere, & terra constat.

Item non potest dari pura terra. Nam pura terra debet esse densissima, & grauissima. Sed nulla terra reperitur, quæ sit densior adamante, & grauior auro, vel plumbo. Ergo non potest dari terra pura. Nec valet dicere, quod talis erit prope centrum, quia hoc est affirmare incertū pro certo, & Arist. lib. de longitud. & breuitate vitæ asserit cuncta sub Luna posita vbicunque reperiantur, semper habere coniunctum contrarium corrumpens, & vbi est materia, ibi etiam esse contrarietatem. Ergo etiam in centro terræ impuritas, quæ puritati est contraria aderit.

Idem probatur de aere, scilicet, quod non detur purus aer. Nam aer de se est calidus,

dus, & humidus. At nullus vnquam vidit aerem, non permixtum, vel frigiditati, vel caliditati maiori, quam naturali. Et aer, qui est circa spheram ignis adhuc ipse est cum vaporibus permixtus, vnde in ea regione formantur cometæ. Ergo nec datur ignis purus.

Sexto. Talia censenda sunt elementa, qualia in vniuerso reperiuntur, quia vt repe-riuntur sunt Dei opera perfecta in suo ordine. Sed in vniuerso hoc nostro, non reperiuntur pura, nullus enim potest gloriare se vidisse, vel tetigisse elementum aliquod purum. Ergo non sunt pura.

Septimo. Esse actu est quid præstantius, quam esse potestate. At elementum purũ non est elementum nisi potestate, cum sit vltimum veniens in compositionem rei, elementum vero impurum est sub actu. Ergo erit perfectius. At sentiendum est elementa esse à Deo creata cum maiori sua perfectione. Ergo impura.

Octauo. Elementa sunt creata ad generationem, & commoditatem mixtorum. Sed magis inseruiunt generationi, & commoditati si sint impura, quam si essent pura. Facilius enim sic permutantur, aptius miscentur, plura generãt, sunt locus aptior, & temperatior animalium, animalibus alimentum præbent, non adeo inter se pugnant, sed aliqua amicitia ligantur. Ergo dicenda sunt impura.

Circa præsentem difficultatem duæ sunt opiniones. Prima est affirmatiua, scilicet quod possint dari, imò de facto dentur nõ secundum omnes partes, sed secundum aliquas elementa pura, verbi gratia terra in centro, aqua in medio maris, aer in media regione, & ignis in sua sphera. Hanc receperunt Alexander 2. de Anima tex. 30. dum dicit ignem sub orbe terræ alimento non egere, & esse sincerum, & purum, cum contrario non mixtum, quod magis explicat 2. nat. 99. c. 17. Hanc non reputat omnino à veritate alienam. S. D. 2. de generat. tex. 20. vbi interpretatur dictum Arist. vt de mente Empedoclis, quamuis duplicem tribuat expositionem. Oppositum, scilicet nullum elementũ nec secundum totum, nec secundum partem esse sincerum, & purum docuerunt Plato in Philebo, & in Timeo. Simplicius 4. Phy. Galenus lib. Hippocratis de natura humana comm. 38. & lib. de elementis c. 5. & 6. & plures alij præcipue ex modernis.

Secundo ergo notandum venit, quod bifariam possumus intelligere elementũ esse sincerũ, & purũ. Primo secundum substantiam, quia habet formam simplicem, nec secum admittit aliam substantiã coniunctam. Secundo secundum qualitates proprias, scilicet quod ignis non admittat nisi caliditatem, & siccitatem, aer humiditatem, & caliditatem, idest cum caliditate, aqua humiditatem cum frigiditate, & terra siccitatem cum frigiditate. In primo non est tanta difficultas, scilicet elementa esse sincera secundum suam substantiam. Primo. Quia perfectio vniuersi postulat, vt si dantur corpora mixta, dentur etiam simplicia, qualia semper ea vocauit Arist. Secundo. Quia mixtum componitur ex non mixtis, sed puris, & simplicibus, aliter mixtum esset ex mistis, contra Arist. vbique. Tertio. Quia forma elementorum est simplex, & pura. Ergo, & elementum, quia à forma fit denominatio, vt homo ab anima humana, & mixtum à forma mixti. In secundo autem maior videtur esse posita difficultas.

Tertio. Ergo cogitandum venit, quod de elementis, dupliciter loqui possumus. Primo, vt sunt apud nos, & sub experientia nostra. Secundo, vt probabile est ea esse in suis proprijs locis, remotis ab omni alio suo dissimili, vel contrario. Primo modo loquendo dicimus ea non esse sincera, & pura, vt multa probant argumenta. At non sic de eis disputamus, sed vt collocata sunt in proprijs sedibus. Sic enim probabilius censemus elementum ignis in sua sphera esse purum, quia est actiuissimum, & non patitur secum admixtionem, nec alienæ naturæ, nec extraneæ qualitatis, ita dicimus de alijs, etiam de terra secundum illam partem, secundum quam tenet maximam immobilitatem.

Secundo ergo loco principali ponitur ista conclusio. Possibile est, quod dentur elementa sincera, & pura, saltem secundum aliquas partes. Probatur. Quod est possibile, saltẽ in specie reperiri debet, quia sic exigit perfectio vniuersi. Sed combinatio pura calidi, & sicci est possibilis, & frigidi, & sicci similiter. Ergo debet reperiri in rerum natura. Quid enim obstat, aut quæ nam ratio in contrarium vrget, quod si dãtur impura, quod nõ detur

etiam

etiam pura. Maxime cum agamus de corporibus simplicibus, in esse excellẽti suas qualitates habentibus?

Ad primum argumentum in contrarium dicitur. Aristot. loqui de elementis, vt apud nos sunt, & miscemur cum qualitatibus extraneis. Sequendo autem vnam ex expositionibus S. D. dicimus. Empedoclem etiam affirmasse elementa non posse permutari ob suam simplicitatem, &c. Sed & S. D. non sequitur tantum illam interpretationem.

Ad secundum dicitur, pariter Aristot. loqui de elementis, vt possunt esse permixta in aliena materia, & non secundum se.

Ad tertium negatur minor. Ad probationem dicitur, quod in summo non est infinita, sed finita, & quando asseritur quod est in infinitum intensibilis, respondetur secundum actum esse falsum, secundum dictum verum, quia in mixto videtur sem per magis, ac magis posse radicari in subiecto, quod tamẽ falsum est, quia in quodam gradu esset in summo.

Ad quartum similiter dicitur, quod procedit de elementis existentibus apud nos, non in suis locis determinatis. Sed & dico, quod possent videri, & tangi, cũ sint entia realia materialia, sed non viderentur nisi vt pura, & vt talia tangerentur secundum eorum naturas, & qualitates.

Ad quintum dicitur, quod aqua esset fluida, nec tamen vt glacies, quia glacies ex participatione cuiusdam terrestris potest magis inspissari, & infrigidari, aqua enim non ponitur summe frigida, vt terra in centro. Ad secundum dicitur, quod procedit de aqua superiori, quę est falsa, nos loquimur de aqua in medio maris, vel prope fundum, quæ potest esse purissima. Mare enim suo motu omnes confundit partes, sursum, deorsumque vertit.

Ad id quod obijcitur contra ignem dicitur, quod esset ignitiuus. Ad primum respondetur, quod ille ignis esset purus in se, sed non dum combureret, quia tunc vniretur combustibili. Ad secundum negatur, quod omnis lux sit mixta formaliter, valet enim solum de luce emissa à corpore lucido, quod de suo non lucet; Arist. autem loquitur de incensiuo apud nos existente, quod facit fumum, flammam, & carbonem.

Ad primum contra puritatem terrę dicitur, vt in argumento, quod prope cẽtrum potest esse densior a damante, & grauior auro, & plumbo. Conspicuum enim est, quod effodiendo terram, quãto magis ad profundum descendimus, tanto magis solidam terram, & petram reperimus. Sed & hoc singulare est in aliqua specie terrę, quæ potuit à Deo obtinere maiorem grauitatem, vel duritiem, nam etiam natura animalis habet hominem pro nobilissima specie dicente vltra gradum sensitiuum, naturam intellectiuam. Ad aliud quod habet contrarium dicitur, Aristot. loqui de contrario positiuo, & agente de facto, vel de possibili, modo terra apud nos potest esse impura positiue, & in centro possibiliter, & non repugnanter, sed non de facto.

Ad oppositionem contra aerem dictum est, quod si talis datur, erit in secunda regione, nam ex propinquitate eius ex parte superiori, cum igne erit calidus, & ex propinquitate cum regione inferiori trahet humiditatem.

Ad sextum negatur maior, non enim semper sensu, sed magis intellectu ducimur, & ratione.

Ad septimum dicitur, quod elementum purum est actu elementum, sed potestate tãtum miscibile, hoc autem nihil facit.

Ad octauum dicimus arguere commodiorẽ esse statum, quem habent elementa in sua impuritate, non vero probat elementum nõ posse etiam obtinere statũ suæ puritatis, si consideretur secundum se, & in suo ordine vt sic.

Si quis autem vult tenere oppositam sententiam (supradictę enim non hereo nisi probabiliter) respondebit ad argumenta contraria. Ad primum dicitur, quod duplex est puritas. Prima exacta. Secunda proportionata naturæ. Secundã admittimus in elementis, non primam de qua procedit argumentum.

Ad secundũ idem dicitur, quod puritas proportionata elementis, quæ est perfectio illis possibilis datur, non exacta, & maior.

Ad tertium idem dicitur, quod se reducit ad puritatem sibi proportionatam, non ad excedentem.

Ad quartum dicitur, quod eis repugnat esse sine aliqua mixtione, non cum tãta, à qua possint separari, & per diuinam potentiam ab omni. Loquimur enim de possibilitate

litate Physica, & ordinaria.

Ad quintum dicitur, quod dicuntur motus simplices. Primo in respectu ad diuersos motus, quos habent mixta. Et secundo in ordine ad sua principia motiua, quæ non patiūtur remissionem, in elementis, cū secundū se semper vniformiter moueātur.

Ad sextum dicitur, quod Arist. arguit maiorem puritatem habere ignem in sua sphera, quam apud nos, sed non omnimodam.

Ad septimum dicitur, quod duplex est mixtio. Prima dicitur æterogenea, & tali carent omnia elementa in se considerata, & ea solum sunt prædita mixta. Secunda dicitur à qualitatibus extraneis, & ab hac vult dicere Aristo. magis sunt remota elementa extrema, quam media, non tamen affirmat ea omnino esse pura.

Ad octauum, probat immixtionem talē, scilicet nō eam, quam habent elementa apud nos, non vero omnimodam.

QVÆSTIO XX.

Vtrum dentur mixta grauiora, vel frigidiora elementis.

Videtur quod sic. Primo. Nam aurum, & plumbum grauiora sunt terra, quæ ponitur elementum grauissimum, & multa sunt venena, quæ sua frigiditate necāt, quod non facit aqua, vt Opium, mandragora, & similia.

Secundo. Oleum supernatat aquæ, & tamen tenet de terrestri magis, quam aqua, & de mixto.

Tertio. Aer sub mari reperitur. An omne graue si sit leuius, non descendit sub suo minus graui. Ergo aer poterit esse grauior aqua.

Hæc quæstio facilis est, & ideo breuibus expedienda. Nam quod elementa grauia, sint cunctis alijs grauiora mixtis, & frigidiora omnibus mixtis frigidis, & calidiora omnibus calidis, verum est. Primo in extremis elementis, vt in calidis igni comparatis, & in frigidis terræ, nam & si aqua sit grauis, & frigida, non tamen vt glacies, quæ participat de terrestri, & si aer est calidus, non tamen vt terra radijs Solis percussa. Secundo. Non secundum omnem partem, sed secundum aliquam, secundum quam se inuenit in maiori sua puritate, & actiuitate. Tertio. Valet de toto elemēto principaliter, quia nulla species mixti erit grauior tota terra, nec aliqua tota sphera ignis calidior. Quarto. Est verum causaliter, quia à primo calido sunt omnia calida, & à primo frigido omnia frigida 2. Metaphys. & 10. Formaliter tamen potest dari calidior res, idest calidius mixtum; quia potest magis condensari, & reflecti, & ita dic in alijs elementis. Primæ enim qualitates in eis subiectātur, vt in causis, & per istas glossas respondebis ad argumenta, adducta, & adducenda. Ad vlteriorem tamen doctrinam.

Ad primum dicimus vltra supradicta, quod illud non euenit, vt dixerunt multi, quia formæ mixti sunt potentiores elementis, nā primæ qualitates in summo ponuntur in elementis. Nec vt alij dixerunt, quia terra nostra impura est, & porosa, aereque plena, non sic aurum, nec plumbum, quæ loco aeris aquam includunt, grauiorem aere, hoc enim falsum est de terra in sua profunditate, & apud centrū constituta, in quo loco censetur omnium grauissima.

Ad secundum dicitur, quod oleum est grauius aqua, quod autem super eam natet, est ob suam crassitiem, & lentorem, quæ impedit mixtionem. Cum lixiuio autem subito miscetur, quia lixiuium tenet de qualitate siccitatis cineris, quæ resoluit cito lentorem, olei, & facit illum descendere.

Ad tertium pro nūc dicitur, quod aer sub aquis eas commouet, quia ad locum sursum sibi proprium ascendere tentat.

QVÆSTIO XXI.

An elementa habeant suas qualitates in summo, vt ignis caliditatem &c.

Videtur quod non. Primo. Quod magis distat à calore est minus calidum, vel frigidissimum. Sed terra maxime distat ab igne. Ergo erit aqua frigidior. Maior patet, quia approximatio ad calidū inducit calorem. Minor clara est.

Secundo. Opposita per se primo, habent per se primo qualitates oppositas, quibus opponuntur. At ignis, & terra sunt elementa ex diametro, & per se primo di-

stantia opposita. Ergo sicut ignis est calidissimus, ita terra est frigidissima.

Tertio. Frigiditas est causa grauitatis, & densitatis. At terra est grauissima, & densissima. Ergo etiam erit frigidissima.

Quarto. Videtur quod terra non sit siccissima. Omnino enim siccum humiditatem omnem excludit. At terra non est omni humiditate destituta, sic enim esset discontinua, cum humidum continuet corpora, vt patet in cinere, & puluere exsiccato, quæ resoluuntur ob defectum humiditatis vnientis, in puluerem. Ergo non erit siccissima.

Quinto. De aqua dicitur, quod est frigidissima. Contra stat, quia sic esset congelata, quia glacies est frigidior aqua.

Sexto. Si aqua esset frigidior, quam humidior, facilius exsiccaretur, quam calefieret, quia minorem haberet resistentiam in humiditate. At experientia stat in contrarium, cum de facili aqua calefiat. Ergo.

Septimo. Videtur quod aer non sit humidissimus. Nam quod exsiccat, non potest esse humidissimus. At aer exsiccat corpora, & terram madidam, & pannos. Ergo non erit humidissimus.

Octauo. Magis humectat aqua, quæ madefacit, quam aer, qui hoc non agit. Ergo non est humidissimus.

Nono. Aeris sunt tres regiones. Prima, quæ est terræ proxima varijs subijcitur mutationibus frigiditatis, & caliditatis, media frigidissima est, vnde in ea fiunt grandines, & pluuię. Suprema est calida, & sicca. Ergo aer non erit calidus, & humidus, vt dixit Arist. 2. de Gen. tex. 23.

Decimo. Aer cito frigescit. Ergo non erit calidus, quia resisteret frigiditati.

Sed contra etiam videtur male enumerasse D. Tho. cum Arist. qualitates elementorũ dicendo ignem maxime calidum, & non tantum siccum. Aerem magis humidum, quam calidum. Aquam magis frigidam, quam humidam, & terram magis siccam, quam frigidam, quem locum exponit S. D. vt supra, quod & si elementum habeat duas qualitates, non tamen æqualiter, & in summo.

Primo enim arguitur. Post qualitatem actiuam contrariam debet esse passiua ei contraria, vt possint mutuo agere. Ergo sicut ignis dicitur maxime calidus. Ita secundo loco succedens aer, debet esse maxime humidus. Tertio loco erit aqua frigidissima, & terra siccissima, vel calidissima aqua, & terra frigidissima.

Secundo. Probatur, quod ignis sit summe calidus. Primo. Quia caliditas competit vni in summo, & si non igni. Cui? Secundo. Ignis in summo est leuis. At leuitas causatur à calore. Tertio. Quia perfectissima qualitas videtur adscribenda perfectissimo corpori simplici. Tale est ignis. Ergo erit calidissimus, nam caliditas est perfectissima qualitas.

Tertio. Probatur, quod aer in summo sit humidus. Primo. Aeri conuenit aliqua qualitas in summo. Si non calor. Ergo humiditas. Nam combinatio humidi, & calidi conuenit aeri. Secundo. Humidum secundum Aristot. 2. de gen. proprio termino male terminabile est. At aer, magis quam aqua difficilius terminatur, quia magis fluuit, quam aqua. Ergo erit maxime humidus. Tertio probatur ex effectibus, quia humida prædominio aeris, vt oleum, & vnctuosa, sunt humidiora aqua.

Quarto. Probatur, quod aqua sit frigidissima. Primo. Quia si habet aliquam qualitatem in summo, & non caliditatem, humiditatem, vel siccitatem. Ergo frigiditatem. Secundo. Quia si corpus, aut manus ponatur super terram, aut super aquam, plus in frigidabitur super aquam, quam supra terram, vel in aqua, quam in terra. Tertio. Aqua igni contrariatur. At ignis est maxime calidus. Ergo aqua erit maxime frigida.

Quinto. Probatur, quod terra sit maxime sicca. Primo. Quia habet qualitatem aliquam in summo. Non caliditatem, humiditatem, vel frigiditatem ex supradictis. Ergo siccitatem. Secundo. Terminatur proprio termino. At tale est maxime siccum per Arist. 2. de generat. Tertio. Quia est grossior, & durissima. Quarto. Quia elemento materialiori debetur qualitas magis materialis, & minus actiua. At terra est materialissima, & parum actiua, vt est siccitas. Ergo non potest esse frigidissima, quia terra est in vsum animalium. At frigiditas est maxime aduersa vitę animalium. Ergo terra non erit frigidissima. Quinto ab effectu probatur. Quia animalia terrestria, vt prædita sanguine sunt calidiora aquaticis, quæ sanguine carent. Ergo necesse est terram esse calidiorem aqua.

aqua. Sexto. In sacris litteris vocatur arida.

Circa præsentem difficultatem plures sunt modi dicendi. Primus esse solet cõmunis, scilicet quod ignis est summe calidus, aer summe humidus, aqua summe frigida, & terra summe sicca. Huic modo dicendi in primis obstat Seneca lib. 2. quęst. nat. c. 10. dicens aerem esse frigidum, & obscurum, & non vt dixerunt alij in summo humidum. Galenus etiam lib. 1. Pharmacorum affirmat aquam esse humidissimam, & non aerem. At Albertus magnus 2. de gener. tract. 1. cap. 12. & Auicenna teste ipso Alberto sustinent cum S. D. 2. de generat. super tex. 25. quod ignis duas in summo habet qualitates, scilicet caliditatem, & siccitatem. Aer vero est calidus, & humidus, sed non in summo, at aqua est in summa humida, & terra frigida. Aliqui autem quærunt supradictas opiniones conciliare dicentes, quod sicut calor est duplex, scilicet elementaris, qui est destructiuus, & prouenit ab elemento ignis, & est etiam calor cæleſtis proueniens à luce, & motu cæli, qui est vita causaliter viuentibus. Ita duplex est frigiditas, vna dicitur elementaris, quia intrinsece prouenit ab elemẽto altera dicitur cælestis, quæ est extrinseca, & prouenit ex influxu cæli. Tunc dicunt terram esse magis frigidam, quam aquam frigiditate extrinseca, & cælesti, & sic intelligunt S. D. at frigiditate intrinseca, & elementari, quæ prouenit à forma affirmant aquam esse terra frigidiorem Augustinus vero Niphus 2. de generat. & corrupt. fuit in sententia quodlibet elementum sibi vtrasque qualitates in summo vendicare si sit in sua naturali dispositione constitutum, vnde asserit quæ calida sunt, ęqualiter esse calida, & quæ frigida, æqualiter frigida, neque esse magis, & minus inter ipsa intensione, sed tãtum ordine, quia verbi gratia ignis est primo calidus, aer primo humidus, aqua primo frigida, & terra primo sicca. Sed nos de mente Aristot. & S. D. ponimus infrascriptas conclusiones.

Prima. Terra est omnium elemẽtorum maxime frigida. Probatur ratione S. D. Quãto magis aliquid distat à calefaciente, tanto amplius illud tale erit frigidũ. At terra maxime distat à calefaciente, scilicet, à sphera ignis, & à Sole, & Cælo moto. Ergo erit inter omnia elementa maxime frigida. Maior cõstat, quia virtus causæ maior apparet in proximo, quam in remoto, vnde quia cęlum est origo, & fons caloris ratione velocissimi motus, & causalitatis, agit enim calore quam maxime, pro elemẽto immediato sibi subicit spherã ignis. Minor sensu constat.

Huic argumento primo aliqui respondent, vt Albertus de Saxonia 2. de Gener. q. 4. quod terra est frigidissima frigiditate actuali, sed aqua virtuali, quia in ea est qualitas quædam, per quam potest reddi frigidior. Sed hoc nihil est, cum qualitates sint actiuæ, & consequenter non manent in subiecto otiosæ, & reducunt ad actum subiectum, quod non apparet. Sed nec argumentum solutum est, cum maxima distantia arguat minorem participationem causæ actualem, & virtualem.

Secundo ergo respondet Aegidius, quod terra est frigidissima frigiditate cælesti, vt argumentum probat, sed aqua frigiditate elementari ab intrinseco est frigidior terra. Sed nec ista satisfacit, q[uia] primo omnis qualitas alicui naturæ intrinseca pro causa habet cælum cui subordinatur. At frigiditate influxa à cælo, secundum Aegidium terra est frigidissima. Ergo, & elementari, seu naturali, quæ est veluti cæli instrumentum. Secundo, quia ignis in ordine ad cæli influxum est maxime calidus, & intrinsece. Ergo, & terra, quæ maxime distat à cælo. Tertio, quia aqua vt pote magis cælo proxima sua natura, & naturaliter est susceptiua caloris, quam viscera ima terræ, quæ à Sole, vel calore cum maxima difficultate possunt pertingi virtute, sed non luce.

Tertio respondent alij, quod dato etiam terram esse frigidissimã ab extrinseco, idest, non ita efficaciter à cælo calefactam, vt ei immediatiora elementa, tamen intrinseca frigiditate aqua frigidior est, res autem secundum intrinseca considerantur, & nõ secundum extrinseca.

Sed contra. Primo, quia vel talis frigiditas conuenit terrę naturaliter, vel per violentiam. Non secundum, quia tandem eam destrueret. Si primum erit ei connaturalis proprietas, siue pullulet ex eius natura, siue ex subordinatione causarum in cælo. Secundo. Tendere in locum frigidissimum naturaliter, annuit naturam ad illũ

locum naturaliter inclinari, & habere in se connaturalem propensionem ad illum locum. At terra naturaliter inclinatur, & tendit ad locum frigidissimum, scilicet, ad centrum, & imam partem suam, quæ quanto magis distat à luce, & motu, tanto magis fit frigidior. Ergo signum est terram sua natura esse frigidissimã. Tertio. Combinatio sicci, & frigidi terræ cõuenit. Vel ergo vtraque qualitas naturaliter, vel nõ. Non secundũ, quia per hæc distinguuntur ab alijs elementis. Ergo ei conuenit naturaliter. Quarto. Aut frigiditas aquæ est eiusdem speciei cum frigiditate terræ, aut non. Non secundũ, quia est vna qualitas, & variatio causæ nõ variat speciem, cum motus recipiat speciẽ à termino ad quem. Si primum, quæro quomodo differant in intensione, aut enim distantia à cælo causat intensionem frigiditatis, aut non. Non secundũ, vt supra est probatũ. Ergo primum, & sic habemus terram frigidissimam.

Secundo. Probatur conclusio principaliter. Ignis, & terra sunt contraria, per Arist. 2. cæli, tex. 18. Probat enim ibi ignem esse, quia terra est, si autem vnum contrariorum est in rerum natura, oportet etiã esse reliquũ. Sed ignis summe calidus est. Ergo terra erit summe frigida, nam in siccitate conueniunt, & si non ex eisdem principijs.

Respondent. Ignem, & terram esse contraria secundum situm, at secundum qualitates ignis, & aqua, vt dixit Arist. 2. de Generat. tex. 49. At contra hanc solutionem. Primo. Stat S. D. loco citato, vbi docet ignem, & terram, & secundum situm, & secundũ qualitates esse contraria. Secundo. Qualitates secundæ ad primas reducuntur per Arist. 2. de Gener. cap. 2. Ergo grauitas terræ, & leuitas ignis, quæ sunt secundæ qualitates reducuntur ad caliditatem, & frigiditatem. At leuitas ignis per Arist. 2. cæli, reducitur ad eius caliditatẽ. Ergo grauitas terræ reducetur ad eius frigiditatem. Tertio. Omnia quæ grauia sunt, experientia teste frigida sunt, vt terræ, plumbum, aurum, saxa, & similia, nam quia grauiora sunt, & magis terrestria, ideo sunt grauiora lignis. Ergo leuitas causabitur à calore sursum portante, & grauitas à frigiditate deorsum trahente, & sic cum terra sit grauissima, erit etiam frigidissima.

Tertio. Contraria maxime distant situ, & natura, vnde maxime se expellunt. At ignis, & terra sunt contraria per Aristot. supra. Ergo se maxime expellent. At non nisi in caliditate, & frigiditate. Ergo terra erit frigidissima. Confirmatur. Quia in abditissimis speluncis, in profundissimis puteis, & in eis in quibus terra dominatur reperimus maiorem frigiditatem, vt in cadaueribus, in Salamandra, & in omnibus alijs animalibus multum terreis, quam in aqua, quæ si debet congelari, & glacies fieri necesse est, vt participet de terrestri.

Secunda conclusio est. Aqua in summo est humida. Probatur. Primo. Quod maxime humectat, maxime est humidum. At aqua maxime humectat experientia teste. Ergo quam maxime est humida. Respondent aduersarij, quod duplex est humidum, scilicet, effectiue, quia humectat, & tale est aqua. Aliud inherenter, quia in se habet maiorem humiditatem, & tale est aer.

Sed contra. Primo. Quia humectare est effectus causæ humectantis, ex sua naturali humiditate. At aqua maxime humectat, & nõ aliena humiditate. Ergo inherenter in se est humidissima. Secundo. Si aer est humidior aqua ob suam tenuitatem, & subtilitatem, vt dicunt aduersarij. Ergo erit etiam humidior effectiue, quia magis, & intimius penetrabit, & imprimet suam humiditatem, quod est cõtra aduersarios. Tertio, quia si aqua est humidior effectiue. Ergo etiam inherenter, quia actiuum agit per qualitatem inherentem.

Secundo. Probatur principaliter. Media participant de extremis, non secundum naturam extremorũ, sed propriam, idest, mediorum. At ignis in summo calidus est, & siccus, & secundum aduersarios aqua frigidissima, & terra siccissima. Ergo aer qui inter ignẽ, & aquam mediat, erit remisse calidus, & siccus, & frigidus, & non in summo humidus.

Tertio. Humidum est, quod facile terminatur alieno termino. At aqua facilius terminatur alieno termino, quam aer, qui nullis terminis coarctatur, transit enim etiam durissima, ne detur vacuum. Ergo non erit humidissimus.

Tertia conclusio est. Ignis est in summo calidus,

lidus, & ficcus. Probatur omnium consensu.

Quarta conclusio. Aer est calidus, & humidus, sed nō in summo. Probatur vt supra.

Ad primum, quod est pro nostra conclusione respondet Toletus cum alijs vt supra, & impugnatur vt supra.

Ad secundum respondet Toletus (omnia enim argumēta prima sūt probationes nostrarum conclusionum,) quod potius facit pro sua sententia, quia caliditas, & siccitas sunt qualitates maxime distantes, & ideo oportuit eas esse in elementis maxime distantibus, caliditas in igne, siccitas in terra. Sed hæc responsio leue habet fundamentum, nam si sic est, ignis nullo modo erit siccus. Probatur, quia in siccitate maxime distat à terra. Secundo patet enim ignem siccis nutriri, & siccitatem inducere, pugnareq. cum humidis, & frigidis. Ergo ex calore pugnabit cum frigidis, & ex siccitate cum aquæ humiditate. Tertio. Si maior est siccitas terræ, quā ignis, ignis erit humidior terra, quia quāto magis aliqua sunt contraria, tanto amplius incompossibilia si reddunt suo contrario. Et quis dicet ignem esse terra humidiorem?

Ad tertium respondet Toletus, frigiditatem esse causam densitatis, & grauitatis in mixtis, non vero in elementis, quia grauitas terræ prouenit etiam à forma substantiali terræ, cui natiua est illa densitas, & grauitas. Sed hæc responsio nulla est. Primo, quia densitas secundum se est causa grauitatis, & non per aliud, idest, per hoc subiectum. Tale autem per se, vbicumque ponatur, semper est tale. Secundo, quæ nam erit materialis causa grauitatis terræ, si nō est densitas? Tradit enim Aristot. ideo ignem sursum moueri, quia est leue, & rarū, & terram deorsum, quia est densa, & grauis. Tertio. Forma non est causa alicuius effectus, nisi secundum dispositionem, quam in subiecto reperit. Si igitur formaliter causat grauitatem. Ergo est, quia terra secundum se sibi vendicat grauitatem, & densitatem.

Ad quartum respondemus, terram esse quidem siccam, sed non vt ignis, & ideo posse compati aliquam humiditatem, & eo magis quia frigida solent humectari.

Ad quintum dicimus, quod pro nobis facit, & si negemus omnem frigiditatem postulare congelationem, hoc enim tantum est verum in liquidis, non vero in solidis, vt est terra.

Ad sextum dicimus, quod pro nobis facit, nec valet dicere, quod non manet cum sola humiditate, sed etiam cum frigiditate. Hoc enim non euacuat vim argumenti, quod calor minorem inuenit repugnantiam in aqua, quam siccum, cum tamen nulla sit maior oppositio, quam cōtrariorum, secundum aduersarios autem, & omnes siccum opponitur humido, & calidū frigido, maior autem, & minor actiuitas contrariorum ea sequitur, & non ea facit.

Ad septimum dicit Toletus aerem exsiccare frigiditate sua, accidētali, & quod per se, non exsiccat. Sed quomodo maxime humidū exsiccare potest, nisi destruatur eius natura? Si enim semper humidus erit aer, semper humectabit, hoc enim ei conuenit per se, in primo modo dicendi per se, secundum aduersarios. Dicendum est ergo, quod exsiccat, quia flando discontinuat, & resoluit humidum, & præcipue cum sit aliqualiter calidus.

Octauum pro nobis supra fuit.

Nonū admittimus veritatem, scilicet, aerem, quoniam stat inter ignem, & aquam participare de caliditate ignis in suprema sua regione, in ima de humiditate aquæ, & in media de frigiditate propter antiperistasim, & superioris regionis cuius frigus eijcitur ab igne, & inferioris recipientis reflexionem radiorum Solis, vt suo loco dicemus.

Ad decimum dicimus aerem cito frigefieri, quia non est summe calidus, & ideo non multum resistere frigiditati.

Ad argumenta autem, quæ contra nostras conclusiones sunt oportet modo respondere. Et primo ad Arist. habentem ignem calidum, & siccum, cui assentitur S.D. sicut etiam, quod aer sit magis humidus, quam calidus. At negare videtur contra Arist. 2. de Generat. tex. 49. quod aqua sit magis frigida, quam humida, & terra magis sicca, quam frigida. Dicitur ergo cum eodem met Aristot. vt supra tex. 24. quod elementa sint contraria bifariam intelligi potest. Primo ea considerando secundum suam qualitatem propriam, & sic ignis cōtrariatur terræ, vnde si ipse est calidus, terra est frigida. Secundo, secundū combinationes suarum qualitatum, & sic terra

non

non contrariatur igni, quia cum eo conuenit in ficcitate, sed contrariatur aeri, qui est humidus, & calidus, terra vero ficca, & calida, & ita ignis fic contrariabitur aquę, quoniam ipse est calidus, & ficcus, & aqua frigida, & humida. Ratione ergo primarum, & principalium qualitatum ignis contrariatur terræ, quia primo est calidus, & terra primo frigida, & in his extremis elementis confiftit uera, propria, & directa cōtrarietas, media vero possunt de extremis participare. At ratione combinationum dixit Arist. aquam esse magis frigidam, quam humidam, &c. volendo annuere frigiditatem non primo conuenire in combinationibus aquæ, sed terræ.

Vel dicendum est cum Alberto, & S.D. Aristot. ibi noluisse affirmare terram esse magis ficcam, quam frigidam, & aquam magis frigidam, quam humidam, comparando vnum elementum alteri elemento, sed voluit comparare qualitates eiusdem elementi adinuicem, & dicere terræ esse magis proxima ficcitas, & aquæ frigiditas. Vel dicas voluisse secundū id quod communiter dicitur loqui, nam gentes, quia vident terram indigere aqua dicunt eam esse ficcam, & quia tangēdo aquam, eam sentiunt magis esse frigidam, quam terram, dicunt eam esse frigidissimam, nō penetrando frigiditatem terræ inclusam in eius visceribus.

Ad primum ergo dicitur, quod cōtraria sunt in duplici differentia. Quædam enim ordinata sunt, vt se corrumpant, & ista sunt immediata. Quædam verò vt in compositionem mixti veniant, & ordinem vniuersi seruent, vt elementa, & ista non oportuit immediari, sed distare, ne se destruerent, & vt veniendo in temperiem per media tepescerent.

Ad secundum dicimus, quod pro nobis facit.

Ad tertium negamus, quod aeri conueniat aliqua qualitas in summo. Ad primū vero primo dicimus, quod idem argumentum potuisset de igne fieri, qui est mollior, & rarior aere. Secundo dicitur aerem esse proprio termino interminabilem secundum se, non propter solam humiditatem, sed etiam propter raritatem, & ista est prima ratio, vnde cetera non sunt paria. Tertio dicitur, quod aer de facili terminari potest, vt est superficies corporis, aqua vero non ponitur superficies corporis, & si possit esse, quia animalia terrestria non viuunt in aqua, sicut in aere, quę pro conseruatiuo externo suscipiunt. Tertium cū Arist. negatur 1. de Gener. tex. 90.

Ad quartum. Primū negatur de frigiditate, & admittitur de humiditate. Secundum etiam negatur in centro terræ, & medio aquæ. Tertio dicitur, quod igni contrariatur de directo in humiditate, quia ignis calidus est, & aqua humida.

Ad quintum. Primum negatur. Secundum admittimus, sed negamus tollere eius frigiditatem. Ad tertium dicimus maximam densitatem terræ causare eius grauitatem, & non ficcitatem, quæ resoluit, & dissoluit, vt patet in puluere, & cinere. Ad quartum dicitur, quod est pars materialis, & opposita calori ignis, & cæli, & ideo in ordine ad calorem est frigidissima. Ad quintum dicitur, quod terra, quæ est in vsum animalium est terra nostra, secundum suam superficiem, quæ calefacta à calore cæli diuersa producit ad vsum animalium necessaria, terra autē dicitur frigidissima in suo centro, & prope. Ad sextum dicitur id prouenire ex alia causa, scilicet, ex elementis aeris, vel ignis, vt suo loco dicemus. Dicitur autem arida in gradu excellenti, & non magis quam frigida.

QVÆSTIO XXII.

Vtrum elementa habeant vtramque qualitatem in summo.

Videtur quod sic. Primo. Qualitas remissa contrariæ qualitati est coniuncta. Si sic in vno elemento essent tres qualitates, vna in summo, & duæ in esse remisso, quod est falsum, & incōueniens. Ergo necesse est, quod eas ambas habeat in summo.

Secundo. Elementa debent de facili misceri. Sed si haberent ambas qualitates in summo non de facili miscerentur. Ergo. Maior est nota. Minor probatur, quia qualitates in summo sunt æque potentes, & resistentes adinuicem.

Tertio videtur, quod saltem vna debeat esse in summo in omni elemento. Nam omnia elementa concurrunt ad constitutionem mixti. At non conuenirent nisi haberent vnā qualitatem in summo, etenim si verbi gratia in aere non reperiatur humidi-

tas in summo, sed in aqua humiditas mixti non reducetur ad aerem, vt ad propriã causam, sed potius ad aquam, quia imperfectum reducitur ad perfectum illius generis, quod si ita est, aer non pertinebit ad constitutionem mixti.

Quarto. Ad idem. Si in elemento nulla esset qualitas in summo, in eo essent omnes quatuor qualitates. At hoc est falsum. Ergo. Minor nota est, quia sic esset mixtum. Maior probatur. Quia quod verbi gratia non est calidum in summo, oportet participare de humido, frigido, & sicco aliqualiter, nisi enim qualitas sit in summo non excludit consortium aliarum.

Quinto. Ad idem. Sic possent esse plura, quam quatuor elementa. Nam ponuntur ab Arist. quatuor, quia sunt quatuor combinationes possibiles primarum qualitatum. Si igitur non esset opus in qualibet illarum combinationum vnam qualitatẽ in summo constituere, possent cõfici aliæ combinationes, vt caloris in summo cum humiditate, nam cum non essent contrariæ possent esse simul, & ita frigiditas cum siccitate, & sic ponerentur plura elementa.

Sexto ad principale. Qualitates simplices debent esse summæ. Qualitates elementorum sunt simplices. Ergo summæ. Maior patet, quia qualitates simplices sunt puræ, & remissio est impuritas, & connexio cum contrario. Minor relinquitur vt nota, cum sint qualitates corporum simplicium.

Septimo. Omne primum est summum, quia remissio est recessus à primo. Qualitates primorum corporum elementarium sunt primæ, vt patet omnibus. Ergo debent esse summæ.

Octauo. Quod alicui conuenit per se primo, & non per participationem, debet esse summum. At qualitates elementares primo per se conueniunt elementis, & mixtis, vt participant de qualitatibus elementorum. Ergo sunt summæ. Omnes propositiones notæ sunt, considerantibus corpora ista simplicia venire in mixtionem.

Nono. Mensura est summa, cum sit prima. Qualitates elementorum sunt mensuræ temperamentorum, secundum quod ad eas accedunt, vel ab eis recedunt. Ergo sunt summæ, & non patiuntur in aliquo elementorum remissionem.

Decimo. Si aqua esset minus humida, quam aer, non posset aerem in se conuertere, quia minor non superat maiorem.

Circa præsentem difficultatem reperio etiã plures modos dicendi. Nam Marsilius, & Iacobus Forliuiens. tract. de intensione lib. 2. Buridanus, & nominales docent elementa vnam solam qualitatem habere in summo, aliam vero remissam, & qualitati contrariæ permixtam, ipsam tamen pro medietate semper superantẽ, verbi gratia ignis in summo est calidus, siccus, vero poterit esse vt quinque, & humidus vt tria si in totum habeat octo gradus siccitatis.

Sed hæc opinio præterquã quod repugnat S. D. vt dicemus, repugnat etiam veritati & Arist. Nam ipse duas tantum qualitates tribuit elementis, igni siccitatem, & caliditatem, aeri humiditatem, & caliditatem, aquæ humiditatẽ, & frigiditatem, & terræ siccitatem, & frigiditatem. Nec valet dicere, quod qualitas propria remissa, est supra dimidium super alia intensa, & ideo denominat elementum. Nam sic admittimus mixtionem in elementis, & ex corporibus simplicibus ea constituimus mixta. Secundo. Quia si illa tertia qualitas admisceretur duabus, vel accidentaliter, vel ex natura rei. Si accidentaliter, non debet, connumerari inter qualitates elementi. Si ex natura rei, sequitur illud elementum ex natura rei esse compositũ ex contrarijs. Dicendum est ergo, quod vbi elementa sunt sincera, & pura duas tantum habent qualitates, at vbi sunt impura, & mixta, non est inconueniens accidentaliter in eis admittere tertiam qualitatem, in esse remisso, & taliter, quod sit remissior qualitate eius propria remissa.

Secundus modus dicendi fuit Comment. 3. cæli, quod elementa sibi determinant, vtramque qualitatem in summo, cũ hoc tamen quod vna inest prius altera, & essentialius, verbi gratia ignis in summo est calidus, & siccus, sed tamen primo, & essentialius est calidus, & deinde siccus. Hanc sequitur Niphus dicendo hanc fuisse mentem Aristotel. dum dixit. Terra enim magis sicci, quam frigidi, &c. idest prius, & essentialius, & non intensius.

Hanc opinionem sic generaliter omnibus elementis tribuentem duas qualitates in summo placere non potuit. Primo. Quia sic

sic aquæ agerent contraria, nullaque ibi esset actio, vbi nec minimus daretur excessus. Secundo. Quia sic aer esset calidissimus, nec posset inseruire animalibus pro respiratione, ad refrigerandum excessiuum calorem cordis. Nec valet quod humidum refrigeraret, quia aer est densior igne, & sic multum adhuc calefaceret propter densitatem. Tertio. Quia idemmet Auerroes 4. Metheor. retractauit sententiam, dicendo elementa sibi tãtum vendicare vnam qualitatem in summo, & alteram in esse remisso, quod tamen negamus nos in igne, & in alijs concedimus vt infra.

Tertia igitur sententia vera est Auicennæ, Alberti Magni 2. de generat. tex. 23. & S.D.s. quod ignis sibi duas qualitates vendicat in summo, caliditatem, & siccitatẽ. Aerem nullam qualitatem in summo obtinere, sed in esse remisso esse humidum, & calidum, in aqua pariter remisse stare (dixerunt) humiditatem, & frigiditatẽ, magis tamen humiditatem, & in terra magis frigiditatem, quã siccitatem in esse remisso. Iuxta igitur hanc sententiam pono infrascriptas conclusiones.

Prima conclusio est. Ignis in summo est calidus, & siccus. Probatur primo. In summo elemento, & maxime actiuo simplicissimo dandæ sunt qualitates summæ, actiuam maxime, & nullã patientes mixtionem, quia qualitates debent suo subiecto correspondere. At ignis summum est elementum, actiuissimum, & simplicissimum, vt omnibus constat. Ergo debet habere suas qualitates in summo.

Secundo. Si aliqua esset difficultas, esset de siccitate, quæ ab aliquibus terræ tribuitur. Sed hoc nihil est, quia causæ siccitatis duæ sunt. Prima est frigus condensans, & humidum comprimens. Secunda est caliditas humidum consumens. At in igne est summa caliditas. Ergo est summa siccitas, tollens omnem humiditatem.

Tertio. Est opinio Arist. vt supra dicentis. Extrema quidem, & sincera ignis, & terra, media autem, & mixta magis aer, & aqua.

Secunda conclusio. Aer est calidus, & humidus remisse tamen. Probatur primo, quod sit calidus. Nam coniunctus calido necesse est esse calidum. At aer coniungitur spheræ ignis, cui est secundum superiorẽ regionem coniunctus. Ergo erit calidus

Secundo. Illud quod à calore causatur, oportet de calore participare. At aer causatur ex euaporatione, & euaporatio ex calore. Ergo &c.

Secundo. Principaliter probatur, quod non sit calidus in summo. Primo, quia vt diximus sic non esset aptus ad respirationẽ.

Secundo. Quia est remotior à cælo, quam ignis. Ergo minus participabit de calore cæli.

Tertio. Quia cum eius media regio sit frigida, necesse est vt temperet magnum calorem aeris prope spheram ignis existentis.

Tertio. Principaliter probatur, quod non sit in summo humidus. Quia vt supradictum est hoc conuenit aquæ, &c.

Argunt vero aliqui aerem sua natura esse frigidum. Primo. Quia exclusis calefacientibus manet frigidus. Secundo, quia in media sua regione, in qua censetur esse in sua puritate est admodum frigidus.

Sed ad primum dicitur, quod sicut arguitur frigiditatem aeris esse ei connaturalem, quia exclusa luce, & alijs calefacientibus manet tempore hyemis frigidus, ita dicitur quod illa frigiditas causatur à terra, & ab aqua, vnde frigiditas, & caliditas in ima regione videntur ei conuenire per accidens, & ab extrinseco, tamen si eius natura pẽsetur, & vt est in vniuerso post ignem ordinatus, dicendum venit, quod sua natura magis sit calidus, quã frigidus.

Ad secundum dicitur, quod illa regio est frigida per accidens, ex antiparistasim, quia est inter duas aeris regiones calidas, supremam, & infimam, vnde calor eijcit suum contrarium, idest frigiditatem, & sic illa regio manet frigida, vt suo loco, infra dicemus, pro nunc sustine.

Tertia conclusio. Aquæ conuenit humiditas tantum in summo. Probatur, quia frigiditas in summo conuenit terræ, vt supra probatum fuit. Et si ei conuenit frigiditas remisse, humiditas conueniet in summo, quia nulli alteri excellentius conuenire potest, quæ omnia supra suis locis fuerunt probata.

Ad primum negatur absolute maior, habet enim duas exceptiones. Prima, quod non valet in non habentibus contrarium, vnde lux potest esse maior in vno subiecto, quam in alio, intendi, & remitti, absque aliqua

aliqua admixtione, quia nõ habet contrarium. Secundo, quod non tenet in his quæ naturali sequela prodeunt ex subiecto. Nam suscipere magis, & minus intendi, & remitti stat dupliciter. Primo à causa effectiua à qua procedit, quia .s. à causa producitur cum tali passione, vel qualitate, & sic non est necessaria mixtio contrarij, quia hoc prouenit ex conditione rei, verbi gratia, quod aqua nõ habeat nisi tantam frigiditatem, quia natura eius sic postulat, & sic in proposito non est necessarium, quod qualitates remissæ tales sint, propter contrarij admixtionem. Secundo potest prouenire ex subiecto, cui qualitas intensa, & remissa conuenit, quia scilicet aptum natũ est cum permixtione contrarij, qualitatem suam suscipere in tali, & tali gradu, & secundum hunc sensum, qui non est ad propositum nostrum procedit argumentum.

Notandum est tamen, quod ista elementa, quæ dicuntur habere qualitates in esse remisso bifariam cõsiderari possunt. Primo secundũ se, & ita suas qualitates sibi vendicant, secundum determinatos gradus. Secundo, vt ab extrinseco possunt alterari, intendi, & remitti, & sic non habent certum gradum definitũ, sed plus magis, minusve suscipiunt, intenduntur eorum qualitates, & remittuntur, prout ab extrinseco alterantur, vnde illud magis, vel minus si fit ab alia causa, quam ab ea, cui subordinantur, erit eis quasi violentum, vnde si suæ naturę relinquantur, se ad suũ connaturalem gradum reducent, & hoc quidem vbi elementa sunt sincera.

Ad secundũ pro quanto militat contra qualitates elementorum in summo, excepto igne nihil dicimus. Pro quanto vero videtur etiam velle infringere ambas qualitates summas ignis dicimus, quod elementa bifariam considerari possunt. Primo in seipsis, vt secundum se reperiũtur. Secundo, vt in mixtionem veniunt. Si considerentur primo modo destruunt se, vt aqua destruit ignem; & aer si ex aqua fit, aquam corrumpit. Secũdo vero modo vt cõueniunt ad vnionem mixti, & hoc quidem, quia per virtutem mixti operantur, vnde dum homo generatur, non generatur ab igne, aere, aqua, & terra, sed à qualitate seminis tenentis de virtute illorum quatuor elemẽtorum. Quia igitur agunt elementa non vt sunt in se, sed vt vnita sunt in qualitate mediante qua substantia substantiam producit, ideo de facili miscentur, &c.

Ad tertium dicitur, quod qualitates mixti duobus modis cõsiderari possunt. Primo, vt sunt ab vno primo in suo ordine per participationem, & reducuntur ad illud primum, tãquam per essentiam, vt imperfectum reducitur ad perfectum. Secundò, vt sunt veluti effectus, & reducuntur ad elementa, quorum sunt qualitates. Primo modo necesse est eas reduci ad summum, sed sic non considerantur. Secundo vero modo opus est eas reducere ad omnia elementa, quoniam de qualitatibus omnium tenent, verbi gratia, humiditas mixti non solum reducitur ad aquæ humiditatem, sed etiam aeris, quoniam etiam seruat de eius humido, verbi gratia, de sanguineo, &c.

Ad quartum negatur assumptum, & ad probationem dicitur, quod procedit de qualitatibus subiecti, & mixti, quæ in eo sunt inherentur, qualitates autem elementorũ diximus esse remissas, ex naturali sequela, & propria natura, quia sic eas sibi vendicant in gradu remisso, & non in gradu summo.

Ad quintum dicitur, quod speculatiue videntur aliç combinationes elementorum possibiles, sed physice, & secundum statum præsentem vniuersi, nequaquam. Vnde combinatio frigidi cum summo calido est incompatibilis, & illa caloris remissi, cum frigido remisso est inutilis, & ita humiditatis remissæ, & frigiditatis remissæ. Secundo dicitur, quod istæ sunt combinationes vniuersaliores, familiariores, & famosiores, & naturis mixtorum sufficientes.

Ad sextum negatur maior. Nam qualitas potest dici simplex bifariam. Primo per negationem permixtionis contrarię. Secundo, quia non est à priori qualitate causata. Secundo modo qualitates elementorum dicuntur simplices, & rectius primę, non autem primo modo, secundum quem procedit argumentum.

Ad septimum negatur maior in primo non absolute, sed in suo ordine, vnde qualitates remissæ elementorum sunt primæ in ordine ad qualitates mixti, non vero absolute, & simpliciter.

Ad octauum dicitur ad maiorem, quod concludit

cludit de summo, idest, primo in ordine, & causalitate, non vero de primo, & summo in intensione, de quo est præsens quæstio.

Ad nonum dicitur, quod sunt mensuræ temperamentorum, non vero quod in se sint mensuræ summæ intensione.

Ad decimum nihil dicimus, quia tenemus nos aquam esse humidiorem aere, bene verum est, quod ex aqua fit aer calore resoluente aquam, & ex aere fit aqua frigore condensante aerem.

QVÆSTIO XXIII.

Vtrum quodlibet elementum possit generari ex quodlibet.

Videtur quod non. Primo. Nam de extremo non peruenitur ad extremum nisi per medium, per Arist. 5. Phy. tex. 22. At, verbi gratia, ignis, & aqua sunt duo extrema, inter quæ aer mediat. Ergo ab aqua in ignem non fit transitus nisi per aerem.

Secundo. Ad hoc, vt vnum in naturam alterius transeat, necesse est, vt prius disponatur dispositione eius, in quod transit propria, antequam in illud conuertatur, vt si terra debeat transire in ignem, oportet vt prius rarefiat, quia raritas est proprietas ignis. Sed hoc non potest esse, nam si minima pars ignis non potest conuerti in terram, nec terra conuertetur in ignem.

Tertio. Ignis aquæ applicatus prius corrumpit frigiditatem cui magis contrariatur, quam humiditatem. Sed dum corrumpitur per calorem frigiditas, & successiue humiditas, aqua prius conuertitur in aerem, & exhalationes. Ergo &c.

Quarto. Aqua numquam potest fieri, rarior, & leuior aere. Ergo numquam poterit fieri ignis. Probatur sequela, quia leuitas, & raritas sunt immediate dispositiones ad formam ignis, sine quibus non fit.

Quinto. Si ex aqua posset fieri ignis, non solum esset necessarium aquam calefieri, sed etiam exsiccari, quia ignis calidus est, & siccus. Sed hoc fieri nequit, quia & si calor ignis vincat frigiditatem aquæ, tamen humiditas aquæ vincit siccitatem ignis, cum qualitas humiditatis sit actiuior qualitate siccitatis. Ergo quodlibet elementum non potest fieri ex quodlibet.

Pro resolutione præsentis quæstionis. Primo notandum venit, quod circa eam fuerunt plures opiniones. Prima fuit illorum antiquorum philosophorum, de quibus loquitur Aristot. 2. de generat. & corrupt. text. 30. vsque ad 34. qui dixerunt omnia elementa, secundum substantiam esse eiusdem speciei, & solum differre accidentalibus differentijs, & consequenter quodlibet non poterat fieri ex quodlibet, quia idem non conuertitur in seipsum.

Alij vt refert Marsil. 2. de generat. duo dixerunt. Primum, quod nullum elementum immediate conuertitur in aliud elementum, sed conuertitur in quondam vaporem medium, & ex illo vapore in aliud elementum, verbi gratia, vapores ex quibus pluuiæ generantur, mediant inter terram à qua extrahuntur, & aquam in quam conuertuntur, & semper ascendens ex cõbustibili, qui dicitur fumus, mediat inter ignem à quo generatur, & aerem in quem resoluitur. Secunda est, quod hoc medium participat de qualitatibus vtriusque elementi, & in hoc medio resoluitur prius vnum elementum, antequam resoluatur in alterum. Ad Arist. autem dicunt, quod dum asserit vnum elementum in aliud immediate conuerti, voluit dicere hoc fieri antequã in aliud elementum conuertatur, non curando de medio, quoniam de vtroque participat.

Alij distinxerunt elementa in sibi immediata, vt sunt aqua, & terra, aqua, & aer, aer, & ignis, & non mediata, vt sunt terra, & aer, vel ignis, & econtra. Tunc dixerunt elemẽta immediata, immediate posse adinuicem cõuerti, vt aqua in terram, & aqua in aerem, & aer in ignem, non vero quæ non sunt immediata, sed necesse esse prius in sibi immediatum conuerti, vt aer in aquam, antequam in terram conuertatur.

Alij considerauerunt duplicem potentiam in elementis. Primam dixerunt ab intrinseco, scilicet, materiam elementorum, & sic dicunt omnia elemẽta potentia sibi intrinseca, idest, ex materia sua posse adinuicem transmutari, siue sint immediata, siue non, quia materia prima elementorũ est in potentia ad omnes formas rerum corruptibilium. Secundam dixerunt ab extrin-

extrinseco, quæ pensatur ex medijs, & ex agente, & sic affirmauerunt, non posse elementa nisi quodam ordine transmutari adinuicem.

Alij cum secunda sententia conuenerunt, scilicet, non posse elemēta adinuicem transmutari, sed prius conuenire in medio vapore, & exhalatione, quæ secundum hos non differt specie ab elementis, vt dixit secunda opinio, sed est eiusdem speciei, imò est elementa substantialiter, & distinguitur solum accidentaliter.

Probabant hoc primo, quia si vapor non esset aqua, & exhalatio terra, non possent elementa ad mixtionem conuenire, nam aqua per vaporem, & terra per exhalationem ad aeris locum conueniunt, vbi fit mixtum.

Secundo, quia vapor est frigidus, & humidus, vt est aqua, & exhalatio frigida, & sicca sicut terra, quamuis per accidens vtrumque sit calidum. Ergo si habent easdem passiones cum elementis erunt idem cum eis.

Tertio, quia si vapor non est aqua, & exhalatio terra erunt aer, nam ignis non sunt, quia non sunt calores intensi. Sed aer esse non possunt, quia sic essent eiusdem speciei, quod est falsum.

Vltima sententia, quæ est expressa Arist. 2. de gener. & corrupt. est, quod vnum elementum potest fieri ex alio quocumque sit.

Secundo ergo notandum venit, quod ad hoc vt elementa possint permutari adinuicem ista requiruntur. Primum est commune subiectum, quod in transmutatione elementorum nō potest esse nisi materia prima generabilium, & corruptibilium, nam dum dixit Arist. esse quatuor materias elementorum, de proxima locutus est. Secundum est duo termini. s. à quo, & ad quem, qui in mutua permutatione elemētorum conspiciuntur, dum vnum fit ex altero, non tamquam ex materia, sed vt à termino à quo, vel vt ly ex non dicit materiā, sed ordinem, idest, vnum fit post aliud. Tertium est contrarietas qualitatum subiectum alterantium, & ad nouam formam disponentium. Nam elementa, vt instrumēta primarum quatuor qualitatum se à contrario defendūt, simile generant, inuicem permutantur etiam, & vltra mixtum constituant. Addo quartum in elementis considerandum, quod dum vnum elementum ex altero fit, non fit per compositionem totius elementi, quia elementa sunt partes principales vniuersi, & ideo secundum totum nō possunt corrumpi, nec adinuicem transmutari, vnde hoc eis accidit solum secundum partem, v. g. inquantum ex vna parte aeris fit ignis.

Tertio tamen vlterius speculandum venit, quod elementa adinuicem permutentur potest duobus modis intelligi. Primo absque medio, idest immediate. Et secundo cum medio, idest mediate, adeo vt prius in vaporem, vel halitum mutentur, & deinde in aliud elementū, & hoc dupliciter. Primo necessario, ita vt sine medio vnum elementum non possit in aliud transire. Secundo, vt plurimum, & per faciliorem transmutationem. Non est controuersia saltem aliqua grauis, quod vnum elementum mutetur in aliud per medium, & hoc quidem frequentius, sed nodus difficultates stat, an necessario, & semper transmutetur in medium, & deinde transeat in aliud elementum. Duplex autem est medium. Primum dicitur idem substantialiter cum re à qua deducitur, & differens ab ea solum accidentaliter, idest, secundū magis, & minus, vt si dicamus vaporem, ex aqua ascendentem esse quidem vere aquam, secundum substantiam, sed ab ea differentē tantum, vt minus habēs de natura aquæ. Secundum dicitur distinctum substantialiter, & specifice sic, quod aliud sit medium, per quod vnum elementum in aliud transit, & aliud specifice elementum ex quo deducitur, vel in quod cōuertitur. Multi enim iuniores sustinent esse eiusdem speciei, & non distingui nisi secundum magis, & minus, vt magis, & minus purum elementum. Hoc probat Toletus 2. de generat. cap. 4. q. 8. Primo, quia elementa non veniunt ad mixtionem, nisi per medium. s. per vaporem, vel exhalationem. Secundo, quia vapor aquæ est frigidus, & humidus sicut aqua, & exhalatio terræ est frigida, & sicca, sicut est terra. Tertio, quia euaporatio argenti viui in vase occlusi conuertitur in argentum viuū, quia est de eius natura. Quarto, quia essent aer, quod esse nō potest, quia vapor, & exhalatio differunt specie, vt ex varijs eorum effectibus deducitur.

At Bannes 2. de generat. cap. 8. quæst. 1. tenet differre

differre specie.s.exhalationem, & vaporē specie distingui ab illis elementis, à quibus eleuantur. Hoc probat Primo, quia vapor deductus ab aqua est calidus, & humidus, aqua vera frigida, & humida. Secundo, quia exhalatio est de natura ignis, vnde sursum mouetur, vt ignis mouetur, & non deorsum, vt terra à qua subducitur. Tertio, quia fumus non est lignum à quo subtollitur. Ergo nec vapor aqua, nec exhalatio terra, à quibus eleuantur. Quarto. Aqua rosacea non est rosa, à qua per distillationem emanat, nec vapor roridus, qui à carnibus distillat est carnes, nec vapor euaporans à sanguine est sanguis. Ergo nec vapor qui ab aqua emanat, nec exhalatio, quæ à terra effumat sunt aqua, vel terra.

Quarto ergo considerandum venit, quod vapor, & exhalatio in generatione nouorū elementorum, locum tenent præparationum, & dispositionum ad introducendam nouam formam elementi, & sunt veluti qualitates, quibus mediantibus cælum agit ad transmutationem elemētorum, vnde id quod facit semen in generatione viuentium, id peragit vapor, vel exhalatio in productione nouorum elementorum. Semen autem, & qualitates actiuæ ad generationem bifariam considerari possunt. Primo formaliter, & realiter, & sic distinguuntur specie à generante, quia sunt in se diuersæ naturæ. Secundo causaliter, & effectiue, & sic causaliter retinent vim, & virtutem generantis, ac si essent ipsum generans secundum substātiam, quia producunt id ad quod agens ordinatur, causaliter. Prima ergo opinio erit vera hoc secundo modo, & prima, primo modo, & tu cogita qualitates dispositionum, & qualitatum quibus substantia, producit substantiam, & omnia argumenta solues. Primū ergo Toleti falsum est generaliter, vt dicemus. Secundum procedit, vt ab aqua incipit eleuari, nam continuo fit calidus virtute cæli, & aeris illum vaporem in suam substantiam conuertētis, & per hoc patet ad tertium. Non enim illa euaporatio est sufficienter disposita ad aerem, vnde conuertitur iterum in argentum viuum. Quartum concludit ex parte termini ad quem differre specie.

Argumenta autem Bannesij. Primum concludit, vt dicimus differentiā specificam ex parte termini ad quē, & ita secundum, tertium nihil valet, quia lignum non est elementum, sed elementarum mixtum, & fumus retinet de terreo, & vadit ad aereū Ita dicas ad alias instantias, quarto loco adductas.

Secundo ergo loco principali ponitur ista conclusio. Quodlibet elementum potest fieri ex alio quomodolibet. Probatur primo auctoritate Arist. 2. de generat. & corrupt. tex. 24. aperte dicentis absolute. Vnum elementum ex alio fieri posse.

Secundo. Nam si aliquid obstaret, esset contrarietas. Sed ista non officit, quia generatio fit ex contrarijs. Ergo &c. Minor est Aristot. 1. & 5. Phys. Maior patet, quia aer, & ignis contrariantur secundum humidum, & siccum, & ignis, & terra secundum calidum, & frigidum.

Tertio. Si aqua, verbi gratia, non posset fieri ignis immediate esset, quia humiditas, & frigiditas aquæ obstaret, caliditati, & siccitati ignis. At hoc non obstat, quia potest ita efficaciter operari ignis, qui actiuissimus est, vt subito aquam conuertat in sui naturā, vt patet de guttis aquæ, effusis super carbones fornacis, qui illico in ignem conuertuntur, consumpta humiditate, & frigiditate aquæ.

Quarto probatur experientijs. Nam quod terra conuertatur in ignem patet in fumo, nam fumus ex terra, & aere constat. Similiter fabri ferarij dū super carbones aquam proijciunt, illam in ignem conuersam, illico aspiciunt. Et ita sine medio terra conuertitur in aerem, vt halitus sicci, à Sole de terra deducti ostendunt. Ita vapor, & ardor ignis in aquā suffocatus, in aquam vertitur, vnde eam spissiorem reddit.

Ad primum verò in contrariū dicitur, quod maior tenet in motu locali, & successiuo, supra magnitudine facto, nam sic mobile motu locali non transit de extremo ad extremum, nisi prius pertranseat medium. Non vero valet in motu generationis, qui fit in instanti, vt est motus transmutationis elementorum.

Ad secundum negatur minor, nam minima pars ignis potest conuerti in terram, & aquam, corrupta natura ignis, & remanente eius qualitate.s.caliditate, vt dum ferrum ignitum in aquam suffocatur, aqua calefit, & ignis extinguitur, & dum terrā

similiter accendit, vel calefacit. Scito igitur, quod dispositiones sunt in duplici differentia. Quædam enim sunt remotæ, & istæ præcedunt generationem. Aliæ sunt proximæ, & immediatæ, & eiusdem ordinis cum forma, & hæ sunt simul in eodem instanti cum forma, vt summa raritas aeris cum igne, & summa frigiditas cuiuscunque elementi ad frigiditatem deducti cum terra. Non aspicias igitur remotas dispositiones ad transmutationes elementorũ, quia eas sæpe inuenies incompossibiles, sed vide an vnum elementum possit vltima dispositione disponi ad aliud, & sic inuenies eorum mutuam conuersionẽ.

Ad tertium dicitur, quod probat faciliorem transmutationem, sed non necessariã omnino, ita vt aliter fieri non possit, nam illa corruptio potest fieri in instanti, & simul, data maxima actiuitate magni ignis agentis in paruam aquam.

Ad quartum respondet Albertus 2. de Generat. quæst. 7. non esse inconueniens, quod dum aqua est in via corruptionis, sit sub maiori leuitate, & raritate, & calore, quã aer, quia non repugnat quod dispositio naturalis aeris sit minor dispositione violenta ipsius aquæ, & præsertim dum tendit ad id quod calidum est, & rarius ipso aere, scilicet ad ignem.

Ad quintum diximus possibilitatẽ data maxima actiuitate ignis, & minima aquæ.

QVAESTIO XXIIII.

Vtrum elementa symbola facilius transmutentur.

Videtur, quod non. Primo. Nam si hoc esset verum, esset propter rationem Arist. 2. de gener. quia, scilicet in generatione symboli tantum vna qualitas corrumpitur, in generatione vero non symboli duæ. Sed hæc ratio nulla est, quia in omni generatione noua elementi symboli, & non, corrumpuntur omnia accidentia elementi corrupti, & noua geniti generãtur, quia corrupto subiecto corrumpuntur omnia, quæ sunt in subiecto. Ergo in generatione nõ manet aliqua qualitas.

Secundo. Eadem est proportio vnius ad vnum, quæ est duorum ad duo. Ergo tanta erit difficultas in symbolis propter vnam qualitatem corrumpendam, quanta in non symbolis propter duas.

Tertio. Actio innitur contrarietati. Ergo vbi maior est contrarietas, ibi erit facilior actio. Sed non symbola sunt magis contraria, quam symbola, cũ opponantur in vtraque qualitate. Ergo inter ipsa erit facilior transmutatio.

Quarto. Ignis, & terra sunt symbola in siccitate, non vero ignis, & aqua, & tamen videmus guttam aquæ citius absumi à magno igne, quam pars parua terræ. Ergo elementa symbola non transmutantur facilius.

Ad intelligentiam huius quæstionis. Primo notandum venit, quod circa eam, & eius explicationem sunt plures opiniones, & modi dicendi. Conueniunt quidem Doctores in hoc, quod inter elementa symbolica est facilior transmutatio iuxta ea, quæ docuit Arist. 2. de generat. & corrupt. tex. 25. at in assignanda ratione discrepãt. Nam Niphus dicit hoc esse, quia elementum simili non reagit, idest contradicit, verbi gratia, dum aer ab igne exsiccatur, non resistit, quia in calore est similis igni, & secundum humiditatem patitur, reactio autem non est secundũ eandem contrarietatem. Sed hæc opinio non subsistit, quia reactio potest esse secundum eandem contrarietatem, vt infra ostẽdemus. Secundo loco succedit Aegidius text. 25. 2. de gener. dicẽs hoc euenire, quia transmutans vnam tantum qualitatem habet corrumpere in symbolo. s. sibi cõtrariam, aliam vero non corrumpit per se, sed per accidens, quia. s. corrumpitur ex corruptione subiecti, in nõ symbolo vero habet corrumpere duas qualitates per se, quia in duas contrariantur.

Hæc opinio stare potest, & multum conuenit cum sententia S. D. dicentis 2. de generat. tex. 25. id prouenire, quia inter symbolicorum elementorum transmutationẽ minor est resistentia, quia non contradicunt nisi in vna qualitate, non symbola vno in duabus, & ideo inter ista maior reperitur contradictio, & resistentia.

Ista enim sententia cum textu Arist. aliquã apparentiam habet, nam illa quæ est Alberti. q. 8. Marsilij. q. 10. & Niphi se retractantis intollerabilis est. Dicunt enim, quod ly facilius stat dupliciter. Primo, vt idem sonat, quod velocius, vel breuius, & sic dicunt non symbolica facilius, idest breuius

brevius mutari. Secundo vt idem sonat, quod pauciora deperdere, & sic affirmant facilius symbola transmutari, quia vnam solum qualitatem deperdunt. Hæc inquã sententia est intolerabilis, quia Arist. expresse vtitur hic, citius, tardius. Immo sic fuisset vana eius ratio, nam Aristot. hoc probat, quod symbola facilius mutantur, quia pauciora in eis mutantur, vnde sic esset probare idem per idem.

Secundo. Animaduertendum venit, quod elementa symbola sunt illa, quæ habent qualitatem similem, verbi gratia ignis cũ terra habet qualitatem simbolam, scilicet siccitatem, cum aere caliditatem, cum aqua nullam, & ideo aqua, & ignis dicuntur elementa non symbola. Symbola autem sunt in duplici differentia. Quædam enim habent qualitatem passiuam communem, scilicet siccitatem, & humiditatem, actiuam vero contrariam, scilicet vel caliditatem, vel frigiditatem, & ista sunt aer, & aqua, terra, & ignis, nam aer, & aqua conueniunt in humiditate, & terra, & ignis in siccitate. Quædam vero sunt symbola in actiuis, & contraria in passiuis, vt ignis, & aer, qui differunt in siccitate, & terra, & aqua, qui contrariantur in siccitate. Inter symbola igitur in passiuis facilior erit transmutatio, seruata proportione, quia earum qualitates actiuæ sunt in actione veloces, & efficaces, vbi enim qualitas est actiuior, & fortius superans resistentiam, ibi est facilior, & velocior transmutatio, quia ab actiuitate, & minori resistentia pensatur, & tu applica ad elementa.

Tertio. Tamen considerandum venit, quod dum dicimus symbola facilius transmutari, hoc intelligimus si cetera sint paria, si enim non essent omnia paria, posset inter non symbola facilior esse transmutatio, vt si materia istorum non esset æqualis, impedimenta ex parte symbolicorum per accidens maiora, & similia. Propositio ergo Philosophi valet ceteris paribus non vero si cetera non sint paria. Secundo etiam intelligitur non absolute, sed in eo in quo sunt similia, & tenent terminũ acquirendum viciniorem. Tertio. Intelligitur dummodo, adsit maior difficultas ex opere fiendo, nam seruata proportione agentis, ad patiens, potest esse maior difficultas ex parte operis, vt plus est duas domos ædificare, quam vnam.

Secundo loco ponitur talis conclusio. Elementa symbola facilius transmutantur, quã non symbola. Probatur ratione Arist. Illa elementa vocantur symbola, quæ in vna qualitate conueniunt, siue sunt similia, non symbola vero, quæ in nulla qualitate conueniunt, immo contraria sunt. Vbi igitur erit facilior corruptio, ibi erit facilior trãsmutatio, quia corruptio vnius est generatio alterius. Sed inter symbola est facilior corruptio, cum contrariũ non inueniat tantam resistentiam ad corrumpendum, sicut in eo, quod sibi per duas qualitates resistit. i. in non symbolo. Ergo inter symbola erit facilior transmutatio.

Ad primum dicitur, quod in corruptione subiecti corrumpuntur omnia accidentia secundum doctrinam S. D. quam sustinemus, sed corrumpuntur secundum numerum, & manent secundum speciem, idest secundum conuenientiam in forma specifica. Facilior autem est transitus ad formam sibi similem secũdum speciem, verbi gratia de caliditate, ad caliditatem, quã ad dissimilem, scilicet ad frigiditatem, & vbi est maior conuenientia in formis, est etiam in dispositionibus, & consequenter in transmutationibus. Itaque in generatione, seu mutatione symboli fit transitus ad qualitatem secundum speciem vnam, in transmutatione vero non symboli ad duas specie differentes, cum dispositionibus dupliciter diuersis, & ideo est difficilior transmutatio.

Ad secundum dicimus, quod maior valet ceteris paribus, idest quando tantam proportionem, & conuenientiã habent duo, ad duo, quam habet vnum ad vnum. Modo in proposito non saluatur, quia in symbolo est maior proportio, quam in dissymbolo.

Ad tertium dicendum, quod aliud est dicere, quod vbi est contrarietas ibi sit facilior actio, & aliud quod ibi sit maior actio. Secundũ est verum, quia contraria reagũt, at primum est falsum, nam facilitas transmutationis, non est reposita in contrarietate, sed in minori resistentia, quia vbi minor est, facilior, & velocior transmutatio proficiscitur.

Ad quartum dicimus cetera non esse paria, quia terra magis resistit, quã gutta aquæ, quæ facilius consumitur.

QVÆ-

QVÆSTIO XXV.

Vtrum ex duobus elementis non symbolis corruptis tertium quoddam fiat.

Videtur quod non. Primo. Nam vbi nulla est causa effectiua, ibi nullus potest esse effectus. At cum ex igne, & aqua, fit aer ibi nulla est causa effectiua. Ergo nec ibi erit tertium effectum. Maior est nota. Minor probatur. Primo. Quia hoc tertium esset ignis, & aqua, cum dicatur ex his componi. Hoc autem est falsum, quia ignis, & aqua specie differunt, & simile a simili producitur, & non à dissimili. Secundo, quia aqua, & ignis tunc corrumpuntur. Ergo non erunt.

Secundo. Vbi tertium ex duobus fit, necesse est duo illa corrumpi, aliter essent vnũ tantum aggregatione. At illa duo non possunt corrumpi, nam vnum si corrumperet alterum, verbi gratia ignis aquam, aqua corrupta non poterit corrumpere ignem, & sic tertium ex duobus corruptis non erit.

Tertio. Cum ignis, & aqua mutuo se corrumpunt, omnes qualitates manent refractæ. Ergo non poterit induci forma aeris, cum desit sufficiens dispositio.

Quarto. Corrupta frigiditate terræ, & humiditate aeris, ignis non potest fieri ex siccitate terræ, & caliditate aeris, quæ manent cum non sint sufficientes dispositiones ad ignem, cum sit calidior, & siccior. Ergo ex duobus non fit tertium.

In contrarium est Aristot. 2. de generat. & corrupt. tex. 28.

Pro intelligentia, & resolutione huius quæstionis notandum est primo, quod elementa, vt diximus, quædam sunt symbola, & quædam dissymbola. Inter symbola non cadit tertium. s. ex symbolis tertium fieri non potest, vnde ex igne, & aere non est tertium, nam dato quod siccitas ignis corrumpatur, & humiditas aquæ, tunc remanet sola caliditas in vtroque, modo tertiũ ex duobus contrarijs constat, & vna sola qualitas, & similis non potest tertium generare. Erit ergo solum hoc verum in elementis dissymbolis, vt ex terra, & aqua generatur ignis, corrupto humido, & frigido, & ex aqua, & igne corrupto frigido, & sicco, & ex aere, & terra fit aqua corrupto calido, & sicco, ex aqua, & igne, terra, corrupto humido, & calido.

Secundo notandum, quod dupliciter possumus intelligere vnum fieri ex altero. Primo per corruptionem vnius tantum, quo pacto ignis aquæ in cacabo existenti appositus, ebulliendo eam resoluit in aerẽ, & vt dicitur 1. Metheor. cap. 1. particulæ aeris in poris terræ inclusæ, in aquam conuertuntur, qua ratione ex guttis fiunt riui, & ex riuis fontes, & flumina, hæc enim conuersio in aquam fit a terra frigida. Secundo per corruptionem vtriusque, vt quod ex igne, & aqua fiat terra. Hoc autem bifariam accidere potest. Primo per actionem tertij agentis, vt dum ex aere, & aqua fit flamma, ab igne destruente vaporem aquæ, & exhalationem aeris, siue ista sint symbola, siue dissymbola, nam ex aere, & aqua simul, vel ex aere, & terra per actionem tertij, idest ignis, ignis fieri potest. Secundo, sine actione tertij, sed per actionem tantum vnius in alterum, & in hoc sensu procedit quæstio.

Tertio ergo notandum est cum S.D. 2. de gener. tex. 28. quod dum ex duobus elementis dissymbolis fit tertium necesse est, vt vnum alterum excedat in vna qualitate, & excedatur in altera ab altero, ita vt qualitas actiua vnius, vincat alteram actiuam alterius, & altera passiuarũ alteretur, verbi gratia. Dum ex igne, & aqua fit terra, opus est, quod frigiditas aquæ caliditatem ignis superet, & siccitas ignis humiditatem aquæ vincat, sic enim vtraque forma recedet, & manebit tertia materia calida, & humida, quam forma aeris sequitur.

Secundo loco principali ponitur hæc conclusio. Ex duobus elementis corruptis resultat quoddam tertium. Probatur. Experientia, & ratione, quia vnum elementum aptum natum est transmutare aliud, & transmutari ab alio. At tunc necesse est vnum tertium resultare, vt supra explicatum est.

Ad primum negatur minor, non quia Deus tunc suppleat, quia causa vniuersalis, vt est Deus, non producit effectum secundarum causarũ sine secundis causis, sed quia ibi relinquuntur qualitates, quæ sunt dispositiones ad rem producendam, vnde tantum agunt, quantum si esset agens. Ad primum ergo dicitur, quod qualitates derelictæ virtualiter sunt similes ei producta,

ctæ, verbi gratia ignis, & aqua dum corrumpuntur, & ex his corruptis fit aer, qualitas caliditatis ab igne derelicta, & humiditatis ab aqua, agunt ad producendum aerem, qui est calidus, & humidus. Ad secundum dicitur similiter quod corrumpuntur formaliter, idest secundum eorum esse proprium, sed remanent virtualiter, secundum eorum qualitates.

Ad secundum negatur minor, & dicitur, quod mutuo se corrumpunt vt explicatũ est, quia dum præualet caliditas ignis contra frigiditatem aquæ, humiditas aquæ præualet contra siccitatem ignis, & sic fit aer calidus, & humidus.

Ad tertium dicitur, quod sequela est falsa. Ad probationem dicitur, quod qualitates ignis, & aquæ sunt sufficientes dispositiones ad generationem aeris, non in suo esse summo, sed in esse refracto, & ideo oportet eas esse refractas.

Ad quartum dicitur, quod dum generatur quid validius ex infirmiori, & debiliori, vt dum generatur ignis ex siccitate terræ, & caliditate aeris, tunc & ex virtute cæli, & ex natura subiecti, in quam transeunt, accipiunt hæ qualitates vim maiorem, & efficaciorem, & sic generant ignem.

QVÆSTIO XXVI.

Vtrum dum vnum elementum, in aliud agit, agendo repatiatur.

VIdetur, quod non. Primo. Nam, vel agens, & patiens erunt æqualis virtutis, vel non. Si æqualis, non erit actio, quia a proportione æqualitatis non est actio, vnum enim alteri contradicit. Si inæqualis, erit actio solum ex parte vnius, quia maius aget in alterum tantum, & nõ repatietur, quia si esset actio minoris, esset proportio a proportione minoris, cum tamen actio fit a proportione maioris. Ergo non datur reactio.

Secundo. Idem non potest moueri motibus contrarijs. At si daretur reactio idem moueretur motibus contrarijs. Ergo. Maior probatur. Sit agens A, calidum. Sit B, frigidum, & A, sit in quadrupla proportione ad B. Adeo vt B, non possit reagere in totum A, sed tantum in aliquam eius partem quæ dicatur C. Tunc si B, reagit in C, clarũ est, quod frigescit, & à tribus alijs partibus A calesit, & ita idem calesit, & frigescit. Nec valet dicere, quod ista simul non fiunt, sed prius frigescit, & deinde calesit. Hoc propter duo non valet. Primo, quia in illa posterioritate dum calesit non erit reactio. Secundo, quia summo illud tempus in quo frigefactio fit sine calefactione, & sic argumentor. In medio tẽporis illius frigiditas erat in C. Ergo habuit cõtrarietatem cum D, tribus alijs partibus A, calidi. Potuit ergo iam calefieri, nec expectare. Quæcumque enim frigefactio secundum Aristot. est diuisibilis.

Tertio. Idem non potest moueri motibus contrarijs. At hoc fieret si daretur reactio. Ergo probo minorem. Nam si A, in B, agit, & B, reagit in A, & per medium C. Agens non aget in passum, quin agat in medium, si est distans. Tunc A, agit calefaciendo B, & tunc medium calesit, iterum B, reagit simul per idem medium infrigidando A. Ergo medium C, frigesit. Et in summa vis huius argumenti, & superioris est, quod vel vna pars, vel idem medium moueatur motibus contrarijs, dum suscipit actionem, & reactionẽ. Stando inter duo contraria.

Quarto. Si daretur reactio, sequeretur, quod nihil suũ simile induceret, nec summus gradus qualitatis produci posset. Probatur. Sit A, summe calidum, agens in B, frigidum, intendens illud sibi assimilare, idest facere calidum in summo. Dum ergo A, agit in B, si repatitur, eius actio minuitur, & remittitur. Ergo in fine actionis non erit summe calidum. Sed aliquos gradus caloris amittet, & sic non inducet summum calorem in B, quod videtur absurdum.

Quinto. Omne quod mouet secundum locum, non necessario mouetur secundum locum. Ergo nec quod agit, & alterat, necesse est pati, & alterari.

Pro intelligentia, & resolutione huius quæstionis sciendum est. Primo, quod quærere, an detur reactio, tantum est quærere, an dum agens agit in passum, passum etiam ipsum habeat aliquam actionem in agens, ita vt patiendo reagat. In actione ergo ista consideramus. Primo, quod agens agit, & patiens patitur, quia virtus agentis est fortior, & potentior virtute patien-

patientis, hoc enim necessarium est, aliter si virtus patientis esset validior, patiens fieret agens. Secundo consideramus, quod patiens recipiendo actionem agentis, ipsum à sua natura extrahere conantis, & in suam reducere tentantis, resistit, & sua virtute in agens agit, & contradicendo, & ipsum pro posse debilitando, vnde fit vt passum dicatur reagere, & eius actio dicatur reactio, & actio agentis repassio, cum aliquo modo patitur.

Secundo notandum venit; quod de reactione secundum qualitates sensibiles loquimur, vnde in duobus non habet locum. Primo. In non habentibus materiam. Si igitur agens nō habet materiam communem cum passo, dum agit, non repatitur, quapropter substātiæ separatæ agentes in ista inferiora non repatiuntur, quia non habent materiam. Idem dicimus si agens habeat materiā, sed diuersi generis à passo, vt cæli non repatiuntur, dum in inferiora influunt, quia materia celorum est diuersi generis à materia inferiorum. Secundo. Quando agens est extra sphęram actiuitatis passi, quia.s. virtus agentis non potest adstringere passum, cum vsque ad ipsum non perueniat ex distantia. Si igitur demus agens, quod possit agere per distans, & patiens, quod non possit vsque ad agens suam virtutem deducere, tunc agens aget, sine passione, vnde terra non potest agere in Solem, agentem in terrā, quia virtus terræ non potest pertingere Solem, dato, sed non concesso, quod Sol esset susceptiuus alicuius actionis à terra. Sermo ergo est, de reactione eorum, qui conueniunt in eadem materia sensibili, & quando patiens tenet agēs intra sphęram suæ actiuitatis.

Tertio. Sciendum est ergo, circa præsentem difficultatem esse plures opiniones. Prima quidem fuit Conciliatoris tract. 7. de reactione. Dicit enim primo, quod duplex agens est. Primum dr̄ vniforme agens, seu patiens, quia secundum omnes suas partes participat æqualem formæ gradum, vt si daretur corpus bipedale calidum, vt quatuor secūdum omnes suas partes, quibus agit, aut patitur. Secundum dicitur difforme, quia secundum omnes suas partes non participat eundem gradum caloris, ita vt quædam sint calidæ, vt quatuor, aliæ vt duo, quædam magis, & quędam minus. Secundo dicit qualitatem actiuam æqualiter duo habere.s. agere, & resistere, ita vt tantum resistat, quantū agat. His stantibus deducit, quod agens vniforme dum agit nō repatitur, nec secundum eandem partem, nec secundum diuersas in eadem contrarietate, quia agens vniforme secundum omnem sui partem exigit ipsum patiens, & in actiuitate, & in resistentia. Agens verò difforme patitur secundum eandem contrarietatē, sed non secundum illam partem per quam agit, sed secundum aliam, idest, agit secundum partem fortiorem, & patitur secundum debiliorem, vnde secundum Conciliatorem idem non potest agere, & pati secundum idem, & eandem partem, in eadem contrarietate, verbi gratia, secundum calidum, & frigidum, humidum, vel siccum.

Sed contra supradictā opinionem pono hāc conclusionem. Datur repassio secundum eandem contrarietatem, secundum idem, & eandem partem. Probatur primo auctoritate Aristot. 4. de generat. animalium cap. 3. vbi dicit esse necessarium, quod calefacit frigefieri, & quod præmit, præmi.

Secundo probatur experientia, quia data aqua calida, si ei infundatur frigida, tepescit secundum omnem partem.

Tertio probatur ratione. In mixtione duæ qualitates non manent in summo, quia sic non venirent ad mixtionem. At hoc asserit opinio Conciliatoris. Ergo non est sustinenda. Maior probatur, quia secundum Conciliatorem, quia si calor tantum ageret, & non repateretur à frigiditate staret in summo, cum non patiatur nisi à contrario. Et ita siccitas esset summa, quia nō retardaretur, & modificaretur ab humiditate.

Sed respondet Calcul. esse vtique repassionem, secundum eandem contrarietatem, sed non secundum idem, itaut quod agit, etiam patiatur. Sed cōtra eum primo stat Aristot. 3. Phys. tex. 8. vbi dicit agens repati, quia est in actu, & in potentia, prout est in actu agit, & prout est in potentia patitur. Agens autem secundum eandem partem non est tantum in actu, sed etiam in potentia. Ergo pro hac parte patitur.

Secundo. Demus aquam vniformiter calidam, & demus aliam aquam vniformiter frigidam, frigida misceatur calidæ, quis non sentit tunc omnem illam aquam fieri tepidam?

tepidam? Est enim tota tepida, & secundum omnem partem æqualiter.

Tertio. Sic non esset mixtio, quia agens agendo secundum aliquas partes tantum, & secundum alias tantum patiendo, secundum motum staret in sua virtute, & sic non venirent ad mixtionem totalem, & nõ fieret vna mixtio simpliciter, & vnum mixtum tantum.

Secunda igitur successit opinio cuiusdã Henrisberi apud Toletum 1. de generat. cap. 7. quæst. 15. Hic admittit inter vniformia etiam esse reactionem, sed à proportione maioris semper, vnde admittit hæc opinio, quod idem agit, & repatitur, sed non secundum totum id, secũdum quod agit, vel si secundum totum repatitur, affirmat tamen, quod nõ solum ab eo repatitur, in quod agit. Nam dat exemplum sit A, vniforme calidum, vt quatuor, & sit B, frigidum, vt tria, dicit, quod A, agit in totum B, quia est eo fortius, at B, reagit in particulam A, quia fortius est frigidũ, vt tria simul, ob multitudinem materiæ, quam sit vna particula ipsius A. Agit ergo (secundum istum) A, secundum totũ, sed repatitur secundum partem.

Sed supradicta opinio eadem facilitate qua prima reijcitur. Patet enim, quod si ferrũ ignitum, & candens, in aquam infundatur, totum in aquam agit, & totum repatitur, quia totum infrigidatur, vnde dicendum secũdum omnes partes esse reactionem, & repassionem. Secundo. Arist. tenet primo de gener. vnum elementum agere in aliud, cum repassione secũdum totum. Ergo erit secundum omnes partes, quia partes includuntur in toto, & non est totum sine omnibus partibus.

Tertia etiam opinio eadẽ facilitate tollitur. Dicit enim reactionem esse inter tota, & secundum easdem partes, & in eadẽ contrarietate, sed nõ per se, sed per accidens. Non inquam per se s. à suo immediato cõtrario, vt verbi gratia, calidum patiatur à frigido, humidum à sicco, sed per accidens, quia s. est coniunctum alteri in subiecto, verbi gratia, calor ignis non corrumpitur in ignito à frigiditate, quæ est ei per se contraria, sed patitur ab humido desiccante siccitatem ignis, & ita humidũ aeris destruitur à frigido corrumpente ipsius calorem, sed per accidens.

Hæc enim opinio non potest stare contradicente experientia ipsa. Nam coniungamus simul aquam frigidã, & calidam videmus, quod mutuo hæ duæ aquæ agunt, & patiuntur secundum eandem contrarietatem frigiditatis, & caliditatis, nã in humiditate cõueniunt, quoniam vtraque est humida, data enim quod esset etiã aliqua siccitas in calida, quæ non est nisi initiatiue, tamen ista est parua, & per accidens, adeo vt nõ possit facere passionẽ in calore. Hoc idem cernitur in pomo frigido, á manu calida compresso, tunc enim est repassio secundum eãdem cõtrarietatem. Quis enim dicet, ideo pomum destruere caliditatem manus, quia destruit humiditatem, & manus destruit frigiditatẽ pomi, quia destruit siccitatem ipsius?

Secundo. Demus ignem in aquam agere ex calefaciendo, si calor repatitur per accidens, erit ab humido aquæ per se agente in siccum ignis, hoc dato, sequitur ignem non recipere frigiditatem, sed solam humiditatem, quia humidum non producit nisi humidum, hoc autem est falsum, quia calor inuenit resistentiam frigiditatis aquæ, quam non faciet calidam, nisi eam expellat. Tertio. Sic contrarium per se non ageret in contrarium, & inueniret sibi contrarium per se sibi nõ repugnare.

Quarta igitur sententia fere communis est Marsilij de generat. quæst. 19. Alberti de Saxonia quæst. 16. Pauli Veneti in summa cap. 25. Caietani Thien. tractatu de reactione, Toleti quæst. 15. & Bannes 1. de generat. quod agens agendo repatitur secundum eandem contrarietatem, & partes, & per se.

Quarto. Ergo notandum venit, quod actio dicit victoriam supra virtutem passi, vnde agere contrarij in contrarium, est eius virtutem superare, & eius resistentiam, & repugnãtiam subducere. Triplex autem in subiecto potest dari resistentia. Prima dicitur negatiua, & hæc nõ est nisi inaptitudo ad recipiendam formam agentis, quo pacto dicimus cælũ esse incapax, & resistens omnibus qualitatibus alterantibus, quia non est calefactibile, infrigidabile, &c. Secũda dicitur priuatiua, & passiua, quia tantum patiens suscipit actionẽ, & non resistit agenti aliqua actione ei cõtraria, sed tantum se ei reddit difficilem ad recipiendam eius actionem, vt columna sua duritie dicitur resistere frangenti, & eam

& eam impellere volenti. Tertia dicitur contraria, quoniam per qualitates contrarias resistit agenti, quoniam si agens intendit in subiectum inducere caliditatem, ei resistit per frigiditatem, & si humiditatem, ei contradicit per siccitatem, & de hac resistentia proprie est hic sermo, quoniam illa pullulat ex contrarijs qualitatibus, sibi adinuicem contradicentibus.

Quinto tamen notandum est, quod resistentia contraria, idest, per qualitates contrarias duplex est. Prima dicitur actiua, quia est per qualitates actiuas extenuantes, & debilitantes contrarium sibi, & contradictorium, eiusque actionem impedientes. Secunda dicitur passiua, quia multum resistit actioni, & quantum est ex se eam impedit. Ita duæ resistentiæ differunt. Primo, quia resistentia actiua non est maior quam actiuitas qualitatis per quam resistit. Passiua verò non est æqualis actiuitati, sed quo res est maioris actiuitatis, eo est minoris resistentię, & quanto minoris est actiuitatis, tanto maioris est resistentiæ. Secundo, quia variant consequenter actionem, & resistentiam elementorum. Nam si qualitates elementorum considerentur, quo ad actiuitatem; calor primum tenet locum, post hunc frigiditas, deinde humiditas, & tandem siccitas. At si resistentias passiuas inspiciamus econtra est. Nam ignis de facili corrumpitur, & deinde frigiditas, postea humiditas, & tandem siccitas. In expellendis igitur qualitatibus, difficillime expellitur siccitas, difficiliter enim terrę, verbi gratia siccitas corrumpitur, & magis quã humiditas aquæ, vt patet in fornace, vbi multo tẽpore siccitas perseuerat, & humiditas, cito tollitur. Et humiditas difficilius expellitur, quam frigiditas, cito enim aqua calefit, sed cum difficultate resoluitur.

Sexto igitur notandæ veniunt diuersæ causæ resistentiæ passiuæ. Primo enim resistentia potest prouenire ex ipsamet natura qualitatis, quæ hoc sibi arrogat, vt cum difficultate remoueatur à subiecto, nam facilius aqua extinguit ignem, quam ignis eam calefaciat. Secundo prouenit ex maiori intensione, & radicatione in subiecto, quia quæ intensius radicantur, difficilius remouentur, vt magna humiditas, quã parua siccitas. Tertio oritur ex densitate subiecti, durius resistẽte contrariæ qualitati, vt patet in lapide, qui difficilius ignitur, quam humectetur. In his omnibus igitur est ponderandum. Si maior est actiuitas passi, quam resistentia agentis, vel non. Nam si est, erit reactio, & repassio, si non, neutiquam.

Secundo ergo loco principali ponitur hæc conclusio. Inter agens, & patiens est vera reactio, & repassio. Antequam hæc conclusio probetur ipsam intellige, vt etiam notauimus. Primo, secundum eandem contrarietatem, in diuersis enim clarius est. Secundo, secundum easdem partes, nam secundum diuersas non est ardum saluare. Tertio per se, equidem per accidens fere constat. Quarto valet in communicantibus tantum in eadem materia, quia vt diximus angeli, & cæli in hęc inferiora operantes, non repatiuntur ab istis. Et aurum, & margaritæ parum patiuntur, quia retinent de cæleste. Quinto, si agat per qualitates contrarias, nam obiectum agit in potentiam, vt calor in visum, & non patitur à visu, & sensus externi in internos operantur, & tamen externi ab internis non patiuntur, quia non agunt, & patiuntur per qualitates contrarias. Sexto, si sint in eadem sphera actiuitatis, quia agentia finita non agunt nisi per spacium determinatum. Septimo, si agens, & patiens sint immediata, & coniungantur. Potest enim passum quandoque distare ab agente, & pati, & reagere, sed hoc vniuersaliter non est verum, sicut est quando passum est immediatum agenti, vnde ignis non repatitur à piscibus, in Lebete coctis, quia nõ sunt immediatum passum, sed aqua. Octauo, aliquo modo saltem, vnde etiam ignis repatitur à frigido, per remissionem caloris, & si nõ per substractionem maioris caliditatis, quam sit ipsa frigiditas.

Probatur ergo conclusio. Primo. Dum vnum contrarium in aliud agit, aut resistẽtiam experitur, aut non. Secundum non est dicendũ, cum experientia probet contrarium. Si primum, clarum est contrarium agere per qualitatem contrariã. Ergo resistendo reagit in suum contrarium, agens in ipsum.

Secundo. Si patiens non reageret, esset tantum passiuum, & nullo modo actiuum. At hoc est falsum, constat enim contrarium debilitare, & eneruare vires sui contrarij,

vt patet dum ad esse remissum prius veniunt. Ergo &c.

Tertio. Probatur multis experientijs. Nam ferrum ignitum in aqua frigida iniectum frigescit, & aqua calescit. Item glacies in manu posita liquescit, & manū infrigidat. Item duo gladij se percutientes hebetantur, vel franguntur, & vasa si se adinuicem percutiant, franguntur, & gutta supra carbones ardentes iacta carbones extinguit, & ipsa in vaporem vertitur, & si vnum corpus densum supra aliud cadat, condensantur.

Quarto. Probatur ex inconuenientibus, quæ procederent si non esset reactio, & repassio. Primo enim non fieret mixtio, quia mixtio fit ex multis agentibus alteratis, & ad concordiam redactis. Ergo prius pugnantibus. Secundo, quia sequeretur actiuum non esse actiuum. Si enim vnum contrarium agit in alterum, vt in sibi repugnans per qualitatem actiuam, necesse est confiteri reactionem, & repassionem. Arist. enim in prædicamentis posuit potentiam resistiuam inter qualitates actiuas. Dixit enim. Vt durum est potentia actiua, quia potest resistere.

Ad primum dicitur, quod sunt inæqualis virtutis. Ad probationem in contrarium, quod actio semper dicit victoriam, & maioritatem supra passum respondemus. Primò hoc esse verum, quo ad finalem, & terminatiuam victoriam, quia si calidum vt octo agat in frigidum vt duo, quamuis calidum dum incipit agere in frigidum repatiatur aliquo modo, tamen eius repassio est coniuncta actioni fortiori, quia continuo frangit, & suppetrat illam frigiditatem, vt tandem illam tollat. Valet ergo de victoria terminatiua, non vero de omnimoda, ita vt nullo modo contrariū debilius dicatur non agere. Secundo dicitur, quod contrarium fortius bifariam considerari potest. Primo, vt est in actu, & sic agit, verbi gratia, vt calidū, vt octo agit in frigidum, vt duo. Secundo, vt est in potentia ad remissionem, & refractionem horum octo graduum caloris. Primo modo dicitur agens. Secundo vero modo dicitur etiam pati à debiliori, quod & si non possit illud superare in totum, potest tamē ipsum ad aliquod esse remissum deducere, antequam omnino illud tollat. Tertio dicitur, quod non omnis actio est à proportione maioris quomodolibet, sed vt est actio formaliter, vnde reactio frigidi in calidum, vt est actio est maioris, & vt est reactio resistiua maiori dicatur passio.

Ad secundum negatur minor. Ad probationem dicitur, quod passum potest pati, & reagere, & secundum totum, & secundum plures partes, & secundum vnā tantum, sed notandum est semper, quod dum pars illa patitur, resistit actioni, & sic reagit, vnde refrangit aliquo modo vim agentis. Sufficit ergo, quod passum reagens minus forte, quam agens inueniat aliquam potentialitatem in illo suo contrario agente, quia tunc simul, & in eodem tempore fit reactio secundum candē partē, nam arguere de diuersis est inutile, & non deductum sub disputatione, vt clarum. Vide alias multas solutiones inutiles apud alios.

Ad tertium aliqui dicunt, quod solum passum reagit, quando est immediatum, & non agit per medium, vt per aerem, vt argumentum assumit: Sed quamuis hoc sit verum, vt plurimū, tamen falsum est semper hoc esse; quia vt diximus sufficit esse in sphera actiuitatis, etiam si distet, suscipit enim virtutē debilius, sed eam tamen sentit. Alij dicunt non esse inconueniens medium moueri motibus contrarijs, verbi gratia, aerem, quando contraria, verbi gratia, ignis, & aqua ipsum superant in proprijs qualitatibus, quia potest reduci ad esse remissum. Hæc responsio non placet Dominico Bannes: Primo (vt dicit) quia est contra Arist. 5 Phys. non admittentem idem mobile moueri duobus motibus contrarijs. Secundo, quia si aer simul calescit, & frigescit: Ergo nunc est frigidior, quā immediate ante hoc instans erat. Rursus si calescit, ergo nunc est calidior, quā antea fuerit, & sic erit calidior, & frigidior respectu sui. Respondet ergo ipse, quod secundum aliquas partes calefaciet ignis, & secundum alias frigefaciet aqua, & istæ partes agent adinuicem, & venient ad temperamentum medium, & deinde virtus fortior tendet ad destruendum suum contrarium, vnde idem non erit frigidior, & calidior secundum idem, sed secundū diuersa. Sed & dicitur, quod medium potest moueri motibus contrarijs, non eadem motione, & formaliter, vt intellexit

intellexit Arist. sed diuersa,& fere materialiter, nam secundum vnum fit cum eo actiuum,ideſt,cum fortiori, & secundum aliud fit paſſiuū.ſ.cum debiliori. Non poteſt ergo idem habere duo contraria in summo, & æqualiter, at inæqualiter, & secundum diuerſitatem virtutum non in quiete, sed in motu, & transmutatione vtique.

Ad quartū Marſilius,& Albertus de Saxonia dicūt,quod ceſſante reactione cōtrarium se reducit ad gradum priſtinum, ſicut ceſſante caliditate, vt quatuor, aqua se reducit ad propriam frigiditatem, quæ supponatur vt decem,quia tunc non habet reſiſtiuum, vnde quaſi victor redit ad propriam qualitatem, quam prius habebat. At nos dicimus hoc euenire à generante, quod reducit elementū genitum ad propriam naturā, vel tribuit virtutem transmutandi aliud minus forte in propriam naturam.

Ad quintum dicimus nos loqui in alterabilibus, vbi eſt reſiſtentia, & contradictio qualitatum, non ſic in motu locali.

QVÆSTIO XXVII.

Vtrum in rarefactione acquiratur noua quantitas.

Videtur quod ſic. Primo. Nam dum res mouetur de condenſatione ad rarefactionem, vel econtra, tunc mouetur de termino à quo ad terminum ad quem. At impoſſibile eſt eſſe ſimul terminū à quo, & ad quem,cum ſint incompoſſibiles. Ergo pariter non poterit eſſe eadem quantitas, quæ erat in termino à quo,cum illa quæ erit in termino ad quem.

Secundo. Quantitas in potentia diſtinguitur à quantitate in actu, ſicut roſa in potentia à roſa in actu. Sed per Ariſtot.4. Phyſ.tex.84. condenſatio nō fit, niſi quia magna dimenſio, quæ erat in potentia fit actu. Ergo &c.

Tertio. Quantitas eadem non ſuſcipit magis,& minus per Ariſt.in prædicamentis. Ergo non erit eadem quantitas ſub rarefactione, & condenſatione, quia rarefactio, & condenſatio ſunt maior quantitas,& minor.

Quarto. Idem non poteſt eſſe in diuerſis ſpeciebus,niſi eius natura mutetur, vt homo non poteſt eſſe in ſpecie hominis, & Leonis,niſi mutaretur in Leonē. At quantitas denſa poterit eſſe bicubita, & rarefacta tricubita,& quinticubita,&c. Ergo non erit eadem quantitas. Minor probatur, quia bicubitum, tricubitum, &c. ſunt ſpecies quantitatis.

Quinto. Diuerſæ paſſiones arguunt diuerſitatem naturarum, vt patet. Sed quantitas dēſa habet alias paſſiones rarefacta, habent enim diuerſas figuras,& actiones. Ergo &c.

Sexto. In rarefactione noua pars extenſionis acquiritur. Aut ergo hæc pars eſt in tota materia,aut in aliqua eius parte. Sed quocunque dato ſequitur duas extenſiones eſſe in eadem quantitate. Hoc autem implicat, ſicut implicat duas qualitates eſſe in eodem ſubiecto. Ergo &c.

Septimo. Extenſio dicitur ratio formalis quantitatis. Ergo ſi habet maiorem extenſionem, ratio formalis quantitatis ſuſcipit magis, & minus, quod eſt falſum, quia ſpecies rerum ſunt ſicut numeri, per Ariſtot.8.Metaphyſ.

Pro intelligentia,& reſolutione huius quæſtionis. Primò notandum venit cum Ariſtot.4.Phyſ.tex.84.& 7.tex 15.& S.D.p.p. quæſt.92.art.3. ad 1.Caiet. ibid. & q.119. art.1. Rarum illud dicitur,quod ſub maioribus dimenſionibus parū continet materiæ, & denſum econuerſo illud eſt, quod ſub paruis dimenſionibus multum continet materiæ, verbi gratia, flamma dicitur rara, quia minus habet de materia quam lapis, dato quod ſint eiuſdem menſuræ, verbi gratia,digitalis. Materia autem denſa fieri poteſt rara,vt aqua aer,& rara dēſa, vt aer aqua, & quando hoc fit non fit niſi cum aliquo motu, & tranſitu de termino à quo,ad terminatum ad quem, vnde videndū eſt prius ſub quo genere contineantur motus, rarefactio, & condenſatio.ſ. an ſub genere motus localis, aut augmenti, & decrementi, vel alterationis, tria enim iſta ſunt genera motus ſecundum ea,quæ tradit Ariſt.5. Phyſ.

Secundo. Ergo notandum eſt, Albertum de Saxonia 4. Phyſ. tenuiſſe rarefactionem eſſe elongationem, partium,& condenſationem appropinquationem partiū, quæ elongatio, & approximatio ſunt termini motus localis, & conſequenter cenſuit ſpectare ad motum localem. Hoc autem

tem falsum est, quia cũ sit motus in quantitate non poterit per se, & directe spectare ad motum localem. Burleus ergo 4. Phys. dixit per condensationem, & rarefactionem non acquiri aliquod absolutũ, sed solum nouos respectus. s. maioritatis, & minoritatis, quantitatis. Sed & hoc falsum est, quoniam per Phil. 5. Phys. nullus motus per se primo terminatur ad relationem. Hinc Marsilius 1. de gener. q. 15. voluit rarefactionem, & condensationem esse motus nõ ad qualitatem proprie, sed ad quantitatem, & aliquo modo ad quartam speciem qualitatis, idest, quo ad situm partium, & elongationem per raritatem, quare sic eas posuit in quarta specie qualitatis. Magister verò Soto 5. Phys. q. 1. ad 7. videtur eas reducere, ad augmentationem. His autem obstat S. D. cum Caiet. 3. p. q. 77. art. 5. circa finem. 1. d. 17. q. 2. art. 1. & de generat. lib. 1. lect. 13. tenet enim expresse condensationem, & rarefactionem per se primo terminari ad alterationem.

Tertio igitur notandum venit, quod in rarefactione tria inueniuntur, & ita dic proportionaliter in condensatione. Primũ est maior raritas, in rarefactione, & maior densitas in condensatione. Secundum est maior extensio partium in rarefactione, & minor in condensatione. Tertium est maior occupatio loci in rarefactione, & minor in condensatione. Ista autem ordine quodam conueniunt raro, & denso. Nam in raro primum, quod postulatur est raritas, scilicet, quod rarum terminetur ad raritatem, & in denso, quod rarum ad densitatem veniat. Raritas autem, & densitas sunt qualitates tertiæ speciei. Rarefactio enim est alteratio, & ita condensatio. Raritas ergo, & densitas sunt primi termini motus rarefactionis, & condensationis. At ad hos motus duo consequuntur, scilicet maior extensio partium, & occupatio maioris loci in rarefactione, & minor extensio partium, & loci occupatio in condensatione. Vnde sicut per albefactionem primo acquiritur albedo, secundario vero similitudo, ita etiam per alterationem rarefactionis primo acquiritur raritas, & deinde consecutiue maior extensio, & occupatio loci. Non erit igitur rarefactio augmentatio, neque condensatio decretio, sed erit per se alteratio, nam augmentatio, non ad qualitatem, sed ad quantitatem terminatur.

Quarto. Vlterius igitur progrediendum est, & videndum, an dum fit rarefactio noua quantitas acquiratur, an vero tantũ prior extendatur. In qua difficultate sunt plures opiniones. Quidam enim hoc affirmant, vt Marsilius qui dicit in rarefactione nouam quantitatem acquiri, à præcedenti distinctam, ita vt tota præcedens corrumpatur, & noua generetur. Scotus 4. distinct. 12. quæst. 3. id affirmat, sed non cum hoc, quod tota præcedens corrumpatur, & noua totaliter generetur, sed solum quo ad aliquam partem, quia omnis motus terminatur ad aliquid, quod prius non fuit, vnde illa noua pars quantitatis facit corpus extensius, sicut nouus gradus caloris facit subiectũ calidius. Ex opposito alij tenent nullam quantitatem acquiri, nec quo ad totum, nec quo ad partem, nec præcedentem deperdi, sed in explicatione variant. Nam nominales affirmant in rarefactione quantitatem acquirere solum extensionem, quia mouetur localiter ad maiorem distantiam. Al Cap. 2. distinct. 18. quæst 2. concl. 4. & in solutionibus argumentorum defendit quantitatem primam per rarefactionem solũ extendi, eo modo quo qualitas per nouũ gradum in subiecto intenditur. Hanc sententiam habuit expresse. S.D. 1. 2. quæst. 52. art. 2. ad 1. vbi dicit quod in magnitudine corporali augmentum contingit dupliciter. Primo, per additionem subiecti ad subiectum, sicut est in augmento viuentium. Secundo, per solam (litera vitiata dicit intentionem, & debet legi extensionem) sine omni additione, vt fit in rarefactione. Hoc idem repetit. 2. 2. quæst. 24. artic. 5. ad 1. Eandem recipit Soto 4. Phys. quæst. 2. Caietan. 2. 2. quæst. 24. artic. 6. Soncinas 7. Metaphys. quæst. 27. Bannes 1. de generat. ad finem capr. quinti. Dicendum est ergo, quod illa quantitas, quæ in rarefactione acquiritur, non est alia secundum rem, sed tantum secundum modum, & ad hunc sufficit esse motum.

Prima ergo conclusio est. Condensatio, & rarefactio sunt possibiles. Probatur. Quæ habent vnam materiam, sunt adinuicem transmutabilia, si sint contraria, ex 10. diuinorum 4. Physic. à tex. 84. vsque ad 89. Sed rarum, & densum sunt contraria, quæ

non

non possunt esse simul, successiue vtique in eadem materia, vt patet, dum ex denso fit rarum, vel ex raro densum. Ergo sunt possibiles, scilicet rarefactio, & condensatio.

Secunda conclusio. Dum densum fit rarum, vel rarū densum non variatur quantitas, sed tantum modus. Probatur. Primo auctoritate Arist. 4. Phys. tex. 84. vbi expresse, ait, quod sicut ex calido fit magis calidum nullo nouocalido addito in materia, quod non esset calidum; sic magnitudo, & paruitas sensibilis corporis extenditur, non accipiente aliquid de nouo materia. Vide D. Thomam ibi.

Secundo. Vel illa noua quantitas aduersariorum est in aliqua parte subiecti, vbi prius quantitas erat, vel vbi non, vel in aliqua parte subiecti, quæ simul producitur cum noua quantitate. Primum non potest esse, quia duo accidentia solo numero differentia non possunt esse in eodē subiecto, & quia sic essent duæ quantitates in eodem loco penetratiue. Nec secundum dici potest, quia nulla pars substātiæ potest esse naturaliter sine quātitate. Nec tertium, quia dum ignis rarefacit ceram, ceram non producit, alias augeret illam, quod deprehenditur falsum.

Tertio. Sicut se habet qualitas in intensione, sic se habet quantitas in extensione proportionaliter. Sed in intēsione eadem qualitas est terminus à quo, & ad quem, secundum substantiam, differens solum secundum gradum, & modum. Ergo hoc idem erit dicendum de quantitate sub extensione.

Ad primum dicitur ad minorem, impossibile esse idem esse in termino à quo, & ad quē secundum rem, & secundum modum, non vero secundum diuersos modos, vt diximus supra euenire in rarefactione, & condensatione. Rarefactio enim dat quantitati modum maioris extensionis, & condensatio minoris extensionis.

Ad secundum dicimus, quod idem in potentia distinguatur secundum rem à seipso in actu potest dupliciter intelligi. Primo, quando res est in potentia essentiali, & hoc potest esse. Secundo, quando est in potentia accidentali secundum maiorem, vel minorem intensionem, vel extensionem, & sic sufficit, quod causet tantum distinctionem, & varietatem secundum modum.

Ad tertium negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod suscipere magis, & minus est perfectiori modo radicari in subiecto, & sic suam perfectionem augere, vt fit in intensione eiusdem formæ, hoc autem non accidit, dum quantitas extenditur, nam ex vi extensionis non acquirit maiorem perfectionem. Secundo dicitur, quod suscipere magis, & minus proprie est intendi, & remitti, hoc autem negat Arist. de quantitate, quia est propriū qualitatis, non tamen negat, quod quantitas suscipiat maius, & minus, idest, extensionem maiorem, & minorem.

Ad quartum dicitur, quod bicubitum, tricubitum, &c. dupliciter cōsiderari possunt. Primo, vt sunt mensuræ diuersarum quātitatum. Secundo, vt per accidens accidūt eidem rei secundum diuisionem, vel extensionem. Primo modo dicuntur diuersæ species. Secundo modo nequaquam, & ita est in proposito nostro. Secūdo dicitur, quod mathematice sunt diuersæ species. Physice verò possunt vni rei conuenire, variato solum eius modo, vt in proposito nostro.

Ad quintum dicitur, quod valet de diuersis passionibus determinatū esse concomitantibus, non autem sic est, in figura. Necesse est enim quantum esse figuratum, sed non hæc vel illa figura, & corpus mixtum esse coloratum, sed non hoc vel illo colore.

Ad sextum dicitur, quod illa extensio adæquate recipitur in toto subiecto. Non autem sunt duæ extensiones secundum rem, sed vna secundum rem, & duplex secundum modum.

Ad septimum dicitur, quod non est maior extensio secundum intensionem, quæ est illa quæ suscipit magis, & minus, sed secundum maiorem dilatationem, quæ facit maius, & minus.

QVAESTIO XXVIII.

Vtrum quatuor primæ qualitates sint formæ substantiales.

Videtur, quod sic. Primo, per Arist. dicentem 2. de generat. quod quatuor primæ qualitates sunt formæ, & principia corporum. At accidens non potest esse principium, & forma corporis. Ergo erunt substantiæ.

Secundo. Idem tex. 24. vocat eas differentias elementorum. At elementa sunt substantiæ, & differunt substantialiter. Ergo per differentias, quæ sunt substantiæ.

Tertio. Elementa substantialiter sunt contraria, per Arist. vt supra tex. 49. At non sunt contraria nisi per suas qualitates. Ergo erunt qualitates substantiales facientes quale quid.

Quarto. Illud dicitur alicui substantiale, quo posito ponitur substantia, & eo ablato aufertur, vt patet in rationalitate, & homine. Sed ablatis qualitatibus ab elementis auferuntur, & positis ponuntur, non enim erit ignis sine calore, & siccitate, nec aqua siue humiditate &c. Ergo erunt &c.

Quinto. Principium motus est naturæ, & natura est substantia, quia non est nisi materia, & forma, quæ sunt substantiæ, per Arist. 2. Phys. Sed qualitates elementorum sunt eorum motuum principia intrinseca. Ergo erunt substantiæ.

In contrarium sunt omnes D. D. excepto Alexandro apud Auerroem dicentem calorem in igne esse eius formam substantialem, & sic humiditatem in aqua, &c.

Conclusio ergo est. Quatuor primæ qualitates elementorum, non sunt eorum formæ substantiales. Probatur. Primo ratione Auerrois 8. Metaphysic. comment. 8. Quod vni est substantia, alteri non potest esse accidens. At hę qualitates mixtis sunt accidentia, vt patet. Ergo elementis non erunt substantiæ.

Secundo. Nulla forma substantialis est per se sensibilis tactu, vt dicitur 2. de Anima, remotis enim omnibus qualitatibus sensibilibus à pomo, substantia pomi non caderet sub aliquo sensu. At quatuor primæ qualitates sunt per se sensibiles, vt probat Arist. 2. cap. 2. de generat. & corrupt. Ergo non sunt substantiæ.

Tertio. Substantia non est contraria substantiæ per Arist. in prædicamentis. At primę qualitates sunt sibi adinuicem contrariæ, & repugnantes. Ergo non sunt formæ substantiales.

Ad primum dicitur, quod corpus dupliciter considerari potest. Primo, vt est substantia composita ex materia, & forma substantiali. Secundo, vt est corpus sensibile, & hoc secundo modo dixit Arist. primas qualitates esse principia corporis sensibilis, vt sensibile est, & esse formas accidentales corpus sensibile qualificantes. Vel dicas, quod vocātur principia nobis nota.

Ad secundum idem dicitur, quod vocantur differentiæ, & formæ elementorum nobis notæ, quia ignoramus intrinsecas eorum differentias, & ita per notiores explicamus.

Ad tertium dicitur ad maiorem, quod elementa, non sunt contraria immediate secundum proprias substantias, sed mediate, idest mediantibus eorum qualitatibus.

Ad quartum negatur maior, quia etiam propriæ passiones inseparabiliter inhętēt sub stantiæ suæ propriæ.

Ad quintum dicitur, quod principium motus duplex est. Primum dicitur primum, & principale, & hoc est substantia. Secundum dicitur instrumentale, & secundarium, vt sunt primæ qualitates, & hoc potest esse accidens.

Finis Primæ Partis Vniuersi Elementaris.

SECVNDA PARS VNIVERSI ELEMENTARIS.

In qua abundantius, ac locupletius natura Elementorum, qualitatum ipsorum, & concomitantium, consequentiumque explicatur.

QVÆSTIO PRIMA.

An elementum sit nominabile, & definibile recte.



Idetur quod non. Primo. Aristot. 1. Phys. vocat priuationem elementum. At priuationi non conuenit componere mixtum, vt attribuitur elemento.

Secundo. Idem de generat. 2. tex. 3. & 16. vocat quatuor qualitates elementa. Hoc autem falsum est, cum dicantur qualitates.

Tertio. Elementum est quasi alimentum. At alimentum est substantia, quæ conuertitur in substantiam aliti.

Quarto. Per Aristot. 10. diuinorum, tex 2. nomen elementi non est absolutum, sed relatiuum, quia dicitur mixti elementũ. At nomen relatiuum non conuenit substantiæ, vt ponitur elementum. Ergo de eius nomine non habemus aliquod certũ.

In contrarium est Arist. multis in locis cum omnibus Philosophis.

Pro declaratione huius dubij. Primo notandum venit, quod elementum tripliciter considerari potest. Primo, in genere. Secundo, vt elementum mundi. Tertio, vt elementum mixti. Primo modo consideratur, dum in sua absoluta ratione inspicitur, vnde sic debet habere tres conditiones. Prima, vt ex eo intrinsece res constituatur. Dixit enim Arist. 5. Metaphys. tex. 3. & 3. cæli, tex. 31. Elementum est ex quo res ipsa componitur, siue quod inest. Secunda, quod sit primum, sic enim affirmauit Arist. 5. Metaphys. tex. 4. dũ ait. Id cuiusque est elementum, quod primum vnicuique inest. Tertia est, quod sit eiusdem generis, cum eo cuius est elementũ. Sic dixit Auerroes 12. Metaphys. com. 20. Elementum, & id cuius est elementum, sunt eiusdem naturæ. Et idem asseruit Aristot. tex. 19. dicendo. Elementa substantiæ, sunt substantia, & relationis relatio, idest, ad idem prædicamentum spectant cum eo cuius sunt elementa.

Diximus secundo modo sumi elementum pro elemento mũdi, & ita cælum dictum est elementum, ab Aristot. 1. cæli, tex. 31. quia elementum est id, ex quo res ipsa componitur, vniuersum autem constituitur ex cælo, & inferioribus, & ex cælo tãquam ex primo omnium corporum. Hoc autem elementum exigit. Primo, vt sit primum, & simplex inter corpora, & ex nullo alio corpore conflatum. Secundo, vt determinatum situm supernum in vniuerso obtineat, cum vniuersum sit quoddam vnum ordine. Tertio, vt influat, & agat in inferiora, quia nõ venit in eorum compositione entitate, sed virtute. Tertio modo accipitur elementum pro elemento mixti, & sic quatuor corpora simplicia, ignis, aer, aqua, & terra vocata sunt elementa. Ista autem debent inter corpora mortalia esse prima, apta seorsum existere, duplici prima qualitate prędita, per quas qualitates adinuicem agant, & patiantur, & misceantur. Elementa enim mundum hunc inferiorem constituunt, sui conseruatione illum seruant, suaque partium ordinata vicissitudine propagãt, innumeras varietates causant, sui cõtemplatione mentem alliciunt, ac in primam causam rapiunt, cetera cuncta suo splendore collustrant, ac vim naturæ præcipue patefaciunt.

Secundo notandum venit, quod elementum multis descriptionibus fuit explicatum. Nam Arist. 3. celi, tex. 31. sic ipsum describit. Elementum est id corporum, in quod alia corpora diuiduntur, inexistens potentia, vel actu, quod diuidi nequit in partes distinctæ speciei.

Pro explicatione autem huius definitionis sciendum est, quod elementum diuiditur in elementum actu, & potestate. Actu dicitur elementum, dum actu rem, idest mixtum constituit. Potestate, dum ad compositionem ordinatur. In diffinitione ponitur elementum in actu, tunc enim verius est elementum, & sic sumitur elemẽtum in ordine ad mixtum generabile, & corruptibile, cum hoc tamen, quod si inexistit actu, non inexistat potentia. Aliam definitionem dedit elemento Arist. 5. Metaphys. quam suo loco explicuimus, & tu ibi vide. Philo autem Iudeus lib. de vita contemplatiua sic definiuit elemẽtũ. Elementum est inanimis materia, à seipsa immobilis, subiecta opifici suo, à quo transformatur in omnia qualitatum genera. Galenus quoque alteram elementi definitionem non multum ab ea Arist. 5. Metaphys. dedit dicendo. 1. de elem. cap. 1. Elementum est rei particula, sui natura prima, & simplicissima, quæ in alias diuidi non potest.

Tertio memorandum est, quod vt diximus supra. Elementum secundum Isidorum dicitur, quasi hilementum ab hile, quod est omnium corporum materia, vnde difficultas fuit, an materiæ conueniat definitio elementi, an non. Et Scotus quidem censuit definitionem elementi tantũ proprie primæ materiæ conuenire, quoniam ipsa est, ex qua res primo componuntur. At S.D. oppositum sensit, quia ei vltima particula non conuenit, scilicet, quod sit indiuisibilis specie in aliam speciem, cum ipsa sit potentia, & de se nullo actu prædita, ex quo species constituitur, vnde nõ potest dici elemẽtum simpliciter, sed tantum secundum quid. Alij dicebant elementum idem sonare, quod alimentũ, eo quia omnia corpora aluntur elementaribus qualitatibus. Vel secundum alios idem est, quod eleuamentum, ob hoc, quod eleuat mixtum ad naturam elementorum superiorum.

Ad primum ergo dicitur, quod priuatio dicatur elemẽtum bifariam intelligi potest. Primo proprie, & per se, & hoc est falsũ. Secũdo improprie, & reductiue, pro quãto suo modo est principium rerum naturalium, in fieri per se, in facto esse per accidens, & reducitur ad materiam, vt ad terminum à quo incipit generatio, & sic vocata est elementum.

Ad secundum dicitur, quod quandoque explicamus subiectum per formam, vt dum annuimus hominem per rationale, & ignem per ardorem, & quandoque formã per subiectum, dum nominamus rationalitatem per hominem. Quatuor ergo primæ qualitates non dicuntur formaliter elementa, sed elementares qualitates, subiectiue vero appellantur elementa, quia subiectantur in quatuor corporibus simplicibus, vt in suis adæquatis subiectis.

Ad tertium dicitur, quod elementum proprie non dicitur alimentum, sed primum ex quo mixtum fit, improprie autem, & translatiue dicitur alimentum, ratione superius tacta.

Ad quartum dicitur, quod elementum multipliciter consideratur. Primo, vt dicitur elementum actu, vel potestate, vt supra. Secundo, vt dicitur absolute. s. vt est primum simplex corpus, & non compositũ, idest mixtum, & comparatiue, prout syllabæ dicuntur elementa dictionum, carnes, ossa, & nerui elementa membrorum. Tertio, vt dicitur tantum compositionis, vt sunt materia, & forma, vel compositionis, & mixtionis, vt quatuor corpora simplicia, vel ordinis, vt cælum, & inferiora. Elementum ergo dupliciter considerari potest. Primo, secundum se, & sic est quædam substantia simplex, idest, non mixta, absoluta, & non relatiua. Secundo, in ordine ad aliud, & secundario, inquantum venit in compositionem omnium mixtorum, & sic dicitur relatiue. Vel dicas quod per se est quoddam absolutum, & connotatiue respectiuum.

QVÆSTIO II.

An omnia elementa sint nota, & nominata.

Videtur quod non. Nam notum, & manifestum à nullo negatur, nec circa ipsum dubitatur. Sed quod ignis, aer, aqua, & terra sint elementa sola ab antiquis quibus-

quibusdam non fuit concessum,& ab alijs multum de his fuit dubitatum. Ergo non sunt nota elementa, &c.

Maior est nota. Minor probatur. Etenim Democritus, Leucippus, & Epicurus negauerunt illa esse elementa, & dixerunt ea fieri ex prioribus corporibus, nempe ex Atomis. Et Anaximander ea ex alio corpore fieri censuit. Anaxagoras non hæc, sed cuncta corpora similium partium elementa dixit. Alij vero quædam eorum elementa esse concesserunt, alia vero negauerunt. Nam Thales solum elementum aquam fecit, Diogenes aerem, Heraclitus ignem, Hesiodus terram.

Secundo. Elementum est corpus simplex, figuræ expers, colorum, saporum, & odorum orbatum. At nullum est tale corpus in vniuerso, quæ enim à nobis dicuntur elementa figurata sunt, colorata, & sapida, vt testis est visus. Ergo &c.

Tertio. De ratione elementi, per Aristot. 5. Metaphys. est, quod sit primum. At vnum tantum est primum, idest cælum inter corpora. Ergo, vel vnum tantum erit elementum .i. cælum, vel falsa est definitio elementi.

Quarto. De ratione elementi, est tantũ vno motu sursum, vel deorsũ moueri. At aer, & aqua sæpe duplici motu mouent. Ergo.

Quoniam quatuor esse tantum elementa supra probauimus, ideo breuiter me expediam ab hac difficultate, recolligendo quæ ab alijs dicta fuere. Sed primo notandum venit, aliud esse, quod sit notum esse quatuor ista corpora in vniuerso, scilicet ignis, aer, aqua, & terra, & aliud quod constet esse elementa, & eis conuenire conditiones elementorum. De primo nulla est difficultas, sensus enim nos docet, vnde solum dubitatio est circa secundum. Ideo dixit Galenus 1. de elementis, cap. 6. differens contra Atheneum, constare quidem quatuor corpora ignem, aerem, aquam, & terram esse, & esse substantias, sed non constare ea esse elementa, nam elementa debent esse prima corpora, simplicia, & ex eis omnia fieri, quæ pariunt difficultates.

Secundo igitur dicendum venit, quod bifariam possumus intelligere esse notum, quod dentur quatuor elemẽta, & ista sint ignis, aer, aqua, & terra. Primo, notitia sensitiua, idest sensu, & sic cõstat esse corpora, sed non constat esse elementa, vt dixit Galenus. Secundo, notitia intellectiua ex ratione, & effectibus deducta, & sic intelligitur.

Tertio. Ergo recollige multipliciter probari, quod dentur quatuor elementa. Primo hoc probat Arist. 2. de cælo, tex. 18. & 19. ex constitutione mundi sic. Si vnum contrariorum est in rerum natura, oportet & reliquum reperiri. At reperitur ignis, ergo, & aqua ei contraria. Si terra, ergo, & aer, quoniam ista per qualitates alterantes opponuntur. Circa terram autem voluitur cælum. Ergo ad constitutionem mundi sunt necessaria cælũ, ignis, aer, aqua, & terra. Ergo erunt elementa mundi, quoniam mundus ex his constituitur.

Secundo. Hoc idem probat Aristot. 4. cæli, tex. 36. & 37. ex ordine vniuersi sic. Vbi sunt corpora extrema diuersis motibus mobilia, ibi oportet esse, & media, vnum, vel plura secundum exigentiam rei. At dantur duo corpora extrema, terra deorsum, & ignis sursum, mobilia diuersimode, terra sua grauitate deorsum, & ignis sua leuitate sursum. Ergo erunt etiam duo alia corpora media, vnum participans magis de igne cui propinquius est, & ideo mobile sursum, & aliud participans de terra cui vicinius est, & ideo mobile deorsum. Ergo quatuor erunt elementa.

Tertio. Idem hoc probat de gener. & corrupt. ex ordine ad mixtum ita. Quot sunt mixtiones qualitatum elementarium, tot sunt miscibilia elementa. At sunt quatuor mixtiones qualitatum elementariũ. Ergo & miscibilia elementa.

Quarto. Idem probatur ex 2. de gener. & corrupt. tex. 49. & lib. de respiratione sic. Quot sunt mixtiones mixtorum ex imperio qualitatum eorũ deductarum tot eiũt elementa. At hæ mixtiones ex prædominijs qualitatum elementariũ quatuor esse deducuntur, nam quædam sunt terrea vt plantæ, quædam aquea vt pisces, quædam aerea vt aues, & quędam ignea vt scintillæ quæ ex rebus percussis refulgent. Ergo signum est, quod ex his quatuor sunt mixta.

Quinto. Probatur ex 2. cap. 1. Metheororũ. Quia scilicet vnum non debet aliud destruere, & ideo debent contemperari in medio.

Sexto. Hoc deducit experientia Galenus 1. de elementis, cap. 3. sic. Ex his mixta componuntur, in quibus tandem resoluuntur. An mixta resoluuntur in ignem, aerem, aquam, & terram. Ergo illa erunt elementa mixtorum. Probatur minor, nam dum animal moritur, primo spiritus igneus efflatur, mox spiritus aereus dum putrescere incipit, tertio humor fluit, & tandem terra, & cinis superest. Pariter qui nimia purgatione moritur, non ex vnius tantum, sed ex quatuor humorũ, quatuor elementis correspondentium nimia purgatione occumbit. Et cap. 5. dicit in animali esse frigida, & sicca terræ germana, humida, & fluentia aquæ similia, calorem ignem, & spiritum aerem notificantia.

Hoc idem probauerũt Pythagorici, & Academici per numeros, vnde quaternarium numerum plenitudinem animi, & corporis asserebant, & iureiurando esse quatruplicem fontem materiæ testabantur.

Demum alij hoc tentant probare, quia sunt quatuor primæ qualitates necessariæ pro mixtione, quatuor elementis corrispondentes. Sunt quatuor mixtorum principalia temperamenta, quatuor animalium humores, quatuor ætates, quatuor anni tempora, quatuor Zodiaci principalia puncta, Solstitia, & æquinoctia constituentia & quatuor mundi partes principales s. Oriens, Occidens, Auster, & Borreas, &c.

Ad primum patet ex supradictis, dicitur enim primo, quod illi Philosophi non sunt secuti rationem rectam, sed sensum potius. Secundo dicitur, quod aliquid esse notum, secundum Aristot. stat dupliciter. Primo, omnibus. Secundo, sapientibus tantum, qui vere sunt sapientes, & quidem primo modo non fuit notum omnibus esse quatuor elementa, sapientibus vtique, vere sapientibus.

Ad secundum dicimus, quod quæ apud nos in nostro conspectu sunt elementa, non sunt pura, & sincera, sed aliquo modo alijs qualitatibus mixta, & ideo multa sic habent, quibus secundum se carent.

Ad tertium dicitur, quod cælum est primũ corporum absolute, elemẽta in ordine ad mixta ex eis.

Ad quartum dicitur, quod aer, & aqua, & alia elemẽta bifariam considerari possunt. Primo, secundum se, & sic aqua, & terra deorsum mouentur, aer vero, & ignis sursum. Secundo, vt subduntur alicui mouenti, & sic diximus supra multis motibus posse moueri.

QVÆSTIO III.

An grauitas, & leuitas sint formæ elementorum.

Videtur quod sic. Primo. Forma est natura, quæ est principium actiuum motus, per Arist. 2. Phys. At grauitas, & leuitas, in grauibus, & leuibus sunt principia motus sursum, & deorsum. Ergo sunt eorum formæ. Minor est eiusdem Aristot. nã definiens graue, & leue. 1. cæli, tex. 17. & 4. tex. 2. dicit, quod vt sanabile fertur ad sanitatem, quia sanabile, ita graue tendit deorsum, quia graue, & leue sursum, quia leue.

Secundo. Grauitas, & leuitas non sunt sensibiles qualitates, quia solum per motum deprehenduntur. Ergo erunt formæ elementorum.

Tertio. Aristot. prius in libris de cælo egit de grauitate, & leuitate elementorum, & deinde in libris de gener. de primis qualitatibus. Ergo signũ est, quod sicut formæ præcedunt.

Quarto. Prius primis qualitatibus non potest esse nisi substantia. At grauitas, & leuitas sunt priores primis qualitatibus. Ergo. Probatur minor, quia elementa, sunt prius elementa mundi, per grauitatem, & leuitatem, quã sint elemẽta mixti, per qualitates.

Circa præsentem difficultatem inuenio plures opiniones. Prima est Auerrois 4. cæli, com. 1. 3. eiusdem com. 17. & in com. 17 2. de Anima, & com. 108. Hic tenet grauitatem, & leuitatem, vel summas, vel comparatione medias esse naturas, & formas elementorum. Hanc amplexati sunt Auerroistæ.

Sed contra hanc opinionem ponitur ista conclusio. Grauitas, & leuitas non sunt formæ substantiales elementorum. Probatur Primo. Ex Arist. 2. de anima. c. de tactu, & 2. de gener. tex. 6. & 7. Phys. tex. 11. & 15. 2. de partibus animalium, c. 1. & 5. Metaphys. c. de qualitate, in quibus omnibus locis, dilucide affirmat, grauitatem, & leuitatem non esse, nisi affectiones, & passiones mobilium, nõ vero esse eorum formas

mas substantiales. Et pertinere vt qualitates ad sensum tactus, non secus vt calor, & frigus.

Secundo. Grauitas, & leuitas sunt contraria, secundum Arist. 1. cæli. At substantia non est contraria substantiæ, per eundem met in prædicamentis, cap. de substantia. Ergo non sunt formæ substantiales elementorum.

Tertio. Sic omnia grauia essent eiusdem speciei, & omnia leuia, quia non differrent per formas specificas.

Secunda opinio fuit Grecorum, vt Alexand. 1. de Anima, cap. de tactu, & in 2. c. de sensu, & sensili comm. 30. Simplicij. 5 Phys. com. 117. Phys. com. 23. 1. cæli, com. 36. & in prædicamento substantiæ. Philopponi disp. 1. contra Proclum, c. 5. Ammonij in expositione prædicamenti quantitatis. Hi autumant formas elementorum esse qualitates ipsorum, vt caliditatem in igne, humiditatem in aqua, &c. Sed hanc opinionem supra. q. 24. explosimus.

Dicendum igitur venit, quod elementa vere constant ex sua materia, & forma substantiali, quia quod vocentur corpora simplicia dupliciter intelligi potest. Primo, vt actus sine materia, vt sunt intelligentiæ, & Deus maxime, & hoc non affirmamus, cum sine corpora. Secundo, vt corpora non admittentia mixtionem cõtrariarum qualitatum, vt faciunt omnia mixta, & sic dicuntur corpora simplicia, composita tantum ex sua materia, & ex sua forma. Hæc autem forma nos latet, vnde eam proprio nomine exprimere non valemus, sed ex eorum affectionibus exprimere contendimus. Elementa igitur dupliciter considerari possunt. Primo, vt actiua, & passiua in mixto, & sic ea nominamus per suas qualitates; ignem per calorem, & siccitatem; aerem per humiditatem, & caliditatem; aquam per humiditatem, & frigiditatem; & terram per frigiditatem, & siccitatem. Secundo, possunt inspici, vt sunt corpora mobilia, determinatum sitũ in vniuerso sibi vendicantia, & sic ea describimus per grauitatem, & leuitatem, dicendo; ignem, & aerem esse corpora leuia, & sursum tendere; aquam vero, & terram esse corpora grauia, & deorsum descendere.

Si autem quis interroget an grauitas, & leuitas primo conueniant elementis, vel an quatuor eorum qualitates. Respondemus, quod primæ qualitates primo, & immediate conueniunt elementis, & deinde his mediantibus grauitas, & leuitas. Patet enim, quod caliditas causat leuitatem, & soliditas grauitatem.

Ad primum autem Auerrois dicitur ad maiorẽ, quod natura, & forma est principiũ motus principale, grauitas vero, & leuitas instrumentale. Secundo dicitur ad minorem, quod ibi loquitur de graui, & leui nõ vt sunt, sed vt mouentur.

Ad secundum dicitur, quod sunt sensibiles qualitates, nõ sensibiles per sensibile propriũ, sed commune, idest per motum, vnde negatur consequentia, datur enim non solum proprium sensibile, sed & commune. Nec valet arguere, ergo & substantia dicetur sensibilis, quia sentitur per motum, quem efficit. Dicitur enim, quod substantia non mouet per se, sed mediante potẽtia, leuitate, vel grauitate, & ideo non potest dici sensibilis per se, at vero hæ qualitates sunt principia immediata motus, & ideo possunt dici sensibiles p se.

Ad tertium dicitur id fecisse Arist. alio consilio. s. quia in 8. Phys. egerat de cælo, primo mobili, & primo motore, & ideo post libros de Physico auditu apposuit libros de cælo, & propter alias rationes alibi tactas.

Ad quartum dicendum, quod prius res est, in se, antequam ad aliud comparetur, & ita prius intelliguntur elementa in suo esse constituta, antequam ad vniuersũ, vt eius partes comparentur. Eo autem, quod sunt, proprias qualitates in seipsis producunt, & deinde se mouẽt ad propria loca.

QVÆSTIO IIII.

An forma elementorum suscipiant magis, & minus.

Videtur quod sic. Primo. Quod experientia docet, non potest sine ratione clara negari. Sed experientia nos docet inueniri elementa magis, & minus sincera, & ita accidentia propria, & quatuor primas qualitates intendi, & remitti, & ita grauitatem, & leuitatem. Ergo dicendum venit, quod non solum propria accidentia, sed & substantia suscipiat magis, & minus.

Secundo.

Secundo. Quod ordinatur ad producendas plures formas magis, & minus nobiles, intēsas, vel remissas, debet pro eorum productione intendi, & remitti, sicut non possent medij sapores, vel colores produci, nisi extremi remitterentur. Sed formæ elementorum ordinatæ sunt ad producendas diuersas formas mixtorum magis, minusve nobiles, vel intensas. Ergo necesse est, vt remittantur, vel augeātur, vt eas producant.

Tertio. Sæpe Aristot. docet formas elementorum remitti in mixtis. At remissio est minus, & intensio maius. Ergo. Maior habetur 1. de generat. tex. 84. dum dicit. Mixtum esse aliquid miscibilium potestate, quæ erant antequam miscerentur, & non destruuntur, nec actu seruantur, idest seruantur cum remissione. Et tex. 88. ait. Miscibilia mutuo pati, sui natura in dominans mutari, & non fieri alterum, sed medium, & commune. Et clarius in 2. tex. 48. asserit. Quæ miscentur, mutuo sibi minuere excellentias. &c.

Quarto. Si quid obstaret, esset, quia substantia non suscipit magis, & minus, formæ autem elementorum sunt substantiæ. Sed hoc non obstat. Primo, quia Arist. 2. de Anima, tex. 3. vocat sensibilia corpora magis substantias. Et 7. Metaphys. c. 3. vocat compositum magis substantiam, quam materiam, & formam. Et 8. Metaphys. tex. 10. affirmat. Formas substantiales secundum se, esse sicut numeros, qui consistunt in indiuisibili, non suscipientes magis, vel minus, sed postea addit, at in materia suscipiunt magis, & minus.

Quinto. Si immediatus effectus alicuius causæ suscipit magis, & minus, causa quoque suscipiet magis, & minus, quia assimilantur. At qualitates elementorum, sunt earum formarum immediati effectus, naturali sequela ab eis fluentes, & hæ suscipiunt magis, & minus. Ergo, & earum formæ.

Quinto. Essentias, & formas per operationes cognoscimus. At operationes formarum sunt intensibiles, & remissibiles, nam homo magis modo intelligit, vel discurrit, quam prius, secundum animam, & secundum corpus magis est calidus nunc, quam prius. Ergo &c.

Quoniam hanc difficultatem in vniuersum, scilicet, an substantia suscipiat magis, vel minus discussimus in prædicamentis, ideo breuius modo me expedio ab ea.

Habeas ergo, quod plures sunt sententiæ circa hanc difficultatem. Prima quidem fuit Auerrois lib. 3. cæli, com. 67. dicentis formas quidem elementorum suscipere magis, & minus, non vero alias; & ita soluit auctoritates Arist. dum dicit substantiam non suscipere magis, & minus in alijs substantijs à formis elementorum, de quibus aperte (dicit) testatur eas suscipere magis, & minus.

Sed hæc sententia est falsa. Primo. Illud quod suscipit magis, & minus, idest, intensionem, & remissionem, introducitur per motū, nec consistit in indiuisibili. At nulla forma introducitur per motum, nam datis dispositionibus ipsa in instanti introducitur in materia. Ergo nulla forma suscipit magis, & minus. Maior est Arist. quoniam intensio, & remissio constituit speciem motus ad qualitatem. Minor est eiusdem 5. Phys. vbi dicit. Ad substantiam non esse motum, forma autem substantialis substantia est, vt patet.

Secundo. Nulla res simul est duarum essentiarum, & specierum, & consequenter nō est duarum formarum, cum quælibet forma speciem constituat. At hoc sequeretur si formæ elementorū susciperent magis, & minus, non enim calor remittitur, nisi sit simul cum forma sibi opposita, scilicet, cū forma elementi frigidi. Ergo. &c.

Tertio. Ibi est magis, & minus, vbi est contrarietas, quia magis, & minus stant in susceptione, & abiectione formarum contrariarum. Sed in substantijs non est contrarietas, vt dicitur in prædicamētis. c. de substantia. Ergo &c.

Secunda igitur opinio fuit Scoti, & Antonij Andreæ 11. Metaphys. quæst. vnica, dicentium, quod formæ bifariam possunt considerari. Primo, secundum essentias suas, & sic sunt sicut numeri indiuisibiles, nec suscipiunt magis, vel minus. Secundo, vt recipiuntur in materia, & secundum gradus existentię, quam sibi arrogant in materia, & ita dicunt suscipere magis, & minus, idest, intensionem, & remissionem præter animam rationalem.

Sed nec hæc opinio est vera. Primo. Existentia non est nisi vltima actualitas essentiæ, vnde essentia, & existentia sunt eiusdem speciei, vel generis. Ergo si essentia non

non suscipit magis, & minus, nec existentia. Et si aliqua variatio videatur in existentia non erit ab intrinseco, sed ab extrinseco, idest ratione subiecti, alio, & alio modo suscipientis essentiam.

Secundo. Illæ formæ, quæ suscipiunt magis, & minus ordinatæ sunt, vt ex eis aliæ prodeant mediæ, vt patet in intensione, & remissione formali qualitatum, intensibilium, & remissibilium. Sed nulla forma substantialis, nec secundum essentiam, nec secundum existentiã ordinata est ad constituendas alias formas, per hoc enim distinguuntur à proprijs qualitatibus. Ergo nulla forma, nullo modo suscipit magis, & minus.

Tertio. Per Aristot. substantia non suscipit magis, & minus, si autem hoc intelligitur quo ad essentiam, & non quo ad existentiam in formis existentibus in materia, sequitur, quod existentia omnium formarum in materia habeat contrarium positiuum, nam remissio fit per contrarium. Hoc autem est contra Aristot. in prædicamentis.

Dicendum est ergo cum S.D. quod nulla forma substantialis suscipit magis, & minus. Sed adde has glossas. Prima, vt ly magis, & minus non importet nobilitatem, nam vna substãtia est altera nobilior, vt Deus, Angelo, & Homine, sed vt denotet intensionem, & remissionem, idest, secundum gradus magis perfectos, & minus perfectos. Secunda, in eadem specie, nam in specie hominis vnus non est altero, secundum speciem perfectior in gradibus essentię, at vna forma altera potest esse perfectior, vt forma ignis, forma terræ, sed non in duobus ignitis. Tertia, exclusis qualitatibus considerando, scilicet, nude ipsas formas, nõ vt adiunctas habent qualitates suas intensibiles, & remissibiles, sic enim ratione ipsarum suscipiunt magis, & minus. Quarto, ex sui natura, & conditione, & ab intrinseco, nam ab extrinseco, & ratione principiorum indiuidualium vna erit perfectior altera in vsu, & operatione, quia formę quæ sunt in materia indigent corpore, vel vt obiecto, vt anima intellectiua, vel vt obiecto, & organo sicut aliæ animæ affixæ corporibus, vel vt instrumento saltem, vt aliæ.

Ad primum dicitur, quod probat formas elemẽtorum intendi, & remitti ratione qualitatum, & in subiecto, non secundum se. Ita propriæ passiones si patiuntur alterationem suscipiunt magis, & minus, quæ vero non, nequaquam.

Ad secũdum dicitur ad minorem, quod probat formas elementorum ratione qualitatum suarum, & ratione diuersorum subiectorum videri suscipere magis, & minus, cum tamen secundum se ista non suscipiant. Secundo dicitur, quod hic loquimur de formis elementorum, & non de formis mixtorum. Alia est enim forma mixti, & alia elementi, & aliæ qualitates elementi, & aliæ mixti. Forma enim elementi non participatur, sed bene eius qualitates, & ideo ratione qualitatum dicitur suscipere magis, & minus.

Ad tertium dicendum, quod magis substantia apud Arist. dicitur multipliciter. Primo, in prædicando, quia de pluribus prædicatur, & sic genus dicitur magis substantia, quam species, & secundæ substantiæ primis, non quidem in essendo, sed vt dixi in prædicando. Secundo, in notitia, & sic dixit Arist. sensibilia corpora esse magis substantias, quia sunt substantiæ nobis notiores, quam incorporeę. Tertio, operatione, & sic forma ignis, quia est magis per caliditatem actiua, potest dici magis substantia formis aliorum elementorum. Quarto, perfectione, & subsistentia, & sic dixit cõpositum esse magis substantiam, & mixtum actu, mixto potentia, & seorsum existens, propria existentia, & elementa quæ secundũ se existũt, existẽte in alio, virtute, & potentia, prout elementa virtute dicuntur manere in mixto. Quinto, ab extrinseco, & ratione subiecti, & ita affirmauit formas in materia suscipere magis, & minus, non inquam secundum se, quia sic sunt eiusdem rationis cum alijs, sed ratione materiæ, & subiecti, quia vnum potest esse magis dispositum, quam aliud. Et per hæc patet etiam ad quartum.

Ad quintum negatur maior, quia intensio effectus non prouenit ex intensione causæ, sed ex maiori, vel minori dispositione subiecti, vel radicatione in eo, vnde ignis cito comburit stuppam, & tardo ignit ferrum, & tamen est idem ignis. Secundo dicitur, quod si valet, tenet tantum in effectibus participantibus rationem causæ sine alteratione.

Ad

Ad sextum idem dicimus, nam duplex est operatio. Prima, à nullo dependens, & ista eodem modo in omnibus eiusdé speciei reperitur. Secunda, ab alio dependens aliquo modo, vt depêdet intellectus à corpore, vt ab obiecto, quia pro hoc statu non intelligit sine conuersione ad fantasmata, vel tamquam à perfectiori ra presentante, quo iure Angelus superior plura intelligit, quam inferior, quia intelligit per vniuersaliores species, & ista variatur.

QVAESTIO V.

An elementa moueantur ex seipsis, vel à suo generante.

VIde octauo Physicorum, quæstione vndecima.

QVÆSTIO VI.

An si elementa, & mixta non haberent resistentiam medij, mouerentur in instanti.

VIdetur, quod sic. Nam Aristot. vbique attribuit mobile per tempus moueri, quia ei resistit medium, vnde ait, nisi medium resisteret, motus esset in instanti, vt licet videre apud eum 4. Phys. tex. 71. 72. & 73. Ergo mouerentur sine resistentia medij in instanti.

Secundo. Si aliquid obstat, vel est materia, vel forma, vel pars, quia pars resistit parti, vel erit medium à sufficienti diuisione. Non est materia, quia hæc est pura potentia, & non est resistiua, nec actiua. Non forma, quia nihil ei sibi repugnat. Non pars, quia partes proportionem seruant adinuicem. Ergo erit tantum medium. Ergo eo ablato, tollitur successio in motu.

Tertio. Dum Arist. probat motum non posse esse in instanti, 8 Phys. tex. 70. dicit, hoc pendere, quia virtus infinita non potest esse in magnitudine finita, nullâque facit mentionem de resistentia mobilis, & medij, per quam potuisset saluare motum in tempore. Ergo videtur omnino esse, vt inutilis reijcienda.

Quarto. Aristot. 5. Phys. agens de requisitis ad successionem motus ea dicit esse quinque, s. sunt motor, mobile, terminus à quo, terminus ad quem, & tẽpus, nec verbum facit de resistentia medij. Ergo vel erit mancus, vel medium erit, vt inutile tollendum.

Circa hanc difficultatem Auerroes, Achillinus, Zimara, & Gandauensis dicunt duplicem esse resistẽtiam. s. externam, quam medij appellamus. Aliam internam, quã ex parte rerum mobilium cogitamus. Addunt, & concludunt elementa nullam ex se habere resistentiam internam, quia sua natura mouentur ad loca sua, & ideo solum inuenire resistentiam medij, & sic consequenter venit secundum eos deducendum, quod si medium subtraheretur, eorum motus esset in instanti.

At S. D. 4. Phys. cum alijs pluribus ibi à me relatis, dum quæsiui. An si motus fieret in vacuo, esset in instanti, docent, non solum successionem motus, & eius temporeitatem esse pẽsandam ex medio, verum etiam ex incompossibilitate terminorum à quo, & ad quem, quia impossibile est, vt idem mobile, in eodem instanti sit in termino à quo, & ad quem, & etiam ex natura mobilis, & motus, qui distinguitur à generatione, & corruptione, quia generatio, & corruptio in instanti fiunt, de ratione vero motus est fieri successiue, & in tempore, vt videre poteris ibi. Habeas ergo motum elemẽtorum esse in tempore, non solum propter resistentiam externam medij, verum etiam propter resistentiam internam. Et quia apud nos, non sunt sincera, & si darentur, necessario in motu, seruarent leges motus, quod mouerentur in tempore, quia sunt mobilia.

Conclusio ergo est. Non sola resistentia medij causat motum in tempore. Probatur primo. Impossibile est, quod dum res mouetur, quod sit in termino motus, quia implicat moueri, & quiescere simul. At ablato medio, si moueretur in instanti esset in motu, & termino motus, cum in instanti non sit dabile prius, & posterius. Ergo nõ sola resistentia medij causat successionem motus.

Secundo. Non est maior ratio de elementis, quam de cęlo, quod moueantur in tempore, nisi quia mouentur, & non generãtur. At cælum dum mouetur, nullam resistentiam medij sentit, & tamen mouetur in tempore. Ergo, & elementa.

Tertio.

Tertio. Si sola resistentia medij causaret motum elementorum fieri in tempore, eorum motus non esset successiuus ab intrinseco, sed solum ab extrinseco, scilicet ratione medij externi. Hoc autem nullus Philosophorum somniauit. Ergo pendet etiam ex interna eorum natura considerata, vt est sub motu.

Ad primum negatur maior, nam 2. de generat. tex. 62. ponit resistentiam ex parte mobilis continuare motum. Et 6. Phycor. dixit motum esse continuum, quia mobile ponitur, partim in termino à quo, & partim in termino ad quem. Hancque internam resistentiam approbauerũt Auempaces apud Auerroem 4. Physicor. tex. 71. Philoponus digressione de vacuo, imò & Scotus 2. distin. 2. quæst. 9. Ad auctoritatẽ ergo eius satis diximus 4. Phys. Pro nunc sufficiat dicere ibi assignasse tantum vnam causam successionis motus, vnde voluit annuere, si motus fieret in vacuo posset esse in instanti, quantum est ex parte medij externi, quia in vacuo nullum est medium resistens, sed per hoc non dixit omnem resistentiam prouenire à medio extrinseco.

Ad secũdum diximus obstare naturam mobilis, vt est sub motu, & terminorum motus incõpossibilitatẽ. Erit etiã materia, vt est sub actu motus, & non solum sub esse. Erit etiam forma accidentalis per motum acquisibilis, quæ nõ acquiritur in instanti.

Ad tertium dicimus Aristot. ibi considerasse virtutem motoris, & pro ea parte dixit, quod si virtus esset infinita, motus fieret in instanti. Non enim necessarium semper est in vno loco assignare omnes causas vnius rei, sed sufficit eas tantum tangere, quæ ad rem faciunt, relinquendo studioso, vt eas omnes in diuersis locis quærat.

Ad quartum, quod potius est pro nobis, quam contra nos dicimus, quod ad continuitatem motus dixit Aristot. esse necessarium continuationem magnitudinis supra quam fit motus, & hæc pensatur in medio, vnde pro medio sumitur.

QVÆSTIO VII.

An elementa habeant nobilius esse, & nobiliorem considerationem in se, vel in mixto.

Videtur, quod habeat nobilius esse in mixto. Nam de ratione elementi est esse primum in compositione. Hoc autem non habet si seorsum sumatur, sed solum vt in mixto consideratur. Ergo in eo præstabit.

Econtra vero videtur prętantius esse secundum se consideratum. Nam esse in actu, & in sua puritate est quid excellentius quam esse potentia, vel virtute, & cum permixtione. At seorsum est actu, & purum, in mixto virtute, & mixtione. Ergo &c.

Pro solutione huius dubij. Primo notandum venit, quod elementa tripliciter considerari possunt. Primo, vt sunt substantiæ, & corpora naturalia. Secundo, vt sunt elementa mundi, & ex eius partibus præcipuis. Tertio, vt sunt elementa mixtorum mixta constituentia.

Primo modo considerata, scilicet in suo esse constituuuntur per suas formas, quæ dicunt esse absolutum. Secundo modo ponuntur in esse per relationem ad vniuersum. Tertio, per respectum ad mixtum. Præcipua autem consideratio rei pensanda est ex parte esse proprij, & primi, & non ex parte consequentium, vt sunt diuersi respectus, & ideo consideratio elementorum secundum se erit præcipua.

Secundo tamen notandum venit, quod quædam entia creata sunt, vt subsistant in se tantum, vt Angelus, cæli, & omnia supposita. Quædam vt in compositionẽ tantum veniant, vel substantialem, vt materia, & forma, vel accidentalem, vt subiectum, & accidentia. Quædam vero vt & per se sint, & etiam compositionem aliorum ingrediantur, quia sunt miscibilia, & ista sunt elementa, quæ & secundum se in vniuerso sibi propria loca, & peculiares sedes arrogant, & etiam in compositionem omnium miscibilium concurrunt.

Dicendum est ergo, quod simpliciter secundum se sunt præstantiora. Primo in esse, quia sunt præcipuæ partes vniuersi inferioris, & sunt substantiæ secundum se

completæ, & perfectæ, causæque mixtionis, & mixtorum. Secundum quid autem præstant in mixto, idest, ratione finis, quia in mixto assequuntur finem ad quem creata videntur, vt ordinem vniuersi constituant, & mixta componant. Secundo. Idem de consideratione affirmamus, nam nobilitas considerationis pendet ex nobilitate subiecti, & modi considerandi ipsi.

Ad argumenta ergo dicitur, quod primum probat nobilitatem finis, extrinsecam, & secundum quid. Secundum vero nobilitatem propriam, & simpliciter.

CAP. II.

QVÆSTIO VIII.

An ens prout est generabile, & corruptibile sit subiectum in libris de generatione, & corruptione.

Videtur quod non. Nam generatio, & corruptio, à speciebus motus distinguitur, scilicet ab augmento, & decremento, ab alteratione, & à motu locali per Arist. 5. Phys. At Arist. 1. de generat. dicit in illis libris se velle tractare de omnibus motibus simplicibus, & non solum de generatione, & corruptione. Ergo generatio, & corruptio non erit adæquatum subiectum.

Secundo. Illud est obiectum in scientia, cuius principia, & causæ traduntur in illa. At in libris de generatione, & corruptione traduntur principia, & causæ tum generationis, tum corruptionis, tum alterationis. Ergo mutatio secundum formam, vt omnes has mutationes comprehendit, erit in illis libris subiectum.

Tertio. Nullibi tractatur de alteratione in communi nisi hic. Ergo mutatio secundum formam, motum alterationis comprehendens erit subiectum.

Circa præsentem difficultatem sunt plures opiniones. Prima est Alberti Magni in principio lib. de generat. & corrupt. siue de ortu, & interitu dicentis corpus simplex, idest non ex alijs corporibus compositum, sed solum ex materia, & forma esse subiectum in supradictis libris, non prout habet ordinem ad motum, sed prout subest generationi, & corruptioni. Dicit ergo, quod corpus simplex, mobile ad formam est subiectum in libris de ortu, & interitu.

Sed contra hanc opinionem esse videtur. Primum, quod de omni generatione est tractandum, & si non hic, vbi ex directo de generatione agitur, vbi? Qualibet enim scientia habet suas cõsiderationes, & generis, & specierum, & vniuersalem, & particularem.

Secunda igitur opinio fuit Aegidij dicentis esse corpus non solum simplex (vt dixit Albertus, idest elementare, sed quodcunque) mobile ad omnem formam, scilicet & substantialem, & accidentalem.

Sed contra ista sint, quod Aristot. distinguit augmentationem, & alterationem à generatione, quia sunt motus ad formã accidentalem. Istos autem motus à generatione distinguit, vt non considerandos, quia dicit non esse generationes, nisi vt augmentatio coniuncta est nutritioni, quæ est generatio secundum quid.

Tertia igitur sententia S. D. est, quod ens mobile, prout est generabile, & corruptibile est subiectum in libris de gen. & corrupt. non vero vt est augmentabile, vel nutribile, nisi secundario, & per aliud, idest non directe, & per se primo, sed vt referuntur ad generationem, & corruptionẽ simpliciter, vel secũdũ quid.

Sciendum est ergo, quod duplex est subiectum in scientia. Primum dicitur principale, & primarium, & hoc erit ens mobile, quod est generabile, & corruptibile. Secundum dicitur adæquationis, quod comprehendit non solum, quæ ex directo, & per se primo in illa scientia considerantur, verum etiam omnia quæ ad ipsum attributionem sortiuntur, vnde sufficit, quod de eis prædicetur, vel in recto, vel in obliquo, & sic erit mobile generabile, & corruptibile, vel simpliciter, vel secundum quid, vel secundum totum, vt fit in propria generatione, & corruptione, vel secundum partem, vt fit in augmentatione mediante alteratione.

Conclusio ergo est. Ens mobile, quod est generabile, & corruptibile est per se subiectum in lib. de generatione, & corruptione. Probatur. Inscriptio librorum materiam de qua sunt indicat. At inscriptio librorum de generatione, & corruptione est de generatione, & corruptione, sine alio addito. Ergo erit de ente mobili secundum

cedum generationem, & corruptionem.

Ad primum dicimus ad minorem, Aristot. promisisse tractare de omnibus speciebus motus, sed non eodem modo, sed de generatione, & corruptione per se, de alijs vero per aliud, idest per ordinem ad generationem, & corruptionem.

Ad secundum idem dicitur, principia enim alterationis non contemplantur, nisi vt alteratio ordinatur ad generationem, & corruptionem.

Ad tertium negatur assumptum, nam Arist. de alteratione egit in 5. Phys. & in 8. & pluribus alijs in locis.

QVAESTIO IX.

An si generatio non esset possibilis, alteratio esse posset.

Videtur quod sic. Primo. Prius à posteriori nō dependet. Substantia est prior alteratione. Ergo poterit esse sine ea, & ita alteratio erit ad accidens, sine generatione, & corruptione.

Secundo. Quæ non sunt necessario connexa hoc habent, vt vnum sine altero esse possit. At, generatio, & alteratio non sunt annexa necessario, potest enim esse alteratio, verbi gratia dealbatio sine generatione. Ergo possunt separata esse.

Tertio. Cælum, & astra sunt alterabilia, alteratione perfectiua, idest illuminabilia, nec tamen aliquo modo sunt generabilia.

In contrarium est Arist. 1. de generat. & corrupt. tex. 1. Et ita Aegidius, & Marsilius quæst. 4. & Albertus de Saxonia quæst. 3. 1. de gener. & hoc probant. Primo. Quia forma noua non introducitur sine præuijs dispositionibus, nec præuiæ dispositiones sine alteratione. Secundo, quia agens non expoliat materiam vna forma, sine dispositione ad aliam, quæ dispositio non est nisi alteratio. Tertio. Quia generatio est finis alterationis, non est autem finis sine medio. Ergo non erit generatio sine alteratione.

Respondetur, quod hæc propositio Aristot. contra Empedoclem. Si non esset generatio, nec esset alteratio, est vera, his sub intellectis.

Primum, quod loquamur de alteratione corruptiua, nam duplex est alteratio. Prima dicitur perfectiua, quæ non fit inter contraria, sed ponit solum perfectionem in subiecto, vt illuminatio in illuminabili, receptio specierum in sensu, & in intellectu, lumen enim, & species, & consimiles qualitates non habent contrarium. Secunda dicitur corruptiua, quia corrumpit priorem formam, & disponit ad eius contrarium, vt dum calor alterat subiectum, & de frigido illud facit calidum. Quæ alteratio corruptiua reperitur proprie inter primas qualitates contrarias, scilicet inter caliditatem, & frigiditatem, & inter humiditatem, & siccitatem, nam sic non fit transitus de vna ad aliam, nisi mediet alteratio.

Secundum est, quod sit inter qualitates immediate contrarias, quæ inter se immediate agant, & patiantur, vt sunt quatuor primæ supradictæ, nam hoc non est clarũ in secundis, vt in albedine, nigredine, ac alijs coloribus, saporibus, & odoribus, nam dum paries dealbatur, dealbatio non est corruptio.

Tertium erit propositio intelligenda, quando fit transitus de forma, ad formam contrariam, vel distinctam. Nam aliud est intensio, & aliud est generatio. Patet enim eadem forma intendi in subiecto, vt calor de octauo gradu ad decimum, sic, & albedo, ac aliæ omnes qualitates, & non erit generatio. Sed numquam fiet generatio nouæ formæ sine alteratione. Itaq. dum alteratio intensiua est, & si non generet formam aliam, attamen non fuit introductio formæ modo intensæ sine præcedente alteratione. Et certe intentio Aristot. est dicere, non posse esse alterationem, nisi esset generatio, quia loquitur de alteratione media inter generabile, & corruptibile, seu inter generationem, & corruptionem.

Ad primum ergo dicitur ad maiorem, quod dependere ab alio stat dupliciter. Primo, in essendo, & sic esse substantiæ non dependet ab esse accidentis. Secundo in causando, & sic substantia potest dependere ab accidente, quia non agit nisi mediante potentia, ac qualitatibus alterantibus, & disponentibus ad generationẽ nouã formæ. Secundo dr, quod non est dependẽtia nisi vt ab instrumento, non vt à causa.

Ad secundum negatur minor. Ad probationem dicitur, quod procedit non de alteratione, quæ est inter contraria, sed de

intensione, secundum quod iam supra notatum fuit.

Ad tertium dicitur, quod procedit de alteratione perfectiua.

QVÆSTIO X.

An si vnum esset subiectum omnium rerum, possent distingui generatio, & alteratio.

Videtur quod sic. Primo. Nam motus non distinguuntur ex subiectis, sed ex terminis ad quos, per Arist. 5. Phys. Ergo dato vno communi, adhuc generatio, & alteratio distinguerentur.

Secundo. Modo distinguuntur alteratio, & augmentatio ex terminis, quamuis habeant vnum commune subiectum. Ergo sic etiam possent distingui generatio, & alteratio, & si haberent vnum commune subiectum.

Tertio. Non apparet maior ratio stante vna materia, quod non distinguerentur alteratio, & generatio, & bene generatio, & augmentatio.

In contrarium est Aristot. 1. cap. de generat. & corrupt. Arguit enim contra eos, qui ponebant vnum principium tantum materiale, in actu. Sic enim arguit. Si datur vnum tantum subiectum actu sub alteratione, & generatione. Ergo vtraque est alteratio, nam generatio facit transitum, de esse in potentia, ad esse actu.

Sciendum est ergo, quod generatio distinguitur ab omnibus speciebus motus, quia ipsa nullo modo supponit subiectum in actu, cum sit transitus de non esse simpliciter, ad esse simpliciter, motus vero supponit iam subiectum in actu, quia motus est actus entis iam existentis sub actu, sed in potentia solum accidetali ad terminum motus. Aliud est ergo dicere, quod non possit dari vnum commune subiectum, & aliud, quod sub generatione, & alteratione sit in actu.

Primum admittimus, est enim materia commune omnium accidentium subiectũ primum. Secundum vero negamus, quia subiectum generationis, vt est ad terminũ generationis non est ens actu, sed in potentia, quia vt dicitur 5. Phys. generatio est mutatio de non esse simpliciter, ad esse simpliciter, motus vero de esse hoc, ad esse hoc.

Secundo tamen notandum venit, quod hæc propositio, quæ est eiusdem Aristot. 1. de generat. Quæ adinuicem mutantur, habent vnam communem materiam verificatur de materia prima, vt dispositiones excludit, sic enim vna est materia omniũ materialium generabilium, & corruptibilium, & omnium elementorum, nam si materia spectetur, vt suas dispositiones tenet, tot sunt materiæ, quot elementa, vt dixit Arist. 4. cæli, tex. 37.

Ad primum ergo dicitur, quod motus distinguitur ex subiectis, & terminis, ex terminis quidem formaliter, sed ex subiectis materialiter, quia fundamentum distinctionis terminorum originatur à subiectis, nam nunquam res augebitur, vel alterabitur, vel localiter mouebitur, nisi prius sit genita. Oportet ergo, quod res prius transeat de potentia essentiali ad actum essentialem, antequam transeat de potentia accidentali, ad actum accidentalem. Cum ergo non possit esse idem subiectum, quod sit in potentia essentiali, & accidentali, merito deducitur aliud esse subiectum generationis, & aliud alterationis, ad hoc vt possint formaliter distingui secundum suos terminos.

Ad secundum dicitur. Primo, quod est dispar ratio, quia motus omnes supponunt subiectum in actu, non sic generatio. Sed melius dicitur. Secundo, quod aliud est subiectum augmenti, & aliud alterationis formaliter, idest, vt non, vt sic sumitur, sed vt cum suis dispositionibus ad hunc, vel illum terminum, huius, vel illius motus consideratur.

Ad tertium dicitur, quod vtramque distinctionem concludit inspectis proprijs, & non communibus tantum consideratis.

QVÆSTIO XI.

An quod simpliciter generatur, ex non ente generetur.

Videtur quod non. Primo. Nam quod fit simpliciter, totum fit. Ergo si quod generatur, simpliciter generatur, totum fit, & sic ex nihilo, quod est falsum, quia tantum creatio est ex nihilo.

Secundo. Forma fit, & non fit ex aliquo, nam non potest fieri ex materia, cum nõ sit pars formæ. Ergo, quod fit, ex nullo fit.

Tertio.

Tertio. Qui facit id, quod est maius, potest etiam facere minus. Sed agens producit formam, quæ est quid amplius quam materia. Ergo poterit etiam materiam producere.

Quarto. Nec valet dicere, quod formæ educuntur de potentia materiæ, & ideo nõ fiunt ex nihilo. Hoc enim falsum cernitur in lumine, in aere producto, in speciebus colorum, & sensibilium in medio productarum, & non eductarum de potentia materiæ.

Quinto. Falsum quoque est, quod genitum generetur ex ente in potentia, quia constat generari ex ente in actu, vt ex igne fit ær. Et etiam quia omnis generatio est coniuncta cum alteratione, quæ non est nisi entis in actu.

Pro intelligẽtia huius dubij scito primo antiquos tenuisse nullam esse generationem rerum de nouo secundum substantiam, sed solum secundũ apparentiam, & quendam modum, idest, secundum condensationem, rarefactionem, segregationem, vel vnionem, vnde volebant id quod fit ex ente in actu fieri, & non variari, nisi modaliter. At Aristot. duo considerauit in generatione. Vnum materiale, quod est subiectum generationis, & hoc dixit materiam, quę quãuis semper sit sub forma, non tamen semper est sub hac forma, vnde dum de vna ad aliam transit, dicitur transire de potentia ad actum, & illud recipere: s. formam, (quod est secundũ considerandum in generatione) ad quod erat simpliciter in potentia, quare dixit generationem non esse creationem, quia non est ex nihilo sicut est creatio, sed ex ente. Et dixit eam non esse alterationẽ, quia alteratio supponit subiectum in actu, & generatio solum in potentia, vnde est de nõ esse simpliciter, idest non existente in actu ad formam generandam, sed solum in potentia.

Conclusio ergo est. Datur generatio de non ente simpliciter, ad ens simpliciter. Probatur. Clarum est, & notum, quod à priuatione ad habitum non datur regressus, & quod bos mortuus non reuiuiscit, sed fit putredo, & terra, ad quam bos viuus erat omnino in potentia. Ergo signum est non latere formas in materia, & generationem non esse nisi alterationem, sed esse transitum de potentia simpliciter, ad actum simpliciter.

Secundo. Operatio est effectus formæ. At operationes iam corrupti, nullo modo apparent in nouo genito, verbi gratia, calor ignis nullo modo sentitur, vel videtur in ligno extincto. Ergo signum est formam transire de pura potentia ad actum.

Ad primum ergo dicitur, quod maior est falsa, nam ly simpliciter pro nunc dupliciter sumitur. Primo, vt idem sonat, quod tot aliter. Secundo, vt idem dicit, quod ex ente non existente sub actu acquirendo aliquo modo. Argumentum sumit simpliciter primo modo, & nos secundo.

Ad secundum omissis multis responsionibus dicimus, formã fieri ex semine agentis, vel eius virtute in forma educta de potentia materiæ, quia hoc est eius fieri, educi per agentem ad actum in materia eius virtute, & actione, vnde supponit duo à quibus dependet. s. virtutem agentis, mouentis, & producentis, & materiæ receptibilitatem, & existentiam.

Ad tertium dicitur, quod maius duplex est, scilicet, nobilius, & facilius. Qui ergo facit difficilius, potest etiam facere facilius, sed non qui facit nobilius, potest facere, & minus nobile, quia non habebit requisita ad illud, sicut agens potest producere formam, quia agit per suam formam intendentem producere sibi simile, non vero habet posse ad producendam materiam, quia ista non fit, sed creatur.

Ad quartum dicitur pro nunc, quod modo loquimur de formis productis media alteratione, & realibus, non de productis in instanti, & intentionalibus, vel intentionaliter receptis, quæ immediate possunt produci ab agente, vel ab obiecto.

Ad quintum dicitur, quod genitum consideratum, secundum suum terminum ad quem dicitur generari ex ente in potentia, quia forma non existebat sub materia illa dum erat sub alia forma, nisi in pura potentia materiæ.

QVÆSTIO XII.

An generatio sit origo viuentis, à viuente coniuncto, in similitudinem eiusdem speciei.

Videtur, quod non. Primo. Nam vnius rei sicut est vna essentia, & vnum esse, ita

ita est vna definitio horum explicatiua. Sed generatio definita est ab Ari. 5. Phyf. quod fit mutatio de non esse simpliciter, ad esse simpliciter. Ergo male definitur, quod sic origo viuentis à viuente coniuncto, in similitudinem eiusdem speciei.

Secundo. Genita ex putri materia sunt viuentia, & genita à viuente, scilicet ab intelligentia, & tamen non sunt in similitudinem, &c. eiusdem naturæ. Ergo incongrua est illa definitio.

Tertio. Vel hæc similitudo est generica, vel specifica. Non generica, quia sic capilli, & pediculi orti ab homine, eiusdem essent filij. Non specifica, quia mulus differt specie ab equo, & asina à quibus generatur.

Pro claritate huius difficultatis. Primo, notandum venit, quod generatio septupliciter potest considerari. Primo ratione suorum principiorum, & sic consideratur in primo Physic. vbi eius principia constituuntur tria, scilicet materia, & forma per se, & priuatio per accidens. Secundo, vt dicit aliquam mutationem in communi, & generali, & sic considerata fuit in 3. Physic. vbi dixit Arist. generationem esse motum existentis in potentia, considerando motum non proprie, vt distinguitur à generatione, sed vt dicit mutationem, vt sic, sit modo substantialis, vel accidentalis. Tertio, vt distinguitur à motu, quia motus est de esse hoc ad esse hoc, verbi gratia de albo ad nigrum, generatio vero est de non ente simpliciter, ad ens simpliciter, & sic fuit definita in 5. Phys. sic. Generatio est mutatio entis de non esse simpliciter, ad ens simpliciter. Quarto, vt est generatio totius distincta à generatione partium, & accidentium, & ita fuit definita in 1. de generat. sic. Generatio est mutatio totius in totum, nullo sensibili remanente. Quinto, vt est multorum miscibilium vnio in vno mixto, & ita 2. de generat. dicta est mixtio, & miscibilium elemẽtorum vnio, quia ex multis elementis in vnum redactis fit mixtum. Sexto, vt est generatio consimilium partium mixti, quatenus ex non esse ducuntur ad esse per mutuam oppositionem qualitatum, quarum vna fit agens, & transmutans, & alia patiens, & transmutata, & absoluitur per mediam coctionem, cui opponitur interitus, qui dicitur putredo, & sic consideratur in 4. Meteor. Septimo, vt est actus viuentis, intendentis ex vi generationis sibi simile generare, & sic consideratur ab Arist. 4. Meteororum tex. 5. vbi ostendit inanimata non esse generanti coniuncta, sed bene animata, & sic etiam de ea sæpe loquitur de generatione animalium ex quibus locis elicita est præsens definitio. Generatio est origo viuentis à viuente, coniuncto, in similitudinem eiusdẽ speciei, ex vi generationis.

Secundo notandum venit circa ly est origo, quod origo, & generatio, ortus, & occasus non sunt idem, quod generatio, & corruptio, nam generatio bifariam considerari potest. Primo, communiter vt dicit transitum de non esse ad esse. Secundo, vt significat in viuentibus processionem viuentis à viuente. Primo modo dicitur simpliciter, & absolute generatio, & eius oppositum corruptio, at secundo modo dicitur ortus, & eius oppositum, idest corruptio occasus, & interitus, & sic ponitur solum in generantibus viuentibus. Hinc D. Tho. 3. dist. 8. quest. 1. art. 1. docet in generatione viuentis tria esse. Primum est sufficiens principium actiuum mas, & passiuum fœmina in animalibus, & semen trahens fructum, & humorem radicalem ad generationem arboris in arboribus. Secundum est exitus, & natiuitas rei genitæ. Si enim genitum distinguitur à generante, necesse est vt vnũ ab alio exeat. Tertium est quædam vnio inter generantem, & genitum in principio generationis, vel per contactum, vel per consolidationem, vt patet in fructibus respectu arboris, & in embrione respectu matricis. Hinc vlterius viuentia respectu primi dicuntur gigni, & generari, ratione secundi oriri, & ratione tertij nasci. Patet ergo, quod generatio, & corruptio non sunt proprie idem quod ortus, & occasus, & si tamen vnũ sæpe pro alio vsurpetur, quia ortus includit generationem, & occasus, corruptionem.

Tertio. Dicitur origo viuentis à viuente coniuncto. Nam duplex est agens. Primũ separatum, vt dum ignis generat ex combustibili ignem, proijciens proijcit lapidem in quibus actionibus patet genitum, & motum esse separata à generante, & mouente. Secundum dicitur coniunctum, quia per coniunctionem generatur, vt planta ex coniunctione cum semine suo tra-

trahente humorem terræ, & in animalibus ex coniunctione maris, & fœminæ secundum vnam rationem principij generationis, scilicet per semen. Ignis enim nõ generat ignem per semen aliquod ab eo decisum, sed per qualitates suas non generantes primo, sed corrumpentes prius, & postea generantes, nam ignis prius destruit naturam combustibilis, & postea generat alium ignem sibi similem.

Quarto. Dicitur in similitudinem, quoniam simile generat sibi simile, & simile oportet esse à simili. Sed hoc dupliciter. Primo communiter, & ita dixit Aristot. 1. de generat. omne quod fit fieri à simili, vel genere, vel specie, vel virtute, vnde ad istam similitudinem sufficit conuenientia vel in genere proximo, vel remoto, vel specie, vel in virtute. Secundo proprie, & stricte, quia inter genitum, & generans cadit specifica, & propria similitudo, ita vt genitum possit dici filius generantis, & sic ad istam similitudinem plura requiruntur. Primum, quod illud, quod procedit vt filius per generationem sit completum in specie generantis, quare fructus arborum, capilli, & similia non dicuntur filij illorum à quibus sunt, & si ab his nasci dicantur. Secundum, quod genitum, & generans sint eiusdem speciei, vel saltem generis proximi, vt sunt mulus, & equus, secundum Arist. 7. Metaphys. tex. 28. & ideo vermes, pediculi, & similia quæ nascuntur in animali non vocabuntur eius filij, quia sunt diuersi generis. Tertium, quod procedat in similitudinem eiusdem speciei ex vi processionis, quia scilicet est per generationem, quia de ratione generantis est generare sibi simile, non vero de ratione cuiuscũque producentis, vnde & si Spiritus sanctus ex diuina natura, vna tantum in Patre, Filio, & Spiritusancto procedat à patre, & filio vt similis, non tamen ex vi eius processionis, quia non procedit per intellectum, vt verbum genitum, sed per amorem, & voluntatem, de cuius ratione est non generare sibi simile, sed causari à simili. Ita Eua, quoniam per semen Adæ non fuit facta, sed ex costa eius deducta non dicitur Adæ filia. Et eadem ratione dicit S.D. 4. contra Gentes, cap. 23. quod si Deus tribueret homini per artem, vt ex aliquo suo membro aliquid facere, illud tale non diceretur, eius filius, quia non procederet vt simile ex vi generationis. Addit idem S. D. 3. p. quæst. 32. art. 3. vlterius requiri ad rationem filiationis, quod sit ex perfectissima generatione, qualis in solis animalibus perfectis reperitur, vnde genita ex putri à cælo, non dicuntur filij cæli, nec planta plantæ.

Quinto. Nota, quod illa propositio. Simile est à simili habet multas glossas. Prima, quod valet de agente principali, non de instrumentali, vnde homo genitus, assimilatur homini generanti, & nõ semini, quod est instrumentum generationis. Secunda, quod generans sit proximum, & non remotum, vnde genita suis genitoribus assimilantur, & non cælo, vel Soli, quia sunt causæ remotæ. Tertia, quod sit generans, vel agens per se, & non per accidens, seu per aliud, quare non est necessarium vilices assimilari virgæ, vel calor hibernus causatus à frigore per antiperistesim, hiberno tempori.

Ad primum dictum est, quod sunt multę diffinitiones partiales, & secundum diuersas considerationes.

Ad secundum dictum est, quod cælum ea producit, vt agens remotum, vide 7. Metaphys.

Ad tertium, iam satis dictum est in annotationibus.

QVÆSTIO XIII.

An generatio simpliciter sit possibilis, prout iam dictum est de ea.

Videtur quod non sit possibilis secũdum supradicta. Primo. Si datur generatio, non tollitur corruptio, quia semper se comitantur. At corruptio dari non potest. Ergo nec generatio. Minor probatur. Corruptio est motus, & consequenter debet identificari cũ suo termino. At terminus corruptionis est non esse, cum quo nulla est identificatio, sicut nec cum negatione.

Secundo. Ratio qua hoc probat Arist. 1. de generat. cap. 1. est friuola. Arguit enim. Si nõ esset generatio, nec esset alteratio, quia si non est finis, nec medium, generatio autem est finis alterationis. Hoc inquam leue est. Primo. Quia per alterationẽ non introducitur forma substantialis.

tialis. Secundo. Quia omnia grauia pro fine habent centrum, & tamen ad ipsum non descendunt. Tertio. Quia intellectus noster pro fine habet omnes scientias, & tamen in hoc statu omnes non adipiscetur.

Tertio. Dictum est supra generationē esse ex ente in potentia. Contra vero stat, quod generatio est accidens. Ergo supponit subiectum in actu, quia accidens nō est nisi in subiecto in actu. Secūdo. Quia est actus secundus, non enim est esse. Ergo supponit ipsum. Tertio. Quia inter generans, & genitum debet esse contactus, ex 7. Phys. tex. 8. Contactus autem supponit quantitatem in actu.

Quarto. Dictum est, quod generatio tenet vnum subiectum numero. Hoc est falsum. Nam primo, sic genitum, & corruptum essent vnum numero, quia habent vnam numero materiam, iuxta ea quæ dicit Arist. 5. Metaphys. tex. 12. Secundo, quia materia quę habet vnitatem, & pluralitatem à forma, diuersas habet formas in genito, & corrupto. Tertio, sic eadem materia transiret de specie ad speciē, transeundo per generationem de forma distincta specie ad aliam formam specie distinctam. Quarto, quia tunc res dicitur corrumpi cum esse substantiale actuale amittit. Materia autem in corruptione, esse essentiale actuale perdit, & ad aliud transmigrat.

Quinto. Instans non potest esse immediatum instanti ex 4. Phys. At sic esset data generatione, quia si res generatur incipit per primum sui esse, & dum corrumpitur desinit per vltimum sui esse in instanti, & instanti.

Pro resolutione huius difficultatis, & ampliori explicatione definitionis cōmunis generationis notandum est. Primo, quod secundum Arist. 1. de generat. duplex est generatio, & duplex corruptio. Prima dicitur simpliciter. Secunda, secundū quid. Ad explicandum autem quænam sint hæ generationes non omnes Doctores conueniunt. Nam quidam dicunt generationem simpliciter esse ex non subiecto in subiectum, & secundum quid ex subiecto in subiectum. Ita corruptio simpliciter, quæ fit ex subiecto in non subiectum, & secundum quid ex non hoc in hoc, iuxta ea quæ tradit Arist. 5. Phys. Alij asserunt generationem simpliciter habere terminum à quo minus perfectum termino ad quem, at in generatione secundum quid econtra. Alij quod in generatione simpliciter producitur aliquid de quo illud verificatur, sine addito. s. substantia. In generatione vero secundum quid cum addito. s. ens entis. At optima est explicatio S.D. inter has omnes de ver. q. 25. art. 5. Et de spiritualibus creaturis art. 1. ad 9. quod generatio simpliciter pro termino habet esse simpliciter, & absolute dictum & secundū quid esse secundum quid, idest generatio simpliciter habet pro termino esse substantiale, quod dicitur ens simpliciter, & absolute, & generatio secundum quid, esse accidentale, quod dicitur secundum quid 7. Metaphys.

Secundo tamen notandum, quod simpliciter tale dupliciter sumitur apud S. D. 2. 2. qu. 58. art. 10. ad 2. & 3. p. quæst. 50. Primo, vt idem sonat, quod omnibus modis tale. Secundo, vt idem significat quod absolute, & sine addito. Differunt autem, quia simpliciter tale primo modo in quocunque ponatur semper erit tale, quia est omnibus modis tale, & non potest pati diminutionem, vt Deus semper dicitur ens simpliciter. Secundo vero modo potest pati diminutionem si ab alio dependeat, sicut substantia simpliciter primo modo non dicitur simpliciter substantia, quia in ordine ad Deum dicitur substantia cū hac modificatione, creata, scilicet substantia. In præsentiarum dicimus generationem esse ad esse simpliciter, non omnibus modis, sed absolute, idest ad esse substantiale.

Tertio. Notandum venit, quod quando generatio transit per plures formas substantiales, quarum vna ordinatur ad aliam, vt anima vegetatiua, & sensitiua ad intellectiuam, omnes formę vltimam præcedentes dicuntur imperfectæ, & non dantes esse simpliciter, quia in ordine ad vltimā non se habent, vt formæ terminantes generationem, sed vt dispositiones ad vltimam, vnde solum vltima dicitur dare esse completum, perfectum, & simpliciter, & omnes præcedentes potius secundū quid. Quando ergo acquiritur esse simpliciter, vt supra tunc dicitur esse generatio simpliciter, & quando esse secundum quid, generatio secundum quid.

Ad primum autem argumentum aliqui dixerunt

xerunt corruptionem non identificari esi non esse, cum sit negatio, sed cum forma generationis, quia corruptio vnius est genertio alterius. Sed hoc est falsum, quia corruptio specificatur, & denominatur corruptio à termino à quo, quē destruit; & non à termino ad quem, quem inducit; per hoc enim habet contrarietatem cum generatione. Et ita dixit Arist. 5. Physic. tex. 51. Alij dicunt, quod identificatur cū materia, quæ remanet, & si non in actu, in potentia. Sed nec hoc stat, quia materia non existit nisi per formam. Alij dicunt, quod duplex est motus, scilicet acquisitiuus per quem forma acquiritur, & deperditiuus, per quē deperditur. Primus motus identificatur cum termino ad quē acquisito. Secundus, cum termino à quo deperditus, vt corruptio equi identificatur cum eius forma deperdita, & non cum forma cadaueris acquisita. Sed nec hoc quadrat, quia sic numquam erit verum dicere, corruptio est, cum sit instantanea, quia in instanti corruptionis non est forma equi, sed corrupta est, & via ad corruptionem non est corruptio. Dicitur ergo cum Caiet. p. p. quæst. 48. art. 1. quod corruptio, & omnes priuationes, & negationes alicuius formæ identificantur cum termino producto non positiue, vt aliquod ens reale, sed negatiue, vt priuationes, quia primum non esse importatum per corruptionem, est primum esse subsequentis formę geitę. Sufficit autem ad hoc, quod dicatur mutatio realis, quod corrumpat formam realem, & aliam introducat.

Ad secundum dicimus rationem Arist. esse optimam. Ad primum in contrarium dicitur, quod per alterationem introducitur forma substantialis, & si non effectiue, dispositiue, & hoc sufficit. Ad secundum dicitur, quod descenderent ad centrum, sed impediuntur, sic postulante rerum ordine. Ad tertium dicitur, quod intellectus noster ordinatur ad omnes scientias per principia per se nota, sed cum latitudine, & pro posse, non enim ad eas omnes ordinatur vt habeat, sed vt possit habere, & sibi cum difficultate acquirere.

Ad tertium dicitur, quod generatio completa non terminatur nisi forma sit vnita materiæ, & tunc generatio terminatur ad compositum, vt ad terminum vt quod, vnde supponit aliquid in actu, in via dispositiones, in termino formam. Et ita dicitur ad secundum, quod supponit actum primum, antequam compleatur, & terminetur ad compositum. Ad tertium dicitur sufficere contactum virtutis, nam omnia accidentia consequuntur formam in composito, & tunc potest esse etiam quantitas actu, sequens naturali sequela.

Ad quartum dicitur, quod illa dicuntur vnū numero, quorum materia est vna non prima, sed proxima, & per ordinē ad talem formam, à qua est vnitas formalis præparata. Ad primum ergo patet, quod genitum, & corruptum non habeat vnam materiam proximam, sed remotam.

Et ita secundū pro nobis concludit, hoc intellecto, quod primum principium indiuiduationis nō est forma, cum sit terminus quo, nec quantitas, nisi radicaliter, vt voluit annuere S. D. de spirit. creat. artic. 8. sed est materia disposita ab agente cum ordine ad hanc formam.

Ad tertium dicitur, quod non reducitur ad diuersas species nisi vt pars illarum, quod non inconuenit.

Ad quartum dicitur, quod corrumpitur subiectiue, sed non terminatiue. Quomodo vide primo Phys.

Ad quintum principale dicitur, quod primum non esse formæ præcedentis, & corruptæ est primum esse subsequentis genitæ, quod fit in vno instanti, vt explicuimus 2. de Anima.

QVÆSTIO XIIII.

An id, ex quo aliquid fit, prædicetur de eo quod fit.

Videtur quod non. Primo, per Arist. dicentem 7. Metaphys. tex. 25. quod statua non dicitur lapis, & tamen fit ex lapide.

Secundo, esto hoc sit verum in entibus artificialibus, quia dicitur, simulacra gentiū argentum, & aurum, non tamen hoc est verum in generatione substantiali, quia materia ex qua aliquid fit non prædicatur de toto, neque aliqua pars Physica de eo, quod componit.

Tertio. Demus materiam de suo toto prædicari, non tamen hoc erit verum de materia informi. Ergo non erit verum, quod materia prædicetur de ente, quod fit, non

ens, quia significabitur per ly non ens materia sub priuatione.

Resolutio huius dubij facilis est, quod materia bifariam sumi potest. Primo denominatiue vt prescindit à priuatione,& sic prædicatur de suo toto, dicimus enim cathedra est lignea, homo est materialis, scutella est lignum iuxta ea, quæ tradit Arist.7. Metaphys. & D. Thomas 1. Perherm. quia termini significantes huiusmodi composita sunt connotatiui,& consequenter possunt supponere pro materiali connotando, quod habeat materiæ compositionem. Idem dicitur de terminis concretis subiectis formarum artificialium, quia ista nomina sunt connotatiua, & ideo supponunt pro suo materiali ligno, terra, vel ære, vnde possumus dicere,lignum est cathedra. Secundo vt annuit formam sub priuatione, & sic non prædicatur, alias duo termini contradictorij de eodem prædicarentur, quia subiectum cathedræ sub priuatione est non cathedra,& ideo non possumus dicere, id quod generatur est non ens, sumendo ly nō ens pro abstracto vt pro materia,nam pro concreto, idest pro materiali, & denominatiuo, vt significat subiectum sub priuatione cuiuslibet formæ,connotando prædicatur.

Ad primum dicitur, quod Arist. intellexit nos non posse dicere statua non est lignū, sumendo materiam sub priuatione, vt supra.

Ad secundum dicitur, quod etiam in substantialibus prædicatur materia denominatiue, Inspice ergo denominationem,& cessabit difficultas.

Ad tertium dicitur, quod probat id, quod dicimus, considerando inquam materiam sub priuatione, & non sub denominatione.

QVAESTIO XV.

An omnis generatio sit reducenda in substantiam separatam, tamquam in causam efficientem.

Videtur quod sic. Primo. Id quod est causa perpetuitatis generationis dicitur etiam causa sufficiens generationis, quia hæc idem sunt.At substantia separata est causa perpetuitatis generationis. Ergo & generationis.

Secundo. Id quod est per participationem causatur ab eo,quod est tale per essentiā. At substantia separata est talis per essentiam, & creatæ generabiles per participationem. Ergo habent pro causa substantiam separatam.

Tertio. Id generat, quod formas producit. Talis est substantia immobilis separata, quæ formas creat, non enim ex materia fieri possunt, cum ex ea non componantur tamquam ex parte sui. Creare autem est opus Dei solius.

Quarto. Virtus actiua in inferioribus est accidens. At substantia producit substantiam. Ergo generatio substantiarum inferiorum erit reducenda in substantiam separatam.

Quinto. Animalia genita ex putri non habent causam immediatam,sed intelligentiam cum cælo. Ergo hoc idem poterunt aliæ formæ habere.

Sexto. Causa est nobilior suo effectu. At nulla res in eadem specie est altera nobilior. Ergo reducenda erit ad substantiam separatam.

Septimo. Substantiæ corporales vltimo distant à Deo. Ergo sicut Deus est tantum agens, substantia corporalis erit tantum patiens.

Octauo. Idem non potest causare seipsum: Ergo nec alium. Tenet sequela, nam causa per se semper, & vbique est causa per se.

Nono. Omne esse est à Deo. At generatio est,quæ dat esse. Ergo erit à Deo.

Decimo. Per Boetium lib. de trinitate formæ, quæ sunt in materia, sunt a formis sine materia. Ergo à Deo, vel intelligentijs.

Quoniam hanc quæstionem etiam examinauimus in Metaphys. ideo nunc breuiter perlustrabitur.

Dicendum est ergo, quod vel loquimur de productione formæ eductæ de potentia materiæ,vel de anima intellectiua. Si secundum pro nunc vt clarum relinquimus, quod à solo Deo creatur, & non educitur ab agente creato de potentia materiæ, quia sic ab ea dependeret, & esset corruptibilis.

Loquimur ergo de formis per generationem de potentia materiæ eductis.

Considerandum est. Secundo, quod aliud est

est dicere, quod substantia separata concurrat ad generationem omnium formarum, & aliud quod tantum, ita vt excludantur omnes causæ secundæ.

Primum quidem verum est, & concessum, quia secunda causa non mouetur nisi mota à prima, & Deus gubernat, & producit inferiora per superiora, de qua re lege D. Tho. 3. contra Gentes cap. 70. Cap. 2. dist. 1. quæst. 2. conclus. 6. Secundum vero est negandum, quia corpora inferiora habent virtutem producendi substantiam, & accidentia in suis speciebus. Nam hoc suadent. Primo esse creaturarum, quæ à Deo creatæ sunt vt sint, & operantur etiam. Secundo ordo agentium, & patientium, quia quædam facta sunt ad agendum, alia ad patiendum. Tertio, firmitas cognitionis, quæ debet reducere effectus in suas causas. Quarto, similitudo vnius cum alio, quia simile oportet esse à simili.

Sed notandum est secundo, quod aliud est quærere de causalitate secundarum causarum, & aliud de ratione perpetuitatis earum.

Primum quidem admittimus, at secundum eis negamus, dicendo causam perpetuitatis generationum, & corruptionum non esse causas inferiores, quæ sunt generabiles, & corruptibiles, sed substantiam separatam, quæ est perpetua, & incorruptibilis. Quod docuit aperte Arist. 8. Phys. & 12. Metaph. tex. 33. nec circa hoc modo est immorandum.

Ad primum negatur maior in hoc sensu, quod omnis causa generationis, sit etiam causa perpetuitatis eiusdem. Valet enim tantum in prima causa, non vero in secunda, nam aliud est generare, & aliud manutenere perpetuitatem corruptibilis generationis. Primum enim non est negatũ causis secundis, quia sunt causæ, secundum non est eis concessum, quia non sunt perpetuæ, nec agunt ad perpetuitatem.

Ad secundum dicitur ad maiorem, quod causatur ab eo quod est tale per essentiam non immediate, quia hoc est munus secundæ causæ, sed primo, quia est prima causa.

Ad tertium negatur minor, si addatur ly sola, Ad id quod obiicitur, quod non fiunt ex materia dicitur, sufficere quod ex virtute agentis deducantur ex materia, idest quod virtus agentis in materiam eas caussett, vt diximus, 1. Physicor. & hæc non est creatio.

Ad quartum dicitur ad minorem, quod substantia producit substantiam non immediate, sed mediate, idest mediantibus qualitatibus alteratiuis, & dispositiuis, & potentia agente, quæ est de genere qualitatis.

Ad quintum negatur sequela, quia ad productionem animalium perfectorum requiruntur aliæ dispositiones, quam sint illæ quas reperit cælũ in putri. Plus enim requiritur ad generationem perfecti animalis, quam imperfecti, vt docuimus 8. Physicor.

Ad sextum dicitur ad maiorem, quod causa est nobilior sub effectu in eadem specie, & si non quo ad esse, quia est eiusdem speciei, & naturæ, tamen quo ad rationem agendi, quia nobiliorem præsefert rationem agere, quam pati.

Ad septimum negatur maior, non enim substantiæ corporales sunt in vltima distantia à Deo, sed materia prima, & ideo sicut Deus, est tantum agens, & non patiens; ita materia prima est tantum potentia, & non actus, passiua, & non actiua.

Ad octauum negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod valet in agente, & causa, vt talis est, non vt est ab alio.

Ad nonum, pro nunc dicimus ad maiorem, quod esse est à Deo effectiue, quia ipse est qui producit esse, in genere tamen concausæ potest esse ab agente creato, & in genere causæ formalis à forma, vt docuit S.D. 3. contra Gentes cap. 66. & p.p. quęst. 50. art. vlt.

Ad decimum dicendum, quod Boetius intellexit formas, quæ sunt in materia, esse à formis, quæ sũt extra materiã, vt à causis superioribus, non vt à causis immediatis.

QVÆSTIO XVI.

An generatio vnius, alterius sit corruptio?

VIdetur quod non. Primo. Quæ identificantur cum rebus disparatis, & oppositis, non possunt de seinuicem prædicari. Sed generatio, & corruptio prædicantur de rebus disparatis, nam generatio idem est cum forma genita, & de ea dicitur, corruptio cum forma corrupta. Ergo &c.

Secundo. Dum moritur homo inducitur forma cadaueris, & tamen forma hominis nō corrumpitur.s.anima intellectiua. Ergo generatio vnius, non est alterius corruptio.

Tertio. Cum animal nutritur, cibus corrumpitur, cum non maneat illius forma. At animal tunc non generatur, quia iam erat. Ergo &c.

Quarto. Sic enim mundus semper haberet eundem numerum indiuiduorum. Probatur, quia dum vna forma corrumpitur, succedit alia. At hoc non videtur verum, neque credibile. Ergo &c.

Quinto. Dum ex elementis mixtum fit, noua mixti forma generatur, & tamen tunc nihil corrumpitur, cum elementa maneant, quæ sunt mixti materia. Materia autem est incorruptibilis ex 1.Phys.

Sexto. Cernimus multa accidentia produci, absque alicuius corruptione, vt lumen, species, colores, sapores, & odores, quæ in mixtis fiunt, nam elementa secundum se, nec odorem, nec saporem, nec colorem habent. At dum miscentur, ista acquirunt absque alicuius corruptione.

Septimo. Dum calor intenditur in subiecto, & de octauo gradu trāsit ad nonum, & decimum, ibi est generatio noui caloris, non corrupto calore. Ergo generatio vnius non est semper corruptio alterius.

In contrarium est Arist. 5. Phys. & 1. de generat. &c.

Pro explicatione huius quæstionis. Primo notandum venit, quod illud dicitur generari, quod proprie fit, & ita corrumpi. Hoc autem compositum est, vt dixit Aristot. 8. Metaphys. quare propositio ista. Generatio vnius, est corruptio alterius intelligitur non in formis, nec accidentibus, sed in substantijs completis, & perfectis subsistentibus, & sic cessant multæ difficultates. Extendendo tamen proportionem ad formas, & accidentia.

Dico primo, quo ad formas, quod vel loquimur de forma secundum se, idest, secundum suum esse absolutum, vel de ea facimus sermonem, vt forma dicitur, formaliter, quia habet actum informandi. Si secundo modo nulla erit difficultas, quia & si post corruptionem hominis, remaneat eius anima immortalis, vt dicit quod, & habet propriam subsistentiam, corrumpitur tamen eius actus informandi corpus, & eius vnio cum corpore, & sic generatio formæ cadaueris in homine, erit corruptio vnionis animæ humanæ cum corpore, & actualis eius informationis. Considerando autem animam humanam primo modo, locutus est Aristot. 12. Metaph. tex. 17. dum dixit. Causam formalem manere destructo effectu, non omnem, sed mentem, idest animam rationalem. Manet ergo anima humana post mortem corporis, sed corruptæ sunt omnes eius præcedentes dispositiones, & potentiæ sensitiuæ, & vegetatiuæ.

Secundo. Dico quo ad accidentia, quod habet tres exceptiones. Prima est, quando illa accidentia non habent contrarium, & in instanti producuntur, vt lumen in aere, & species in potentia, vel in medio. Secunda est, quando habent contrarium, sed tamen subiectum vnum illorum non sibi necessario vendicat, sed vtrumque suscipere valet. Nam quædam accidentia necessario insunt, vt calidum, vel frigidū mixto, vel saltem medium, vt corpus est coloratum, vel albo, vel nigro colore, vel medio. Alia vero accidentia sunt indifferentia, ita vt possint adesse, & abesse, vt scientia, & ignorātia, potest enim esse homo, qui sit sciens, & etiam ignorans, & in his non est necessarium, quod generatio vnius sit corruptio alterius positiue saltem, nam transit de negatione ad habitum aliud est. Tertia est, quando accidentia comproducuntur cum substantia, & non actione singulari, & seorsum producuntur, vt patet in proprietatibus alicuius rei, in odoribus, saporibus, & coloribus, quæ naturali sequela comproducuntur cū mixto sub tali dispositione. In alijs vero habentibus contrarium, & actione particulari productis tenet.

Secundo ergo loco principali ponitur ista conclusio. Generatio vnius est corruptio alterius. Probatur. Primo. Materia in generatione acquirit nouam formam, & subiectum in transmutatione nouum accidens, alias non esset generatio, vel transmutatio. Ergo necesse est, quod prior forma, vel qualitas sit corrupta.

Ad primum, quod petit difficultatem de sensu huius propositionis multi multa dixerunt. Nam Marsilius q. 5. 1. de gener. & Albertus de Saxonia dixerunt in successi-

uis

uis esse veram hanc propositionem. Generatio est corruptio, & esse, quia simul sunt. Et ita etiam in permanentibus respectu materiæ, cum eadem materia sub vtraque restet. Pro forma est falsa de præsenti, de futuro vera. Sed hæc interpretatio nimis rudis est, quia & si generatio, & corruptio simul sint tempore. i. fiant in vno instanti, quia primum non esse corrupti, est primum esse geniti, diuersam tamen habent rationem formalem, quam inspicere debemus in prædicationibus; nec mutatio dicit materiam, sed variationem formæ in materia. Alij dicunt hanc propositionem esse veram, quia generatio, & corruptio dicuntur ad conuertentiam, sicut dicitur: Pater est filij pater, & filius est patris filius. Sed hoc etiam falsum est, quia generatio, & corruptio sunt contraria, neque habent vnam relationem communem. Vera igitur est solutio Toleti 1. de generat. q. 3. quod hæc propositio non est vera formaliter, quia generatio, & corruptio habent diuersas rationes formales, sed erit vera causaliter, in hunc sensum, quod ad generationem vnius, naturali sequela sequitur corruptio alterius.

Ad secundum dictum est supra, quod anima remanet, sed vnio cum corpore, dispositiones, & potentiæ corpori cõmunes corrumpuntur.

Ad tertium dicitur, quod in nutritione est generatio secundum quid, quia noua forma, vel totius forma intrat in materiam, vel materiæ partem.

Ad quartum dicitur, non esse eundem numerum indiuiduorum, quia ex vna materia possunt produci plures formæ, vt ex vno cadauere multi vermes, & ex pluribus materijs fieri informatio vnius formæ, vt dũ homo ex multis nutritur, vnde non est vna ratio multiplicationis, & ideo generatio, & corruptio sibi succedunt, sed in numero.

Ad quintum negatur, quod elementa non corrumpantur formaliter, & quo ad propriam intensionem. Manent enim solum virtualiter, & remisse, & ex vnione illorum resultat quædam qualitas, quæ dicitur mixtionis, de qua alibi diximus.

Ad sextum dictum est, quod enumerata comproducuntur cum substantia mixti.

Ad septimum dicitur, quod illa non est generatio, sed intensio, vnde prior gradus non corrumpitur, nisi dicas corruptione perfectiua.

QVAESTIO XVII.

An generatio distinguatur ab alteratione.

Videtur quod non. Primo. Idem habent subiectum. Ergo erunt idem saltem ex subiecto, quod negatur. Antecedens probatur. Nam subiectũ alterationis est ens actu perfecto; & subiectum generationis ens actu imperfecto. i. entitatiuo, si est prima materia, & si materia disposita, cum forma non adueniat nisi materiæ dispositæ, erit ens actu informante.

Secundo. Alteratio fit per aduentum alicuius extra essentiam alterati existentis, nã in connaturalibus non est alteratio. At sicut extra essentiam subiecti sunt formæ accidentales, in quarum susceptione subiectum alterari dicitur, ita extra essentiam materiæ est forma substantialis, quæ in ea suscipitur. Ergo generatio non erit nisi quædam alteratio.

Tertio. Eodem etiam modo fiunt, nam sicut alteratio est de contrario in contrarium, ita etiã generatio, est de contrario in contrarium, vt patet dum ex aqua fit ignis.

Ab hac quæstione modo breuiter me expedio, quia infra dum de alteratione agetur, multa ad hoc propositum dicentur.

Generatio ergo sex differentijs ab alteratione secernitur. Primo, ex parte terminorum, ad quos, quia generatio est ad formã substantialem, & alteratio ad accidentalem, idest ad qualitatem. Secundo, ex parte terminorum à quibus, quia generatio est à termino à quo negatiuo, cum fit de non esse ad esse, alteratio autem est de termino à quo positiuo, ad terminum positiuum, vt de albo ad nigrum. Tertio, ex parte subiecti, quia subiectum generationis est materia prima, cum fit de non esse simpliciter, idest de ente existente in pura potentia ad ens simpliciter. i. ad ens completum in actu, subiectum vero alterationis est ens actu, prout susceptiuum est alterationis, & cõtrariorum. Quarto, ex parte motus, & mutationis, quia generatio simpliciter sumpta in instanti fit, alteratio vero cum sit successiua in tempore. Quinto, ex parte suppositionis, quia gene-

generatio ſupponit alterationem, alteratio vero non ſupponit generationem, ſed nec aliam alterationem neceſſario, niſi ſit alteratio ſecundarum qualitatum, quæ ſupponit illam, quæ eſt primarum, ſecundum Phil.7.Phyſ. Sexto, ex parte expulſionis, quia generatio non fit niſi per corruptionem præcedentis formæ, at alteratio fieri poteſt ſine expulſione præcedentis formæ, nam lumen introducitur abſque expulſione formę, & recedit abſque alterius introductione.

Ad primum nos Thomiſtæ negamus actum entitatiuum, & dicimus materiam primã, cui aduenit forma eſſe puram potentiam.

Alij dicunt actum materiæ eſſe ordinatum ad formam ſubſtantialem, & ſubiectã ad formam accidentalem, & ideo multum differre.

Ad ſecundum dicendum, quod forma aduenit materiæ per alterationem, ideſt præcedente alteratione, ſed non ſecundum alterationem, quia vnio formæ cum materia eſt ſubſtantialis, & ex materia, & forma fit vnum ſimpliciter, & per ſe, non ſic ex forma ſecũdum quam eſt alteratio, facit enim compoſitum accidentale, & vnum ſecundum quid.

Ad tertium dicitur, quod alteratio fit ex contrario poſitiuo, at generatio ex termino negatiuo, quia eſt de non eſſe ad eſſe.

QVAESTIO XVIII.

An generatio ſit vera actio inſtantanea.

Videtur quod non. Primo. Omnis mutatio quæ eſt de termino poſitiuo, ad terminum poſitiuum eſt vera actio, quia talis mutatio prius venit ad medium, antequam veniat ad extremum. At talis eſt generatio per Ariſt.5.Phyſ.c.1. Ergo &c.

Secundo. Generatio eſt vera, & realis actio per Ariſt.5. Phyſ. vbi eam vocat veram, & realem mutationem, & materiæ tranſmutationem, idem repetit tex.8.9. & 51.

Tertio. Actio qua agens nutritur eſt vera actio. At talis eſt generatio ſecundum quid, ſimilis generationi ſimpliciter. Ergo erit vera actio.

Circa præſentem difficultatem duæ ſunt opiniones. Prima eſt Gandauenſis quod.9. q.4. Scoti.2.d.2.q.9.Cap.2.d.13.q.1.art.3. Alenſis 3.p. q.7. memb.6. Auerrois lib.4. Phyſ. com.129. & lib.5. com.8. Simplicij lib.5. eiuſdem com.8. Soncinatis 8.Metaphyſ.q.14.ad 1. Hi dicunt generationem eſſe veram, & realem actionem diſtinctã ab alteratione, non ſolum in ratione termini, & formæ (hoc enim diximus ſupra) ſed etiam actionis, quia alia eſt actio alterationis ſucceſſiua, & alia introductionis formæ ſubſtantialis, quæ dicitur generatio, vnde dicendum venit, quod ad introductionem formæ duę verę actiones concurrant. Vna præparatiua, & diſpoſitiua, & hæc eſt actio alterationis, & altera formæ introductiua, & hæc eſt generatio propriè.

In contrarium ſunt Herueus de vnitate formarum.q.17. Caiet.p.p.q.54.art.3. & de ente, & eſſentia.q.17. & S.D.q. de po.3. art.3.vbi docet generationem eſſe terminum extrinſecum generationis, quia poſt eam in inſtanti ſequitur, adeo vt corruptio præcedentium diſpoſitionum ſit eademmet actio non intrinſeca eis, quia non producit terminum alterationis tantum, ſed extrinſeca, quia producit terminum ſubſtantialem, ideſt formam ſubſtantialẽ.

Notandum eſt ergo, quod duplex eſt genus formarum. Primum dicitur diſpoſitiuarum, ſeu diſpoſitionum, quod ſuſcipit magis, & minus, quia de eſſe minus diſpoſito tranſitur ad eſſe magis diſpoſitum, taliter, quod vltima diſpoſitio ad formam cenſetur eiuſdem ordinis cum forma. Vere tamen diſponit ſolum, & non terminat generationem. Secundum vero genus eſt formarum generationem terminantium, quæ nihil aliud habent facere, niſi ipſam terminare, vnde omnis eorum actio eſt terminatio. Cum igitur dicamus generationem eſſe formæ vnionẽ, & terminationem ad eſſe cõpoſiti, quod fit naturali ſequela ex vnione cum materia, non videmus, quomodo generationem debeamus vocare actionem, cum actio motum importet, & non terminum motus. Tenemus ergo cum Caiet. generationem non dicere ſingularem actionẽ ab ea quæ eſt diſpoſitionum, quia vna eademque actione, vno eodemque inſtanti, quo prauiæ diſpoſitiones corrumpuntur, forma ſubſtantialis generationem terminans introducitur, cum primum non eſſe præcedentium diſpoſitionum, ſit primum eſſe ſubſequentis formæ.

Con-

Conclusio ergo est. Generatio non est vera, realis, & propria actio distincta ab actione praecedentium dispositionum. Probatur primo. Substantia non est immediatum principium suae operationis, sed medijs accidentibus agit, verbi gratia, generans immediate nõ introducit formam in materia, sed prius illam praeuijs dispositionibus praeparat, vt patet, & ad longum probaui in Metaphysicis. Vel igitur post praeparationem sequitur naturali sequela forma, quia.s.de ratione vltimae dispositionis est producere sua actione formam, vel non sequitur. Secundum non est dicendum, quia per Arist. dicitur momentanea, quia fit in instanti corruptionis praecedentium formarum. Si primũ nulla est necessaria particularis actio, cũ terminatio vltimae dispositionis fit introductio vltimae formae.

Respondent aduersarij, quod in instanti generationis corrumpuntur quidam praeuiae formae, seu dispositiones actualiter, sed remanent virtualiter, quia intelligitur agens, seu generans earum vi generare.

Sed quid ad nos? quid enim refert, quod virtualiter maneant, si adhuc necessaria est noua actio? Aut enim sua natura sufficiunt ad producendum terminum generationis, aut non. Secundum non est dicendum, quia sunt vltimae. Si primum ergo non est necessaria alia actio.

Secundo. Omnis actio recipitur in subiecto singulari, actu existente, cum sit accidens, per Arist. 1. Metaphys. cap. 1. At generatio, vt dicit introductionem formae nõ est accidens receptum in subiecto actu existente, cum eius subiectum sit materia prima, vt testatur idem Aristot. 1. de gener. tex. 24. Ergo generatio non dicit singularem actionem.

Respondent aduersarij, quod generatio in materiam recipitur, sed in singulari sustentatur, & quod est prior in genere causae effectiuae, sed posterior in genere causae materialis.

Sed certe haec responsio non tollit vim argumenti nostri. Nam generatio, vt actio, secundum aduersarios debet anteire omnem terminum suum.s. per ipsam productum, & debet cessare in productione termini, aliter dum res esset genita, adhuc generaretur, quod nullo modo est verum, nec effectiue, nec materialiter. Ergo cum tunc nõ intelligatur esse genitum adhuc, sed tantum materia nuda subiecta generationi, non potest esse accidens in subiecto actu.

Tertio probatur ex Arist. Nam in lib. Categoriarum c. 13. generationem enumerat inter species motus, & ita 3. Phys. tex. 6. Et 6. Phys. tex. 22. probat id quod mutatur esse partim in termino à quo, & partim in termino ad quem, & tex. 54. & 55. ait, omne quod mutatur, in tempore mutari. Haec autem de simplici introductione formae verificari non possunt, cum haec sit instantanea. Ergo ista non verificantur nisi sumendo generationem, vt dicit actionem praecedentium dispositionum alterantium, & sic nulla alia erit actio seorsum in generatione, nisi actio dispositionum praeparantium, & conducentium vltimam formam ad vnionem.

Respondent aduersarij, Arist. tunc loqui de generatione, vt dicit praeuias dispositiones, non vero vt dicit tantum introductionem vltimae formae, quia ista est instantanea.

At hoc pro nobis est. Duo enim ista copulamus. Generatio est motus, & est temporanea &c. vt dicit praeuias dispositiones, quae tunc desinunt, cum in vno instanti forma vltima introducitur. Ergo non possunt ibi esse actio, & actio. Actio, scilicet dispositionum, & actio generationis, cum terminatio generationis sit instantanea.

Ad primum ergo in contrarium negatur minor loquendo de generatione, vt dicit simplicem introductionem formae, Arist. enim ibi loquitur de ea vt includit praeuias dispositiones. Clarum est enim in lib. 5. Phys. saepius Arist. dixisse motum esse inter terminos positiuos, scilicet de esse hoc, ad esse hoc, generationẽ vero inter contradictorios.s.de non esse, ad esse.

Ad secundum idem dicitur, quod ibi sumitur generatio, vt praeuias dispositiones includit, & non solum vt dicit terminationem generationis.

Ad tertium dicetur infra, pro nunc dicitur, quod illa non erit generatio proprie, sed augmentum.

QVAE-

QVÆSTIO XIX.

An generatio consistat in productione totius, vel formæ, vel vnione cum materia.

Videtur quod non stet in productione totius. Nam quod fit naturali sequela non dicitur proprie fieri, sed confieri. At compositum seu totum naturali sequela fit, & resultat ex vnione formæ cum materia. Ergo non consistit in productione totius.

Secundo. Nec videtur consistere in productione formæ. Quia productio formæ, & per se, & intrinsece non pertinet ad generationem, nam in resurrectione, quæ videtur iterata quasi generatio non producetur forma, sed vnietur, & copulatio formæ dicitur generatio, vnde quamuis homo non producat animam intellectinã, quæ creatur à Deo, attamen quia agit ad eius vnionem, ideo dicitur generare hominem.

Tertio. Non videtur consistere in introductione formæ, quia generatio dicit transitum, de non esse ad esse, introductio autem supponit esse.

Pro resolutione huius quæstionis sciendum est primo, quod de generatione bifariam loqui possumus. Primo, de generatione, seu melius dicam de ratione formali generationis illarum formarum, quæ educuntur de potentia materiæ. Secundo, de ratione formali generationis animæ intellectiuæ, quæ à solo Deo creatur. Loquendo de primis videtur communis sententia, quod ratio formalis istarum consistat in earum vnione, & informatione corporis. Nam tria sunt consideranda in generatione. Primum est productio, seu eductio formæ de potentia materiæ, & in hac non videtur collocata ratio formalis generationis, quia significat actionem agentis educentis illam de potentia, vnde educere aliud sonat à generare. Secundum est informare materiam, quia dum est educta de eius potentia non intelligitur amplius habere in ea rationem potentialis, sed tantum actuantis, educta est enim vt actuet, & informet, & in actu existere faciat, & ita dum actuat materiã facit, eam de non esse simpliciter, idest de esse in potentia transire ad esse simpliciter, idest in actu, in quo collocata est ratio, & definitio generationis. Tertium vero sequitur .s. subsistentia compositi, ex vnione enim formæ, cum materia resultat compositum subsistens; quod dicitur terminus generationis vt quod, forma enim est eius terminus vt quo. Difficultas ergo est de anima intellectiua, quæ non educitur de potentia materiæ à generante.

Secundo ergo notandum venit, quod circa hanc partem sunt duæ opiniones. Prima, tenet hominem in generatione hominis nullam habere actionem, quæ intrinsece animam rationalem attingat, sed solum eius partes esse præparare, & disponere materiam, qua facta præparatione Deus animam infundit. Hanc tenent Scotus 1. dist. 17. quæst. 3. Ricardus eadem dist. & quæst. 3. Capreolus dist. 15. quæst. vnica. Bassolis dist. 19. quæst. vnica artic. 3. Ferr. 2. contra Gentes cap. 89. & videtur assentire S.D. eo in loco, & p.p. quæst. 118. art. 2. ad 4.

Primo. Quia videtur frustra esse, quod homo generans, animam à Deo creatam, vniat, cum tunc Deus eodem instanti quo animam creat, etiam infundat.

Secundo. Quia potentia materialis, & corporalis vt est potentia hominis, non potest habere terminum spiritualem .s. vnionem spiritus.

Secunda sententia docet hominem in generatione hominis non solum materiam disponere, verum etiam animæ vnionem ab intrinseco attingere, quia & si Deus sibi reseruauit creationem animæ, non tamen demit ab homine agere ad vnionem eius cum materia.

Hanc complexi sunt Caiet. p. p. quæst. 18. artic. 2. Soncinas 8. Metaphys. quæst. 14. Conimb. 1. de generat. quæst. 13. Quam videtur approbasse S.D. in quæst. disputatis quæst. vnica de Anima artic. 1. dum dicit animam quo ad actum informandi, & actuandi materiam ab homine generante dependere. Idem videtur docuisse Scotus 4. dist. 43. quæst. 3. artic. 3. & Cap. quæst. 2. art. 3. dum affirmant animam non posse se vnire materiæ.

Hanc sententiam libentius sequimur, & nos, & consideramus, quod sicut albificatio non est productio, nec albedinis, nec parietis

rietis albificati, sed est vnio albedinis cum pariete, ita generatio non est necessario, nec productio formæ, nec materiæ, sed vnio formæ cum materia, & eius introductio, & ideo cum dicat Arist. Solem, & hominem generare hominem, oportet vt si non creat, nec materiam, nec formam, quod saltem introducat animam, seu agat ad eius vnionem.

Conclusio ergo est. Homo dicitur generare hominem, quia intrinsece attingit vnionem animæ à Deo creatæ cum materia. Probatur primo. Generatio, vel dicitur vniuoce de generatione viuentiũ, vel non secundum non est dicendum, cum Arist. vnicam tantum rationem generationi attribuerit, & eandem quam alijs dedit, homini etiam adscripsit, vnde 2. Phy. tex. 26. dixit Solem, & hominem generare hominem, & 2. de generat. tex. 39. & 12. Metaphys. tex. 13. generationem hominis dicit esse ab homine. Et 2. de partibus animalium c. 1. addat. Homo generat hominem, vt stirps stirpem ex subiecta sibi materia, quod non potest intelligi nisi quo ad vnionem, cum alibi dixerit mentem deforis venire. Si primum, cum vt diximus generatio consistat in vnione, homo dicetur agere ad vnionem animæ.

Secundo. Vel homo concurrit actiue ad generationem hominis, vel non. Secundum non est affirmandum, vt omni Philosophię contrarium. Si primum, ergo non agit tantum ex parte dispositionum ad præparandam materiam, omne enim quod ex parte dispositionum est, induit vim causæ materialis, sed etiam ad vnionem operatur, quia in hoc stat ratio actiua generationis.

Tertio. Vel est vera relatio inter Socratem patrem, & Platonem filium, vel non. Secundum nullus Philosophorum admittet. Si primum, relatio pro fundamento habet virtutem generatiua. At virtus dispositiua non est generatiuam, dispositiua enim respicit materiam disponendam, & generatiua formam introducendam. Ergo dicendum venit, quod homo pater attingat vnionem animæ filij.

Quarto. Deus in generatione non concurrit nisi vt prima causa, & homo vt secunda. Ergo oportet hominem etiam agere ad vnionem.

Ad primum autem principale non oportet respondere, quia pro nobis est.

Ad secundum similiter pro nobis, & à nobis dicta stant.

Ad tertium dicendum, quod generatio bifariam considerari potest. Primo, in ordine ad causam effectiuam, & ita dicitur esse transitus de non esse ad esse virtute, & actione agentis. Secundo in ordine ad suam rationem formalem, & ita affirmauimus consistere in vnione, & in formatione.

Ad primum aduersariorum dicitur, id non esse frustra, sed diuinę operationi consentaneum, qua agit ad effectus secundarum causarum cum eis.

Ad secundum dicitur, quod vnio illa potest dici spiritualis actiue, & si sit ab agente corporali, Deus enim per suum generalem concursum eleuat virtutem generatiuam hominis, vt animæ vnionem attingat. Secundo dicitur, quod anima intellectiua duobus modis considerari potest. Primo secundum suum esse, & sic est substantia, spiritualis, & immaterialis, à solo Deo creabilis. Secundo, quo ad actum in formandi corpus humanum, & actuandi, & sic dicit Caiet. pendet à corpore, nam sicut quo ad intelligere dependet, à corpore, vt ab obiecto, & si non vt ab organo, quia indiget fantasmatibus pro hoc statu ad intelligendum, ita quod ad actũ informandi dependet ab agente creato, quia sic creatur à Deo.

QVÆSTIO XX.

An generatio hominis, & aliorum, sine mare, vel fœmina, & animalium sit vniuoca.

Videtur quod non. Primo. Nihil est commune vniuocum supernaturali, & naturali. At generatio hominis est supranaturalis, idest à Deo, aliorum animalium naturalis, idest ab animalibus. Ergo generatio de his non potest dici vniuoce.

Secundo. Quid dicemus de generatione Adę sine mare, & fœmina? Quid de ea quæ fuit Euæ, sine fœmina, sed ex costa Adæ? Quid de generatione Christi sine patre, carnali inquam, & ex fœmina? In his enim generans creatum nullam actionem habuit ad vnionem. Secundo. Nec sunt actiones vitales cum prima, & secunda,

non sint à principio viuente coniuncto.

Tertio. Quid dicendum de resurrectione, quando anima denuo diuina potentia, reunienda erit corpori? Potestne vocari generatio vniuoca?

Quarto. Generatio Christi pro termino habuit diuinum suppositum, quia tantum fuit vna persona Christi, itaque suppositum diuinum terminauit generationem verbi incarnati. At persona analogice dicitur de diuina, & humana. Ergo, & generatio.

Occasio huius difficultatis est, quoniã apud D. Augustinum opusc. ad fratres in heremo (si eius est) D. Anselmus lib. 2. Cur Deus homo, & multi alij dicunt quatuor modis dici humanam generationem. Primo, sine mare, & fœmina, vt fuit illa Adami, à Deo immediate creati. Secundo, sine fœmina, sed concurrente mare aliquo modo, vt fuit formatio Euæ, ex costa Adam. Tertio, absque mare, fœmina concurrente, vt fuit generatio Christi, in qua ipsa omnia illa præstitit, quæ ad veram generationem ex parte matris præstanda veniunt, vnde dicitur eius vera, legitima, & propria mater, vt definit Concilium Ephesinum, & Calcedonense, & in 6. Synodo act. 4. & 11. & habetur in 7. Synodo act. 4. & 7. In concilio Lat. sub Martino 1. cap. 3. Quamuis id quod ex parte patris est, præstitum fuerit à Spiritosanto iuxta illud Lucæ Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi.

Vnde ad euocandum, & attrahendum purissimum Virginis sanctæ sanguinem ad locum conceptionis sine pollutione, & ad delineandũ, & formandumque in instanti temporis corpus Christi, & ad præparationem materiæ, & organorum distinctionem, quæ in alijs masculis spatio 40. dierum circiter perficitur, & in momento in vtero virginis perfectum est, & si Spiritusancto effectiue cõcurrerit, ipsa tamen Deipara tantum quantum solent aliæ matres in tempore facere ipsa conuenit, vt docet S. D. 3. p. quæst. 33. art. 1. D. Bonauentura 3. dist. 3. quæst. vlt. & alij. Quarto, cum mare, & fœminæ, vt solet esse ordinaria generatio animalium omniũ perfectorum. Quinto, sine mare, & fœmina, concurrente tamen anima, & corpore, vt notum est in resurrectione, quæ à D. Paulo act. 13. vocatur generatio. Et Matthæi 19. regeneratio. Cum igitur tot modis dicatur, difficultas surrexit, an vniuoce de eis dicatur, nam quod vniuoce prædicetur de generatione omnium animalium, nulla, aut parua est difficultas.

Secundo ergo notandum venit, quod generatio bifariam considerari potest. Primo, quo ad suam rationem formalem, & quidditatiuam, idest quo ad vnionem animæ cum corpore, præcise hoc, & tantum considerando. Secundo, quo ad ea quæ ipsam præcedunt, vel comitantur ab extrinseco, vt esse ab hoc, vel illo agente, virtute naturali, vel supranaturali, hoc, vel illo modo. Intrinseca enim ratio generationis, non pendet ab agente, vt probauit Cap. 1. dist. 5. quæst. vnica ad 2. Nam eadem esset illuminatio si à Deo fieret solo, sicut modo fit à Sole, & eadem est virtus visiua data à Deo miraculose, & à natura producta, quamuis modus diuersificetur. Primo ergo modo possumus dicere generationem dici vniuoce, quia eodem modo vnionis fuit anima omnium illorum vnita ipsorum corporibus s. substantialiter, ad informandum corpus, ad exercendas operationes corporeas, partis sensitiuæ, & vegetatiuæ, & fuit idem intellectus, & idem modus intelligendi per conuersionem ad fantasmata in omnibus illis in cognitione acquisita, & ideo generatio sic dicitur de eis vniuoce. *Secundo vero modo* analogice, secundum quod modus, agens, & actio fuit in vno nobilior, quam in alio.

Ad primum igitur nihil occurrit dicendum, nisi esse respiciendam vnionem animæ, & informationem, non producentem &c.

Ad secundum patet per supradicta.

Ad tertium idem dicimus notando solum, quod in corpore humano defuncto, & si non sit potentia naturalis, ad reunionem animæ, cum naturaliter à priuatione ad habitum non detur regressus, est tamen in eo potentia obedientialis, quæ reddit materiam non reluctantem diuinæ actioni, sed ei ad nutum obedientem.

Ad quartum dicendum, quod non personalitas in generatione inspicitur, (*hæc enim potest esse analoga*) sed vnio, & informatio materiæ, quæ vere, & proprie conuenit animæ Christi, respectu suæ humanitatis, sicut etiam conuenit alijs ani-

animabus hominum, respectu corporum suorum propriorum.

QVÆSTIO XXI.

An generatio sit conuersio.

Videtur quod non. Primo. Terminus à quo cōuersionis est aliquid positiuum, vt dicemus. At terminus a quo generationis est negatiuus, cum sit de non esse ad esse. Ergo non erit conuersio.

Secundo. In generatione eadem materia manet. At in conuersione interdum manet, vt de virga Aron affirmat S.D. 2.dist. 18.quæst.1.art.3. ad 4. & D. Io. Chrisost. in Io. hom.21. aliquando non, vt in augustissimo Sacramento Eucharistiæ, in quo nec materia, nec forma panis manet. Ergo.

Tertio. Conuersio duas actiones dicit, vnam negatiuam qua res, quæ conuertitur euanescit, alteram positiuam, qua id ponitur, in quo conuersio fit. At generatio vnam simplicem actionem dicit, idest informationem. Et si terminus ad quem possit esse idem, hoc tamen non officiet, quia creatio hominis, & generatio eiusdem habent eundem terminum, scilicet productionem, & informationem, & tamen specie distinguuntur.

Ad habendam veritatem huius quæstionis primo annotare oportet conditiones conuersionis, quas bene adduxit Collegium Conimb.1.de generat. quæst.11.

Prima ergo conditio conuersionis est, vt id quod conuertitur desinat esse. Hoc autem duobus modis fieri potest. Primo, quo ad materiam, & formā, vt in sacro Eucharistiæ mysterio, vbi fit conuersio totalis substantiæ panis in corpus Christi, vt docuit S.D.3.p. quæst.75. art.6. & in 4. dist. 11. & definiuit Concilium Trid. sess. 13. cap.8. can.2. Potest enim Deus, & materiam, & formam simul tollere, vt est apud S. Tho. 4. contra Gentes cap. 63. & 3.p. quæst.75.art.4.ad 3. Et ideo non possumus dicere panis fit corpus Christi, sicut possumus dicere album, fit nigrum, quia tunc manet idem subiectum, non hic. Secundo, potest fieri quo ad formam tantum, remanente materia, vt cum ex aere fit ignis, & vxor Loth conuersa est in statuam Salis, quod enim formam quæ dat esse, specificum, & formale amittit, in aliud transire oportet, & in his vti possumus ly ex, & de, idest ex aere fit ignis, & de carne vxoris Loth facta est statua salis, ratio est, quia manet in his conuersionibus materia, quamuis sub duplici forma. Vbi autē totalis est mutatio rectius dicitur, vnum fit post aliud. Conuersio ergo primo postulat quod id quod conuertitur esse desinat. Hinc D.Aug.18. de ciuitate Dei cap. 18. asserit non fuisse veras conuersiones illas quas Ethnici prædicant à Magis, & Dijs effectas, vt Arcadum in Lupos Sociorum Diamedis in aues, comitum Vlissis in genera diuersa bestiarum. Iphigeniæ in Ceruam, & similes, quia non desinebant esse, nec quo ad materiam, nec quo ad formam, sed Demonum præstigijs humano aspectui subtrahebantur.

Secunda conditio est, vt id, in quo fit conuersio, aliquo modo, vel esse accipiat nouum, (vt vxor Loth accepit esse salis, & aqua facta vinum à Domino nostro conuersa esse vini) vel aliquam saltem dependentiam, (vt in Sacramento Altaris in quo Christus non accipit nouum esse substantiale, cum illud à patre habeat, at nouum modum essendi in eo tamquam in Sacramento, cum dependentia à speciebus sic, quod eis corruptis, ibi desinit esse) non enim res diceretur in aliud conuerti, nisi nouum esse, vel modnm, vel dependentium acquireret, aliter se haberet vt prius.

Tertia est, quod versetur inter duos terminos vtrimque positiuos, secundum Scotum in 4.dist.11. quæst.3. nam nihil amittit esse, nisi prius habeat esse.

Quarta est, quod reperiatur connexio, & dependentia inter desitionem termini à quo, & successionem termini ad quem, ita vt hic subsequatur, quia ille desinit, aliter hæc non esset conuersio, sed esset simplex desitio vnius, & simplex productio alterius.

Quinta est, vt aliquod commune vtrique termino remaneat, vel materia, vt in communibus conuersionibus, vel species, vt in conuersione Eucharistiæ ex pane, remanent enim hinc, & inde illæ species panis, & vini. Quod docuit S. D.3.p. quæst. 75. & 4. contra Gentes cap.63. & Scotus in 4. dist.9. quæst.2. art.2. ad 3. Absoluta tamen Dei potentia aliud fieri posset, vt

si Deus ex lapide faceret Angelum, & si probabile sit, quod tunc remanerent aliqua accidentia, similia saltem, quę iam extiterant in lapide.

Secundo ergo dicendum venit, quod generatio, & conuersio bifariam considerari possunt. Primo seorsum, & sic differunt secundum supradicta, eo pracipue, quia conuersio dicit terminum à quo positiuū, & generatio negatiuum, & hoc probant argumenta. Secundo, vt simul possunt conuenire propterea, quod generatio rei naturalis est conuersio, verbi gratia, dum ex aere fit ignis illa est generatio, & conuersio. Ita dicunt Conimb. 1. de generat. quæst. 11. At ego non recipio hanc sententiam, quia generatio, vt generatio semper est de termino negatiuo ad positiuum, & non de positiuo ad positiuum, vt est conuersio, vnde non prius ex aere generatur ignis, quin prior aer non fuerit corruptus, cum generatio vnius, sit corruptio alterius.

Proprie igitur generatio, & conuersio distinguuntur, nec vnum aliud dici potest proprie, sed tantum improprie, & secundum quid, & ideo conuersio poterit dici generatio secundum quid. Nec obijcias generationem stare in informatione, hoc enim verum est, sed cum remotione omnis actualitatis præcedentis, cum sit transitus de pura potentia ad actum.

Ad argumenta ergo dicitur, quod pro nostra opinione concludunt.

QVÆSTIO XXII.

An generatio per se intendatur à natura.

Videtur quod non. Primo. Intentio naturæ est circa conseruationem speciei, non vero circa singularia versatur, cum ista infinita sint, & corruptibilia, vt dicit Auicenna 1. Suff. cap. 1. & S.D. 2. contra Gentes cap. 89. & Arist. lib. 2. de cælo tex. 34. & 1. de generat. animalium cap. 1. At generatio est singularum subsistentiū actio, vt dicitur 1. Metaphys. Ergo non erit per se intenta à natura.

Secundo. Natura per se non intendit imperfecta per Arist. de iuuentute, & senectute cap. 2. & de generat. animalium cap. 14. Nec monstra ex 2. Phys. At generatio sæpe est imperfectorum, & facit monstra. Ergo non erit per se intenta à natura.

Tertio. Generatio abundat multum in fœminis, vt docet experientia. At fœmina non est per se intenta à natura, est enim mas occasionatus per Arist. 2. de generat. animalium cap. 3. & 7. politicorum cap. 16. Ergo &c.

In contrarium est primo, quod generatio est opus naturalissimum viuentium, vt dicitur 2. de Anima, naturalia autem sunt maxime intenta. Secundo, quod est opus necessarissimum, ad conseruandum totum vniuersum, & species omnium corruptibilium. Et tertio, quod est actio reparatiua, & conseruatiua vniuersi, & vicissitudo rerum.

Ad primum ergo dicitur ad maiorem, quod esse per se intentum stat dupliciter. Primo, per se primo, & principaliter, & sic intēditur species, vt dicit Auicenna, quia est bonum vniuersalius, perfectius, & perpetuum. Secundo per se secundario, & sic sunt intenta singularia etiam corruptibilia, quia cum species non existat nisi in singularibus, & illa sint corruptibilia, nisi natura esset sollicita de eorum generatione, species deficeret. Et quamuis sint infinita syncategorematice, sunt tamen per se intenta, quia natura non haberet nisi infinitum in actu, & categorematicū, non vero syncategorematicum, & cum continua successione.

Ad secūdum dicendum, quod imperfectum duobus modis sumitur. Primo per se, quia de se sunt de naturis, & speciebus rerum imperfectarum, vt sunt ea animalia, quæ à putri, & a semine ortum ducere possunt. Secundo per aliud, seu per accidens, vt sunt monstra in natura humana, quæ de se est perfecta. Loquendo de primis, dicimus eas species esse per se à natura intentas, quia natura non intendit omnia facere eiusdem perfectionis, sed magis, & minus ad vniuersi varietatem. Loquendo vero de secundis, affirmauimus 2. Physic. quod & si monstra non sint intenta à natura particulari, nisi secundo, ne. s. totaliter frustretur sua actio, attamen a natura vniuersali intenduntur, quia nihil fit præter eius intentionem, cum talis natura sit Deus, seu secundum Philosophos prima intelligentia, vnde impedimentum, quod efficit ne generatio sit perfecta non est præter eius intentionem, sed ab eo

ele-

electum, vt eo posito hoc sequatur. Quare dicunt Theologhi nil præter Dei voluntatem, & scientiam euenire, & has esse primas rerum radices contingentiæ libertatis, & necessitatis, quia per causas, liberas libera producit, per contingentes contingentia, & per necessarias, necessaria.

Ad tertium respondet S D.p.p.quæst.92.art. 1. ad 1. & 3. contra Gentes cap.94. quod generatio fœminæ bifariam considerari potest: Primo, in ordine ad causam particularem agentem, idest ad marem generantem. Secundo, in ordine ad auctorem naturæ. Primo modo est mas occasionatus, quia agens intendit sibi producere simile, pro quanto potest, & hoc dico, vt plurimum, (est enim Physica propositio) quandoque autem pater multum cupit generare fœminam, & non masculum, sed hoc fere per accidens est.

In ordine igitur ad patrem virum masculū fœmina dicitur vir occasionatus, quia intendit sibi simile producere etiam in sexu, quod vero nascatur femina dicunt D. D. posse per aliud prouenire. Primo, propter virtutis actiuæ debilitatem, quia si virtus fœminæ, virtutem masculi in generatione superet, fœmina generabitur, quia virtus fortior sibi assimilat effectum. Secundo, propter materiæ indispositionem, quia si teneat magis de frigido, & humido, quam de calido, genitum erit fœmina. Tertio, propter extrinsecum, quia vt dicit Arist. de generatione animalium, si generatio fit dum venti australes flant, qui sua natura sunt humidi, quod tunc generabitur erit fœminei sexus. Quarto, propter vehementiam imaginatiuæ tempore coitus, & conceptionis, de qua re videndus est Auicenna lib.5. de Anima. Galenus lib. de Theriac. ad Pis. Fernel. 7. Phys. cap.12. & D.Tho 2.dist.20. quæst.2. art.1. In ordine vero ad auctorem naturæ fœmina est per se intenta, quoniam humana generatio non poterat esse, & conseruari sine femina, & ideo dicitur in Genesi masculum, & fœminam fecit eos. Est tamen verum, quod auctor naturæ. Primo intendit masculum in ratione perfectionis, sed in ratione necessitatis suo modo vtrumque.

QVAESTIO XXIII.

An in generatione cor efformetur, ante omnia membra.

Videtur quod non. Primo. Quæ indissolubili nexu simul coherent, & ad mutuam opem consentiunt, vnum non potest esse nec generari sine alio. At omnia membra corporis simul coherent, & adinuicem dependent. Ergo simul generantur, & non vnum prius alio.

Secundo. Aliud est enim quod natura prius delineret aliqua membra, & aliud quod vnum prius generet quam aliud. Verum est primum, sed falsum est secũdum, nam hepar, cordi, & cerebro alimentum præbet, cor cerebro, & hepati vitam, cerebrum hepati, & cordi sensum præstat. Si igitur vnum prius generaretur alio, ociosum staret, nec cum alio conuenientiam, & consensum necessarium haberet. Hæc igitur sententia tenet omnia membra simul efformari, & non vnum prius altero.

Sed hæc sententia stare non potest. Primo Quod oculorum visu conspicue cernitur in formatione fætus, non est negandum. At in aborsu dilucide cernitur quædam membra prius alijs efformari, vt tradunt Plutarchus lib.4. de placitis cap.17. Arist. lib.2. de generat. animalium cap.1. Ita in procreatione stirpium cernimus semen prius facere fibras radices, & deinde assurgere truncus, explicari ramos, folia, frondes, & tandem fructus. Ista autem proueniunt à vegetatiua, quæ etiam hominibus in initio suæ generationis communis est forma.

Secundo. Natura de imperfecto tendit ad perfectum, & de principali ad minus principale, & veluti prudens architectus primo iacit fundamenta, & deinde construit totam fabricam. At cor est principium vitæ hominis, & fundamentum, & veluti radix omnium membrorum. Ergo putandum est naturam ab eo incipere, & deinde tendere ad perficienda alia membra. Ergo &c.

Ad primum ergo incontrarium dicitur, ad maiorem, quod coherere &c. stat dupliciter. Primo, radicaliter, & fundamentaliter, & hoc in principio euenit in cordis formatione. Secundo, actualiter, quando opus

opus est exercere actualiter opera vitæ, & tunc necesse est omnia membra actualiter coherere, & formata esse.

Ad secundum dicitur ad minorem, quod membrum primo formatum otiosum non remanet, quia operatur ad generationem aliorum membrorum. Consideranda sunt enim agentia secundum statum suum, & iuxta eius perfectionem, vel imperfectionem Philosophandum est.

Secunda igitur successit sententia in qua nō est ponenda discussio, quoniam modo non habet sequaces. Varia enim est, & infecunda, vt quod spina, quasi carina in naui primo construatur, vt dixit Empedocles, teste Galeno lib. de hist. Philos. cap. 122. Vel vmbolicus, vt voluit Democritus apud Plutarchum lib. de amore parentum erga filios, quasi sit veluti anchora ne iactetur fætus, in vtero. Ista enim non sunt membra principalia, de quibus primo sollicita est natura.

Sit igitur tertia sententia apud Medicos famosa, quod iecur, seu hepar sit primum membrum in generatione formatum.

Dicunt enim qui hanc opinionem Hippocratis lib. de natura pueri, & Galeni lib. de fetuum formatione cap. 3. sequuntur, quod primis statis diebus conflantur in vtero quasi tres bullulæ, & quod septimo die vis seminis quoddam rudimentum visceerum exhibet, & deinde ex crassiori materia primo iecur formatur, deinde ex materia tenuiori cor, & tandem ex humore altiorem locum tēdente cerebrum coalescit. Et quod quamuis hæ tres principes partes iecur, cor, & cerebrum, priusquam vmbilicus, aut aliud membrum initium sumant, tamen vmbelicus est ille qui primo consistit, & absoluitur integre. Probant ergo, quod primum membrum formatum sit hepar sic.

Contra experientiam nulla est ratio. At Hippocrates lib. de natura pueri testatur se proprijs oculis vidisse, in genitum pueri sex dierum, quoddam rubrum, & rotundum, quidam venularum lineamentis interlineatum, quod certe erat hepar, tunc nullo apparente signo cordis.

Secundo. Fætus primo viuit vita plantæ, & consequenter nutritiua indiget. At non potest nutriri sine hepate, quia hepar est officina sanguinis, & commune promptuarium, à quo alimentum post secundam concoctionem per venas, quæ ab eo oriuntur in totum corpus dispensatur, vt tandem per nutritionem in substantiam rei alitæ commutetur. Ergo ephar primo formabitur.

Tertio. Natura à facilioribus generationem exorditur. Sed facillima est ephatis generatio, gignitur enim ex sanguine absque magna commutatione, vt eius color testatur. Ergo primo formatur.

Sed quod non ephar, sed cor, sit illud quod primo in generatione formetur tenuit Arist. lib. de iuuentute, & senectute cap. 1. 3. de partibus animalium cap. 4. & de generat. animalium cap. 1. & 4. Auicenna Fen. 21. tex. Can. tract. 1. cap. 2. D. Basilius hom. in Psalmum primum. Albertus Magnus lib. 13. de animalibus cap. 4. Aphrodiseus lib. suo primo de Anima Gueuara lib. 3. de Sent. Galeni cap. 4. Garbius lib. 1. tract. 4. quæst. 49. Plinius de histor. nat. lib. 11. cap. 37. & S.D. 2. 2. quæst. 122. art. 2. & de pot. quæst. 3. art. 18. Et probatur primo. Id in generatione primo formatur, quod est fundamentum vitæ. At hoc est calor natiuus, qui à corde procedit. Ergo cor primo formatur.

Respondet aduersarij fætum habere duplicem statum, scilicet primum, & initiale, secundum perfectum, & completum. In secundo statu omnis suus calor est à corde, vnde tunc indiget respiratione, quæ ministerio pulmonum fit. In primo vero sufficit calor natiuus residens in semine, communicatus à parentibus, quia tunc viuit solum vita plantæ, vnde sicut ipsę primo viuunt calore insito, & nutriuntur, ita etiam fætus in vtero formandus.

Sed hæc responsio iudicio vero non est solida. Quia pensanda est natura animalis formandi, debet enim augeri, & nutriri fætus, vt animal, & non vt planta, quamuis solum tunc formaliter viuat vita tantum plantæ, virtualiter enim dicetur viuere vita animalis, quia ille calor est ad nutriendum, & augendum animal, vnde danda est ei sedes propria caloris animalis, quæ est cor, & non imperfectus calor communis etiam plantis.

Secundo. Quod vltimo moritur, primo viuere dicitur. Sed tale est cor, omnium consensu, palpitat enim adhuc alijs membris mortuis. Ergo.

Respondent. Primo, ex hoc colligi cor esse qui-

quidem vltimum, & primum ad motum, qui est in pulsibus, non vero omnis motus. Secundo, quod maior est falsa, quia initia vitæ tunc debilia sunt.

Sed contra primam responsionem est, quod cor est fundamentum totius vitæ, & operationum vitalium, & nō tantum illarum, quæ sunt in pulsibus. Contra secundam stat proportio, qđ sicut in fine vitæ debilis est, ita in initio. Ergo si debilis in fine, & in initio, idem pro eadem causa stabit.

Tertio. Arist. hoc testatur se proprijs oculis vidisse, & ratio pro ipso magis est, quoniam fætus duplici sanguine indiget, primo ad generationem spirituum, & arteriarum, & hic est à corde. Secundo ad nutrimentum, & hic est à matre ex menstruis, vel alio sanguine à matre subministrato, qui & hic fundamentaliter tamē initium in vtero habet a corde, & extra tandem a corde, secundum Arist. 2. de generat. animalium cap. 1. Indiget ergo magis corde, quam ephate, quia cor est ad vitam, ephar ad nutrimentum.

Ad primum magis credimus experientiæ Arist. quam Hippocratis, quoniam Arist. iussu Alexandri ex tota Asia, & Grecia ad se traxit omnia animalia, & potuit multa & propria, & aliena experientia experiri, quod non potuit Hippocrates.

Ad secundum dicendum quod dum fętus est in vtero non est necesse, quod primo proprio sanguine, in proprio ephate formato nutriatur (& si ex eo etiam in successu, dum ad perfectionem tendit nutriri credibile sit) potest enim nutriri ex sanguine per vmbelicum a matre accepto. Auicenna tamen & Fen. 21. tertij Canonis dixerunt fætum in primis diebus dum est informis nullo nutrimēto indigere, quod tamen non acceptatur, quia quod viuit, viuendo nutritur.

Ad tertium. Primo dicimus ad maiorem, quod natura exorditur à facilioribus, nisi obstet necessitas, vt à necessarioribus exordiatur, sicut fit in generatione. Secundo dicitur ad minorem, quod tunc pensata vi, & intentione naturæ formatio cordis est ei facillima.

QVÆSTIO XXIIII.

An detur causa quædam assimilandi filios parentibus in generatione.

Videtur quod non. Quod habet causam Physicam, vt plurimum euenit. Sed plures sunt nati illi, qui non assimilantur parentibus, quam illi qui eis assimilantur. Ergo tenendum est hoc casu accidere.

Secundo. Multi sunt nati, qui potius assimilantur auis, & proauis, quam parentibus. Ergo in his non est certa causa.

Tertio. Quando ad vnum plures causæ concurrunt, debent in vnum consentire. Sed causæ similitudinis nō consentiunt quandoque, vt vis feminis ad vnum tendens, & vehemens imaginatio ad aliud. Ergo de his nil certi est pronunciandum.

Similitudo est triplex. Prima dicitur in specie, quia generans generat sibi simile in specie, & ista regularis est, & consueta. Nam natura species determinauit, quia hæ ad stabilitatē ordinis vniuersi faciunt, & ideo vniuocum agens, simile in specie sibi producit. Secunda dicitur in sexu, de qua supra egimus. Tertia dicitur in effigie, & forma, & de hac modo disputamus, & de qua agunt Auicenna q. de Anima. Galenus lib. de Ther. ad Pisonem cap. 14. Aphrodiseus sect. 9. prob. 20. Mirandulanus 1. de examine vanit. cap. 16. & Albertus Magnus lib. 16. de animalibus, tract. 1. cap. 14. & lib. 18.

Secundo igitur notandum venit, quod similitudo in effigie, & forma in duobus præcipue consistit. Primo in colore, quia albus album, niger nigrum, rubeus rubeū, &c. in colore carnis, & capillorum generat. Hoc tamen habet magnam latitudinem, & modificationem ab extrinseco. Latitudinē, quia pater multum albus, niger, vel rubeus generabit filium magis, vel minus album, nigrum, &c. Modificationem, quia Maurus ad partes nostras adductus producet filium non ita nigrum sicut ipse est, & tandem ad quartam, vel quintam generationem deuenient istius filij ad colorem nostrorum, quia patria multum etiam ad colorem operatur. Secundum est figura, & forma membrorū, nam sunt qui habēt labia parum eleuata, qui nasum magnum, caput, ventrem, pectus,

ctus, &c. sicut habuerunt eorum parentes, aui, & ascendentes. Et ita staturam proceram, vel paruam, & discurrendo. Causa autem coloris duplex est. Prima supera.i.astra, vt docuimus in 2. p. vniuersi Cælestis, & docent Plato Dialogo 5. de legibus. Aristot. 7. Polit. cap. 7. Ptholomeus in 2. tractatu quadripartiti. Plutarchus lib. 5. de placitis, cap. 5. Cicero 1. de diuinatione, & alij. Secunda est immediata, & proxima. i. virtus formatrix, & temperamentum nati. Tertiam addimus. s. vehemẽtem imaginationem in impregnatione, de qua re legendi sunt Mich. Med. de recta in Deum fide, lib. 2. Leuin. lib. 1. de occult. nat. mir. cap. 4. Cattaneus lib. de intellectu, & caus. mor. Mirandulanus duobus libris huius arg. At quomodo hoc fiat, non est eadem explicatio.

Tertio igitur sciẽdo duas esse explicationes. Prima est D. August. lib. 3. de Trinit. cap. 7. & quorundam aliorum tenentium tãtam esse vim imaginatiuę, vt possit producere quandam realem qualitatem in fętum, vt colorem, & quantitatem in radice.i. statu tam, quia compertum est, quod pater, & mater albi produxerunt Aethiopem, quod mater Aethiopem quem in cubiculo depictum tenebat, in coitu imaginatione versaret. Et gallina quæ inter concipiendum aspectu milui territa fuit, pullum milui no capite exclusit. Secundo, quia videmus etiam ingẽtem appetitũ alicuius rei in matre grauida, efformare in nato formam rei concupitæ, quę non procedit nisi à vehementi apprehensione. Tertio, quia S. D. 2. dist. 20. q. 2. art. 1. & p. p. q. 99. art. 2. tradit in statu innocentiæ filios esse generandos pro parentum arbitratu, quia in illo statu corpus animæ perfecte obediuisset, vnde omne eius desiderium consumasset.

S. vero D. 3. contra Gentes, cap. 103. disputãs contra Auicennam dicentem animam, & proprium, & alienum corpus alterare sua imaginatione, docet imaginatiuam propria virtute, & per se nullam posse producere qualitatem alterantem.

Sed hæ opiniones bene cõciliantur inspectis verbis S. D. Dicit. n. imaginatiuam posse aliquam qualitatem imprimere stat dupliciter. Primo, per se, & sine alio, & hoc negat, nec ab alijs probatur. Secundo, mediante alteratione per eam facta in spiritus, & sanguinem, ac humores. i. his mediantibus, & hoc affirmat. Imaginatio enim coloris quandam commotionem in spiritus, sanguinem, ac humores imprimit, hæc alterat, & sic his mediantibus varia producit. Ceterum de se hoc peragere non valet, quia imaginatio secundum se casum non facit, nec esse nisi intentionale, cum sit potentia spiritualis. Argumenta ergo probant concursum imaginatiuæ, vt causæ alterantis sanguinem, sed non ex se imprimentis qualitatem.

Ad primum dicitur ad maiorem, quod causæ Physicæ dupliciter cõsiderari possunt. Primo, vt non impeditæ, debite approximatæ, & dispositæ. Secundo, vt à fortiori debilitatæ, vel impeditæ. Primo modo producunt effectum suum. Secundo vero modo si impedimentum est frequens, frequenter illum non producunt, si rarũ, raro. Modo potest esse, quod plura sint in generatione impedimenta, quæ stent contra potentem virtutem genitorum, quæ est illa, quæ similem facit etiam in effigie, & sic sæpe potest contingere natum non assimilari parentibus. Quod tamen in praxi non approbamus, quia videmus filios in multis, & si non in omnibus imitari parentes, præcipue in colore capillorum, oculis, incessu, motu, inclinationibus, ac morbis.

Ad secundum dicunt aliqui hoc euenire, quia vis parentum in generatione magis viget, quam patris, vel matris, quia in his latet. Alij hoc attribuunt imaginationi, & memoriæ parentum, quę in generatione præualere potest. Vel dicendum, quod sicut patria similes in multis facit, ita etiã aui, proaui, & patres, quia pater, & patria ponuntur principia generationis, pro patre accipiendo primum principium generationis, sicut & pro patria primum fundamentum eius, virtute cæli.

Ad tertium dicitur, quod & si causa corporalis, & spiritualis secundum suum esse diffideant, in mouendo tamen, & alterando consentire, & cõcurrere possunt, cum vna aliam mouere possit, corporalis spiritualem obiectiue, & spiritualis corporalem effectiue.

DE CORRVPTIONE.

QVAESTIO XXV.

An corruptio sit res naturalis.

Videtur quod non. Primo. Omne naturæ contrarium, violentum censendum est, & non naturale. At corruptio formæ contradicit, si est corruptibilis ipsam destruendo, si incorruptibilis, eam ab vnione cum materia separando. Compositumque omnino corrumpit. Ergo non est naturalis.

Secundo. Naturale, & violentum opponuntur, per Aristot. 5. Phys. tex. 56. At datur corruptio violenta, & mors ab extrinseco. Ergo &c.

Tertio. Omne naturale habet principia, & causas, per Aristot. 1. Phys. At corruptio non habet causas, & principia, cum sit negatio, & quid negatiuum. Ergo corruptio non potest esse res naturalis.

Respondetur, quod naturale tripliciter sumitur. Primo, vt distinguitur contra artificiale, & supranaturale. Secundo, pro perfectione rei, naturali propensione concupita. Tertio, pro proprietate naturam sequente, & conditionem rei. Si primo modo loquamur, dicimus corruptionem esse naturalem respectu materiæ, subiectiue, formæ terminatiue, & compositi, non enim corruptio est opus artificiale, vel supernaturale. Secundo modo loquendo materiæ conuenit corruptio subiectiue per se, quia ista est, quæ continuo tendit ad causandam corruptionem, cum ponatur principium eius. Formæ vero, & composito per se non conuenit, quia quodlibet ens in actu propriam substantiam, & existentiam desiderat, & non interitum, qua ratione dixit Aristot. 1. cæli, tex. 37. senectutem, & morbos esse contra naturam rei. s. conseruationem, de qua re legendus est etiam S.D. 2. cōtra Gentes, c. 55. & q. 1. de malo, art. 3. ad 18. At tertio modo naturalis est corruptio omnibus compositis ex contrarijs, quia eorum continua pugna, vnum fortificat, & aliud debilitat vsque ad interitum, & mortem, vide S.D. 2. dist. 30. q. 1. art. 1. Cap. ibidem artic. 1.

Secundo. Notandum venit, quod naturale est duplex. Primum dicitur absolute necessarium, quod omnino fieri debet. Secundum, ex suppositione, idest facta tali suppositione, quod tamen absolute aliter se potest habere. Mors homini non est naturalis primo modo, quia in statu innocentiæ, (non ex sua natura, sed ex singulari Deo dono, & priuilegio) non fuisset mortalis, quia tunc anima obtinuisset potestatem communicandi suam immortalitatem corpori. At facta suppositione compositionis contrariorum, & præualentiæ supra animam elementorum in vnione corporis, necesse est quoque hominem, anima immortalem properare ad mortem.

Conclusio ergo est. Corruptio est naturalis compositis ex cōtrarijs. Probatur. Vbi est contrarietas, & pugnantia cum possibilitate, & victoria vnius supra alia, necesse est si illa vnita sunt, quod tandem dissoluantur. At ista sunt in composito ex contrarijs. Ergo omne compositum ex contrarijs sua natura erit corruptibile.

Ad primum dicitur. Primo ad maiorem, quod esse contrarium naturæ alicuius stat dupliciter. Primo, absolute, & hoc oportet esse violentum, quia habet perpetuam causam ab intrinseco contradicentem, vnde leue non mouetur deorsum nisi per violentiam. Secundo pro tali statu, & sic non est ei naturale, nisi pro eo statu contradicere, sicut accidit formæ, dum enim iacet in debito, & proportionato temperamento corporis, esset ei violentum velle eam interimere. At dum temperamentum iam confusum est, & ad dissolutionē reductum, naturale est ei, pro quanto sequitur vnionem corporis, quod tendat ad separationem si est immortalis, vel ad deficientiam si est corruptibilis. Secundo dicunt alij corruptionem non opponi vitæ contrarie, & sic non posse dici violenta, sed negatiue, quia est negatio esse, & ita non dicitur violenta.

Ad secundum dicendum. Primo, quod loquimur de corruptione ab intrinseco, idest per deficientiam caloris naturalis, & humidi radicalis ex superantibus sicco, & frigido. Secundo dicitur, quod etiā mors violenta potest dici naturalis in ordine ad causas, quia naturale est animali respirare, si autem per suspensionem respiratio

subducatur oportet animal deficere, & ita dic de alijs modis.

Ad tertium dicendum cum S. D. 3. contra Gentes cap. 13. quod corruptionem non habere causas bifariam intelligi potest. Primo, per se, & sic non habet si formaliter consideretur, vt est non ens. Secundo, per aliud vt est priuatio esse compositi, & sic habet pro causa materiali materiam, pro efficiente dissoluentem compositum, finali, vt altera res generetur.

QVÆSTIO XXVI.

An corruptio sit per se intenta à natura primario.

Videtur quod sic. Primo. Quod pertinet ad esse, & ordinem vniuersi primaria intentione intenditur à natura saltem vniuersali. At corruptio spectat ad esse corruptibile rerum vniuersi, & ad eius ordinem, qui stat inter vicissitudines rerum inter esse, & non esse, generationem, & corruptionem, bonum, & malum. Ergo est primario, & directe per se intenta.

Secundo. Natura particularis magis inclinatur ad bonum vniuersi, quam ad suum. Sed bonum vniuersi est, vt detur vniuersalis corruptio, bonum vero particularis sui conseruatio. Ergo magis inclinabitur in corruptionem, quam in sui conseruationem.

Tertio. Omne naturale oportet esse intentum, per se à natura, cum sua intendat. At corruptio est naturalis secundum supradicta. Ergo &c.

Quarto. Materia est natura per Aristot. 2. Phys. At materia directe, & per se tendit ad corruptionem per eundem 9. Metaph. Ergo &c.

Quinto. Quod intendit per se finem, necesse est etiam vt per se intendat media necessaria ad finem, quia tenent eandem necessitatem. Sed agens, & natura intendunt productionem compositi, ad quam corruptio est medium. Ergo erit per se intenta.

Sexto. Si non intenderetur propterea esset, quia est malum naturæ. At hoc est falsũ, nam vnum oppositorum non fundatur in alio, malum autem secundum communem sententiam fundatur in bono. Ergo.

Septimo. Non est maius malum corruptio, quam anichilatio. At anichilatio non est dicenda malum, secundum S. D. quæst. de pot. quæst. 5. art. 3. ad 14. Ergo nec corruptio.

Octauo. Dato etiam quod esset malum adhuc non sequitur, quod non sit per se intenta, quia malum est per se intentum. Probatur. Quod euenit, vt in pluribus est per se intentum. Malum est tale, vt experientia docet. Ergo.

In contrarium est S. D. p. p. quæst. 19. art. 9. in corp. & quæst. 49. art. 1. in corp. & 3. contra Gentes cap. 4. 5. 6. & 49. Caiet. p. p. vt supra Cap. in 2. dis. 4. quæst. 1. art. 3. & dist. 34. quæst. 2. art. 1.

Pro resolutione quæstionis notandum est, quod aliquid dicatur per se intentum stat dupliciter. Primo, vt finis, quia non intenditur vt medium, verbi gratia ab ægeto sanitas intenditur vt finis, ambulatio vero non vt finis, sed vt medium. Secundo, vt intentum quomodolibet, siue ordinetur ad aliud, siue non. Corruptio primo modo non potest intendi, quia id quod hoc modo intenditur debet habere rationem finis. s. esse, boni, & satiantis. Corruptio autem tollit esse vt dicitur 5. Phys. & non est bona per Arist. 2. Phys. tex. 23. nec satiat, quia est causa generationis alterius. Secundo vero modo potest dici intenta non per se, & primario, sed potius per aliud, idest ad generationem, quia vnum non generatur, nisi aliud corrumpatur, & quia est opus naturæ regulare, & non accidentarium, & extraordinarium.

Ad primum dicitur, cum S. D. elicitiue 1. dist. 46. art. 3. in corp. glossando maiorem quod pertinere ad ordinem vniuersi stat dupliciter. Primo, vt faciens ad eius perfectionem, ornatum, & pulchritudinem, & hoc primario intenditur, sed sic negatur minor. Secundo, vt concomitans perfectionem vniuersi, dato eius statu mutabili, & sic dicitur per se intenta, sed secundario.

Ad secundum dicimus ad maiorem, quod natura particularis bifariam inspici potest. Primo, vt pars vniuersi, & sic magis inclinatur in conseruationem vniuersi, quam suiipsius, vt brachium magis cupit conseruationẽ totius, quam suipsius. Secundo, vt secundum se totum est, & sic magis inclinatur ad proprium esse, quam

ad

ad alienum maxime sit est separatum. Secundo dicitur ad minorem, non esse bonum vniuersi dari corruptionem primario, sed propter alterius generationem.

Ad tertium Bannes 1. de generar. negat maiorem, quia dicit inclinationem esse pensandam ex parte formę, naturalitatem vero ex parte materiæ, & formæ, & quia corruptio se tenet ex parte materiæ, ideo & si dicatur naturalis, non tamen dicitur per se intenta. Sed secundo, dicere possumus, quod corruptio est per se intenta, eo modo quo est naturalis in suo ordine, quia non est necesse, quod omnia sint eodem modo intenta absolute, sed in suo ordine, & ita corruptio, & si non sit per se intenta, vt finis præcipuus, & vt ens, est tamen per se intenta secundario in ordine ad generationem, & per se, vt medium necessarium ad generationem, sine quo non esset generatio.

Ad quartum, per idem patet, scilicet, quod materia est natura, & per se intenta in suo ordine, non respectu formæ, & esse hoc.

Ad quintum dicitur, quod concludit corruptionem esse intentam, vt medium ad generationem, quod non inficiamus.

Ad sextum negatur minor. Ad probationem negat Sanctus Augustinus in Encher. Philosophorum propositionem, quod vnum contrariorum, non fundetur in alio, quia malum fundatur in bono, cuius est priuatio. Hoc autem interpretatur S. D. quæst. de malo quæst. 1. art. 2. ad 5. de fallentia apparentiæ, non veritatis. Dicitur autem ad argumentum, quod malum dupliciter sumi potest. Primo, formaliter, vt est malum, & sic priuatiue opponitur bono, cuius est priuatio, & non sunt idem, verbi gratia, generatio, & corruptio eiusdem. Secundo materialiter, vt est in subiecto, cum aliquo bono, & huic non opponitur, vt adnotauit S. D. cum Ferr. 3. contra Gentes cap. 11. Secundo dicitur, quod dicitur malum respectu generationis, non absolute, vt est ex principijs rei corruptibilis de se.

Ad septimum negatur maior, quia annichilatio non est priuatio alicuius boni, vt est corruptio, sed est quid absolutũ totã rem destruens, vnde corruptio quodam bono priuat, annichilatio vero totum destruit, ideo ante rerum creationem nullum malum erat res non esse, ita & modo si Deus totum vniuersum destrueret, nullum malum iudicandum foret.

Ad octauum. Primo negat S. D. minorem p. p. q. 49. art. 3. ad 5. quia corruptio non reperitur nisi in corruptibilibus, ista autẽ sunt exigua pars vniuersi. Secundo dicitur, quod vel loquimur de malo naturali, idest defectu in naturalibus, vel in moralibus in homine.

Si primum, affirmamus non accidere in naturalibus defectus, & monstra, vt in plurious, sed vt in paucioribus, vt dixit Arist. 2. Phys. Si secundum dicamus, concedimus malum morale, vt in pluribus esse, quia cum bonum eius stet in virtute, quæ circa ardua versatur, concupiscentiasque moderetur, multi labore territi, & concupiscẽtia seducti à bono virtutis deficiũt, attamen omnes virtuosi, qui veri sunt homines bonum morale amplexentur, hos autem inspicimus, & non viuentes, vt bestiæ secundum sensum. Secundo dicitur, quod illud, quod vt plurimum euenit sic per se intẽtum dupliciter intelligi potest. Primo, prout est necessarium, & sic non est inconueniens, quod sit per se intentũ, dum dicitur malum in respectu, & ordinatum ad bonum, vt corruptio ad generationem. Secundo, in non necessario, & sic oportet illud euenire præter intentionem rectæ naturæ.

QVÆSTIO XXVII.

An corruptio terminetur ad non ens.

Videtur quod non. Primo. Vel per non ens intelligitur nihil omnino. Vel pura priuatio sine forma. Vel forma habens annexam priuationem alterius. Non primum, quia corruptio fit per resolutionẽ ad primam materiam, quæ est ens. Non secundum, quia numquam materia stat omni forma spoliata, ita quod sit sola sine priuatione. Non tertium, quia sic nulla diceretur corruptio secũdum quid, quoniam cuilibet formæ annexa est priuatio alterius, & sic quæcunque forma resultaret, corruptio esset simpliciter.

Secundo. Sic sequeretur, quod corruptio esset non ens simpliciter, nam cum suo termino identificatur. Si igitur terminus corruptionis erit non ens, ipsa quoque erit non ens.

subducatur oportet animal deficere, & ita dic de alijs modis.

Ad tertium dicendum cum S. D. 3. contra Gentes cap. 13. quod corruptionem non habere causas bifariam intelligi potest. Primo, per se, & sic non habet si formaliter consideretur, vt est non ens. Secundo, per aliud vt est priuatio esse compositi, & sic habet pro causa materiali materiam, pro efficiente dissoluentem compositum, finali, vt altera res generetur.

QVÆSTIO XXVI.

An corruptio sit per se intenta à natura primario.

Videtur quod sic. Primo. Quod pertinet ad esse, & ordinem vniuersi primaria intentione intenditur à natura saltem vniuersali. At corruptio spectat ad esse corruptibile rerum vniuersi, & ad eius ordinem, qui stat inter vicissitudines rerum inter esse, & non esse, generationem, & corruptionem, bonum, & malum. Ergo est primatio, & directe per se intenta.

Secundo. Natura particularis magis inclinatur ad bonum vniuersi, quam ad suum. Sed bonum vniuersi est, vt detur vniuersalis corruptio, bonum vero particularis sui conseruatio. Ergo magis inclinabitur in corruptionem, quam in sui conseruationem.

Tertio. Omne naturale oportet esse intentum, per se à natura, cum sua intendat. At corruptio est naturalis secundum supradicta. Ergo &c.

Quarto. Materia est natura per Aristot. 2. Phys. At materia directe, & per se tendit ad corruptionem per eundem 9. Metaph. Ergo &c.

Quinto. Quod intendit per se finem, necesse est etiam vt per se intendat media necessaria ad finem, quia tenent eandem necessitatem. Sed agens, & natura intendunt productionem compositi, ad quam corruptio est medium. Ergo erit per se intenta.

Sexto. Si non intenderetur propterea esset, quia est malum naturæ. At hoc est falsũ, nam vnum oppositorum non fundatur in alio, malum autem secundum communem sententiam fundatur in bono. Ergo.

Septimo. Non est maius malum corruptio, quam anichilatio. At anichilatio non est dicenda malum, secundum S. D. quæst. de pot. quæst. 5. art. 3. ad 14. Ergo nec corruptio.

Octauo. Dato etiam quod esset malum adhuc non sequitur, quod non sit per se intenta, quia malum est per se intentum. Probatur. Quod euenit, vt in pluribus est per se intentum. Malum est tale, vt experientia docet. Ergo.

In contrarium est S. D. p. p. quæst. 19. art. 9. in corp. & quæst. 49. art. 1. in corp. & 3. contra Gentes cap. 4. 5. 6. & 49. Caiet. p. p. vt supra Cap. in 2. dis. 4. quæst. 1. art. 3. & dist. 34. quæst. 2. art. 1.

Pro resolutione quæstionis notandum est, quod aliquid dicatur per se intentum stat dupliciter. Primo, vt finis, quia non intenditur vt medium, verbi gratia ab ægeto sanitas intenditur vt finis, ambulatio vero non vt finis, sed vt medium. Secundo, vt intentum quomodolibet, siue ordinetur ad aliud, siue non. Corruptio primo modo non potest intendi, quia id quod hoc modo intenditur debet habere rationem finis. s. esse, boni, & satiantis. Corruptio autem tollit esse vt dicitur 5. Phys. & non est bona per Arist. 2. Phys. tex. 23. nec satiat, quia est causa generationis alterius. Secundo vero modo potest dici intenta non per se, & primario, sed potius per aliud, idest ad generationem; quia vnum non generatur, nisi aliud corrumpatur, & quia est opus naturæ regulare, & non accidentarium, & extraordinarium.

Ad primum dicitur, cum S. D. elicitiue 1. dist. 46. art. 3. in corp. glossando maiorem quod pertinere ad ordinem vniuersi stat dupliciter. Primo, vt faciens ad eius perfectionem, ornatum, & pulchritudinem, & hoc primario intenditur, sed sic negatur minor. Secundo, vt concomitans perfectionem vniuersi, dato eius statu mutabili, & sic dicitur per se intenta, sed secundario.

Ad secundum dicimus ad maiorem, quod natura particularis bifariam inspici potest. Primo, vt pars vniuersi, & sic magis inclinatur in conseruationem vniuersi, quam suiipsius, vt brachium magis cupit conseruationẽ totius, quam suipsius. Secundo, vt secundum se totum est, & sic magis inclinatur ad proprium esse, quam

ad

ad alienum maxime si est separatum. Secundo dicitur ad minorem, non esse bonum vniuersi dari corruptionem primario, sed propter alterius generationem.

Ad tertium Bannes 1. de generat. negat maiorem, quia dicit inclinationem esse pensandam ex parte formę, naturalitatem vero ex parte materiæ, & formæ, & quia corruptio se tenet ex parte materiæ, ideo & si dicatur naturalis, non tamen dicitur per se intenta. Sed secundo, dicere possumus, quod corruptio est per se intenta, eo modo quo est naturalis in suo ordine, quia non est necesse, quod omnia sint eodem modo intenta absolute, sed in suo ordine, & ita corruptio, & si non sit per se intenta, vt finis præcipuus, & vt ens, est tamen per se intenta secundario in ordine ad generationem, & per se, vt medium necessarium ad generationem, sine quo non esset generatio.

Ad quartum, per idem patet, scilicet, quod materia est natura, & per se intenta in suo ordine, non respectu formæ, & esse hoc.

Ad quintum dicitur, quod concludit corruptionem esse intentam, vt medium ad generationem, quod non inficiamus.

Ad sextum negatur minor. Ad probationem negat Sanctus Augustinus in Encher. Philosophorum propositionem, quod vnum contrariorum, non fundetur in alio, quia malum fundatur in bono, cuius est priuatio. Hoc autem interpretatur S. D. quæst. de malo quæst. 1. art. 2. ad 5. de fallentia apparentiæ, non veritatis. Dicitur autem ad argumentum, quod malum dupliciter sumi potest. Primo, formaliter, vt est malum, & sic priuatiue opponitur bono, cuius est priuatio, & non sunt idem, verbi gratia, generatio, & corruptio eiusdem. Secundo materialiter, vt est in subiecto, cum aliquo bono, & huic non opponitur, vt adnotauit S. D. cum Ferr. 3. contra Gentes cap. 11. Secundo dicitur, quod dicitur malum respectu generationis, non absolute, vt est ex principijs rei corruptibilis de se.

Ad septimum negatur maior, quia annichilatio non est priuatio alicuius boni, vt est corruptio, sed est quid absolutũ totã rem destruens, vnde corruptio quodam bono priuat, annichilatio vero totum destruit, ideo ante rerum creationem nullum malum erat res non esse, ita & modo si Deus totum vniuersum destrueret, nullum malum iudicandum foret.

Ad octauum. Primo negat S. D. minorem p. p. q. 49. art. 3. ad 5. quia corruptio non reperitur nisi in corruptibilibus, ista autẽ sunt exigua pars vniuersi. Secundo dicitur, quod vel loquimur de malo naturali, idest defectu in naturalibus, vel in moralibus in homine.

Si primum, affirmamus non accidere in naturalibus defectus, & monstra, vt in pluribus, sed vt in paucioribus, vt dixit Arist. 2. Phys. Si secundum dicamus, concedimus malum morale, vt in pluribus esse, quia cum bonum eius stet in virtute, quæ circa ardua versatur, concupiscentiasque moderetur, multi labore territi, & concupiscẽtia seducti à bono virtutis deflectũt, attamen omnes virtuosi, qui veri sunt homines bonum morale amplexentur, hos autem inspicimus, & non viuentes, vt bestiæ secundum sensum. Secundo dicitur, quod illud, quod vt plurimum euenit sit per se intẽtum dupliciter intelligi potest. Primo, prout est necessarium, & sic non est inconueniens, quod sit per se intentũ, dum dicitur malum in respectu, & ordinatum ad bonum, vt corruptio ad generationem. Secundo, in non necessario, & sic oportet illud euenire præter intentionem rectæ naturæ.

QVÆSTIO XXVII.

An corruptio terminetur ad non ens.

Videtur quod non. Primo. Vel per non ens intelligitur nihil omnino. Vel pura priuatio sine forma. Vel forma habens annexam priuationem alterius. Non primum, quia corruptio fit per resolutionẽ ad primam materiam, quæ est ens. Non secundum, quia numquam materia stat omni forma spoliata, ita quod sit sola sine priuatione. Non tertium, quia sic nulla diceretur corruptio secũdum quid, quoniam cuilibet formæ annexa est priuatio alterius, & sic quæcunque forma resultaret, corruptio esset simpliciter.

Secundo. Sic sequeretur, quod corruptio esset non ens simpliciter, nam cum suo termino identificatur. Si igitur terminus corruptionis erit non ens, ipsa quoque erit non ens.

Tertio. Non ens non potest esse terminus, quia terminus dicit esse, & non ens, non esse. Ergo ex corruptione non esset generatio, nam generatio est cum esse.

Quarto. Sic corruptio esset annichilatio. Probatur, quia terminus annihilationis est non ens, sicut ponitur etiam corruptionis.

Quinto. Sic creatura posset annichilare, quia potest agere ad non ens per corruptionem.

In contrarium est Arist. 5. Phys. & 1. de generatione, vbi dicit generationem terminari ad esse, & corruptionem ad non esse.

Pro primo percurrendæ veniunt differentiæ, & conuenientiæ repertæ inter generationem, & corruptionem.

Istæ ergo sunt multæ. Primo ergo conueniũt per S.D. opusc. 32. cap. 5. De pot. quæst. 3. & Caiet. 3. p. quæst. 35. art. 1. quod vtraque pro subiecto tenet materiam primã, nam corruptio, & resolutio fiũt vsque ad materiam primam, & generatio aduenit enti existenti in pura potentia, quæ non est nisi materia prima. Secundo per Arist. 1. de generat. tex. 17. quia perpetuo se comitantur, cum generatio vnius sit corruptio alterius, & econtra. Tertio, quia vtraque in vno instanti est, secundum S. D. 12. quæst. 113. art. 7. & 1. dist. 37. quæst. 4. & Caiet. p. p. quæst. 52. art. vlt. nam primum non esse corrupti, sit primum esse geniti. Quarto, quia vtraque est naturalis vt diximus. Quinto, quia vtraque est compositi iuxta ea, quæ tradit Aristot. 1. Phys. tex. 67. & D. Tho. in 2. distinct. 19. quæst. 1. art. 1.

Differunt vero primo, quia generatio terminatur ad positiuum .s. ad esse, corruptio vero ad negatiuum .s. ad non esse ex 5. Phys. text. 7. & 1. de generat. text. 16. Secundo, quia per generationem itur de potentia ad actũ, in corruptione vero de actu ad potentiam ex 5. Physic. Tertio, quia corruptio se tenet ex parte materiæ, quæ vocatur ab Arist. 7. Metaphys. text. 22. principium nõ essendi, generatio autẽ respicit formam, quæ facit materiam transire de potentia ad actum ex 2. de Anima. Quarto, quia generatio cum dicat esse dicitur bonum naturę, & corruptio cum dicat non esse appellatur malum naturæ secundum supradicta. His stantibus nihil superest, nisi argumenta soluere, quoniã alia, quæ ad hoc propositum faciunt supra attulimus.

Ad primum antequam respondeamus scire oportet Soto 5. Phys. tex. 4. tenere corruptionem habere speciem à termino à quo, idest à forma, quæ corrumpitur, cum dicat Arist. 5. Phys. tex. 51. quod corruptio generationi opponitur, per formam, quæ corrumpitur. Ab eodem autem in motibus, & mutationibus sumitur contrarietas, & species. At contra stat Arist. 5. Phys. vbi vult motus specificari, & determinari à terminis ad quos, & vere sic asserit Arist. 1. de generat. dum affirmat corruptionem terminari ad nõ ens, quod non est forma, sed non esse formæ deperditæ. Et D. Tho. de verit. quæst. 28. art. 6. in corp. docet generationem albi, & corruptionem non albi esse idem, quia termini harum mutationum .s. non esse, non albi, & esse albi idem prorsus sunt. Hoc autem non potest esse, si corruptio identificaretur cum forma, quæ corrumpitur .s. non album, quia non sunt idem album, & non album. Dicitur ergo, quod per non ens nõ intelligimus nihil, quia corruptio non est annihilatio, nec intelligimus formam habentem annexam priuationem alterius, quia ista est forma genita, sed intelligimus terminum corruptionis esse, non esse formæ, & compositi corrupti, quod tamen habet annexum esse .s. esse formæ genitæ, sed hoc esse est ei extrinsecum, & per hoc generatio à corruptione secernitur.

Ad secundum dicimus, quod corruptio bifariam considerari potest. Primo, formaliter, & sic est non ens simpliciter, quia est priuatio esse formæ corruptæ. Secundo, materialiter, & sic non dicitur nõ ens simpliciter, tum quia post se relinquit materiam, tum etiam, quia sicut malum fundatur in bono, ita etiam corruptio in composito corrupto, cuius primum non esse, est primum esse compositi geniti.

Ad tertium dicitur, quod duplex est terminus. Primus dicitur intrinsecus, & talis terminus in corruptione est quid negatiuum, & non quid positiuum, nec mirum, quia terminus positiui est positiuus, & negatiui negatiuus. Secundus dicitur extrinsecus .s. genitũ ex eius corruptione, & hũc non officit esse positiuũ, nã ex corruptione vnius, sequitur generatio alterius.

Ad

Ad quartum iam dictum est, quod terminus annichilationis est nihil, non sic terminus corruptionis, quia est corruptio formæ, sed non materię, quę manet sub corrupto, & genito, cum sit commune horum subiectum vt dicitur in 1. Phys.

Ad quintum idem dicitur, quia annichilatio est destructio totius, & partium, non sic corruptio, vt diximus.

QVÆSTIO XXVIII.

An in corruptione fiat resolutionequе ad materiam primam.

Vide in Metaphysica nostra.

QVAESTIO XXIX.

An omnia viuentia ab intrinseco sint corruptibilia.

Videtur quod non. Primo. Natura non inclinat ad impossibile, per Aristot. 1. Polit. cap. 2. At omnia viuentia naturaliter sempiternitatem desiderant, per eundem 2. de generat. tex. 59. & 2. de Anima, tex. 34. Ergo erunt sempiterna, & non corruptibilia.

Secundo. Quod euenit in pœnam, non est ab intrinseco, sed ab extrinseco. At mors homini euenit in pœnam peccati, vt habetur Gen. 2. ibi. In quocunque enim die &c. Ergo sua natura est incorruptibilis.

Tertio. Si viuentia lege naturæ interirent, sequeretur, quod absque aliquo extrinseco nocente, per resolutionem caloris, & humidi radicalis deficere possent sine dolore aliquo. At hoc est falsum. Ergo. Probatur maior, quia natura sua deficerent. Probatur minor, quia Arist. 3. Ethic. cap. 6. & 2. Rhetor. dicit mortem maxime omnium esse horribilem, & dolorosam. Dolor autem prouenit ex diuisione continui, & dissolutione temperamenti.

Quarto. Illa res non potest dici corruptibilis ab intrinseco, cōtra cuius corruptionem sunt remedia. At contra corruptionem animalis, & maxime hominis sunt remedia. Ergo. Maior patet. Minor probatur. Primo, quia tradunt Alchimici per aurum liquefactum, & potatum, ac per quintam substantiam, vt ipsi dicunt posse arceri senectutem. Secundo. Quia non videtur difficile excogitare remedia ad reparandum calorem, & humidum radicale, quæ sunt fundamenta vitæ, sicut tot remedia adinuenta sunt contra venena, & alia læthalia mala. Tertio. Quia si corpora defuncta aromatum condimentis, à putredine seruantur, cur etiam viuentia artis, & naturæ remedijs ab interitu defendi non poterunt? De quibus vide quæ scribunt Vincentius in hist. lib. 26. Celius lib. 7. cap. 9. Herodotus lib. 2. Alex. lib. 5. cap. 2. Plinius lib. 11. cap. 57.

Quinto. Secundum communem SS. DD. sententiam Deus in resurrectione dabit corporibus donum impassibilitatis, quo in æternum durabunt. Ergo non est modo incōueniens Deum dare aliquam qualitatem naturalis ordinis, qua in æuum seruentur.

Sexto. Quod fecit natura sine arte in quibusdam, melius poterit id efficere cum arte. At natura sine arte quorundam hominum vitam ad quingentos, ad sexcentos, septingentos, octingentos, & nongentos sexaginta deduxit, vt Sacrę testantur Historię, & ex Gētilibus Scriptoribus apud Iosephum 1. lib. antiq. cap. 5. habetur Berosus, Mochus, Esthieus, Hieronimus Aegyptius, Hesiodus, Hecateus, Elanius, Agesilaus & alij. Ergo vltro saltem per multos annos poterit traducere vitam hominum.

In contrarium præter Sacras Scripturas, est Arist. 2. de generat. cap. 10. & lib. 4. de generat. animal. cap. vlt. Galenus lib. artis Medicæ, Auicenna Fen. 1. primi Doct. 3. cap. 3. ad finem, & Philosophi, Medici, ac Theologi omnes, innixi rationibus, & experientijs.

Quoniam hāc quæstionem tetigimus etiam in Vniuerso Cæleſti, agentes de determinata periodo omnium rerum, ideo solum noto, quod causæ corruptionis, & generationis primæ sunt corpora cælestia, & in singulari, vt tradit Arist. 2. de generat. motus planetarum sub circulo obliquo .i. sub Zodiaco. Patet enim in magnis coniunctionibus nos mirabilia videre, pestes, fames, & bella, vt velle hoc negare, sit se rerum cęlestium inscium prędicare.

Contra enim longam experientiam subordinationi causarum adiutam velle ire, est totam Philosophiam destruere. Secunda causa est fœlicitas, & infelicitas aeris, quia

quia cum fere sit primum nutrimentum viuentis ex continua attractione, si bonus est, & sanus, sanos reddit homines, si malus, & nociuus, interimit, vt etiam vsus ostendit, & scripserunt Aristot. Hippocrates, & alij sect. 14. problematum. Tertia est temperies nati, quia si est temperies calidi, & humidi temperata dabit longeuam vitam, si sicci, & frigidi breuem. Alia etiam ad hoc propositum facientia videre poteris loco à me citato.

Ad primum dicitur ad maiorem, quod natura non inclinat ad impossibile, sed ad possibile, eo modo tamen quo rebus conuenit, modo non conuenit corruptibilibus perpetuitas in indiuiduo, sed in specie, & ideo dat eis perpetuitatem generationis, per quam conseruantur species, & adeo fuit de hoc sollicita natura, quod his quæ cito obeunt, prouidit de maxima multitudine indiuiduorum, vt patet in bruchis pulicibus, muschis, & similibus bestiolis.

Ad secundum dicimus ad minorem, quod mors venerit homini in pœnam peccati potest dupliciter intelligi. Primo, in ordine ad naturam, considerando hominem secundum naturam suam, & sic non successit illi in pœnam peccati, quia primus homo, sicut & nos natura erat mortalis, & poterat, & ipse, & eius descendentes, peccando voluntate sua mortem sibi aduocare. Secundo, in ordine ad donum supranaturale ei à Deo liberalitate sua datum, & sic mors dicitur in pœnam peccati facta in priuationem doni illius supranaturalis, quo mediante numquam Adam, nec descendentes mortui fuissent, si numquam peccassent. Consule Concil. Mileu. Can. 1. Aurisicanum Can. 2. Tridentinum sess. 5. & Patres, & Scolasticos in 2. distinct. 19.

Ad tertium negatur minor, tradit enim Aristotel. lib. de morte, & vita, cap. 10. quod mors quæ accidit in senecta non est dolori obnoxia, quia fit sine externo, & violento affectu. Et Plato in Timeo asserit talem mortem potius esse cum voluptate, quam cum dolore, quia quod est per naturam iucundum est, sicut est per naturam decrepitis, vt tandem per resolutionem consumantur.

Ad probationem dicitur, Arist. dixisse mortem esse horribilem, quia est finis humanæ vitæ, & terminus omnium actionum non vero dixit eam esse dolorosam in decrepitis, & moribundis per resolutionem, quia continuo in senibus deficit calor, & humidum radicale, ita vt non animaduertãt se ad mortem ire, nisi quia vires deficiunt.

Ad quartum negatur minor, contra naturale enim, & necessarium nullum est naturale remedium. Ad primam probationem dicitur, quod fallunt, & falluntur Alchimici sic, quod nullum vnquam fecerũt immortalem. Aliud est enim posse aliquo modo naturam adiuuare, & à corrumpentibus defendere, & aliud est eam in æuum posse tueri. Primum admittimus. Secundum negamus. Ad secundum pariter dicitur esse quid facilius remedia contra venena, & alia mala externa adinuenire, quam contra naturalem deficientiam stare, nam externa non tantum nocent, quan tum interna necessitant. Ad tertium pariter respondetur, plura requiri ad cõseruandam vitam viuentium, & ad manutenendum humidum primogeneum, & natiuum, quam ad tuendum contra talem corpus emortui animalis. Res enim inanimatæ diutius durare possunt, quia solũ ab externo corrumpuntur, vbi animatæ ab interno, & externo interficiuntur. Valentque res inanimatæ ob eorum duritiẽ diutius resistere corrumpentibus, non sic animatæ propter eorum mollitudinem.

Ad quintum respondendo inuenio duas opiniones. Prima tenet posse Deum producere aliquam qualitatem naturalem, qua mediante corpora naturalia reddantur perpetua. Primo, quia hoc cælis communicauit. Secundo, quia virtus ligni vitæ, quæ poterat facere homines immortales erat qualitas, & virtus naturalis, secundum S. D. Victorem, Strabonem, & Hugonem. Tertio. Quia, & si esset virtus naturalis, à Deo tamen daretur supranaturaliter ex Dei beneficio.

Secunda opinio tenet, non esse possibilem hanc qualitatem naturalem. Primo. Quia capacitas recipiendi talem qualitatem naturalem prouenit ex intimis naturæ principijs, inconueniens autem est quod natura semper esset destituta hac qualitate. Secundo, quia sicut non est aliqua qualitas naturalis, quæ possit facere corpora calestia corruptibilia, ita dicendum est nullam esse qualitatem naturalem, quæ valeat

valeat corpora corruptibilia sempiterna facere. Tertio. Quia si esset naturalis, posset produci à natura, quod est falsum, quia à solo Deo dicitur esse producibilis, & esset proprietas consequens formam, quod falsum omnino cernitur. Et huic secundæ opinioni magis me subscribo, quam primæ.

Ad rationes primæ opinionis dicimus primæ, aliam esse rationem in cælo, nam cælum non qualitate aliqua, sed sua natura conditum est incorruptibile, quia eius materia est forma totaliter faciata. Ad secundum dicitur, quod qualitas pomi vitæ ex se non tribuebat immortalitatem, quia homo in illo statu innocentiæ adhuc igne ferro, ac alijs externis violentis potuisset lædi, vnde non dabat nisi, quod humidum radicale reparabat, atque sæpius si eius comestio repetebatur, iam senem ad iuuentutis statum reducebat. Vnde aliunde habebat immortalitatem, idest ex dei dono gratuito.

Ad tertium dicitur, quod implicat virtutē esse naturalem, & agere contra naturam, nam homo sua natura corruptibilis est, & ideo non est capax incorruptibilitatis in sensu cōposito, vnde si Deus decreuisset illum facere immortalem, dedisset etiam ei media immortalitatis, vel saltem, quod anima potuisset facere corpus suę immortalitatis capax, vnde immortalitas à solo Deo esset.

Ad quintum principale. Primo dicitur donum impassibilitatis fore à Deo, & ita donum immortalitatis, si Deus voluisset facere hominem immortalem, loquimur enim de eo in præsenti statu.

Ad sextum circa minorem sunt duæ opiniones. Prima enim tenet non fuisse eandem computationem annorum apud veteres, & nos, & consequenter non tot annos nostros vixisse veteres, vt tradunt historiæ. Sic Xenophon lib. de æquiuocis. Berosus 2. antiq. Plinius lib. 3. naturalis hist. cap. 48. & multi alij, qui dixerunt, quod vnus noster mensis decem antiquorum comprehendit, & ita vnus annus noster decē illorum.

Sed ista sententia communiter reijcitur à nostris Theologis. Primo. Quia sic sequeretur. Enos nono, & Cainum septimo anno genuisse, vbi nos in sacris literis legimus eos procreasse filios, Enos anno nonagesimo, & Cainum septuagesimo, & male Rebeccha tristitisset se indicans ad generandū impotentem, cum nondum centesimum annum attigisset, quod secundū supradictorum opinionem adhuc decimū non teneret. Secundo. Quia cap. 7. Genesis fit mentio primi, secundi, septimi, & decimi mensis anni Diluuij, & fit vlterius expressa mentio diei 17. 27. & 22. vnde tenendum venit annum semper eiusdem computationis fuisse apud veteres, & nostrates.

Aliter igitur respondendum venit, & dicendum, causas diuturnitatis vitæ apud antiquos nostros multas extitisse, sed præcipue sunt illæ.

Prima. Quia vita humana erat in suo initio, ac fonte, & consequenter erat vegetior, ac robustior, sicut videmus iuuenes senioribus robustiores, & validiores.

Secunda. Quia tunc maior peritia medicæ artis vigebat, ac ad repellendos morbos maior cognitio, cum illi nostri patres ex traditione ab Adam, & multis reuelationibus nouissent naturam, ac proprietates omnium lapidum, herbarum, plantarum, animalium, & influxuum cælorum.

Tertia. Quia ante diluuium herbæ, & plantæ, fructusque quibus homines vescebantur, plus in se virium cohibebant, quam post diluuium, quando aquæ maris salsæ magnam sterilitatem induxerunt, ac virium attenuationem.

Quarta. Quia illo tempore non erant tantum ebrietati, ac epulis dediti, (plures enim occidit gula, quam gladius dicit sapiens) constat enim ciborum multitudinem, & condimentorum varietatem vires stomachi infringere, morbos inuehere, & vitam minorem.

Quinta. Quia non erant tam procliues in luxuriam, vnde de multis legimus vxores non duxisse, nisi in 50. vel 60. anno. Luxuria enim animi vires hebetat, corporis fortitudinem infringit, temperamentum sanitatis dissoluit, & ad sepulchrum etiam iuuenes in eam inorditos deducit.

De diuturnitate ergo vitę humanę bifariam loqui possumus. Primo ante Diluuium. Secundo post Diluuium. Loquendo de ea ante Diluuium notum est multos per multa secula vixisse, vt Sacræ nos docent Historiæ. At loquendo de vita humana post Diluuium, iam audiuimus Dominum dicen-

dicentem. Nam permanebit spiritus meus in homine, quia caro est. Eruntque dies hominis centum viginti annorum. Quare, & si de aliquibus post hoc tẽpus legerimus, quod longissimam vitam ad 300. annos duxerint, putandum erit hoc Dei fauore esse factum, vel etiam naturæ facultate (non enim regula Physica infallibilis est, sed tantum, vt in pluribus verificabilis.) Vel mirandum esse, vt de quodam narrauerunt Lusitani, qui apud Ciuitatem Deum 335. annos vixit, cui aliquoties dentes ceciderant, & alij modo in eorum locum succedebant, & vbi barba omnino canuisset, reflorescente ætate iterum nigrescebat, & hic erat ex Gangaridum gente. Sed ista sunt admiranda potius, quam scisitanda.

Dicimus ergo ad argumentum negando primo maiorem, nam veteres calluerunt magis artem, & cognitionem medicinæ naturalis, quam nostri. Secundo dicimus ad minorem, quod illud euenit, ex alijs causis, à nobis superius assignatis. Non enim valet argumentum, quia cetera non sunt paria.

QVÆSTIO XXX.

An id quod semel interijt, natura viribus possit reparari.

Videtur quod sic. Primo. Quod ab alio non dependet, posset esse sine eo à quo non dependet. Sed demus calorem, qui spacio trium horæ quadrantium existat, existentia illius in primo, & tertio, ab ipsiusmet existentia in medio quadrante non dependet. Ergo potest in primo, & tertio existere, absque eo quod in medio extitit, quod fieri non posset, nisi idem corrumperetur, & rediret.

Secundo. Aqua in multas partes diuidatur, tunc perit, quia diuisio dissoluendo vnionem partium, illam perire facit. Modo partes iterum re vniant, eadem singularis aqua reparatur, quia ex eisdem partibus est idem totum. Ergo destructum reparatur.

Tertio. Quædam partes ab animantibus diuulsæ arte medica iterum reliquis vniuntur, imò D. Aug. super Psal. 101. refert à quibusdam traditum Pelecanum rostro pullos suos occidere, sed post seipsum sauciando sanguinem effundere, eoque super pullos effuso eos ad vitam reuocare. Quod, & D. Greg. in eundem Psal. ex placito Philosophorum approbat.

Quarto. Homines de morte ad vitam possunt reuocari. Ergo, & alia. Antecedens probatur. Primo. Vbi est materia ad formam in potentia, & forma ad eandem materiam inclinata, ibi potest esse naturalis reunitio. At mortuo Socrate remanet materia cum pura potentia ad omnes formas, ergo & ad animam Socratis, & anima Socratis naturaliter inclinatur ad informandum eandem materiam, vt docent Theologi S.D.p.p.quæst.76.art.1. ad 6. & D. Aug. lib. 12. de Genesi ad literam cap. 35. Ergo poterit idem numero de priuatione transire ad habitum per reparationem naturaliter.

Secundo. Nullum violentum potest esse perpetuum per Arist. 1. Cæli tex. 15. & 2. tex. 18. At anima contra suam inclinationem extra corpus detinetur. Ergo tandem sua natura redibit ad proprium corpus.

Tertio. Homo naturaliter appetit propriam beatitudinem, & quo ad corpus, & quo ad animam. Sed in hac vita non potest illam habere, vt docet D. Aug. 13. de trinitate cap. 8. & 20. Ergo opus erit, vt anima naturaliter redeat ad corpus ipsumque ad beatitudinem propriam per redundantiam traducat. Ex qua ratione SS. Patres Chrisost. hom. 65. in Io. Cirillus Hierosolymitanus cathec. 18. Damascenus lib 4. cap. 28. & alij futuram nostram resurrectionem comprobant.

Quinto. Per Arist. 8. Metaphys. tex. 11. & 12. tex. 11. Si eadem materia, idemque agens perseueret, idem effectus esse poterit, & secundum eundem 8. Phys. tex. 53. Idem eodem modo se habens potest facere idem. At in corruptione manet eadem materia, & potest perseuerare idẽ efficiens, eodem modo se habens. Ergo idem reparari potest.

Circa præsentem difficultatem inuenio plures modos dicendi. Nam Plato cum Platonicis considerantes cursum syderum ac reuolutionem ab occasu in ortũ, quæ secundum Ptholomeum spatio trigintasex millia annorum concluditur voluerunt, quod in noua reuolutione ad conficiendum nouum cursum 36. millium annorum,

rum, quod idem de nouo reparabitur, ita verbi gratia, quod ego qui modo anno 1618. Venetijs moror, ac in Conuentu Sancti Dominici hæc scribo, post 36. millia annos, iterum ero Venetijs, & in simili hora de nouo, quæ modo scribo, iterum scribam. De qua opinione lege D. Aug. 12. de ciuitate Dei cap. 13. & Herodotum lib. 2. dicentem hanc opinionem ex Schola Pitagoricorum originem duxisse, & ex Aegyptiorum fabulis, tenentium migrationem animarum de corpore ad corpus per quosdam orbes mundanos, dicentes animam prius vitam agere æternam apud illam Stellam cui vel natura, vel affectu est propinquior, quandoque in igne cum Demonibus, deinde cum Herois in aere, & denique in terris, cum animalibus. Immo aliqui ex Platonicis, & Pythagoricis, vt Hiarchus, Brachmanes, Zoroastres, Trismegistus, & Apollo Thianeus in hanc dementiam deuenerunt, vt affirmauerint animas rationales in bellvina corpora, & animas belluarum in corpora humana vicissim demigrare. Et quod corpora pecudum sorti ebantur si mites fuerunt. Si cantui dediti in Luscinias, & alias cantatrices aues, si fœdis voluptatibus obruti in porcos, si latrocinijs in Lupos, si rixosi fuerunt in serpentes, si audaces in Leones, si subdoli in Vulpes transibant, & affirmabant Homerum in Pauonem, & Orpheum in Cignum abisse, animam Thamyræ Philomelam affectasse, Aiaces Leonem, Agamenonis Aquilam, Therfitis Simiam. Et ex eodem Placito narrauit Plutarchus lib. de sera numinis vindicta, opifices inferiorum conatos fuisse, animam Neronis clauis ignitis vndique transfixam, in Pindaricæ Echiduæ speciem vertere, & transformare, vt per viscera erumpens partu matrem deuoraret, ac laniaret, &c.

Opinionem Platonis interpretatur Alcinous lib. de doctrina Platonis cap. 16. & melius D. Augustinus lib. 7. de Genesi ad literam cap. 10. docendo Platonem non docuisse trãsformationem realem in animalia bruta, sed affectiuam, non inquam in pecorum membra, & effigiem, sed in pecorum affectus.

Sed opinio afferens transmigrationem animarum omnino falsa est, & heretica. Primo enim contradicit scripturis testantibus post mortem non fore nisi generalem resurrectionem, sine aliqua reditione ad corpus. Sic enim habetur 1. ad Thess. cap. 4. ibi. Semper cum domino erimus, scilicet post resurrectionem, & Rom. 5. Christus resurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur, & Apoc. 10. Tempus non erit amplius, & in articulo fidei dicimus Vitam æternam.

Secunda igitur sententia fuit Ricardi 4. dist. 43. quæst. 1. art. 3. & Scoti ibidem quæst. 3. art. 1. quod idem numero effectus possit naturaliter reparari. Illorum argumenta relata sunt in initio quæstionis.

At tertia sententia oppositum docet .s. non posse idem numero semel corruptum, viribus naturæ reparari. Hanc sustinent Arist. 2. de generat. text. 70. & capite de oppositis, & 5. Phys. tex. 37. S. D. 4. contra Gentes cap. 18. cum Ferrariensi ibidem Henricus Gandauensis quod 7. q. 16. Durandus 4. dist. 43. quæst. 2. Capreolus quæst. 1. art. 1. Ricardus quæst. 1. circa 3. Auerroes 2. de generat. ad tex. 70. Zimara in Theorematibus prop. 102. & alij. Verũ est tamen, quod Ricardus cum Scoto concedunt reparationem eiusdem in accidentibus, elementis, & quibusdam mixtis, non in omnibus.

Secundo igitur notandum venit, quod ad reparandum idem numero multa concurrere debent. Primum est materia. Materia autem dupliciter considerari potest. Primo absolute, & simpliciter, & sic dicitur in potentia ad omnem formam, sed per hoc non est materia, nec huius, nec alterius in particulari, vnde secundum hanc considerationem non vestitur aliqua particulari forma. Secundo, vt dicitur materia huius, & ita necesse est, quod sit singulari quadam actione ad hanc formam disposita, quia per ordinem ad hanc formã virtute agentis introductum materia indiuiduatur, vt ad longum vidimus 5. Metaphys. Cum ergo materia forma expoliata amiserit priorem dispositionem, & ordinem, quæ semper in varietate sunt, ex hac parte non potest idem numero reparari.

Secundum, quod ad hanc generationẽ concurrit est agens, non in sua virtute, vt sic inspectum, sed vt cum tali dispositione hanc materiam disposuit, & ad introductionem huius formæ operatus est, quare

cum actio eius transierit, & prior illa dispositio, nec possit præteritum, & consummatum reparari in numero (vtique in specie, & similitudine) merito dicimus, nec pro hac secunda parte posse eiusdem numero fieri reparationem.

Tertium pensandum in hac generatione est singularitas actionis, quia singulari quadam actione productum est, quod est productum, siue per generationem, siue per quamcunque aliam actionem, vnde & si agens possit repetere consimilem actionem, non tamen repetit eam quam compleuit, & ideo, idem non potest secundum numerum reparari.

Adde quartum, scilicet tempus, quod transijt, & irreuocabile est. Ideo bene cogita, quod aliud est redire idem secundum speciem, & similitudinem specificam, & aliud illud, quod iam præterijt, verbi gratia dies hesterna, sic, quod dies externa, quæ præterijt, iam vt est modo non præterierit, in hoc enim stat punctum, & resolutio difficultatis.

Tertio ergo loco ponitur hæc conclusio, Idem numero corruptum iam, reparari non potest. Probatur. Primo auctoritate Arist. vt supra, clare enim loquitur, & aperte concludit, à priuatione ad habitum non esse regressum, idem nnmero non posse reparari. Secundo. Quod numquam factum fuit credibile est non posse esse, quia nulla potentia naturalis est, quæ semper sit otiosa. Sed numquam factum est naturaliter, quod idem numero redierit, cum omnibus circunstantijs superius positis. Ergo &c. Tertio. Demus circulationem cæli hodiernam, hesternæ similem, supra idem spacium, eadem velocitate, ab eodem agente, &c. quæro an dies hodierna sit dies externa reparata in idem numero. Si dicatur, quod sic, ergo deduco non sunt duo dies numero, quod nullus sani capitis affirmabit. Si negetur, eo quod similitudo, non causat reparationem eiusdem numero.

Quarto. Si idem agens eandem rem numero posset reparare, sequeretur, quod posset idem sæpius producere, & si eius actio non pensatur ex tempore, & actione præterita, nec ex loco, quoniam extrinseca sunt. Ergo poterit eandem rem numero in pluribus locis, temporibus, & actionibus producere, mensurare, & locare, quæ nullus dicet.

Quinto. Sic sequeretur, quod lux immissa heri à Sole, sit lux hodierna numeraliter, & calor semel in aqua ab igne immissus millies, idé numeraliter immitteretur, dato quod aqua millies redierit ad propriã frigiditatem, remanente eodem igne, quæ omnia absurda sunt, & à Philosophis non concedenda.

Ad primum negatur minor, existentia enim illius caloris in tertio, quadrante, dependet ab existentia in secundo sua, quia si in secundo, interrumperetur, oporteret per nouam actionem effici, & sic idem numero calor non produceretur.

Ad secundum dicitur, quod aliud est dicere, quod idem diuisum, & non corruptum possit iterum in idem numero reuniri, & aliud, quod iam corruptum, sic quod priorem formam amisit possit in idem numero reparari. Primum non negamus, vt argumentum de aqua diuisa, & reunita probat. Secundum autem est quod affirmamus, scilicet idem corruptum non redire numeraliter.

Ad tertium idem dicitur duo notando. Primum, quod partes diuulsæ reuniuntur, illæ partes ex parte materiæ, & formæ non fuerunt corruptæ, & ideo idem numero reparatur, ex parte tamen dispositionis non est idem numero, quia reunitur cum simili dispositione, sed non cum priori, & accidit hoc solum in habentibus extensionem formæ. Aliudque est partem decisam reunire, & aliud pro parte decisa aliud subrogare. Secundum enim facilius est. Vidi enim Bononiæ excellentissimum Chirurgum, quibusdam naso priuatis nouum nasum fecisse, ex eorummet carne incisa. Primum autem admittimus, vt supra, sed cito fiendum est, quia si spiritus euaporarent, non posset fieri noua vnio eiusdem viuentis. Secundum est de pelicano in singulari, quod illa historia affertur à D. August. vt fabulosa, seu ex dicto aliorum, & ita D. Hieronymus eam narrat, vt aliorum, & si dicat docuisse veteres Pelicani filius non à patre, sed à serpente occisos, & à patre proprio sanguine ad vitam reuocatos. Dicendum est ergo, quod vel ista est fabula, vel melius posse esse, vt à patre, vel serpente percussi, & fere ad mortem deducti, medicina sanguinis patris ad sanitatem, & incolumitatem

tatem

tatem euocentur.

Ad quartum negatur antecedens. Ad primam probationem dicitur, quod non est eadem materiæ potentia, & ordo, sed alius, post mortem enim non est potentia eadem numero amplius naturalis ad eandem formam cum sit corrupta, sed solum est in potentia obedientiali ad recuperandam eandem formam imperio Dei, & non agentis naturalis vi de nouo introducendam.

Ad secundum negatur minor, anima enim, vt est pars compositi ad illud inclinatur, scilicet, vt dicit quo, at vt dicit quod, & cum substantijs separatis habet propriam subsistentiam, est ei connaturale stare extra corpus.

Ad tertium dicitur, quod duplex est beatitudo. Prima dicitur naturalis, quæ à Philosophis posita est in virtute morali, & intellectuali, adiunctis bonis corporis, & fortunæ, & alijs, quæ ad virtutis vsum sufficiunt, & ista potest in via haberi, quæ tamen imperfecta dicitur. Secunda dicitur supranaturalis, ac vndique plena, & perfecta; & hanc non appetunt homines, nisi lumine fidei perfusi, & naturali ratione probabili, sed non demonstratiua ducti, quod, scilicet anima, quæ est pars compositi appetit riuniri suo toti, hanc enim negabunt, qui eam beatam extratuiam constituunt dicentes pro illo statu non appeti reunionem, quia melius se habet, quam se habuerit in corpore, vnde fides necessaria est.

Ad quintum dicitur, quod manente materia agente, ordine, dispositione, tempore esset idem numero, at manente tantum agente, & materia non reparatur idem numero corruptum, sed idem secundum speciem, vt intellexit Arist.

QVAESTIO XXXI.

An idem numero possit reparari, saltem diuina virtute.

Videtur quod non. Primo. Ad reparandum idem numero, necessaria est actio quæ præterijt. At ipsa non potest reparari cum transierit. Ergo nec productum, & corruptum.

Secundo. Si res fuit, & corrupta est, & iterum est, & producta est, bis est. Ergo habet duplicem existentiam, & sic non est eadem numero.

Tertio. Quod est, dum est, non potest iterum à Deo reproduci, cum producere sit dare esse non habitum. Ergo nec id quod non existit, vlla vi effici poterit.

Quarto. Deus non potest facere, quod id quod existit, non fuerit, nec vt quod non fuit, extiterit, vt docuit Plato in Sophista, & ex Agathone refert, & approbat Arist. lib. 6. Ethic. cap. 2. Ergo nec fieri poterit, vt id quod desijt esse, neque est, rursum existat.

Quinto. Eiusdem esset potentiæ Deus si de necessitate naturæ ageret, sicut modo est, dum libere operatur, quia voluntas, nec auget, nec minuit potentiam naturæ. At si Deus ageret de necessitate naturæ, non posset idem numero reparare. Ergo nec modo agendo libere. Probatur minor. Nam tunc per secũdas causas operaretur, aliter agendo secundũ totum suum posse, infinitum produceret. At nulla est secunda causa, quæ possit idem numero reparare, vt supra probatum est. Ergo nec Deus.

Respondetur, quod vel loquimur de eodem supposito humano, quod habet animam immortalem. Vel de alijs rebus secundum totum corruptibilibus. Si de homine sunt duæ opiniones. Prima, negat resurrectionem, & reunionem animæ cum corpore, quam habuerunt Saducei Matth. 22. & Marc. 12. Simon Magus apud D. Dionisium de diuinis nominibus, cap. 6. Marcion apud Tertullianum, lib. de præscriptione hereticorum, cap. 7. & Philosophi puri, contra quos disputant Patres Gregorius hom. 26. in Euang. & 14. Moralium cap. 18. D. August. serm. 19. de verbis Apostoli. Cirillus Hierosolymitanus Cath. 4. & 18. D. Basilius hom. 8. Hexam. Therphilus Antiochenus lib. 1. cõtra Christianæ Religionis calumniatores, Athenagoras lib. de mortuorum resurrectione, & S. D. 4. contra Gentes, cap. 79. & alij. Secunda, est omnium Catholicorum affirmantium resurrectionem mortuorum.

Loquendo vero de alijs corruptibilibus secundum totum. s. secundum materiam, & formam sunt etiam duę opiniones. Prima est negatiua, negans Deum sua absoluta potentia, posse idem numero corruptum, secundum materiam, & formam reintegrare numeraliter. Sic docuerunt Durandus

dus in 4.dist. 43. Marsilius lib. 2. de gener. quæst. 18. & Io. de Neapoli quod. 21. q. 6. & Abulensis ad caput 22. D. Matth. q. 238.

Secunda est affirmatiua, & sustētatiua, quod Deus sua absoluta potentia, valet, & potest idem numero restituere. Loquendo de rebus permanentibus, nam de successiuis erit sequens quæstio. Hanc sunt amplexati S. D. quod. 4. art. 5. Opusc. 9. c. 82. & 4. contra Gentes, cap. 81. cum Ferrar. Aegidius Theor. 1. Henricus Gandauensis quod. 7. q. 16. Scotus 4. d. 43. q. 1. D. Bonauentura ibidem, q. 5. Capreolus q. 1. Paludanus q. 2. & 3. Soto d. 44. quæst. vnica. Et fuit SS. Patrum August. 22. de Ciuitate Dei c. 20. & serm. 19. de verbis Apostoli, & Gregorij hom. 28. in Euang.

Secundo. Notandum venit dupliciter fieri posse, quod idem numero reparetur. Primo, immediate à Deo. Secundo, mediante creatura, à Deo vt instrumentū assumpta. In primo auctores secundæ sententiæ non ponunt difficultatem. In secundo distinguunt. Vel loquimur in illis qui creatione indigerent, si repararentur, vt si Deus Angelum, vel animam humanam anichilasset, necessaria enim esset noua creatio, cum teneamus cum S. Doct. non posse creaturam concurrere ad creationem, nec etiam instrumentaliter, quia nō potest habere actionem in nihil, consequenter dicimus etiam Deum non posse assumere creaturam ad reparandum idem numero per creationem. Vbi vero non creatio cōcurrit, sed reparatio distinguendum etiam est, quod duplex est instrumentum. Primum dicitur accommodatum, & proportionatum effectui, vt dum per calidum, verbi gratia, piperem, vel ignem reproducit calidum. Secundum dicitur, repugnans, vt si diceremus Deum per aquam summe calidam reproducere calorem. Primo instrumento posset Deus reparare corruptum, vt probabimus. Secundo nequaquam, quia Deus potest quidem supplere pro omni causa effectiua, non vero pro causa formali, quoniam non faciet calidum sine calore, nec album sine albedine, nec intellectualem creaturam sine intellectu; nam effectus ab intrinseco sibi determinat causam formalē, quia sine ea non est in actu, nec talis.

Tertio. Igitur venit dicendum, quod de reparando bifariam possumus loqui. Primo, quo ad substantiam, & omnia eius accidentia; adeo vt idem omnino sit, qui prius erat. Secundo, quo ad ea quæ præueniunt eius generationem, vt prima generatio, & sequuntur, vt duratio quæ priorē eius durationem mensurauit. Loquendo primo modo affirmamus posse Deum idem numero annichilatum, vel corruptum reproducere, ita vt sit omnino, & vndequaque illud, quod prius erat, vt modo in conclusione probabimus. At sermonē faciendo in secundo sensu, non est res factibilis, quia implicat quod actio terminata non sit terminata, & quod præcessit non fuerit, vnde vere non erit simpliciter idem numero, idest omnibus modis, erit tamen idem simpliciter, vt ly simpliciter denotat naturam, & importat eius conditionem.

Quarto ergo loco ponitur talis conclusio. Idem numero quo ad substantiam, ac omnia eius accidentia potest à Deo reparari.

Probatur. Primo. Quod nullam inuoluit repugnantiam potest à Deo fieri. At nullam inuoluit repugnantiam, quod illud quod semel fuit à Deo, vel immediate, vel per secundam causam productum iterum reproducatur, non enim dum primo illud produxit imminuit suam potentiam, nec quod erat esse desijt. Ergo poterit illud de nouo reproducere.

Secundo. Ad faciendum quod corruptum sit idem numero reparatum, necessaria est prior materia, forma, actio, & accidentia priora. At Deus potest eandem numero materiam reproducere, vel priori eundē ordinem dare, eandem formam in materiam inducere, & sicut prius egit, modo agere, eademque accidentia, & proprietates composito tribuere. Ergo idem reparare numero.

Tertio. Causa quare dicatur Deus non posse idē reparare est, quia nō potest generationem quæ præcessit facere, quod non præcesserit. Sed Deus potest sine motu, & generatione reproducere eandem rem, sicut omnia ex nihilo produxit. Ergo idem numero reparare.

Ad primum negatur minor. Ad probationem dicitur, quod reparatio sit eadē actio quæ est creatio, vel generatio, vel alio modo rei productio bifariam intelligi potest. Primo, materialiter, & sic distinguūtur, quia in genere entis, & actionis non sunt

sunt vna actio, sed duæ. Secundo, formaliter, idest ratione termini à quo actiones specificantur, & ita sunt vna eademque actio, quia est idem productum numero.

Ad secundum dicitur, quod possumus dicere rem reparatam fuisse, quia ly fuit respicit tempus, & ita fuit in duplici tempore .s. ante corruptionem, & post corruptionē, sed non possumus dicere illam habere duplex esse, & duplicem existentiam, quia esse, & existentia nominant naturam, & quidditatem rei, modo esse, & essentia prior, est eademmet quæ est posterior.

Ad tertium negatur sequela, implicat enim quod dum res est, non fit, non vero quod res quæ fuit, reparetur numeraliter.

Ad quartum negatur pariter consequentia, quia reparatio nullam implicat contradictionem.

Ad quintum. Primo, aliqui negant maiorem, quia agere de necessitate naturæ est quadam imperfectio, non quod potentia à voluntate sit, sed quia imperfectio voluntatis diuinæ nequit esse cum infinita perfectione potentiæ, nam potentia, & voluntas sunt vnum simpliciter, vnde ponens Deum imperfectum in voluntate, est illum ponere imperfectum in potentia. Sed nos de hac re diximus 8. Phys. Pro nunc dicitur ad minorem, quod posset illud idem reproducere per secūdas causas modo supra explicato, data etiam necessaria connexione primæ causæ cum secundis, ad hoc reproducendum.

QVÆSTIO XXXII.

An idem numero possit reparari in successiuis.

Videtur quod sic. Illud quod non implicat contradictionem, est Deo possibile. Sed reparatio successiui nullam contradictionem inuoluit. Ergo est Deo possibilis. Maior est clarissima, & communiter recepta. Minor probatur, quia plus Deus potest, quam mens nostra concipere valeat, vnde si ei videatur contradictio, Deo tamen apud quem non est impossibile omne verbum, non erit contradictio.

Circa præsentem difficultatem sunt duæ opiniones. Prima est affirmatiua .s. posse Deum idem numero ens successiuum reparare, neque hoc aliquam repugnantiam præseferre. Quam habuerunt Aureolus apud Capreolum 4. d. 43. quæst. 1. art. 2. Bassolis quæst. 1. Mayronus d. 44. q. 3. & in hanc etiam magis inclinant Conimb. de generat. lib. 2. quæst. vlt.

Secunda est negatiua, asserens hoc implicare contradictionem. Quam recepit S. D. quodlib. 4. art. 5. Gandauensis quodlib. 7. quæst. 16. Durandus in 4. dist. 43. quæst. 2. Capreolus ibidem quæst. 1. Ferrariensis 4. contra Gentes cap. 81. ac plures alij, & probatur.

Primo. De ratione entis successiui est continuitas, ita vt continuitate soluta non sit amplius ens successiuum in actu. At vnitas entis successiui postulat continuationem, quæ fracta est in ente corrupto. Ergo non potest idem successiuum numero reparari.

Respondent Conimb. quod vnitas entis successiui dependeat ex eius continuitate stat dupliciter. Primo, propter vnitatem, quia nisi sit continuum non erit vnum. Secundo, propter cōtinuationem partium, quia continuum est, cuius partes copulantur ad vnum communem terminum. Argumentum procedit de continuo primo modo, at secundum sufficit continuo, & ita erit in reparato, quod eius partes copulabuntur ad vnum terminum communem, ac si non fuissent diuisæ.

Sed hæc responsio non subsistit. Nam non solum de ratione continui est copulatio partium ad vnum, verum etiam est perpetua successio, aliter erit hoc, & hoc continuum, continuum enim est cuius est accipere partem post partem, sine interruptione, vnde ea data, dissoluta est continuatio, & si duo continua copulentur adinuicem, se habebunt per modum vnius non vero erit, quod non fuerint duo continua. Cum igitur per corruptionem finitum sit primum continuum, si nouum fiat, erit aliud.

Secundo. Tempus, & motus mutuo, & inseparabiliter se consequuntur, quia tempus non est nisi numerus motus apud 4. Phys. Si igitur restituatur idem motus, restituetur etiam idem tempus. Sed tempus præteritum non potest restitui, implicat enim, quod dies externa non sit externa, & numquā cesserit. Ergo nec potest restitui idem motus, qui est quoddam successiuum.

Re-

Respondent Conimbr. tempus illud mensurans motum non correspondere tempori nisi quo ad imaginationem,non vero quo ad essentiam,& singularitatem. Exemplificant de superficie imaginarie mensurante parietem, & translata à Deo ad alium locum, quæ est idem, & in summa vis responsionis in hoc stat,quod vt tẽpus imaginarium præteritum non potest reuocari, vt vero est quoddam ens reale positiuum,vtique.

Sed miror hanc responsionem. Tempus enim præteritum, & tempus præsens duo necessario dicunt.s. naturam temporis positi sub motu, & actum animæ mensurantis prius,& posterius in tempore. Si igitur non est idem actus animę numerantis, quia numerauit vsque ad 24. horam diem quo ad suum positiuum, & ipsum diem terminauit quo ad vtrumque, quomodo redibit vnum sine alio, & quomodo erit dies præsens, si est dies præteritus? Aut enim hic dies est ille qui præcessit, aut non. Primum non est affirmandum, quia non præcessisset, aut præcessisset, & non præcessisset,quod inuoluit repugnantiam. Si igitur est dies,qui non præcessit (dico quo ad actum animę numerantis,& suum esse reale constitutum in successione terminabili tamen.) Ergo sunt duo dies, & non vnus dies.

Tertio. Minus est successiuum conseruare, quam illud reparare, quia minus est rem existentem conseruare ne corrumpatur, quam corruptam restituere. At Deus nõ potest successiuum conseruare ne corrumpatur, idest, ne transeat, nam si hoc faceret, destrueret naturam entis successiui, & faceret successiuum ens,ens permanẽs. Ergo non poterit nec illud reparare.

Quarto. Respondent pro nobis, quod impossibile est tenere ens successiuum ne fluat, quia aliter esset ens permanens, vnde dicunt quid amplius esse conseruare ens successiuum,quam illud reparare.

Sed certe laboramus in æquiuoco. Supponimus enim ens successiuum, vt motus, & tempus iam terminum habuisse, ex quo dicti sunt hic motus, & hoc tempus, ab omni alio motu, & tempore distincta. Hoc stante arguimus non esse possibile idem tempus transactum, & idem motus præteritus reparari, quia transierunt, & si transierunt,non sunt hoc tempus,& hic motus,qui non transierunt. Nec possibile est per quamcumque potentiam quod transactum, & præteritum, non sit transactum,& præteritum, sed sit præsens,aut sit præsens, & præteritum formaliter. Error enim in hoc stat, quod ipsi considerant ens successiuum solum, quo ad suum materiale, & quo ad suam entitatem, & non quo ad vtrumque simul.s. quo ad suũ materiale, sub proprio formali, quod ens in successiuis sibi vendicant ex sua natura. Vnde aliud est dicere, quod ens successiuum, quod præterijt, vt successiuum fuit formaliter, & materialiter, complete, & vndequaque vt fuit,sit,& aliud quod eius materiale, & positiuum reparetur. Aduersarij secundum tantum inspexerunt, & male, nos loquimur de ente successiuo præterito omni modo,quo præterijt.

Ad argumentum negatur minor. Ad probationem dicitur, quod Deus plus potest, quam mens humana excogitare potest, dummodo illud non implicet contradictionem, si vere implicat contradictionẽ. Possibile est enim, quod illud, quod non videtur contradictionem implicare vere apud Deum non implicet, quia habet in tesauro suæ potentiæ, & sapientiæ modum inescogitatum,& ita dicitur plus posse, quam homo valeat percipere. Numquam enim potuisset mens humana capere, quomodo tres personæ subsistentes distinguerentur tantum relationibus, & quomodo Christus maneat sub speciebus panis, & vini, & accidentia existant sine subiecto,nisi de his fide essemus instructi.

DE QVALITATIBVS.

QVoniam ordinem quandoque perfectionis sequimur in explicãdis ea quæ faciunt ad vniuersum nostrum elementare, & quandoque ordinem causalitatis, ideo mirum non erit si ex vno ordine ad alium transeamus, secundum quod nobis videtur commodius fiendum. Et quoniam multa diximus de qualitate,& in prædicamentis, & de eius natura in 8.Phys.& radicatione in subiecto in 8.Metaphys. ideo remittendo lectorem ad illa loca, quæstiones de qualitatibus non examinatas, hic examinabimus. Cupimus enim studiosum nostrum totius Philosophiæ esse patronũ, & ideo ad varia loca, illum remittimus.

QVÆ-

QVAESTIO XXXIII.

An Aristoteles recte definierit quatuor primas qualitates.

Videtur quod non. Sic enim has singillatim definit. Calidum est, quod ea congregat, quæ sunt eiusdem generis.

Frigidum est, quod congregat tam ea, quæ eiusdem generis sunt, quam quæ alieni.

Humidum est, quod termino proprio non terminatur, cum facile possit terminari alieno.

Siccum est, quod termino proprio de facili terminatur, & alieno de difficili terminatur.

Arguitur ergo primo. Nam quodlibet definibile aptius definitur, per id quod ei primo conuenit, quam per id quod ei secundo attribuitur. At calido primo conuenit calefacere, & frigido infrigidare, humido humectare, & sicco exsiccare, & deinde congregare, & terminare, nam calidum non congregat, nisi prius calefaciat, &c. Ergo male definitæ sunt.

Secundo. Contra definitionem calidi est, quod calidum in generatione vnit humidum sicco, quia generatio non constat ex solo humido, vel ex solo sicco, sed ex aggregatione vtriusque. Ergo male dicitur, quod calidum aggregat ea, quæ sunt eiusdem generis, nam humidum, & siccũ sunt diuersi generis.

Tertio. Quia in concoctione, quæ perficitur per calidum, calidum diuersa alimenta vnit, ex quibus in ventriculo fit chylus.

Quarto. Quia si lignentur cera, & pix in eodem vase per ignem vnum fiunt, & sunt diuersi generis, & ita in caseo, qui calore concrescit, xterogenea vniuntur.

Quinto. Et iam dissipat homogenea. Quia si in vitro ponatur calida frangunt illud, & glacies, & grando calore soluuntur, & liquescunt, stamnum, æs, & aurum soluuntur potius, & liquefiunt calore, quam congregentur.

Sexto. Per eundemmet Arist. 2. de partibus animalium cap. 2. densare est proprium frigoris, & laxare caloris, vt experimur in animalibus, quorum meatus tempore hyemis frigore adstringuuntur, & in æstate, balneis, & hypocaustis dilatantur, qua propter calore vigente minor copia spirituum vitalium corpore asseruatur, quia ex apertis meatibus foris euolant, & medici dum sudorem ab infirmo excutere volunt, ægrotum bene calidum, & tectum iubent. Ergo calidum, non congregat, & contrahit, sed potius laxat dissipatque.

Secundo principaliter arguitur contra definitionem frigidi. Primo. Quia compertum est frigore interdum saxa disrumpi, & membra dissolui.

Secundo. Contraria contrarios habent effectus per Arist. 2. de generat. tex. 56. & 4. Metaphys. comm. 4. At calor, & frigus sunt contraria. Ergo si calor congregat, frigus non congregabit, sed dissoluet.

Tertio. Principaliter arguitur contra definitionem humidi, & sicci. Nam ignis, & arena, & alia minuta sunt sicca, & tamen alieno termino concluduntur de facili, & proprio de difficili. Et aqua, quæ humida est, dum fluit egre detinetur, & de difficili capit terminum continentis. Ergo definitio humidi sicco conuenit, & sicci humido adscribenda venit.

In explicationem quatuor supradictarum qualitatum. Primo notandum venit, quod quatuor vt p.p. huius vniuersi elementaris probauimus sunt qualitates primæ elementares. s. caliditas, frigiditas, humiditas, & siccitas, duæ primæ, & duæ vltimæ adinuicem pugnantes, & contrariæ, & consequenter omnes passiuæ, nisi vnam alteri compares, vt destructiua, quia sic habet rationem priuationis, sed improprie, cum in genere entis omnes quatuor sint entia positiua, & realia. Neque in elementis ipsis sunt aliæ qualitates, quam supradictæ, vt probat Cap. 2. dis. 16 quæst. 2. Soncinas 9. Metaphys. quæst. 8. Sotus 2. Phys. quæst. 1. Fluunt enim ab elementis, vt primæ, propriæ, & adæquatæ passiones ipsorum, ab eorum essentijs immediate causatæ, vt docent Galenus 1. Methodi, Hyppocrates de hominis natura, & Arist. 2. de generat. tex. 15. Hoc autem venit intelligendum, quod supradictæ sunt primæ qualitates non absolute, quia qualitates spirituales, & insensibiles, possunt esse priores, cum superiores sint, & ab his independentes, sed inter corporales, & sensibiles. Et considerando qualitates, quę tantum corporibus elementaribus conueniunt, & mixtis, non vero comprehenden

do

Respondent Conimbr. tempus illud mensurans motum non correspondere tempori nisi quo ad imaginationem, non vero quo ad essentiam, & singularitatem. Exemplificant de superficie imaginarie mensurante parietem, & translata à Deo ad alium locum, quæ est idem, & in summa vis responsionis in hoc stat, quod vt tēpus imaginarium præteritum non potest reuocari, vt vero est quoddam ens reale positiuum, vtique.

Sed miror hanc responsionem. Tempus enim præteritum, & tempus præsens duo necessario dicunt. s. naturam temporis positi sub motu, & actum animæ mensurantis prius, & posterius in tempore. Si igitur non est idem actus animę numerantis, quia numerauit vsque ad 24. horam diem quo ad suum positiuum, & ipsum diem terminauit quo ad vtrumque, quomodo redibit vnum sine alio, & quomodo erit dies præsens, si est dies præteritus? Aut enim hic dies est ille qui præcessit, aut non. Primum non est affirmandum, quia non præcessisset, aut præcessisset, & non præcessesit, quod inuoluit repugnantiam. Si igitur est dies, qui non præcessit (dico quo ad actum animæ numerantis, & suum esse reale constitutum in successione terminabili tamen.) Ergo sunt duo dies, & non vnus dies.

Tertio. Minus est successiuum conseruare, quam illud reparare, quia minus est rem existentem conseruare ne corrumpatur, quam corruptam restituere. At Deus nō potest successiuum conseruare ne corrumpatur, idest, ne transeat, nam si hoc faceret, destrueret naturam entis successiui, & faceret successiuum ens, ens permanēs. Ergo non poterit nec illud reparare.

Quarto. Respondent pro nobis, quod impossibile est tenere ens successiuum ne fluat, quia aliter esset ens permanens, vnde dicunt quid amplius esse conseruare ens successiuum, quam illud reparare.

Sed certe laboramus in æquiuoco. Supponimus enim ens successiuum, vt motus, & tempus iam terminum habuisse, ex quo dicti sunt hic motus, & hoc tempus, ab omni alio motu, & tempore distincta. Hoc stante arguimus non esse possibile idem tempus transactum, & idem motus præteritus reparari, quia transierunt, & si transierunt, non sunt hoc tempus, & hic motus, qui non transierunt. Nec possibile est per quamcumque potentiam quod transactum, & præteritum, non sit transactum, & præteritum, sed sit præsens, aut sit præsens, & præteritum formaliter. Error enim in hoc stat, quod ipsi considerant ens successiuum solum, quo ad suum materiale, & quo ad suam entitatem, & non quo ad vtrumque simul. s. quo ad suū materiale, sub proprio formali, quod ens in successiuis sibi vendicant ex sua natura. Vnde aliud est dicere, quod ens successiuum, quod præterijt, vt successiuum fuit formaliter, & materialiter, complete, & vndequaque vt fuit, sit, & aliud quod eius materiale, & positiuum reparetur. Aduersarij secundum tantum inspexerunt, & male, nos loquimur de ente successiuo præterito omni modo, quo præterijt.

Ad argumentum negatur minor. Ad probationem dicitur, quod Deus plus potest, quam mens humana excogitare potest, dummodo illud non implicet contradictionem, si vere implicat contradictionē. Possibile est enim, quod illud, quod non videtur contradictionem implicare vere apud Deum non implicet, quia habet in tesauro suæ potentiæ, & sapientiæ modum inescogitatum, & ita dicitur plus posse, quam homo valeat percipere. Numquam enim potuisset mens humana capere, quomodo tres personæ subsistentes distinguerentur tantum relationibus, & quomodo Christus maneat sub speciebus panis, & vini, & accidentia existant sine subiecto, nisi de his fide essemus instructi.

DE QVALITATIBVS.

QVoniam ordinem quandoque perfectionis sequimur in explicādis ea quæ faciunt ad vniuersum nostrum elementare, & quandoque ordinem causalitatis, ideo mirum non erit si ex vno ordine ad alium transeamus, secundum quod nobis videtur commodius fiendum. Et quoniam multa diximus de qualitate, & in prædicamentis, & de eius natura in 8. Phys. & radicatione in subiecto in 8. Metaphys. ideo remittendo lectorem ad illa loca, quæstiones de qualitatibus non examinatas, hic examinabimus. Cupimus enim studiosum nostrum totius Philosophiæ esse patronū, & ideo ad varia loca, illum remittimus.

QVÆ-

QVAESTIO XXXIII.

An Aristoteles recte definierit quatuor primas qualitates.

VIdetur quod non. Sic enim has singillatim definit. Calidum est, quod ea congregat, quæ sunt eiusdem generis.

Frigidum est, quod congregat tam ea, quæ eiusdem generis sunt, quam quæ alieni.

Humidum est, quod termino proprio non terminatur, cum facile possit terminari alieno.

Siccum est, quod termino proprio de facili terminatur, & alieno de difficili terminatur.

Arguitur ergo primo. Nam quodlibet definibile aptius definitur, per id quod ei primo conuenit, quam per id quod ei secundo attribuitur. At calido primo conuenit calefacere, & frigido infrigidare, humido humectare, & sicco exsiccare, & deinde congregare, & terminare, nam calidum non congregat, nisi prius calefaciat, &c. Ergo male definitæ sunt.

Secundo. Contra definitionem calidi est, quod calidum in generatione vnit humidum sieco, quia generatio non constat ex solo humido, vel ex solo sicco, sed ex aggregatione vtriusque. Ergo male dicitur, quod calidum aggregat ea, quæ sunt eiusdem generis, nam humidum, & siccũ sunt diuersi generis.

Tertio. Quia in concoctione, quæ perficitur per calidum, calidum diuersa alimenta vnit, ex quibus in ventriculo fit chylus.

Quarto. Quia si liquentur cera, & pix in eodem vase per ignem vnum fiunt, & sunt diuersi generis, & ita in caseo, qui calore concrescit, æterogenea vniuntur.

Quinto. Etiam dissipat homogenea. Quia si in vitro ponatur calida frangunt illud, & glacies, & grando calore soluuntur, & liquescunt, stamnum, æs, & aurum soluuntur potius, & liquefiunt calore, quam congregentur.

Sexto. Per eundemmet Arist. 2. de partibus animalium cap. 2. densare est proprium frigoris, & laxare caloris, vt experimur in animalibus, quorum meatus tempore hyemis frigore adstringuntur, & in æstate, balneis, & hypocaustis dilatantur, qua propter calore vigente minor copia spirituum vitalium corpore asseruatur, quia ex apertis meatibus foris euolant, & medici dum sudorem ab infirmo excutere volunt, ægrotum bene calidum, & tectum iubent. Ergo calidum, non congregat, & contrahit, sed potius laxat dissipatque.

Secundo principaliter arguitur contra definitionem frigidi. Primo. Quia compertum est frigore interdum saxa disrumpi, & membra dissolui.

Secundo. Contraria contrarios habent effectus per Arist. 2. de generat. tex. 56. & 4. Metaphys. comm. 4. At calor, & frigus sunt contraria. Ergo si calor congregat, frigus non congregabit, sed dissoluet.

Tertio. Principaliter arguitur contra definitionem humidi, & sicci. Nam ignis, & arena, & alia minuta sunt sicca, & tamen alieno termino concluduntur de facili, & proprio de difficili. Et aqua, quæ humida est, dum fluit egre detinetur, & de difficili capit terminum continentis. Ergo definitio humidi sicco conuenit, & sicci humido adscribenda venit.

In explicationem quatuor supradictarum qualitatum. Primo notandum venit, quod quatuor vt p.p. huius vniuersi elementaris probauimus sunt qualitates primæ elementares. s. caliditas, frigiditas, humiditas, & siccitas, duæ primæ, & duæ vltimæ adinuicem pugnantes, & contrariæ, & consequenter omnes passiuæ, nisi vnam alteri compares, vt destructiua, quia sic habet rationem priuationis, sed improprie, cum in genere entis omnes quatuor sint entia positiua, & realia. Neque in elementis ipsis sunt aliæ qualitates, quam supradictæ, vt probat Cap. 2. dis. 16 quæst. 2. Soncinas 9. Metaphys. quæst. 8. Sotus 2. Phys. quæst. 1. Fluunt enim ab elementis, vt primæ, propriæ, & adæquatæ passiones ipsorum, ab eorum essentijs immediate causatæ, vt docent Galenus 1. Methodi, Hyppocrates de hominis natura, & Arist. 2. de generat. tex. 15. Hoc autem venit intelligendum, quod supradictæ sunt primæ qualitates non absolute, quia qualitates spirituales, & insensibiles, possunt esse priores, cum superiores sint, & ab his independentes, sed inter corporales, & sensibiles. Et considerando qualitates, quę tantum corporibus elementaribus conueniunt, & mixtis, non vero comprehenden

do

do omnes qualitates, quoniam lux, figura, & cælestes influxus possunt esse priores his quatuor elementaribus qualitatibus.

Secundo. Ergo experientijs probatur supradictas definitiones cum suis definitis consentire. Nam quod calor congreget ea, quæ sunt eiusdem generis patet in igni, qui aurum cum alijs metallis permixtum, ab eis illud separat, & in vnum congregat. Frigus vero promiscue in vnum contrahit æterogenea, vt apparet in glacie, quę lapides, ligna, animalia, & omnia proxima simul adunat. Ita quod humidum alienis terminis de facili concludatur, & de difficili proprijs cohibeatur, videtur in aqua, & fluidis, quæ perpetuo fluunt, nisi alieno termino cohibeantur. Pariter, quod siccum facillime in proprijs terminis restringatur notum est in terra, & lapidibus, sicca natura constantibus.

Ad primum ergo contra definitionem calidi aliqui dicunt similem definitionem ex communi sensu antiquorum attulisse, vt tex. 5. annuit, dum dicit, (vt aiunt calidum segregare, & frigidum congregare) vnde non est tam secundum propriam sententiam, quam secundum alienam. Alij respondent Aristot. voluisse definire calidum non per id, quod patet, & a nullo sub controuersia ponitur, scilicet, quod calidum calefaciat, & frigidum infrigidet, sed per id, quod minus apparebat, quia definitio datur causa innotescendi. Vel dicas Arist. alias definiuisse calorem per calefactionem &c. & modo per aliud eius attributum, quia istæ sunt definitiones partiales, & secundum diuersa eidem applicatæ.

Ad secundum varij sunt modi dicendi. Nam Philoponus per æterogenea, seu diuersi generis, intelligit non ea, quæ sunt eiusdem speciei, sed eiusdem complexionis, siue specie differant, siue non. Venetus intelligit per homogenea ea quæ habent eandem virtutem motricem, & per æterogenea, quę tenent diuersā causam mouentem, vnde dicit calorem seiungere grauia à leuibus, & frigus, ea in vnum conducere. Albertus Magnus 4. cap. libri 4. Meteoror. dicit calidum dupliciter considerari posse. Primo, vt calidum est secundum se. Secundo, vt instrumentum alterius, à quo regitur, ac flectitur. Primo modo affirmat, congregare homogenea, & secernere æterogenea. Secundo vero modo vtraque aggregare, vt in generatione mixtorum, & alimenti decoctione videre est. At Pomponatius, & Bucaferrus 4. Meteororum, dicunt, quod calori per se, & vt in pluribus conueniat rarefacere, & frigori condensare, vnde rara videmus esse calida, vt ignem, & aerem, & frigida densa, vt aqua, & terra. Raro tamen potest aliud accidere, sed huius causam non adducunt. Dicendum igitur mihi venit, quod de calido, frigido, &c. bifariam possumus loqui. Primo, vt sunt qualitates actiuæ, & causæ secundum se, & in sua simplicitate consideratæ. Secũdo, vt in vno mixto conueniũt. Primo modo conuenit calido congregare ea, quæ sunt eiusdem generis, vnde videmus ignem conuertire ignita diuersi generis in ignem eiusdem generis, & disseparare ab auro omne aliud minerale. Secundo autem modo potest ad quoddam temperamentum venire, & cum alia qualitate in esse temperato concurrere, vt patet dum se vnit cum alijs qualitatibus in generatione cum mixto.

Ad tertium idem dicitur, quod tunc calor admiscetur alijs, non vt ea vincat, & superet, sed vt ea ad temperamentum veniat, & ideo non trahere omne alimentum in sui naturam, vt facit dum exceditur, sed venire ad constituendum tertium.

Ad quartum dicitur, quod vnum tunc fiunt, quia est in via transmutandi ea in calorem, si exuberaret, & suprabundatet, quanto enim magis calor cresceret, tanto magis ea in sui naturam deduceret, quod intellexit dicere Arist.

Ad quintum dicimus illa accidere per accidens, quia actio caloris non potest nisi illo modo recipi in illis subiectis, vnde quando Arist. autumat calorem congregare ea quæ sunt eiusdem generis intelligit quando habent dispositionem, vt possint congregari. Actiones enim recipiuntur in subiectis secundum eorum dispositionem, & naturam.

Ad sextum dicitur, quod laxatio caloris stat cum eius congregatione, respectu diuersorum, quia laxat, vt separet aliena à proprijs, sicut calor prius laxat metalla, & liquefacit, antequam aurum purum constituat,

tuat, vnde balneis contrarij humores eijciuntur, & vitales remanent, qui tamen attenuati propter separationem aliorum, reddunt animal debile.

Ad primum contra definitionem frigidi dicimus, quod illa disruptio saxi fit, quia frigus nimis astringit aliquas partes, vnde per accidens fit in alia parte dissolutio, & separatio. Membra autem frigore dissoluuntur, quia calor se ad intus reducit cum spiritibus, & consequenter membra se sustinere nequeunt, vnde collabescunt, sed hoc est per accidens.

Ad secundum dicitur ad maiorem, quod cōtraria habent contrarios effectus suos primos, vnde calefacere caloris contradicit infrigidare frigiditatis, in secundarijs autem possunt conuenire, vt in congregare secundum aliam, & aliam rationem.

Ad primum tertij aliqui dicunt, ignem semper retinere figuram piramidis. Alij, quod non concluditur alieno termino, quia illum absumit, & per fumum extra tendit, & quod arena non tenet propter motum proprium terminum, sed secundum se vtique, quia terra est.

Ad illud de aqua pariter dicitur, quod & si fluat, tamen si aliquo vase, vel cingulo terreo concludatur, de facili cedit, & inmota manet, nisi superabundet.

QVÆSTIO XXXIIII.

An calor, frigus, siccitas, & humiditas sint primæ qualitates.

Videtur quod non. Primo. Primum debet esse alijs posterioribus nobilius. At supradictæ qualitates non sunt alijs præstantiores. Ergo non sunt primæ. Probatur minor, quia qualitates, quæ consequuntur mixtum sunt excellentiores, vt colores, & sapores, cum forma mixti sit præstantior forma elementi. Et idem dicimus de luce, & figura.

Secundo. Illæ sunt priores, quæ prius causant, cum qualitas sit forma actiua. At grauitas, & leuitas prius causant, quia motus localis, qui fit per grauitatem, & leuitatem, est prior motu alterationis, qui est per caliditatem, frigiditatem, &c. Ergo &c.

Tertio. Illæ qualitates, quæ ex alijs fiunt non sunt primæ, cum ex alijs sint. At humiditas, & siccitas causantur à caliditate, & frigiditate. Ergo non sunt primæ. Probatur minor. Primo, quia caliditas est causa siccitatis, vnde in æstu, & calore fit sitis, & calida exsiccant. Et humiditas sequitur aquæ frigiditatem, quare recedente Sole causatur ros, & pruina, quæ sunt humida. Secundo, quia duæ primæ sunt actiuæ, & duæ posteriores passiuæ. At qualitas prima debet esse actiua, quia est alteri contraria. Tertio, quia caliditas, & frigiditas exsiccant, & humectant, indurant, & mollificant, vt dicitur 4. Meteororum, vnde agunt, quæ siccitati, & humiditati adscribuntur. Quarto, quia aliquando calor causatur à frigore, & econtra, vt dicemus in antiparistesim.

Ad claritatem huius difficultatis. Primo notandum venit, quod qualitas prima multis diuisionibus diuiditur. Item quandoque sumitur pro substrato, vt dum dicimus calidum, frigidum, &c. & quandoque pro abstracto, vt dum dicimus caliditatem, frigiditatem, &c.

Primo modo est nomen denominatiuum, à qualitate inherente desumptum. Secundo modo est nomen simplex, simplicem qualitatem nominans, & importans. Hinc Arist. 7. Metaphys. comm. 7. Auerroes 3. Metaphys. comm. 14. & Galenus 1. de temperamentis cap. 7. dixerunt nomina denominatiua primo denotare formam, secundo compositum, quia verbi gratia, caliditas primo significat formam caliditatis, & deinde calidum, quod facit caliditate calidum.

Secundo hæ primæ qualitates diuiduntur per actum, & potentiam secundum Arist. 2. de partibus animalium cap. 3. & Galenum 3. de temperamentis cap. vlt. nam ignis actu dicitur calidus, & piper virtute, & potentia. Et hoc dupliciter primo actiue, vt piper, & calx. Secundo passiue, vt teda, pix, & quæ cito incenduntur.

Tertio. Diuiditur in qualitatem primam absolute, vt dicitur caliditas, frigiditas, &c. Secundo comparatiue, idest per diuersam comparationem. Primo modo insunt primæ qualitates elementis. Secundo modo mixtis, & hoc tripliciter. Primo in communi genere mixtorum, & sic id quod est supra æquale dicitur calidum, vel humidum. Secundo in genere proximo, vt in genere animalium, & sic, quod exce-

excedit medium animalibus competens dicitur absolute tale, vt Leo absolute calidus,& formica frigida. Tertio,in specie comparando temperamentum vnius cum temperamento alterius, vel cum medio vtrique competens. Et quod diximus de calido,de ceteris etiam qualitatibus intelligendum venit, de qua re poteris videre diuersa apud Galenum 1. de temperamentis cap 6. & in 3. cap.vlt. & apud Arist.2. de partibus animalium cap 2. Hic nos has qualitates, vt sunt in sua simplicitate, & vt elementis corporibus simplicibus conueniunt consideramus.

Secundo. Notandum venit,quod duplex est qualitas vt supra etiam diximus. Prima dicitur spiritualis,quia subiectatur in spiritu,vt intellectiones, volitiones, species intelligibiles, & similes. Secunda dicitur corporalis,quia subiectiue est in corpore, vt lux,potentia visiua,phantasia,caliditas, frigiditas, &c. Hic consideramus solum qualitates corporales, & quærimus an in numero harum, caliditas, frigiditas, &c. primæ sint.

Secundo tamen qualitas corporalis duplex est. Prima dicitur intentionalis, idest est similitudo aliarum rerum. Secunda realis, idest secundum suum esse. Primæ sunt colores,idest species colorum in aere,imago in speculo, species intelligibiles in intellectu. Secundæ,vt calor,frigus, lux,& similes, quæ habent esse reale, & quidditatiuum in subiecto,& de his loquimur.

Tertio. Qualitates reales sunt in duplici differentia. Nam quædam sunt corporum superiorum cælestium,vt lux, & influentiæ astrorum. Aliæ corporum inferiorum, vt albedo, nigredo, caliditas, frigiditas, &c. & de his modo tantum est sermo, nam primæ sunt posterioribus perfectiores, sicut sunt corpora cælestia inferioribus.

Quarto. Qualitates corporum cælestium, & inferiorum sunt duplices. Quædam dicuntur insensibiles, idest non per se, & immediate immutatiuæ, sed mediate, vel saltem eorum actio non percipitur, nec sentitur in se,sed in suo effectu. Vt sunt influentiæ cæli,quæ non cognoscuntur,nisi in euentibus, virtus magnetis in tractione ferri,virtus lapidum, & herbarum in effectione sanitatis, vel infirmitatis. Aliæ per se dicuntur sensibiles, quia per se immutant potentiam, vt lux, calor, albedo, & de his est directus sermo.

Quinto. Qualitates sensibiles sunt duplicis ordinis. Quædam enim fiunt sine contrarietate, vel actione contrarij, sed tantum per motum localem, vt sonus, & figura. Aliæ fiunt cum actione contrarietatis per se concurrente, vt calor, odor, sapor, albedo, & similes, & de istis est consideratio modo.

Sexto. Qualitates, quæ fiunt cum contrarietate,& sunt sensibiles, quædam dicuntur, tangibiles, quia sensu tactus percipiuntur,vt caliditas, frigiditas, siccitas, & humiditas. Aliæ dicuntur alijs sensibus perceptibiles, vt color visu,odor olfactu,gustabile gustu, & audibile auditu. Primæ dicuntur primæ. Aliæ possunt dici secundæ, quia ex concursu primarum causantur, vnde primæ conuertiunt in summo elementis, modo supra declarato, secundæ vero mixtis attribuuntur.

Tertio. Notandum venit, quod aliqua qualitas dupliciter potest dici prima. Primo, perfectione, quia est alijs perfectior. Secundo,causalitate,quia aliarum est causa. Secundo modo Arist.2. de generat. vocat caliditatem, frigiditatem, siccitatem, & humiditatem primas qualitates, quia ab istis ceteræ sensibiles, & corporales causantur. Primo vero modo loquendo Bannes 2. de generat. quæst. 2. est in sententia, formas elementorum non solum, verum etiam ipsorum qualitates, qualitatibus supradictis elementaribus esse perfectiores. Hoc probat. Primo. Quia qualitas tanto est nobilior, quanto perfectiorem formam consequitur, vnde potentia visiua hominis, est nobilior potentia visiua Equi, quia in homine consequitur nobiliorem formam. At forma mixti est perfectior forma elementi, cum formæ elementorum sint omnium imperfectissimæ, imperfectissimas habentes operationes. Ergo non sunt priores perfectione alijs formis mixtorum. Secundo. Quia non sunt causæ effectiuæ aliarum qualitatum, nisi instrumentaliter, dispositiuæ enim tantum sunt, & præparatiuæ in genere, causæ materialis.

Sed oppositũ videtur docere Arist.2.de gen. tex.8. vbi asserit omnem qualitatem tangibilem reduci ad caliditatem, frigiditatem, &c. tamquam ad causam effectiuam,

nam,& patet experientia, quia raritas est à calore, densitas à frigiditate, & ex calore, quandoque est siccitas, aliquando liquiditas. Hæc autem est propria causalitas, quia concurrunt, vt causæ immediatæ,& primæ in genere suo. Vide S.D. super tex.8. vt supra.

Dicendum ergo venit, quod in essendo qualitates mixti possunt esse præstantiores, quia nobilius subsistunt, sed in causando non, quia non solum disponunt, sed etiam efficiunt qualitates mixti, præparant quidem materiam; sed etiam cum forma producunt naturali sequela mixtorum qualitates.

Ad primum dictum est ad minorem, quod concludit de nobilitate in essendo, nos loquimur in causando.

Ad secundum primo negatur minor. Ad probationem dicitur, quod motus localis est primus respectu cæli, at in inferioribus formaliter prior est alteratio. Secundo dicitur, quod formæ elementorum, causant, & conseruant, non sic leuitas, & grauitas, sed solum causant motum. Tertio dicitur, quod quando affirmamus caliditatem,&c.esse primas qualitates intelligimus non absolute, sed inter tangibiles, modo grauitas, & leuitas non sunt qualitates tangibiles. Et si oppositum dicatur 8. Phys. tex. 55. respondetur, illud fuisse dictum de mente Antiquorum, vt ibi exponit S. D. lect.14.

Ad tertium dicendum, quod calidum per se calefacit, frigidum infrigidat, humidum humectat, & siccum exsiccat, per accidēs autem calidum exsiccat rarefaciendo aliquas partes, & consequenter separando eas ab alijs partibus grossioribus, quæ remanentes, remanent siccæ. Et ita per accidens frigiditas humectat, idest causat, quod frigidium non recipiendo calorem, humidum remaneat, & per hæc patet solutio ad argumenta.

QVÆSTIO XXXV.

An dentur aliæ qualitates cælestes supra elementares.

Videtur quod non. Primo. Frustra fit per plura, quod æque bene potest fieri per pauciora. At per quatuor primas qualitates ęque bene mixtum fit, cum tantum ex istis resultet, & componatur. Ergo nō dantur aliæ vt superiores.

Secundo. Vel hæc qualitas erit motus cæli, aut lux eius. Non motus, quia motus non est forma actiua. Non lux, quia motus lucem antecedit, & lux inferiorum sufficit, distinguitur enim à luce cæli, vt secunda qualitas à prima. Ergo &c.

Tertio. Si daretur aliqua qualitas cælestis, primis quatuor qualitatibus elementaribus prior, sequeretur, quod esset causa quatuor supradictarum qualitatum. Hoc falsum. Ergo. Maior probatur auctoritate Arist.1. Metheororum nectentis inferiora cum superioribus nexu effectus, & causæ. Minor deducitur ex eodemmet, nā 1 Metheororum, & 2. cæli dicit motum cæli causare calorem, & calefacere, sed non infrigidare.

Quarto. Omne simile est à simili. Sed caliditas elementaris non est similis caliditati cælesti, & ita nec humiditas nostra illi, cum in cælo non sint hæ qualitates. Ergo præter has non datur alia quæ dicatur cęlestis.

Pro claritate huius quæstionis. Primo notandum venit, quod hic non est proprie quæstio, an præter primas qualitates elementares dentur quædam aliæ supercælestes, hoc enim ex præhabitis supponimus notum, quoniam constat influxus cælorū, & lucem esse qualitates. Quæstio igitur potius est de modo, & ordine quo ponuntur priores qualitatibus elementaribus, stante quod inferiora à superioribus moueantur.

Secundo. Ergo notandum venit, quod de hac re fuerunt multi modi dicendi. Nam inter veteres Parmenides dicebat calidū, & frigidum duo esse prima principia mobilia, & vnum principium immobile, & quod cælum erat calidum, & igneum, & inferiora frigida, pro quanto calore cæli priuata manebant. Academici autumbant cælum esse ex quatuor elementaribus qualitatibus compositum, sicut etiam inferiora, solum discrimen erat, quod qualitates istæ, vt erant in cælo, mortalium qualitates causabant. Contra Parmenidem autem satis disputatum est, ostendendo quatuor esse primas qualitates pugnātes, & contra Academicos probando cælum non esse ex contrarijs compositum. Remanet ergo solum videndum, quomodo

do cæli agant per quasdam qualitates sibi proprias, & quomodo elementares moueanr, & seruetur.

Ioan. ergo Picus Mirandulanus lib.3. contra Astronomos censet cum Episcopo Casertano lib.14. euersionis sect.11. quod cælum per se tantum consideratum solũ potest calorem producere, per accidens vero alias qualitates, prout calor per accidens potest refrigerare. Si vero spectetur, vt cum secundis causis operatur, cum igne calorem, cum aqua humiditatem, & aquam &c. producit.

Sed hæc opinio non quadrat, pro quanto facit cælum per se solum producere calorem, & agere per se ad calefaciendum, non ad exsiccandum, humectandum, & refrigerandum. Nam causa vniuersalis per se, cui immediate sunt quatuor elementa subiecta virtute, & potentia debet per se agere in ea,& ea mouere, aliter nõ esset causa vniuersalis horum omnium immediata,sed vnius tantum. At cælum est causa vniuersalis, & immediate ei subijciuntur omnia elementa. Ergo per se in omnibus illis operatur eorum qualitates. Probatur minor. Quia si primæ qualitates sic se haberent,quod vna ad alias comparetur, vt causa per se .s. tres aliæ ad caliditatem, non essent primæ, nec contrariæ,quia vna esset causa istarum,& eas pro effectibus haberet.

Secundo. Quia notum est ex longa experientia Saturnum infrigidare, & Lunam, Martem calefacere,&c. Aliud est ergo, quod cęlum per se non producat quatuor primas qualitates, & aliud quod vnã pro principali habeat.s. calorem. Primum est falsum. Secundum admittendum, vt dicemus.

Magis errasse teneo Syrenium lib.3. de fato cap.49. qui videtur distinguere, quod de cælo bifariam loqui possumus. Primo, vt dicitur causa per se, & ex se, quia ex se agit, & per se se determinat ad calefaciendum, infrigidandum, humectandum, & siccandum. Secundo, vt dicitur concausa, quia comitatur causalitatem omnium causarum particularium agentium,& generantium. Primo modo negat cæli esse causam alicuius qualitatis, & quod peius est, nec motus, nec luminis, quia dicit lucidum non illuminare nisi eius radij repercutiantur. Secundo vero modo concedit actionem cæli in omnes effectus, vnde in summa non facit cælum causam per se,sed tantum concausam cum alijs agentibus,& generantibus.

Hæc opinio reijcienda est.Primo in elementis, quæ immediate à cælo moueri necessarium est,aliter ipsa essent causæ primæ, nec cælis subordinatæ,contra Arist.1.Meteororum, & alijs in locis. Secundo, in causis etiam inferioribus, quia cæli eas modificant,& mouent ad operandum.Sol enim, & homo generant hominem, & si non eodem modo. Vnde concedimus Syreneo respectu effectus cælum concurrere mediate, idest mediante sua causa proxima, sed respectu causæ immediate concurrit,quia eam modificat, & ad mouendum mouet.Tertio,intollerabile est,quod lucidum non per se illuminet, lux enim procedit ab intrinseco, & per se à forma lucidi,& corpus dicitur lucidum,quia lucet, etiam quod non illuminaret ex impedimento, vnde repercussio necessaria est, vt conditio sine qua non, pro quanto radius repercussus illuminat, & non vt per se causa.

Nec mihi placet opinio Francisci Piccolomeni de prima materia rerum nat. lib.5. quod primæ qualitates per se non producuntur à cælo, quoniam nulla earum motu, vel lumine cæli fit, vnde pendent tantum à cælo secundario, quia causa communis non producit contenta sub communibus nisi secundario, cum communia primo inspiciat.

Nec hoc dixi placet. Primo,quia communia sub communibus per se collocantur.Qualitates autem primæ communia principia mixtorum dicuntur ab Aristot. Secundo, quia si veniunt ad mixtionem, à quo mouentur? Non à mixto,quod non est. Non à seipsis, quia omne, quod mouetur ab alio mouetur,nisi primum mouens, quod qualitatibus elementaribus non conuenit. Tertio, quia non hic de efficientia est sermo, sed de motione, à motu enim, & lumine cæli mouentur ad mixtionem, & ad alterandum.

His successit Marsilius 2. de generat. quæst. 1.concl.5. qui duo dicit. Primum, quod motus cælestis est qualitas prior, priorate naturæ,luce cæli.Secundum,quod lux inferiorum est alia a luce cæli,quia consurgit ex mixtione primarum qualitatum, vnde

vnde est etiam ignobilior primis qualitatibus. Primum probat. Quia motus cæli est causa omnis motus. Illuminatio autem cæli est quidam motus. Secundo, quia prima causa primo, & prius agit per motum, quam per lucem, cum applicet per motum lucida ad influendum.

Secundum probat. Primo. Quia lux inferiorum est ex mixtione. Secundo, quia nec ignis, nec quid aliud lucet in sua naturali dispositione.

Sed contra hanc opinionem est conclusio Prima cælestium qualitatum est lux. Probatur primo. Quod conuenit alicui ex sua natura est prius eo, quod ei conuenit ex alio. At astris ex sua natura conuenit lux, & lucere, motus vero, vt ab extrinseco mouentur .s. ab intelligentia. Ergo lux erit prima inter qualitates cælestes.

Secundo. Quia Deus primo fecit lucem iuxta illud Gen. 1. Fiat lux. Tertio. Quia per communem, homines post diem iudicij, quando nullus erit motus cæli, videbunt, & colores illuminati, visum immutabunt.

Ad primum ergo pro primo dicto Marsilij dicitur, quod motus cæli non est qualitas, quia secundum eum non est alteratio, vnde ad prædicamentum quantitatis, & vbi pertinet, & non ad prædicamentum qualitatis. Dum autem dicitur motus cæli esse causa omnium motuum, verum est de motibus Physicis, vt explicat S. D. de por. quæst. 5. art. 8. in corp.

Secundum probat motum esse conditionem sine qua non, non vero causam priorem, quia etiam sine motu lucida lucerent, & lucem infunderent, & calefacerent.

Ad primum secundi negatur, quod lux inferiorum sit qualitas secunda. Primo, quia est participatio lucis cælestis. Secundo, quia sic haberet contrarium. Lux autem contrarium non habet positiuum, sed tantum priuatiuũ, idest tenebra. Est quoque falsum, quod lux inferiorum non sit perfectior quatuor qualitatibus. Primo, quia inferiora per lucem superioribus assimilantur. Secundo, quia est his immaterialior. Tertio, quia est obiectum formalissimum potentiæ nobilioris, idest potentiæ visiuæ.

Ad secundum negatur, quod ignis non sit lucidus, quamuis non videatur, prouenit enim, quia non est densus. Secundo loco principali ergo ponitur ista conclusio.

Omnes qualitates cæli, secundum quas in inferiora influunt, perfectiores sunt omnibus qualitatibus elementaribus mixtis, & elementaribus, perfectione, & causalitate. Probatur. Primo. Sicut se habent superiora ad inferiora, ita se habent qualitates superiorum ad qualitates inferiorum, quia propria passio, & qualitas naturam subiecti consequitur. At corpora superiora, & cælestia sunt inferioribus nobiliora, & præstantiora. Ergo & eorum qualitates.

Secundo. Causa vt causa nobilior est suo effectu, vt effectus est. Sed corpora superiora inferioribus comparantur, vt causæ ad effectus, & vt mouentia ad mobilia, quia dicuntur primæ causæ, & inferiora secundæ. Ergo.

Tertio. Qualitates mixtorum, & elementorum dependent à cælis. Cælestes non à supradictis. Ergo sunt nobiliores, vt causæ.

Ad primum negatur minor. Ad probationem primo dicitur, quod mixtum fit ex qualitatibus elementaribus, sed virtute, & causalitate influxuum cęlestium, lucis, & motus, vnde & si habeant in ordine ad mixtum rationem causæ, tamen in ordine ad cælos tenent locum effectuum, quia mouent motæ, & agunt, à cælis virtutem accipiendo. Secundo dicitur, quod componunt materialiter.

Ad secundum dicimus, quod cæli agunt lumine, & motu. Motu vt conditione sine qua, vt diximus supra, vnde, & si secundum se non sit qualitas actiua, est tamen necessarius ad qualitatem actiuam. Luce vero operantur vt qualitate, vnde, & si motus Lucem antecedat, quo ad productionem diuersorum, sicut ad diuersa mouetur], lux tamen secundum propria motum præcedit. Neque verum est, quod sit secunda qualitas, specie distincta à luce cælesti formaliter, & si subiecto distinguantur, quia est eadem lux, cum diuerso tantum modo essendi, in proprio, & alieno subiecto.

Ad tertium negatur minor. Ad probationem desumptam ex auctoritate Arist. dicitur, quod motus dupliciter considerari potest. Primo, secundum se, & sic est causa caloris, & non frigiditatis. Secundo, vt est à subiecto habente facultatem infrigidandi, verbi gratia à Saturno, vel Luna, & sic

sic potest infrigidare, & in inferiora frigiditatem inducere. Considerauit ergo Arist. motum absolute, & non vt est huius, & ideo dixit calefacere mediante praecipue luce, & non infrigidare.

Ad quartum negatur minor, & si enim non sint similes formaliter, sunt tamen similes virtualiter. Secundo dicitur ad maiorem, quod strictè tenet tantum in causis vniuocis. Cælum autem est causa analoga.

QVÆSTIO XXXVI.

An duæ qualitates elementares sint actiuæ, & duæ passiuæ.

Videtur non esse verum, quod caliditas, & frigiditas sint qualitates actiuæ, humiditas vero, & siccitas passiuæ. Nam caliditas á frigiditate patitur, & econuerso, vt experientia docet. Et vna alterius non esset corruptiua, nisi vna eorum esset actiua, & alia passiua. Ergo caliditas, & frigiditas non sunt qualitates actiuæ.

Secundo. Quæ magis, & facilius patiuntur, dicendæ veniunt passiua, & non actiua. Tales sunt caliditas, & frigiditas, nam minoris sunt resistentiæ. Ergo erunt qualitates passiuæ.

Tertio. Per Arist. 2. de generat. tex. 28. dicentem omnia elementa fieri posse ex altero. Ergo omne habere poterit rationem actiui, & passiui respectu alterius, & sic non erit dicendum duas qualitates esse actiuas, & duas passiuas.

In contrarium est Arist. 2. de generat. tex. 8. & 4. Meteororum, dicens caliditatem, & frigiditatem esse qualitates actiuas, humiditatem vero, & siccitatem esse qualitates passiuas, quia calidi est congregare homogenea, & similaria, frigidi autem est adunare dissimilaria, & æterogenea. Sicci vero est terminari de facili suo termino, & humidi de difficili. Modo congregare, & adunare est agere, & terminari est pati. Ergo caliditas (ait) & frigiditas sunt qualitates actiuæ, aliæ duæ passiuæ.

Circa hanc quæstionem sunt multi modi dicendi. Nam Marsilius, & Albertus de Saxonia dicunt omnes quatuor qualitates absolute sumptæ sunt indifferenter actiuæ, & passiuæ, quia vna potest in aliam agere, & ab alia pati, comparatiue autem, & in respectu, caliditas, & frigiditas dicuntur qualitates actiuæ, quia magis agunt, siccitas vero, & humiditas passiuæ, quia minus agunt, sunt tamen absolute actiuę, quia mutuo expellunt, & expelluntur á suo contrario, vt medicina docet in particulari, quæ applicat humida, siccis, calida, frigidis, & econtra.

Hæc interpretatio in vno est recipienda, in alio reijcienda. Acceptatur quidem pro quanto dicit caliditatem, & frigiditatem magis agere. Calor enim mixta fortia resoluit, vt lapides, & metalla, quæ aliæ qualitates non ita de facili resoluunt, & ad spatium magis distans qualitatem suam diffundit. Ita frigiditas intense colligat æterogenea, & cito, vt patet in glacie, congelante simul aquam, terram, lapides, ligna &c.

Reijcitur, vt non de mente Arist. quia aliud annuit. Nam nullam facit inter eas comparationem, sed absolute dicit caliditatem, & frigiditatem esse qualitates actiuas, quia congregant, & adunant, siccitatem vero, & humiditatem esse passiuas, quia terminantur.

Secunda igitur interpretatio fuit Auerrois 2. de generat. comm. 9. & S. D. ibidem dicentium, quod de his qualitatibus loqui possumus bifariam. Primo, secundum rem, & sic omnes possunt esse actiuæ, & passiuæ, quia inter eas est reactio, & repassio. Secundo, secundum nominis deriuationem, seu æthimologiam, & ita verum est, quod duæ primæ dicuntur congregare, & duæ vltimæ terminari. Congregare autem actionem significat, & terminari passionem.

Hæc expositio cum quid nominis consentit, sed parum esset Arist. hoc solum considerasse, nisi intellexerit ibi loqui secundum id quod dicitur, vt exponit S. D.

Tertiam interpretationem dedit Dominicus Bannes 2. de generat. quæst. 4. quam inuenio fuisse prius Philoponi 2. de gener. Buccaferri 4. Meteor. Pomponatij ibidem, & Suessani lib. 2. de generat. f. quod supradictæ qualitates bifariam considerari possunt. Primo, secundum se, & sic omnes patiuntur, á cælo accipientes influxũ, omnes in sensum tactus agunt, & agũt, & patiuntur in mutua permutatione. Secundo, in constitutione mixti, & ita caliditas, & frigiditas agunt, & humiditas, & siccitas patiuntur, vt patet in constructione

ne laterum, nam humiditas, & ſiccitas teſtam faciunt, frigiditas illam aglutinat, & calidum transformat, & transmutat, vnde duæ qualitates ſe tenent ex parte materiæ, & ſic dicuntur paſſiuæ, & duæ ex parte formæ, & dicuntur actiuæ.

Hæc interpretatio non negatur, ſed vt omnino de mente Ariſtot. non approbatur. Primo, quia expreſſe videtur Ariſt. contratria 4. Metheor. vbi dicit humidum, & ſiccum, & ſecundum ſe, & reſpectu corporum ex vtriſque concretorum terminari, & ceteris affectionibus affici. Secundo, quia hoc eis attribuit, vt ſecũdum ſe definiuntur, calidum autem, frigidum, &c. non definiuntur vt mixtum componunt, ſed vt ſecundum ſe agunt, & patiũtur. Tertio, quia ſi in conſtitutione mixti eſt reactio, oportet, & paſſiuas in hac conſideratione habere actionem cum paſſione.

Conimb. 2. de gener. q. 3. art. 3. dicunt, quod quatuor primæ qualitates multipliciter poſſunt conſiderari. Primo, vt componunt mixtum compoſitione accidentali, (nam ſubſtantialis eſt ex materia, & forma,) & ita dicunt omnes eſſe paſſiuas, quia tenent locũ materiæ, & forma mixti formæ. Secundo, vt ſunt vnitiuæ, & terminabiles, & ſic caliditas, & frigiditas dicuntur actiuæ, quia vniunt, & ſiccitas, & humiditas paſſiuæ, quia terminantur. Tertio, in ordine ad proprias, & primas earum actiones, quæ ſunt calidi calefacere, frigidi infrigidare, ſicci exſiccare, & humidi humectare, & ſic omnes ſunt actiuę, vt docuit Ariſt. 2. de generat. tex. 28. dum dixit omnia elementa ex ſe poſſe progigni, & quia ſiccitas coagulat ſecundum eundem 4. Metheor. & ſal vehementiſſime exſiccat corpora, & carnes ex humiditate computreſcunt, & ſal liqueſit, & glacies in aqua ſoluitur, quæ denotant actionem. Quarto, poſſunt conſiderari vt comparantur adinuicem, & ſic caliditas, & frigiditas ſunt qualitates magis actiuæ. Primo, quia citius agunt. Secundo, quia in magis diſtans operantur. Tertio, quia reſiſtunt, reſiſtere autem dicit ſuſcipere actionem, ſed cum difficultate, coutradicendo.

Dicere etiã poſſumus, quod ſupradictæ qualitates bifariam conſiderari poſſunt. Primo, vt ſunt à natura inſtitutę, vt duæ primæ contrarietates, & ſic dicuntur actiuæ, quia prima contrarietas eſt inter calidũ, & frigidum. Secundo, vt quomodolibet agunt, & patiuntur, & ita omnes poſſunt eſſe actiuæ, & paſſiuæ ſecundum diuerſa, & ita vt adunant duæ primæ dicuntur actiuæ, & vt terminantur duæ vltimæ dicuntur paſſiuæ, quod eſt eas conſiderare vt dicuntur. prout explicuit S.D.

Ad primum ergo patet, quod ſic eſt eas comparare adinuicem, ſecundum quam conſiderationem frigiditas poteſt etiam dici paſſiua, quia eſt minus actiua, quam caliditas, vnde cælum agit quam maxime caliditate.

Ad ſecundum dicitur, quod maior eſt falſa, nam reſiſtentia ſupponit actionẽ cui contradicit, vnde habet rationem potius paſſiui.

Ad tertium dictum eſt ſupra.

QVÆSTIO XXXVII.

An qualitates ſymbolicæ elementorum differant ſpecie.

VIdetur quod ſic. Primo. Quæ habent diuerſos effectus ſpecie diſtinctos, ſpecie diſtinguuntur. Qualitates ſymbolicæ habent effectus ſpecie diſtinctos. Nam humiditas aquæ ignem extinguit, non ſic humiditas aeris, imò oleum in quo aer dominatur, conferens ei humiditatem, potius ignem nutrit, quam deſtruat. Nec valet dicere, aquam ob frigiditatem ignem extinguere, quia etiam aqua calidiſſima ignem tollit, & extinguit.

Secundo. Siccitas terræ, & ſiccitas ignis ſpecie diſtinguuntur, cum ſiccitas terræ ſibi magnam frigiditatem, & denſitatem vendicet, & ſiccitas ignis magnam caliditatem, & raritatem. Ergo idem dicendum eſt in alijs. Probatur, quia vna eſt ſiccitas ſecundum naturam.

Tertio. Caliditas aeris diſtinguitur ſpecie à caliditate ignis, quia iſta non admittit humiditatem, prima ſic. Ergo &c.

Quarto. Grauitates aquæ, & terræ ſpecie differunt, & ita leuitas aeris, & ignis. Ergo & frigiditas aquæ, & terræ, & calor ignis, & aeris, cum videatur eadem ratio proportione.

Quinto. In mixtis calores ſpecie diſtinguuntur. Ergo & in elementis. Antecedens

dens patet, quia calor naturalis animalis sani, & ægroti non possunt esse eiusdem speciei, cum vnus sit naturalis, alius non.

Sexto. Calor à calo, ab igne, & ab animali, qui reperiuntur in semine specie differūt secundum S. D. 2. contra Gentes cap. 73. quia non potest esse duplex calefieri eiusdem speciei in eodem subiecto, & tempore. Ergo & in alijs.

Ad intelligentiam, & resolutionem huius difficultatis generaliter notandū est, quod symbolicæ qualitates sunt illæ, quæ sub vno nomine pluribus elementis conueniunt, vt caliditas aeri, & igni, siccitas terræ, & igni, humiditas aquæ, & aeri, frigiditas terræ, & aquæ. Non symbolicæ autem sunt illæ, quę sub diuersis nominibus, diuersis nominatis competunt, vt frigiditas terræ, & caliditas igni. Quærimus ergo an illæ qualitates in quibus elementa cōueniunt sint eiusdem speciei, quamuis sint in diuersis subiectis .s. elementis specie distinctis. Et quoniam hanc quæstionem supra aliqualiter etiam discussimus, ideo breuiter hic eam percurremus.

Sciendum est ergo secundo, quod circa eam sunt plures opiniones. Prima est Alberti de Saxonia 2. de generat. distinguentis qualitates in virtuales, & actuales. virtuales dicit distingui specie, actuales minime. Secunda est, quod etiam actuales specie distinguantur. Tertia, quod nulla sit qualitas symbola quæ specie distinguatur, quamuis reperiatur in diuersis elementis dico formaliter, idest secundū suam rationem formalem, nam materialiter, & subiectiue distingui perspicuum est. Hanc tenet S. D. in quæst. de spiritualibus creaturis art. 3. ad 19. Marsilius 2. de generat. q. 4. Astidulo q. 3. Bannes q. 4. & Conimb. q. 6

Conclusio ergo est. Qualitates symbolæ in elementis repertę, specie non distinguuntur. Probatur. Primo. Intensio eiusdem formæ non variat speciem, sed auget intentionem in eadē specie. At calor ignis auget calorem aeris, & frigiditas aquæ, terræ frigiditatem, &c. Ergo non distinguuntur specie, sed sunt sicut albedo intensior, & minus intensa.

Secundo. Aristot. 2. de generat. dicit, quod dum ex aere ignis generatur, vna qualitas. s. symbola manet, non quidem vna numero cum subiectum varietur. Ergo vna specie.

Tertio. Dum ignis aquam calefacit, aerem producit. Ergo aer, & ignis habent eandem caliditatem specie, quia eisdem augentur, & conseruantur.

Vide alias probationes, scilicet, quia. Sic essent octo primæ qualitates secundum speciem, vni duo contraria facerent, &c.

Ad primum. Primo dicitur ad maiorē, quod valet si effectus specie distinguantur formaliter, non vero si materialiter, nam eadem est potentia visiua equi, & hominis formaliter, quia eodem modo immutantur, & si Physice, & ratione subiectorum distinguantur, & ita eadem, verbi gratia, est caliditas aeris, & ignis, & si ista elementa sint specie distincta. Secundo dicitur ad minorem, quod aqua, & ignis non sunt symbola in humiditate, sed contraria. Sed & dicitur, quod vnum elementum symbolicum potest aliud symbolicum tollere, si non sint in debita proportione, vnde & si ignis, & terra conueniant in siccitate, tamen multa terra, & multus cinis ignem extinguet, quia impediet eius exhalationem subtilem ex combustibili prodeuntem.

Ad secundum dicitur, quod esse coniunctum cum distincto specie non facit distinctionem formalem specificam, aliter albedo in pomo amaro, & in lacte dulci distingueretur specie, & ita non sequitur, quod & si siccitas ignis sit coniuncta summæ eius caliditati, quod distinguatur à siccitate terræ, quæ copulatur summæ eius frigiditati. Secundo dicitur, quod densitas terræ, non sequitur eius siccitatem, quia si fiat sicca, & puluis rarescit, sed sequitur eius frigiditatem adunantem partes, vnde quod pro causa sumitur, non est causa.

Ad tertium idem dicitur, & additur, quod caliditas aeris compatitur secum humiditatem, quia non est in summo caliditatis, & siccitatis, vt ignis.

Ad quartum, quod aliud quærit .s. an grauitas terræ, & aquæ, & leuitas aeris, & ignis sint eiusdem speciei dico, quod circa hanc difficultatem sunt duæ opiniones. Prima est Suessani, & Auerrois 4. cæli comm. 3. quod sunt eiusdem speciei. Primo, quia sunt idem diffinitione, omne enim graue mouetur ad medium, & leue a medio. Quæ autem sunt idem definitione sunt

idem

idem natura, & specie. Secundo, quia comparantur adinuicem in intensione; dicimus enim maiorem esse grauitatem terræ, quam aquæ, & maiorem leuitatem ignis, quam aeris.

Oppositum docet Bannes 2. de gener. quæst. 4. ad 4. tenendo, quod distinguantur specie. Primo. Quia sic non concluderemus cum Arist. quatuor esse eleméta, ex principio motiuo sursum, & deorsum. Si duo, & duo conuenirent in eadem ratione formali leuitatis, & grauitatis. Secundo. Quia sic ignis, & aer ad eundem locum mouerentur, & ita aqua, & terra. Sed prima opinio verior est, quæ non multiplicat rationes formales sine euidenti ratione. Et quia ista comparatio non est in vno communi secundum diuersas rationes formales participabili, sed solum secundum diuersas rationes materiales.

Ad primum ergo Bannes dicitur, quod quatuor esse elementa concluditur ex grauitate, & leuitate, quia duo mouentur sursum ad diuersas sphæras, & duo deorsum. Secundum negamus, possunt enim distingui loco, & sphæra, & non ratione formali.

Ad quintum respondendum est seorsum.

QVÆSTIO XXXVIII.

An calor naturalis animalis distinguatur specie à cælesti, & elementari.

Circa hanc difficultatem duæ sunt opiniones, quæ antequam dilucidentur noscere oportet triplicem esse calorem. Primum dicimus elementarem, idest calorem ignis, & aeris. Secundus dicitur cælestis inductus a cælo, & præcipue à Sole patre lucis. Tertius dicitur naturalis, quo viuentia fouentur, nutriuntur, & conseruantur. Verum est, quod hunc tertium calorem quidam appellant cælestem causaliter, quia cæli formaliter, non sunt calidi, sed tantum virtualiter, inquantum causant calorem.

Fuit ergo sententia Conciliatoris differ. 48. & 59. Marcelli 2. de Anima cap. 143. & 144. Mirandulani lib. 3. aduersus Astrologos c. 3. Anglici de rerum proprietatibus lib. 13. Niphi cap. 1. Meteoror. comm. 35. Fernelij lib. 4. suæ Physiologiæ cap. 1. & Ferr. 2. contra Gentes cap. 73. hos calores distinctos esse realiter, & specifice. Probant hoc præter auctoritatem S. D. Primo ex Arist. qui a. de generat. animalium capit. 3. dicit, calorem naturalem conseruatiuum vitæ, ignem non esse, nec ab igne ortum ducere, sed in spiritu, cælitus dilapso insidere. Et ita 2. Phys. tex. 26. dicit Solem, & hominem, hominem generare, quia Sol impertitur suam virtutem semini, interuentu caloris.

Secundo. Illa specie distinguuntur, de quibus distincta specifice, & realiter verificantur. At sic se habent calor elementaris, & naturalis, influxus à cælis. Ergo distinguuntur realiter, & specifice. Maior est nota. Minor probatur. Nam per Arist. lib. de respiratione cap. 7. Omnia animantia, herbæ, plantæ, & animalia, calore viuunt. At hic non potest esse elementaris, quia quædam herbæ frigidæ sunt naturæ, adeo vt venena sua frigiditate efficiantur, vt patet in Opio, & Cicuta. Et ita serpétes calore naturali frigidissimi sunt, & Salamandra, adeo vt in igne etiam proiecta diu non comburatur, ex quo dicta est in ignem viuere. Quæ calori ignis conuenire non possunt, cum hic sit noxius, cuncta exficcet, vrat, extabescat, & in cineres redigat, vbi cęlestis gignit, alit, conseruat, & concrescere facit.

Tertio. Pro hnc faciunt quintum, & sextum argumentum posita in superiori dubio.

Oppositum docuerunt S. D. Alexander, & Aegidius 2. de Anima ad tex. 41. Albertus Magnus lib. 2. de animalibus tract. 2. cap. 4. D. Bonauentura 2. dist. 17. quæst. 3. Auerroes 7. Colliget. cap. 2. Marsilius 2. de generat. quæst. 4. Saxonia quæst. 5. Bannes quæst. 4. Achillinus lib. 3. de elementis dub. 10. Thomas a Vega lib. 1. de differentijs Febrium cap. 1. & Caiet. p. p. quæst. 118. art. 1. ad tertium.

Et probatur primo. Vnum vni est contrarium, & non pluribus. Ergo vni frigori opponitur solum vnus calor, sit cælestis, siue elementaris.

Secundo. Intensio est in eadem specie. At calor Solis potest intendi ab igne. Vt si lapis calefactus à Sole in ignem proijciatur. Ergo.

Tertio. Quæ specie distinguuntur non habent eandem generationem. Sed calor ignis

ignis potest generari ex radijs Solis, & speculo. Ergo.

Et calor ignis iuuat calorem naturalem, vt patet ex medicamentis calidis stomacho, ac ventriculo applicatis. Et sic oua supra Clibanum igni subiecto disposita, (quod dr fieri apud Cinas, & Aegiptios) habent vt pulli nascantur, supplendo pro calore gallinarum incubantium. Et Arist. 7. capite lib. de respiratione reddens causam cur vita, & anima calore contineantur, ait concoctionem qua animalia viuunt, sine calore esse non posse, quia omnia igni cibum conficiunt, appelando calorem naturalem opificem nutritionis ignem, idest quid igneum. Et lib. de iuuentute cap. 1. dicit animam in corde esse quasi ignitam, hoc est calore ignis feruidam.

Ad primum ergo dicitur Arist. ibi voluisse dicere duos esse calores, sed non dixit specie distinctos.

Ad secundum negatur minor, ad eius probationem iterum negatur minor, quia solum probat quædam esse frigida, & maxime alijs, non vero, quod in se calorem alienum non retineant, aliter non viuerent. Potest igitur calor secundum, quod excedit, vel deficit diuersa efficere, & tamen erit idem calor secundum speciem, sed non secundum gradum.

Ad primum tertij dicitur, quod calor sani, & ægroti est idem secundum speciem, nã vt est in temperamento sanitatem conseruat, & vt excedit, vel deficit diuersas infirmitates inducit. Dicitur autem calor innaturalis ille, qui febrem causat, quia tollit mixtum à sua debita proportione, & deducit animatum ad interitum, sed tamen est naturalis eiusdem naturæ specificæ.

Ad auctoritatẽ S.D. dr, quod illi calores bifariam considerari possunt. Primo, secundum quod sunt qualitates tangibiles de tertia specie, & sic diximus esse eiusdem speciei. Secundo, vt materialiter possunt dici pertinere ad naturalem potentiam saltem reductiue, quia sunt instrumenta diuersorum agentium, specie distinctorum, & sic dicuntur distingui specie, sed hæc est distinctio materialis, & subiectorum, non virtutum formaliter.

QVÆSTIO XXXIX.

An duæ qualitates contrariæ possint esse in eodem, saltem in gradu remisso.

Videtur quod non. Primo. Opposita secundum formam in eodem esse non possunt, quia denominatio est à forma vna. At qualitates contrariæ tam in gradu remisso, quam intenso opponuntur secundum formam. Ergo nullo modo possunt esse simul.

Secundo. Si ea quæ minus distant non possunt esse simul, à fortiori, nec qua magis distant. At rubedo, & viriditas in gradu intenso non possunt esse simul, & hi colores minus distant, quam albedo, & nigredo in gradu remisso, cum albedo, & nigredo sub eodem genere dicantur maxime distare. Ergo &c.

Tertio. Sic duo motus contrarij essent in eodem, idest motus dealbationis, & denigrationis in tertio remisso. At hoc est contra Arist. 4. Phys. tex. 62. Ergo &c.

Quarto. Duo contradictoria de eodem verificari non possunt. Sic verificarentur, quia illud medium, vt album non esset nigrum, & vt nigrum non album, & sic diceretur album, & non album, nigrum, & non nigrum.

Quinto. Nulla caliditas quantumcunque remissa compatitur secum aliquem gradum frigiditatis, quia agens fortius expellit suum contrarium debilius omnino, & non quiescit, donec illud totaliter subduxerit. Ergo non se compatiuntur in gradu remisso.

Sexto. Nullum est subiectum medium.s.nec calidum, nec frigidum. Ergo nulla est medietas, & remissio contrariarum qualitatum.

Septimo. Magis album, & minus album non possunt esse simul in eodem. Ergo nec album, & nigrum, cum ista magis pugnent adinuicem.

Octauo. Idem non potest esse simul in termino à quo, & ad quem. At sic esset medium si ab eo inciperent motus diuersi. Ergo &c.

Nono. In eodem appetitu non potest esse duplex habitus, verbi gratia, habitus auaritiæ, & liberalitatis, & in eodem intelle-

ctu

ctu scientia, & error, nec in eadem materia duæ formæ substantiales. Ergo à simili nec duo contraria in eodem subiecto.

Quæstio ista quærit primo, an duæ qualitates contrariæ positiuæ, non enim loquimur modo de priuatiuis, vt lux, & tenebræ, album, & nō album, sed de positiuis contrarijs, vt sunt caliditas, & frigiditas, siccitas, & humiditas. Secundo. Quærit de primis contrarijs, non de secundis nisi ex indirecto, vt sunt albedo, & nigredo, caliditas, & tepiditas. Tertio. Quærit an sint in eodem subiecto adæquato, idest, in suo esse perfecto, & secundum eandem partē, & eandem rationem, tam ex parte actus, quam ex parte potētiæ, vnde esse in summo est esse complete, & in actu cōpleto.

Sciendum est secundo, quod circa hanc quæstionem Doctores non sunt concordes. Nam quidam tenent qualitates contrariæ non posse esse in eodem subiecto, nec in summo, nec in esse remisso. Sic dicunt Durandus in Prologo, & Soncinas 10. Metaphys. q. 22.

Alij vero docent, & si contraria nec positiua, nec priuatiua possint esse in eodem subiecto in summo, seu in gradu intenso, in eo tamen possunt esse in gradu remisso, & quoddam temperamento. Sic S. D. de verit. q. 8. art. 14. & p. p. q. 76. artic. 4. cum Caietano. Henricus Gandauensis quod. 12. q. 12. Scotus 3. d. 2. q. 9. Capreolus 1. d. 17. q. 2. art. 2. Marsilius in 3. d. 12. art. 2. Maior. d. 15. q. 2. Argentinas 1. q. vnica, art. 3. Iauellus 10. Metaphys. q. 13. Bannes 1. de generat. q. 4. Conimbr. lib. 2. de generat. quæst. 8.

Tertio. Notandum est ergo quid sit esse in gradu remisso. Dicunt ergo Doctores qualitates contrarias quandam latitudinē habere, & terminū, ita vt vltra illum terminum nō possint intendi, verbi gratia, vltra decimum, sed tamē possint esse à primo vsque ad decimum in quocunque gradu intermedio, esse igitur in gradu remisso, & esse in omni alio gradu à summo, verbi gratia, decimo. Notat tamen Bannes, vt supra, quod istæ qualitates non solum in summo, sed nec etiam in gradu excedente mediam latitudinem possunt simul esse, verbi gratia, calidum, vt sex, & frigidum, vt sex, quia si superueniret calido vt sex agens, quod augeret calidum vt sex ad summum, idest, ad decimum gradum, tūc minorarētur necessario quatuor gradus frigiditatis, sicut augentur octo gradus caliditatis, & sic frigidum vt duo staret cum calido in summo, quod non potest esse, aliter non esset calidum in summo, quia admitteret secum duos gradus frigiditatis. Necesse est ergo, quod contraria quæ sunt in gradu remisso non sint circa gradus excedentes eorum mediam latitudinem.

Quarto. Notandum venit, quod ratio incompossibilitatis duarum qualitatum contrariarum in eodem subiecto in summo est, quia supponimus gradum summum adæquate informare potentiam, & consequenter eam reddere incapacem ad alium actum sibi, vt est sub hoc incōpossibilem. His stantibus pono aliquas conclusiones.

Prima conclusio est. Contrariæ qualitates possunt se compati in eodem subiecto in gradibus remissis. Probatur primo. Datur mixtum in vniuerso ex cōtrarijs qualitatibus vt patet. Ergo possibilis est mixtio in esse diminuto.

Secundo. Datur aqua tepida, quæ nec est frigida in summo, nec calida. Ergo datur hæc compossibilitas in gradu remisso.

Tertio. Motus est continuus, verbi gratia, dum aqua calefit. Ergo antequam frigiditatem expellat, compatitur secum caliditatem.

Et aduerte, quod motus alterationis, verbi gratia, ad caliditatem secum tollit semper aliquem gradū propriæ frigiditatis, quousque deueniat ad summū, vnde id quod dixit Bannes sic intelligitur, quod qualitates contrariæ in eodem gradu non possunt mediam latitudinem excedere, sed bene vna excedere illam potest, alia deficiente in media latitudine.

Secunda conclusio. Qualitates etiam secundæ contrariæ possunt se compati in eodē subiecto. Probatur. Quia non est maior ratio, immo minor, quod si primæ qualitates contrariæ se compatiuntur adinuicem, quod hoc non denegetur secundis.

Ad primum. Primo dicitur ad maiorē, quod est vera quando forma adæquate denominat subiectum, & secundum gradum perfectum, & non secundum gradum remissum, secundum quem etiam est denominatio, vnde aqua potest dici calida, frigida, & tepida secundum diuersos gradus caliditatis quos habet. Secundo dicitur,

quod minor sic intelligitur, quod opponuntur secundum formam, vel in gradibus summis, vel in gradibus remissis, quia semper sunt formæ contrariæ, & si non eodem modo.

Ad secundum negatur minor, quia distantia est duplex. Primo, in genere contrarietatis positiuæ, & sic quæ magis distant possunt in medio conuenire, quia inter ea datur medium positiuum. Secunda dicitur priuatiua, vt sunt magis album, & minus album, & ista non possunt in vno esse, cum priuatio tollat semper vnum. Ita dicimus, quod albedo, & nigredo magis distant entitatiue, quam rubedo, & viriditas, non tamen in genere oppositionis, & incompossibilitatis, quia vnum est priuatio alterius, & non habent medium, in quo possint conuenire, vt habent albedo, & nigredo.

Ad tertium dicitur, quod duo motus dicantur contrarij stat dupliciter. Primo, acquisitiue, sic quod vterque acquirat suam propriam formam, & sic duo motus contrarij nō possunt esse in eodem subiecto, verbi gratia, quod manus simul calefiat, & infrigidetur. Secundo, ratione vnius acquisitiue, & ratione alterius deperditiue, scilicet, quod, verbi gratia, caliditas dum abijcitur, & frigiditas introducitur hæ duæ formæ ante vnius expulsionem veniant ad esse remissum, & hoc est possibile, & à nobis assertum. Secundo dicitur, quod duo sunt motus materialiter, sed vnus formaliter, quia deperditio vnius est simul acquisitio alterius.

Ad quartum negatur minor. Ad probationem dicitur, quod tale non denominabitur ab extremis, & consequenter nec album, nec nigrum, sed à medio .i. fuscum. Vel secundo dicitur, quod si vna forma excesserit aliam illud subiectum denominabit simpliciter, & alia secundum quid, quia quæ præualebit in informatione, præualebit etiam in denominatione.

Ad quintum dicitur, quod vnum contrariorum expellit aliud quando ad expulsionem mouetur, sed dum mouetur, hoc fuc cessiue fit, vnde prius deuenitur ad aliquod esse medium.

Ad sextum negatur antecedens, mixtum enim potest dici medium contrariarū qualitatum, quia in eo veniunt ad temperamentum. Secundo dicitur, quod & si non daretur subiectum medium per se, datur tamen per aliud, pro quanto contingit esse sub gradu remisso.

Ad septimum dictum est supra, magis enim album, & minus album se habent, vt habitus, & priuatio, quæ non verificantur de eodem.

Ad octauum diximus etiam supra, quod respectu termini acquisibilis dicitur in termino à quo, & respectu deperdendi ad quem, seu in quem.

Ad nonū dicitur, quod duo habitus, scilicet virtutis, & vitij oppositi possunt esse in eodem, quia idem potest pro diuersis actum illorum elicere, vt si est liberalis cum muliere; & auarus cum paupere. Habitus vero scientię, & erroris non possunt simul esse, quia non se compatiuntur nec pro habitibus, nec pro actibus, cum vnus necessario alium excludat. Scientia enim, & error in omni gradu se excludunt. Et ita duæ formæ substantiales vltimæ, non vero si vna aliam includat, vt intellectiuum, vegetatiuum, & sensitiuū.

QVAESTIO XL.

An saltem per diuinam potentiam fieri possit; quod contrariæ qualitates in gradibus perfectis in eodem esse possint.

Videtur quod sic. Non minus repugnat duo corpora esse in eodem loco, quam duo contraria esse in eodem subiecto, quia vterque actuat. At duo corpora possunt esse in eodem loco, vt determinatum est in 4. Physic. Ergo est duæ contrariæ qualitates in eodem subiecto.

Secundo. Ob duas tantum causas contraria in gradu perfecto non possunt esse in eodem subiecto. Primo, quia subiectum non habet capacitatem ad maiorem latitudinem vnius, quam ad summam. Secundo. Quia pugnant adinuicem, & vnum aliud non admittit. At per diuinam potentiam potest augeri capacitas subiecti, sicut augetur potentia intellectiua ad visionem Dei, & potest impediri corruptio contrarij, corroborando suum concursum cum vtroque contrario. Ergo.

Tertio. Quia Deus est omnipotens. Ergo omnia potest.

D. Bonauentura 1. dist. 49. Capreolus dist. 17. quæst. 1. art. 1. Soncinas 10. Metaphys. q. 22.

quæst. 22. Gandauensis quod. 12. qu. 11. Innocentius III. lib. 4. de mysterio altaris cap. 12. & alij multi tenent implicare, nec fieri posse, nec etiam per diuinam potentiam, quia res non est factibilis.

Oppositum docent Hugo de Sancto Victore lib. 2. de sacram. p. 9. c. 2. Gabriel in can. lect. 46. Adamus in 1. distinct. 17. quæst. 4. Marsilius 3. quæst. 11. art. 2. Maior, & Palud. dist. 15. quæst. 2. Argentinas quæst. vnica art. 2. quam sententiam fert Alanus lib. 1. de Eucharistia cap. 38. habuisse antiquos. Hi enim omnes tenent diuina virtute fieri posse, vt duo contraria in gradibus perfectis possint esse in eodem subiecto.

Gregorius vero Ariminensis, vtramque opinionem probabilem censet 1. dist. 17. quæst. 3. art. 2.

Conimb. distinguunt, quod contraria sunt in duplici differentia. Nam quædam contradictionem astruunt, si in eodem ponantur, vt quod idem absolute, & simpliciter, & secundum eandem rationem sit rarum, & densum. Quædam vero non videntur eis implicare contradictionem, vt quod duæ qualitates intensæ contrariæ sint in eodem subiecto, & de his loquendo adherent secundæ sententiæ.

Resolutio est, quod subiectum duabus contrarijs qualitatibus informari in summo stat dupliciter. Primo, ex parte actus, & subiecti, sic quod contrarium sit in summo inuariabiliter, & subiectum sit ab eo complete, & perfecte informatum, ita vt reddat eum incapax omnis alterius formæ, quia totam eius potentialitatem satiat pro eo tunc loquendo, pro quo ipsam capacitatem inuariabiliter, & in indiuisibili complet, & satiat. Secundo, considerando id quod Deus potest facere in subiecto, pro quanto ipsum reddit sibi promptum, & obediens per potentiam obedientialem, ad id omne quod in eo voluerit operari, & sic tenemus posse Deū adinuenire modum à nobis non excogitatum, quo duæ contrariæ qualitates possint simul stare in eodem subiecto. Et quia prima opinio considerauit subiectum in suo statu naturali, secundum idem, & eandem rationem, & prout ex principijs Philosophiæ procedimus in quo sensu implicat, ideo dixit hoc fieri non posse, nec etiam per diuinam potentiam. Quis enim dicet ignem esse simul calidum, & frigidum in summo?

Conclusio ergo est. Duæ formæ, seu qualitates contrariæ, in summo gradu non possunt esse in eodem subiecto adæquate. Probatur primo. Contradictoria non possunt de eodem, secundum idem, & eandem rationem verificari, per Aristot. 4. Metaphys. tex. 27. At duo contraria duo contradictoria faciunt secūdum eundem, quia ex perfecte nigro, arguitur non album, vnde si dicamus idem absolute esse album, & nigrum, dicemus esse absolute album, & non album. Ergo duæ qualitates contrariæ &c.

Ad primum ergo negatur maior, quia duæ quantitates non repugnant adinuicem, nec dicunt absolute incompossibilitatem, & adæquationem, sicut dicunt duæ formæ contrariæ adæquatæ ex se, & ex parte subiecti.

Ad secundum dicitur, quod variat capacitatem subiecti, & eius naturalem dispositionem, in quo sensu diximus implicare, non vero considerando subiectum, vt est in potentia obedientiali, ad id omne quod Deus voluerit in eo operari.

Ad tertium dicitur, quod ideo, quia Deus est omnipotens facit, vt omnia seruent suam naturam naturaliter, & obedientialiter se reddant apta, & parata ad omnem eius voluntatem.

Quomodo qualitates intendantur vide 8. Metaphys.

QVÆSTIO XLI.

An dentur qualitates virtuales.

Videtur quod sic. Nam nullum patiens à contrario se reducit ad proprium statum nisi per virtutem sibi inherentem. Sed aqua per ignem calefacta, & suæ naturæ relicta se reducit ad propriam frigiditatem. Ergo necesse est ponere in ea virtualem qualitatem suæ naturæ consentaneam.

Secundo. Primæ qualitates parum contrario resistunt, de facili superantur, & pereunt. Ergo fuit necessarium, quod natura elementis tribuerit virtuales qualitates per quas magis se possent tueri, & victæ, ad suum priorem statum redire.

Tertio. Constat multa mixta habere conge-

nitas qualitates, vt piper ad calefaciendum ventriculum, cicorea ad refrigerandum, & similia. Ergo etiam elementis tribuendæ erunt, cum non sit maior ratio de mixtis, quam de elementis.

Aliqui quos Marsilius 2. de generat. quæst. 5. recenset, tenuerunt præter primas, & secundas qualitates, dari adhuc virtuales, innixi superioribus argumentis.

Oppositum docuerunt, Capreolus in 2. dist. 16. quæst. 2. Soncinas 9. Metaphys. quæst. 8. Sotus 2. Phys. quæst. 1. Marsilius vt supra. Gandauensis quod. 11. quæst. 6. Ægidius quod. 2. quæst. 16. Conimb. 2. de generat. quæst. 2.

Conclusio ergo est. Non dantur qualitates virtuales. Probatur primo. Qualitates propriæ à subiecto fluunt ad proprias operationes sufficienter obeundas, quia natura non deficit in necessarijs, nec abundat in superfluis. At primæ qualitates emanant à subiecto, ad agendum propria, verbi gratia aqua ad humectandum, & refrigerandum, & sic de ceteris. Ergo tollendæ sunt istæ virtuales qualitates, vt omnino superfluæ, & superuacaneæ.

Secundo. Aut hæ virtuales qualitates resultant ex primis, aut primæ ex istis. Non secundum, quia sic non essent primæ. Non primum, quia per aduersarios qualitates virtuales dantur ad causandas actiones proprias primarum, vnde eis comparantur, vt causæ. Ergo omnino sunt tollendæ.

Tertio. Qualitates virtuales mixtorum non dantur ad agendum in propria, sed in aliena, non enim piper datur ad calefaciendum se, sed ventriculum. Ergo eadem ratione non dantur virtuales qualitates, quibus elementa in se agant, & eas origine, antecedant.

Ad primum dicimus ad minorem, quod aqua, (& ita dic de omnibus elementis grauibus, & leuibus) duplici principio se reducit ad propriam qualitatē in actu. Primo, principio effectiuo, vt quod, & sic se reducit ad frigiditatem per generans, vt in 8. Phys. & Metaphys. ostendi. Secundo, principio effectiuo, vt quo, & sic sua propria qualitate redit ad propriam naturam, aqua enim suæ naturæ relicta habet, quod per frigiditatem sibi connaturalem non omnino destructam se ad suam naturalem frigiditatem traducat, vnde quod isti attribuunt qualitati virtuali, nos damus propriæ qualitati actuali.

Ad secundum dicitur, quod sicut primæ qualitates de facili cedunt, aliæ alijs facilius, ita de facili ad priorem suum statum redeunt, vnde non est necessaria alia qualitas virtualis, quia sufficit conditio propriæ naturæ.

Ad tertium dicimus esse disparem rationem, quia ex mixtione primarum qualitatum aliæ qualitates in mixtis resultant, non sic in primis, quia primæ sunt, & causæ aliarum, & non ab alijs causatæ.

DE MIXTIONE, AD temperamentum.

QVÆSTIO XLII.

An detur temperamentum primarum qualitatum.

Videtur quod non. Primo. Duæ sunt primæ contrarietates, scilicet, calidi, & frigidi, sicci, & humidi, quæ vt diximus possunt venire ad medium. At duorum mediorum duarum contrarietatum non datur medium, non enim medij est medium. Ergo non potest dari hoc temperamentum mixtum.

Secundo. Vel hoc temperamentum, erit relatio, vel qualitas. Non qualitas, quia temperamentum nihil aliud est, nisi primarum qualitatum symmetria, seu proportio. Proportio autem est quædam relatio. Non relatio, quia vnum temperamentum dicitur alteri contrarium. At relationi nihil est contrarium. Ergo non datur.

Tertio. Vel erit vna qualitas, vel plures. Non plures. Quia sicut datur vna tantum forma substantialis in composito, ita videtur à simili constituenda vna tantum qualitas temperamenti, ex mixtione quatuor primarum consurgens. Non vna, quia frustra videtur poni quinta qualitas, cum eius functiones sint à quatuor primis qualitatibus.

Quoniam hanc quæstionem supra dum de possibilitate mixtionis egi, eam quo ad præcipua resolui, ideo breuiter hic tantū noto, quod circa eam sunt plures modi dicendi. Nam Conciliator differ. 16. censet quod sicut duæ sunt primæ cōtrarietates, ita

ita ex mixtione quatuor qualitatum consurgat duplex qualitas media. Prima. Media inter calidum,& frigidum. Et secũda. Media inter siccum, & humidum.

Hæc opinio pugnat cum definitione mixtionis, quæ dicitur miscibilium alteratorum vnio, & non vniones, & ideo reijcienda est, maxime cum aperte dicat Arist. per mixtionem fieri vnum commune mediũ.

At Empedocles, Stoici, & Fernelius affirmauerunt omnes quatuor qualitates in mixto seruari sinceras, & solum ad quandam harmoniam venire, prout voces multæ, vnam harmoniam faciunt.

Sed hæc minus approbatur. Primo, vt contra Aristot. expresse vt supra. Secundo, quia non esset mixtio, sed aggregatio qualitatum.

Alij igitur autumant quatuor qualitates misceri in mixto in esse remisso, & esse easdem, quæ præfuerunt in elementis vnitate numerali. Sic multi.

Sed nec hæc est recta. Primo, quia mixtio est quid distinctum à miscibilibus, si alteratione præuia fiat, datur enim ad traducendas qualitates elementorum ad aliud esse.i.ad esse medium, & ad temperamentum.

Alij etiam de hoc temperamento sunt Philosophati. Nam Auicenna lib. 1. suæ sufficientiæ cap. 10. Galenus lib. 1. de vsu partium, & lib. de morborum differentijs c. 4. cum omnibus medicis docent hoc temperamentum non esse nisi quandam qualitatem, & dici complexionem, & distingui numero à prioribus qualitatibus ex quibus coalescit, sic, vt dicatur quinta qualitas.

Sed contra hanc opinionem arguunt Conimb. 2. de generat. quæst. 1. cap. 8. tenentes temperamentum esse quatuor primas qualitates, ad temperiem reductas. Primo. Quia vel quatuor primæ qualitates manent in mixto, vel corrumpuntur, & hæc quinta solum qualitas remanet. Non secundum, quia in mixto non esset pugnantia quatuor illarum qualitatum, & non tenderet ab intrinseco ad senium, ad febrẽ, & ad interitum. Si primum, sic funguntur officio proprio, sine quinta ista qualitate.

Sed hæc ratio debilis est, quia dicitur, quod illæ qualitates corrumpuntur numerice, sed non specifice, & quo ad actum, non quo ad virtutem, quæ remanet in illa quinta qualitate, sed de hac re vide, quæ diximus in Metaphys.

Ad primum dicitur ad maiorem, quod contraria dupliciter considerari possunt. Primo, respectu sui directi contrarij; quod à subiecto expellunt, & sic ponuntur duæ primæ, & directæ contrarietates. Secundo, vt in vno conuenire possunt, quia duo sunt actiua, & duo passiua, secũdum quod supra docuimus, & sic sicut primo modo habent suum medium, idest esse remissum, sic secundo modo aliud sibi vendicant.s. mixtum, in quo omnia quatuor elementa vniuntur.

Ad secundum dicimus, temperamentum esse qualitatem. Ad id, quod contra obijcitur, respondetur, quod illa proportio non constituit mixtum, sed consequitur ipsum mixtum, quoniam ex vnione quatuor qualitatum in quoddam medio, consurgit tempetamentum, quia stant in debita temperie, & proportione.

Ad tertium dicimus esse vnam qualitatem virtualiter, omnes quatuor qualitates præhabentem.

QVAESTIO XLIII.

An dentur plura temperamenta.

Videtur quod non. Primo. Quæ à natura sunt, necessaria sunt, & inuariabilia, natura enim ad vnum operatur. Sed temperamentum est à natura, non enim est nisi complexio naturalis. Ergo erit tantum vnum temperamentum.

Secundo. Si essent plura temperamenta essent plures qualitates ex mixtione consurgentes. At hoc est contra illud quod dicitur communiter, quod illa prima qualitas est simplex. Ergo non dantur plura temperamenta.

In contrarium sunt omnes Medici, & Philosophi. Galenus lib. 1. de temper. cap. 9. & lib. 2. cap. 1. Auicenna Fen. 1. doctrina 3. cap. 1. Fernelius lib. 3. suæ Philosophiæ, cap. 3. & alij.

Sciendum est ergo primo, quod temperamentum secundum genus diuiditur in vniforme, & difforme. Vniforme est illud in quo omnes quatuor qualitates maxima proportione, & adæquatione stant, vnde optimam valitudinem inducerent. Difforme

me est illud econtrà, in quo vna qualitas aliam superat, & alterationem in earum proportione causat, vnde potius est intẽperamentum, quam temperamentum.

Secundo distinguunt temperamentum difforme in duplex.s.simplex, & compositũ. Simplex est, in quo vna tantum qualitas præualet, verbi gratia, caliditas, frigiditati, humiditati, & siccitati. Compositum est, in quo duæ qualitates præualent, & aliæ duæ succumbunt, verbi gratia, caliditas, & siccitas, humiditati, & frigiditati.

Tertio. Subdiuidunt temperamentum difforme, & simplex in quatuor temperamenta. In primo dicunt præualere calorem. In secundo frigiditatem. In tertio siccitatem. In quarto humiditatem. Et ita quatruplex ponunt temperamentum difforme compositum. Primum dicunt esse igneum, quia in ipso præualent caliditas, & siccitas, & hoc etiam cholericum appellant. Secundum vocant sanguineũ, & aereum, quia in eo caliditas, & humiditas præualent. Tertium nominant phlegmaticum, & aqueum, quia in eo frigiditas, & humiditas aquæ vigent. Quartum autumant esse melancholicum, & terreum, ob id, quod in eo frigiditas, & siccitas terræ dominantur. Nouem ergo sunt temperamenta, vnum vniforme, de quo supra dubitauimus an detur .s. ad pondus. Quatuor differentia simplicia, & quatuor difformia composita.

Sed cum supradictis addunt alij multa alia temperamenta esse consideranda, vt in diuersis subiectis specie, vt in Leone, & homine, vel in diuersis gradibus, quia homo in vna ætate erit magis calidus, &c. quam in alia, sed ista multiplicatio est materialis, & intensiua, & non formalis, & specifica, in quo sensu locuti sunt medici.

Secundo. Sciendum, quod temperamentum dicitur sanitas, & intemperies ægritudo, sed non omnis intemperies est morbus, quia accidit quempiam ex cursu, ex ludo, vel alio accidenti multum incalescere, vel ex alia causa infrigidari &c. sed deficiente causa ad priorem temperiem redire, & ideo non dicitur morbus, nisi dum cor suo naturali calore destituitur, & paruus per arterias profluit, & ministerio spirituum in corpus omne spargitur, qui si deficiat in totũ, animal occumbit, vnde medici sic febrem definiunt. Febris est calor præter naturam, (idest noxius, & deficiens in corde) à corde in reliquas partes corporis effusus.

Ad primum. Primo dicitur ad maiorem, quod naturalia sunt in duplici differentia. Nam quædam habent semper eandem causam, & rationem, vt quod Sol oriatur in mane, occidat in sero, forma materiata informet, & similia. Quædam vero habeat multas causas, intensionem, & remissionem patientes], vt sunt temperamenta, & ista possunt multiplicari. Secundo dicitur ad minorem, quod vnum est temperamentum tantum ad pondus, sed multa ad inæqualitatem, quia bonum ex integra causa est, malum autem ex defectu vnius, & sicut contingit multipliciter declinare à bono, ita multipliciter accidit deuiare à perfecto temperamento.

Ad secundum dicitur, quod est vna simplex qualitas, virtualiter tamen patiens variationem, ex qua sunt multa temperamẽta.

QVAESTIO XLIV.

An temperamentum corporis humani cæteris præstet.

Videtur quod non. Primo. Præcipuum temperamentum pendet ex proportione animæ informantis, cum corpore informato, quia causa præcipua est anima. Sed inter animam hominis, & eius corpus non est ista proportio, cum anima sit immortalis, & corpus mortale. Ergo &c.

Secundo. Temperamentum stat in æqualitate contrariarum qualitatum, ne vna alteram superet. At hoc de difficili fieri potest, nisi demus homini aliquid de corpore cælesti, quod omni contrarietate vacat, quod non est factum. Ergo non habet optimum temperamentum.

Tertio. Illud est præstantius temperamentum, quod accedit ad qualitates præstantiorum elementorum. Sed temperamentum hominis non est tale, non enim igni, & aeri appropinquat, sed aquæ, & terræ infimis elementis, iuxta illud Gen. 2. Formauit Dominus Deus hominem de limo terræ, idest ex terra permixta aquæ. Ergo &c.

Quarto. Ab optimo temperamento, tanquam

quam à causa sunt optimæ actiones potentiarum naturalium. At homo non excellit alia animalia multa in quibusdam operationibus, nam Aquila ipsum superat visu, canes odoratu, simiæ gustu, aranei, & serpentes tactu, apri auditu, & anseres, & talpæ, quæ animalia sub terra audiunt. Ergo &c.

Quinto. Si temperamentum hominis esset perfectissimum, superabundaret etiam in consequentibus temperamentum. Hoc falsum. Ergo. Maior procedit de causa ad effectum. Minor probatur. Nam multæ belluæ illico, quod sunt natæ supra pedes suos stant, currunt, & omni ex parte discurrunt, non sic homo. Deinde naturalibus indumentis tectæ sunt. Aliæ corijs, aliæ villis septæ, aliæ spinis hirsutæ, aliæ plumis coopertæ, aliæ squamis, cæterisque huius generis instrumentis protectæ. Fortiusque contra hostes armantur, quædam cornibus, quædam præacutis dentibus, quædam aducis vnguibus, aliæ pœnarum effugijs, aliæ pedum velocitate. Homo autem solus hisce omnibus destituitur, ad omnia cæli, & vitæ iniurias, & incommoda proijcitur. Ergo.

Sexto. Apta delinatio membrorum, & figura, aptam humorum, & primarum qualitatum compositionem comitatur. At ista humano corpori deest, suam potius est alius, & rectus sicut arbores, nã quã ad terram inclinatus sicut animalia, quæ arboribus præstant. Ergo dicendum venit hominis temperamentum inter alia temperamenta esse optimum.

In contrarium sunt omnes Medici, & Philosophi. Galenus lib. de temperamentis, Auicenna p. primæ doctrina 3. cap. 1. Auicebron libro fontis vitæ S.D. p. p. quæst. 76. art. 5. & quæst. 91. art. 3. & alij. Et probatur. Nobilissima forma nobilissimum facit corpus, & quæ ipsum consequuntur, quæ sunt esse, & operari, vt dicitur 2. de Anima. At anima humana inter animas omnium animantium est nobilissima. Ergo constituet nobilissimum corpus, præstantissimumque eius temperamentum.

Ad primum respondetur cum S.D. p. p. q. 76. art. 5. ad maiorem, quod proportio materiæ cum formæ est duplex. Prima ad informationem, quia materia se reddit apposite disposita ad suscipiendam formam. Secunda ad consequentia non formam, sed necessitatem materiæ in forma, pro ea parte, qua ex contrarijs constat. Prima dat nobilitatem, & est in homine. Secunda non probat ignobilitatem, sed necessitatem, & hac carere potest homo. Secundo dicitur, quod correspondere in proportione stat dupliciter. Primo in proprijs operationibus, & sic inter animam, & corpus humanum est maxima proportio, cum corpus representet intellectui species sensatas, & ipse subito eas denudet à materia, & faciat intellectum intelligere, & in instanti. Secunda dicitur in operationibus materialibus, & materiam consequentibus, & talis non est inter animam intellectiuam, & corpus, quia ipsa prout potest supra materiam eleuatur, vnde relinquit corpus tandẽ cadere, separando se ab eo.

Ad secundum argumentum, respondendo, & omittendo opinionem Academicorum dicentium animam nostram esse rem cælestem, & diuinam, & ideo antequam corpori infunderetur, quodam ętereo corpusculo prius indui, ne fædaretur à corpore. Dicimus, quod non fuit necessarium hominẽ aliquid de cælesti participare, qa inter mortalia cõnumeratur, & media alteratione, & inter generabilia, & corruptibilia, quæ à cælis omnino sunt aliena, & ideo ei solum sufficit magnopere à contrarietate separari, & suam nobilitatem non à corpore, præcipue, sed ab anima immortali deducere.

Ad tertium negatur minor. Ad probationem primo dicitur cum S.D. p. p. quæst. 91. art. 1. quod homo quo ad eius præcedentes qualitates, quæ sunt calor, & humiditas in quibus posita est eius vita correspondet igni, & aeri, quo ad inferiores vero, scilicet quo ad materiam, & membra arridet terræ, & aquæ, vt crassitudo illorum ostendit.

Ad quartum negatur maior, nam temperamentum ex tribus præcipue pensatur. Primo, ex tactu, qui circa temperamentum primo versatur. Secundo, ex gustu, qui ab Arist. dicitur quidam tactus. Tertio, ex potentijs vitalibus, & sensibus internis. In his autem homo alia animalia vincit. Falsum est autem quod aranei, & serpentes ipsum tactu superent, prout tactus ordinatus est ad ponendam differentiam inter qualitates sensibiles, & ita in gustu.

Ad quintum primo negatur, quod ex imbecillitate virium primo penfetur temperamentum, vel non, vt diximus supra. Secundo dicitur, quod homo primeua sua ætate est alijs imbecillior, propter eius superabundantem humiditatem; habet enim maius cerebrum quam alia animalia, quod in pueris humiditate circumfluit, & ideo nerui, qui inde propagantur initio sunt teneriores, & ideo inidonei ad mouenda membra, & nexus artuum stabiliendos. Aptius autem teguntur armis, & cooperimentis, quia cū ratione careat, non potuissent ea sibi acquirere, vt faciunt homines; sed & procedunt ex terrena, & aquea coctione, & ex humoribus excrementitijs, vnde non sunt indicia optimi temperamenti, Lege Platonem in Pytagora, Auctorem operis de diuina sapientia apud Aegiptios lib. 12. c. 2. Arist. lib. 4. de partibus animalium cap. 10. Lactantium firmianum lib. de opificio Dei cap. 2. D. Aug. lib. 4. in Iulianum, & lib. 14. de ciuitate Dei, & S. D. p. p. q. 76. art. 5. ad 4. Senecam li. 1. de officijs c. 29. Homo enim artibus, rationibus, & multis vijs sibi parat vestes, arma, & alia necessaria.

Ad sextum negatur minor, nam figura erecta homini debebatur, non sic plantis, nā pars earū superior .s. caput est in terra, & pedes in aere, non sic homo. Causa autem quod homo sit rectæ figuræ istæ sunt. Effectiua secundum Arist. 2. de partibus animalium cap. 7. & lib. 4. cap. 10. est abundantia caloris, qui in altum erigit, vnde senes qui frigescunt, incuruantur. Materialis est flexibilis, mollis, & habilis coagmentatio ad erigendam figuram. Finis triplex. Primus est sensuum interiorum, & exteriorum commoditas. Nam animalia solum ad cibum, & coitum ordinantur, vnde quæ sub ipsis sunt aspiciunt, homo vero ad cognoscendum ordinatur, vnde debet coram se habere superiora, & inferiora, & cerebrum album, ne sensus sua depressione hebetaret. Secundus est, quia sic ministerio manuum tam vtili, tam expedito, & præstanti caruisset. Tertius, vt sciret se a Deo esse conditum, vt ad cœlestia se erigeret, & in his inferioribus non vilesceret. Vide S. D. p. p. quæst. 91. art. 3. ad 3. D. Basilium, hom. 1. in Hexameron. Boetium lib. 5. de consolat. Met. D. August. 12. de ciuitate Dei cap. 24.

QVÆSTIO XLV.

An temperamentum hominis, & eius pulchritudo sit alijs præstantior.

Videtur quod non. Quia Pauones, Phenix, & nonnullæ aues elegantiores, & pulchriores videntur.

Secundo. Si pulchritudo corporis animi mores, & temperamentum corporis argueret, sequeretur quod Christus Dominus noster debuisset esse speciosissimus, & inter omnes mortales pulcherrimus. At hoc non videtur certum, secundum illud Psalmi. Omnis gloria Regis ab intus. Ergo &c.

Tertio. Legimus multos corpore defectuosos, & figura incompositos, in armis, literis, ac moribus excelluisse. Ergo &c.

Respondetur duplicem esse pulchritudinē. Prima dicitur animę, quę in hoc consistit, vt irascibilis, & concupiscibilis voluntati obediant, voluntas rationi, & ratio ęternę legi subijciatur. Hæc est præcipua pulchritudo, quæ compositos animos in sui amorem rapit, dilectumque hominē Deo, & alijs hominibus reddit. Secunda dicitur corporis, quæ adhuc duplex est. Prima dicitur communis omnibus rebus corporalibus, & illa non est nisi apta compositio aliquorum, ordinem inter se habentium, & hac pulchritudine dicimus, pulchram domum, pulchrum montem, pulchram arborem, & pulchrum animal. Secunda dicitur corporalis animalis, quia solis animalibus competit, & hæc dicitur debita membrorum compositio, cū pulchro, & venusto colore. Nulla est difficultas, quod homo nobilitate animæ omnia animantia superet, sed solum difficultas est de pulchritudine corporali, & præcipua animantium anima sensitiua.

Secundo. Ergo notandum venit, quod vera pulchritudo has, debet habere conditiones.

Prima est numerus debitus omnium membrorum, vnde monoculi, vnipedes, auribus, nasu, manu, vel alio membro priuati non possunt dici pulchri.

Secunda est debitus locus, & status in corpore, quapropter qui inuersas post crura plantas habent, nec qui habent labia inuersa dicuntur pulchri.

Tertia

Tertia est congrua magnitudo, quare gigantes prodigiosæ vastitatis, & homunciones paruæ staturæ pulchri non sunt, & si pusilli secundum Arist. lib. 4. Ethicorum c. 3. possint dici venusti, & elegantes, ex partium quodam lepore, & venustatis gratia. Hinc dicit S. D. 4. d. 44. quæst. vnica, art. 3. ad secundam quæstiunculam, quod & si in resurrectione omnes simus resurrecturi in ætate Christi, iuxta illud Ephes. 4. Donec occurramus omnes in virum perfectum, in mensuram plenitudinis ætatis Christi, non tamen omnes resurgemus in mensura staturæ Christi, vt notauerunt D. Augustinus lib. 22. de ciuitate Dei, cap. 65. D. Anselmus, & alij sup. illud Ephes. 4. vt supra. Itaque ait Augustinus in Enchir. cap. 90. Sic in corporibus beatorum conueniens erit, & gratia inequalitas corporum, sicut est vocum, quibus concentus completur. Gigantes ergo qui in statura excedunt, & pusilli qui in mensura debita corporis defectum patiuntur, ad conuenientem staturam redigentur, & tunc omnes tantam dimensione sortientur, quantam ad illam deuenissent sublatis impedimentis, & dempta imperfectione.

Quarta conditio pulchritudinis est coloris suauitas, ita vt non sit niger, quod tam hic ex nimio Solis ardore, vel corporis intemperie procedit, nec albus pallidus, quonia visum non congregat, sed mixtus albedine, rubedine, & quodam splendore.

Ad primum dicimus ad argumēti assumptū, posse quidam quædam animalia in varietate colorum pellis hominem in pulchritudine superare, sed non in his quæ magis ad pulchritudinē faciūt, vt est debita membrorum proportio, elegantia, & ad exercendas nobiles actiones præparatio, ac præstantia. Secundo dicitur, quod nulla est plumma tam varia, nec pellis tanta varietate colorum decorata, quę valeat pelli humanæ comparari, quæ & si cedat in colore, excellit tamen in aptitudine ad sentiendum, & ad exercendas operationes sensus tactus, qui in animali est fundamentum omnium sensuum, vt docet Arist. 2. de Anima.

Ad secundū negatur minor, Christus enim Dominus noster speciosus fuit inter omnes filios hominum, iuxta illud Psalmi 43. Speciosus forma, præ filijs hominum, secundum expositionem D. Augustini, Cassiodori, in illum Psalmum, & D. Io. Chrysost. homil. 28. in Mattheum. D. Bernardi lib. 1. de Virginitate, & serm. 1. de festo omnium Sanctorum, & D. Hieron. lib. 1. comment. in Matth. Habuit enim optimum temperamentum, fuitque virtute Spiritus sancti formatum, & ex purissimis castissimæ matris compactum, quare tale debuit corpus habere, quale simul aciem mentis, & figuram probitatis decebat tenere. Nicephorus autem lib. 1. Ecclesiasticarum histor. cap. vlt. sic de forma Christi scribit. Christi effigies, sicut à veteribus accepimus, talis propemodum, quatenus eam crassius verbis comprehendere licet, fuit. Egregio, viuidoque vultu fuit. Corporis statura ad palmas prorsus septem. Cæsariem habuit subflauam, ac non admodum densam, leniter quodammodo ad crispos declinantem, supercilia nigra, non proinde inflexa. Ex oculis subflauescentibus mirifica prominebat gratia. Acres hi erant, & nasus longior. Barbæ capillus flauus, nec admodū demissus. Capitis porro capillos tulit prolixiores. Nouacula enim in caput eius non ascendit, neque manus aliqua hominis, præterquam matris in tenera dumtaxat ætate. Collum fuit sensim decliue, ita vt non arduo, & extento nimium corporis statu esset. Porro tritici referens colorem, non rotundam, aut acutam habuit faciem, sed qualis matris eius erat, paulum deorsum versus vergentem, ac modicè rubicundam, grauitatem, atque prudentiam cum lenitate coniunctam, placabilitatem, iracundiæ expertem præseferentem. Notant autem Conimbr. ex D. Hieron. cap. 40. Ezechielis nomine palmorum intelligi palmos maiores, quorum singuli continent pollices duodecim, vt dixit Daniel Barbarus super Vitruuium, lib. 3. cap. 1. vnde septem palmi de quibus Nicephorus, erunt octo palmi mensuræ nostræ vulgaris, & ita effigies in Sancto Sudario expressa cōtinet octo palmos Romanos. Hanc autem proceritatem multum laudat Vegetius obseruat. lib. 1. de re militari, cap. 5.

Ad tertium dicimus non solū temperamentum esse causam pulchritudinis corporis, cum experientia doceat multos corpore deformes optima temperie gaudere, vnde à multis causis potest procedere, vt à temperamento corporis, a virtute forma-

trice, ab optima constellatione, ab aere, victu, & exercitio, vnde assumitur causa partialis pro totali, & arguitur à secundū quid ad simpliciter. Ad id autem quod argumentum tangit, respondemus, & si pulchritudo corporis sæpe animi pulchritudinem arguat, non tamen semper, quia animi pulchritudo ex multis alijs partibus pullulare potest, præcipue à recta voluntate, & auxilio Dei speciali, Dei enim donum est, & de hac re modo quæremus.

QVAESTIO XLVI.

An perspicacitas ingenij, & morum probitas habeat temperamentum pro causa.

Videtur quod non. Primo. Nam temperamentum nihil cum phantasia commune habet, cum fantasia sit sensus internus, & temperamentum mixtio qualitatum. Sed bona phantasia est illa, quæ ad perspicacitatem ingenij, & acumen intellectus operatur, cum sit illa quæ inseruit intellectui agenti, vnde dixit Philosophus 3. de Anima, tex. 39. oportet intelligentem fantasmata speculari. Ergo non erit temperamentum causa bonitatis ingenij, & subtilitatis intellectus.

Secundo. Vel hoc temperamentum erit sanguineum, vel cholericum, vel phlegmaticum, vel melancholicum, (ista enim sunt quatuor temperamenta.) Non erit, nec vnum, nec aliud. Ergo. Probatur minor, quia pro quolibet est ratio.

Videtur enim si aliquod debet inseruire hoc sit sanguineum. Nam tale est calidum, & humidum. Sed his seruatur vita, & optima sanitas secundum omnes medicos. Ergo & bonitas intellectus.

Ex altera parte videtur esse cholericum. Quia cholerici ex abundantia caloris spiritosi sunt, & ex siccitate expediti, & ideo cholerici sunt acres, & ingeniosi, quia vt dicit Galenus in lib. artis, medicæ mentis celeritas pendet ex calido, & sicco temperamento, hoc enim subtilem cerebri substantiam indicat, quare Greci stollidos vocant crassipelles.

Aliunde tamen videtur primus locus dandus complexioni phlegmaticæ. Nam molles carne, sunt apti mente per Arist. 2. de Anima tex. 44. & lib. Physiognomiæ c. 4. At phlegmatici pollēt mollitudine carnis. At melancholiæ videtur victoria danda ex experientia. Scribit enim Arist. 3. sectione problematum, problemate 30. eos qui ingenio claruerunt, siue in Philosophiæ studijs, siue in Republica administranda, siue in carmine pangendo, seu in artibus exercendis, melancholicos fuisse, vt Herculem, Aiacem, Bellerophontem, Lysandrum, Empedoclem, Socratem, atque Platonem. Hinc senes in quibus melancholia abundat, iudicio, & prudentia valent, & Plato bene dixit tunc animum efflorescere, cum corpus deflorescit.

Respondetur, quod multæ solent excellentiæ ingenij, & mentis perspicacitatis causæ assignari.

Prima erit ergo bona dispositio syderum in natiuitate hominis, vt notauerunt Ptolomeus in centiloquio, & S. D. 3. contra Gentes cap. 84. Agunt enim astra in sensuum organa, ea disponendo, parando, aptando, & facilitando ad suas operationes, quoniam humana corpora pro prima causa tenent cælestia corpora, quæ cum moueantur, diuersa generant.

Secunda causa est accommodatio, & perfectio sensuum tum exteriorum, tum interiorum, quia & si intellectus noster non dependeat à corpore, vt ab organo, ab eo tamen dependet vt ab obiecto, vnde indiget sensuum ministerio, & adminiculo, quare his polleat, & virtuosi sint, iuuabunt quam plurimum acrimoniæ, subtilitati, ac perfectioni intelligendi.

Tertia causa pensatur ex genitoribus ipsis, quoniam vsus testatur, vt plurimum à parentibus corporis habitudinem, robur, imbecillitatem, bonam aduersamque valetudinem, virtutes, & vitia quo ad propensionem deriuari, vt scripsit Plato in oratione funebri, & Arist. lib. 1. Politicorum cap. 4. & 1. Rhet. cap. 9. & Virgilius 4. Aeneid.

Quarta causa adscribitur regionibus, & locorum sitibus, de qua re legendi sunt Alexander ab Alexandro 4. Genialium dierum, cap. 13. Greci enim dicuntur assentatores, leues, & infideles, ingenio, & facundia præstantes. Capadoces, Cilices, & Cretenses, fraudolenti, & mendaces. Afri subdoli, Numidæ leuissimæ fidei, Chij petulantissimi, Galatæ minaces, Cyri cupidi, & auari. Alexandrini derisores, & dicaces. Indi, & Persæ otiosi, Lydi, & Phryges

ges negotiosi, Emporitani imbelles, & barbari, Aetoli, & Locrenses fœdifragi, Druidæ malefici, Corcideri immanes, Scythæ rapidi, & feroces, Asiani leues, Abydani, Medi, Arabes, & Tarentini effeminati, Siculi vafri, Cumani insulsi, Siragusani multiplices, Ligures duri, & agrestes, Hispani ictabundi, & gloriosi. Germani artibus, & gulæ dediti, Galli feroces, & molles, Romani pomposi, & Sancti, Veneti nobiles, & consiliarij, Neapolitani gentiles, & odoriferi, Florentini acuti, & impatientes, Mediolanenses pulchri, & gulosi, Bononienses pingues, & studiosi, Ferrarienses ciuiles, & molles, Paduani fortes, Vicentini armigeri, & tumultuosi. Veronenses religiosi, & fideles. Brixienses rixosi, & opulentes, Bergomates acuti, & industriosi, Marchiani duri, & agrestes. Remandioli partiales, & peruicaces. Lombardi sinceri, & amicabiles. De varietate ergo ingeniorum morum, & inclinationum pro diuersis mundi regionibus, climatibus, Regnis, Prouincijs, & ciuitatibus legantur Plutarchus in Apophthegmatis, Herodus in Calliope, Plato dialogo 5. de legibus, in Timeo, in Menexeno, & 8. de Repub. Hyppocrates lib. de aere, locis, & aquis, Arist. 7. Politicorum cap. 7. in problem. sec. 14. problem. 8. & 15. Plutarchus de placitis lib. 5. cap. 30 Galenus 2. de temperamentis, & lib. cuius titulus est. Quod animi mores sequantur temperamentum corporis, & lib. 3. Aphoris. comment. 14. Tullius 5. de diuinatione. Plinius li. 2. cap. 78. Ptolomeus lib. 2. Quadriparti cap. 2. & 3. Haly, & Albumanzar introductorij li. 3 & 5. Notando semper, quod istæ sunt regulæ Physicæ, quæ non verificantur in omnibus, sed vt in pluribus, saltem quo ad inclinationem.

Quinta causa est ratio victus, cibi, & potus. Nam quidam cibi multum stomachum conturbant, memoriæ, & ingenio officiũt, & vigilantiæ, & diligentiæ contradicunt, vt fabæ, lac, caseus, carnes salitæ, olera, & alia flatum, & malum humorem gignentia. Nocet etiam omnis intemperantia, & nimia satietas, iuxta illud adagium. Pinquis, venter, acre ingenium non gignit. Plato ergo 2. & 5. de legibus, & Galenus lib. de cibis boni, & mali succi, Plinius lib. 11. nat. hist. cap. 37. Cælius lib. 3. cap. 13. & lib. 27. cap. 22. & lib. 10. cap. 26. suadent studiosum temperantiæ studere, atque ab inordinato cibo, potu, & Venere abstinere, Quod, & testatur Oseas dum dicit. Viuum, ebrietas, & fornicatio auferunt cor, idest intellectum exponunt D. D. Quapropter refert etiam D. Augustinus lib. de vera Religione Platonẽ docuisse semper discipulos suos vt à Venereis voluptatibus abstinerent, & persuasum haberent, veritatem non corporeis oculis, sed sola mentis puritate videri, ad quam percipiendam nihil magis esse impedimenti, quam vita libidinibus dedita. Et Seneca, in præfatione, libri 7. declamationum dixit. Nihil est tam mortiferum ingenijs, quam luxuria, quia vt scribit Galenus in comment. lib. 8. Epydem. Hyppocratis, voluptates istæ cerebro in quo interni sensus insunt plurimum nocent. Quare scribit Albertus Magnus lib. 22. de animalibus, quod semel facta dissectione cuiusdam corporis humani, inuentum fuit sine cerebro, & Medici sciscitantes de causa, inuenerunt huiusmodi propter vsum immoderatum rei venereæ, cerebrum perdidisse 5. autem D. 2. 2. quæst. 15. art. 3. reddit rationem, cur obscenæ voluptates ingenio, & mentis actionibus plurimum præiudicant, & dicit, quod dum homo applicatur sensibilibus, & materialibus, debilitatur circa spiritualia, & ab his quam plurimum distrahitur. Mens enim quanto magis à terrenis se separat, tanto fortius incalescit, & confortatur circa propria mentis, & sic tanto melius intelligibilia considerat. Nocet etiam Luxuria multum potentiæ visiuæ, quæ magnopere inseruit cognitioni, qua propter Ethnici cupidum cecũ finxerunt, quia menti, & corpori aspectum eripit, videndi organum ledit, & virtutem visiuam ei inherentem deicit. De qua re vide Aristot. lib. 2. de generat. animalium cap. 5. Galenum lib. 4. de locis affectis, & Manardum epist. Medic. lib. 4. epist. 4. Sed & Clandianus cecinit.

Luxuries praedulce malum, quæ dedita semper

Corporis arbitrijs hebetat caligine sensus.

Ad primum ergo negatur maior. Ad probationem dicitur, quod temperamentum, & phantasia bifariam considerari possunt. Primo, in genere entis, & sic vnum ab alio discriminatur, quia temperamentum est mixtio qualitatum, & phantasia est sensus internus faciens ad naturam cognoscentis. Secundo, in genere causę dispositiuę, & operatiuę, & sic temperamentum multum disponit, & phantasiam, & intellectum ad facilius, promptius, & securius operandum vt supradiximus.

Ad secundum respōdemus cum Galeno lib. 3. de nat. human. ad tex. 39. Ficino lib. de triplici vita. Vega ad lib. 2. artis Medic. cap. 8. & Cel. lib. 17. cap. 5. quod complexio melācholica, & biliosa, inter alias magis laudatur, & extollitur. Nam qui hoc humore sunt prædìti, ob bilem facile apprehendunt, velociter discurrunt, motu agiles, & acres sunt. Ob melancholiam vero animum ab externis auocant, & ad interna applicant; in ea quæ apprehendunt assidue incumbunt, diu meditantur, & de his quæ in se toti collecti inuenerunt, constanter iudicarit, & pronunciāt. Hi etiam cum sint sicciori natura prediti, recrementis quæ spiritus conturbant carent, & ex atra bile calente, & attenuata, tenuissimos, ac lucidissimos spiritus generant, qui ad ingenij, & mentis opera mirificę obseruiunt. Hinc illud Heracliticum, quod refert Galenus lib. Quod animi mores, &c. Splendor siccus, animus sapientissimus. Quod senes vero in extrema senectute delirent, fit, quia declinauerunt ad nimiam siccitatem, & frigiditatē, omnia enim extrema sunt vitiosa.

Ad argumentum ergo pro complexione sanguinea dicimus, quod in homine tria sunt inspicienda. Primum pertinet ad vim vegetatiuam, quoniam facit ad nutritionem, augmentationem, & generationem, quæ sunt potentiæ sensitiuæ, & pro hoc per optime facit complexio sanguinea, quæ est calida, & humida. Secundum pertinet ad vires sensitiuas, & maxime internas, & ad tertium .s. ad operationes partis intellectiuæ, & pro his maxime existimatur complexio melancholica, prout supra ostensum est.

Ad illud pro colericis respondetur, quod ad iudicandum, & operandum secundum intellectum duo sunt necessaria. Primum est promptitudo ad intelligendū, & percipiendum. Secundum est firmitas, & constantia ad examinandum, concludendum, & operandū. Ratione primi natura cholerica multum laudatur, at pro secundo melancholica desideratur. Ideo Galenus 3. de natura humana, comm. ad tex. 39. his verbis loquitur. Animi acies, & intelligentia à bilioso humore, constantia, & firmitas, à melancholico. Fuit enim vetus adagium. Festina lente.

Ad illud pro phlegmatica natura dicitur, quod mollitudo carnis duplex est. Prima temperata, & hęc reperitur in sanguineis potius, quam in phlegmaticis. Secunda intemperata, multum retinens de aqueo, & frigido, qualis est in mulieribus, & in phlegmaticis, & talis reijcitur in studijs, ac animi actionibus, quoniam ob natiui caloris imbecillitatem, multa secum portat recrementa, & ob crassitiem, ac lentorem spiritus obturbantem, & motus tarditatem causantem facit phlegmaticos, pituitosos, tardos, rudes, somnolentos, adeo vt quidam scripserint animā illis fuisse datam pro sale, veluti suibus. Phlegma tamē moderatum multum iuuat ad reprimendā irā, & sustinenda aduersa.

Ad argumentum pro melancholia noto cum Ficino lib. de vita sana, Valeriola lib. 1. locorum communium c. 10. & 11. Fracast. lib. 2. de intell. ac alijs, quod duplex est genus melancholicorum. Primum est illorum in quibus multa est bilis, attenuata tamen, ac purpureo colore fulgida. Secundum illorum qui atra bili abundant, sed admodum sicca, frigida, & densa, & feculenta, coloris plumbei, & male concocta. Melancholicos primi generis multum laudat Aristot. & Galenus, & Plato. Secundum vero genus damnatur, quia hi sunt stupidi, obtusi, formidolosi, solitarij, qui sæpe in mentis alienationem, & insaniam conuertuntur, teste Hyppocrate 6. Epidemiorum, & Galeno 3. de locis affectis. Illa ergo melancholia laudatur, quæ ex bilioso, & melancholico humore est, quæ naturalis esse potest, & etiam ex occupationibus studijsq. contracta, ex istis enim multa atra bilis colligitur, quæ si sit attemperata proficit, & si non, multum lædit corpus; ac animæ operationes, vnde fuit illud. Interpone tuis, interdum gaudia curis.

QVÆ-

QVAESTIO XLVII.

An sedes animæ intellectiua sit in temperamento corporis.

VIdetur quod animæ nulla sit danda sedes, in qua tanquam in arce residere dicatur,& præcipue, quod in nullo sit temperamento. Nam dissimilia de difficili iunguntur. At anima immaterialis, ac immortalis multum est dissimilis omnibus temperamentis materialibus, & corruptibilibus.

Hæc quæstio sub duplici titulo examinabitur. Primus erit de sede animæ intellectiuæ. Secūdus de sede animæ corruptibilis.

Circa hanc ergo difficultatem plures inuenio sententias, quas etiam supra tetigi. Prima ergo fuit Platonis in Timeo, & Claudiani, quod animæ intellectiuæ præcipua sedes sit in capite, & cerebro, vnde Claudianus sic cecinit.

Illa cum corpore lapsa
Intereunt, hæc sola manet, bustoque superstes
Euolat, hanc alta capitis fundauit in arce,
Mandatricem operum, prospecturamque labori,
Illas inferius collo, præceptaque summa
Passuras dominæ, digna statione locauit,
Quippe opifex virtus, confunderè sacra prophanis.
Distribuit partes animæ, sedesque remouit: &c.

Hanc sententiam sequitur Galenus, & Auicenna, adeo vt Galenus dixerit animam intellectiuam non esse nisi temperamentum cerebri, & qđ hoc sit principiū ratiocinandi,& iudicandi. Plato vero quamuis cum Galeno eam in cerebro collocauerit, tamen cōtra Galenum eam immortalem fecit,dicendo eam esse quandam essentiā, ex cerebro, vel materia non pendentem, in toto cerebro totam,& totaliter insidentem,& eminētioris mentis supra seipsam existentis capacem. Auicenna quoque eā cum Platone constituit in mortalē,& perhennem,eam cum phantasia tamen, ac ceteris sensibus ita nexit,vt dixerit cum sensu communi esse in anteriore ventriculo cerebri, cum memoria in posteriore, & cum alijs facultatibus in medio. Quod igitur anima intellectiua sita sit, tanquam in præcipua sede in capite probant.

Primo. Animę intellectiuę, & immortalis incongrue daretur sedes animę sensitiuę, & mortalis,cum sint distinctę,& diuersę. At anima sensitiua,& vegetatiua collocantur in corde. Ergo intellectiua erit in capite.

Secundo. Alia est operatio pertinens ad naturalia, & alia ad intellectualia. Sed fons operationum naturalium est in corde. Ergo origo operationum intellectualium erit in capite, vt vnicuique detur proprius locus.

Tertio. Aristot. 2. cęli,tex. 12. dicit facultatem mouentem stare sursum, quia imperans,& dirigēs in parte superiori,& eminentiori sedem exposcit. At anima intellectiua in corpore est mouens, dirigēs, & imperans,& vt dux, auriga, & Regina in corpore sedet. Ergó locanda erit in capite.

Quarto. Intellectus qui est potentia precipua animę intellectiuę dicitur per conuersionem ad phantasmata cum eis necti, quoniam intelligere non fit nisi per conuersionem ad phantasmata. Ita sunt in capite. Ergo & anima intellectiua.

Quinto. Experientia hoc docet, dum enim caput dolet, speculatio impeditur, non si stomachus affligitur. Et qui febri corripiuntur, & si cor ęstuet, nisi feruor cerebrum attingat, mens non turbatur, & diuersę capitis formę sunt illę, quę nos instruunt, de subtilitate, stoliditate, & prudentia capitati. Igitur in capite erit sedes nostrę animę.

Sexto. Caloris, & prudentię non est vna sedes, quia calor prudentiam turbat, & sapientia quietem exigit,& cor motionem, & magnum calorem causat. Ergo non erit sedes animę intelligentis cor, sed caput.

Septimo. Hanc sententiam videtur habuisse Arist. Nam in 18. part. prob. 1. ait. Vbi mens constiterit, & quasi fatigata succubuerit,caput grauat,vtpote,quę in eo sita sit,somnumque inducit. Et part. 30. prob. 3. dicit, hominem esse prudentissimum, quoniam capite minimo preditus est,minori namque capite prediti, prudentiores sunt. Et prob. 1. eiusdem particulę inquit,

inquit. Nonnulli, qui atrabile abundant, cum abunde potarint, dolent, & animo vehementer succumbunt, calor enim naturalis à calore vini extinguitur, calor autem, qui eam continet sedem, qua speramus, & sapimus, facit, vt securo animo simus &c. Ex quibus omnibus deducitur Arist. posuisse sedem animę intellectiuę in capite.

In contrarium est Arist. cum Peripateticis, qui sedem animę nostrę cor constituunt, & non caput, iuxta ea, que etiam in superioribus dicta sunt, quę in hac parte videbis.

Conclusio ergo est. Cor est sedes animę intellectiuę. Probatur primo. Animę sedes est pręcipuum membrum corporis, vt locus correspondat locato suo modo. At pręcipuum membrum in homine est cor, quo viuente viuit animal, & eo mortuo moritur. Ergo &c.

Secundo. Vbi collocantur vegetatiua, & sensitiua, ibi etiam collocanda est intellectiua, cum has contineat, & comprehendat. Sed vegetatiua, & sensitiua pręcipue collocantur in corde, à quo est viuere, calor, & temperamentum. Ergo.

Tertio. Vna est sedes affectionum, & intellectionum, cum istę sint potentię eiusdem animę, & in vna anima inseparabiliter. Sed affectiones in corde ponuntur, iuxta illud dictum Domini. A corde enim exeūt malę cogitationes, adulteria, fornicationes, furta, homicidia, & his similia. Ergo, & intellectus erit in corde.

Quarto. Vbi optimum est temperamentum radicaliter, & causaliter ibi constituenda est sedes animę, vt effectus suę causę correspondeat. At optimum temperamentum causatur à corde. Vnde Aristot. 2. de generat. animalium cap. 4. ait calorem humani cordis purissimum esse. Et ita dicimus dum ex deliberatione, & sincere loquimur. Ex corde loqui, iudicare, &c. quia oratio indicans mentis notiónes, proficiscitur ex corde, per pulmones, & asperam arteriam. Hinc Theologi dixerunt per cor in sacris litteris mentē designari. Ita Orig. lib. 1. cap. 1. de principijs, Tertullianus in suo libro de Anima D. Hieronymus in epistola ad Fabiolam. Et communis locutio est, amicum esse nobis cordi, recepta beneficia corde seruari, toto corde Deum diligere, corde ei confiteri, sursum cor ad Deum eleuare, suspiria, & salutationes ex corde prodire, cor amico donare, quæ omnia indicant mentem, ex qua omnia prodeūt in corde sedē tenere.

Quoniam ista secunda opinio cum ea, quæ scribit Sanctus Doct. Magister meus consentit, ideo antequam soluam argumenta primę opinionis quędam consideranda veniunt.

Primo ergo venit notandum, quod hic loquimur de anima intellectiua in homine, quæ presupponitur corpore vniri, vt eius forma, & actus, iuxta ea quæ docuimus 3. de Anima. Item non loquimur proprie de sede, quasi sit locus animæ cor, vel cerebrum, anima enim est tota in toto, & tota in qualibet corporis parte secundum essentiam suam, vnde locutio est de sede Metaphorice secundum quandam excellentiam, ita vt sit quærere, vbi anima tamquam in pręcipuo loco, & secundum eius pręcipuam operationem stet, & à quo loco suam virtutem, & operatiónis principia traducat, qui locus dicetur pręcipuum membrum animę, & prima sedes, seu per excellentiam sedes, quæ non facit animam reginam in corpore, sed ipsa facit illud membrum, & illam partem nobiliorem, ac ceteris præstantiorem.

Secundo ergo notandum venit, quod recte vnam partem corporis, & hanc præstantiorem animæ donamus in corpore. Primo quidem, quia corpora animata in hoc ab inanimatis distinguuntur, quod inanimata non habent vnam partem altera pręstantiorem, cum sint in omnibus suis partibus similia, animata vero ex vna parte ad aliam suam virtutem, & operationem diffundunt. Secundo, quia cum anima præcipue intellectiua in corpore collocetur ad diuersas operationes, & consequenter debeat multa instrumenta propria, & apta ad proprias operationes habere, vbi pręcipuum tenebit instrumētum, ibi præcipuam eius sedem constituemus. Tertio, quia quanto anima est superior, tanto magis ad vnitatem accedit, & ideo non debemus eam in tot membra dissecare, sed in vno pręcipuo membro cōstituere, ex quo tanquam ex fonte, & arce omnia regat, & influat.

Tertio. Notandum venit, quod aliud est quęrere de principio operationum animę nostræ. s. quod nam illud sit, ex quo incipiat

plat operari, & aliud est quærere de instrumento exequenre operationes animæ. Secundum non quærimus, quia libenter concedimus præcipuas operationes animæ nostræ intellectiuæ, & vt intellectiua est à capite proficisci, & in capite consumari, cerebrūq. esse veluti proximum instrumentum ad has operationes habendas, & perficiendas. In primo ergo positus est nodus difficultatis, qu a tenemus, cor primo efformari, & à corde primo exire animæ operationes, & cor esse non proximum, sed primum instrumentum omnium operationum animæ. Cor ergo dicetur prima, & præcipua fedes animæ (cum adæquata sit totum corpus humanum. Primo, quia cor est vnicum, primū, & præcipuū animæ instrumentum, cum per calorem, & spiritus ab eo diffusos ceteræ partes corporis viuant, & operentur. Secundo. Quia cor in danda vita non dependet ab alijs partibus, aliæ vero partes à corde, vnde eo læso occidit homo. Tertio. Quia per naturam cum fantasia nectitur, & cor est quasi arx, & turris ad quam seruandam omnes partes ordinantur.

Ad primum ergo argumentum pro opinione Galeni &c. negatur maior, quia vna est anima in corpore, quæ omnes alias virtute continet, vnde ei datur locus præcipuus, qui est cor. Secundo dicitur ad minorem, quod illæ animæ collocantur in corde, non vt dominentur intellectiuæ, sed vt ei inseruiant, & ideo in corde cum intellectiua collocantur.

Ad secundum negatur maior loquendo de primo principio motiuo, procedit enim de proximis principijs executiuis.

Ad tertium dicitur ad maiorem, quod stare sursum stat dupliciter. Primo loco. Secundo imperio. Secundo modo intelligitur Aristot. vnde qui stat in medio arcis, & exercitus dicitur stare sic sursum, & ita anima. Secundo dicitur, quod intelligitur, quo ad excellentissimam eius operationē, .f. intelligere, ratione enim huius excellentis operationis anima dicitur esse sursum, in capite &c.

Ad quartum dicitur, quod illa connexio intelligitur quo ad operationem intelligendi, & speculandi in particulari.

Ad quintum dicitur, quod illæ experientiæ probant lesionem proximi principij intellectionis.

Ad sextum dicitur probare non esse proximum principium vtriusque operationis.

Ad auctoritates Arist. dicitur, quod procedunt de principio proximo, nam in mente ponitur, vt in principio proximo intellectionis.

Ad argumentum principale dicitur, quod anima intellectiua, vt est actus corporis est ei similis, & proportionata, vnde cum desinit actuare, vnio dissoluitur, & corpus occumbit. Vt intellectiua vero dicitur dissimilis in esse, non in operatione, quia pro hoc statu dependet à corpore, vt ab obiecto, & si non vt ab organo.

QVAESTIO XLVIII.

An anima mortalis sita sit in temperamento cordis.

Egimus in superiori quæstione de sede animæ intellectiuę nostrę, modo in ista agendum erit de sede animæ sensitiuæ, & omissis opinionibus de quibus modo non est in scholis disputatio, de præcipuis tantum opinionibus hic disseremus. Nam apud veteres varia fuit disputatio. Parmenides enim, & Epicurus pectus animæ sedem fecerunt. Straton inferiorem partem frontis eam esse censuit, Hierophilus cauam cerebri partem, seu basim. Erasistratus sinum cerebri, Diogenes arteriam cauam cordis. Zenocrates vniuersum corpus, vt licet legere apud Plutarchum, Aristotilem, Galenum, & Firmianum.

Alij eam collocauerunt in sanguine, vnde dicebant eam cum sanguine fundi. Alij in tenuiori sanguine, vel spiritu reposuerunt, Hanc suam opinionem probabant.

Primo. Vita, & anima se comitantur; Sed vita posita est in sanguine, vnde eo fuso, vita cessat. Ergo anima erit in sanguine.

Secundo. Anima dicitur spiritus, & grece feruor, & reddere animam, est vltimum expirare. At hæc de anima essentialiter non dicuntur, cum constet animam non esse ventum, nec quid elementare. Ergo hoc interpretandum venit fundamentaliter, quia scilicet in spiritu sedem suam tenet.

Tertio. Hoc videtur docuisse Arist. Primo, quia 2. de partibus animalium cap. 7. reprehendit eos, qui dixerunt animam esse ignem, qui bene dixissent, si in quodam ei

simile.s.in calore, & sanguine eam collocassent. Secundo, hoc videtur repetere 2. de generat.animalium vbi dicit.Sed etiam omnis anima, siue virtus, siue potentia, corpus aliud participare videtur, idque magis diuinum, quam ea quæ elementa nuncupantur, denotans eam esse spiritum, per quem dicit semina reddi fœcunda.

Sed hæc opinio non est vera. Primo. Quia sedes animæ est membrum aliquod principale hominis. Sanguis autem non est talis.

Secundo. Quia sedes animę independens est vt primum principium à quo sunt animæ operationes. At sanguis dependet ab ephate,corde, venis,&c.

Tertio sedes est aliquid firmum. Sanguis vero quid fluuidum.

Quarto,sedes animæ cum sit sedes sensuum, debet esse sensu prædita, & præsertim tactus, quod alienum est à sanguine.

Quoniam quæstione sequenti videbimus, an quatuor humores inter quos est sanguis sint vita præditi, ideo pro nunc sic sicco pede hanc difficultatem pertranseo, solum ad opposita argumenta respondendo.

Ad primum dicitur ad minorem, quod vita ponitur in sanguine,non tamquam in sua prima sede,sed tamquam in suo vehiculo & instrumento communi, per quod per totum corpus diffunditur.

Ad secundum idem dicitur, de nominationes enim desumuntur ab effectu,& non à principio,& causa.

Ad tertium idem dicitur, & infra magis explicabitur.

Secunda opinio de sede animæ fuit Platonis in Timeo, ponentis tres sedes principales animæ, nempe iecur,cor,& cerebrum,inter quas cerebro principatum dedit. Et quamuis in Phedro animæ det pro sede vehiculum æthereum, & in eodem Timeo medullam constituerit agrum, & sedem animæ. Dicitur tamen quod pro vehiculo æthereo sumpserit locum animæ separatæ, cui cælum dedit, cum propria stella, & pro medulla sumpsit cerebrum.Hanc sententiã amplexatus est Galenus lib. Quod animi mores sequuntur temperaturam corporis, ponendo nutritiuam in temperamento iecuris, irascibilem,& vitalem in temperie cordis, & intellectiuam in temperatura cerebri, immo eam dixit non esse nisi temperaturam cerebri, in quo à Platone discriminatur, qui animam constituit immortalem, & separabilem. Rationes illorum sunt, & argumenta.

Primum. Illud stat pro sede animæ in corpore,quod se habet vt origo, & fons omnium eius instrumentorum, & operationum; vt testatur idemmet Arist.2. de generat. animalium,cap.3. At cerebrum est origo, & fons omnium instrumentorum animæ, & motus, seu operationum, cum sit principium neruorum, per spinalem medullam, & nerui sint instrumenta sensuum,& operationum animæ. Ergo cerebrum est sedes animæ.

Secundum. Illa est sedes animæ sentientis, & mouentis,qua posita ponitur sensus,& motus,& qua subducta ista tolluntur. At tale est cerebrum, nam illico quod viæ ab eo, ad alia membra obstruuntur,statim priuantur motu,& sensu,vt patet in somno in quo cum vię crassioribus vaporibus clauduntur, quamuis cor liberum sit, & viæ ab eo ad inferiora membra pateant, tamen omnia membra sensu,& motu priuata remanent. Ergo cerebrum est sedes facultatis sentientis,& mouentis.

Tertium. In illo ponitur sedes animæ sensitiuæ, & motiuæ, cui conueniunt conditiones sensus,& motus. Tale est cerebrũ, & non cor. Nam sentire est quoddam pati, cerebrum autem cum sit molle, & humidum citius sentit passionem,quam cor, quod est durum,& aridum.Item iudicium debet esse ab omni turbatione, & ita remotum, cor autem furore corripitur, & in ira sanguis in eo accenditur, non sic in cerebro,quod est humidum, & frigidum, & magis temperatum. Ergo &c.

Quartum.Contra experientiæ vim nulla ratio vrget. At experimur,quod si pars posterior capitis lædatur,statim memoria obnubilatur, si anterior, vel media, percimus sensum communem, & imaginatiuam lædi. Et cum alicuius rei recordari volumus caput deprimimus, partemque posteriorem confricamus,& dum imaginari aliquid volumus, caput eleuamus. Et qui vehementi apprehensione corripiuntur,dolorem,& imbecillitatem capitis sentiunt. Ergo in cerebro sita est anima &c.

Quintum. A sede animæ sunt venæ, quasi

viæ ab arce. At non à corde sunt venæ. Ergo. Minorem ostendunt Anatomici peritissimi, patefacientes venæ cauum maiorem, & latiorem tamquam limpitem esse in Hepate, & minorem, & augustiorem in corde. Hepar quoque est veluti ager omnium venarum, in eo vt arbores plantatæ, vnde venæ non mouentur, vt arteriæ, quæ ex corde prodeuntes agitantur. Estque Hepar sanguini simillimum, & veluti sanguis congellatus, & Hepate læso, sanguis læditur, neque sanguis vniuersus per cor meat, sed magna eius portio ab hepate per venas in partes inferiores effunditur. Ergo sequitur, quod hepar sit adæquatum subiectum sanguinis, & cor non perficere nisi sanguinem in arterijs inclusum, & non existentem in venis, & sic non posse esse sedem animæ sentientis, &c.

Sextum. Maxima naturalitas animæ vegetatiuæ, & sensitiuæ deprehenditur in generatione. At cor non est principium huius, cum in eo semen non gignatur. Ergo non erit cor.

Septimum. Arguit Plato de Repub. Dial. 4. quia facultas irascendi, quæ est in corde, rationem turbat. Ergo debent diuersas sedes tenere, & habere.

Tertia sententia fuit Arist. quæ in duobus consistit. Primum, quod prima sedes animæ est vna. Secundum, quod ista est cor. Et quoniam supra satis ostensa est eius mens, ideo ipsi adherendo duas conclusiones statuo.

Prima conclusio est. Vna est præcipua sedes animæ, à quo omnes aliæ dependent. Probatur primo. In omnibus bene ordinatis necesse est deuenire ad vnum primum à quo omnia alia dependeant, vt habetur 7. & 8. Phys. 2. & 12. Metaphys. At omnia membra hominis in eo sunt bene ordinata. Ergo deueniendum est ad vnum primum membrum.

Secundo. Vnum animal habet vnam animã, Ergo vna anima vnam primam sedem. Necesse est enim vltima primis correspondere.

Tertio. Homo est paruus mundus ex 8. Phys. tex. 17. At in magno mundo vnum est primum principium, & vnica eius sedes ex 8. Phys. Ergo, & in homine vnum erit primum principium eius operationum, & eius vnica sedes.

Quarto. In homine vna est virtus formatiua fœtus. s. semen, vnum est temperamentum, quasi dispositio superuenientis animæ, multi sunt gradus viuendi, & hi adinuicem ordinati. Ergo constituenda est vna prima sedes omnium horum, à qua tamquam ab arce omnia percurrant.

Quinto. Per Galenum gradus, & facultates animæ nil aliud sunt nisi temperamentum suæ sedis, suique principalis membri. At ista temperamenta sunt distincta, nec efficientia secundum Galenum inter se connexa. Ergo animal non erit vnum simpliciter, sed solum aggregatione, quod nullus Philosophorum dicet.

Secunda conclusio est. Cor est prima, & principalis sedes animæ. Probatur primo. Illa pars animalis est pro eius sede statuenda, quæ est origo, & fundamentum omnium instrumentorum, & operationum eorum in animali. Tale est cor, quod per calorem, & spiritum mouet omnia alia membra. Ergo cor erit sedes animæ.

Respondent quidam, quod duplex est instrumentum. Primum dicitur vnum perfectiuum, quia perficit opera animæ, & illũ dicunt esse spiritum, & calorem, quæ sunt à corde. Secundum dicitur delatiuum, quia per illud defertur vis, & hoc est, neruus, vena, & arteria. Primum instrumentum in varijs membris contemperatur, & vires recipit, & formam variam Secundum ex membris distinctis ortum ducit, & ex varijs membris formam, & materiam suscipit, vt nerui ex cerebro, venæ ex hepate, & arteriæ ex corde.

Sed hæc solutio inutilis est. Primo. Quia non vadit ad primum principium per quod anima operatur, nam hoc est calor, & spiritus, venæ vero, arteriæ, & nerui sunt potius viæ per quas spiritus diffunduntur. Secundo. Quia à calore sunt spiritus, cum calor sit principium vitæ, & calor est à corde.

Secundo. De ratione sedis est. Primo, competere cunctis viuentibus. Secundo, esse in medio, vt inde vires valeat per totum corpus diffundere, & tertio, quod sit in loco munitissimo, iuncta cum ceteris corporis partibus. At hæ conditiones soli cordi competunt. Ergo. Probatur minor. Nam plantis conuenit aliquid correspondens cordi, non sic hepati, vel cerebro, hoc autem erit vbi viget virtus nutritiua.

Item cor stat in medio corporis, est enim in situ medio, qui Thorax est. Item est in loco munitissimo, dico quo ad magnitudinem, non quo ad perfectionem, quia sic Deus non est in medio, sed summo cæli, quamuis exemplum Dei non obstet, cum non vniatur nisi vt motor mobili, anima autem corpori, vt forma, vnde debet habere suam sedem in medio munitissimo, quoniam eget instrumentis, & custodia magna custoditur, quoniam vt dixit Sapiens ab ipso vita procedit, vnde inuenta sunt multa monstra sine capite, nullum verò sine corde, quia sine eo non est vita. Item est iunctum cum alijs corporis partibus, quia est veluti centrum à quo omnia membra deriuantur.

Tertio. Principium, causa, & sedes motus, & sensus debet quam maxime moueri, & sentire, quia propter quod vnumquodq. & illud magis, vt dicitur primo Post. At cor ex se mouetur, cerebrum vero quasi vita expers stat immobile, cor citissime læsionem sentit, cerebrum sensu carens, dolorem læsionis non percipit. Ergo cor erit sedes animæ.

Confirmatur enim, quia in corde sunt omnia signa vitæ animæ, non sic in cerebro. Primo enim, vt diximus mouetur cor, vt viuens, cerebrum stat immobile, quasi sit vita priuatum. Secundo, cor læsionem cito sentit, cerebrum nequaquam. Tertio, est calore præditum, qui calor est qualitas præstantissima, pendens à cælo, vitæ amica, ad operandum maxime efficax, cerebrum vero est frigidum, frigidum vero est naturæ, & vitæ inimicum. Quarto. Cor omnia excrementa à se longe repellit, vt munitissimum, cerebrum vero multis excrementis repletur, vt patientissimum. Quinto. Cor numquam grauiter ægrotat, nec ex eo aliqua pars abscindi potest sine interitu totius, at multæ sunt cerebri ægritudines, & multæ eius partes, & portiones auferuntur ad sanitatem læsi capitis. Sexto, animal dicitur vnum, si duo capita habeat, & sit monstrum, non vero poterit habere nisi vnum cor, vt docet Arist. 4. de generat. animalium cap. 4. duo enim corda, duo capita exposcunt, necessario, non sic duo capita, duo corda. Remanent ergo tot indicia vitæ, & principatus in corde, vt dicendum sit sedes animæ.

Quarto. Probatur etiam experientia triplici. Prima, generationis, quia in generatione antequam cerebrum sit formatum, cor formatur, quod si pungitur, contrahitur, & mouetur, vnde dato etiam, quod prius generaretur hepar, vel vmbelici vena, tamen certum est, quod antequam cor formetur, sensus non adest, & eo formato, subito adest. Secunda, amputationis, quia amputato capite, adhuc per aliquod tempus corpus mouetur, abducto autem corde, non nisi per breue tempus, secundum quod spiritus vitales à corde diffusi per corpus durarent. Hoc autem in cicadis, ac moschis dillucide conspicitur, in lacertis, ac alijs animalibus imperfectis, quæ si per longum secantur, occumbunt, quia spina cordi correspondet. Tertia, somni, & vigiliæ, comperimus enim in somno spiritus ad cor contrahi, & reuocari, vt ad suam sedem, & domicilium, alia vero membra motu, & operatione destitui. Præcordia tunc vigent, & calida seruantur, & efficaciora redduntur, cor pulsat, viuit, & mouetur, alia vero membra immota manent, &, quasi à morte extincta videntur.

Quinto probatur ex animi perturbationibus, cum Chrisippo, ac Asclepiade sic. Illa dicenda est sedes animæ sensitiuæ, in qua eius affectiones, & passiones resident. Tale est cor. Ergo. Maior patet, quia appetitus est principium motus, in appetitu autem istæ affectiones reponuntur. Minor probatur, quia ira, gaudiũ, tristitia, dolor, motus, & similes passiones in appetitu, seu corde, quod est sedes appetitus constituuntur, in cordeque spiritus vigent, qui sunt præcipua instrumenta perturbationum. Vide alias rationes, & ampliores digressiones de hac re, apud Alexandrum Piccolomineũ libello suo, seu tractatu de sede animæ ad Illustriss. ac Reuerendiss. Marcum Cornelium Patauij Episcopum.

Ad primum in contrarium negatur minor. Ad probationem vero primo negatur cum Arist. 2. de partibus anim. cap. 7. neruos esse instrumẽta sensus, tum quia sunt exangues, & exanque non impartitur facultatem sentiendi, tum quia, vt dicitur in 3. de hist. animalium dantur animalia, quæ vel neruis carent, vel insensibilibus neruis prædita sunt, tum quia quæuis carnis portio quamuis neruo careat, tamen sensu est prædita, quod si partes neruosæ magis

magis sentiunt, causa est, quia magis cum corde nectuntur. Secundo dicitur, quod duo sunt pensanda in neruis. Primũ, quod se habet vt materia, & hoc potest esse à cerebro. Secundum, quod se tenet vt forma, & tale est cor, quod per spiritus dat corpori, & neruis soliditatem, formam, & virtutem. Tertio dicitur, quod dato, quod nerui, & venæ ex cerebro prodirent, hoc tamen non officeret, quia ista sunt potius viæ per quas spiritus deferuntur, at calor, & spiritus sunt principalia animæ instrumenta, per quæ anima operatur.

Ad secundum negatur minor, ad probationem dicitur, quod somnus est affectio sensus communis, & primi sensorij, qui est cor, vt patet ex lib. de somno, & vigilia. Et quamuis sit affectio cerebri, vt instrumenti proximi multarum actionum, non tamen est eius affectio, vt dixi, tamquam primi sensorij. Ex hoc etiam prouenit in Epilepsia, & Apoplexia, quod quia proxima sedes operationum, scilicet cerebrum læditur, ideo deficiunt operationes, sicut læso pede ambulare non valemus, quamuis pes non sit sedes facultatis mouentis. Qui autem dormiunt sensu tactus non omnino priuantur, quia frigus percipiunt, se cooperiunt, & socio adhærent, quia sensus tactus est per totum corpus diffusus, & non est sicut alij sensus qui sedem tenent in capite. Secundo dicitur, quod quamuis deficiant in somno motus sensuum exteriorum, non tamen deficit vis, & virtus cordis, mouentis nutritiuam ad nutriendum, augmentatiuam ad augendum, seminatiuam ad semen colligendum, & interna ad multas alias operationes habendum, vnde cor est prima radix motus internorum, & externorum.

Ad tertium negatur similiter minor. Ad primam probationem dicitur, quod si cerebrum de facili patitur, ergo ab alio, idest per impressionem factam à corde, sentire autem dicit actum sentiendi, cor autem ponitur primum principium huius actus. Ad secundum dicitur, quod probat motionem cordis in cerebro, quod est frigidum modificari, & cor eo vti ad discernendum, & iudicandum, vt proximo principio, & non probat esse primum principium mouens.

Ad quartum dicitur, quod probat quasdam potentias in capite existentes esse principia immediata quarundam actionum, vnde sine eis cor actus illis proprios non eliceret, non autem demonstrat cerebrum esse primum, & principale eorum principium.

Ad quintum. Primo aliqui negant cor non esse principium venarum, & sanguinis, tum primo, quia perfecti Anatomici repererunt venam cauam, & magnam ex corde oriri, & venulas hepatis esse veluti ramos eius. Secundo, quia in eius finibus seorsum à venis non parum sanguinis reperitur. Tertio, quia calor est qui sanguinem generat, calor autem à corde est. Secundo negant venas non moueri, cũ Arist. in principio lib. de morte, & vita dicat. Pulsant venæ omnes, & simul inuicem, quia ortum ducunt à corde, quamuis hic motus nõ sit multum fortis. Secundo. Alij dicunt duplex esse principium sanguinis. Primum, quasi præparatiuum, & materiale, & hoc dicunt esse hepar. Secundum, formatiuum, & perfectiuum, & hoc astruunt esse cor, qui per calorem eum perficit, & per spiritus viuificat. Tertio dicitur, quod venæ, & sanguis non sunt principale instrumentum, sed viæ potius, ad operationes animæ, primo, & principaliter per cor operantis.

Ad sextum dictum est, quod probat motionem cordis in cerebro modificari, & temperari, vt in proximo principio.

QVAESTIO XLIX.

An quatuor humores, & spiritus vitales informentur anima.

Videtur quod non. Primo. Omne corpus animatum organis est affectum, vimq. nutriendi habet, & ab intrinseco augetur. Hæc non habet sanguis, nec phlegma, nec atra, nec flaua bilis, nec spiritus vitales, vel animales. Ergo non sunt animati.

Secundo. Sic esset sanguis Christi sub specie panis, vt pars corporis. At Conc. Trid. sess. 13. cap. 3. definit ibi esse solum per concomitantiam.

Tertio. Arist. 2. de partibus animalium dicit cap. 10. sanguinem nullam esse partem animalis. Et quod dicimus de sanguine, de spiritibus quoque dicendum venit, quoniam spiritus non sunt nisi particulæ tenuissimæ

nuissimæ defecati sanguinis.

Quoniam hanc quæstionem examinauimus etiam 2. de Anima, quæst. 11. ideo pro nunc nō immorabor circa eam, mittendo lectorem ad illum locum videndum.

Notandum est ergo, quod humores in animali sunt in duplici differentia. Quidam enim ad integritatem corporis animalis facere videntur, quoniam correspondent elementaribus qualitatibus, vt sanguis, spiritus animales, & vitales, atra, & flaua bilis. Alij vero non faciunt ad eius integritatem, nec essentialem, nec quantitatiuam, & qualificatiuam, quoniam scilicet tale corpus dicitur talis temperamenti, vt sunt omnia excrementa. De secundis videtur communis sententia, quod vita careant, de primis grauis est controuersia, vt dixi 2. de anima.

Secundo notandum est ergo, quod vnum corpus dicitur vnum per omnia ea quæ ad eius integritatem concurrunt, quia ex omnibus suis constitutiuis constituitur, vt quid vnum essentialiter, & multiplex virtute. Vnde non est necessarium, quod omnes eius partes vnius sint rationis, (cū corpus sit æterogeneum) sed bene opus est, vt sit vnius informationis, quia in vno corpore est tantum vna materia, vnus actus adæquatus, & vna potentia adæquata. Cum ergo humores, & spiritus faciant ad integritatem corporis sanguinei, biliosi, viui, & spiritosi, merito videtur dicendum hos humores anima informari, non quod opus sit vt nutriantur, vt generent, vt augeantur, vt sentiant, vt intelligant in homine, &c. sed quod suo modo subsistant, & viuant in corpore animato, nisi enim viuerent aliquo modo, & suo modo corrumperentur, & desinerent esse.

Dicendum est ergo, quod viuant suo modo, & ab anima intellectiua in homine informentur, non vt intellectiua est, nec vt sensitiua, sed vt vegetatiua.

Primo. Quia sunt necessarij ad naturæ animatæ integritatem, non essentialem, quia non sunt materia, & forma, nec integrantem, quia non sunt membra, sed ad seruandam vitam, [sicut etiam sunt necessariæ quatuor qualitates elementares, quæ subsistunt, & informantur forma mixti, vnde non seruant vitam, vt externa, sicut cibus, potus, & aer, sed vt partes viuentis, & ideo vt viuæ.

Secundo. Quia hi humores mouentur in corpore viuo, non vt instrumenta separata, cum sic posset esse corpus sine ipsis, sed vt instrumenta coniuncta, vnde calor naturalis concoquit cibum, & sanguis calefacit per animam ab intrinseco, & alit, & ex eo spiritus efformantur.

Tertio. Quia sic frustra non multiplicamus formas, nec supposita, vel vnitatem diuidimus.

Ad primum dicitur, quod procedit de corpore animato, vt totum, nos loquimur, quod in toto corpore animato sanguis est eius pars animata, & non inanimata, modo tamen explicato.

Ad secundum dicitur, quod Concilium considerat duas esse consecrationes. Vnam panis in corpus Christi, & aliam vini in sanguinem. Dicit ergo, quod dum panem consecrat, & conficit corpus Christi est etiam ibi sanguis per naturalem concomitantiam, quia illud est corpus viuum, quod non potest esse sine sanguine, (vnde argumentum est pro nobis) & ita dum consecrat Sacerdos vinum, est ibi corpus per concomitantiam, quia intelligitur esse sanguis in venis, vnde consecrationes distinguuntur solum ex vi verborum, quia alia, & alia sunt verba, quibus fiunt seorsum istæ consecrationes.

Ad tertium dicitur, Arist. negare sanguinem esse partem essentialem, & integralem, membralem, non integralem viuentem, & conseruantem.

QVAESTIO L.

An lac viuat.

Videtur quod lac non viuat. Nam lac non est nisi sanguis menstruus defecatus. At menstruum non viuit, nec ad integritatem naturæ facit, cum expellatur, inficiat, ac noceat. Ergo nec lac viuit.

Secundo. Si viueret, ad integritatem naturæ faceret. Hoc falsum, cum non sit nisi in patientibus. Ergo &c.

Tertio. Lac specie distinguitur à sanguine, vt tenet Vallesius lib. 1. controuersiarum, cap. 22. Thomas à Vega lib. 6. Galeni, de locis affectis sect. 4. & alij. At sanguis secundum supradicta viuit. Ergo non lac.

In contrarium tamen probatur. Primo. Lac

viuere

viuere suo modo. Quod augetur, viuit per Aristot.2.de Anima. Lac augetur, vt patet. Ergo viuit.

Secundo. Quæ sunt eiusdem naturæ, & speciei, quod de vno dicitur, de alio non negatur. Lac, & sanguis sunt eiusdem speciei. Ergo. Probatur minor, ex Arist.4. de generat. animal.cap.8. vbi appellat lac sanguinem bene concoctum, & non corruptum, vt dixit Empedocles. Et cum Arist. sunt Auicenna, Albertus Magnus, Abulensis, Mattiolus, Clemens Alexandrinus, lib.1.Pędagogi. Fauonius apud Gellium, lib.12. noctium Atticarum, & alij plures.

Ad primum ergo. Primo dicimus ad maiorem, verum esse lac esse sanguinem defecatum, vt tradunt Arist. lib.4. de generat. animalium, cap.8. Albertus Magnus lib. 18.de animalibus, cap.7. S.D. 10.cap.Iob. quare post cōceptum deficit menstruum, quia fętus ex eo alitur, & coagumētatur, non vt est in sua feculentia, & sorditate, sed vt aliquo modo deputatur, aliter fętū interficeret. Post partū vero lac efficitur, cum prius fuerit decoctum, & candore, & dulcedine, alijsque affectionibus lactis imbibitum, sed post secundum conceptum iterum ad sustentationem noui fœtus deficit, nisi mulier multo sanguine abundet, quod tamen lac est infectum, & ideo de facili infantem vbera suggentem, vel infirmat, vel occidit. Dicimus ergo, quod ex eo quod menstruum non est amplius menstruum, sed sanguis defecatus, & sanguis viuit, & lac viuere potest, eo modo quo lacti, sanguini, immo capillis, & vnguibus vita conuenit, vt diximus 2. de Anima, proportione.

Secundo. Dicimus ad minorem non esse inconueniens affirmare menstruum viuere suo modo, quia nos tenemus ea quæ non viuunt, nec crescere, nec corrumpi ab intrinseco, vt patet in lapidibus, sicut corrumpuntur sanguis menstruum, & alij humores, nisi per animam viuificantem conseruentur.

Ad secundum. Primo dicimus ad maiorem, quod facit ad integritatem naturæ non absolute, quia sine eo sunt homines, & virgines, ceteræque non parturientes, sed vt est in tali statu, quia lactans lac facit. Secundo dico ad minorem, quod solum lactantes lac emittant bifariam intelligi potest. Primo regulariter, & hoc verū est in fœminis post partum, & parum ante partum. Secundo, extraordinarie, & ratione aliqua particulari, & sic potest etiā reperiri in quibusdam hominibus, & capris, de quibus Arist.in prob sec.10.prob. 6. sic scribit. Vbera etiam caprarum, quæ coitum non patiuntur, pastores montis Oetæ vrtica perfricant vehementer, vt dolorem instigant. Itaque primum cruentum humorem eliciunt, mox purulētum, postremo lac non minus, quam ex ijs quæ concipiunt. Maribus magna ex parte, nec bestijs, nec hominibus gignitur lac, fieri tamē potest, vt in aliquibus interdum gignatur. Nam & in Lemno Insula capro ex mammis quas geminas gerit, tantum lactis emulgebatur, vt colostra inde conficerent. Quod etiam idem proli masculinæ capri illius euenisse accepimus. Sed hæc ostentis annumeranda potius ducunt. Sic 3. lib. de hist. animalium c.20. dixit.

Ad tertium negatur assumptum, quamuis enim Doctores citati teneant lac, & sanguinem specie differre, tamen Auicenna Alb. Magnus, Abulensis, & Mattiolus oppositum defendunt, & probant esse vnius speciei, vnde dicunt lac esse sanguinem secundum substantiam, variato duntaxat colore à vehementi spiritu. Ideo dicitur Arist. dicere lac esse sanguinem, interpretantur non formaliter, sed causaliter, quia fit ex sanguine. Sed possumus etiam tenere lac, & sanguinem specie differre, cum per calorem fiat alteratio, & consequenter mutatio vnius in aliud, quoniam finis alterationis est noua generatio, & certe lac, & sanguinis non solum colore, sed etiam substantia dicuntur differre, vnde quædam sunt proprietates sanguini, quæ non sunt lacti, & quædam in veteri lege prohibita sunt de sanguine, quæ non sunt vetita de lacte. Ad argumentum ergo dicitur, quod viuere non est prædicatum specificum, quod solum sanguini competat, sed genericum, quod multis rebus etiam genere distinctis subalterno attribuitur, vt plantis, hominibus, ac brutis.

Nota autem hic vnum.s.lac maxime operari in puerum illud bibens, adeo vt ei præbeat sanitatem, infirmitatem, mores, & vitia lactentis. De qua re vide Iustinum lib.44. suæ hist. Fauonium apud Gellium lib.12.

lib.12. noct. Attic. cap.1. & Collumelam lib.7. de re rustica,& Plutarchum de educandis liberis.

QVÆSTIO LI.

An semen viuat.

Videtur quod non. Primo. Illud quod est viuenti superfluum viuere non dicitur,cum sit superfluum vitæ,& viuētis. At semen est de superfluo alimenti,secundum Arist.lib.1.de gener.animalium,cap. 17. & 18. Pythagoram teste Plutarcho, lib.5.de placitis Phil. cap.3. Galenum lib. 2.de sem.cap.4. D.Tho.p.p.q.119.art.vlt. Albertum Magnum, & alios. Ergo non viuit.

Secundo. Vel haberet eandem animam cum toto,si viueret,aut aliam sibi singularem. Si primum,necessariam haberet continuationem cum toto,quod non est. Si secundum,esset perfectum animal, & viuens, quod est falsum.

Tertio. Omne viuens nutritur. At semen non nutritur,cum non augeatur, nisi solo accessu, & appositione partium absque attractione, & conuersione. Ergo non viuit.

Quarto. Patet semina herbarum, & stirpium domi seruata, vita non frui, cum non nutriantur,& tamen sunt vera semina, cum si serantur, herbas, & stirpes gignant.

Circa præsentem difficultatem sunt tres opiniones. Prima negat semen viuere. Quæ attribuitur Aristot.2.de Anima,tex. 10.& 2.de generat.animalium, cap.1.Scoto 4.dist.44.q.1.Alberto Magno p.2.summæ de homine, immo & S.D.& Ferr.2. contra Gentes,c.89.& 57. & alijs multis.

Secunda docet semen viuere. Sic Plato in Timeo, Themistius 1. de anima, cap.21. Galenus lib.de Marasmo, cap.5.Reramatus lib. de semine, Vallesius lib 2.controuersiarum cap.9. Theophilus Zimara lib. 2.de Anima, tex.43. & alij.

Tertia opinio est Conimbr. 1.de gener. cap. 4.q.26. quod.s.semen non viuat actu, sed potentia, quia & si dum est sub forma seminis non habeat animam, habet tamen proximam potentiam, vt animetur,vnde dicitur, sicut sulphur potestate dicitur ignis, quia de facili ignescit, sic semen dicitur viuere, quia aptum natum est animam informari.

Dicendum igitur venit cum Ferr.2. contra Gentes, cap.89. & S. D. ibi male citati à Conimbr.quod in semine duo sunt. Primum est materia corpulenta, & ratione huius dicitur viuere tantum potestate,& non actu. Secundum sunt spiritus vitales,qui sunt in semine tamquam in instrumento coniuncto generationis, & sic dicitur viuere, & in se continere animam vegetatiuam, & sensitiuam.

Hoc autē intellige, non quod eas contineat, vt sunt in subsistente genito,sed eo modo quo possunt esse in instrumento suo.

Aliud ergo est dicere, quod semen non viuat aliquo modo,& aliud quod non viuat anima vegetatiua, & sensitiua seorsum informante. Secundum enim admittimus, sed primum negamus.

Conclusio ergo est. Semen dicitur viuere suo modo. Probatur. Primo. Nullum agens conuertere potest vllam substantiā in rem viuentem, nisi prius viuat, sicut sanguis non conuertitur in partem rei viuentis, nisi à viuente alteretur, & decoquatur. Sed semen generat rem viuentem. Ergo viuit.

Respondent Conimb. quod maior est vera de agente principali,semen vero in generatione concurrit vt instrumentum.

Sed hæc responsio non satisfacit, quia argumentum id probat etiam de instrumento coniuncto,quale est semen,& hoc à simili per concoctionem caloris naturalis instrumentaliter cōcurrentis.Oportet enim instrumentum coniunctum operari per virtutem sibi inherentem.

Secundo. Semina stirpium seminata nutriuntur,& augentur. Ergo viuunt, ista enim sunt vitæ indicia.

Respondent hoc esse verum de seminibus, quæ etiam sunt fructus,quia fructus sunt, non vero esse verum de seminibus animalium, quæ non dicuntur fructus.

Sed opponitur. Primo, viuere dicit perfectionem. Ergo non negabitur in semine magis perfecto, vt est illud, quod est animalium. Secundo. Quia esse fructus, vel non,non facit ad rem,quia modus non variat rei naturam. Videmus enim ex semine animalis animal fieri,sicut etiam ex semine plantæ plantam.

Tertio. Semen mouet materiam ad fætum,

&

& mouetur per spiritus vitales in eo existentes, quæ sunt indicia vitæ. Ergo viuit.

Ad primum dicitur, quod semen non est superfluum, vt inutile, sed quia remanet ex cibo, & alimento, vnde non dicitur superfluum, vt superfluum significat vanum, sed vt denotat superabundans, quia superabundat nutrimento.

Ad secundum dicitur, quod habet animam eius à quo decisum est, non vt suppositum subsistens, sed vt instrumentum generantis, ad generandum sibi simile in specie.

Ad tertium dicitur, quod non solum, quod nutritur viuit, nam anima non nutritur, & viuit, sed etiam quod est instrumentum coniunctum, vel nutritionis, vel generationis, vt est semen dicitur viuere.

Ad quartum, quod est Conimb. & pugnans cum eorum doctrina in responsione ad secundum dicitur, quod illa semina viuunt, quia in se habent spiritus generantis aptos ad generandum, quamuis sint semina decisa, hoc enim non inconuenit in habentibus animam vegetatiuam, & patientibus extensionem, vt arbores, & herbæ.

QVÆSTIO LII.

An in semine sit virtus formatiua, & generatiua.

Videtur quod non. Primo. Mulier verum semen habet, & emittit ad generationem, vt tenent Galenus lib. 2. de semine, cap. 4. Fernelius lib. 7. suæ Physiologiæ cap. 6. Vesalius lib. 6. de fabrica corporis humani, & alij plures. At mulier tantum passiue ad generationem concurrit, vt docet S.D. 3. p. quæst. 32. art. 4. cum Caietano, ac alijs, & nos defensauimus in 8. Metaphys. Ergo in semine non est virtus generatiua, & formatiua.

Secundo. Virtus necessaria ad formationem videtur debere manere in re, quæ semper formatur vsque ad obitum, vt est animal. At virtus seminis non semper manet in re genita, aliter membra præcisa possent iterum regenerari, & in priorē formam restitui, quod est falsum. Ergo in semine non est virtus formatrix.

Tertio. Mirabile est, quod semen sordidum tantam excellentiam præseferat, vt possit hominem creaturam tam nobilem formare, delineare, & partes eius in situ, cauitate, connexu, & ordine ad cuiusque vsum, ac dignitatem componere. Ergo.

In hac re fuerunt multæ opiniones etiam superius aliqualiter tactæ, & in Metaphy. disputatæ. Quidam enim apud Lactantium lib. de opificio Dei, & Trismegistū lib. de potest. & sapientia Dei Dialog. 5. negauerunt structuram corporum, & eius artificium mirabile, esse opus seminis, vel generantis, vel naturæ, vnde illud cuidam nobiliori principio attribuerunt.

Hinc etiam Arabes in hanc sententiam deuenerunt, vt formatricem virtutem viuentium quid diuinum appellauerint. Galenus pariter lib. de formatione fætus animę mundi corporum formationem adscribit, & si videatur sibi circa corporum villium structuram non occupari, vt in effingendis muschis, culicibus, formicis, & similibus.

Sed contra hos omnes stat. Primo, quod effectus proprius, propriam causam sibi vendicat. Corpora autem sicut sunt in proprijs speciebus, ita etiam debent habere proprias suas causas secundum speciem. Secundo. Quia magis splendet Dei magnificentia, sapientia, & bonitas, vt ipse omnia ordinet, & per secundas causas, tāquam per ministros suos, & quod vnicuique proprium est illis tribuat. Tertio. Quia Deus vt perfectissimus, & omnipotens, si omnia viuentia per se immediate produceret, numquam eius actio posset impedimentum, vel defectum sortiri, quod tamen aliud euenire ostendunt tot portenta, defectus, & monstra.

Dicendum est ergo, quod in semine est duplex virtus. Prima dicitur generatiua, quia se tenet vt instrumentum coniunctum generantis ad generandum. Nam causa principalis generationis, & effectiua est generans ipsum, at agens principale dum agit, per instrumentum agere oportet, vel per aliam causam immediatiorem, & sic generans generat per semen tamquam per causam instrumentalem. Sicut autem concurrit ad generandum, ita etiam præsto est ad formandum fætum, quia quo ad vtrumque est instrumentum generantis, intendentis sic sibi facere simile. Adiuuatur à colore etiam cæli, & præcipue Solis, quia Sol, &

homo generant hominem.

Ad primum concesso, quod mulier passiue tantum concurrat ad generationem, & solum actiue ad, subministrandam materiam ad fœtum, dicimus, quod virtus generatiua, & formatiua est duplex. Prima dicitur actiua, & ista mari attribuitur. Secunda passiua, & hæc fœminæ datur. Ad actionem enim, vt in proposito ad generationem, & formationem fœtus non solum concurrit semen viri, sed etiam mulieris (si facit semen, quod sit proprium semen) sed vnum est actiuum, aliud passiuum, & vnumquodque suo modo concurrit.

Ad secundum primo negatur maior, quando iam adepta est terminum suum, tunc enim prior actio cessat formaliter, & ideo semen postquam fœtum formauit, cessat. Secundo dicitur ad minorem, quod manere in re genita stat dupliciter. Primo, vt dicebam formaliter, & numero vna, & sic non manet, quia iam expleuit, quod suum erat. Secundo, virtualiter, & specifice, & sic manet, quia virtus seminatiua geniti, non est numero eadem, cum virtute seminatiua patris, sed bene specie, quia est eiusdem causalitatis.

Ad tertium dicitur, hoc non esse mirabile nisi vt est Dei opus, qui sic elegit facere p hanc causam. Naturaliter autem pensamus semen non in se, vt est materia fœtida, sed vt est virtus generantis.

QVÆSTIO LIII.

An fœtus formetur ossibus, neruis, & carne ex materia seminis.

Videtur quod non. Ex Arist. lib. 1. de generatione anim. cap. 20. & lib. 2. cap. 3. vbi docet materiam ex qua fœtus formatur esse sanguinem fœmineum, semenq. viri concurrere tantum actiue, ad constituendum fœtum, & efformandum, quod cum expleuerit, in spiritum, & flatum euanescit, nec partem aliquam eius abire in substantiam rei genitæ.

In contrarium est Hippocrates cum Schola medicorum dicentium masculinum, & fœmininum semen in materiam fœtus transire, & ex semine ossa fieri, & ex sanguine attracto partes carnosas, quia sicut ossa post animationem, & formationem fœtus nutriuntur ex sanguine in medullam conuerso, quæ est spissior, & densior sanguine, ita videtur rationabile, quod ex compactiori, & densiori materia seminis ossa fiant, & ex tenuiori, scilicet ex sanguine, partes carneæ.

Fernelius lib. de hominis procreatione cap. 15. conatur has duas opiniones conciliare dicendo, cum S. D 2. contra Gentes cap. 57. & 89. cum Ferrar. sicut etiam supra notauimus, quod in semine quædam sunt partes densæ, & concretæ substantiæ, & aliæ tenuiores, & magis spiritosæ, & quod in illis secundis est vis formatrix fœtus, & in primis compositio ossium, & cum sanguine mulieris carnium, & neruorum. Primas ergo voluit Arist. euanescere, illos spiritus residentes in semine, non vero materiam seminis ex qua quasi ex debili fundamẽto formatur fœtus. Hoc enim asseruit idem Arist. lib. 2. de generat. animalium cap. 4. dum affirmat ossa in prima sui constitutione gigni è residuo seminis, & paulo post neruos eodem pacto quo ossa, scilicet ex eodem seminis recremento. Et potest sustineri ista conciliatio notando solum, quod dum spiritus seminales dicuntur abire, hoc intelligitur in genere entis, quia terminauerunt suam actionem, non vero in genere efficientis virtualis, quia eorum primeua virtute, fœtus generatur, & formatur, cum omnibus partibus suis.

Colligas autem, ista hic.

Primum, quod quædam animalia generantur ex semine, & quædam sine semine, vt quæ nascuntur ex putri materia, cuiusmodi volunt inter aquatilia anguillas, & inter terrestria lumbricos, & alia similia. De primis loquimur, nam secunda nec semen pro principio habet, nec sanguinem, cum eo careant, vnde pro materia habent concretionem quandam terream, & aqueam, & pro causa effectiua virtutem elementarem, & cælestem.

Secundum est, quod quædam sunt animalia, quæ sanguine aluntur, vt omnia sanguinea. Alia vero sunt exanguia de quibus Arist. 4. de hist. animalium cap. 1. Prima habent semen viri, & sanguinem mulieris pro principijs formatiuis. Secunda nequaquam, sed aliquid sibi correspondens pro sanguine, & semine.

Tertium est, quod sanguis matris quo fœ-

tum

fum alit non est omnino impurus, & incoctus sicut videtur menstruum, sed est concoctus, & defecatus, vt debilis fœtus eo ali possit. Dicitur autem sanguis menstruus, quia menstruum sanguinem habet pro materia, cum id sit, quod concoquitur, & depurgatur.

Quartum est, quod S. D. quæst. 3. de pot. art. 9. ad 16. & p. p. quæst. 118. art. 1. & 2. contra Gentes c. 89. cum Ferrar. tradit, quod duo pensantur in formatione fœtus. Primum est materiale, idest materia seminis habens in se eius virtutem formatiuam, & primo dispositiuam ad animam vegetantem, deinde sentientem, & in homine tandem intelligentem. Secundum est effectiuum, & formale, scilicet virtus animæ non geniti, sed generantis, quæ intelligitur esse in semine; vt in suo instrumento ad generandum sibi simile in specie, vnde non est opus, quod dum semen disponit, verbi gratia respectu hominis ad formam plantæ, quod ea adueniente corrumpatur corruptione perfectiua, remanet enim semper vt instrumentum generantis quousque attingat vnionem eiusdem formæ specifice cum generante.

Quintum est, quod omnia quæ animam antecedunt eius comparatione, vt præparationes, & dispositiones se habent. Nec mirum, quod longo tempore introductio animæ deferatur, quoniam natura solet in tempore operari, alterando, & in instanti generando.

Ad argumentum ergo patet, quomodo concilientur diuersa dicta Arist.

QVÆSTIO LIIII.

An in quatuor anni temporibus sit temperamentum.

Videtur quod non. Nam in temperie non accidunt infirmitates, cum hæ sint ex intemperie. At in vere plures sunt infirmitates secundũ Hippocratẽ 3. Aphor. 20. & Arist. sec. 1. Problematum 27. & multo magis in Autumno. Aestas autem nimis calida est, & sicca, & Hyems frigida, & sicca. Ergo in quatuor anni temporibus non est temperamentum.

De quatuor principalibus anni temporibus multa diximus in nostro vniuerso cælesti, ideo breuibus hic de his quædam adiungemus.

Primum, quod ista quatuor tempora sic se habent: Ver calidum, & humidum. Aestas calida, & sicca. Autumnus siccus, & frigidus, Hyems frigida, & humida.

Secundum, quod ista patiuntur latitudinem secundum quod appropinquant vni tempori, vnde ver ex ea parte qua est Hyemi propinquum magis est frigidum, quam secundum eam partem, secundum quam coniungitur æstati; & siccum magis tunc, quam dum erat coniunctum Hyemi, & ita applica ad alia tempora.

Tertium est, quod causæ varietatis quatuor temporum anni sunt istæ. Effectiua prima est motus Solis sub Zodiaco, quia secundum, quod a nobis se elongat, vel non, & percutit terram radijs directis, vel obliquis maiorem calorem excitat, vel minorem, vt suo loco docuimus. Materialis est diuersitas suscipientium, quæ in vno tempore magis, quam in alio aptã nata sunt alterari. Formalis est lux ipsa, & alij astrorum influxus, qui secundum quod agunt in inferiora, & etiam disponunt, actuant, mutant, & variant. Finalis prima est mundi commoditas. Nam Autumnus apta redditur ad semina, ex sua temperie, & humiditate. Hyems ad mortificanda semina, vt firmius terræ adhereant, ac robustius radices emittãt. Ver ad ortum, fœtum, plantationem, & floritionem, fructuumque preparationem, & Autumnus in sui initio ad fructuum collectionem. Prout cecinit Boetius 4. de consolat. Phil. Meteor.

Iisdem causis vere tepenti.
Spirat florifer annus odores,
Aestas Cererem feruida siccat.
Remeat pomis grauis Autumnus,
Hyemem defluus irrigat imber
Hæc temperies alit, ac profert
Quidquid vitam spirat in orbe
Eadem rapiens condit, & aufert,
Obitu mergens, orta supremo.

Secunda commoditas est leuatio fastidij, nam sicut alternatio diei, & noctis, lucis, & tenebrarum, ita quaternæ vices temporum ad mitiganda vitæ tedia, vt vicissitudo in ceteris fere rebus afferre solet, non parum conferunt.

Tertia est pulchritudo consurgens ex varietate, & diuersitate temporum, vide D. Ambrosium lib. de Noe, & Archa cap. 13.

Ad argumẽtum dicitur, quod ver sit intempera-

peratum stat dupliciter. Primo, per se, & sic est falsum, nam ait Hippocrates ver saluberrimum est, & in bene sanis corporibus raro, ac minus periculosos morbos excitat. Secundo, per aliud, inquantum humores malos in corpore insalubri latentes mouet, & sic ægritudinem latentem ad effectum suū manifestum portat. Autumnus etiam temperie aeris solet esse iocundus, & sanus per se, sed propter elongationem Solis à nobis solet calorem naturalem debilitare, & humores malos in æstate ex cibo, & potu inordinato genitos alterare, & sic ægritudinem causare. Aestas vero, & hyems non sunt tempora temperata nisi in suo ordine, vnde datur hiems temperatus, & intemperatus in sua ordinaria dispositione, & ita dic de Aestate.

QVÆSTIO LV.

An detur temperamentum pro fætu in vtero matris adhuc constituto.

Videtur quod non. Nam vel hoc temperamentum erit à cælo, vel à parentibus. Non à cælo, quia vel erit causatus ab eo pro tempore receptionis seminis in matrice, vel pro tempore organizationis. Nullum horum, quia dispositio cæli varia est, in his temporibus variatis, nam in receptione seminis Sol est in vno signo, & hora organizationis in alio, & ita dicendo de Luna, ac alijs Planetis. Non à parentibus, quia pater potest esse diuersæ complexionis à matre, & a puero. Ergo in fætu nullum est temperamentum pensandum, & considerandum.

Respondetur, quod in fætu, qui viuere debeat, temperamentum desideratur. Hoc autem pensandū venit ex eius causis componentibus. Prima igitur eius causa est materialis, idest semen, vt est materia concreta. Semen ergo per actum pollutionis à generante deciditur, & in loco conceptionis dispergitur, & tunc vi naturæ attractiua in cellulis matricis recolligitur, & tunc per calorem fit commistio vtriusque seminis, & temperamentum. Semen enim maris est spissum, & calidum, mulieris vero tenue, & frigidum, quare semen ex sua spissitudine non posset se dilatare, nisi semen mulieris illum mollificaret, & dilataret, nec posset esse propter magnū suum calorem materia stabilis, nisi frigiditate seminis mulieris tepesceret, & sic temperaretur. Potest autem hæc commixtio recipi in cellula dextera matricis, vel in sinistra, quod si cadit in dextera mas fiet, quia magis calor abundat in dextera, quam in sinistra, & ita post organizationem magis partem dexteram si est mas pulsat, quam sinistram. Quod ergo mas sit oritur. Primo, ex syderibus, ventis, cibis, & alijs de quibus supra. Secundo, ex loco receptionis seminis. Et tertio ex virtute generantis, quia si pater præualet in virtute fit mas, & magis patri assimilatur, & si mater, erit fœmina, ei magis similis. Post receptionem materiæ fætus in loco suo per calorem concoquitur, & quadam tenuissima pellicula circundatur, & intra hanc veluti lac per calorem quasi per ignem coagulatur. Hæc autem pellicula qua puer in vtero tegitur, in ortu cum ipso egreditur, tenaculis ruptis quibus matricis villulis adherebat, quod si in vtero manserit, mater in periculo erit.

Postquam igitur illa materia fuit recepta, & ui caloris coadunata, natura ad illam sanguinem menstruum defecatum transmittit, vt pro alimento, & augmento ei inseruiat.

Causa ergo effectiua coadunationis, nutrimenti, & augmenti calori naturali attribuitur. Quare de seminis materia secundum aliquos format ossa, cerebrum, cartilagines, pelliculas, neruos, & arterias. De menstruo format hepar, & omnia membra carnosa, quorum substantia ex sanguine procreatur. Natura autem hoc ordine procedit, vt primo principalia mēbra formet, cor, hepar, & cerebrū, quæ dum in massa sanguinis sunt sibi vicinantur, deinde diuiduntur, & dum fætus formatur, vnumquodque horum suum locum petit. His stabilitis fundamentaliter, natura deducit ex corde artherias, ex hepate venas, & ex cerebro neruos, & nucham dorsi. Deinceps ne lædantur, singulis dat ossa sua ad sui custodiam. Ad defensionem cordis costas pectoris, ad defensionem hepatis costas lateris, & ad tutelam cerebri cranium præstat. Hippocrates ergo vult, quod infans in vtero formetur quatuor gradibus. Primus est quasi

quasi lac,& in hoc stat p sex dies. Secūdus est cōmixtionis seminis, & sāguinis,& in hoc est per nouem dies, & hic gradus ab Hippocrate vocatur fætus,in quo cor,hepar, & cerebrum sunt indistincta solum, commassata in sanguine. Tertius est formationis cordis, hepatis, & cerebri, non adhuc aliorum membrorum, & hic vocatur massæ carneæ, & durat per 12. dies. Quartus est organizationis, & viuificationis, quia incipit se mouere, & dicitur infans, & in hoc perdurat per decem octo dies, ante plenam perfectionem; vnde versus.

Sex in lacte dies, ter sunt in sanguine trins

Bis seni carnem, tersens membra figurant.

Itaque à die conceptionis, vsque ad diem completionis,& viuificationis fætus percurrunt dies 46. Notant autem quidam naturales,quod masculus, qui in mense octauo est nasciturus 30.diebus formatur, & 70.completur,& masculus 10. mensiū, idest tangens de decem mensibus 46. diebus formatur, & in 90. completur, & hic est fortis, & bene temperatus, diuturnæ vitæ, & sine periculo nascitur. Masculus vero 9.mensium 40. diebus formatur, & in 80. completur. Mulier vero tardius formatur, & completur, quia eius semen ex quo formatur, est minus calidum, & forte. Causa vero eius formalis est ordo generationis,& formationis,vt supra notatum est.

Ad argumentum ergo dicimus,hoc temperamentum esse à cælo, & à parentibus. A cælo vt à prima causa, à parentibus,vt à proxima. A cælo autem est, & tempore conceptionis, & tempore organizationis,& ortus. Tempore conceptionis fundamentaliter, est enim tamquam arboris plantatio, tempore organizationis initiatiue ad omnes operationes, sicut fit in arbore de nouo inserta, anima enim secundum quod materiam conceptam inuenit, sic eam informat, vt eius forma, & operari facit. Tempore vero natiuitatis, vt in vltimo statu ad operandum, sicut arbor dum maturos dat fructus, eos tales tribuit, quales fecit. Est etiam à parentibus,quia eorum temperamentum non est pensandum, vt est in ipsis, sed vt in tertio conuenire potest.

QVÆSTIO LVI.

An aliud temperamentum habeat animal in ascensu periodi vitæ, ab eo quod habet in descensu.

Videtur quod non. Nam quod conuenit alicui per se, semper ei conuenit, per Arist. 1.Post. cap.4. Sed temperamentum animalis ei conuenit per se. Ergo semper. Probatur minor. Primo,quia hoc temperamentum non est nisi mixtio, cōstituens mixtum, semper autem sicut est mixtio, quamdiu mixtū viuit, ita etiam erit mixtum. Secundo, quia ab intrinseco ei conuenit. Et tertio,quia sic sequeretur, quod non esset idem qualificatiue,cum fiat mutatio in eo qualitatum.

In contrarium sunt omnes Astrologi dicentes pueritiam esse admodum calidam, & ideo pueros multum crescere. Et humidam. Primo, quia modo ex sanguine, & semine humidis coaluere. Secundo, quia tactui molliores se reddunt. Tertio, quia magis somnolenti, somnus autem ex magna vaporum, & humiditatum concitatione fit. Quarto,quia parum intellectu vigent, quoniam humores, quasi nebula sensus interiores offuscant.

Similiter dicunt iuuentutem esse humidam, non tamen vt pueritiam, vnde iuuenes fiunt robustiores, & supra pedes firmiores. Et calidam,vel æque, vt in pueris,secundum aliquos,vel magis,vt mihi placet quia iuuenes magis feruent in libidine, plus sanguinis acquirunt,maiorem efficaciam spirituum adipiscūtur,fortiores sunt ad cibum solidum concoquendum, & digerendum, & etiam magis crescunt.

Virilitatem affirmant esse temperatam, vnde conseruat hominem in eadem mensura altitudinis, nec eum amplius crescere facit,& vsque ad hunc terminum extendunt ascensum periodi, quia post virilitatem fit descensus ad senectutem, quæ est frigida, vt testatur artuum tremor,& totius corporis debilitatio, ac curuitas, quæ ex defectu caloris proueniunt, non valentis membra sustinere,& in altum erigere.Est etiam sicca, vt ariditas pellis demonstrat. Ex senectute autem fit vlterius descensus ad decrepitatem frigidissimam,& maxime siccam,& sic vsque ad mortem.Patet ergo quod

quod varia sunt temperamenta, & variata secundum quod ætates variantur. Sed fundamentum est in infante, ideo de eo dicamus. De infante ergo dicimus.

Primo, quod dum est in vtero matris, & calcibus eius ventrem pulsat, venit, quia obuolutum se inuenit in pellicula, & ideo vellet si posset eam rumpere, & exire.

Secundo, quod dolores in matre causat, dum eum parturire contendit, propterea quod ab ea se separat, & portas eius angustas aperit, & tãto acriores dat dolores, quanto minus est fœtus maturus. Difficilius enim tunc a matre separatur, sicut experientia docet in arborum fructibus, qui si sunt maturi de facili cadunt, & si non, nisi vi adhibita se separant.

Tertio. Quod vagit, & plorat, quia venit ad aerem nimis frigidum, vel calidum, & aeris iniurijs se percipit expositum, & omni contrario offenditur, & multum, quia habet carnem humidam, & tenellam.

Quarto. Quod ideo, quia nimis delicatus est, indiget diuersis fomentis, & præseruatiuis, vnde quidam sic dicunt. Infantes exeuntes, in rosis cum sale tritis inuoluantur, vt eorum membra confortentur, & à viscosa humiditate liberentur. Deinde palatum, & gingiuæ, cum digito melle vncto fricentur, vt interiora oris mundificentur, & confortentur, & vt dulcedine, acumine mellis appetitus infantuli prouocetur. Frequenter balneetur, cum oleo mirrino, aut rosaceo vngatur, omnia membra præcipue masculorum fricentur, ad hoc vt faciant membra duriora. Somnus eis in loco obscuro prouocetur, vt lumen ipsorum coadiuuetur, lucidus enim locus nimis visum dispergit, & tenellos adhuc oculos lædit, & sæpius luscos facit, & ideo non sunt nimis lucido aeri exponendi, ne spiritus visibilis disgregetur.

Quinto. Omnino cauendum est ne malo lacte, & corrupto nutrimento nutriantur, quia ex viscoso lacte nutriti, pessimas solent incurrere passiones, sicut oris vlcerationem, vomitum, febrem, spasmum, ventris solutionem, & huiusmodi. Nec infantulis medicina datur, sed nutrici, vt sic infantis defectum in sua ægritudine, suppleat virtus gerulæ nutricis. Satagendum est ergo, vt lac sit bonum, quia ex bono nutrimento, optimum fit temperamentũ.

Sexto. Infantis membra fascijs, ac alijs ligaminibus ligantur, quia cum corpus pueri tenerrimum sit, ad diuersarum figurarum susceptionem redditur promptum, & flexibile, & ideo ligantur, ne torta efficiantur, seu aliquo modo deformentur.

Septimo. Relinquendi sunt multum dormire, quia cum multum nutrimenti suscipiant, somno multo indigent, vt calor naturalis ad interiora reuocetur, & ad nutrimentum ipsorum digerendum confortetur, & ideo in cunabulis ponuntur, & hinc, inde leuiter impelluntur, vt ex motu temperato, calor confortetur, & somnus per fumositatum resolutionem in infantis cerebro prouocetur, & cantus adiungitur, vt sensus infantuli ex dulcedine vocis delectentur.

Octauo. Tradit Arist. in infantibus cerebrum abundare, vnde superior pars, quæ est capitis ponderosior fit, quare tũc nõ sup pedes, sed sup manus uadit, & deinde paulatim sui corpus erigit, quia pars anterior diminuitur, & leuior redditur, pars vero inferior crescit, & grauior efficitur. Hoc igitur temperamentum pueri est veluti radix, & seminarium omnium aliorum temperamentorum, & ideo considerandum.

Ad argumentum dicitur, quod conuenire alicui per se stat dupliciter. Primo indiuisibiliter, & tale nullam patitur variationem. Secundo, cum quadam latitudine, & variatione accidentali, & tale potest pati multas diuersitates. Ille ergo qui nascitur naturæ sanguineæ, vel alterius sentiet multas varietates accidentales, sed non essentiales, quia semper declinabit ad naturam sanguineam magis, vel minus pro diuersitate ætatum.

QVÆSTIO LVII.

An bonum temperamentum pendeat etiam ab aere, exercitatione, quiete, cibo, potu, vigilia.

Videtur quod non. Nam temperamentum est mixtio qualitatum. Sed aer, exercitatio, &c. non sunt qualitates. Ergo nec faciunt ad temperamentum.

Respondetur tamen affirmatiue, quod bona temperies, & sanitas animalis, & singulariter hominis, pendet ab aere, exercitio,

quiete,

quiete, cibo, potu, vigilia, & somno, iuxta commune placitum omnium Astrologorum, & Medicorum, & ideo de his omnibus quædam breuia dicemus.

Quo ad aerem ergo.

Primo dico, quod secundum se multa habet. Primo enim sua natura est calidus, & humidus, & magis calidus in ea parte qua spheræ ignis appropinquat, quam in ea parte, quę interiacet inter aerem, terram, & aquam tegentem. Et ita magis est humidus in ea parte, quæ aquæ coniungitur, quam in alia.

Secundo, cum sit diaphanus, subtilis, & purus vndique est transparens, & lucidus, quapropter cito cælestes influxus recipit, & lucem Solis diffundit.

Tertio est habitaculum omnium volatilium cæli, & omnium animalium receptaculum.

Quarto est respirationis, & expirationis instrumentum, vnde sine aere nulla creatura quæ expiret, & respiret viuere potest.

Quinto, Ad propositum nostrum cum per respirationem ad interiores partes trahatur, si bonus erit aer, bonam valetudinem causabit, si malus, ægritudines tentabit. Duplex autem potest esse bonitas, & malitia aeris. Prima connaturalis, vnde si aer clarus, lucidus, & purus fuerit, præstabit humores lucidos, claros, puros, & sanos. Si fuerit turbidus, & nebulosus, faciet humores turbidos, spiritus grossos, ac infectos. Attractus enim cordi à pulmone, per cor toti corpori præbet temperamentum, quapropter maxime corpus immutat, & ad interiora spirituum ingreditur, & cum eorum substantia miscetur, & sic præbet corpori vitam. Quare qui vitam in bono, ac puro aere degunt, ingeniosi, subtiles, fortes, & robusti euadunt, & sani, & econtrario pigri sunt, somnolenti, stolidi, debiles, & infirmi, qui in maligno aere morantur. Solet autem aer sua natura, & conditione esse purus in locis altis, siccis, ventis vndique expositis, & apertis, & grossus, & infectus in locis palustribus, humidis, & vndique impedimentis stipatis. Secunda, bonitas, & malitia aeris potest ab arte, & alia causa per accidens prouenire. Vnde aer immutatur à sua naturali dispositione. Primo, ab astris, quæ quandoque, vel inordinatam humiditatem, vel immoderatam siccitatem, vel caliditatem generãt, vel frigiditatem. Vnde coniunctio Solis cum Saturno, vel Luna intensionem facit humiditatis, vel frigiditatis, & siccitatis. Et cum Ioue caliditatis, & multo magis cum Marte, quia isti sunt planetæ calidi. Secundo ex rebus putridis, & fetentibus, vnde magna copia cadauerum, & magna exuberantia aquarũ non decurrentium aerem inficit, & pestem generat. Hoc autem facilius in Autumno fit, quia tunc aer ex siccitate æstatis est subtiliatus, & ideo facilior redditus ad suscipiendas malas qualitates, ex vaporibus infectis abstractas. Et ideo fugiendus est malus aer, & ab infirmis mutandus, quia etiam sic causam morbi mutabunt externam. Purgatur autem aer per multos ignes in illa parte accensos, per explosionem bombardarum, pulsationem campanarum, exsiccationem aquarum palustrium, & per alia exsiccantia.

De alijs autem suo loco dicemus, pro nunc sufficiat de aere egisse, vt alijs locus maneat apertus.

Ad argumentũ ergo dicitur, quod aer, &c. non dicuntur temperamenta, sed coadiuuatiua temperamentorum.

DE ACTIONE.

QVÆSTIO LVIII.

An simile in simile agat secundum gradum.

Videtur quod non. Primo. Actio fundatur in victoria agẽtis supra passum, & excessu virtutis agentis supra resistentiam passi, per Arist. lib de motu animalium, & Auerroe 4. Phys. comm. 71. At in similibus secundum gradum non est victoria vnius super alterum, cum sint similia in gradu, verbi gratia, calidum vt quatuor est simile calido, vt quatuor, nec vnum aliud excedit gradu qualitatis. Ergo &c.

Secundo. Magis calidum agit in minus calidum, vt ipsum faciat magis calidum. Ergo cum sibi ipsum assimilabit in caliditate cessabit ab actione.

Tertio. Duo agentia remissa in agendo simul iuncta nõ se intendũt vsque ad summum gradum. Ergo est, quia non agunt in simile.

Quarto.

Quarto. Sic daretur maius maximo, vt si detur magnus ignis in materia densa, & adiungatur magno igni in materia rara.

Quinto. Si potest in sibi simile in gradu agere propter materiam densiorem, in qua est, quia, verbi gratia, calor est in ferro, vt quatuor, & in materia magis densa, quam lignum ignitum, vt quatuor, sequitur, quod vel densitas concurrat actiue, vel passiue. Non actiue, quia secundum S.D. & Arist. rarum, & densum non sunt principia actiua. Si passiue, non augebit calorem.

Sexto. Sic calidum vt quatuor, posset agere in calidum vt quinque, si sit in materia densiori. Probatur, quia si ratione densitatis agit in illud intendendo sibi simile, vt quatuor in materia rariori. Ergo calidum vt quatuor, producit calidum, vt quinque.

Septimo. Actio datur ad assimilandum sibi id in quo agens agit, vt testatur Arist. 1. de generat. tex. 51. At inter similia in gradu est perfecta similitudo. Ergo vnum non poterit in aliud agere.

Octauo. Potentia actiua non est principium transmutandi aliud, nisi inquantum est aliud, vt dicitur 5. Metaph. tex. 7. & 9. tex. 2. Sed simile in gradu non est aliud à suo simili, cum sint similia. Ergo vnum non aget in aliud.

In hac difficultate inuenio DD. in quibusdam concordare, & in quibusdam discordare.

Primo. Ergo concordant, quod esse simile stat tripliciter. Primo, in genere physico, & ita cum Aristot. 1. de gener. tex. 50. dicunt, quod agens, & patiens debent esse similia in genere, quia actio est inter contraria, & dissimilia. Ista autem sunt duæ formæ eiusdem generis. Secundo, in specie, vt duo alba, duo nigra, &c. Tertio, in gradu eiusdem qualitatis, verbi gratia, duo alba, quæ sint alba in quatuor, vel duo calida, quæ sint calida, vt octo. Ista enim non solum in specie assimilantur, verum etiam in gradu eiusdem qualitatis. Dubium ergo non est, an simile in specie, agat in suum simile in specie, hoc enim ab omnibus concessum est, sed dubium est de simili secundum speciem, & gradum.

Secundo conueniunt, quod si duo sint similia in vna qualitate, & in alia contraria vnum potest in aliud agere, non ratione qualitatis in qua assimilantur, sed respectu eius in qua contrariantur. Vnde calx & nix assimilantur in albedine, & sic vnũ in aliud non agit, ratione albedinis, vt calx visum disgregat, sed ratione alterius qualitatis, quia nix est frigida, & calx calida, vnde nix sua frigiditate in calcem operatur eam alterando.

Tertio conueniunt, quod hic sit sermo de actione secundũ passibiles qualitates tantum, & præsertim quatuor primas, & non de actione in sua vniuersali significatione sumpta.

Quarto conueniunt, quod hic sit sermo de actione non in fine, quia in fine agens sibi patiens assimilat, sed in principio, dum vnum in aliud agere incipit, & resistentiam inuenit.

Quinto conueniunt, quod duplex est agens. Primum dicitur æquiuocum, vt Deus, Angeli, & Cæli, quæ genere ab inferioribus materialibus, & corruptibilibus distinguuntur, per Aristot. 10. diuinorum, & tale agens non est opus, quod sit simile passo neque in principio, neque in fine actionis, nam Deus, Angeli, & Celi non sibi assimilant nec generice, nec specifice, ea in quæ agunt. Secundum dicitur vniuocũ, & hoc agit in sibi simile, quod est, quod dixit Aristot. 1. de generat. tex. 50. scilicet agens, & patiens debent esse eiusdem generis, & communicare in materia. Nam agens vniuocum producit effectum sibi similem in eo in quod agit. Si ergo agit in materiale, necesse est quod in materia producat effectũ ad quem est in potentia, & sic oportet ista in materia communicare, vt deducit S.D. p.p.q. 13. art. 5. ad 1. Difficultas ergo solum est de simili in specie, & gradu, an vnũ in aliud possit agere.

Secundo. Ergo notandum venit, quod circa præsentem difficultatem sunt duæ opiniones. Prima negat simile in qualitate, & gradu posse agere in sibi simile in qualitate eadem, & eodem gradu. Hanc amplexantur Conimbr. 1. de generat. c. 9. q. 2. Paulus Venetus in summa c. 3. Albertus de Saxonia q. 15. Astudillo 1. de generat. q. 21. nec Dominico Bannes quæst. 10. displicet.

Secunda sententia affirmat inter similia specie, & gradu posse esse actionem, si vnum sit in materia densiori, quam aliud, verbi gratia,

gratia, ferrum ignitum, vel ignis in ferro, vel ligno forti in quarto gradu qualitatis caloris poterit intendere calorem stuppę ignitæ, vel ligni rari calidi in quarto gradu qualitatis. Nam participare eandem formam secundum speciem, & gradū stat dupliciter. Primo, etiam secundum eundem modum, idest specie, gradu, & modo. Secundo, secundum diuersum modum efficacię. f. specie, & gradu, sed non eadem materiæ ratione, & modo efficacię formæ in ea existentis, quia in vna materia apta nata est forma validius operari, quam in alia. Et sic docent Marsilius 1. de gener. quæst. 18. Niphus cap. 2. q. 2. Soto 2. Phys. quæst. 4. ad 5. & Toletus cap. 7. quæst. 131. de generat.

Tertio. Ergo notandum venit, quod plures sunt rationes agendi vnius in alterum. Prima est communicatio in materia. Secunda victoria super sibi contrarium, in quibus non est difficultas. Tertium est maior efficacia, & actualitas formæ. Potest enim esse quod eadem qualitas sit in eodem gradu in duobus, sed in vno habeat maiorem radicationem in subiecto, quam in altero, vnde diutius in eo durabit, & celerius operabitur, vt patet de igne vt quatuor, in stuppa, & in ferro candenti. Et potest esse quod ex hoc, quod inter ista est diuersitas in modo, & efficacia, quod vnum in aliud agat, nam maior efficacia aliquid operatur.

Conclusio ergo est. Vnum simile in specie, & gradu potest in aliud operari si differant in efficacia, & modo agendi. Probatur primo. Agens maioris actiuitatis, & efficacitatis potest agere in illud, quod est minoris efficacitatis, & actiuitatis. Sed duo similia in specie, & gradu possunt esse dissimilia in actiuitate, & efficacitate, vt exemplificatum est. Ergo.

Respondent Conimb. quod maior efficacitas non faciet ad intensionem caloris in duobus calidis in eodem gradu, sed ad velociorem actionem, quia citius superabit resistentiam.

Sed hæc responsio non tollit difficultatem, argumentum enim est. Quod agens maioris efficacitatis, & non velocioris efficacitatis potest in aliud operari, nam efficacitas dicit actionem, & non velocitatem, vnde stant simul esse in actu, & non habere eandem efficaciam in agendo, quia efficacia dicit modum differentem in eodem gradu. Non enim videtur credibile, quod si daretur lignum ignitum in quarto gradu caloris, & palea in quarto gradu pariter caloris, quod si palea ignita apponeretur ligno ignito, quod lignum non ageret in paleam &c. Secundo. Quia in densiori materia virtus est magis vnita, & consequenter fortior. Si fortior, ergo & intensior in agendo, & hoc propter maiorem radicationem in subiecto. Tertio, quia minor resistentia testatur minorem actiuitatem, vnde vbi est minor resistentia, ibi oportet esse minorem actiuitatem. Si minor est actiuitas, ergo maior passibilitas. Sufficit ergo, quod duo subiecta, & si eadem forma informentur, tamen quia vnum est non minus in actu ratione formæ, sed ratione modi, & efficaciæ, & passibilitatis, quod alterius actionem suscipiat.

Secundo. Sit corpus luminosum vt quatuor in aliquo loco, & deinde in eodem arte humana, vel diuina virtute ponatur aliud lumen, vt quatuor. Aut tunc augebitur lumen, aut non. Secundum non est dicendum, quia cum non supponatur illud lumen in summo potest augeri, & non est dicendum, quod lumen secundum nihil faciat. Si augebitur. Ergo necesse est, vt vnum intendat aliud, quia in actione si est agens, oportet etiam reperiri patiens.

Huic argumento respondent aliqui negando, quod secundum lumen primum intenderet. Alij vero dicunt intensionem luminis non esse augendam, sed extensionem, quia in longiorem spheram se defundet.

Sed vtraque responsio non est bona. Non prima, quia nullam inuoluit repugnantiam saltem in ordine ad diuinam potentiam, maxime cum non ponatur primum lumen adæquate actuare medium illuminatum. Nec secunda, quia primo maior extensio est multiplicatio maioris virtutis luminis, in hac autem multiplicatione si vnum est agens, aliud erit patiens, & consequenter vnum in aliud operabitur. Secundo. Quia quomodo extensio luminis dabitur, sine hoc, quod magis lumen fit multiplicatum? nam ratio extensionis non est, nisi quia virtus luminis est ampliata, & confortata, ac maiori intensione perfectior effecta.

Tertio. Intensio aut pendet solum ex forma, aut ex forma cum materia. Non primum, quia intensio non est simplex participatio actualitatis formæ, quia sic maior radicatio in subiecto nihil faceret. Si igitur pendet ex forma cum materia, ita vt dicat ista duo participationem formæ, cum maiori radicatione, vel non radicatione in subiecto, vbi erit vtrumque, ibi erit aliquid maius, quam vbi vnum tantum est. Sed in materia densiori est vtrũq. scilicet, & participatio formæ, & maior radicatio in subiecto, & in materia rara est solum participatio formæ, sed non cũ maiori radicatione. Ergo forma in densiori materia, vt quid valentius poterit operari in consimilem gradum formæ, sed cum minore radicatione subiecti.

Ad primum dicimus ad maiorem, quod etiã fundatur in maiori efficacitate modali, vt dictum est, & ista reperitur in duobus participantibus formam æqualiter ex parte formæ, non vero æqualiter ex parte subiecti.

Ad secundum dicimus, quod illa est actio ad assimilandum sibi alterum in forma, sed adhuc vlterior datur, scilicet ad assimilandum sibi alterum, & in forma, & in modo formæ.

Ad tertium dicendum, quod si non fit intensio in vlteriori gradu, fit in modo extensionis, vt fit ex parte formæ, & subiecti.

Ad quartum dicimus, quod tunc vnum non esset maximum nisi in forma, vnde posset fieri vlterius etiam maximum in modo.

Ad quintum dicimus, quod rarum, & densum secundum se non sunt principia actiua, sed ratione formæ, quam suscipiunt, & dispositionis materialis, quam retinent, fiunt principia actiua, sicut aqua secundum se non calefacit, nec lapis, ignita tamen vtique, & vnum altero potentius.

Ad sextum negatur assumptum, quia illa intensio non est in vlteriori gradu formæ, sed in modo vnius potentioris.

Ad septimum negatur minor, quia similitudo, secundum formam, & modum formæ est maior.

Ad octauum dicimus, quod ibi est aliud secundum modum, & si non secundum formam.

QVÆSTIO LIX.

An absolute simile agat in simile, vel in contrarium.

Videtur quod non. Sed quod simile agat in simile magis, quam in contrarium.

Primo. Vbi minor est resistentia, ibi facilior est actio Sed inter similia est minor resistentia, vt inter album, vt quatuor, & vt quinque, quam inter albũ, & nigrum. Ergo inter similia magis erit actio.

Secundo. Magis album agit in minus album. At ista sunt similia, & non contraria. Ergo actio est inter similia.

Tertio. Vna candela illuminat medium ab altera candela illuminatum. Ista sunt similia, & non contraria. Ergo.

Quarto. Ferrum candens ignem producit, vt dum ex septimo gradu caloris ad octauum transit. Ergo.

Quinto. Manus iunctæ simul se calefaciunt, & tamen habent similem calorem.

Sexto. Aer aquam infrigidat, vt patet in secunda regione aeris, in qua generantur grandines, & niues. Ergo si aer agit in magis frigidum, melius operabitur in æquale frigidum, & sic in simile secundum æqualitatem.

Septimo. Calor siccitati coniunctus fortior est, quàm humiditati copulatus, vt patet in ferro, & aqua. At calor, vt quatuor quando est coniunctus humiditati potest agere vt quatuor. Ergo coniunctus siccitati aliquid amplius poterit producere, ad quod producendum necessario transibit per calorem, vt quatuor.

Octauo. Si duo sint lumina in quoddam loco, & tertium apponatur, lumen intenditur, & quanto magis lumina adduntur, tanto amplius lumen producitur. Hoc autem fieri nequit, nisi addendo lumen, & agendo in simile.

Nono. Dum vnum speculum in aliud æque tersum, & lucidum agit, patet simile in simile operari, in eo imaginem imprimendo.

Decimo. Detur mixtum vndique homogeneum, vna pars in alteram agere poterit, aliter nulla esset corruptio, nec nutritio, nec augmentum ab intrinseco. Ergo &c.

Vnde-

Vndecimo. Maior ignis minorem consumit secundum Arist. in problemat. sect. 3. probl. 22. & sect. 33. probl. 2. At hi duo ignes sunt similes. Ergo.

Hæc disputatio ortum ducit ex dictis Arist. 1. de generat cap. 7. de actione. Quatuor enim dixit. Primum, quod simile non agit in omnino sibi simile, vt album in album, nigrum, in nigrum. Secundum, quod omnino diuersum, idest secundum genus, non agit in omnino diuersum, vt album non agit in saporem, nec sapor in colorem. Tertium, quod contrarium agit in contrarium, vt calidum in frigidum, album in nigrum, & econtra, quare actio est non inter similia, sed inter contraria, idest inter ea, quæ sunt vnius generis, & solum specie differunt. Quartum, quod ideo nullum agit in seipsum, cum idem non differat specie à seipso. Quintum est, quod agens agendo repatitur.

Notandum est ergo, quod duplex est actio. Prima dicitur destructiua, quia est ad destruendum sibi contrarium, & sic vnum contrarium in aliud agit, vt album in nigrum, & calidum in frigidum, vel econtra. Secunda est ad intendendum, & perficiendum formam in subiecto, eam semper magis, ac magis intendendo, extendendo, & radicando in subiecto, & sic actio potest esse inter ea quæ sũt vnius speciei, vt inter magis album, & minus album, &c. Superest ergo solum argumenta soluere.

Ad primum dicimus ignem generare posse ignem, & quod in ferro candenti est aliquis verus ignis, quia exhalationes resolutæ à ferro secundum habent adiunctum ignem, & album magis, in minus album agit, & similia. Sed agere in minus album fiat dupliciter. Primo, vt est omnino sibi simile, & sic in eo non agit, quia cum actio sit ad assimillandum, data similitudine actio non est necessaria. Secundo, vt aliquo modo differunt, quia vnum est calidum vt quatuor, & aliud vt tria, & sic vnum in aliud agit, ad sibi illud assimilandum in eo in quo distantia sunt, vt paria reddantur, & tunc actio est ad perficiendum, & non ad destruendum. Secundo dicitur ad maiorẽ, quod duplex est actio. Prima dicitur cum repassione, quæ proprie actio dicitur, & ista est inter contraria, & resistentiam postulat. Secunda dicitur sine repassione propria, communiter tamen cum aliqua repassione, quia omnis disparitas aliquam resistentiam præsefert, & ista est inter similia. Sed hæc non facit ad directam intentionem Philosophi, sed prima. Tertio dicitur, quod actio non solum fundatur in resistentia, sed etiam in supereminentia agentis, & in potentia passi.

Ad secundum similiter dicitur, quod magis album agit in minus album, non ratione qua album, sed ratione qua de nigro magis participat, & ideo agit in illud, ad omnino destruendum in eo nigrum, in gradu simili.

Ad tertium dicimus, quod si vnum illorum luminum est altero maius, alterum minus intendet, si vero sint æque lucida, & eiusdem efficaciæ in illuminando, augebunt lumen, & quod non poterant per se facere, verbi gratia, si sint vt quatuor lucida producere quintum gradum luminis, tũc producent, quia eorum virtus vnita potentior est effecta, & coagumentata. Si autem non essent ex parte materiæ in gradu luminis æqualia, posset vnum in aliud agere, & sic lumen non augere ad vlteriorem gradum.

Ad quartum iam diximus, quod ferrum candens in se recludit ignem, & sic ignem producit, vt supra.

Ad quintum cõcedimus manus iunctas magis calefieri, quàm si non iungantur, quia iunctæ ex cordis calore, eorum calor augetur, nam si separatæ maneant, aer circumstans eas refrigerat.

Ad sextum aliqui dicunt, quod ea quæ generantur in media regione aeris attribuuntur astris, & eorum influxibus, vt causæ principali. Sed si hoc verum est, argumentum non est solutum, quia non tollit difficultatem pro causa proxima.

Dicendum est ergo, quod calor coniunctus siccitati fortius est, quam humiditati copulatus, vnde ignis est calidus, & siccus, & non calidus, & humidus, quare non inficiamus, quin virtuosiorem producet calorem, vel eius vlteriorem gradum. Et ita dicimus, quod aer extra suam propriam naturam magis calefactus ab extrinseco, per antiperistasim possit generare niues, & grandines, quia sufficit exuberantia agentis, ad multiplicandam virtutem alterius, vel in gradu, vel in efficacia. Dum

autem eam auget, non agit in illam, vt in sui similem, sed vt in rem à se differentem, & aliquo modo de eius cõtrario participantem, vt diximus. Et sic patet ad sextum, & etiam ad septimum, nam eandem petunt in substantia difficultatem, quamuis in rebus diuersis.

Ad octauum dictum est supra.

Ad nonum dicitur, quod dum vnum speculum agit in aliud imprimendo in eo imaginem quam habet, non agit in illud, vt est ei simile in luciditate, sed vt aliud non habet illam imaginem, quam in ipsum traducit. Et generaliter vnum non operatur in aliud, secundum quod similia sunt, sed prout aliquo modo differunt.

Ad decimum dicitur, quod si mixtum est æterogeneum habebit vnam partem alteram corrumpẽtem ab intrinseco, ratione qualitatum contrariarum alteratarum. Si vero sit homogeneum corrumpetur ab extrinseco, quia in earum est aliqua dissimilitudo partium, qua vnum, seu vna pars in aliam agit.

Ad vndecimum dicitur, quod illa est corruptio perfectiua, & facta ratione maioris actiuitatis, & minoris.

An vero idem in seipsum possit agere. Vide quæstiones nostras in 9. Metaph.

An idē possit mouere seipsum. Vide 7. Phys. in quæstionibus nostris.

QVÆSTIO LX.

An idem possit in seipsum agere, actione reflexa.

Videtur quod non. Idem non potest in eadem actione esse agens, & patiens. At si idem ageret in seipsum actione reflexa essent agens, verbi gratia, emittendo lucem, vel radium, & patiens recipiendo in se lucem radij. Ergo &c.

Secundo. Radius directus, & reflexus in eodem instanti producuntur. At idem instans nõ potest esse mensura diuersarum actionum, scilicet, directæ, & reflexæ. Ergo &c.

Tertio. Omnis actio est à potentiori, & agens à patiente non recipit suam virtutem. Ergo non est possibile, quod idem agat in seipsum actione reflexa, verbi gratia, quod radius directus, augeatur ex reflexo.

Pro notitia quæstionis obseruandum est. Primo, quod duplex est actio. Prima dicitur directa, quia directe in aliud tendit, vt dum ignis aquam calefacit. Sol terram irradiat, ac illuminat. Secunda dicitur reflexa, quia reagit eadem actione in agens, vt si aqua calorem ignis augeret, & radius reflexus lumen Solis, vel candelæ.

Actio autem reflexa dupliciter fit. Primo, sine contrario, & solum cum impedimento, vt dum radij Solis corpus opacum ferirent, & ita illud pro impedimento inueniunt, ita vt illud penetrare non possint, vnde hanc dicemus actionem reflexam ex impedimento. Secundo, cum contrario, quia est qualitas habens contrarium, vnde est, quod illa qualitas ei contraria in seipsam reflectit se, vt ei resistat, verbi gratia, dum aër in æstate maxime calescit, facit quod aquę frigiditas in seipsam se reflectat, vnde frigidior fit, & hæc vocatur antiperistasis, modo dicemus solum de prima.

Secundo notandum venit, quod actio reflexa sine contrario, sed ex solo impedimento necessario reflexionem exigit. Nam lumen (de hoc enim est prima dubitatio) duplicem modum illuminationis sortitur. Primus est cum reflexione, quia inueniendo corpus opacum, illud opacum corpus radios luminis ad illud reflectit, vt patet in speculo, quod species visibiles ad oculum reflectit, locus concauus vocem ad vociferantem remittit, & dicitur Echo. & corpus densum ad lumen illud percutiens radios remandat, & eo magis, quo est tersum, & opacum. Secundus est sine reflexione, quia lumen, vox, vel species libere transit, & sine resistente, vel impediente, vt conspicitur in lumine, & luce, quæ rarum corpus, diaphanum, purũ, & subtile transit, & ita vitrum, cristallum, & alia similia. De his autem nõ est hic sermo, sed de his quæ sunt in primo modo, scilicet de opacis, & duris.

Tertio. Notandum est, quod in diffusione luminis duo sunt agentia. Primum dicimus principale, quia ab eo est primo lux, & lumen, vt à Sole lux orbem illuminans, & à candela, ea quæ cameram clarificat. Secundum dicitur minus principale, quia se habet vt medium recipiens lucem a Sole, vel candela, & illud ad vlteriores partes transportans. Non est apud Doctores difficultas,

ficulteas, quod agens minus principale possit agere in seipsum actione reflexa, constat enim experientia, quod lumen dū corpus opacum tangit, corpus opacum maxime si tersum est, lumen reflectit in medio, scilicet in aere circunstante, & illud luminosius, & clarius reddit, & ita magis terra calefit, vbi vicinior est reflexio lucis, quam vbi magis distat, quia lux dum tangit opacum, intendit se, propterea, quod inueniendo impedimentum, quærit vniendo se, magis se fortificare.
Hoc autem dupliciter accidere potest. Primo, per solam reflexionem radij vnius, & sic radius reflexus remissior est, quam directus, sibi correspondens, quia reflexus eam fortitudinem solum tenet, quam si in longius diffunderetur. Secundo, per vnionem multorum radiorum se reflectentiū, vt patet in speculo cōcauo, in quo vniuntur multi radij Solis, & sic ignem facit, quod radius directus Solis facere non potest, vt dicitur 17. proposit. lib 2. Perspectiuæ. Difficultas ergo est, de solo agente principali.
Quarto. Igitur distinguendum est, quod agens principale per actionem reflexam possit agere in seipsum, intendendo suam lucem potest dupliciter intelligi. Primo, ab intrinseco, & per se, & hoc non est factibile. Primo, quia sic non esset agens principale simpliciter, cum ab alio aliquo modo lucem reciperet. Secundo, quia sic, esset in potentia essentiali, (quæ est intrinseca) ad recipiendum lumen, & ita non esset independens luminosum. Tertio, quia in se non haberet omnem actualitatem luminis, & sic non esset primum luminosum. Secundo ab extrinseco, & per accidens prout accidit medio ex reflexione magis illuminari, & ita videtur posse recipere maiorem intensionem luminis. Hoc tamen verum non est, ab intrinseco, vt dixi, quia hoc tantum succedet, si illuminans prope ponatur cōtra corpus opacum, & in illo medio tantum in quo est reuerberatio luminis, extra enim illud lumen illuminantis non augebitur.
Ad primum ergo dicimus ad maiorem, quod idem per se, & ab intrinseco non potest esse agens, & patiens secundum idem, & eandem actionem. Per aliud vtique, scilicet ratione medij, dum intra eius terminos conclduitur, sed vt dixi non erit, quod illuminans in se recipiat intensionē diffusionis luminis, sed solum quod eius radij ex repercussione fiant clariores.
Ad secundum dicitur, quod sint in eodem instanti dupliciter stat. Primo tempore, & sic sunt in eodem instanti temporis. Secundo naturæ, & causalitatis, & sic vnum est prius, scilicet radius directus, & aliud posterius, scilicet reflexus, vnde reflexus causatur à directo. Sunt tamen vnum lumen, cum duplici modo causalitatis.
Ad tertium dicitur ad maiorem, quod currit per se, per accidens potest esse aliter, vt diximus.

QVAESTIO LXI.

An detur actio reflexa per antiperistasim, quæ fiat per repercussionem specierum intentionalium.

Videtur quod sic. Primo. Quia sensu tactus dignoscitur, quod ab aqua, & alijs frigidis, alijsq. qualitatibus affectis egrediuntur. Ergo videtur dicendum, quod repercussio specierum intentionalium à contrario facta, faciat antiperistasim.
Secundo. Lumen in opacum percutiens sustinet repercussionem suorum radiorum. Ergo, & corpus porosum, & vaporosum suas species intentionales mittens, cum illæ contrarium senserint, reflectuntur per antiperistasim.
Tertio. Patet enim, quod qualitas suum contrarium sentiens, ipsam in seipsam se reflectit, & se corroborat. Hoc autem videtur esse, quia species intentionales corroborant suum subiectum dum ad ipsum redeunt.
Quarto. Corpora damnatorum in igne inferni, non per receptionem caloris, & frigoris realem, sed per species eorum intentionales cruciantur, vt tenent S.D. 4. dist. 44. quæst. 3. art. 1. quæst. 2. In additionibus ad 3. p. quæst. 86. art. 3. & quæst. 97. art. 1. & quodlib. 8. art. 18. Ferr. 4. contra Gentes Cap. 89. cap. 4. dist. 44. quæst. 2. art. 3. & alij. At quid maius est species intentionales, ignis, & niuis cruciare animas damnatorum, quam species intentionales exhalantes a corporibus qualificatis, per reditionem intendere naturam qualitatum sui subiecti. Ergo si primum admittitur,

titur, hoc secundum non est negandum.

Ita sentiunt Marsilius 1. de generat. quæst. 18. Venetus lib. 1. Meteor. cap. 3. Forliuiensis quæst. 1. in Aphoris. 15. sect. 1. Dicunt enim, quod species egressæ ab aliquo corpore, cum suum contrarium inueniũt fortius, tunc reflexum faciunt, & se cohibentes in vnum, fortiores euadunt.

Notandum est ergo primo, quod corpus motum ad Antiperistasim dupliciter ad eam moueri potest. Primo, vt ad qualitatem sibi connaturalem, vt dum aqua puteorũ fit frigidior, vel domus terrena in æstate, propter Antiperistasim, quia. s. habet obsistentiam aeris calidi vigentis tunc super terram. Ista autem Antiperistasis est ad qualitatem aquæ, & terræ connaturalẽ. s. ad frigiditatem. Secundo, potest fieri ad qualitatem sibi contrariam, vt dum hyberno tempore aqua putei, & domus terrenæ fiunt calidiores, vigente frigore vehementi super terram. Caliditas enim non est qualitas naturalis, nec aquæ, nec terræ. Primo modo dicimus duplicem causam habere. Prima est intrinseca. Secunda extrinseca. Causa extrinseca erit vehementia, & victoria virtutis contrarij supra aliud, vnde quando aer est multum calidus, fugit frigus, quantum potest caliditatem sibi repugnantem, & ideo terrã penetrat, & sub ea se abscondit. Causa intrinseca erit duplex. Prima principalis, & ista erit generans, qui intendit semper omnia grauia, & leuia ad propriam naturam, & qualitatem reducere. Secunda erit instrumentalis, vel quasi instrumentalis, & ista erit propria forma, quæ quantum potest, nisi ab externo impediatur, se in sua naturali dispositione seruare intendit.

Non est tamen necessarium in omni Antiperistasi augeri qualitatem per maiorem intensionem, quia ventriculus in hyeme (vt dicit Hippocrates Aphoris. 15.) calidior est, non intensiue, quia semper se habet eodem modo, sed extensiue, quia. s. in hyeme ob frigus partes, & pori corporis recluduntur, vnde spiritus non possunt exhalare, & sic conseruatur calidior, vbi in æstate quia pori, & partes corporis per calorem aperiuntur, ideo non est tam calidus. Expertus est enim Galenus lib. 3. de temper. cap. 2. Fimum Columbinum impeditum transpiratione, tantum incaluisse, vt flammam conceperit, & domum arserit. Hoc autem fuit, quia cum tale fimum sit calidum, cum non posset exhalare, spiritus calidi eius intus se percutientes ignem ciere, sicut accidit in fulgure, genito in nube, ob constrictionem nubis. Difficultas ergo maior est, de Antiperistasi causata ab contrariam, & repugnantem qualitatem.

Secundo. Ergo notandum venit, quod dum qualitates contrariæ intenduntur in subiecto per Antiperistasim, hoc vere fit per veram intensionem illarum qualitatum, & non per deceptionem tactus, vt voluit Galenus lib. 3. de simplicibus medicamentis c. 3. dicendo, quod aqua puteorũ, &c. semper eodem modo est frigida, sed nobis in vno tempore magis frigida, quam in alio videri, quia habemus sensum tactus, verbi gratia, manum in hyeme frigidam, & ideo videtur tunc calida, & in æstate calidam, & ideo tunc apparere frigidam. Hæc enim opinio non est vera. Primo, quia sensus circa proprium obiectum non decipitur. Secundo, quia videmus aquas puteales in hyeme fumare. Et tertio, quia etiam si tactus esset frigidus in æstate sentiret eius frigiditatem esse maiorem, quam in hyeme. Dicendum est ergo hoc vere fieri per veram intensionem qualitatum, sed quomodo hoc durum est videre.

Tertio. Ergo sciendum, Conimbr. 1. de generat. cap. 9. quæst. 1. tenere huiusmodi intensionem non fieri per Anteperistasim. s. per contradictionem contrarij, sed ab alia causa aduentitia, quæ diuersificatur sæpe, vt ex motu locali, ex natura spirituum reclusorum, & ex similibus. Probant hanc intensionem non fieri per Antiperistasim. Primo, quia aqua frigidissima non posset sic calefieri ab ea quæ ex contrario unum gradum caloris recepit, quia nullum habet gradum caloris ipsa. Secundo, quia impedietur á ualentiori contrario, si solum unum gradum caloris habet ex contrario, & ipsa ex sua natura tenet, uerbi gratia sex gradus frigiditatis, obstabit per maiorem suam uim, & sic illum gradum reijciet.

Sed hæc opinio est contra Arist. 1. Meteor. ubi ait hyemali tempore loca subterranea esse calida, quia frigus, quod est qualitati eorum contrarium, calorem illud adigit,

adigit, & impellit. Patet enim, quod non corpusculis internis nobis, sed contrario attribuit hanc actionem, & iste est omniũ fere consensus.s.fieri per Antiperistasim. Neque rationes eorum aliquid faciunt, quia non dicimus contrarium ualere subiectum tollere à sua naturali dispositione omnimode, sed ipsum per Antiperistasim alterare, imprimendo ei qualitatem contrariam, in aliquo gradu.

Conclusio ergo est. Antiperistasis non fit per repercussionem specierum intentionalium. Sed per contrarium. Probatur prima pars conclusionis. Species intentionales institutæ sunt à natura, non ut rẽ realem efficiãt, sed ut representent, aliter etiam qualitates reales factæ essent, ut representarent. Ita optime docent S.D.p.p. quæst.37.artic.3. cum Caietano. Ricardo 2.d.13.q.1.& D.Bonau.q.2. At Antiperistasis qualitatem ueram, & realem imprimit, & causat, & directe. Ergo &c.

Secundo. Antiperistasis fit propter contrarietatem, ut dicit Arist. At species qualificatiue non sunt contrarię. Ergo &c.

Tertio. Species vendicant sibi determinatum subiectum. At antiperistasis fit in contrario Ergo.

Secundo. Probatur secunda pars conclusionis. Antiperistasis dicit repugnantiam. Ergo erit per repugnans in contrario.

Ad primum conceditur, quod possint egredi, at negatur, quod reflectantur.

Ad secundum dicimus aliam esse rationem, nam lumen vere, & realiter percutit corpus sibi in impedimentum, vnde cogitur reflectere suos radios. At species intentionales simpliciter, (vt excludamus Echo, & alias, quæ secum trahunt aerem) non inueniunt obicem, & impedimentum, cum non supponantur res reales, & ideo non faciunt antiperistasim.

Ad tertium negatur minor, prouenit enim ex resistentia contrarij.

Ad quartum negatur minor, quia illæ species intentionales possunt recipi in potentijs apprehensiuis damnatorum, non sic species intentionales, vt sunt intentionales in rebus apprehensione carentibus. An vero ignis, & aliæ pœnæ inferni, & Purgatorij agant tantum obiectiue, idest per apprehensionem in animas cruciandorum, an etiam Physice, duplex est opinio. Prima est S.D. & aliorum in argumento citatorum docentium agere obiectiue, & per apprehensionem, quia illæ animæ apprehendunt illis pęnis iusto Dei iudicio alligari, & non posse se sua voluntate, vel libertate ab illis separari, & liberari. Nam sic per apprehensionem illic crucientur, & earum afflictio, vel temporalitate pęnæ subleuatur, uel æternitate aggrauatur.

Secunda tamen est sententia D.Bonauenturæ 4. dist.44.art.3.quæst.1.sect.1.quæst.3. Maioris quæst.2. Argentinatis quæst. unica, Ricardi quæst.6. & 7. Durandi quæst. 10. & aliorum plurium, quod etiam uera actione ignis affligantur, & crucientur, quoniam sacræ Paginæ, igni, niui, &c. attribuunt actionem torquendi illas animas, quod potest Dei actione supranaturali fieri. Nec huic repugnaunt S. D. locis citatis, & opusc.3. cap.177. tract.1. & opusc.10.cap.26. Aexistimauit tamen primam sententiam ueriorem, quia illæ animæ ubique trahunt secum suam pœnam, etiam si essent in aliquo purgatorio particulari, ubi uere non est uerus ignis. Sed ista ad Theologos pertinent.

An actio, & passio sint vnus motus
An actio sit subiectiue in agente
An dicat absolutum &c.

Vide 3.Phys. & in prædicamento Actionis in nostris Comment. & Quæst.

DE ALTERATIONE.

QVÆSTIO LXII.
An alteratio sit motus ad qualitatem sensibilem.

Videtur quod non. Primo. Motus est quoddam successiuũ per Arist.5.Phys. At si alteratio esset motus ad qualitatem non esset quoddam successiuũ. Ergo non est motus ad qualitatem. Probatur minor. Nam qualitas est quædam forma simplici essentia consistens.

Secundo. De ratione motus est, ut in eo nõ detur primum mutatum esse, ex 6.Phys. tex.52.& 53. At in alteratione datur primum alteratum esse. Ergo. Probatur minor, quia in alteratione semper acquiritur forma, & aliqua qualitas naturalis. Hæc autem est in determinata proportione, & statu.

Tertio.

Tertiò. Terminus alterationis est generatio, quia alteratio necessario præit generationem, ut tradit Arist.7.Phys.tex.16. & 1.de gener.tex.1. Ergo non erit motus ad qualitatem, sed ad substantiam. Probatur sequela, quia generatio habet pro termino esse substantiale.

Quarto. Polypus, Chamaleon, & quædam alia animalia acquirūt nouam qualitatem sine alteratione præuia. Ergo non erit dicenda motus necessarius ad recipiēdam qualitatem. Antecedens probatur de Polypo, quoniam cuicunque petræ se affixerit, eius colorem sine aliqua alteratione repræsentat, adeo ut pisces falsa imagine delusi, accedunt, & fiunt esca eius. Sic tradunt Arist.lib.9.de hist. animalium, c.37. Plinius lib.9. cap.29. D.Basilius hom.7.de mundi opificio, & alij multi. Item Plutarchus in Symboliacis, & in commentario de adulatione D. Greg. Nazianz. prima inuectiua in Iulianum, & D. Aug. lib.11. de trinit. c.2. tradunt Camaleontem reddere colores corporum, quibus insederit sine aliqua apparenti alteratione. Ita Plinius lib.8. cap.34. & Solinus Polyhistor. cap.43. dicunt, quod datur apud Cythas quoddam animal quod dicitur Tarandus, bouis magnitudine, bifida vngula, ramosis cornibus, vrsino colore, capite ceruino, quod cuicumque rei appropinquauerit, concolor eius fit, saxis, fructibus, floribus, denique sui coloris esse non libuit, sed alieni.

Incontrarium est Arist.5.Phys.tex.18.& 19. in post prædicam. cap.13. vbi eam appellat motum ad qualitatem.

Pro explicatione huius difficultatis notandum est. Primo, quod alteratio bifariam sumitur. Primo communiter, pro quacumque alteratione, siue propria, siue impropria, vel Metaphorica. Quo pacto elementa dicuntur alterari, dum luce perfunduntur, & anima dum sentit, vel intelligit, vel quamcumque affectionem recipit, vel imaginationem. Secundo sumitur proprie, & sic definitur. Alteratio est motus continuus, ad qualitatem sensibilem habentem contrarium, manente eodem subiecto sensibili.

Primo ergo dicitur motus, sumendo motum pro genere, quia est motus ad generationem alterationem, ad quantitatem, & ad vbi.

Secundo dicitur ad qualitatem, ad differentiam augmenti, quod est ad quantitatem, & vbi, quod est in motu locali, & generationis, quæ est ad formam substantialem.

Tertio dicitur sensibilem, ad differentiam intensionis habituum animæ, vt dum quis ex iusto fit iustior, ex prudente fit prudentior, per maiorem conarum, istæ enim veræ sunt intensiones, non tamen propriæ alterationes, cum sint ad perfectionem subiecti intendendam, & non ad aliquam corruptionem faciendam, & non sint motus Physici, sed Metaphysici.

Quarto. Dicitur habentem contrarium, quia terminus propriæ alterationis habet contrarium, nam si est ad albedinem, habebit pro contrario nigredinem, si ad caliditatem, ei obstabit frigiditas. Sed aliud est, quod terminus alterationis teneat contrarium, & aliud, quod semper fit in contrarium. Primum, quidem est verum. Secundum vero non est necessarium, vnde potest dari alteratio ad medium, vt ad colorem ceruleum, vel ad esse tepidum, & ad similia, quoniam tamen regulariter ordinatur ad terminum extremum, qui tenet contrarium, ideo dicitur habere contrarium.

Quinto dicitur manente eodem subiecto sensibili, quia vt supra notauimus, alteratio à generatione differt. Primo, quod generatio est ad substantiam, alteratio ad qualitatem. Secundo, quia generatio non est motus proprie, sed mutatio, alteratio vero proprie est motus. Tertio, quia alteratio est via ad generationem, terminus vero est forma substantialis. Non quidem, quod alteratio necessario semper generationem inferat, vt patet in alteratione dealbationis, & similibus, sed quia hoc fit, dum alteratio ordinatur ad mixtum. Nam duplex est alteratio. Prima est ad intensionem, seu ad terminum accidentalem, & hæc non præcedit nisi generationem secūdum quid. Alia est ad terminum substantialem, quæ fit ex alteratione primarum qualitatum ad mixtionem venientium, & hæc præit generationem simpliciter. Quarto differunt, quia in alteratione manet idem subiectum, non sic in generatione, quæ dicitur aduenire materiæ nudæ.

Secundo. Notandum venit, quod alteratio in tres

tres species diuiditur, scilicet in alterationem, in intensionem, & remissionem. Nam sunt quædam species, quæ proprio nomine carent, vnde per commune circumscribuntur, vnde sicut dispositio, vt genus subalternum diuiditur in dispositionem speciem contradistinctam cōtra habitū. Ita alteratio, vt sic accepta, secernitur in istas tres species, scilicet in alterationem, in intensionem, & remissionem. Nam alteratio trifariam sumi potest. Primo, vt est productiua totius qualitatis, vt dum ex albo facit nigrum. Secundo, vt est magis intensiua, & perfectiua eiusdem qualitatis secundum intensiorem gradum, vt dum ex albo in duobus facit album in quinque. Tertio, vt est diminutiua eiusdem intensionis qualitatis, vt dum ex albo vt octo, facit album, vt quatuor. Primo modo absolute dicitur alteratio. Secundo, intensio. Tertio, remissio. Alteratio autem sumpta pro genere ad has species nihil dicit aliud, nisi acquisitionem qualitatis, quod vt dixi tripliciter fieri potest, scilicet totaliter intensiue, & remissiue. Primo modo dicitur motus ad productionem totius qualitatis. Secundo ad esse perfectius qualitatis. Et tertio ad esse imperfectius.

Conclusio ergo est. Recte fuit sic definita alteratio. Alteratio est motus, ad qualitatem sensibilem, habentem contrarium, manente eodem subiecto sensibili. Probatur primo, quod sit motus. Motus est de esse hoc, ad esse hoc, vt dixit Arist. 5. Phys. .i. de subiecto in subiectum, vel secundum esse perfectius, vel minus perfectum in subiecto. Talis est alteratio, vt iam ostensum est. Ergo alteratio erit motus.

Secundo probatur, quod sit ad qualitatem. Nam motus solum est ad quātitatem, vbi, & qualitatem per Arist. 5. Phys. At alteratio non est motus ad quantitatem, nec ad vbi. Ergo erit ad qualitatem à sufficienti diuisione. Aliæ particulæ patent.

Ad primum negatur minor. Ad probationem dicitur, quod qualitas dupliciter potest considerari. Primo, secundum se, & sic dicit simplicem formam. Secundo, vt in subiecto suscipitur secundum diuersas rationes, & maiorem, vel minorem radicationem, & sic diuisibiliter suscipitur.

Ad secundum respondendo sciendum est, quod circa ipsum sunt duæ opiniones. Prima est Aegidij lib. 1. de generat. quæst. 24. Hic tenet in alteratione dari primum alteratum esse. Secunda, fere communiter recepta est in alteratione non dari primū mutatum esse. Primo. Quia alteratio est motus secundum Arist. 5. Phys. & 8. &c. At in motū non datur primum mutatum esse, vt tribus demonstrationibus demonstrat Arist. 6. Phys. tex. 46. 47. 48. Secundo. Quia illud alteratum esse, vel est diuisibile, vel indiuisibile. Si primum, illud alteratum esse non erit primum, quia diuisibile est semper partibile, & diuisibile in diuisibilia. Si secundum. Ergo quando est primum alteratum esse non est alteratio, nam in indiuisibili non potest esse motus per Arist. 5. Phys. tex. 29. ergo nec alteratio, cum sit motus. Tertio. Quia ante omne mutatum esse præcedit moueri, vt probatur 6. Phys. Sed in omni motu sunt infinita mutata esse, sicut in omni linea, sunt infinita puncta. Ergo ante omne mutatum esse sunt infinita mutata esse, & per consequens ante omne alteratum esse præcedit alterari, in quo sunt infinita mutata esse. Ad argumentum negatur minor. Ad probationem dicitur, quod aliud est loqui de determinata qualitate, & aliud de alteratione. Nam determinata qualitas determinatam materiam postulat, in qua conseruari possit, at in alteratione non datur determinata qualitas, sed antequamlibet qualitatem erat alia prior, & alia in infinitum, & sic vt est sub tali alteratione non exigit ad sui conseruationem aliquam materiam determinatam.

Ad tertium dicendum ad maiorem, quod duplex est terminus generationis. Primus dicitur quo, & talis est qualitas, qua mediante agens alterādo disponit materiam ad susceptionem formæ substantialis. Secundus dicitur quod, & vltimus, & tale est compositum substantiale, quod tandem terminat alterationem, & generationem.

Ad quartum de Polipo dixit Plutarchus lib. de causis naturalibus cap. 19. ipsum habere carnem foraminibus, & meatibus compluribus distinctam, & ideo attrahere ad se de fluxu atomorum à marinis saxis, & sic illis corpusculis vestiri, & eorum colore vndequaque perfundi.

Sed hæc responsio sapit opinionem Democriti, non receptam in Scholis Peripateticorum,

eorum, vt contraria Arist. 1. de generat. à tex. 57. vsque ad 76. Sic enim corpora extabescerent, & extenuarentur, dum vicissim agunt.

Theophrastus ergo dixit prouenire, ob metum, & pauore, quo Polypus stipatus est. Est enim adeo formidolosus, & meticolosus, vt audito strepitu, vel viso piscatore omnino consternetur, & non audens fugere, vt alij pisces faciunt, saxis primo occurrentibus se applicat, & crutibus alligat. Ex metu ergo, & pauore prouenit, quod pallescat, & colore illorum saxorum quibus se applicat efficiatur.

Sed nec ista placet. Primo, quia sine strepitu, vel visu piscatoris, & consequenter sine motu, se in colorem illorum saxorum transformat. Secundo. Quia hoc facit ad prædam, & ad capiendum pisces, vnde Arist. eum vocat agregium œconomum, & rei domesticæ administratorem, vnde est animal quidem pauidum, sed tamen astutum, & fraudolentum.

Conimb. 1. de generat. cap. 4. quæst. 1. dicunt se habuisse à peritis, quod Polypus, & Chamæleon corpus habent ratũ, & transparens, sicut vitrum, & ideo ostendere illos colores, qui circa ipsos sunt.

Sed nec ista sententia arridet. Primo. Quia mirabile est, quod duo animalia æterogenea, & tot, & diuersis partibus compacta sint adeo transparentia, vt valeant colores earum rerum ostendere, quæ illa circumstant. Secundo. Quia de Chamæleonte legitur, quod dum moritur pallescit, & semper eundem colorem retinet, nec alienos reddit. Quod enim hoc proueniat, quia ob caloris defectum in eo sanguis concrescit, ac alij humores, & ita amittat diaphaneitatem, qua colores translucebant, non est credibile, quia cito illa concretio desinit, & tamen numquam transparentia succedit.

S. Augustinus lib. 11. de trinitate cap. 2. hoc attribuit imaginationi illorum animaliũ, quia sunt vehementis imaginationis, ita vt quidquid in prospectu eorum sit, ex vehementia imaginationis illud in varios colores abire faciant.

Arguunt aliqui hanc sententiam. Primo, quia non est credibile, quod ista animalia sint semper in tam vehementi imaginatione. Secundo. Quia semper præsentium colores ostendunt, & non absentium, cum tamen, & absentes possint vehementer apprehendere. Sed quis dicet pro S. Patre Augustino, quod talis est natura Polypi, & Chamæleontis, vt forti imaginatione semper circa præsentia moueantur, & nõ circa absentia, & quandoque magis, quandoque minus, vnde etiam datur variatio claritatis, in eorum coloribus. Dicere ergo possumus adeo superficiem istorum animalium esse dispositam ad suscipiẽdum colores præsentes, vt illico eos repræsentet, quod non est difficile credere, cum possit dari talis dispositio in superficie horum animalium, sicut datur in speculo ad repræsentandum, quod sibi opponitur. Vnde ad argumentum dicimus, quod talis immutatio est ex naturali sequela, & dispositione horum animalium vltima ad suscipiendos illos colores, vt non sit necessaria præcedens alteratio ad disponendum.

QVÆSTIO LXIII.

An alteratio sit continua.

Vide 8. Phys.

QVÆSTIO LXIIII.

An alteratio sit nobilior alijs speciebus motus.

Videtur quod non. Primo. Nam quod magis substantiæ inseruit, nobilius dijudicatur, quam quod ei minus inseruit, quia quanto quid in altius ministerium assumitur, tanto præstantius videtur. At quantitas magis substantię inseruit, quam qualitas, quia quantitas sustinet accidentia cum quantitate. Ergo motus ad augmentum, idest ad quantitatem præstabit alijs.

Secundo. Si qualitas sequitur formam, hoc etiam quantitas facit, quia ad determinatam quantitatem sequitur determinata quantitas, vnde alia est quantitas, secundum magnitudinem hominis, & alia Bouis, &c. Ergo.

Tertio. Numerus est quantitatis species. At numerus, & numeri magnam excellentiam habent, vt testantur Hippocrates, & alij Medici, vnde ex numeris dierum prognostica infirmitatũ desumunt. Ergo &c.

Quarto.

Quarto. Id quod dicitur mensura omnium motuum primum locum inter motus tenet. At motus circularis inter omnes species motus primatū tenet, vt docuit Arist. 8. Phy. tex. 76. & in 10. Metaph. tex. 4. Ergo vel motus ad quantitatem, vel motus ad vbi, qui est circularis, primum locum obtinebit in nobilitate inter species motus.

In contrarium tamen ponuntur istæ conclusiones. Prima conclusio est. Motus ad qualitatem est nobilior motu ad quantitatem. Probatur primo. Quod sequitur nobiliorem partem compositi substantialis nobilius est eo, quod sequitur eius deteriorem partem. Sed qualitas sequitur formam, & quantitas materiam compositi substantialis, forma autem materiæ præualet. Ergo qualitas erit nobilior quantitate.

Secundo. Qualitas substantijs incorporeis conuenit, quantitas solum corporeis, & quædam sunt qualitates quæ dicunt perfectionem simpliciter, non sic quantitas, nā intelligere, velle, & similes sunt perfectiones simpliciter, non vero quantū esse, & dimensionem quantitatiuam habere. Ista ergo sunt quantitatibus præstantiora.

Tertio. Nobilitas motus ex termino ad quē desumitur. Sed terminus ad quem qualitatis est præstantior termino ad quē quantitatis, cum per alterationem acquiratur forma, per quantitatē extensio solum materiæ. Ergo qualitas erit nobilior quantitate, & motus ad qualitatem, motu ad quantitatem.

Secunda conclusio. Motus ad qualitatem aliquo modo est nobilior, motu locali ad vbi. Antequam hæc conclusio probetur cōsiderandum venit, quod motus ad qualitatem, & ad vbi bifariam considerari possunt. Primo, ratione mobilis. Secundo, ratione termini. Si alteratio consideretur quo ad mobile, seu comparetur cum mobili motu locali, ratione mobilis est eo im perfectior dupliciter. Primo, ratione vniuersalitatis, quia motus localis conuenit corruptibilibus, & incorruptibilib⁹. s. corporibus cælestibus, motus vero alterationis tantum competit corruptibilibus rebus, alterationem patientibus. Secundo ratione maioris vniformitatis, & inuariabilitatis, quia in motu locali solum diuersa vbi acquiruntur, in motu vero alterationis acquiritur noua forma, vel nouus modus formæ. Et hoc modo Aristot. 8. Phys. cap. 7. motum localem considerauit, & inter omnes species motus primatum obtinere dixit, vt S. D. eodem loco, & de malo, q. 16. art. 10. ad 1. interpretatus est.

Si vero hæ duæ species motus ex parte termini spectentur, duo dicenda veniunt. Primum, quod alteratio est minus nobilis motus, quam generatio, quia hæc pro termino tenet formam substantialem, & alteratio accidentalem. Secundum, quod si comparetur cum motu locali duæ sunt opiniones. Prima est Cap. 2. dist. 14. q. 1. art. 3. & Soncinatis 7. Metaphy. quæst. 25. quod terminus motus alterationis est quidem præstantior termino motus localis, quia forma est semper nobilior vbi. Tamē loquendo de motu locali, & motu alterationis, vt dicūt fluxum, motus localis erit nobilior, quia motus vt dicit priuationem termini hoc habet, quod quanto præstantiorem terminum infert, tanto in se sit im perfectior. Secunda est S. D. vt supra. Ferrariensis lib. 2. contra Gentes, cap. 43. & lib. 3. cap. 82. & Durandi 2. distin. 15. q. 3. quod motus alterationis ratione termini est nobilior, & respectu termini per eum acquisiti, & ratione qua motus, motu locali, quia terminus est præstantior, vt omnes docent, & motus priuationem non dicit, sed fluxum, & quid positiuum, vnde quanto terminus præstat, tanto etiam motus est nobilis.

Conclusio ergo sic probatur. Motus ex termino ad quem specificatur, & denominatur, ex 5. Phys. Sed terminus ad quem alterationis, est nobilior termino ad quem motus localis, sicut nobilior est forma, vbi. Ergo motus alterationis erit præstantior.

Ad primum dicitur ad maiorem, quod esse propinquius substantiæ stat dupliciter. Primo, vt est sustentatiua accidentium. Secundo, vt est primum principium operationum. Primo modo quantitas est magis propinqua substantiæ. Secundo vero modo qualitas, quia est eius principium quo, nam substantia immediate non operatur, sed mediante qualitate. Substantia autem vt operatur, præstat seipsa, vt est sustentatiua accidentium.

Ad secundum dicitur ad assumptū, quod sequi formam stat dupliciter. Primo, quo

ad mollem in maximum, & minimum. Secundo, in operando. Primo modo quantitas sequitur formam. Secundo modo qualitas, & ista est propria consecutio formæ.

Ad tertium dicimus ad minorem, quod numeri bifariam considerari possunt. Primo absolute, vt numeri sunt, & sic nullam habent vim, vel efficaciam. Secundo, vt sunt signa, & fere instrumenta explicandi motum sydérum, alterationem humorum, & sympathiam, & sic dicũtur magnam vim habere, & maximam efficaciam adipisci. De qua re legendi sunt Galenus lib. 3. de diebus decret. cap. 1. Celsus lib. 3. c. 4. Valeriola lib. 3. locorum communium cap. 7. Fracastorius libello de causis criticorum dierum, & lib. de simpathia. Leuinus de occultis naturæ miraculis lib. 2. cap. 32. & alij plures.

Ad quartum dicitur ad minorem, quod motus localis est mensura aliorum motuum, causalitate, vniformitate, & duratione, & his modis alijs motibus præstat, non vero termino.

QVAESTIO LXV.

An subiectum accidentium, & alterationis sit compositum.

Vide 7. Metaphys.

QVAESTIO LXVI.

An indiuisibile alterari possit, verbi gratia, linea, puncta, & superficies.

Videtur quod sic. Primo. Illud potest alterari, quod per se est susceptiuum qualitatum sensibiliũ. At superficies sunt susceptiuæ qualitatum sensibilium. Ergo sunt alterabiles. Maior est nota. Minor probatur. Quia colores sunt qualitates sensibiles, & hi sunt solum in superficiebus secundum Arist. 5. Metaphys. cap. 7. vbi dicit superficiem per se esse albam, & corpus per superficiem. Patet ergo, quod alterantur per colores.

Secundo. Actio, & passio secundum Arist. non sunt per penetrationem agentis in passum, nec per partium agentis ingressum in meatus passi, sed solum secundum tactum. At tactus duorum corporum non est nisi in superficie. Ergo solum in ea erit actio, & passio.

Tertio. Agens prius, ac magis agit in id, quod sibi est propinquius, quam in remotius. Sed superficies passi est sibi propinquissima omnium partium passi. Ergo prius, ac magis in eam agit, & consequenter ipsa patitur.

Quarto. Ex communi dicto Perspectiuorũ habetur, quod radij incidentes in aliquod punctum, ab eodem puncto reflectuntur. Ergo illi radij puta luminis, vel caloris, vel alterius similis qualitatis in puncto recipiuntur. Ergo punctum alterabitur.

Quinto. Puncta, lineæ, superficies saltem per accidens mouentur ad motum corporis. Ergo pari ratione alterabuntur saltem per accidens, & recipient qualitates in se. Ergo si essent separata possent alterari secundum se.

In contrarium est Arist. 1. de gener. tex. 64. vbi dicit. Indiuisibile esse impassibile, & inalterabile. Idem habet tex. 79. & 6. Phy sic. tex. 87.

Pro resolutione quæstionis scito, quod hic loquimur de indiuisibilibus habẽtibus positionem in continuo, vt sunt puncta, lineæ, & superficies, inde de duobus non intelligimus sermonem facere. Primo de indiuisibilibus substantijs, idest, de substantijs à materia separatis, quę cõsequenter sunt inextensæ, & indiuisibiles. Secundo de corpore, & trina dimensione, quoniam constat corpus posse alterari, vt patet in Sacratissimo Altaris Sacramento, vbi est quantitas sine panis substantia, & hæc infrigidatur, & calefit.

Secundo. Sciendum est circa hanc difficultatem esse duas opiniones. Prima est Alberti de Saxonia 1. de gener. q. 17. & Marsilij quęst. 20. dicentium indiuisibilia, præcipue puncta nullo modo posse alterari, nec per se, nec per accidens. Hoc probant. Primo. Quia aliter sequeretur, quod aliqua qualitas esset finita, & infinita simul. Finita, quia est qualitas creata. Infinita, quia, verbi gratia, in puncto congregaretur tota simul, nam dato aliquo calido vniformi, si calor vnius medietatis alteri superponeretur, talis pars esset in duplo calidior, & intensior, & superponendo tertiæ parti in triplo, & sic in infinitum, cum ergo in puncto tota qualitas colliga-

colligatur finita esset, & infinita simul.

Secundo. Quod nullo modo potest agere, nec aliquam potest in se recipere qualitatem alteratiuam. Punctus autem nullo modo potest agere, cum non possit extendi.

Tertio. Alteratio non contingit sine rarefactione, vel condensatione. At ista indiuisibilibus repugnant.

Quarto. Si in puncto indiuisibili esset calor, cum in quodlibet continuo sint infinita puncta, in corpore infinito erit calor infinitus.

Secunda sententia est Pauli Veneti in Summa cap.24. Toleti 1. de gener. q.16. & Dominici Bannes quaest.4. quod. s. indiuisibile non possit alterari per se, per accidens vtique, & hanc magis amplexamur.

Tertio. Ergo notandum venit, quod punctus, linea, & superficies bifariàm considerari possunt. Primo. Mathematice, vt simpliciter dicunt dimensionem aliquam. Secundo. Physice, vt sunt in corpore materiali, & alterabili. Primo modo non possunt alterari, quia indiuisibile, vt formaliter est indiuisibile, non est suceptiuū alterationis, quae non fit, nisi cum quadam extensione. Secundo vero modo vtique potest recipere alterationem, idest ratione corporis in quo sunt indiuisibilia, quia alterato toto, necesse est quoque alterari omnia ea, quae in toto reperiuntur.

Conclusio ergo est. Indiuisibilia per se alterari non possunt, per accidens vtique. Prima pars conclusionis sic. Probatur. Primo. Quod non est in potentia ad alterationem, alterari non potest. Sed indiuisibilia, non sunt in potentia ad alterationem, cum hoc sit proprium materiae, & corporis. Ergo non possunt per se alterari.

Secundo. Alteratio est dispositio ad formam substantialem. Sed in indiuisibili non potest esse forma substantialis, cum non consistat in trina dimensione. Ergo.

Tertio. Omnis qualitas est in subiecto diuisibili ex Arist. 6. Phys. tex. 89. Ergo alteratio, quae est qualitas non poterit esse in indiuisibili.

Secunda pars conclusionis est. Indiuisibilia possunt alterari per aliud. i. per corpus in quo sunt. Probatur. Primo. Quod Arist. de motu indiuisibilium affirmauit, de alteratione eorundem non videtur negandum, quia alteratio est motus, & in corpore mobili corruptibili localiter reperitur. Sed Arist. 6. Phys. affirmauit, & si indiuisibilia per se non possint moueri, per accidens tamen sic. Ergo possunt alterari per accidens, idest ratione corporis in quo sunt.

Secundo. Alterato toto, alterantur quae in eo sunt. Indiuisibilia sunt in corpore alterabili. Ergo cum ipso alterantur.

Tertio. Alia est consideratio istorum Mathematica, & alia Physica. Mathematice non alterantur. Ergo Physice sic.

Ad primum principale dicitur, quod minor dupliciter exponitur. Primo, quod colores sint in sola superficie. Secundo, quod in ea sint ratione solius superficiei, & non ratione corporis in quo superficies inheret. Primum est falsum, vnde albedo faciei non est in sola superficie faciei, etiam tenuissima, sed etiam est in facie, quae est pars corporis. Secundum vero potest esse verum si colores considerentur tantū, vt visibiles, sunt enim tantum visibiles ratione superficiei, in corporibus densis, & opacis. At si considerentur, vt sunt in subiecto sunt alterabiles per accidens, quia superficies sequitur in hoc naturam totius.

Ad secundum dicendum, quod in actione, & passione duo concurrunt. Primum est realitas actionis, & passionis, & ista reperitur in corpore, seu in superficie non absolute, vt superficies est, sed vt terminus corporis. Secundum est conditio sine qua non est actio, & passio, & ista reperitur in tactu, quia tactus non est ipsa passio, nec actio, sed conditio necessaria ad actionem, & passionem.

Ad tertium dicitur ad maiorem, quod est vera quando propinquius est susceptiuum actionis. Modo negatur minor, nisi consideremus superficiem, vt iam diximus quatenus est in corpore, & sic per corpus alterari dicitur.

Ad quartum dicitur, quod illi radij recipiuntur in puncto, sed quatenus punctum est in continuo, & lumen etiam continuum est, & habens partes extensas, & sic per aliud dicitur suscipere alterationem.

Ad quintum non oportet respondere, quia pro nobis est.

Ad primum primae opinionis dicitur, quod

suppo-

supponit falsum, scilicet qualitatem positam in indiuisibili per se posse habere extensionem, quod nos negamus, quia sicut indiuisibile manendo indiuisibile, diuisibile fieri non potest, ita nec qualitas indiuisibilis quantumuis intensa, poterit extendi, quia extensione caret.

Ad secundum dicitur, quod nec per se agit, nec per se qualitatem recipit, sed solum per accidens respectu corporis, & hoc tertium concludit; & quartum.

DE AVGMENTO.

QVÆSTIO LXVII.

An augmentatio sit generatio, vel alteratio, vel ab his distincta.

Videtur quod sic. Primo. Id quo posito augmentatio ponitur, & quo ablato aufertur, est augmentatio. Sed posita generatione tali, scilicet maioris partis substantiæ, quam in viuente sit deperdita, augmentatio ponitur, & ipsa ablata augmentatio aufertur. Ergo hæc generatio est augmentatio.

Secundo. Augmentatio est generatio maioris partis substantiæ. Sed generatio maioris partis est generatio. Ergo augmentatio est generatio.

Tertio. Augmentatio mutationi assimilatur, qua ignis in se lignum conuertit. Sed hæc est generatio. Ergo, & illa.

Quarto. In augmentatione est corruptio simpliciter cibi. Ergo ibi est generatio. Nam corruptio vnius, est generatio alterius.

Quinto. Augmentatio fit per nutritionem, nutritio autem terminatur ad maiorem substantiam. At non potest esse maior substantia, nisi per quantitatem. Ergo terminabitur ad augmentationem, & sic nutritio, vel erit augmentatio, vel non erit generatio.

Sexto. Si augmentatio distingueretur ab alijs speciebus motus, esset necesse, quod ipsa esset motus. Hoc non est. Ergo. Probatur minor. Augmentatio fit in instanti, idest quando noua pars in substantia generatur, quod fit in instanti. Motus autem oportet esse in tempore ex 4. Phys.

Septimo ad idem. Noua pars substantiæ, quæ per aggenerationem acquiritur, non incipit per vltimum non esse, sicut motus incipit, ita vt non sit verum dicere. Nunc est noua pars substantiæ, & immediate post hoc erit. Neque potest dici, quod forma alimenti quæ est substantia desinat esse, per vltimum sui esse, sic quod esset verū dicere. Nunc est forma cibi, & immediate post hoc non erit. Nam hæc duo expresse sunt contra Arist. 6. Phys. nam sic daretur, aut materia sine forma, aut cum duabus formis. Ergo aggeneratio erit in instanti.

Octauo. Probatur, quod augmentatio non distinguatur ab alijs motibus penes terminum, quia .s. est ad quantitatem. Augmentatio est motus ad substantiam. Ergo non ad quantitatem. Antecedens probatur.

Primo. Quia quando aliquid augetur, acrescit ei aliquid substantiæ, vt dicit Arist. 1. de gener. tex. 32. & 38.

Secundo. Quia maior quantitas non est id quod primo acquiritur in augmento, hoc enim est noua pars substantiæ, ad quam consequitur augmentum, motus autem non accipit speciem ab eo quod cōsequitur, sed ab eo, quod ipsum primo terminat.

Tertio. In augmento est noua aggeneratio partis substantiæ, & nouæ partis quantitatis, primum primo, secundum ex consequenti. At denominatio fit à primo termino, & non à secundario.

Quarto. Nutritio, & generatio identificantur cum habeant vnum terminum .s. substantiam. Ergo & augmentatio, & generatio, quia terminantur ad substantiam.

Quinto. Quando homo producitur non est motus ad quantitatem, vel qualitatem, quia generatio ad illa non terminatur nisi ex consequenti. Ergo hoc idem dicendum venit in augmento, quia primo terminatur ad substantiam genitam secundum partem.

Sexto. Ex 2. de Anima potentia nutritiua, & augmentatiua idem sunt. Sed potentia nutritiua primo ordinatur ad nutriēdum. Ergo, & augmentatiua, & consequenter non ad augendum secundum quantitatem.

Septimo. Rarefactio est motus distinctus ab augmentatione, & ad maiorem quantitatem terminatur ex Arist. 1. de generat. tex. 23. Ergo augmentatio ad maiorem quantitatem non terminabitur, & sic ab alijs motibus distinguetur.

Octauo.

Octauo. Motus ad quantitatem non est motus ad maiorem quantitatem, quia ista seorsum esse possunt. Ergo augmentatio non erit dicenda motus. Sequela tenet, quia Arist. 5. Phys. dixit speciem motus ab alijs distinctam esse ad quantitatem tantum.

Nono. Motus est de contrario in contrarium per Arist. 5. Phys. tex. 10. At quantitati nihil est contrarium. Ergo non erit motus.

Nono principaliter arguitur etiam, quod augmentatio non differat ab alijs motibus, ex modo tendendi in terminum. s. quia in augmentatione est mutatio loci, in alijs non, vt dixit Arist. 1. de generat. cap. 5. Nam motus localis est primus omnium motuum per Arist. 8. Phys. Ergo nihil potest generari, vel alterari, quod non moueatur localiter, vnde etiam Aris. tex. 55. dixit alteratione supponere motum localem.

Decimo. Augmentatio non est nisi generatio simpliciter. Ergo non distinguitur ab alijs motibus. Antecedens probatur, quia augmentatio ignis, non est nisi generatio noui ignis, & per virtutem intrinsecam ignis, propria enim virtute lignum in ignem conuertit.

In contrarium est Aristot. 1. de generat. cap. 5.

Ad resolutionem huius quaestionis. Primo notandum venit, quod augmentatio, seu accretio, (vt alij dicunt) multis modis sumitur. Nam augmentatio absolute dicitur motus ad quantitatem. Quantum autem, duplex est. Vnum per se, quia secundum se importat quantitatem. Secundum per accidens, & hoc est qualitas, quae crescere dupliciter dicitur, scilicet intensione, & radicatione formae in subiecto. Vel extensione occupando maiorem partem subiecti. Quantum autem per se duplex est. Primum dicitur discretum, vt numerus, quo pacto dicimus Metaphorice crescere numerum inuidorum, & proprie numerum quantorum. Secundum dicitur continuum, & hoc dupliciter crescere potest. Primo, adueniendo aliquo externo. Secundo, non adueniendo aliquo externo. Si fit primo modo hoc erit dupliciter. Primo, cum corruptione, vt dum aqua crescit in aerem. Secundo, sine corruptione, vt dum densus aer, fit rarus. Si fit secundo modo, idest non adueniendo aliquo externo hoc etiam dupliciter fieri potest. Primo, quod illud, quod aduenit est simile, vt aqua aquae aduenit, & sic per pluuias putei, & flumina crescunt, & per flumina lacus, & maria. Secundo, quod sit dissimile, & erit dupliciter. Primo, cum conuersione illius dissimilis in naturam alterius, vt dum vinum per infusionem aquae crescit. Secundo, sine conuersione, & hoc dupliciter. Primo, consurgendo vere vnum, vt circumposito gnomone quadratum crescit, vt dixit Arist. in post praedicamentis. Secundo, non consurgendo vere vnum, sed vnum tantum per cumulũ, & aggregationem, vt ex additione granorum frumenti crescit cumulus millei, vel hordei, & ignis crescit per aggregationem combustibilis. His autem modis proprie, & stricte, non sumitur augmentatio secundum praesentem intentionem, vnde vltimo modo sumitur, vt solis viuentibus conuenit, & fit per susceptionẽ alimenti, & nutritionem, quae partes alimenti conuertit in substantiam aliti, & de ista augmentatione hic disseritur. De augmentatione autem Arist. tribus locis egit. s. in 1. & 5. Phys. in 1. de generatione, & corrupt. & 2. de Anima. In Physicis consideratur, vt est species motus. In libris de generat. vt est affectio corporis alterabilis, & corruptibilis, & non corporis aeterni. In 2. de Anima, vt est ab anima vegetatiua, per nutritiuam.

Secundo considerandum venit, quod in augmentatione multi motus concurrunt. Primus est localis, & hic respicit alimentum, quod ad stomachum currit. Secundus est alterationis, cum calor naturalis conatur conuertire alimentum in substantiam aliti, & illud in principio inueniat ei dissimile, illum per alterationem procurat facere sibi simile. Tertius est corruptionis, quia corruptio cibi, est generatio partis substantiae aliti. Quartus est, vt dixi generatio partialis substantiae, idest partis substantiae, quae aggeneratio nominatur, introducitur enim forma viuentis, in illa substantia, quae erat sub forma alimenti. Quintus est nutritionis, quae est reparatio deperditae substantiae. Tandem reperitur maior extensio substantiae, & acquisitio maioris quantitatis, & sic ponitur motus distinctus ab alijs.

Tertio

Tertio ergo notandum, quod in tacta difficultate sunt tres opiniones. Prima est, quod augmentatio bifariam considerari potest. Primo, vt includit omnes supradictos motus, omnes enim ordinantur ad augmentationem, & ita dicit ipsam ab alijs motibus distingui, vt totum à partibus. Secundo, vt secundum se singularem modum dicit.s. conuersionem cibi in substantiam aliti, & hoc in maiori quantitate, quam sit substantia deperdita, & ita eam vocat non generationem, quia hæc totum respicit, sed aggenerationem quoniam aggeneratur noua substantia priori substantiæ iam existenti, & viuenti, & ita dicit augmentationem esse aggenerationem.

Hanc sententiam tenuit Marsilius 1. de generat. quæst. 10. & ipsum sequuntur nominales dicentes, quod augmentatio non est proprie generatio totius, sed dicitur aggeneratio partis substantiæ coniungendo eam cum substantia genita, quæ aggeneratio si accidenti comparetur dicitur generatio simpliciter, si generationi totius dicitur generatio secundum quid, & potius aggeneratio, quam generatio. Sed contra hanc sententiam est conclusio habens duas partes talis. Augmentatio non est collectiue multi motus, sed est motus singulariter distinctus à generatione. Probatur ergo primo, quod non sit plures motus. Primo enim hoc dixit Arist. & in post prædicamentis, & in 5. Phys. Secundo. Vnius termini vnus est motus. Sed in augmentatione est vnus terminus secundum ea, quæ dixit Arist. 5. Phys. s. augmentum aliti. Ergo debet esse vnus motus. Tertio. Vnitas motus non desumitur ab his, quæ ad ipsum concurrunt, vel antecedenter, vel consequenter, sed ab eius ratione formali, qua ab alijs distinguitur, quia antecedentia, & consequentia materialiter concurrunt, & ratio formalis, formaliter. At augmentatio etsi teneat multos motus antecedentes, & concomitantes ipsam, non tamen vt tales constituunt eius rationem formalem. Ergo dicendum venit, quod secundum se, proprie, & formaliter sit tantum vnus motus.

Secunda pars conclusionis est, quod augmentatio differt à generatione, alteratione, & ab alijs motibus. Hanc Aristotel. probat 1. de generat. cap. 5. Nam distinguitur à generatione, quia generatio terminatur ad substantiam, & augmentatio ad quantitatem, & alteratio ad qualitatem, vnde distinguuntur ratione termini. Distinguuntur etiam ex parte modi, quia quod generatur, vel alteratur non necessario mutat locum, quod vero augetur vtique. Probatur ergo sic. Quæ distinguuntur terminis, distinguuntur motibus ex 5 Phys. At generatio, & augmentatio distinguuntur terminis. Ergo, & speciebus motus.

Secundo. Augmentatio est à subiecto in subiectum ex Arist. 5. Phys. generatio vero de non subiecto in subiectum, vnde augmétatio dicitur motus, & generatio non. Ergo &c.

Tertio. Quod generatur non dicitur moueri, & mutari, sed fieri, quod vero augetur dicitur mutari, & moueri. Ergo distinguuntur.

Secunda sententia fuit Magistri sent. 2. dist. 30. cap. penultimo, & vltimo, Petri Comestoris in materia de acretione in sua hist. ecclesiastica cap. 37. Hugonis de Sancto Victore de Sacramentis p. 6. cap. penult. Alexandri Alensis D. Bonauenturæ, & Alberti Magni in summa de homine quæst. 2. art. 2. Hi docent in augmentatione viuentis, nec acquiri substantiam, nec cibum in substantiam aliti conuerti, sed solum substantiam in generatione acquisitam eadem manendo, vsque ad perfectam quantitatem perduci, vnde dicunt materiam cibi numquam anima viuentis informari, sed solum fomentum caloris naturalis recipere, ne propriam substantiam consumet. Immo secundum Albertum non acquiritur in augmentatione noua quantitas, sed præexistens dilatatur.

Sed contra hanc opinionem ponitur illa conclusio. In augmentatione necessario acquiritur noua pars substantiæ. Probatur. In augmentatione alimentum corrumpitur, & eius materia sine forma remanere nequit. Ergo si forma alimenti corrumpitur, necessarium est, quod transeat sub alia forma viuentis substantialis, & sic sit pars substantiæ.

Secundo. Alimentum in substantiam aliti conuertitur. At hoc non potest fieri sine corruptione alimenti, & ita vt eius materia informetur forma eius, quod auge Ergo noua pars substantiæ aggeneratur

Tertio

Tertio. Augmentatio non est extensio, nec rarefactio, sed motus à minori ad maiorem quantitatem. Ergo alia quantitas in substantia acquiritur.

Tertia ergo sententia, quæ hodie videtur communiter recepta est, quod augmentatio bifariam considerari potest. Primo, in se, & formaliter, vt sua ratione formali, qua ab omnibus alijs speciebus motus distinguitur gaudet. Secundo, vt secum concomitanter trahit aggenerationem, nouæ partis substantiæ, & nutritionem qua mediante hoc præstat. Si primo modo consideretur, specialiter species motus, & constituitur, & denominatur. Importat enim augmentum quantitatis, & eius extensionem. Vnde, & si augmentatio sit aggeneratio nouæ partis substantiæ, quia tamen augmentatio non substantiæ generationem, sed geniti augmentum quantitatiuum inspicit, ideo dicitur esse ad quantitatem, & distingui realiter ab aggeneratione, & nutritione, quæ sunt ad substantiam. Si autem secundo modo consideretur, non inconuenit in eadem actione materialiter concurrere, dum modo formaliter secernantur.

Secundo notandum pro hac parte erit, quod augmentationis duplex est materia. Prima dicitur remota, & hæc est nutrimentum ante conuersionem in substantiam viuentis, & talis materia est dissimilis nutrito, vnde necessario debet alterari, & concoqui adhoc, vt ei fiat similis. Secunda dicitur proxima, & hoc est nutrimentum, concoctum, alteratum, & conuersum in substantiam viuentis, quare antequam viuens augeatur, opus est, vt nutriatur, & tamen nutritiua, & aggeneratiua, & augmentatiua distinguuntur realiter. Ratio est. Quia terminis proprijs distinguuntur aggeneratio enim terminatur ad nouam partem substantiæ genitam. Nutritiua ad maiorem, quam fuerit deperdita. Augmentatio ad quantitatem maiorem, quam fuerat prior.

Ad primum negatur maior, nam si valeret sequeretur, quod pater esset filius, quia posito patre, ponitur filius, & eo ablato filius tollitur. Aliqua enim possunt esse necessario connexa, & tamen non esse identificata, vnde aliud est quod vnum aliud inferat, & aliud quod vnum aliud sit.

Ad secundum dicimus ad maiorem, quod augmentatio sit generatio maioris partis substantiæ potest dupliciter intelligi. Primo, formaliter, & identice, & hoc est falsum, distinguuntur enim. Secundo, causaliter, scilicet ex nutritione, & augmentatione generatur noua pars substantiæ, & hoc est verum, non vt est substantia, vt sic, sed vt est substantia sub extensione maiori quantitatiua.

Ad tertium. Primo, dicimus ad maiorem, quod assimilatio cum igne in hoc stat, quod sicut ignis sibi vnit combustibilia, & coniungit, ita etiam calor naturalis nutribilia, & sicut per appositionem noui combustibilis ignis fit maior, ita ex maiori nutrimento viuens per augmentationem maior fit. Secundo dicitur ad minorem, quod illa non est generatio proprie, sed acretio, & aggregatio vt dicemus.

Ad quartum dicimus, quod ibi interueniunt concomitanter generatio, & corruptio, sed per hoc non probatur, quod sint idem identice, & formaliter.

Ad quintum, quod parum contra nos est dicimus ad minorem, quod maior substantia potest esse duplex. Primo absolute, & sic non dicitur maior, vel minor dimensiue, sed perfectione, & virtute. Secundo, dimensiue, & ita nutritiua nutriendo, & augmentatiua augmentando maiorem faciunt substantiam, cum hoc tamen, quod suis proprijs terminis, actionibus, & modis agendi distinguantur.

Ad sextum negatur minor. Ad probationē dicit Soto 5. Phys. quæst. 1. ad 5. non esse necessarium, vt motus sit semper in tempore, & numquam fiat in instanti, sed bene quod sit subiecti existentis in actu. At nos non approbamus hanc opinionem, vtpote Arist. contrariam, quoniam voluit motum subiectari quidem in subiecto existente in actu, & esse quodam successiuũ.

Dicimus ergo cum Dominico Bannes, quod nutritio, & augmentatio non fiunt in instanti, sed in tempore. Nam alio modo est loquẽdũ de his quæ fiunt subiecto existenti in actu, & alio modo dum est in pura potentia. Dum enim in pura potentia est, acquirit esse, & formā in instanti, dum vero in actu est, successiue ad suum terminum tendit, quia prima est generatio, & corruptio totius, ista vero est motus, & si est generatio aliquo modo, & corruptio,

est per vltimum sui esse.

Ad septimum negatur maior, incipit enim ad modum motus, quia nutritio, & augmentatio veri motus sunt. Ad Arist. autē dicitur, quod loquitur de generatione substantiæ secundum se, & de corruptione, quæ ordinantur ad totum suppositum generandum, vel corrumpendum. Nam in nutritione, & augmentatione semper manet anima, quæ nutrit, & auget.

Ad octauum negatur antecedens. Ad primam probationem dicitur, quod aliud est, quod in augmentatione acrescat aliqua pars substantiæ, & aliud quod intentio naturæ augentis sit ad producendā substantiam, vt substantia est, & non vt per quantitatem fit maior. Primum admittimus, concurrit enim, vt prærequisitum. Secundum vero negamus, quia postquam natura substantiam produxit, eam per nutritiuam intendit nutrire, & per augmentatiuam quantitatiue extendere.

Ad secundum dicitur, quod primo acquiri stat dupliciter. Primo ordine generationis, & sic quantitas non est, quod primo acquiritur, quia est accidens consequens acquisitionem nouæ partis substantiæ. Secundo ordine intentionis naturæ, & sic dum natura nutrit, & auget, non intendit acquisitionem substantiæ formaliter, sed tantum materialiter, formaliter vero intendit substantiam sub maiori quantitate augere, vnde non quiescit, donec hoc expleuerit.

Ad tertium idem dicitur, quia augmentatio quantitatiua ordine intentionis, non est consequens, sed terminans.

Ad quartum negatur antecedens, sunt enim vnum subiecto, sed nō formaliter, & proprijs rationibus.

Ad quintum negatur paritas, quia in generatione intentio naturæ primaria est ad substantiam geniti, sed postquam ipsum genuit dirigitur intentione propria, ad ea quæ ipsam perficere possunt, & conseruare, inter quæ sunt generatio, nutritio, & augmentatio, & hoc per proprias illarum potentias.

Ad sextum diximus esse idem subiecto, quia sunt potentiæ eiusdem animæ, scilicet vegetatiuæ.

Ad septimum dicimus, quod maior quantitas duplex est. Prima causata à nutritiua, & reperta in viuente. Secunda maior tantum dimensio, & extensio, vt fit in rarefactione. Hæ autem distinguuntur, quia sunt à diuersis principijs, & in distinctis subiectis. Vnde extensio quantitatis per augmentationem non est nisi in viuentibus. Patet ergo, quod diuersimode terminantur ad quantitatem, vnde & distinguuntur, & non per hoc quod terminentur ad quantitatem, hoc enim possunt habere commune materialiter, non vero formaliter.

Ad octauum concedimus posse esse motum ad quantitatem, & non esse augmentationem, sed negamus tunc esse motum ad maiorem quantitatem nutrimentalem, & in viuente, nisi fit per augmentationem. Aristot. autem dixit motū augmenti esse ad quantitatem intelligendo maiorem, quia hoc denotat augmentum, sicut diminutio minorationem.

Ad nonum dicimus quantitati nihil esse contrarium, vt quantitas est, vt vero affecta qualitatibus vtique.

Ad nonum principale dicitur, ad maiorē, qđ motus localis prior est causaliter in alio subiecto, nō vero in vno, & eodem, quia potest alterari sine hoc, quod locum mutet, & etiam generari, sed non augeri, quia augmētum facit, vt auctum maiorem occupet locum, intellige non formaliter, sed quo ad dimensionem.

Ad decimum dicitur, quod augmētum ignis non dicitur augmentatio proprie, quia illa conuenit solis viuentibus, & fit ab intrinseco, vnde vocatur iuxta positio, & aggregatio, q. ex pluribus ignibus, fit vnus ignis. Dicitur autem generatio ignis quando in materia combustibili non erat ignis, & deinde ingreditur ad comburendum illud.

QVÆSTIO LXVIII.

An recte definita fuerit sic augmentatio.

Augmentatio est motus per se à minori ad maiorem quantitatem, per virtutem intrinsecam viuentis, quod augetur.

Videtur quod non, & arguitur. Primo, quod non sit motus. Nam motus est inter cōtraria per Arist. 5. Phys. At quantitati nihil est contrarium per eundem in prædicamentis, prædicamento de quantitate. Ergo non erit motus.

Secun-

Secundo. In his quæ sunt ad aliquid non est per se motus ex 5. Phys. At augmentatio est inter magnũ, & paruum, quæ sunt ad aliquid, nã magnũ respectu parui dicitur magnum. Ergo ad eam non erit motus.

Tertio. De ratione motus est, quod sit continuus per Arist. 5. Phys. At augmentatio non est continua per eundem 8. Phys. Ergo non erit motus.

Quarto. Probatur, quod non sit motus ad maiorem quantitatem. Nam hoc fieri nõ posset nisi per nutritiuam. At nutritiua potest nutrire absque hoc, quod augeat nutrimentum ad maiorem quantitatem, vt patet in viris perfectis. Ergo &c.

In contrarium est definitio supradicta communiter recepta, & ex verbis Arist. 1. de gener. cap. 5. elicita.

Sciendum est ergo pro eius explicatione, quod in assignando termino augmentationis motus non est vnus modus dicendi, & ideo laborandum est ad eum inueniendũ, quia ab eo pendet specificatio motus.

Aliqui igitur dixerunt terminũ motus augmentationis esse formam substantiæ, & earum partium, quæ ab Arist. dicuntur secundum formam, & sic secundum hanc opinionem augmentatio terminaretur ad substantiam.

Sed hæc opinio est falsa. Quia terminus motus ad illud prædicamentum pertinet, ad quem spectat motus per Arist. 5. Phys. Sed motus augmentationis attinet ad prædicamentum quantitatis. Ergo, & eius terminus.

Pomponatius dixit eius terminum esse dimensionem nouam consurgentem ex additione nouæ materiæ, & cõsequenter maiorem extensionem præseferentem.

Sed nec hoc placet, quia dimensio maior nõ nominat naturam augmentationis, quæ debet esse a principio intrinseco, & potest esse communis animatis, & inanimatis.

Alij ergo dixerunt esse nec solam formam, nec solam dimensionem, sed vtrumque .i. dimẽsionem formatam, prout dixit Arist. corpora augeri secundum formam, & alimentum augere, quatenus est potestate quanta caro.

Sed nec hic modus explicat terminum proprium acretionis, seu augmentationis, sed solum ad eam requisita de quibus infra, & hoc modo etiam inanimis conueniret.

Zimara in tabula fuit in sententia, quod eius terminus esset extensio quãtitatis, sequẽtis materiam in naturam rei conuersam.

Sed nec hoc explicat propriam naturã augmenti, prout viuentibus competit. Picolomineus tenet magnitudinem perfectã, & imperfectam esse per se terminos augmentationis. Vocat quantitatem perfectam eam, sub qua natura potest obire sua opera, vt anima vegetatiua, generare sibi simile. Imperfecta, quæ non valet hoc peragere.

Sed nec ista placet, quoniam sequeretur non esse augmentationẽ, quãdo nõ sunt opera vitæ perfecta, & sic pueris, spadonibus, ac alijs impeditis ad officia naturæ non inesset.

Dicendum igitur venit, quod terminus augmentationis propriè, quę viuentibus conuenit, & tantum ab intrinseco, est acquisitio maioris quantitatis, facta per nutritiuam, & in viuente. Maior enim acquisitio quãtitatis nominat formaliter motum ad quantitatem, ab alijs speciebus motus distinctam, iuxta ea, quæ vbique, de ea Aris. tradit. Nam sicut motus alterationis est ad qualitatem, ita motus augmentationis est ad quantitatem. Sic enim explicantur rationes formales, & generales horum. Et in hac ratione subintelliguntur superiores, vt quod sit ex imperfectione, ad perfectiorem quantitatem, quod sit cum acquisitione nouæ partis substantiæ, & noua materiæ, omnes enim istæ rationes supradictam comitantur.

Secundo ad maiorem supradictorum explicationem notandum venit, quod in augmentatione quatuor causæ concurrunt. Prima igitur sit efficiens, hoc autem duplex est. Primum dicitur principale, & hoc est anima nutriens. Secundum dicitur instrumentale, & hoc est calor naturalis concoquens. Habet autem concoquere cum quoddam temperamento, & iuxta dispositionem concocti, vnde non est mirum, si aliam partem nutrimenti traducat ad naturam carnis aliam ossis, & aliam nerui, quia tale temperamentum recipit, prout nutrimento secundum eius diuersas dispositiones conuenit.

Causa finalis erit duplex. Prima, dicitur intrinseca, quia ab intrinseco ad eam ordinatur acretio, & hæc erit maioris quantitatis acquisitio, ad hoc enim ordinatur

per se motus augmenti. Secunda dicitur extrinseca, quia non constituit formaliter speciem huius motus, sed tamen ob hanc etiam fit, & ista causa finalis externa erit duplex. Prima dicitur cui, & sic erit anima, nam acretio fit, vt anima per perfectam mollem, possit perfectas operationes suas exercere. Secunda dicitur gratia cuius, & talis erit operatio quam viuens obire debet.

Tertia causa dicitur materialis, & ista est triplex sicut etiam triplex est materia .s. in qua, ex qua, & circa quam. Materia in qua fit acretio est viuens. Ex qua est alimentum. Nam alimentum secundum Aristot. idem tria facit, nam vt est in potentia ad substantiam viuentis, nutrit, vt potest esse vtile, & ad æternitatem operari generat, & vt est in potentia ad quantam carnem, quanta ossa, & quantos neruos, idest ad quantitatem horum auget. Materia ex qua erit quantitas rei augendæ, vt est in potentia ad maiorem, & perfectiorem quantitatem, ex extensione enim illius fit acretio ipsa.

Causa formalis erit ipsa mensura acquisita maioris quantitatis.

Tertio. Notandum venit, quo modo, & ratione acretio, seu augmentatio fiat, de qua re agunt Galenus in primo de naturalibus facultatibus, Auerroes 1. de gener. comment. 38. Philoponus tex. 94. Alexander cap. de mixtione. Considerandum igitur venit, quod vt Plato affirmauit corpus nostrum est simile viridario, & horto, aquis varijs irrigato, per varios ductus latiores, & angustiores. Ita enim etiam in corpore nostro sunt varia receptacula, & diuersi ductus, vt sunt ventriculus, venæ, arteriæ, exigui meatus, & pori, per hos enim sanguis fluit, quasi aqua salutaris, & ex hepate, & corde tamquam ex fontibus deducitur. Primo ergo corporatur alimentum, & tunc circa ipsum quatuor potentiæ occupantur. Prima est attractiua, quæ ipsum attrahit, si enim reijceretur, nutrire non posset. Secunda est retentiua, nequando alteratur, reijciatur. Et tunc est consideranda duplex mixtio. Prima est alimenti aduenientis cum humore antecedente, in poris incluso. Secunda est cum parte, quæ nutritur, dum alimentum ei apponitur, & agglutinatur. Quare antequam sit nutritio tria sunt necessaria. Primum est alimenti appositio. Secũda est agglutinatio cum partibus nutriendis. Et tertia est assimilatio, quæ considerauit Galenus lib. 1. de naturalibus facultatibus. Alimentum enim duplex est. Primum externum, quod ore sumitur. Secundum, est sanguis, quod ab Aristot. dicitur alimentum vltimum, & proximũ ex parte formæ, & hoc est proprie alimentum, nã primum dicitur cibus. Cum igitur hoc secundum alimentum ex cibo sumpto per calorem naturalem primo in sanguinē conuersum est, per venas tenuissimas ad partes nutriendas veluti ad carnem deuenit, & tunc à carne tamquam à spongia imbibitur, & præsertim dum calida, & sicca fuerit. Sicut videmus spongiam citissime aquam absorbere, & partem calidam vinum, vel aquam. Et quia pars nutrienda varijs meatibus est prædita, à calore resoluente, & extendente genitis, in quibus est semper aliquis humor tenuis, ideo primo in eis fit quædam permixtio humoris aduenientis, cum iam præexistente, & tunc ex hac permixtione, & accretione humoris, membrum extenditur, & deinde per calorem naturalem simile carni redditur, & tunc nutrire dicitur. Si autem, quod in carnem conuertitur mollem carnis resolutæ superauerit, augebit. Si vero eam non superauerit, non augebit, sed deperditum tantum reparabit. Et si tantum non operabitur, viuens detrimentum patietur. Post attractiuam igitur, & retentiuam, & assimilatiuam nutrimenti cum substantia nutriti, datur adhuc alia facultas, quæ dicitur expulsiua. Nam primo trahitur alimentum, idest sanguis. Secundo retinetur, vt concoquatur, & perficiatur. Tertio, alteratur, & disponitur vt in substantiam nutriti conuertatur, & ei assimiletur, & tunc officium nutritiuæ absoluitur. Et quia per coctionem excrementa ab alimento secernuntur, ideo datur alia facultas, quę dicitur expulsatrix eorum.

Quarto. Notandum venit, quod extensio præcedit conuersionem alimenti, in substantiam aliti. Diximus enim, quod primo imbibitur à viuente nutriendo, & parti nutriendæ conglutinatur, & tunc extensio fit, vnde præcedit completam conuersionem alimenti, & non eam sequitur, vt dixerunt Iandunus 8. Phys. & Zimara

mara in sua tabula. Per animam ergo nutrientem partes primo viuunt. Secundo, nutriuntur. Tertio crescunt, & qualibet pars suum nutrimentum sumit, secundum illam dispositionem secundum quam se inuenit à natura habuisse. Nec per hoc alimentum quamuis ad superiores partes trahatur, aliud vt descendat,& aliud transeat ad fætus, per hoc dicetur pati motus contrarios, quia considerandum est, secundum,quod toti composito correspondet. Motus enim naturalis dupliciter dici potest. Primo,secundum se, & sic omne graue deorsum descendit, & omne leue sursum ascendit, & ita humor, & omne nutrimentum cum teneat naturam grauis,deorsum deberet descendere. Secundo, vt correspondet alicui toti, & ita potest graue, & leue alium motum sortiri. Nam ignis secundum se sursum tendit, in sua sphera vero circuraliter mouetur. Ferrum tendit deorsum, vt vero correspondet influxibus cæli ad magnetem mouetur. Ita in pane recente, vel spongea aqua, vinum,vel aliud humidum videmus sursum ascendere, quia natura omnibus tribuit quandam côuenientiam cum alio, vnde ei obedit. Itaque natura conseruatiua viuentis, & omnium eius partium, sollicita fuit, vt qualibet pars in corpore suum haberet temperamentum, & per hoc ad se suo modo attraheret nutrimentum, vnde hic motus dicitur naturalis, non vt secundum se consideratur, sed vt alteri correspondet,cum quo habet affinitatem,symphatiam, necessitatem, &c.

Quinto notandum rãdem venit, quod vt ex definitione acretionis elicere possumus, his conditionibus secundum Arist. septa esse debet. Prima, quod dum totum crescit,proportionaliter etiam qualibet pars crescat, quoniam acretio est affectio totius, & ideo in totum redundare debet, maxime cum fiat per communem facultatem toti corpori, & non tantum alicui parti. Secunda est, vt fiat aliquo corporeo extrinsecus adueniente,non enim vera acretio fieri potest, sine noua materia cui quantitas cohæret. Tertia est,vt quod crescit,post augmentũ sit idem,quod erat ante, quia in augmentatione non variatur substantia,sed quantitas,quæ est accidens. Circa autem has conditiones,quas tradidit Arist.1. de generat.cap.5.difficultates mouebuntur.

Conclusio ergo est. Recte fuit definita augmentatio sic. Augmentatio est motus per se à minori ad maiorem quantitatem per virtutem intrinsecam viuentis, quod augetur. Probatur. Illa est bona definitio,quæ constat ex genere, & differentia, & explicat naturam definiti, facitque illud differre à quocunque alio. Talis est ista. Ergo est bona. Maior patet ex conditionibus bonæ definitionis. Minor probatur. Nam ly motus se tenet loco generis,quia multæ sunt species motus, vt patet ex 5. Phys. Ly à minori ad maiorem quantitatem ponitur ad differentiam. Primo motus alterationis, qui est ad qualitatem, & localis, qui est ad vbi, & generationis,& corruptionis,qui sunt ad substãtiam. Secundo ponitur ad differentiam decretionis,quæ est a maiori ad minorem quantitatem. Ly per virtutem intrinsecam viuentis, ponitur ad explicandam naturam propriæ acretionis, quæ est ab intrinseco,ad differentiam aliarum augmẽtationum, quæ non sunt ab intrinseco, vt supra explicatum est.

Ad primum. Primo dicitur ad maiorem, quod motus est inter contraria, vel inter ea quæ se habent vt contraria, vt minus, & magis. Secundo dicitur ad minorem, quod quantitati nihil est contrarium contrarietate proprijssima,& positiua,quæ se tenet inter duas formas mutuo se expellentes ab eodem subiecto, est ei tamen aliquid contrarium contrarietate incompossibilitatis, quæ est inter maius, & minus, quia maius non potest esse minus, dum maius est.

Ad secundum negatur minor, si sit sermo de relatiuis secundum esse, & proprijs. Secundo dicitur, quod magnum, & paruum bifariam considerari possunt. Primo formaliter,vt magnum,& paruum,& sic possunt dici relatiua, & vt sic ad ista non est motus. Secundo materialiter, vt datur minor quantitas,quæ augeri potest, & diuersas denominationes recipere, & sic ad illa est motus, seu transitus de vno ad aliud,vt patet in augmentatione.

Ad tertium. Primo dicimus ad maiorem, quod duplex est continuitas. Prima simpliciter,quia tenet vnitatem mobilis,formæ, temporis, & termini, & hanc stricte non damus augmento,vt probaui 8. Phys.

ex

ex mente Arist. Secunda, secundum quid, & virtualis, quia dato, quod viuens non semper augeatur, tamen vel augetur, vel decrescit, vel est in dispositione ad vnum horum, & talis continuitas ad motum augmenti sufficit, non enim omnes species motus metimur eadem continuitate.

Ad quartum diximus, augmentum esse per nutritiuam, sed non diximus semper, ideo de his supradictis disputabimus modo.

QVÆSTIO LXIX.

An possibile sit viuens semper augeri.

Videtur, quod sic. Primo. Quantum calor naturalis crescit, tanto etiam augmentum fit, quia calor naturalis est causa augmenti. Sed calor crescit, & fortior semper efficitur materia subiecti aucta, vt patet in igne, qui si firmius fit in ignito actiuis vrit, & actionem suam in longiorē spheram diffundit. Ergo calor cum corpore crescit, nec ætate minuitur.

Secundo. Facilius alimentum, facilius concoquitur, ac in substantiam aliti conuertitur. At possibile est, quod quis in virili ætate facilius, & melius alimentum sumat, quam in iuuenili ætate. Ergo si in iuuenili crescit, & in virili crescet.

Tertio. Calor naturalis non minus est fortis, & potens ad conuertendum alimentum in substantiam aliti, quam sit ad primeum humidum depascendum, quia conuersio alimenti cum sit perpetua, causam efficaciorem tenere debet. Ergo propter humidiorem ætatem non dabimus alito augmentum.

Quarto. Multos videmus post annum quadragesimum ex macilentis, fieri obesos, & pingues, & in latera diffundi. Ergo si in largum crescunt, poterunt & in altum crescere, cum non sit maior ratio de vna loci differentia, quam de alia.

In contrarium est Arist. 3. de Anima tex. 59. vbi ponit nutritiuam quandoque augere, & quandoque ab eo deficere.

Notandum est ergo primo cum Hippocrate lib. de carnibus, quod ætas hominis potest triplex assignari. Primam dicemus augmenti, & hæc percurrit secundum quosdam vsque ad 21. annum, & secundum alios vsque ad 25. In ista enim ætate calor naturalis validus est, & robustus, & ideo nisi malus cibus obstet, vel infirmitas impediat, semper plus alimēti in substantiam aliti conuertit, & in omnem partem diffundit, quam ex corporis substantia, quæ semper fluit, decedat. Secundam vocabimus conseruationis à 25. anno vsque ad 50. in qua calor naturalis temperamentum suscepit, & ideo non extendit alitum in altum, sed ipsum in suo statu conseruat. Tertiam appellabimus descensus à 50. vsque ad 80. in qua calor tepescit, & nutritiua tabescit, & ideo plus viuens perdit, quam acquirat, quousque pergat ad mortem. Patet ergo, quod ex vberantia caloris est causa accretionis, quæ cum vsque ad quandam ætatem viuentem adiuuerit (sit homo, animal, vel planta suo tamen modo) tandem deficiendo, ipsum augmento priuat.

Secundo. Notanda sunt hic quædam circa hoc singulare. Primum, quod vt docuit Arist. 2. de gen. rat. anim. cap. 18. quod homo in anno quinto suæ ætatis solet obtinere dimidium suæ staturæ, & magnitudinis, quæ toto vitæ suæ decursu comparatur. Et secundum Plinium lib. 9. cap. 16. trimatui id adscribit dicendo. In trimatu suo cuique dimidium esse mensuram staturæ certum est.

Secundum est, quod vt tradit D. Augustinus lib. 15. de ciuitate Dei cap. 26. altitudo hominis à vertice vsque ad vestigia sexies tantum est, quantum latitudo, quę est ab vno latere ad alterum latus, & decies tantum, quam altitudo, cuius altitudinis mensura est in latere à dorso ad ventrem, velut si iacientem hominem metiaris supinum, & pronum, sexes tantum longus est à capite ad pedes, quam latus à dextra in sinistram, vel à sinistra in dexrram, & decies, quam altus à terra. Sed optimam staturam hominis, & proportionatam tradunt multi esse quatuor cubitorum, seu sex pedum. Nam cubitus constat vno pede cum dimidio, pes quatuor palmis, palmus quatuor digitis secundum latitudinem inter se iunctis, digitus quatuor granis hordeaceis, & hæc est minima mensura in dementiendo spacium. Vide Vitruuium cap. 1. lib. 3. Maurolicum Dialogo 3. Vegetium lib. 1. de re militari cap. 5. & Cælium lib. 3. cap 21.

Tertium est, quod causæ staturæ magnæ, vel paruæ sunt. Prima, sydera, vt suo loco dixi.

xi. Secunda parentes, quos vt plurimum nati in statura imitantur. Tertia, calor naturalis fortis, & temperatus. Quarta alimentorum copia, ab quorum defectum dicit Arist. in Problematis sect. 10. prob. 14. proueniunt nonnumquam Pumiliones. Quinta ciborum qualitas, nam dulcia, & pinguia augent, & aquę potus plusquam vini. Frigida vero, & sicca, & sitis minuunt. Sexta est tempestiua, & moderata membra exercitatio, quies opportuna, laborum vacuitas, molestiarum fuga, & illa quæ decoctionem promouent. Vide Hippocratem lib. de aere, aquis, & locis.

Quartum est, quod dentes tota vita crescunt, vt docuit Arist. 2. de generat. animalium cap. 4. quia cum attritu consumentur, & eorum necessitas ad commolendum cibum sit perpetua, natura prouidit eis de perpetuo incremento extraordinario.

Quintum est, quod mares solent esse maiori corpore, quam fœminæ secundum Arist. in problematis sect. 10. problemate 10. quia mares naturam integram, & perfectam sortiuntur, & fœminæ mancam, & oblæsam, & quia masculi sunt fęminis calidiores.

Ad primum negatur minor, quia quamuis materia crescat in quantitate, non tamen crescit in perfectione, quia cum humido primogeneo perfectior est, quam cum incipit deficere, & dico ad augendum. Vnde alia ratio est de igne, & alia de calore naturali, calor enim naturalis ex superueniente quantitate non accipit virtutis, & acrimoniæ incrementum, sicut ignis facit. De hac re vide Vallesium lib. 6. contra med. cap. 1. Marcellum 2. de Anim. c. 69. S. D. 2. sent. dist. 30. quæst. 2. art. 2. ad 5.

Ad secundum dicendum ad minorem, quod augmentum non solum pensatur ex calore naturali, aut ex alimento, sed etiam ex virtute nutriente, quæ sicut, & aliæ res habet suam periodum, sic, quod cum creuerit, & auxerit vsque ad quodam præfinitum tempus, cesset amplius augere in longum. Habent enim naturalia sua incrementa, & decrementa, quia natura eis modum, tempus, & virtutem determinauit. Quare in virili ætate calor in quibusdam augebitur, & non faciet augmentum in altum, quia non est amplius cum natiuo humido, & quia augmentatiua suos terminos attigit.

Ad tertium dicendum, quod calor naturalis facilius, & naturalius humidi partes in iuuenili ætate dissoluit, quam alimentum in augmentum conuertat, quia cum primo habet maiorem connaturalitatem, & conuenientiam, quam cum secundo, vnde diuturnior potest esse causa, sed non tantum operatiua. Secundo dicitur, aliunde etiam esse pensandam causam, non accretionis, scilicet, quia vis nutritiua, vt augmentatiuæ coniungitur, in prædiffinito tempore terminum suscepit.

Ad quartum dicitur, quod ad augmentum proprie sumptum duæ conditiones concurrunt. Prima, quod fit in longum, quia accretio in latum, non augmentum, sed grossities denominatur, dicimus enim tantum altas arbores, quæ in sursum sunt altæ, & grossas, quæ in stipite sunt obesæ, & grossæ. Secunda est, quod etiam tunc ossa crescant, quia si caro tantum crescit, pinguedo crescit, & non res ipsa. Difficilior autem est accretio ossium, quam carnis, quia cum nutriantur ex medulla, & sit opus, vt sanguis in medullam primo conuertatur, accretio difficilior redditur, caro enim sua mollitudine, & calore cito sanguinem recipit, & in carnem conuertit. Adde ossa esse dura, & sicca, & ideo difficilius nutriri, & augeri.

QVÆSTIO LXX.

An dum augetur totum, augeantur etiam omnes eius partes.

Videtur quod non. Primo. Augmentum fit per additionem nouæ materiæ sub quantitate. Sed in augmento totius non omnes partes recipiunt maiorem quantitatem, & materiam, cum non omnes partes sint proximæ ad recipiendum alimentum. Ergo &c.

Secundo. Pars quæ recipitur in poris, vel erit maior poro quem subintrat, vel minor, vel æqualis. Si maior non poterit intrare. Si æqualis, vel minor non augebit, quia accretio fit ex maiori quantitate.

Tertio. Si quælibet pars augeretur, auctum æqualiter porrigeretur in omnes dimensiones.

siones. At hoc est falsum; quia quidam crescunt subtiles, & quidam cum vno membro maiori, quam alio, immo sic homo in rotundum conglobaretur. Ergo.

Quarto. Sunt quædam partes, quæ morbo, vulnere, &c. aruerunt. Ergo saltem istæ tunc non augentur.

In contrarium est Aristotel. 1. de generat. & corrupt. tex. 32. vbi dicit, quod augmentum suscipit, quamlibet eius partem, nutritiua augere potest.

Circa præsentem difficultatem plures sunt modi dicendi. Nam Auerroes 1. de gener. comm. 38. existimat quodlibet minimum corporis naturalis, habere suum porum minimum, vnde inter minima mediet porus, in quo recipitur sanguis, qui est materia nutrimenti, & augmenti, & sic sanguis in poro receptus nutrit, & auget omne minimum per iuxta positionem.

Pro notitia autem huius opinionis, & aliarum declarandi sunt termini. Porus enim dicitur quædam cauitas, & meatus in corpore nostro inclusus, per quem fluunt excrementitij humores, & noxij, & alimenti partes minutim fractæ in poris excipiuntur, & ad augmentum viuentis perducuntur. Hi autem pori, & meatus in corpore multi sunt, & in omnibus partibus existunt, non tamen eodem modo, quia in quibusdam apertiores sunt quam in alijs, & latiores, non solum dico in partibus, verum etiam in diuersis viuentibus. Hi autem augeri non dicuntur, sed augmentationi deseruire ponuntur, & sunt partes solidæ, & non minimæ.

Secũdus terminus est ly augeť p iuxta positionẽ. Nã augmẽtũ dupliciter fieri potest. Primo, quantitatiue tantum, vt quantitas parua fit maior, si alia ei addatur. Secũdo, extensionẽ maioris quantitatis sicut aqua per iuxta positionem, quia s. quęlibet pars alterat nutrimentum, iuxta se, & prope positum, & illud sibi simile facit conuertendo illud in sui naturam, caro faciendo alimentum carnem, os os, & neruus neruum, vnde ista acretio potest dici alteratiua, & generatiua.

Opinio ergo Comment. fuit, quod corpora viuentium plena sint huiusmodi poris, & meatibus, ita vt qualibet minima eorum pars teneat suum porum, per quem ab alia minima etiam parte diuidatur.

Sed hæc opinio reijcitur. Primo. Quia in corpore viuenti non datur minima pars homogenea, idest minimum carnis, & ossis, si partes viuentis considerentur, vt ad aliquas functiones sunt ordinatæ. Secundo. Quia sic corpora essent tantum porosa, quantum solida, quod experientię contradicit. Tertio. Quia vnum corpus est altero porosius, patet autem vnum corpus esse altero magis compactum, & solidum, & consequenter minus altero porosum.

Secundus igitur modus dicendi fuit Marsilij quæst. 13. & Alberti quæst. 12. 1. de generat. Hi dicunt in corpore esse partes porosas, & solidas, sed diuersimode augeri. Porosæ augentur (dicunt) per susceptionem cibi intra se, & solidæ per iuxta positionem ad latera, quia qualibet alterat cibum iuxta se positum, & in sui substantiam redigit.

Sed nec ista laudatur. Primo, quia dicit partes porosas augeri. Hoc enim dupliciter intelligi potest. Primo, per se, & hoc non admittitur, quia nõ sunt vt accrescant, sed vt sint viæ per quas alimentum transit ad augmentum. Secundo, per aliud, quia crescendo viuens, pori etiam dilatantur, & hoc non censetur inconueniens, sed connexioni totius consentaneum. Secundo, quia pori non videntur manere semper idem, cum dicantur partes quædam prius soliditate vacuæ, quæ postquam repletæ sunt, iuxta eas alij pori fiunt. Quod autem augetur, idem semper manere debet. Tertio, quia etiam pori aliquo modo sunt partes solidæ, pro quanto habent quandam subsistentiam, & temperamentum, ex quo non omnes eodem modo dicuntur porosi.

Dicendum est ergo cum peritioribus, quod in corpore nostro sunt multi pori, & meatus, per quos alimentum transit, adeo vt in omnibus sint partibus, & ideo omnes partes augeri. Quod natura instituit. Primo, vt essent viæ ad eijcienda excrementa, & noxios humores, ne corpora inficerent, & per easdem vias traheret alimentum, ad resarciendum deperditum. Alimentum enim duplicem viam habet. Prima est vena, per quam, & quas sanguis fertur ad omnes fere partes corporis. Dantur enim quędam venæ magistrales, multas alias tamquam ramos habentes transuersales, & per has omnes sanguis currit,

vt

vt possit nutrire omnes partes. Secunda est porus, & meatus prope venas stantes, & sanguinem à venis exugentes, sic enim sanguis à venis exit, vt sudor a carne, non quod sanguis ex se egrediatur, sed quod à virtute partium exugatur. Quare pori modo pleni sunt excrementis, modo alijs humoribus, modo vapore, & modo sanguine, & tunc fiunt viæ propriæ ad nutriendum, & augendum, quando opus est, vel reparandum.

Causa autem effectiua horum pororum est calor naturalis, interiores corporis partes resoluens, & consumens, ex quarum resolutione, & consumptione vacuitates internæ supersunt.

Sed quod hi pori non dentur quidam probant. Primo. Quia cum non detur vacuum, sunt aliquo corpore repleti. At si pleni, non poterunt aliud corpus recipere alimenti, quoniam non datur penetratio corporum, nec duo corpora possunt esse simul.

Secundo. Sic viuens ex nutrimento non augeretur, sed repleretur, cum ponamus alimentum poros replere. Neque dicendum, quod per eorum repletionem fiant noui pori, & tunc caro dilatetur, & neruus, quia per Arist. nutrimentum, & augumentum non sunt simul, sed vnum post aliud.

Tertio. Illi pori ponuntur fieri ex eo, quod ex diminutione superest. Hoc autem est ad æqualitatem, vnde non videtur posse esse augmentum, quod debet esse ex superabundanti.

Quarto. Quia pori ponuntur in medio carnis, ideo non apparet quomodo cibus possit transire, cum anteriores prius veniant repleti, quia quælibet pars sibi attrahit.

Sed tamen dicitur ad primum, quod pori cedunt cibo, idest corpori replenti poros.

Ad secūdum dicitur, quod cum pori cibo replentur tunc virtus viuentis simul incipit conuertere, & alterare, & nouos poros facere, & exinde caro dilatatur, vel os, vel aliud.

Ad tertium dicitur, quod pori fiunt ex excrementis, & vaporibus resolutis, vnde sunt maiores, quam partes resolutæ, vel diminutæ, & plus cibi capiunt, quam sit deperditū, imò quam possint conuertere. Nec in omni tempore sunt æquales, quia in iuuenibus sunt maiores, & in senibus minores.

Ad quartum dicitur, quod cibus prius trahitur per calorem à partibus superioribus, quam in inferioribus sistat, nam partes interiores ab exterioribus sumunt, & hæ ab alijs, donec ad venas perueniatur.

Notant aliqui vlterius esse differentiam inter partes nutrimentales, & spermaticas, quod spermaticæ vsque ad definitum tempus crescunt, & si decrescerent, non repararentur, sicut reparantur, & crescunt aliæ partes, nam si quis infirmatur, vel alio malo extenuetur, malo ablato, & sanitate recuperata, caro imminuta crescit, & iterum dilatatur. Partes autem spermaticæ in longum augentur, quia calore magno afficiuntur, proprium est autem caloris in altum tendere, & erigere.

Conclusio ergo est. Dum fit augmentum, simul cum toto omnes partes augentur. Probatur. Augmentum esse non potest sine nutritione. At quælibet pars viuentis dum augetur, nutritur. Ergo qualibet augetur. Minor probatur. Calor naturalis per omnem partem corporis diffunditur, & ex omni illa aliquid detrahit, & consumit, ergo est necessarium, quod per nutritiuam omnis pars reparetur, & eo amplius si crescat.

Ad primum ergo dicitur ad minorem, quod quædam partes immediate, & proxime nutriuntur, scilicet proximiores, & aliæ his mediantibus, sed simul.

Ad secundum dicitur, quod illi pori quandoque possunt esse constricti, & accipiendo nutrimentum dilatari, sicut flatu vtres inflantur, & quandoque possunt esse repleti, sed humore cedente, vel possunt se dilatare, & sic maius corpus recipere.

Ad tertium negatur maior, quia nutritiua, & augmentatiua sequuntur virtutem formatricem corporis ex qua tale temperamentum sunt adeptæ, & sic illud augent, & nutriunt, prout à natura formante eis prædeterminatum est.

Ad quartum dicitur, quod pars arida, vel est omnino arida, & vita priuata, vel adhuc aliquo modo viuit. Si primum, nec nutritur, nec crescit, quia caret principio nutriente, scilicet anima, quæ est eius primum principium. Si secundum, nutritur & ipsa, & si ita bene non deprehendatur, propterea, quod & in ea calor aliquod detrahit, vnde restauratione indiget.

QVAESTIO LXXI.

An in augmentatione eadem numero forma mortalis, & idem suppositum maneant.

Videtur quod non. Primo. In augmentatione non est eadem materia signata. Ergo nec idem numero suppositum. Consequentia est nota, quia suppositum vnum, est vnius materiæ signatæ. Antecedens probatur per Arist. & S. D. 1. de generat. tex. 35. & comm. 42. vbi dicitur, quod virtus speciei in viuentibus, non determinat sibi aliquam materiam signatam, sicut in non viuentibus.

Secundo. In animalibus imperfectis, vt in lacertis, & vermibus, & in plantis, sicut materia est extensa per quantitatem, ita etiam forma, vnde in eis partes materiæ, & formæ fluunt, & refluunt, crescente enim substantia, consecutiue forma crescit, & in diminutione diminuitur. Ergo cum materia, & forma sint in continuo fluxu, post longum tempus non erunt, quod prius.

Tertio. Nec valet dicere, quod materia manet sub eadem figura, & situ, quoniam constat in plantis fieri variationem etiam secundum situm, & figuram, dum plurimos ramos germinant.

Quarto. Hoc idem in homine deprehenditur, qui in senectute eandem materiam non habet, quam iuuenis fuerat adeptus. Parum autem impedit, quod illa materia imperceptibiliter varietur, nam ista imperceptio variationem non tollit secundum se.

Quinto. Destructo subiecto, destruuntur, & ea quæ in ipso sunt. At partes materiæ plantæ continuo corrumpuntur, & hæ sunt, quæ formam sustentant. Ergo cum eis corrumpitur etiam tota forma plantæ.

Sexto. Dum forma extensa nouam partem materiæ sibi incipit informare, aut partem illam quam prius informabat, deserit, vel priorem, & istam informat. Si primum, non augebit. Si secundum, erit indiuisibilis, quia est tota in materia priori, & tota in materia posteriori, quod formæ extensæ, & diuisibili non competit.

Septimo. Si paulatim materia recedente, forma remanet, & in alia materia de cuius potentia non fuit educta, sequitur, quod erit aliqua forma corruptibilis in materia, de cuius potentia non est educta, quod absurdum est.

Octauo. In noua materia, vel est forma, quæ erat incorrupta, vel alia. Si alia, ergo prima erit corrupta. Si prima, iam non potuit esse sine materia. Ergo erat in parte materiæ antecedentis, quæ est corrupta. Ergo, & ipsa.

Nono. Forma extensa educta de potentia materiæ ab ea dependet, ita vt non possit ab ea separari sine interitu totius. At sicut forma tota dependet à tota materia, ita pars à parte. Ergo si illa est inseparabilis sine corruptione, forma quoque partis erit inseparabilis, & si separatur, corrumpitur.

Difficultas ista oritur ex verbis Arist. 1. de generat. tex. 37. vbi dicit in augmentatione manere eandem formam, non vero materiam, sicut manet idem vas, & si per ipsum alia, & alia aqua fluat. Quæritur ergo quomodo possit esse, quod cum forma sit in materia, materia recedat, & forma stet, & ex hoc dicatur manere idem suppositum.

Primo ergo notandum venit, quod duo textus sunt, qui faciunt difficultatem in hac re. Primus est, quod id quod crescit, idem numero manet, & quod id quod crescit, secundum formam crescit, & non secundum materiam, nam cum sint relatiua videntur simul fluere, crescere, & deficere. Variæ igitur sunt Doctorum expositiones. Nam Marsilius dicit, quod seruetur idem numero stat tripliciter. Primo, maxime proprie, & sic cælum semper seruatur idem numero. Secundo, proprie, & sic idem numero seruatur, quod secundum principalem partem seruatur, vt dũ homo seruatur per animam immortalem. Tertio late, & sic dicuntur ea seruari, quibus per æquiualentiam alia succedũt, vt partes viuentis fluentes, quia eis aliæ continuo succedunt. Ita dicunt, quod augmentatio est secundum formam, idest secundum partes porosas in quibus fit augmentum, & non secundum partes solidas, quas materiales vocant.

Sed vtrumque dictum refellitur. Primum, quia Arist. dixit aquam vasis variari, quia vna alteri succedit, & tamen essent idem secundum æquiualentiam. Secundum, quia

quia Arist. loquitur de omnibus entibus naturalibus, non autem omnia entia habent distinctionem partium porosarum, & non.

Hinc alij dixerunt sermonem Arist. esse de solis viuentibus, in quibus manet semper eadem forma, & ideo esse semper idem numero.

At ista est prima absurdior, quia patet Arist. loqui de omnibus habentibus materiam, & formam, vt exemplum vasis, & aquæ patefacit. Secundo, quia falsum est omnem animam esse indiuisibilem, & est contra Arist. 2. de Anima ponentem animas plantarum, & imperfectorum animalium extensas. Variæ sunt aliorum expositiones, quas legere poteris apud Franciscum Picolomineum lib. de Acretione cap. 10. Veritas autem istius ex veritate alterius propositionis patebit, scilicet, quod idem crescit secundum formam, & non secundum materiam. Albertus ergo docet in animali esse partes in triplici differentia. Quædam enim dicuntur habere rationem formæ, & continentis, & hæ sunt, quæ aliquam operationem in corpore exercent, vt sunt membra. Aliæ vero solum rationem materiæ habent, & hæ sunt, quæ non habent aliam peculiarem actionem, præter viuere, vt caro, adeps, pinguedo.

Quædam vero sunt mediæ, & istæ sunt in triplici differentia, quædam enim se tenent ex parte formalium, non enim sunt formales, quia non sunt membra, se tenent tamen ex parte formalium, quia tenent aliquod officium, & operationem in corpore, vt venæ, & arteriæ, quibus fertur nutrimentum, & nerui quibus motus exercetur. Aliæ sunt, quæ se tenent ex parte materialium, vt ossa, & cartilagines, quæ non agunt, sed sunt veluti fundamenta corporis. Quædam vero sunt, quæ de vtroque participant, vt musculi, qui ex neruo, & carne constant. Vult ergo Albertus sensum Phil. esse, quod partes materiales hic materia vocentur, & formales forma, vt sit sensus, quod manentibus membris, venis, & ossibus, decrescũt, & augentur, caro pinguedo, & alia huiusmodi.

Hæc expositio vera est, sed extra Phil. intentionem, cum loquatur de omnibus naturalibus.

Alexander etiam duplices partes distinxit, scilicet in spermaticas, idest, quæ fiunt ex semine, vt ossa, cartilagines, venæ, nerui, cerebrum, cor, hepar, & similia, & non spermaticas, idest, quæ non fiunt ex spermate, sed adduntur partibus factis ex spermate, vt sunt caro, pellis, pinguedo, & similes. Dicit autem spermaticas vocari formam, non spermaticas materiam, & quod primæ manent, secundæ neutiquam.

Sed & ista expositio non acceptatur, vt coarctans dictum Phil. solum ad viuentia, cum tamen Phil. loquatur de omnibus naturalibus.

Auerroes hinc dixit per materiam intellexisse materiam, quæ est pars compositi, per formam alteram eiusdem partem, & actum, sed propositionem Arist. habere hunc sensum, quod acretio effectiue non est à materia, sed à forma.

Sed & hęc nihil est, quia fit comparatio inter vas, & formam, patet autem vas non efficere aquam.

Dicendum igitur est, quod augmentum fit secundum formam, & non secundum materiam, quia forma manet, non materia verum est intelligendo cum S.D. per formam naturam specificam, & per materiam ipsum singulare, prout dixit Arist. 1. de cælo tex. 92. Qui dicit cælum, dicit formam, qui hoc, certam formam, cum materia. Et in 2. Phys. tex. 31. ait, totum, & compositionem esse formam, idest naturam constantem ex materia, & forma specifice. Sicut ergo inquit D. Tho. idem populus dicitur, quamuis alij, & alij sibi succedant in populo, & idem dicitur fluuius, & si alia, & alia aqua fluat, & idem ignis, & si eidem aliud, & aliud combustibile apponatur, ita semper manet forma, idest natura suppositi, & si alia, & alia materia in eo reperiatur. At quomodo hoc verum sit videndum venit.

Secundo ergo notandum venit, quod triplex est forma partis, & vna totius. Forma totius, vt dixi est natura ipsa specifica, vt dicit compositionem ex materia, & forma, vt sic. Forma vero partis prima dicitur perfecta, & indepẽdens, indiuisibilisq. & hæc est anima intellectiua. Secunda dicitur indiuisibilis, sed dependens, vt animæ perfectorum animalium. Tertia dicitur diuisibilis, & dependens, vt anima

plantarum, & imperfectorum animalium. Ista enim pro nunc supponimus vt vera, quia in 2. de Anima sunt à nobis probata, & defensata contra Toletum, Aegidium, Iandunum, Appollinarem, Marsilium, & alios, qui tenent animas perfectorum animalium irrationalium esse diuisibiles. De forma ergo totius.i.de natura clarum est, quod in nutritione, & augmentatione semper manet, & hoc in omni natura, quia ex additione nouarum partium non transit natura de specie ad speciem. Idem conceditur etiam de anima intellectiua, quæ non dependet à corpore. Supponamus etiam pro nunc non esse grauem difficultatem hoc idem affirmare de animabus perfectorum animalium; dicendo, quod & si illorũ materia continuo fluuat, & alia, & alia succedat, anima semper tamen manet eadem toto tempore augmentationis, quia cũ hæ sint indiuisibiles, & totę in totis, non videtur quomodo eis alia pars aduenire possit. Difficultas ergo tota posita est in animabus imperfectorum animalium, & plantarum, quæ cum diuisibiles sint, & extensæ, videtur dicendum, quod corrupta parte materiæ, corrumpatur etiam pars formæ, quæ in ea erat, & educatur alia pars de nouo.

Aliqui enim censent durum esse, & difficile ad credendum, quod dum cibus in substantiam aliti conuertitur, non educatur à cibo noua forma, & quod in diminutione materiæ non amittatur pars formæ, quæ in illa erat.

Attamen aliud sentire dicuntur S. D. 2. de Anima lect. 9. Albertus Magnus opusc. de nutritione tract. 1. cap. 3. & tract. 2. cap. 1. Aegidius 1. de generat. cap. 5. Paulus Venetus supra textum 37. Dominicus Bannes quæst. 5. & Burleus tract. de intens. & remiss. cap. 3. Pensandum igitur venit, quod forma extensa dicitur vna actu, & multæ in potentia, & virtute, vt testatur Arist. 2. de Anima, quare videmus vermem, & lacertam, & arbores abscisos viuere. Sicut ergo dum verbi gratia ramus ab arbore absciditur, & in terra plantatur, viuit, & crescit, dicitur viuere, & crescere virtute illius animæ, quæ arborem informabat, quia anima rami abscisci est anima actu huius, quæ erat illius virtute, vnde crescit in arborem eiusdem speciei, & conditionis, ita possumus dicere manere in istis eandem animam, sed variari statum, vnde in actu sunt duæ animæ, & duo singularia, sed dum separantur. At si in vno supposito vna anima consideretur, vt virtute est informatiua, omnium partium sibi aduenientium, non poterimus dicere nouam formam aduenire, vel secundum partem interire, sed solum secundum diuersum modum re vna eademque manens se habere.

Conclusio ergo est. In augmento imperfectorum animantium manet eadem forma numero. Probatur. Primo per Aristot. tex. 36. vbi dicit augmentationem esse secundum formam. Et tex. 37. quod manet eadem forma, & materia recedit; sicut manet idem vas, quauis aqua alia, & alia fluuat. Ergo in augmento permanet eadem forma.

Respondent aduersarij per formam intellexisse Arist. naturam, seu formam totius, non vero formam hanc, vel istam, quæ dicitur forma partis, iuxta expositionem superius datam.

Sed quamuis expositio sit vera, in proposito tamen non videtur sufficiens ad saluandã totam intentionem Phil. Vera est quidem expositio, sed non præcisa, adeo vt nõ possit etiam intelligi de forma partis, quod nec negauit S. D. Arguitur igitur sic. Tunc forma seruatur, quando eius essentia seruatur, & si eius modus aliquo modo immutetur. At anima imperfectorum in noua additionẽ materiæ seruatur, quia virture poterat omnem materiã sibi coniunctam informare, (est enim vna actu, multiplex virtute.) Ergo dicendum venit, quod & si materia abscedat, ipsa tamen remaneat.

Secundo. Idem subiectum quod corrumpitur finaliter, idem est, quod genitum fuit, & alterationem terminauit. At hoc non esset si materia, & forma in augmento, & nutritione perpetuo corrumperentur. Ergo & si hoc de materia dicatur, de forma negandum venit.

Respondet Toletus, quod manet idem subiectum terminatiue, quia ei superadditur noua materia, & noua forma, sicut si corpori bipedali adderetur noua dimensio, & fieret tripedale, manet enim tunc in eo materia, & forma aliquo modo, & si non omni modo bipedalitatis.

Sed hæc responsio non tollit difficultatem; quia

quia aliud est comparare suppositum auctum ad immediatam sibi augmentationẽ priorem,& aliud comparare eius primam generationem, ad vltimam corruptionẽ. Arguimus enim. Materia tota,& tota forma, quæ fuerunt in generatione corruptæ sunt ante vltimã eius corruptionem, dico secundum totum, & totaliter, si res diu vixit. Ergo hoc quod modo finaliter corrumpitur, non est illud quod primogenitum fuit, quia corrupta est tota materia, & tota forma.

Tertio. Si in augmento materia, & forma corrumperentur, sequeretur quod idem esset augmentum viuentium, & non viuentium, verbi gratia, ignis, dum cõuertit lignum in sui naturam,& fuit ex stuppa genitus,tunc enim est alius ignis, quia tota materia stuppæ est consumpta, & forma amissa, cum lignum nouum ignem faciat.

Respondet Toletus duplex esse discrimen inter augmentum viuentium, & ignis. Primum,quod ignis non crescit secũdum omnem partem, sed solum secũdum eam, secundum quam ei apponitur combustibile,si sursum,sursum, si ad latus, ad latus. Viuens autem crescit secundum omnem dimensionem. Secundum,quod ignis sumit secundum suas partes exteriores alimentum, viuens vero ab intrinseco.

Vera sunt hæc, sed quid ad argumentum? Differentiæ enim extrinsecæ, & accidentales non variant naturam rei. Arguimus enim, quod si ignis nouus ligni, non est ignis prior stuppæ, quia mutata est materia, & forma, & ideo non vocatur vnus ignis essentialiter, sed per aggregationẽ, vt patet ex 2. de Anima. Ergo & viuens idem,erit aliud viuens, cum tota materia generationis,& forma fuerint corrupta.

Quarto. Sic animata possent crescere in infinitum. Probatur,quia esset augmentum per iuxtapositionem similis in actu, sicut est augmentum ignis.

Respondet Toletus viuentia non sola appositione crescere,sicut crescit ignis,sed per conuersionem cibi, & actione circa ipsum, in qua virtus naturalis debilitatur, in igne autem intenditur.

Sed nec hoc est ad propositum. Propterea quod in vltimo augmento non reperitur nec prior materia, nec prior forma, quæ præfuerunt in generatione, vnde considerando statum illius viuentis, tunc non videtur esse,nisi iuxta positio. Debilitari vero, & non debilitari, augeri ab intrinseco,vel non variant modum,sed non tollunt nodum.

Nec dicere, quod partes spermaticæ semper manent sufficit, quia etiam ipsæ fluunt, & si difficilius, vnde si accipiamus,cartilagines, venas,&c. quæ fuerunt in nato, non erunt illæ materialiter, & formaliter quæ sunt in moriente octuaginta annorũ, quia cum semper & ipsæ aliquam patiantur mutationem, sicut in augmentum, ita & decrementum oportet in longa ætate deuenire ad aliam materialitatem, indiuidualem. Sed si istæ partes ab Aristot. vocantur forma, anima quid nam erit? materia non est, ergo forma. Ergo partes spermaticæ sumuntur pro materia. Confirmatur. Quia anima dicitur actus corporis organici, tamquam forma materię. Corpus autem est organicum per membra, & partes spermaticas.

Quinto. Formæ viuentium distinguuntur a formis non viuentium. Istæ non manent. Ergo viuentium sic.

Ad primum negatur assumptum. Ad probationem dicitur, quod per materiam signatam duo possumus intelligere. Primum est materiam hanc in actu, sub hac quantitate, & sic talem non sibi determinat, quia ista variatur, & corrumpitur. Secundum est ordo, & determinatio ad tantam quantitatẽ secundum diuersa tempora,& diuersimode, idest, secundũ quandam latitudinẽ, & sic sibi determinat tantam quantitatem,&c. prout explicuimus 5. Metaphys. in quæstione de principio indiuiduationis.

Ad secundum dicimus formam illorum non fluere secundum se, sed extensiue, prout modo informat partes ad quas erat in potentia, vnde sicut dicit S.D. de longitudine, & breuitate vitæ lect. 3. quod animal dicitur vnum, quia semper habet idem cor, & eadem arbor, quia habet easdem radices, quod si mortuum fuisset primum cor,vel exsiccatæ priores radices, non esset idem homo,nec eadem arbor,ita si defecisset prima anima in viuente, non esset idem viuens,& ideo variatur modus non substantia.

Ad tertium dicitur, quod non solum manet figura, & situs, sed etiam anima, quæ est forma.

forma. Vnde patet quantum aberrent, qui partes spermaticas vocant formam, de qua Arist. 1. de gen, cũ materiales sint, & miror Toletum dixisse talem expositionem non esse de mente Arist. & eam acceptasse ad quintum respondendo.

Ad quartum dicimus esse eundem hominẽ, quia anima, cum omnibus suis potentijs eadem est, & materia, vt est signata per talem ordinem ad hanc formam, quantitatem, & qualitates.

Ad quintum dicimus ad maiorem, quod valet de subiecto totali, modo dum aliquæ partes corrumpuntur, aliæ succedunt. Secundo dicimus, quod & si varietur materia, vt est sub hac quantitate in actu, non tamen vt est signata ab agente, sicut explicatum est.

Ad sextum dicitur, quod incipit informare & istam, & potest esse in ista tota, sed non indiuisibiliter, quia est vna actu, & multiplex virtute, vnde ramus abscisus plantatus, per singularem animam modo viuet, & prius per animam totius arboris viuebat.

Ad septimum dicitur, quod de illa materia noua dicitur educta virtualiter, idest, habuit determinationem, vt si ei coniungeretur, ab ea dependeret etiam in esse, & conseruari. Et per hoc patet ad octauum.

Ad nonum dicitur, quod pars dependet à parte, quo ad actum informationis, à tota actu virtutis, & potestatis.

QVÆSTIO LXXII.

An augmentatio sit motus continuus.

Hanc quęstionem examinauimus in 8. Phys. quæst. 8. sed propter nouos impugnatores cogimur etiam modo eam vintilare.

Videtur quod sic. Primo. Si non esset continua esset in instanti. Hoc falsum. Probatur. Quia tunc augeri, & auctum esse simul essent. Ergo.

Secundo. Motus augmenti est circa quantitatem, sicut motus localis circa spacium, ita vt sicut localis est diuisibilis per spacium, ita & augmenti per terminum, vt dicitur 6. Phys. tex. 49. At motus localis dicitur continuus, quia est diuisibilis. Ergo & augmenti.

Tertio. Motus de contrario in contrarium fit in tempore, & motus in tempore est continuus. At talis motus est acretio. Ergo.

Quarto. Augmentatio fit sicut extensio caloris per lignum. Talis est continua. Ergo & augmentatio.

Quinto. Augmentatio dicitur velox, vel tarda. Ergo continua, quia hæ sunt differentiæ motus continui, & temporalis.

Sexto. Motus est actus entis existentis in potentia ex 3. Phys. At si acretio componeretur ex instantibus esset actus existentis in actu, cum quodlibet instans sit in actu. Ergo &c.

Septimo. Vnus numero motus, & non interruptus est motus continuus. Talis est augmentatio per Arist. 5. Phys. text. 35. Ergo &c.

Octauo. Quod habet latitudinem successiue acquiritur, ad differentiam substantiæ, quæ quoniam latitudine caret, in instanti acquiritur. At motus augmenti latitudinem habet, quoniam non fit per minima. Ergo &c.

Nono. Corruptio alimenti potest esse continua. Ergo, & augmentatio facta ex conuersione cibi in substantiam aliti.

Decimo. Sic posset acretio non esse motus, si prima pars maioris quantitatis acquiratur in instanti, quia tunc posset natura sistere, & sic fieret acretio sine motu.

Vndecimo. Motus augmenti includit motum localem, quia non potest esse sine acquisitione noui loci. At motus localis est continuus, vt ab omnibus conceditur. Ergo & motus augmenti.

Circa hanc difficultatem non immorabor, quoniam quæ dixi in Physicis, ad eius resolutionem faciunt. Nam in quibusdam non est difficultas, & in quibusdam sic.

Conueniunt DD. motum augmenti non esse continuum, vt continuum idem est, quod perpetuum, quia soli circulari perpetuitas conuenit. Nec esse continuum per totum tempus vitæ, quia habet præ-diffinitum tempus, iuxta dicta in superioribus. Nec quodlibet augmentum esse continuum, vt patet in eo, quod augetur per aggregationem, vt cumulus lapidum, & aggregatio ignium, quoniam hic solum loquimur de continuo ab intrinseco, quod est tantum in viuentibus. Nec quod augmentum, quod fit in vno poto, vel in vna corporis parte fit continuum, cum eo, quod fit in alio membro, vel parte,

cum hę partes possint esse separatæ.

Diffident vero. Primo an acretio, seu hoc augmentum, quod in vno poro fit, vel in toto viuente secundum partes suas, & in illis partibus fit motus continuus, vel discretus. Secundo dato, quod esset discretus, an fieret per minima, vel non. Tertio, an hoc, fit verum in augmento, & decremento, vel alia fit ratio augmenti, & alia decrementi.

Quod enim augmentum sit motus continuus tenuerunt Gregorius 1.d.17.quæst. 2.art.1. Burleus 3. Phys.tex.6. Thienensis lib.5.quæst.3. Iandunus 8. Phys. quæst.7. Amadeus 1. de generat. quæst. 2. art. 1. Marsilius quæst.14. Saxonia quæst.13. Iauellus sibi contrarius 2. de generat. in epit. cap. 3. cum oppositum docuisset 8. Phys.quæst.6. Sotus 5. Phys.quæst.3.art.2. Dominicus Bannes 1. de generat. quæst. 10. & Conimb.cap.5.quæst.16.

Oppositum docuerunt expresse Aristot. 8. Phys. tex.23. Auerroes 3. Phys. comm.8. Albertus Magnus 8.tex.23. Ferr.quæst.6. Soncinas 8.Metaphy.quæst.22.& 28.Cap. 1.dist.17.quæst.2.art.2. Pomponatius lib. 1. de nutritione, & augmentatione cap.9. Franciscus Toletus 1.de generat. quæst.9. & S.D.8. Phys.tex.23. & alij multi. Tota autem difficultas posita est in explicando quomodo dicatur motus discretus. Diximus ergo in Phys. quod augmentatio sit motus continuus stat dupliciter. Primo, formaliter, & actualiter, & hoc negauimus cum Arist., quia pars augmenti, & pars eiusdem non comparantur adinuicem, sicut vnum totum continuum, nullam discretionem habens, sed cōseruntur sicut dispositio, & actus, quia augmentum huius partis actuale, est dispositio ad sequens augmentum, ita vt sint, vt actus, & actus, quamuis vnus sit actus, & dispositio ad alium actum, vnde cadit quædā quies. Secundo, virtualiter, & æquiualenter, & sic se tenet vt motus continuus, quia pro eo tempore, pro quo res ipsa crescit, crescit absque diminutione, & absque cessatione, vnde est per diuersa instantia cum hoc tamen, quod vt vnum est dispositio alterius possit dici temporanea. Vide ergo 8. Phys.

Ad primum argumentum in contrarium negatur minor, & ad probationem dicimus vnum instans comparari ad aliud, vt dispositio.

Ad secundum dicimus, quod motus augmenti bifariam considerari potest. Primo, vt dicit simpliciter augmentum, & hoc mensuratur vno instanti, & est indiuisibile. Secundo, vt dicit augmentum secundum quandam dimensionem, & portionem, & sic habet aliquam diuisibilitatem. Ista autem est dispositionis, & actus, vt diximus.

Ad tertium dicimus, quod motus contrarietatis in quantitate non est duarum formarum, & ideo proprie contrarius, sed est contrarius secundum esse perfectum, & imperfectum, & hic potest esse discontinuus.

Ad quartum negatur minor, est enim, vt dispositionis, & actus. Secundo dicitur, quod dato, quod esset continua, idest sine interruptione temporis, non tamen esset continua continuitate formæ.

Ad quintum dicitur, quod dicitur velox, vel tarda, vt simul sumitur cum alteratione præcedente, non secundum se simpliciter.

Ad sextum negatur minor, quia vnus actus acretionis alteri comparatur, vt dispositio ad ipsum, & per hoc patet ad septimum.

Ad octauum aliqui dixerunt fieri per minima, Toletus non. Dicendum venit, quod minimum est duplex. Primum dicitur temporis, & sic dicitur fieri per hoc minimum, idest per instans. Secundum dicitur formæ acquisitæ, & sic potest esse non per minima, quia cum dilatantur pori, & substantia ingrediens, & tandem extendens, & augens, potest esse notabilis quantitatis, habet ergo latitudinem termini acquisiti, non temporis in quo acquiritur.

Ad nonum dicimus, quod corruptio non est continua, quia fit in instanti.

Ad decimum dicimus, quod in eo casu esset motus non repugnanter, quia secundum se posset vlterius progredi, si autem non fieret, esset propter impedimentum.

Ad vndecimum dicitur, quod motus augmenti includat motum localem stat dupliciter. Primo, formaliter, ita vt induat eius naturam, & hoc negamus, quia solus motus localis stricte, & proprie potest dici continuus, vt docuit S.D.6.Phys.tex. 32.& 1.2.quæst.52.art.3. & 2.2.q.24.a.6. Secundo consequenter, & sic est verum, quia ad augmentum sequitur maior loci occupatio.

QVÆSTIO LXXIII.

An sola viuentia augeantur.

Videtur quod non. Primo. Nam augmentatio per partes porosas fit. Sed hæ partes reperiuntur etiam in non viuētibus, vt patet in quibusdam lapidibus crescentibus, quod fieri non posset, nisi haberent partes porosas. Ergo augmentum non solum viuentibus, verum, & inanimis, vt lapidibus conuenit.

Secundo. Ignis inanimatus est, & conuertit combustibile in suam substantiam per virtutem sibi connaturalem. At virtus connaturalis intrinseca est. Ergo ignis ab intrinseco augetur.

Tertio. Motus augmenti est secundum omnes partes. At tale est augmentum ignis, nam si in medijs flammis proijciatur oleum, vel puluis tormētaria, conspicue videbimus, quod flamma, & ignis in omnē partem augebuntur. Ergo &c.

Quarto. Quod nutritur, augetur. At ignis nutritur, per Arist. 2. de generat. tex. 50. Ergo augetur.

Quinto. Sicut accidit dum aqua vino infunditur, ita etiam euenit dum alitum augetur per Aristot. vt supra tex. 42. At dum aqua vino infunditur, vinum secundum omnem partem augetur, vnde quęlibet eius pars debilitatur. Ergo &c.

Sexto. Si Deus suppleret vicem ignis in calefactione, esset motus calefactionis successiuus in calefactibili, & tamen esset ab extrinseco. Ergo non officit inanimatis, quod dicantur augeri, quia augentur ab extrinseco.

Septimo. Ignis alitur dum educit subtile humidum de calefactis, & in eo sustentatur, & conualescit, & augetur per appositionem combustibilium, & perit nisi alimento horum conseruetur. Ergo conuenit ei nutrimentum necessario, & augmentum.

Respondetur, quod duplex est augmentum. Primum dicitur commune, & latum, idest aliqua acretio, & augmētatio rei, sit quomodolibet, & talis non potest negari in omnibus miscibilibus, & vnionem habentibus. Secundum dicitur proprium, & strictè dictum, & de hoc est præsens disputatio.

Secundo. Ergo notandum venit, quod augmentum propriè sumptum ista tenet.

Primum, quod auctum propriè nutriatur, & augmentum propriè fiat per nutritionem, prout docuit Arist. 2. de Anima, tex. 46. dum dixit. Quoniam autem nihil alitur, non participans vitam, animatum vtique erit corpus quod alitur, inquantum animatum. Idem repetit 1. de gener. tex. 41. Nutritio autē fit ab intrinseco, & per calorem naturalem, resoluentem cibum, & alimentum in dissimilares partes rei nutritæ, quæ conditiones rebus vita orbatis conuenire non possunt, sunt enim similares in partibus, calore naturali alimenti consumptiuo carent, & nutritiua, cum ista sit potentia animæ vegetatiuæ, vnde ex hac prima conditione propriè eis nequit augmentum conuenire.

Secundum est, quod auctum per se, & sua natura moueatur ad augmentum, nam non viuentia ad maiorem quātitatem moueri possunt, non tamen ab intrinseco, sed tantum ab extrinseco, quia sua natura non ordinantur ad operationes animæ, nutritiuam, augmentatiuam, & generatiuam in similitudinem eiusdem speciei, esset enim inconueniens videre effectū sine sua causa propria, & inspicere operationes animę sine anima.

Tertium est, quod augmentum sit rei auctæ à natura prædeterminatū, & in tempore, & in magnitudine. Possunt equidem esse multa mineralia quæ crescunt, & iterum effossa redeunt, (si de quibusdam licēt credere) sed horum augmentum neque est per virtutem nutrimentalem, sed per calorem lucis, neque est prædeterminatū in tempore, cū vel semper surgat sicut fons à terra, vel tandem deficiat, absque aliqua vnquam reparatione, sicut fit in viuentibus.

Quartum est, ex S.D. 2. de Anima, tex. 46. & quæst. vnica de Anima, art. 13. ad 15. quod vis augmentatiua per se ordinetur ad auctum per se, immediate, intrinsece, & vt augmentum est eius perfectio quantitatiua. Quare videmus plantas non producere ex se fructus nisi sint in quadam augmentatione, nec puer potest generare, quousque ad ætatem conuenientē, & magnitudinem peruenerit. Inanimata vero sub quacunque quantitate, & in omni tēpore possunt si sunt simplicia suas operationes exercere proportionaliter, vt ignis

semper

semper potest calefacere, & aqua humectare, &c. & si sunt mixta vt lapides, & mineralia valent suas proprietates producere. His igitur conditionibus augmentatio septa, nisi viuentibus conuenire potest; & quamuis sit res nota, tamen claritatis gratia ponitur.

Conclusio q est. Augmentatio proprie sumpta conuenit solum viuentibus. Probatur. Primo. Illud quod proprie augetur, per nutritiuam intrinsece operatem augetur. At nutritiua est in solis viuentibus: Ergo & augmentum. Maior est Arist. 2. de Anima, tex. 46. Minor patet, quia nutritiua est potentia animæ vegetatiuæ.

Ad primum primo dicimus ad maiorem, quod crescere per partes porosas, non est propria, & sufficiens ratio augmenti proprij, quia plures aliæ conditiones requiruntur. Secundo dicitur ad minorē, quod lapides non augentur. Primo, quia non viuunt, nam augmentatiua est potentia animæ. Secundo, quia non nutriuntur, vt videmus, nullo enim alimento à natura sustentantur. Tertio. Quia non habent organa, membra, venas, & alia membra necessaria ad trahendum alimentum coquendum, digerendum, in substantiam aliti conuertendum, operationes viuentis exercendum &c. Quare si in fluminibus, ac torrentibus sæpe de nouo maiores lapides apparent, dicito, quod impetu aquarum ex montibus, & ripis trahuntur, vel abrasa terra discooperiuntur, & si augerentur, esset augmentum improprium.

Ad secundum dicitur primo, quod ignis ex multis combustibilibus non est vnus nisi per aggregationem, vt docet S. D. 2. de Anima tex. 46. Ferr. 4. contra Gentes c. 81. Caiet. p p. q. 7. & Iauellus 2. de Anima tract. 3. cap. 4. Bannes tamen 1. de generat. quæst. 4. distinguit, quod duplex est ignis. Primus genitus ex multis prunis. Secundus ex combustibili, vt flamma. Primus est vnus per aggregationem. Secundus non, & credo, quod velit dicere materialiter esse plures ratione combustibilium, formaliter ratione flammæ, & incendij nequaquam. Sed melius dicetur, quod est vnus non per se, & ex natura rei quia sic nec habet nutrimentum, nec augmentum, sed per accidens, inquantum accidit plura combustibilia vno igne cremari, vnde ei non conueniunt conditiones proprij augmenti, & nutrimenti.

Ad tertium dicitur primo, quod flamma potest in omnem partem crescere, ignis tamen accenditur ex ea parte, quà ei apponitur combustibile. Secundo dicitur, quod non est sufficiens ratio augmenti, quia desunt aliæ conditiones.

Ad quartum dicitur, quod est impropria nutritio, & ita dic ad alia argumenta, ipsa non probare nisi nutritionem, & augmentum improprium, & late sumptum, notatis enim conditionibus omnia ruunt. In metallarijs enim humor crescit, & induratur actione solis.

QVÆSTIO LXXIV.

Dubia, & problemata de augmentatione.

Primum problema de acretione est. Cur pueri primo sunt pomiliones, idest, sunt maioris quantitatis in capite, cum illud magnū, & grossum habeant, & deinde magis in partibus inferioribus crescant, quam in superioribus. Quod est quærere cur primo sint magni in superioribus, & deinde in inferioribus magis crescant.

Respondetur, quod pueri habent cerebrum frigidum, & humidum, multisque excrementis oppletum, qui deinde à calore coquuntur, & secernuntur, & ideo capite abundant in pueritia. Crescunt vero in inferioribus partibus proinde magis, quoniam natura alimenti est inter grauia, & melius descendit, quam ascendat.

Secundum est. Cur membra, vt ossa, caput, crura, digiti, brachia, & similia magis in figuram rotundam inclinent, quam in aliam.

Respondetur. Huiusce tres esse causas. Prima est cælum, quod inferiora producit in sui similitudinem, quantum potest, & expedit. Secunda est perfectio talis figuræ, æmulatricis continentiæ, & capacitatis, quare homo si spectetur, figuram circularem redolere conspicitur. Vmbelicus enim, vt centrum se tenet, pedum extremitates, & manuum, circunferentiam annuunt, æque distantia. Tertia est immediata, & proxima, & ista est calor positus in medio, qui inde aptus fit omnem partem in rotundum extendere. Quod fit, quia sic particulæ omnes exactius conne-

ctuntur, magis læsiones vitant, robustiores redduntur, & solidiores efficiuntur.

Tertium est. Quomodo in ætate stabili, nec nerui, nec ossa crescant, nec reficiantur, caro vero vtique.

Respondent Medici in animali duo esse genera membrorum. Quædam vocant seminaria, & spermatica, quæ ex semine ortum duxerunt. Alia sanguinea, quia ex sanguine alimentum, & augmentum desumunt, vt caro, & ideo dicunt carnem crescere, non membra spermatica, prout nos etiam diximus supra. Sed melius dicitur, quod etiam ossa, & nerui in quadam ætate crescunt, nerui dum humore abundant, vt in pueris, & ossa dum impinguantur, vt in eisdem. In senibus autem ossa sunt arida, vel exsiccari magis incipiunt, quia calor naturalis in eis deficere incipit, & propterea in eis ossium, & neruorum non datur augmentum, carnis sic, quia ex alimento semper sanguis generatur, & ex sanguine caro.

Quartum est. Cur viuentia prius secundum longitudinem augmentum trahunt, & deinde secundum latitudinem.

Respondetur hoc triplici ratione effici. Prima, quia prima ætas maxime calida est, est autem proprium caloris sursum tendere. Secunda, quia ossa, & nerui puerorum sunt humidiora, & ideo facilius extenduntur, quam in senibus, in quibus sunt frigidiora, & ficciora. Tertia est, quia natura sollicita est, prius lineas principales extendere, & postea eis addere, vnde homo prius surgit in altum, & deinde dilatatur in latum.

Quintum est. Cur cum viuentia semper nutriantur, non tamen semper augentur.

Huic dictum est supra esse, quia in primeua ætate calor multus auget, & vbi debilitari incipit, deficit.

Sextum est. Cur inanimata gignantur perfecta sic, vt valeant sibi simile generare, non sic viuentia.

Respondetur hoc prouenire. Primo, quia in anima non possunt in seipsa agere, quoniam habent partes similares, animata vtro, cum sint æterogenea tenent vnam partem in aliam operantem, & ideo in hoc se successiue perficiunt. Secundo, quoniam inanima contenta sunt, & perfecta in suo statu ex existentia, at animata vlterius se perficiunt in operationibus, cum sint ad operandum, magis, & minus pro eorum virtute, & dignitate, & ideo in his crescere debent. Tertio, propterea, quod natura in perfectioribus ab imperfecto ad perfectum progreditur, vt melius mirabile eius opus dignoscatur, admiretur, & celebretur.

Septimum est. An principium acretionis viuentium sit internum, vel externum. Nam Arist. 1. de generat. tex. 34. & 2. de Anima, & de partibus animalium asserit principium acretionis, seu augmentationis esse internum, & hoc esse animam nutritiuam. At 4. de cælo tex. 24 dicit. Quod crescit, & sanatur extrinsecus habet principium, & 8. Phys. tex. 20. & 5. 1. in quit sola latione animalia se mouere posse.

Respondetur de facili, quod duplex est principium acretionis. Primum dicitur remotum, & hoc est alimentum, quod ab extrinseco mendicatur. Secundum dicitur proximum, & hoc est internum, ideft anima nutritiua. Ad libitum autem animal solutum se potest mouere motu locali, non vero motu nutrimenti, nisi adsit nutrimentum, nec augmenti sine virtute augmentatiua.

Octauum est. An principium acretionis sit in medio viuentis, vel in parte superiori. Nam Arist. de iuuent. & senect. ipsum statuit in medio viuentis. Et in 2. de cælo tex. 8. hoc collocat sursum in viuente.

Respondetur breuiter, quod principium augmenti proprium, proximum, & effectiuum est in medio viuentis, quia ibi est cor, nutritiua, & calor naturalis, vt in sua sede, principium vero instrumentale, & remotum est sursum, ideft, os, per quod intrat alimentum, ex quo fit nutrimentum, & deinde augmentum.

DE DECREMENTO.

QVAESTIO LXXV.

An detur decretio, seu decrementum.

Videtur quod non. Primo. Vel calor viuentis est efficax, vel debilis. Si efficax acretionem faciet. Si debilis, nec augebit, nec diminuet. Ergo non erit decretio.

Secundo. Vel decretio est naturalis, vel non. Si non, non erit nisi in aliquo, &

per

per accidens. Si naturalis dicatur, obstabit, quod natura tendit ad bonum per Arist. in principio moralium Nichomachiorum. Ergo non ad diminutionem, cum teneat locum priuationis, & consequenter mali.

Tertio. Id quod mouetur, sub vtroque termino idem manet per Arist. 5. Phys. At quod decrescit idem non manet sub vtroque termino, nam si minuitur, idem non seruatur. Ergo non est decretio.

Quarto. Quando aliquid minuitur, vel minuitur id totum, quod præcessit, vel id solum, quod remanet. Non totum, quia hoc variatur, nec idem est. Non id solum, quod remanet, quia hoc numquam maius fuit.

In explicationem huius difficultatis animaduertendum venit, quod Arist. in initio c. 5. 1. de generat. ponit discrimen inter generationem, & augmentum, & decrementum, quod generatio terminatur ad substantiam, augmentum vero, & decrementum terminantur ad quantitatem. At quomodo decretio terminetur ad quantitatem cũ sic eius priuatio hoc est, quod aliquam difficultatem facit.

Secundo. Ergo notandum est Arist. 1. de generа. cap. 5. tex. 41. insinuasse modum quo decretio fit, dum ait. Quod si quis in vini amphoram aquam infundat, vinum quidẽ auget, quousque vis vini aquæ virtutem superat, at cum aqua tantum multiplicatur, vt potentiam vini exuperet, vini natura deperditur. Ita dum nutritiua, & augmentatiua vigent, viuentem augent, sed cum viribus franguntur, non possunt tantum reparare, quantum calor naturalis continuo consumit, & sic decretio fit. Recte autem Phil. vsus est hoc exemplo, quia sicut virtus vini aquæ permixtione minuitur, ita calor naturalis admixtione impurioris humoris, cum præcedente puriore, & ex continuata actione, & repassione caloris successiue attenuatur. Nam supradicta similitudo pendet in virtute, non in mole, quia sicut aqua continuo vino apposita augetur quantitate, & minuitur virtute, ita quamuis viuens ad senium proficiscens ex multis excrementis super abundantibus possit impinguari, tamen in virtute debilitatur, vnde amplius non potest generare.

Tertio. Notandum venit, discrimen esse inter acretionem, & diminutionem, quod acretio pensatur secundum longitudinẽ, & altitudinem, decretio vero secundum latitudinem, vnde dicimus crescere niuentia dum in altum magis se extollunt, & decrescere dum macrescunt, & attenuantur. Horum autem duplex est ratio. Prima est literalis, nam ossa arida sunt, & in longitudinem trahuntur, neque ista vnquam contrahuntur, & ideo secundũ longitudinem non fit decretio. Verum est, quod quia nerui flectuntur in senibus ob defectum caloris sursum dirigentis, quod aliquo modo potest etiam dici decretio secundum longitudinem, sed per accidens. At decretio partes humidas requirit, idest carnem, & pinguedinem, & ideo his extenuatis fieri dicitur. Secunda est naturalis etiã, s. quia calor naturalis est ille qui augmentum facit, & eius remissio decrementum. Caloris autẽ proprium est sursum tendere, & eleuare, quapropter iuuines in quibus abundat, crescunt. Frigoris vero est proprium coarctare, & inclinare, & ideo longitudinem tollit, & carnẽ mollem attenuat, quare in nutritione decrescentium raro noua caro, os, vel neruus reficitur, vnde eorum nutritio est potius quædam solidorum irroratio, & cuiusdam humoris effusio, vt dum aspersione aquæ herbas virides seruamus. Sed quia calor naturalis semper debilitatur, & ex consumptione humidi natiui frangitur, mirũ non est: Si carnes senescẽtium nigriores, aridiores, & duriores reddantur, quia magis qualitatibus terræ .s. siccitati, & frigiditati assimilantur, nam resolutis humoribus, partibusque magis aereis, & dulcioribus, partes arridiores remanent, quæ sunt deterioris odoris, coctionis, saporis, & nutritionis.

Quarto. Notandum veniunt causæ decretionis. Causa effectiua priuatiua est remissio, imbecillitas, & impotentia caloris contraria enim ad idem reducuntur, vnde sicut vis, & potentia caloris est causa acretionis, ita eius imbecillitas est causa decretionis. Sed scito quod decretio bifariam considerari potest. Primo, per se, & ita est priuatio augmenti, sua natura enim est priuatiua. Secundo, vt habet adiunctam alterationem, & sic est quoddam reale deficiens à perfectione, quod fit per deficiẽtiam caloris ab intrinseco, & ab extrinseco

to per animi curas, quæ cor vrunt, & per aërem ambientem, & motum, quę corpora resoluunt. Causam finalem per se non habet, idest vt proprium terminum, habet tamen alienum, quia se habet vt corruptio, cuius terminus est alterius generatio. Causa eius formalis est ipsa diminutio, & imperfectio molis. Materialis est corpus, quod minuitur.

Conclusio ergo est. Datur decretio, seu diminutio. Probatur clara experientia sic. Opposita apta nata sunt fieri circa idem. At viuens aptum natum est augeri. Ergo & minui. Probatur, quia ista opponuntur.

Ad primum dicimus, quod decretio prouenit ex debilitate caloris, qui prius dum erat efficax, augebat, & dum factus est debilis, & consumpsit multum humidi radicalis relinquit viuentem extenuari. Ad argumentum autem dicitur, quod diuisio debet esse talis. Vel calor naturalis est efficax, vel inefficax, vel æqualis inter efficaciam, & debilitatem. Si efficax, auget, si deficiens, deficere permittit. Si æqualis nec auget, nec minuit.

Ad secundum dicitur, quod decretio est res naturalis in suo ordine, & ita corruptio. Ad argumentum dicitur, quod priuatio bifariam potest considerari. Primo, formaliter, vt est priuatio, & ita potius dicenda est innaturalis, quam naturalis, quia tendit contra intentionem naturæ particularis, esse cuiuslibet rei, pro quanto potest conseruare intendentis. Secundo, materialiter, idest, vt est natura, quæ ab intrinseco deficit, ob compositionem contrariarum qualitatum, & ita est naturalis, vnde omne compositum ex contrarijs naturaliter corrumpitur. Secundo dicitur, quod priuatio est mala bono, quod tollit comparata. At in ordine ad naturam vniuersalem est bona, quia ex ea aliquod maius bonum resultat, scilicet ordo vniuersi, vt deficientia, & corruptibilia suam periodum ferunt.

Ad tertium negatur minor. Ad probationem dicitur, quod manere idem stat dupliciter. Primo, secundum materiam. Secundo, secundum formam. Decrescens manet idem secundum formam, secundum vero materiam manere idem stat bifariam. Primo, inuariabiliter, & hoc non, quia semper aliqua pars fluuit. Secundo, cum variatione aliqua, & ita verum est, & per hoc distinguitur ab alimento, quod omnino in substantiam vaiti conuertitur, & totaliter desinit esse.

Ad quartum dicitur, quod diminuitur illud, quod præcessit, dum ipsum diminutio tangit, & minuitur, quod remanet, quia decretio est continua, cum calor naturalis perpetuo consumat aliquid de viuente.

QVAESTIO LXXVI.

An decrescens ita decrescat, vt nulla pars remaneat, quæ fuit in ortu.

Videtur quod sic. Primo. Nam partes materiæ perpetuo fluunt, & non remanent eadem secundum Arist. 1. de generat. Ergo possibile est, quod omnes fluuant, & nulla remaneat.

Secundo. Arist. vt supra comparat partes materiæ fluuentes aquæ, per vas transeunti, quoniam vas semper stat, & aqua tota fluuit, & ita forma remanet, partes vero materiæ continuo fluunt. At potest esse, quod omnes partes aquæ, quæ fuerunt in vase fluxerint. Ergo, & partes materiæ.

Tertio. Pini, & Quercus ex exiguo semine ortum ducunt. At incredibile videtur, quod ille radices quas illud semen emisit primo, & eius rami sint isti, qui post ducentos annos in his arboribus existunt.

Quarto. Arist. 2. de generat. tex. 57. tradit generationem, idest acretionem æquari interitui, idest decretioni (exponũt DD.) sed in generatione omnes partes sunt nouæ. Ergo & in corruptione, idest in decretione.

Quoniam hæc quæstio ex supradictis remanet discussa, ideo solum dico fuisse olim opinionem Platonis in Cõuiuio, & Phedone viuentem quamuis dicatur idem à pueritia vsque ad senectutem, non tamen dixit eadem continere, sed nouum semper effici, & antiqua deponere, pilos, pellem, carnem, neruos, & ossa. Oppositum sentit Arist. qui & si admiserit in viuente variationem aliquam partium, non tamen voluit omnimodam earum innouationem. Probatur autem sententia Phil.

Primo. Vnum numero est vnius materiæ ex 5. Metaphys. Si igitur totaliter variatur materia, totaliter tollitur veritas eiusdem

sup-

suppositi, ita vt id, quod occumbit, non sit illud, quod natus est.

Secundo. Sic diceretur, verbi gratia, Petrus, Andreas, Paulus, vel alio nomine æquiuoce, quia non esset ille, qui sic nominatus est.

Tertio. Ille qui minuitur, non esset ille qui crescit, nec anima nutritiua functa esset suo officio conseruando idem suppositum.

Ad primum ergo pro nunc dicitur, quod partes materiæ fluunt quo ad aliquam variationem, non tamen totaliter, loquendo de præcipuis.

Ad secundum dicitur, quod similitudo currit quo ad proportionem partium, & partium, scilicet, quod aqua fluens dicitur materia, & vas forma, non vero quo ad eandem rationem vniuocam, quia partes materiales viuentis stant aliquo modo, non sic partes aquæ fluentis.

Ad tertium dicitur, quod sunt eadem radices fundamentaliter, & si non secundum figuram, & extensionem.

Ad quartum dicimus sensum Phil. ibi esse periodum vitæ humanæ esse æqualem, tantum in ascensu, & tantum in descensu.

DE NVTRITIONE.

QVÆSTIO LXXVII.

An nutritiua circa alimentum negotietur.

Videtur quod non. Primo. Nutritiua est potentia animæ vegetatiuæ, per Arist. 2. de Anima. At vegetatiua est qua viuimus, viuere autem, & nutrire sunt actus distincti. Ergo nutritiua non erit potentiæ vegetatiuæ, negotiatiua circa alimentum.

Secundo. Ex Hippocrate lib. de alimentis, dum æger per os cibum capere non valet, si ponantur supra ventriculum esculenta, & cibi nutritur. At alimentum proprie est illud, quod per os capitur. Ergo &c.

Tertio. Agens agit, vt in quem agit illud sibi assimilet. Sed nutritiua non potest sibi assimilare nutrimentum, cum hoc fiat animæ potentia. Ergo non erit circa alimentum.

Ad claritatem, & resolutionem huius quæstionis. Primo notandum venit tres esse præcipuas potentias in animali, scilicet naturalem, vitalem, & animalem, vt tradunt Plato in Timeo, Arist. 3. de par. anim. cap. 4. & Galenus 2. Presag. cap. 37. & lib. 9. Meth. cap. 10. Ad potentiam naturalem, seu dicamus ad animam vegetatiuam spectat alere, augere, & generare. Ad vitalem, spiritus vitales conficere, & pulsos pulsare, & calorem naturalem conseruare. Ad animalem, seu sensitiuam animam omnibus sensibus internis, & externis propriam operationem tribuere. Naturali facultati ad sua propria venæ deseruiunt, vitali arteriæ, & animali nerui. Venæ sanguinem communem deferunt, arteriæ sanguinem arterialem, & nerui spiritum animalem. Arterias autem sedem habere in corde, virtutem etiam vitalem, & virtutem pulsatricem fere omnes concedunt, non sic conueniunt, quo ad virtutem naturalem sanguinis formatricem. Hanc enim in hepate Plato, Galenus, Philo Iudeus, Niceta, D. Greg. Nissenus, D. Nemesius, Theodoretus, Lactantius, Ricardus, Maior, & Medici fere omnes constituerunt, contra Aristot. Alexandrum, Themistium, Auerroem, & Peripateticos, qui eam in corde collocauerunt, & vere sic est distinguendo. Quod vel loquimur de loco materiali in quo sanguis generatur, vel de virtute principali cuius ope gignitur. Si dicamus primum, affirmamus in hepate sanguinem generari, quia ab eo venę deducuntur, & eo male affecto ægre corpus alitur, &c. At si secundum quæremus, docemus ex calore cordis sanguinem fieri, vnde cor vocatur officina sanguinis ab Arist. non materialiter, sed causaliter, quia iecur, seu hepar ad generationem sanguinis concurrit instrumentaliter, & cor principaliter.

Secundo. Notandum venit, quod ex calore cordis, radicaliter tota sustentatio animalis, vita, & operatio procedit, quia hoc est initium vitæ, & animæ sedes, quare cessante calore, animal occumbit. Hic autem cordis calor, quosdam spiritus generat, idest quædam corpuscula tenuia, ex puro, & defecato sanguine genita, qui veluti aura suauissima spirant, & motum, pulsum, ac operationes causant, quare horū meatus si recludantur, transire non possint, pars in qua impedimentum reperitur, arida, & insensata redditur. Distinguunt, autem DD. spiritum in animalem,

idest

idest qui causat operationes animales, & sensuum, & hunc dicunt à cerebro proficisci. In vitalē, qui manutenet vitam, & à corde exit, & per arterias decurrit. Sed tu dicito omnem spiritum esse à corde, radicaliter, quia eius radix, causa, & origo est à calore, terminatiue vero est in cerebro, si est animalis, & in ipso quo ad eius propria perficitur, & ex eo redundat, & ad operationes sensuum proprias exit.

Tertio igitur his generalibus notatis, dicimus in animali esse potentiam nutritiuam, à natura institutā ad alterandum alimentum, & ad ipsum in substantiam aliti conuertendum. Fuit enim in viuente necessaria. Primo, ad conseruandum viuentem, qui per calorem, aerem circumstantem, ac per multas alias causas continuo minuitur, vnde si non repararetur per nutritiuā, cito absumeretur. Secundo, quia cum paruus nascatur, & ad grandem molem consurgere debeat, erat nutritiua cū augmentatiua necessaria ad augendum viuentem. Tertio, vt ex nutrimento etiam semen deduceretur, per quod mortales natura in indiuiduo, in specie conseruarentur.

Quarto. Ergo considerandum venit, quod cibus primo dentibus comminuitur, & ad ventriculum transmittitur, at ventriculus vt communis officina cibum recipit, in vnum cogit, & ne hinc inde fluctuet, & sic eius concoctio impediatur arcte comprehendit. Natura autem ventriculi neruosa est, & membranea, & fibris intexta, vnde cum multus cibus ei datur, dilatatur, & cum paucus constringitur. Habet duplicem tunicam. s. internam, & externam.

In ventriculo autem fit prima concoctio cibi per calorem proprium, & spiritum, & per calorem cordis, ac aliarum partium circumastantium, & sic ex hac prima concoctione generatur quidam cremor, quē Medici, Chylum vocant. Hoc genito, & formato, virtus expulsiua per inferius orificium, quod latini ianitorem vocant chylum mittit deorsum, tunc intestina, & venæ mesaraicæ illum combibunt, & in iecur transmittunt, & quod superuacaneū est, & excrementitium in crassiora intestina extrubatur. Itaque duæ sunt maximæ viæ alimenti. Prima ab ore ad ventriculum. Secunda à ventriculo ad hepar; aliæ vero minores sunt, & minus communes.

Post primam concoctionem cibi, quam diximus fieri in ventriculo, secunda sequitur, nam postquam alimentum per angustas mesenterij vias multiplici, & euratico lapsu, partim venis impellentibus, & partim tractu iecoris, per venam quam portam dicunt deductum est in iecur, seu hepar, in eo tunc vi caloris, & spiritus, quæ in hepate abundant fit. Secunda concoctio, etenim tunc chylus in quandam massam euadit, & in hac quatuor humores abundant, sanguis, pituita, flaua bilis, & melancholia, prout supra docuimus exemplo vini. Sed quamuis in hepate, hi omnes quatuor humores procreentur, non tamen omnes apti sunt ad corpus alendum. Quare natura bonum elicit, & superuacaneum ab eo segregat. Vnde flauam bilem in folliculum felis, qui ad iecoris portas situs est conijcit, atram bilem ad splenem demandat, pituitæ vero nullum receptaculum parauit, in quo priuatim consistat, quia per corpus vniuersum sanguinem deuehit, & suo succo humectat artus omnes, ne frequenti agitatione inarescant. Hic igitur humor postquam vehendi munere est perfunctus, cum non sit aptus ad corpus alendum ducitur per quasdam venas, quas emulgentes appellant, & per renes traducitur, & mox in vesicam perfunditur, & tandem, vt lotium, & vrina, emittitur.

Post secundam concoctionem tertia sequitur, quæ fit in singulis partibus, in quibus alimentum in rei substantiam conuertitur. Postquam enim illa massa alimenti ex chylo deducta expurgata est à supradictis humoribus, & sanguis efficitur ad alendum aptus, apta, hic sanguis in magna quadam vena, caua dicta, excipitur, ex qua veluti ex mari per diuersas venas, quasi per diuersa flumina, vel riuulos transfunditur ad omnes corporis partis, & ita varijs diffusus ramulis, in bilis vesiculam, ventriculum, lienem, intestina, mesenterium, & omentum diffunditur, inde in cor, & alias corporis partes excurrens alimentum diuidit. Omne enim membrum, per flexuosos venarum anfractus id, quod sibi vtile est, & necessarium vendicat, & sic alimento in sanguinem conuerso per omnes corporis partes transmisso, minutissimas partes corporis, & poros subijt, & in his perfecte concoquitur,

&

& pro natura cuiuslibet membri, duritiem, mollitudinem, calorem, frigus, & innati temperamenti modum assequitur, & sic nutritio appellatur, quia hoc modo per nutritiuam corpus conseruatur, reficitur, ac aliquando augetur. De qua re ad longum Medici tractant.

Conclusio ergo est. Nutritiua circa alimentum concoquendum, ac in substantiam aliti conuertendum versatur. Probatur. Omnis potentia circa proprium obiectū occupatur, ac operatur. At alimentum est obiectum nutritiuæ. Ergo circa ipsum versatur. Maior est Arist. 2. de Anima. Minor probatur, quia nutritiua nutrimento, idest alimento pascit, & alit.

Ad primum respondetur ad minorem, quod anima habet duplicem actum .s. primum, & secundum, esse .s. & operationem, viuere autem viuentibus est esse dixit Aristot. 2. de Anima. Primo ergo vegetatiua quo ad actum primum dat esse, & viuere, quo vero ad actum secundum, dat nutrire, augere, & generare.

Ad secundum dicimus, quod esculenta, & cibi ab externo applicati non nutriunt, sed confortant, & fouent, vt nutritiua possit melius, & vigorosius operari. Vel si nutriunt, modicum nutrimentum est, & nullius ponderis, vnde pro nihilo reputatur.

Ad tertium dicimus, quod nutritiua est potentia quæ nō sibi assimilat nutrimentum vt quod, sic enim illud alito assimilat, quare sibi illud assimilat vt quo, inquantum concurrit, vt instrumentum ad conuertendum alimentum in substantiam aliti, & sic illi illud assimilando.

QVÆSTIO LXXVIII.

An quatuor humores in hepate gignantur, & suis receptaculis gaudeant.

Videtur quod non. Primo. In natura nihil fit frustra. Sed frustra esset recondere bilem, & phlegma, cum non appareat aliquis eorum finis, vel bonum ex eis consurgens. Ergo natura non eis prouidit de receptaculis.

Secundo. Mulus, Asinus, Ceruus, Caper, Camelus, Delphinus, & quædam alia animalia felle carent, secundum Arist. lib. 3. de partibus anim. cap. 12. & lib. 4. cap. 2. & Plinium li. 11. nat. hist. c. 37. Immo nocet valetudini, vnde Arist. dixit 4. de partibus animal. cap. 2. Dictum fuit à veteribus fellis vacuitatem causam esse vitæ diuturnioris, argumento ex ceruis deducto, qui felle carent. Ergo non omnibus animalibus hic humor in hepate generatur, vel non in omnibus ad vessiculam secernitur.

Tertio. Idem probatur de humore melancholico, qui nō omnibus animalibus inest, cum exanguia lienem nō habeant, neque Aegocephalus, & aliæ aues nonnullæ, & etiam quidam pisces, vt testatur Albertus Magnus lib. 13. de animalibus tract. 1. c. 6. & Plinius lib. 11. nat. hist. cap. 37. Quin & animal cui natura lienē dedit, eo per vulnus exempto, adhuc viuere tradunt, & inuenta sunt remedia, quæ ipsum cursoribus extinguerent. Nec aliam vtilitatem afferre potest, quam prouocare ad risum, quia vt aliqui tradunt, eius immoderātia, & magnitudo magnum risum causat, vt refert Celius lib. 3. & Persius Satira 1. Ergo &c.

Quarto. Dum ægroto vena scinditur, non tantum sanguis, sed etiam alij tres humores cum eo exeunt. Ergo non solum pituita, sed vtraque bilis per venas fertur, & ita nō mittuntur à iecore ad certa loca.

Quinto. Agens vna virtute operans, ex vna materia non producit diuersa specie, & à se, cum simile sit à simili, & inter se, tum effectus vnus sit ab vna causa. At iecur est vnum agens, ex vna materia, idest massa operans, & quatuor illi humores specie distinguuntur, vt probat Medicorū Schola, & testātur diuersæ eorum affectiones, colores, sapores, operationes, effectus, & fines. Ergo non possunt simul in iecore generari.

Sexto. Galenus libello de atra bile, & in primum de nat. hum. comm. 39. tradit pituitam in ventriculo generari, & ita experientia comproba t, quoniam ventriculus sæpe pituita abundat. Ergo non omnes quatuor humores fiunt in hepate.

In contrarium sunt Medici, & Philosophi, de qua te legendi sunt Galenus lib. 2. de naturalibus facultatibus cap. 1. Auicenna 1. primi doctr. 4. Fernelius lib. Physiol. cap. 4. Vallesius lib. 2. contr. Medic. & Philos. cap. 13. &c.

Ad primum ergo in contrarium negatur minor. Nam ex Phlegma, & bili ista bona nascuntur.

Fri-

Primum, quod si vnum contrariorum est in rerum natura, aliud quoque sit in ea reperiatur iuxta ea, quæ tradit Arist. 2. cæli text. 18. Complexio autem biliosa contraria est Phlegmaticæ, quoniam biliosa, est calida, & sicca, & Phlegmatica, frigida, & humida. Ita melancholia sanguineæ repugnat, quoniam ista calida est, & humida, & illa frigida, & sicca. Fuit igitur necessarium, vt omnes hi quatuor humores in corpore reperirentur, ad hoc, vt sicut quatuor primæ qualitates, quæ sunt adinuicem contrariæ in vnum coeuntes temperamentum quoddam efficiunt, ita hi quatuor humores in vno consentientes mixtionem quandam, & temperaturam formarent.

Secundum, quod nisi vnus horum humorū, alterum sibi contrarium temperaret, vltra modum exiret, & mixtum cito dissolueret, quapropter opus fuit ad ipsius conseruationem, quod phlegma refrenaret bilem, & melancholia sanguinem.

Tertium est, quod sanguini misti sub exigua quantitate nutriunt, & quandoque depurgantur, & in sanguinem conuertuntur.

Quartum, quod melancholia, quæ est acerbi saporis, cum ex liene in os ventriculi influit, quod sæpe accidit, famem acuit, sicut etiam acidi cibi, edendi appetitionem prouocant. Et flaua bilis interdum è vesicula qua continetur per quandam venulam currens, se se ventriculo, quasi supponit, ipsumque calefacit, & cibi concoctionem iuuat. Et dilabens sua mordacitate intestina ad celeriorem recrementorum deiectionem impellit.

Quintum, quod atra, & flaua bilis ad mores mukum conferunt. Flaua enim bilis animositatem, & atra maturitatem donant, quare biliosi prompti sunt ad magna pericula subeunda, & melancholici apti inueniuntur ad recta, & temperata iudicia de rebus ferenda.

Ad secundum concesso, quod illa animalia felle careant dicitur, hoc in eis naturam prouidisse. Primo, quia nec ea ordinauit ad sumendum cibum, ex quo flaua bilis, vel atra generatur, vel si ordinauit, in eis generationem horum humorum impediuit, quia forsitan his non indigebant, natura enim nihil frustra operatur. Secundo, quia possibile est ea in se generare hos humores, sed cito eos repurgare, vt animaduertit Theophrastus lib. 9. de pecoribus in ponto, quæ cum absyntio vescantur, quod reijcit biliosos humores, sine felle inueniuntur. Tertio, quia non est incredibile illa fel, & flauam bilem ad cornua, cutem, alas, pilos, squamas, &c. conferre, vt sapor ipsorum ostendit.

Ideo secundo respondetur, quod aliud est nō habere fel, & aliud illud non habere in hepate. Nam Aristot. lib. 2. de hist. anim. cap. 15. & Plinius lib. 11. nat. hist. cap. 37. tradunt Coruos, Coturnices, & Phasianos in renibus, & altera tantum parte intestini fel tenere. Et quædam alia animalia, vt Capricipiti in iecure, & ventre, & quędam in intestino, vt accipitres, & murenę. Et quædam tam exiguum lienem sortiri, vt sensum effugiat, quod fuisse in magna parte compertum in auibus tradunt, vt in miluis, accipitribus, noctuis, in quadru pedibus ouiparis, vt in testitudine, mare aquatili, rubeta, lacerta, crocodilo, & rana.

Tertio dicitur, quod carentia fellis non est causa diuturnioris vitę, sed bonitas temperamenti illorum animalium, vt adnotauit Albertus Magnus lib. 13. de animalibus tract. 2. cap. 4. & Auerroes lib. 4. de partibus animalium cap. 2. Et si in illis esset in causa diuturnioris vitæ, non tamen in ven dicantibus sibi fel, quod esset probandum, & per hoc patet ad tertium.

Ad hoc tamen tertium, pro quanto tangit, quod multi homines extincto liene vixerint, dicitur, quod talis potuit esse dispositio naturæ illorum, vel quod non multum vixerint, vel non in totum, sed in partem tantum illum amiserint. Potest vero esse vt qui magnum lienem habent, facillimi sint ad risum, quia cum lien sit pessimi sanguinis purgamentum, recipit in se fæculentum, & crassum humorem, tristitiæ materiam, & reliquum sanguinem puriorem, & agiliorem reddit, ex quo multi procreantur spiritus, quorum quanto maior est copia, tanto ceteris paribus, inducit maiorem hilaritatem, & promptitudinem ad risum. Lege Aphrodiseum lib. 1. problematum quæst. 19. & quæst. 136. &c.

Ad quartum dicimus, quod dicti humores habere certa receptacula stat dupliciter. Primo, per se, & quo ad magnam sui copiam, & sic dicimus habere. Secundo, quo ad consensum, & aliqualem quantitatem, & sic possunt vagari per venas, & sanguini

guini misceri. In ægrotis autem hoc maxime fit, quia in eis sanguis ex morbo putrescit, & iecur tunc de his malis humoribus plus gignit, & virtutes attractiuę horum humorum ad propria debilitantur, vnde non ita eo tempore tam bene hos humores cohibent, sicut in sanitate viuentis.

Ad quintum dicimus, quod maior valet de agente vniuoco, vel de agente vna virtute, hepar autem in hac parte induit rationem agentis æquiuoci, quia & si sit vnum agens re, est tamen multiplex virtute. Nam non ex eadem chyli portione hos humores efficit. Ex calida enim, & tenui facit bilem, ex cruda, & frigida pituitam, ex mediocri sanguinem, ex frigida, & terrena melancholiam, nam etiam in vino recenti ex vuis expressi est flos, qui supernatat, fex quæ descendit, & quidam humor aquosus, qui vino miscetur.

Ad sextum dicimus proprium, & ordinariũ locum pituitæ genitæ esse hepar, sed per anticipationem, & consensum posse esse ventriculum, quando cibus est ex pituosis. Vel non est pituita, sed humor ei similis.

QVÆSTIO LXXIX.

An recta sit definitio famis, & sitis.

Videtur quod non. Nam Arist. 2. de Anima, tex. 28. sic ista definit. Fames est appetitus calidi, & sicci. Sitis est appetitus frigidi, & humidi. Arguitur enim primo, quod fames nõ sit appetitus. Nam dolor non est appetitus, seu prosecutio alicuius, sed potius fuga. At fames est dolor torquens corpus, & vexans animal, vt dicit Galenus lib. de inæquali temper. Ergo non est appetitus.

Secundo. Fames est affectio corporis, pertinens ad appetitum sensitiuũ. At fames non pertinet ad appetitum sensitiuũ, nam actus appetitus sensitiui in corde residet, quoniam cor est domicilium iræ, & concupiscentiæ. Fames vero non in corde, sed in ventriculo stat, vt probat afflictio famescentium, qui se in ventriculo præmi sentiunt. Ergo &c.

Tertio. Actus appetitiuæ sunt in nostra potestate saltem obedientaliter, vt docet Arist. lib. 1. Ethic. cap. vlt. At fames nullo modo est in nostra potestate, quia esurire necessarium est, non habentibus cibum. Ergo non erit appetitus.

Quarto. Arbores indigent alimento, & sine eo inarescunt. Ergo in eis erit fames. At in eis non est appetitus, nec sensus. Ergo &c.

Quinto. Non omnia alimenta sunt calida, & sicca, sed quædam sunt frigida, & humida, vt lactucæ, pepones, & alia plura. Ergo male dicitur, quod fames est appetitus calidi, & sicci.

Sexto. Fames corpora sicca reddit, vt docet Hippocrates Aphoris. 59. sect. 7. & per humidum pingue calidum sustentatur, & fluxus materiæ reparatur. Ergo potius dicenda est appetitus humidi pinguis, quam humidi, & sicci.

Septimo. In cibo maxime desideratur dulcedo. Ergo definienda est, quod sit appetitus humidi, sicci, & dulcis.

Octauo. Contra definitionem sitis est, quod vinum, quod est poculentum est calidum. Ergo male dicitur appetitus frigidi.

Nono. Sitiens desiderat gustare, quæ eum in vitam valent conseruare. At frigida non sunt talia, quia frigus non concurrit per se ad opera vitæ, sicut dicitur in paruis naturalibus. Ergo.

Decimo. Verum est, quod humidum aereum fouet, & alit natiuum calorem, vt oleum lucernæ ignem eius sustentat, tamen humidum aqueum calori aduersatur. Ergo male dicitur sitis absolute appetitus humidi.

Vndecimo. Si sitis esset appetitus frigidi, animalia quo calidiora sunt, magis sitirent. Hoc falsum, vt patet in multis auibus rapacibus, quæ multum calidæ sunt, & tamen minus potant. Ergo non erit appetitus frigidi.

In contrarium est Aristot. 2. de Anima, vt supra.

Respondeo, quod fames, & sitis bifariam definiri possunt. Primo per causam formalem. Secundo, per causam finalem. Primo modo sic eam definiemus. Fames est quædam ventriculi afflictio, ex carentia cibi, cum appetitu calidi, & sicci. Primo ergo dicimus esse afflictionem ventriculi, quia vt colligitur ex his, quæ tradit Galenus lib. 1. de causis Sympt. cap. 7. quinque ad famem concurrunt. Primum est inanitio membrorum ex deficientia alimenti. Se-

cundum est conatus membrorum conantium ad se trahere alimentum, quo deficiunt. Tertium est diuulsio ventriculi, cũ quodam morsu acri, propterea quod alia membra ipsum trahunt, quasi deficiat eis in necessarijs, & ipsa cauitas ventriculi alimento destituta facit, quod eius latera in se concidunt, & corrugantur. Ista autem tria sunt veluti præparationes, & causæ famis, vnde tũc oritur quartum in quo formaliter consistit, scilicet afflictio ventriculi, cum supradictis prænatur, & male afficiatur, & vsque ad os eius extendant suam tractionem, & pressionem. Quintum, inde proficiscitur. f. appetitus nutrimenti, & appetentia cibi ad conseruationem suppositi. Nam cum animantia ex calido, frigido, humido, & sicco constent, & si non æqualiter, & calidum humidum perpetuo consumat, opus fuit naturâ prouidere de alimento, vt calor naturalis inueniat circa quod operetur, & humidum conseruetur, sicut ignis lucernæ, appositione noui olei conseruatur. Quoniam igitur ex tractu membrorum fit sensio diuulsionis ex carentia alimenti, phantasia apprehendit alimentum, vt conueniens, & necessarium ad conseruationem viuentis, & sic excitat appetitum sensitiuum, vt feratur in ipsum.

Secundo diximus ex carentia cibi, ad denotandam causam effectiuam afflictionis cibi externam, nam interna est diuulsio, & afflictio omnium membrorum suo nutrimento destitutorum, sed præcipue ventriculi ad quem, vt ad œconomum spectat eis de cibo prouidere.

Tertio diximus cum appetitu calidi, & sicci ad annuendum dolorem illum in appetitu residere. Nam & si S.D.3 dist. 15. quæst. 2. art. 2. asseuerat dolorem esse in tactu illius partis, quæ læditur, per diuisionem continui, aut solutionem temperamenti tristitiam vero esse in appetitu, qui triste fugit, & proficuum sequitur, tamen secundum Cap. vt supra in 3. quæst. vnica art. 3. sententiam mutauit p. p. quæst. 25. art. 1. & 1. 2. quæst. 55. art. 1. ad 1. & in quæstionibus disputatis de passionibus animæ art. 9. & Caiet. 3. p. q. 15. art. 5. collocando etiam dolorem in appetitu. Vel dicere possumus, quod dolor est in appetitu non formaliter, quia in eo non est diuisio, sed causaliter, quia læsio facta in corpore ad ipsum terminatur, & efficit per redundantiam, quod doleat. Vel dicas dolorem tactus esse proprie dolorem, vt appetitus communiter, prout etiam tristitia est quidam dolor, per causam vero finalem eam definiuit Arist. vt supra.

Definitio vero sitis eodem fere modo assignare valemus dicendo. Sitis est afflictio ventriculi, œsophagi, & faucium, nata ex deficientia potus, cum appetitu humidi, & frigidi. Nam cum humor deficit, quam potus inuehit, tunc membra inarescunt, quapropter fit membrorum attractio, ad petendum sibi necessarium humorem. Solet autem hic humor deficere. Primo, ex ordinaria eius consumptione. Secundo, ex dissolutione facta ab æstu, & balneis, & rebus venereis. Tertio, ex lienis, & iecoris calida intemperie. Quarto, ex ardore, & iactatione febrium. Quinto, ex esu cibi salsi, & potu vini meri, & validi. Sexto, quia membranæ ventriculi, aut venæ humore salso sunt imbutæ, vt accidit hydropicis vnde fit, quod & si ventriculum, & venas aqua plenas habeant expleri tamẽ, & satiari non possunt. Quare tum omnibus cibum sumentibus, tum quibusdam magis sitientibus necessarius est potus magis, vel minus pro ratione causæ, vnde potus tot bona facit. Primum, quod alimentum vehit sua tenuitate, & fluxibilitate per angustias meatuum, & venarum canales. Secundum, quod concoctionem iuuat, præsertim eam, quæ fit in ventriculo, facit enim id quod aqua ebulliens in lebete in quo coquuntur carnes, nam sicut illa sua caliditate, & humiditate carnes coquit, ita potus calefactus adiuuat ventriculum ad coctionem primam alimenti, & ad conuertendum illum in chylum. Tertium, quod ex alimento elicit succum vtilem, & ad omnes partes corporis deportat. Quartum, quod feruorem sanguinis, & membrorum siccitatem temperat, & consumptionem humidi radicalis continuo factam à calore naturali retardat, dum pro eo supplet. Sed de his aliqua alia infra dicemus.

Ad primum in contrarium famis dicimus, quod fames non est appetitus formaliter, sed quædam ventriculi afflictio, at causaliter dicitur appetitus, quia illa afflictio ventriculi causat appetitum cibi, ad sibi succurrendum.

Ad

Ad secundum dicimus famem esse in appetitu sensitiuo, & in corde, vbi appetitus sensitiuus domicilium tenet, vnde dicere possumus formaliter esse in appetitu sensitiuo, quoniam iste est, qui dolorem apprehendit, materialiter vero esse in ventriculo, quia iste est qui læsionem sentit, & diuulsionem percipit.

Ad tertium negatur maior de omnibus actibus appetitus sensitiui, nam si corpus dilanietur, ventriculus affligatur, aliquod corporis membrum torqueatur, non poterit appetitus sensitiuus hunc dolorem tollere, vnde vera est maior tantum de actibus appetitus subditis voluntati, non vero de sequentibus necessitatem materiæ, vel effectis ab extrinseco.

Ad quartum dicimus, quod fames bifariam sumi potest. Primo, proprie, & sic ad famem non solum est necessarium alimentum, verum etiam est opus diuulsione vẽtriculi,& sensione eius doloris. Secũdo communiter, vt tantum dicit indigentiam cibi. Primo modo solum est in animalibus. Secundo vero modo in plantis, sed nihil contra nos, qui loquimur hic de fame proprie sumpta, & considerata.

Ad quintum dicimus, quod fames bifariam considerari potest. Primo, absolute, & sic non est tantum appetitus calidi, & sicci, sed etiam humidi, & frigidi, quia appetitus famescentis etiam in ista ferri potest, imò fames data est ad reparandum humidum pingue, quod est pabulum natiui caloris. Secundo in contrapositione ad sitim, & sic si sitis dicitur appetitus humidi, & frigidi, fames dicetur appetitus calidi, & sicci, & per hoc patet ad sextum, solent enim dari quædam descriptiones ad ponendam differentiam vnius ab altero, quæ cum sint partiales, & per vnam tantum causam, non postulant exactam omnium conditionum veritatem.

Ad septimum dicendum, quod duo sunt in cibo. Primum est substantia eius. Secundum est eius condimentum. Dulcedo ergo non expetitur in cibis, vt quod faciens cibum, sed vt ei dans condimentum, & delectationem. Et dato, quod multa animalia cibos consectentur propter saporem, non sequitur tamen, quod sapor, seu dulcedo sit illud, quod natura primo intendit, quia operationes non sunt propter voluptates, sed voluptates propter operationes, vt adnotauit Ferr. lib. 3. contra Gentes cap. 26.

Ad octauum, quod est primum contra definitionem sitis dicitur, quod vinum & si sit sua natura calidum, non tamen in potu desideratur, vt calidum, sed vt humidum, quia vt humidum sitim extinguit. Ideo scito differentiam inter cibum, & potum esse, quod cibus nutrit, potus vero, vt potus non nutrit, sed sitim extinguit, nisi sit potus, & cibus, vt multi volunt de vino, quod etiam nutrire dicunt.

Ad nonum dicitur, quod potus est ad sitim domandam, sitis autem ex calore generatur, vnde potus appetitur ad temperandum calorem sua frigiditate, & non ad extinguendum ipsum omnino, vt facit frigus extremum.

Ad decimum dicitur, quod humidum aqueũ immoderatum naturæ aduersatur, non sic moderatum, & ad temperamentum.

Ad vndecimum dicitur, quod animalia quanto sunt calidiora, tanto etiam magis siti abundant per se, quia in eis calor naturalis magis absumit de humido, at per accidens potest aliud esse, vt in auibus rapacibus, nam in eis natura de magno pulmone prouidit; magnus autem eorum pulmo, magnam quantitatem aeris attrahit, & sic calorem refrigerat. Hoc autem natura fecit, quia cum eas ad uolatum ordinauerit, si multum bibissent, corpus magnopere grauassent potu ipso, & sic minus veloces ad volatum fuissent.

QVÆSTIO LXXX.

Vtrum bonitas cibi ad nutritionem faciat.

Videtur quod non. Primo. Nam in cibo primum est sumptio. Secundum masticatio. Tertium in locum digestionis receptio. Quartum ipsius digestio, & puri ab impuro separatio. Quintum, ipsius attractio, & per singula membra distributio, & sextum naturæ membri in quod conuersum est alimentum assimilatio. Cũ igitur calor naturalis purum ab impuro separet, parum refert, quod sumatur hic, vel ille cibus. Probatur, quia finem inspicimus, & non initium rerum.

Secundo. Rustici, & antiqui Heremitæ durissimis cibi vescuntur, & tamen diutius

viuunt, quam qui delicatioribus cibis, & magis nutrientibus vtuntur. Ergo bonitas nutritionis, & diuturnitas vitæ non est ad cibum referenda.

Tertio. Qui multum nutriuntur, crescunt etiam, cum sit nutrimentum materia augmenti. Sed homines iam viri facti plus cibi sumunt, quam pueri, & adolescentes, & tamen non augentur. Ergo nec magis nutriuntur, & sic copia ciborum ad nutrimentum non facit.

In contrarium sunt omnes Medici, & Phil. cum experientia ipsa.

Galenus super Aphoris. dixit in cibo ista esse pensanda. Primum cibi substantialitas. Secundum qualitas. Tertium quantitas. Quartum sumentis necessitas, & quintum temporis congruitas, quibus inspectis, & obseruatis non est dubium cibum conferre ad bonam nutritionem, ex qua veluti ex fonte proficiscitur sanitas, & vita.

Primum ergo pensandum in delectione cibi est natura, & substantia eius. Tres autem sunt differentiæ ciborum. Nam quidam dicitur cibus multum nutrimentalis, quia est facilis ad conuersionem in substantiam cibati, & hic solet esse. Ille qui est calidus, & humidus, qui propterea de facili in sanguinem, qui etiam ipse est calidus, & humidus conuertitur. Cibi enim qui multum sanguinis generant, necesse est etiam ipsos magis nutrire, cum nutrimentum sit per conuersionem cibi in sanguinem, & deinde in carnem, vnde cibi multum sanguinis generantes, paucã producunt superfluitatem, & multam, qui parum sanguinis generant. Alius dicitur cibus pestilentialis, & venenosus, quia nec cibat, nec nutrit, sed interficit, & corpus dissoluit. Alius autem dicitur medius, qui est facile alteratiuus, & naturæ conseruatiuus. Cibus ergo subtilis, qui de facili digeritur, subtilem sanguinem generat, & est naturæ conseruatiuus, sed non multum nutritiuus, quia sanguis subtilis cito à membris resoluitur, vbi cibus grossus, sanguinẽ grossum facit, & ideo est tardioris resolutionis. Quare studentibus, & negotijs occupatis laudatur cibus subtilis, & laborantibus grossus, cum propter laborem, & exercitium multum cibi consument.

Secundum pensandum in cibo congruo est qualitas cibi. Hanc Medici in tres classes diuidunt. Primam vocant elementarium qualitatum remissionem, sub qua ponunt omnes cibos, in primo gradu caliditatis, vel frigiditatis. Secundam qualitatum Elemẽtariũ secundũ vltimã intẽsionẽ appellant, & sub hac omnia alimenta in quarto gradu caliditatis, vel frigiditatis collocãt. Tertiam mediam nominant, idest, secundi, vel tertij gradus caloris, vel frigiditatis. In eligendis igitur alimentis ponderandæ erunt qualitates ipsorum, & cogitandum ne alitum sua contraria qualitate necent, sed sua conformitate adiuuent, vnde illi cibi, qui ad temperamentum ipsum poterunt adducere, illi erunt assumẽdi, pensata qualitate sumentis. Generaliter tamẽ cibus purus, & temperatus est laudabilis, & coctus, magis quam crudus, quia calor resoluit cruditatem, & excedẽtem humiditatem, quare herbæ crudæ, & fructus nimis recẽtes reijciendi sunt, quia in humiditate abundant, quapropter sanguinem aquositate replent, & ad putrefactionem disponunt.

Tertium cogitandum in cibo est quantitas, & hæc triplex esse potest. Deficiens, seu pauca, abundans, seu multa, & media. Extrema igitur in quantitate cibi erunt vitiosa, & medium sanum. Quapropter cibus nimius naturam grauat, stomachum distendit, & inflat, rugitum, & torsiones generat, malos humores, & cachinnos augmentat, nauseam, & vomitum prouocat, calorem naturalem extinguit, & suffocat, spasimum, & contractionem neruorum causat, vlcera, scabiem, & apostemata procurat, senium, ac mortem accelerat.

Cibus vero quando paucus est naturam debilitat, visum, & omnes sensus hebetat, fluxum capillorum, & caluitium generat, phthisim, & ethicam accelerat, corpus extenuat, & peiores infirmitates, quas nimia repletio generat.

Cibus autem mediocris, & medius laudabilis est, quia deperdita in corpore restaurat, virtutem conseruat, sanguinem augmentat, calorem tẽperat, ingenium acuit, vires operandi tribuit, sanitatem corporis auget, & custodit, suauem somnum, & mulcebrem generat, & inducit.

Quartum est sumentis necessitas, quia non est idem cibus omnibus dandus, nam sicut complexiones sunt diuersæ, ita etiam cibi

bi debent esse diuersi. Alius enim cibus conuenit sano, & alius ægroto, alius seni, alius iuueni, alius laboranti, alius quiescentis multa enim sunt sana sanitatem habenti, quæ sunt mortifera infirmanti. Immo inter sanos est differentia, quia vt dicit Galenus, allenm, & piper, quod alicui phlegmatico est remedium, alicui cholerico est venenum, & ius quiamus, qui est mors homini, gratissimus cibus est passeri, & coturnici.

Ita pensanda erit qualitas morbi, & sic ægrotis erit parandus cibus. Nam quando infirmitas est in summo cibus tenuis datur, quia natura tota est occupata circa digestionem causæ morbi, vnde non debet distrahi, & circa grossiora alimēta occupari.

Et in summa cibatio facienda est secundum diuersitatem morbi, secundum virtutem infirmi, & pensanda semper erit qualitas, & quantitas cibi.

Quintum est temporis congruitas. Nam in hyeme, & vere, maius nutrimentum poterit dari, quam in æstate, & autumno, quia in hyeme, & vere calor naturalis ad interiora reductus vigorosior est, & magis cibi consumptiuus, & somnus est diuturnior, & minus calorem distrahēs, quod in æstate calor suum simile ad extra inueniens euaporat à corpore, & multa excrementa relinquit pro Autumno. Ita habenda est ratio cibandi, nam habentibus calorem naturalem vigorosum, multus cibus datur, vt pueris, & iuuenibus, & ita laborantibus, & in continuis exercitijs stantibus in quibus coagmentatur calor. Econtra vero remissius cibantur senes, quiescentes, & male se habentes, quia inopportune tunc ei daretur multa quātitas cibi, & potius ad exitium, quam ad vitam.

Ad hoc autem vt in particulari aliqua circa cibos habeamus, in fine tractatus de nutritione quædam singularia adijciam.

Ad primum dicitur, quod quamuis calor naturalis purum ab impuro separet, tamen ab vno cibo magis trahit purum, quam ab alio, quia maior est eius puritas, vnde duo sunt inspicienda. Primum, quod à cibo puro, & apto multa substantia deducitur, non sic ab impuro. Secundum, quod in separatione puri ab impuro, in cibo impuro miscetur aliqua qualitas ei, & ideo illud purum non tam exacte est purum, sicut purum ductum à puro.

Ad secundum dicimus diuturnitatem rusticorum, & heremitarum posse habere triplicem causam. Prima est complexio fortis, sunt enim omnibus iniurijs cæli assueti, & ideo eis non fit passio, vt alijs non assuetis. Secunda est exercitatio continua in rusticis, quæ calorem naturalem excitat, & coagmentat, & in heremitis victus parsimonia, vnde ex cibo in eis nō generatur malus humor, cum tātum cibi sumant, quantum natura indiget, & non plus. Tertia est sobrietas à nocentibus, vt sunt diuersitates ciborum, immoderata luxuria, inordinatum tempus comedendi, & bibendi, crapula, deordinata nocturnorum appetentia, & sumptio, quæ plures occidunt, quam gladius, iuxta dictum sapientis.

Ad tertium negatur maior, quia vt diximus suo loco natura præfiniuit tempus augmenti. Item falsum est, quod viri facti magis nutriantur, possunt etenim maiorem quantitatem ciborum sumere, sed nō magis nutriri, quia calor naturalis iuuenum magis aptus est ad nutriendum ex pauco, quam virorum ex multo, etsi possint plus nutriri per latus, non per longum.

QVAESTIO LXXXI.

An nutrimentum sit simile nutrito.

Videtur quod non. Primo. Pars non est nutrimentum rei nutritæ, sed est res nutrita. At nutrimentum non est simile nutrito, nisi cum est eius pars. Ergo non potest ei esse simile.

Secundo. Nutrimentum est in potentia ad nutriendum ex omni materia, cum materia eius sit in potentia ad omnem formā, cum talis sit conditio materiæ. At hoc est falsum in ferro, lapide, & alijs similibus, quæ numquam poterunt conuerti in substantiam aliti. Ergo.

Tertio. Contraria non sunt similia, sed omnino dissimilia. At multa viuentia legimus ex contrarijs, vel omnino dissimilibus nutriri. Vt Struthio ferro, Viperæ Scorpionibus, Sturni cicuta, Coturnices Veratro, Anates bufonibus, Gallinæ araneis, & Scorpionibus, & quædam species Pelicani serpentibus. Imò Auicenna commemorat de quadam muliere, quæ fuit

veneno

veneno nutrita, & de alia apud Coloniam Agrippinam testatur Magnus Albertus, & de Mithridate, Plinius, Aulus, Gellius, & Martialis, & de quodam filio Regis Cambaiæ alij quidam, quem referũt adeo veneno nutritum, vt sit factus venenosus, sic vt muscæ, quę eius cutium morsu perstringerent, turgidæ interirent. Ergo alimentum non debet esse simile nutrito.

Quarto. Omne agens est contrarium patienti, quia simile à simili non patitur. Sed alimentum patitur ab eo, quod alitur, nã ab eo alteratur, & digeritur. Ergo non est ei simile.

Pro enodatione huius quæstionis Primo notandum venit, quod nutrimentum dupliciter considerari potest. Primo, vt res est, verbi gratia herba, caro, panis, &c. Secundo, vt est obiectum animæ vegetatiuæ, inquantum circa ipsum debet negotiari. Primo modo hic non consideratur, sed secundo modo. Primo modo enim dicitur ens in actu. Secundo, in potentia. Hoc autem secundo modo trifariam potest inspici. Primo, vt est in potentia ad substantiam sumentis illud, & sic dicitur obiectũ formale nutritiuæ, quæ habet conuertere illud in substantiam nutriti. Secundo, vt est in potentia ad maiorem quantitatem, quia alimentum non solum est substantia, sed est substantia quanta, & sic est obiectum augmentatiuæ, nam si virtus nutritiua plus reparet, quam per calorem naturalem sit deperditum, fit rei nutritæ augmentum, si minus, decrementum, si ad æqualitatem, fit aggeneratio. Tertio, vt est superfluum rei animatæ post nutritionem suam, & sic si est de natura generantis dicitur obiectum generatiuæ, & sit semen, si est excrementum, est obiectum expulsiuæ. Alimentum ergo, vt est in potentia ad naturam rei cuius dicitur alimentum dicitur obiectum nutritiuæ.

Secundo. Considerandum venit, quod alimentum hoc bifariam considerari potest secundum Arist. & S. D. 2. de Anima tex. 45. Primo, ante decoctionem, & digestionem. Secundo, post concoctionem, & digestionem. Sciendum est enim, quod attractiua primo alimentum ad stomachum trahit. Secundo, retentiua illud ad decoctionem retinet. Tertio, digestiua illud digerit, & digerendo illud in quandam substantiam dictam chylum reducit, & tunc digestiua partes impuras, & terrestres à puris, & subtilibus secernit, impuras mittendo in ventrem, vt vadant per secessum, & puras transmittendo ad hepar in quo fit secunda decoctio, & in hac etiam chylus magis purificatur, quia quædam eius partes puriores in quandam massam rubeam, & sanguineam conuertuntur, (prius enim erant crocei coloris) & quædam impuriores, & ad lienem mittuntur, & quędam ad vesicam, & sũt vrina, & quædam ad folliculũ fellis, quod est vas intra iecur, & istæ sunt partes cholericæ, & biliosæ. A iecure autem partes istę puriores per venam cauam mittuntur ad cor, & tunc maturescunt, & vltimam perfectionem sibi debitam adipiscuntur, vnde possumus conciliare Galenum cum Arist. dicendo, quod sanguis generatur in hepate, sed concoquitur, & perficitur à calore cordis, cuius virtute transfunditur ad omnia membra, & fit eorum nutrimentum, vt etiam supra notauimus.

Sunt igitur quinque alterationes cibi, & eius quinque excrementa. Prima alteratio fit per masticationem in ore, quæ non est proprie concoctio, sed ad eam præparatio, quia quanto magis in ore cibus in minutissimas partes comminuitur, tanto magis fit facilioris digestionis. Secunda est in ventriculo. Tertia, in iecure. Quarta, in corde, & quinta in singulis partibus nutriendis, vt suo loco explicatum est.

Primum autem excrementum fit in intestinis, nam totum, quod à ventriculo digeritur, ad iecur mittitur per intestina, & in his intestinis fit separatio prima excrementorum à partibus purioribus ad iecur transeuntibus. Secundum, & tertium sunt in iecore, quod est in parte dextera sub ventriculo, nam partes melancholicæ ad lienem mittuntur, & cholericæ, & biliosæ ad folliculum fellis, & purgatio sanguinis ad renes, & vesicam. Quartum fit in corde, quia sanguis purissimus tunc à corde perficitur, & asseruatur pro omnibus partibus nutriendis, & quædam partes à corde mittuntur quasi ros ad cerebrum, seu venulas cerebri, ad hoc vt viuificetur, & moueatur ad proprias operationes, cum sit natura sua frigidum, & humidum. Aliæ autem partes grassiores à corde mittuntur ad extremitates corporis, ad nutriendum vngues, & capillos.

Quin-

Quintum est à partibus nutritis, quæ emittunt impurum suũ per sudorem, imò secundum aliquos per vngues, capillos, spurum, & immunditias aurium, & nasi.

Redeuntes ergo à quo sumus digressi dicimus non esse difficultatem nutrimentum esse simile nutrito post concoctioné, quia vt ostendimus iam conuersum est in substantiam aliti, vnde difficultas solum est de eo ante concoctionem.

Tertio ergo considerandum venit, quod ante concoctionem duo habere debet. Primum est dissimilitudo, & contrarietas cum alito, nam omnis mutatio est de contrario in contrarium, per Arist. 1. Phys.t. quando inter illa contraria datur transmutatio, (nam inter omnia contraria non est). Si ergo alimentum debet conuerti in substantiam aliti, opus est, vt cum illo teneat dissimilitudinem, inter enim omnino similia non est actio. Secundum est potentia ad hoc vt per nutritiuam possit assimilari nutrito, quia si alimentum in actu, & in potentia esset omnino dissimile nutriendo actum esset, nullo enim modo alimentum posset decoqui à nutritiua, & consequenter non esset nutrimentũ. Hinc Galenus lib. de simpl. medicam. ponit differentiam inter alimentum, & medicamentum, quod medicamentum magis agit in subiectum, quam ab eo patiatur, quia habet vim actiuam respectu eius, & rationem actus. Alimentum vero magis patitur a calore naturali, quia tenet rationem potentiæ.

Quarto, speculandum venit igitur quod ad nutritionem ista debent concurrere.

Primum, quod alimentum ante concoctionem sit dissimile nutrito, quia inter omnino similia non est actio.

Secundum, quod tamen sit in potẽtia ad hoc vt ei possit fieri per decoctionem simile, quia si haberet cum eo repugnantiam, & incompossibilitatem, numquam posset in eius substantiam conuerti.

Tertium, quod sit proportionatum viuenti, quia inter agens, & patiens debet esse proportio.

Quartum, quod hæc proportio in duobus consistat. Primum, quod alimentum sit mixtum, & non simplex elemenrum, vnde nec aere, nec aqua, nec igne, nec simplici terra nutrimur. Secundum, quod possit reduci ad temperamentum sumentis, cum autem temperamentum viuentis sit in quatuor qualitatibus constitutum, & præcipue in calido, & humido, quæ sũt initia vitæ hominis, quæ his carebunt, aptum alimentum viuentium esse non poterunt.

Hoc autem ex triplici causa prouenire potest (dixit Albertus Magnus opusc. de nutritione cap. 1.) Primò, quando est intemperatum, & improportionatum in frigidum sic, vt non possit solui, & temperari, nisi à vehementissimo calore, qualis est calor ignis, qui non est in animali. Quare ferrum, argentum, & metalla non possunt esse aptum alimentum viuentium. Quia non est in eis tantus calor, vt illa possit liquefacere, & in suam substantiam reducere. Secundo, quando est intemperatum in humiditate, & siccitate, quia ab his non possunt per calorem naturalem separari, vt patet in lapidibus. Tertio, cum humidum est ita paruum, vt non sufficiat ad nutrimentum, vt patet, in pilis, ossibus, ac lignis siccis.

Secundo ergo loco principali ponitur ista conclusio. Alimentum debet esse simile nutrito. Probatur. Inter illa debet esse similitudo proportionis, inter quæ datur transmutatio, aliter vnum in aliud non ageret. At inter viuens, & nutrimentum datur transmutatio, cum alimentum conuertatur in substantiam aliti. Ergo inter alimentum, & nutritum debet esse similitudo, & proportio.

Ad primum dicitur ad maiorem, quod pars bifariam considerari potest. Primo, vt est in actu, & sic est res nutrita. Secundo, vt dicitur pars in potẽtia, pro quanto in alimento consideramus hoc, quod est potentia pars viuentis, & sic dum est in potentia est dissimile ab eo, quod erit in actu. Toletus tamen 1. de generat. q. 12. dixit idem esse partem, & nutrimentum, sub diuersis rationibus, nã dicitur pars, vt solũ vnionem dicit, & nutrimẽtum, vt reparat substantiam deperditam, quare dum sanguis est, dissimile est, cum vero factum est viuens, & in carnem conuersum simile est. Notæ autem ex 3. de partibus cap. 5. quod cor est locus in quo primo sanguis continetur, & quod in corde sunt duo ventriculi, & dua receptacula. Vnum stat superius, quod dicitur dexterum, & in hoc fit sanguis nutrimentalis, qui per venam

nam cauam diffunditur per vniuersum corpus. Alterum stat inferius, & dicitur leuum, & ad illud transudat aliqua copia sanguinis ex ventriculo dextero. Et hic sanguis qui nominatur arterialis, & in ventriculo sinistro iacet fit purissimus sanguis, ex quo generantur spiritus motiui, & diffunditur per arteriam magnam, & facit pulsus, quoniam pulsus non est, nisi arteria cum isto sanguine, & spiritu motiuo. Sed tu dic vt supra, primum sanguinem generari in hepate, perfici autem in illis duobus ventriculis, vt supra.

Ad secundum dictum est, quod nutrimentum dicitur in potentia ad nutriendum, sed tantum ex materia proportionata, & non ex omni materia, vnde negatur maior, & fuit in corpore quæstionis explicata.

Ad tertium respondendo notanda sunt quædam.

Primum, quod alimentum dicitur relatiue, quia est alimentati alimentum, vnde non omnis res est omnis viuentis alimentum, sed eius tantum cum quo habet relationem, & conuenientiam, quare ferrum potest vnius esse alimentum, & non alterius, quia cum eo habet proportionem, & non cum alio.

Secundum est, quod res, maxime viuentes, quæ succum ex terra sumunt, vt arbores transplantatæ possunt mutare qualitates suas, de noxijs, in salutares, vel econtra, sicut de malo persica, quæ in perside est venenata, & in Italia delicata, vt tradit Columella de cultu hortorum lib. 10. his versibus.

Quæ barbara Persis.
Miserat, vt fama est, patrijs armata venenis,
Ambrosios præbent succos oblita nocendi.

Tertium est, quod consuetudo se nutriendi ex aliquo cibo multum facit, vnde à Galeno lib. 2 de motu musculorum vocatur natura adu[e]ntitia, & hinc est, quod consuetudo se nutriēdi ex aliquo cibo, etiam de se nociuo, ei assueto non nocet, sed iuuat, vt obseruauit Hippocr. 2. de ratione vict. acutorum contex. 33. & in consuetudo non capiendi aliquem cibum, etiam de se bonum sæpe stomachum turbat, quia ab assuetis non fit passio. Quare mirum non est, si quidam a tenera ætate veneno assueti, eo non fuerint occisi, sed nutriti, ventriculus enim longo vsu hoc cibo depastus, fecit se illi similem, à similibus autem non est passio.

Quartum est, quod hi qui venenosa sibi iam sumpserunt duobus seruatis id fecerunt. Primum, quod antea aliquod remedium contra ipsum acceperunt, vt de Mitridate scribit Gellius lib. 17. noct. Attic. cap. 16. & lib. 11. cap. 13. Secundum, quod ab initio in pauca quantitate venenum sumpserint, & ex debiliori, quia si validum, & in magna quantitate accepissent, natura non potuisset illi obsistere, & contradicere, vnde succubuisset.

Ex his ergo patet ad augmenta, consuetudo enim stat pro altera natura, nec eadem est omnium complexio.

Ad quartum patet, procedit enim de alimento considerato ante decoctionem.

QVÆSTIO LXXXII.

An alimentum conuertatur in substantiam aliti ab anima.

Videtur quod non. Primo. Motus habens determinatum finem, & est naturalis, non potest esse ad omnes partes, quia sic non esset naturalis, & determinatus. Sed motus alimenti est naturalis, & determinatus. Ergo non erit ab anima, quæ mouet ad omnes partes.

Secundo. Effectus causam ostendit. At nutrimentum non animæ effectum, sed qualitatum præcipue frigiditatis, & caliditatis ostendit. Ergo à qualitatibus erit nutrimentum, & non ab anima. Probatur minor. Nam patet, quod frigiditas est illa, quæ agit in nutrimentum, & ita caliditas. In animato enim membra inferiora ad se trahunt alimentum magis grossum, & terrestre ob grauitatem suam, & superiora magis subtile ob suam caliditatem. Ita in senibus ob defectum caloris sursum trahentis magis nutriuntur partes inferiores, quam superiores. Et in mulieribus, ob suam frigiditatem magis crescunt partes inferiores, quam superiores, quales sunt brachia, humeri, & manus.

Tertio. Elementa manent in mixto, & in eo per suas qualitates agunt, mouendo viuentia sursum per caliditatem, & deorsum per grauitatem, & frigiditatem. Ergo frustra erit actio animæ.

Quarto.

Quarto: Homo resurget cum ea mole, quam habiturus erat in ætate perfecta (si moritur puer) vel habuit in ea ætate, si moritur senex. Ergo necesse est, quod materia corporalis fiet, & non perpetuo fluat, aliter resurgeret, quod est mortuum, idest cum nulla materia quam habuit mortuus.

Quinto. Marci 7. & Matt. 15. dixit Dominus noster. Quod intrat in os, non coinquinat hominem, sed in ventrem vadit, & in secessum emittitur. Ergo non conuertitur in substantiam aliti.

Sexto. Si alimentum conuertitur in substantiam aliti, daturque ad reparandum humidum radicale, sequitur, quod senex optimo sumpto alimento possit iunior effici, & viribus præualere iuueni ætate, & dupo venti cibo, quoniam substantialius alimentum accipit, & ad illud in sui substantiam conuertendum aptius.

Septimo. Natura id solet facere, quod ei est facilius. At facilius ei videtur natiuam materiam augere, quam ex aduentitia ex cibo innere fcere. Ergo dicendum venit alimentum, seu cibum in substantiam aliti, non conuerti.

Circa præsentem difficultatem inuenio plures modos dicendi. Primus enim fuit illorum Philosoph. de quibus dixit Arist. 2. de Anima tex. 38. tenuisse augmentum viuentium non animæ, sed motui grauium, & leuium esse attribuendum, quia impenetrabile apud ipsos erat, quomodo eadē anima, quæ est corporis forma, posset mouere ad oppositos situs, scilicet sursum, & deorsum, & ad alias positiones viuentis; vnde motus augmenti, & nutrimenti sursum igni, seu eius caliditati attribuebant, & motus deorsum grauitati, & frigiditati.

Sed contra hanc opinionem ponitur hæc conclusio. Anima est primum principium nutritionis, & augmenti, qualitates vero mixti sunt principia proxima, & veluti animæ instrumenta ad nutriendum, & augendum. Probatur primo expressa sententia Arist. & S.D. 2. de Anima a tex. 34. & deinceps lect. 7.

Secundo. Forma naturalis non est principium nisi vnius motus, vt forma grauis motus deorsum, & leuis sursum. At viuentia habent diuersos motus, scilicet motum progressiuum, vt sunt mobilia eo motu ad locum, motum sensationis, vt sentiunt, & nutrimenti, & augmenti, vt nutriantur, & augentur. Ergo oportet hanc diuersitatem motuum reducere ad vnum aliquod principium, quod possit efficere diuersos motus, & operationes vitales, quod principium dicitur anima. A

Tertio. Substantia non agit nisi mediante accidente, idest qualitate, seu potentia per Arist. 9. Metaphys. &c. At anima est substantia. Ergo calor naturalis, qui nutrit, & auget erit eius instrumentum. Ergo.

Pro notitia huius aduerte omnes Peripateticos in vnum consentire, & in duobus dissentire in hoc proposito.

Consentiunt quidem calorem esse principium proximum, & immediatum nutritionis, & augmenti. Sed dissentiunt primo in natura caloris. Nam Marsilius 2. de generat. quæst. 13. cum quibusdam alijs tenent hunc calorem esse quandam substantiam tenuem, & calidam, per omnes partes viuentis diffusam, sicut dicunt humidum radicale esse quandam substantiā aeream, viscosam, & pinguem.

Sed hæc opinio communiter reijcitur, quia Arist. semper calorem, & humiditatem qualitates appellauit, & consequenter accidentia.

Dissentiunt secundo in distinctione caloris. Datur enim triplex calor. Primus dicitur cælestis, quia proficiscitur à luce cęli pręcipue à luce Solis. Secundus dicitur elementaris, idest ignis, qui est elementum. Tertius dicitur naturalis, quia est cum se ipsa naturali connatus. Modo quæritur an hi tres calores specie distinguantur, an non, de qua re, quoniam alibi diximus, nunc solum addimus hos calores ex parte caloris secundum se considerati non differre specie, quoniam omnes habent calefacere, ex parte vero subiecti, & quo ad proprietates suas differunt. Primo, quia calor ignis vrit, & dissoluit, naturalis vero humidum temperat, & viuentem conseruat. Secundo, differunt in forma, quia calor ignis est à sua forma naturali, & naturalis ab anima. Tertio, differunt in actiuitate, quia calor ignis maxime actiuus est, & sursum tendit, & rapit, naturalis vero est temperatus, & ad omnem dimensionem mouet, & dilatat. Quarto, in multiplicitate, quia calor ignis solum per se calefacit, at naturalis per se, & si quodam ordine calefacit, digerit, adunat, assimilat,

animae, & organizat. Quinto in fine actionis, quia calor ignis reducit corpus combustibile ad cineres, at naturalis animam inducit, conseruat, & fouet.

Assimilatur autē calor naturalis calori ignis quia segregat excrementa a partibus ad nutritionem dispositis, sicut ignis in aetrogeneo partes eius secernit, vt patet in auro per ignem probato. Assimilatur etiā calori caelesti inquantum ille viuificat, sicut & iste. Habet vero proprium assimilare viuenti cuius est instrumentum aliméntum, quia illud conuertit in aliti substantiam.

Secundus modus dicēdi fuit Alexādri Aphrodisei apud Auerroem 1. de generation. ad tex. 38. qui fuit primam materiam, quam anima informauit semper in nutrito manere, & nutrimentum illi aliud non facere, nisi nouas materiae partes addere, & ex eiusdem naturae cum prima materia efficere ...

Sed & illa opinio reijcitur. Quia calor naturalis continuo consumat partes materię quas inuenit, nec anima habet maiorem ordinem ad priores, quam ad posteriores cum, & istae, & illae, vnum tantum corpus constituant, & efficiant secundum rem, & rationem eandem.

Tertius fuit Magistri Sent. 2. dist. 30. & eius fratris auctoris historiae Scholasticae cap. 73. & Hugonis de sancto Victore de sacramentis p. 6. cap. penult. qui in tribus consistit. Primum, quod in Adamo fuit quędam communis massa materię, ex qua omnis homo quandam portiunculam deducit, & hanc animam sibi tamquam propriam materiam praedefinit. Secundum, quod haec numquam diffluit, sed semper in homine manet, & dum nutritur, & augetur, non acquirit nouam substantiam, sed ipsa in seipsa augetur, & multiplicatur, & per hoc differt ab opinione Aphrodisei, concedentis aduentum nouae substantiae. Hinc deducebat alimentum non esse necessarium ad resarciendum materiae fluxum, sed ad prębendum illi materię fomentum ne absumatur, sicut plumbum solet ab Aurificibus auro misceri, dum illud liquefaciunt, ne consumatur, & in vapores abeat. Tertium est, quod ideo in hac materia erit resurrectio, & naturę vnitas, quia ille idē qui natus est, crescit, & mortuus est, idem resurget, propter eandem materiam.

In contrarium est communis modus dicendi, quod alimentum conuertitur in substantiam rei nutritae. Sic docent Plato in conuiuio. Arist. 2. de Anima, & 1. de generat. cap. 5. D. Augustinus lib. de vera Religione cap. 40. & 2. de genesi ad literam S. D. p. p. quaest. 119. art. 1. D. Bonauentura 2. dist. 30. quaest. 2. Albertus Magnus p. 2. summae de homine quaest. de potentijs vegetatiuis; & in 4. dist. 44 art. 7. Scotus q. 1. Durandus 2. dist. 30. quaest. 4. Aegidius eadem distinctione, & moderni omnes.

Conclusio ergo est. Alimentum conuertitur in substantiam nutriti, & aliti. Probatur primo. Quod augetur, aut per rarefactionem augetur, aut per aggregationem, aut per diuinam virtutem illam materiam in diuerso situ constituentem. At nutritio, & augmentatio non est per rarefactionem, aliter corpus senis esset rarius corpore pueri. Non per aggregationem, quia viuens auctum est vnum numero simpliciter, & non aggregatione. Non per diuinā potentiam, quia augmētum est naturalis, non esset res naturalis, sed supranaturalis. Ergo erit per conuersionem alimenti in substantiam aliti.

Secundo. Virtus nutritiua, & augmentatiua in hominibus non est minoris virtutis, quam in ceteris viuentibus, cum in eo potius perficiatur, quam imperficiatur. At in alijs viuentibus conuertit alimentum in substantiam aliti. Ergo, & in hominibus.

Tertio. Calor naturalis in humidum seuit, ipsumque depascit, vt facit ignis lucernae oleum, quare senior magis exsiccatur, & inarescit. Ergo non potest esse, vt primeua materia semper maneat.

Ad primum negatur maior, nam naturale dupliciter sumitur. Primo, vt distinguitur contra violentum. Secundo, vt distinguitur contra animale, vel liberum. Primo modo motus nutrimenti est naturalis, nō secundo modo, quia motus etiam animalis, idest factus ab anima est naturalis. Secundo dicitur ad minorem, quod motus alimēti est naturalis, & determinatus, sed ab anima, & secundum naturam eius principij. s. animae, non vero est determinatus ad modum grauium, & leuium.

Ad secundum negatur minor, nam ostendit virtutem animae, vt principij primi, & qualitatum, vt instrumenti proximi. Secundo dicitur, quod quia in omni parte

corporis

corporis viuentis qualitates sunt permixtæ, ideo viuens de eis participat, prout ad naturam eius faciunt, quamobrem quamuis ossa sint terrestria, & grauia, & cerebrum sit humidum, & aquaticum, tamen sursum reperiuntur, quia sic natura agit, ad constitutionem, & conseruationem viuentis.

Ad tertium omissis multis, in libris de anima dictis, respondemus ad argumentum negando sequelam, quia vltra actionem qualitatum, postulatur actio, & motio animæ, vt primi principij viuentium, in esse, & operari.

Ad quartum multa diximus supra, dum quæsiuimus, an idem sit numero viuens, quod augetur &c. Ideo breuiter pro nunc negatur consequentia, sufficit enim ad saluandam identitatem eius. Primo, quod remaneat eadem natura specifica, & essentia. Secundo, quod semper restet eadem forma, & anima. Tertio, quod perseueret eadem materia virtualiter, & in ordine ad eandem formam, quia & si continuo ista fluat, alia tamen continuo eiusdem proportionis cum anima succedit, vnde non est inspicienda eius quantitas actualis, sed formalis, idest, vt est ordinata ad hanc formam, & non ad aliam, iste enim ordo, & ista proportio semper perseuerat.

Ad quintum respondet S. D. p. p. q. 119. art. 1. illa verba significare aliquam partem in secessum ire, idest excrementitiam, non vero omnem, quia aliqua in substantiam nutriti conuertitur.

Ad sextum negatur assumptum, quia iam in eo defecit radix augmenti, scilicet humidum primogeneum, & calor primeuus.

Ad septimum negatur minor, ob defectum, vt diximus primogenei humidi, & caloris naturalis.

QVÆSTIO LXXXIII.

An elementum possit esse viuentium alimentum.

Videtur quod sic. Primo. Quoniam constat arbores terra nutriri, per radices. Et talpas, & quosdam serpentes terram comedere, & lupos dum famescunt, vt tradit Arist. lib. 8. de hist. animalium cap. 5. At terra est elementum. Ergo.

Secundo. Pisces, & quæ in aquis morantur, ex aqua alimentum desumunt, imò & terrestria, quæ aquã bibunt, vt annuit Arist. in problem. sect. 1. problemate 13. Aqua autem est elementum. Ergo elementum alit.

Tertio. Quædam animalia aere viuunt, & nutriuntur. At aer est elementum. Ergo nutriri possunt elemento. Maior traditur, vt vera in Chamaleonte communiter, & docet Plinius lib. 8. nat. hist. cap. 33. Et idem tradit Plutarchus de quadam auicula, persica Rythace. Et Ambrosius Puteus lib. de monstris, & prodigijs idem testatur de quodam monstro Affricano, in lingua Affricana Haijt appellato. Et idem de quibusdam Indis, ad extremos Indiæ fines, circa fontes Gangis degentes, narrat Plinius lib. 7. cap. 2. dicendo, quod solo halitu, & odoratu ex pomis, & floribus sumpto nutriuntur. Et de Democrito Abderita scribit Oribasius 1. Aphor. comm. 2. quod per quatuor dies odore panis calidi vitam sustentauit.

Quarto. Idem scribit Aelianus lib. 2. cap. 5. Plinius lib. 10. cap. 67. & Olympiodorus in 4. Meteor. de Salamandra, quod in flammis ardentibus viuat, & idem dicitur de quibusdam bestiolis in insula Cipri. At ignis est elementum. Ergo viuentia possunt ex igne, & ex omni alio alimento nutriri.

In contrarium est Arist. 2. de gener. tex. 49. & de sensu, & sensili cap. 5. vbi dicit elementum non posse esse rei viuentis alimentum.

Quoniam etiam hanc difficultatem supra tetigimus, hinc breuibus modo eam perlustrabimus.

Dicendum est ergo, quod elementum non potest esse rei viuentis nutrimentum his subintellectis.

Primum proxime, nam virtualiter, & remote est, pro quanto quæ proxime alunt, & nutriunt mixta elementa ipsa includunt.

Secundum loquendo de elemento in sua puritate, & simplicitate considerato, nam arbores, & plantę aqua terre commixta nutriuntur, vt docuit Arist. de sensu, & sensili cap. 5.

Tertium, quod vere in sua simplicitate sumatur, & non secundum aliquam partem secundum quam aliquam mixtionem admittit, vt suo loco diximus.

Conclusio ergo est. Elementum purum non potest esse viuentium alimentum. Probatur primo. Alimentum debet conuerti in substantiam aliti, eique fieri simile per virtutem eo potentiorem, & valentem illud transmutare. At calor naturalis, qui cibum digerit, concoquit, & in substantiam aliti conuertit, non potest esse virtuosior qualitatibus elementorum, verbi gratia, calori ignis, in sua natura existentium, quia qualitas mixti est per participationem qualitatum elementorum. Ergo elementum purum non potest esse alimentum viuentium.

Ad primum dicimus arbores, herbas, talpas, & serpentes nutriri ex terra aquæ commixta, & aliqua qualitate mixti referta. Diximus enim iam elementa nostra maiori ex parte non esse pura, & sincera, sed mixta.

Ad secundum idem dicimus, nam in aqua multa miscentur, & non est difficile credere animantia frigida ex elemento frigido, & suæ naturæ accomodato foueri, tueri, & quoquo modo nutriri.

Ad tertium eodem modo dicitur, quod cum aere imbibunt alias qualitates. Iulius tamen Scaliger exercitatione 196. in Cardanum ex quodam Io. Laudio docet Chamæleontem non solum aere, sed etiam muscis, ac alijs vesci, & ita potest esse in alijs adductus, quoniam fortiue cibum sumunt, & pauco indigent.

Quod autem odor nutriat, dicimus odorem trifariam sumi. Primo, pro ea tantum qualitate, quæ olfactu percipitur. Secundo, vt dicit fumidam exhalationem ab odorabili. Tertio, vt confortat, & fouet. Primo modo non potest nutrire, quia nutrimentum est ad reparandam substantiam, per calorem naturalem consumptam, & consequenter oportet ipsum esse substantiam. Nec secundo modo, quia sic in caput ascendit, & alimentum in ventriculo. Tertio vero modo large potest dici nutrire, pro quanto confortando cerebrum, fouet ventriculum, & vires reficit, sed hoc per modicum tempus, quia non est stabile nutrimentum.

Ad quartum aliqui negant animalia illa Cipriota in igne viuere, nec id affirmasse Arist. proprio Marte, sed ex aliorum sententia retulisse, tenet enim expresse 5. de histor. animal. cap. 19. nullum animal in igne viuere. Secundo alij dicunt, quod illæ bestiolæ non solo igne, sed lapidum, qui in illis fornacibus coquuntur materia aliuntur.

QVÆSTIO LXXXIV.

An animalia sanguine prædita, ex solo nutriantur.

Videtur quod non. Primo. Alimentum debet nutrito esse simile, secundum Arist. 1. de generat. At sanguis non est similis omnibus partibus animalis sanguinei. Nam in eo cor est calidum, cerebrum frigidum, & humidum, & medulla spinæ, ossa sunt sicca, cartilagines, nerui, & arteriæ exanguia. Aliaque membra in eorum naturam sanguinis referunt, vt hepar, & caro, alia flauæ bilis, vt pulmo, alia atræ, vt splen, & alia pituitæ, vt cerebrum. Ergo non est possibile omnia illa membra in se tantum diuersa, eodem alimento sanguinis nutriri.

Secundo. Si solo sanguine nutrirentur, alij humores essent inutiles. Hoc falsum, patet enim eos sanguine misceri, vt sanguis ex vena deductus testatur, cum in eo alij humores comperiantur. Ergo etiam ipsi nutriunt.

Tertio. Nihil ad se trahit, nisi id quo alitur, cum tractio sit ad vtilitatem membri. At vtraque vesicula atræ, & flauæ bilis ad se hos humores trahit. Ergo eis aluntur.

Quarto. Sanguis extra venas non reperitur, præterquam in corde secundum Arist. 3. de hist. animalium cap. 19. At nutrimentum debet esse cum re nutrita coniunctum. Ergo vel omnia membra nutrita erunt venæ, aut non omne membrum nutrietur, quod vtrumque est falsum.

Quinto. Ventriculus chylum ad iecur, vt alimentum transmittit. Ergo chylo, qui non est sanguis cibatur. Probatur, quia aliter expectando sanguinem à iecure famesceret, vt prius faciebat, antequam cibum sumeret.

In contrarium est Arist. 2. de partibus anim. cap. 3. & 4. & lib. 2. de generat. animal. cap. 19. & lib. 2. cap. 4. quibus in locis statuit sanguinem esse nutrimentum, omnium animalium sanguine præditorum. Et probatur.

Primo. Alimentum datur à natura ad tuendam vitam, quæ in calido, & humido consistit.

sistit. At inter humores solus sanguis est calidus, & humidus. Ergo solus sanguis est animalium sanguineorum nutrimentum.

Secundo. Alimentum debet esse dulce, per Arist. lib de sensu, & sensili cap. 4. & Galenum, 1. de alim. facult. Sed solus sanguis inter humores est dulcis. Nam phlegma est insipidum, bilis amara, melancholia acida. Ergo solus sanguis nutrit.

Tertio. Cum cibus non sumitur, sanguis deficit, cum capitur, augescit, si alimentum est bonum, sanguis bonus efficitur, & sanitas asseruatur. si malum, malus sanguis generatur, & sanitas corrumpitur. Ergo signum est animalia solo sanguine ali.

Respondetur ergo animalia sanguine nutriri his subintellectis.

Primum, quod loquamur de habentibus sanguinem; nam qui eo carent, eo non nutriuntur, sed alio proportionaliter correspondente in eorum natura pro sanguine.

Secundum, loquendo de alimento proximo, nam remoto omni mixto suæ naturæ accomodato vesci, & ali possunt.

Tertium radicaliter, & fundamentaliter, quia & si verum esse possit, id quod aliqui Medici tradunt, neruos humore albido, & glutinoso nutriri, & idemmet Arist. affirmet 2. de part. anim. cap. 6. ossa medullis ali, tamen ista ex sanguine originem ducunt, vnde prius sunt sanguis antequam in medullam, & humores albidos, & glutinosos conuertantur, sicut caro prius fuit sanguis, antequam caro.

Ad primum ergo dicimus ad minorem, quod sanguis possit dici nutrimentum omnium membrorum stat dupliciter. Primo, origine, & virtute, & ita est verum. Secundo, proxime, & immediate, & sic quorundam membrorum est proximum alimentum, idest, sanguineorum, & aliorum nō. Quod optimâ metaphora explicuit Diuus Gregorius Nissenus. Nam dixit, quod quemadmodum idem aquæ humor hortū irrigat, & in vitem, in pyrūm, in platanum, in amaracum, in violam, in lilium, & alia huiusmodi pro ratione, & natura eius, ad quod perlabitur conuerti solet, & in alijs purpurascit, in alijs rubescit, aliove colore pingitur, in his amarorem, & in illis dulcedinem concipit, in quibusdam ad vtilem, in alijs ad inutilem succum demutatur. Sic idem sanguis ossi applicatus, (intermedia medulla) in os durescit, & nouam medullam gignit, carni iunctus carnis mollitudinem recipit, &c.

Sed huic responsioni aduersari videtur Arist. 2. de partibus anim. cap. 4. quo in loco dicit alimentum immediatum viuentium esse solum sanguinem.

Respondetur hoc verum esse comparando sanguinem cibo ab externo sumpto, non vero omni proprio, & immediato nutrimento omnium membrorum. Vel dicas secundo, quod est immediatum immediatione virtutis, quia omne nutrimentū eius virtute fit, non immediatione rei, quia alij qua membra sanguinem conuertunt in aliud. Excipe etiam humores, & excrementa, quia ista non sunt membra viuentis.

Ad secundum cōcedimus illos humores posse sanguini misceri, & cū sanguine in malum nutrimentum tempore infirmitatis præcipue posse transire, sed negamus viuentem illis solis humoribus nutriri, vel sine sanguine.

Ad tertium dicimus vtramque vesiculam illos suos humores trahere, non vt eis alantur, sed vt ex eis sanguis purgetur.

Ad quartum dicimus partem immediatam, & contiguam venæ, à vena attrahere sanguinem, & bibere ad sui nutrimentum.

Ad quintum respondendo inuenio DD. discordes, quidam enim dicunt ventriculum chylo nutriri, alij id negant. At dicere possumus, quod ventriculus aliquo modo chylo nutritur, & eo satiatur, at perfectā nutritionem nisi ex sanguine capit, vnde ex iecure, & corde etiam adipsum pro suo alimento transfunditur, vt docuisse videtur Galenus lib. 3. de facult. cap. 13. & lib. 6. de placitis, cap. 14. Peramatus, lib. de animal. facult. cap. 7. & Vallesius lib. 1. controuers. Med. & Phil. cap. 3.

QVAESTIO LXXXV.

An sit necessarium omne viuens nutriri quamdiu viuit.

Videtur quod non. Primo. Nihil agit ad sui destructionem. At si calor ageret in humidum ad nutriendum, ageret ad sui destructionem. Ergo non erit nutritio. Probatur minor. Fomentum, & conserua-

seruatiuum caloris naturalis est humidum radicale, sicut fomẽtum lucernæ est oleũ. Si ergo calor agit in humidum ipsum in nutritione resoluendo, operabitur ad sui met destructionem, quod non est dicendum.

Secundo. In nutritione, vel calor immediate agendo in humidum efficeret siccitatẽ, vel calorem, ad quem siccitas sequitur: Non primum, quia calor est à calore immediate, sicut siccitas à siccitate. Non secũdum, quia cum calor, & humiditas sint in eadem subiecti parte, pars actu calida sic seipsam calefaceret, & ita idem in se, & in suo simili ageret, quod repugnat dictis Phil. supra. Ergo &c.

Tertio. Idem non potest esse causa contrariorum. At calor humidum carpit, & partes materiæ præexistentis resoluit. Ergo non præparabit nouam materiam ad formam viuentis, alimentum coquendo, & resoluendo in substantiam aliti.

Quarto. Si calor humidum arefaceret, corpora calidiora breuioris essent vitæ, quã frigidiora, & consequenter fœminæ masculis, & multum corpus exercentes his, qui in quiete sistunt, cum corporibus ex exercitio calor acrescat. At hoc est contra Arist. lib. de longitud. & breuit. vitæ, cap. 2. Ergo non est dicendum viuentia propterea quod in eis calor naturalis, in humidum operatur, semper nutriri.

In contrarium est omnium Philosophorum sententia, in calido, & humido vitam viuentium collocantium hoc modo, quod sicut lucerna oleo fouetur, & cõseruatur, & tamen oleum continuo consumitur, vnde est necessaria noua oppositio olei ad nutriendum ignem lucernæ. Ita calor naturalis, humido radicali fouetur, & conseruatur, & quia semper in ipsum agit, ideo noua appositio humidi, & calidi necessaria est, quæ per alimentum completur, quare sicut humidum radicale semper à calore naturali cõsumitur, ita per nouam nutritionem perpetuam manutenetur, & confirmatur.

Duplex autem dant humidum. Primum dicunt tenue, & aquosum. Secundum viscosum, & pingue, & hoc secũdum aptius ad conseruandam vitam esse affirmant. Hinc dicunt aquatilia citius mori, quia humido tenui sunt prædita, econtrario volatilia, & quadrupedia diutius vitam ducere, quia eorum humidum est pingue, & viscosum. Qua ratione etiam arbores, quæ resinam emittunt, & oleacea sunt, magis durant quam quę his carent, vt cerasus, malus persica, & similes, quorum humidum tenue est, & debile.

Sciendum est ergo, quod humidum radicale habet duplex corruptiuum. Primum est externum. s. aer, & quędam aliæ causæ sequentes in viuentem, & sua caliditate, & mala qualitate ad eius consumptionem operantes. Secundum est internum. s. calor naturalis, qui cum indigeat pabulo, & nutrimento, nullumq. aliud ei accommodatius esse possit, quam humidum, quod illud fouet, & conseruat, ideo ne calor naturalis suo alimento destitutus euanescat, opus est, vt per cibum, & alimentum per os sumptum, & ad uentriculum demandatum prouideatur, quare necesse est viuentem semper nutriri.

Conclusio ergo est. Necesse est viuentem semper nutriri. Probatur. Id dicitur necessarium sine quo res esse nõ potest. Sed viuens non potest diu viuere sine nouo nutrimento, sicut lucerna non potest diu ardere, & lucere, sine noua appositione olei. Ergo necesse est, si viuens viuere velit, quod semper nutriatur.

Ad primum dicitur ad maiorem nihil agere ad sui corruptionem per se, per accidens potest, sicut lucerna per se intendit lucere, & si per accidens oleum consumet. Intendit ergo calor naturalis se conseruare in humido, at hoc non potest facere sine eius cõsumptione, vnde necessaria est nutritio, quæ de nouo addit humidum.

Ad secundum dicimus calorem per se primo calefacere humidum, & per consequentiam dissiccare ipsum per euaporationem ab eo causatam. Tunc autem idem non agit in seipsum, nec in suo simili, quia inuenit nutrimẽtum in sui principio ei dissimile, vnde illud alterat, digerit, & concoquit, vt illud assimilet viuenti, cuius est instrumentum. Sed vltra hoc, quod calor naturalis agit in cibum illum alterando, &c. agit etiam in spiritibus congenitis, & influuentibus, & per hos in humidum proximum operatur, & sic successiue consumando ex vna parte, & ex alia parte adiungendo.

Ad tertium dicimus ad maiorem, idem secũdum idem non esse causam cõtrariorum

secun-

secundum diuersas rationes vtique, vnde calor naturalis resoluit humidum præexistens, & nouum addit iam non existens.

Ad quartum dicimus ad maiorem, illam non esse veram, quia supponit vnum, quod negamus, scilicet calorē in viris, & se exercitantibus consumere solum humidum, & non resarcire per nutritionem, quod est falsum, nam exercitatio, & vberior caliditas masculorum, plus cibi consumit, digerit, & in substantiam aliti conuertit, quam in fœminis, natura frigidioribus, & quiescentibus, calorem non acuentibus.

QVÆSTIO LXXXVI.

An viuens semper nutriatur.

Videtur quod non. Primo. Exemplo multorum animalium. Nam Aristot. lib.6. de hist. anim. cap.30. & lib.8. cap.17. scribit Vrsam per dies 40. circiter latere, & sine cibo manere, & tunc tam vehementer pinguescere, vt cum difficultate se moueat. Et cap.15. cum Auicenna 7. de anim. & Alberto Magno l.21. de anim. trac.2. ait q͂d Stelliones Crocodilli fluuiateles, ac nōnulli serpentes per totum hyemem nihil alimenti capiunt. Quod & de gliribus cecinit Martialis in Xenijs, dum dixit.

Tota mihi dormitur hyems, & pinguior illo
Tempore sum, quo me nil, nisi somnus alit.

Et in Brasilica regione, quidam ferunt extare auiculam, quæ rostro ex arbore suspenso, sex integros menses sine pabulo degit, & his decursis, quasi à morte ad vitam redit, vnde indigenæ dicunt illam suscitatam.

Secundo. Hoc idem de hominibus scribit Magnus Albertus 7. de animal. narrando se vidisse Coloniæ mulierem, quæ inediā tolerabat per dies 20. & 30. Et in summa de homine tract. de nutritione aliam refert per quatuor dies à cibo abstinuisse. Et Medina lib.2. suæ Parænesis cap.7. scribit quendam hominem per tres menses sine aliquo cibo vixisse. Et idem dicit Portius de quadam puella Germanica, scilicet, quod vixit per biennium sine cibo. Et quod mirabilius est tradit Aponensis 10. problematum ad finem, mulierem Normanā sua tempestate per annos decem, & octo nihil gustasse.

Tertio. Asserit Galenus lib.3. de Symptom. causis, laborantes morbo, qui dicitur Atrophia, idest priuationis victus, nullo modo morbo durante nutriri.

Quarto. Tradit Arist. lib. de somno, & vigilia cap.5. potentias, & instrumenta operandi, si diutius operationi insistant, tandem quiete indigere. At nutritiua est potentia, quæ multum in nutriendo laborat. Ergo aliquando quiescere debet.

Quinto. Arist. 1. de Anima dicit animam quandoque esse in actu primo, & non in secundo, idest cum actuali operatione Ergo poterit, anima vegetatiua quandoque cessare per potentiam nutritiuam, à nutritione.

In contrarium est Arist. 1. de generat. tex.41. 2. de Anima tex.47. lib.3. tex.59. de somno, & vigilia cap. 1. vbi ait nutritiuam numquam quiescere, nec somno corripi. Et idem affirmant Aphrodiseus lib. 1. de Anima, Auerroes 8. Phys. comm. 2. Auicenna 6. de animal. Albertus Magnus in summa de homine p.2. tract. de nutritione S.D.2. contra Gentes cap.97. Ferr. ibidem, & omnes fere DD.

Respondetur, quod de nutritiua bifariam loqui possumus. Primo, vt multos actus habet, scilicet cibum attrahere, illum vna saltem ex tribus concoctionibus concoquere, & in substantiam aliti conuertere. Secundo, vt habet tantum hunc actum scilicet conuertere alimentum in substantiam aliti. Si de ea loquamur primo modo non est tanta difficultas, quia concoctio perpetua est, vt humidum respicit, eo enim deficiente viuens occumbit. In secundo ergo est nodus difficultatis, scilicet an semper conuertat aliquid in substantiam viuentis, & quo ad hanc partem sit in actu secundo semper.

Doctores igitur videntur dicere hoc non esse necessarium, & sufficere ad eius perpetuam operationem, vt vno aliquo ex suis actibus laboret.

Oppositum tamen probabilius censeo, & iudico nutritiuam semper aliquid conuertere in substantiam nutriti, vel saltem aliquid eius depasci.

Mouetur ad hoc tenendum. Primo, ex Arist. de breuitate, & longitudine vitæ cap. 2. vbi

vbi dicit calorem naturalem semper in alimentum agere, & eo deficiente, si nihil aliud suppetat, in ipsammet substantiam viuentis conuertitur, & eam continuo morsu vellicat. Secundo. Quia vbi est causa in actu, ibi oportet etiam esse effectum in actu per Arist. 5. Metaphys. At in viuente est calor naturalis, qui vt causa naturalis in actu semper aliquid consumit. Ergo oportet semper dare vnum ex his, vel conuersionem alimenti in substantiam nutriti, sit modo hoc conuersum bonum alimentum, vel malus humor, vel oportet recurrere ad consumptionem, quia calor naturalis quando alimentum non inuenit, ad id quod est se reducit, & illud consumit.

Ad primum dicimus cum Magno Alberto, Auicenna, ac alijs, quod ob tres causas illa animantia longa inedia, & abstinentia ducuntur. Primo quidem, quia & si tunc temporis non sumant externum cibum, pascuntur tamen pituita, & quodam indigesto, concretoque humore, iam antea ex ingluuie coaceruato, sed non consumato. Secundo, quia eo humore abundante, & quasi calorem naturalem suffocante, admodum extenuatur calor naturalis, taliter quod parum de eo in dies consumat, vnde & multum quædam impinguantur, propterea, quod calore eneruato ille humor non æque bene potest resolui, & ideo illum in aruinam, & adipem conuertit. Tertio, quia tunc temporis iacent, nec aliquo motu calorem naturalem excitant, vnde videntur mortua, latendo in abditis, reconditisque locis.

Aliud igitur est, quod tunc à cibo abstineāt, & aliud est, quod aliquo modo non nutriantur. Primum concedimus. Secundum negamus, & hoc est, quod in dubium vertitur. Quod autem de brutis diximus, idē de mulieribus illis affirmamus, quamuis multa dicantur fabulosa, & credulitate indigna, nisi miraculo fiat, vt de quibusdā Sanctis dormientibus legimus, vt de mea deuota D. Catherina Senensi, quæ per multos dies sola sacra communione refecta, sine alio omni cibo hilaris, & fortis Deo seruiebat.

Ad secundum ergo patet per supradicta, animaduertendo illas feminas debuisse esse frigidissimas, & forsan sine proprijs purgationibus.

Ad tertium idem dicimus laborantes Atrophia, & Lienteria cibum non sumere, & male se nutrire, sed aliquo modo sic.

Ad quartum respondet S. D. p. p. q. 119. art. 1. ad 3. & Albertus Magnus, vt supra, quod potentiæ sunt duorum ordinum. Primæ operantur applicatæ ab agente, & mouente, qualis est potentia motiua. Secundæ operantur naturaliter, & per modum naturæ, quia semper sunt in suo naturali actu, nisi impediantur, vt nutritiua. Hoc autem ei datum est; quia ab eo dependet vita viuentis, nam cum calor naturalis semper humidum absumat, opus est ne deficiat, vt nutritiua ei de continuo pabulo, & nutrimento prouideat.

Ad quintum diximus multa in 2. de Anima, ibi vide; pro nunc solum dicimus, quod nutritiua quo ad aliqua sua officia potest esse in actu primo, & vt est potentia animæ vegetatiuæ, vt sic, non vero vt est perpetua administra necessarij alimenti ad conseruandam vitam.

DE CONCOCTIONE.

QVÆSTIO LXXXVII.

An recte sic definiatur coctio. Coctio est perfectio, à naturali, & proprio calore, ex oppositis passiuis.

Videtur quod non. Primo. Probatur, quod non sit recte posita. Nam definitio datur causa innotescendi. At per hunc terminum coctio non scimus an sumatur pro fluxu, & motu coctionis, vel pro forma fluente, seu per coctionem producta, vel pro aggregato ex vtroque, vel sit coctio arte facta, vel natura elaborata. Ergo non est recte posita.

Secundo probatur, quod non sit perfectio. Nam perfectio numquam est satis, nec vnquam dicitur nimia. At coctio sic, cum dicamus illum, vel illum cibum esse multum, vel minus coctum. Ergo non est dicenda perfectio.

Tertio probatur non fieri à naturali, & proprio calore.

Primo, quia coctio nutritionem facit. At ista est ab anima, per Arist. 2. de Anima, & de partibus animalium.

Secundo. Assatio, & elixatio, non à proprio calore, sed ab externo efficiuntur. Et alimentum

mentum in ventriculo à calore animalis, & non proprio concoquitur. Et poma solis calore, & pallearum fomento maturantur. At istæ sunt coctiones. Ergo male dicitur à proprio calore.

Tertio. Quia multa coquuntur à frigore. Galenus enim tradit lib. 2. de temperamentis pinguedinem fieri à frigore membranarum, & Theophrastus asserit quosdam fructus solo frigore, & pruina maturari. Et Medici bilem coquere cupientes, Syrupis refrigerantibus vtuntur, ex endiuia, & acetosa, quæ sunt herbæ frigidæ.

Quarto probatur, quod male dicatur ex oppositis passiuis.

Primo, quia humor, qui hic dicitur oppositum passiuum, cum siccitate sunt formæ. Ergo male dicitur ex oppositis passiuis, tamquam ex materia.

Secundo. Quia humor non videtur decoqui, sed potius interire, & non perfici, nã alimentum in ventriculo propria forma priuatur, & in chylum vertitur.

In contrarium est Arist. 4. Meteororum, vbi sic definiuit coctionem. Coctio est perfectio, à naturali, & proprio calore, ex oppositis passiuis.

Pro notitia huius definitionis, pro nunc generaliter notandum venit, (infra enim in speciali de his agetur) quod tres sunt species coctionis, seu concoctionis ex Arist. 4. Meteor. cap. 2. Prima dicitur elixatio, qualis est illa, qua carnes interuentu aquæ calidæ, vel alterius calidi humoris ad ignem coquuntur. Secunda dicitur assatio, qualis est ea, qua carnes ad ignem torrentur. Tertia dicitur maturatio, qua verbi gratia poma, & alij fructus maturescunt. Modo decoctio alimenti in ventriculo est similis elixationi, quia fit mediante aliquo humore, & calore naturali agente in cibum, seu nutrimentum, ad eũ à propria natura, ad aliam transferẽdum. Concoctio autem vniuoce non conuenit supradictis speciebus, sed secundum quandam analogiam attributionis, si concoctionem etiam extendamus ad ea, quæ arte coquuntur, sic enim de eis per attributionem dicitur, ad eam coctionem, quæ fit in animali, à proprio, & naturali calore.

Secundo. Notandum venit, quod supradicta definitio recta est, & bona. Constat enim ex suo genere, & differentia, & explicat naturam definiti. Nam ly perfectio stat pro genere, quia dicitur de forma per generationem acquisita, & de temperamento, & perfectione accidentali per concoctionem adepta. Ly a proprio, & naturali calore, ponitur ad differentiam putredinis, quæ est interitus proprij, & naturalis caloris. Ly ex oppositis passiuis, exponit Ludouicus Boccaferrus humidi, & humidorum coctio, quia coctio horum tantum est. At melius dicitur per opposita passiua annuisse Arist. terminum à quo concoctionis, vnde ly ex hunc terminum denotat, quasi dicat concoctio est transmutatio humidi, & sicci facta à calore naturali, & proprio, & ita exponunt Alexander, & Olympiodorus, & ita subdit Phil. quod cum humida, & sicca fuerint à proprio, & naturali calore concocta, corpora sunt perfecta. Intellige quo ad nutritionem, vel vt alij exponunt ad generationẽ, quod tamen non est verum absolute, sed solum in valentibus generare.

Conclusio ergo est. Definitio coctionis recta est. Probatur. Quia constat ex genere, & differentia, & explicat naturam definiti, vt iam, iam ostendimus, & melius in responsione argumentorum ostendemus.

Ad primum ergo negatur minor. Ad probationem dicitur, quod coctio non sumitur præcise pro fluxu, seu coctione, vt dicit fluxum cocti, quia sic non diceretur cum inclusione oppositorum passiuorum. Nec præcise capitur pro forma fluente, quia sic non esset coctio, sed coctum. Sumitur ergo pro forma rei coquendæ, idest alimenti, vt est sub coctione, & in esse nutriti conuerti debet. Sic enim bene dicitur perfectio eius, & esse ex oppositis passiuis vt à termino à quo, & transire ad substantiam aliti, idest ad standum sub eius forma. Ad id autem, quod quærebatur, an Arist. hic definierit tantum coctionem naturalem, an vero, & artificialem. Boccaferrus dixit vtrique competere, & Pomponatius solum naturali, quia hæc tantum calore naturali, & proprio fit, & proprie dicitur esse ex oppositis passiuis, non autem artificialis, quæ est per extrinsecum calorem. Dicendum ergo erit proprie, & denominatione intrinseca conuenire tantum naurali extrinsece vero, & per ordinem ad coctionem naturalem conuenit etiam coctioni artificiali, vnde inter istas coctiones saluatur analogia attributionis.

Prima enim est propria coctio. Secunda, imitatiua, & est signum istius.

Ad secundum respondendo referre oportet, quid per coctionem intellexerint expositores.

Auerroes ergo per coctionis perfectionem intellexit temperamentum, seu complexionem causatam per coctionem, quæ dicitur secūda qualitas, de tertia specie qualitatis, quę dicitur passio, & passibilis qualitas.

Huic interpretationi obstat, quod Arist. dixerit coctionem esse perfectionem factam à calore naturali, vnde assignatur calor pro causa, & pro effectu, idest pro temperamento redūdante ex mixtione quatuor qualitatum.

Hinc Vgo Bentius dixit hoc temperamentū non esse ex quatuor qualitatibus, sed solum ex passiuis .s. ex humido, & sicco, quia tunc res dicitur cocta, cum digesta est nimia eius humiditas intrinseca, & naturalis, & reddita est siccior, quam sua natura sit, ista autem temperies coctionis fit à calore resoluente humiditatem.

At isti etiam videtur obstare, quod coctio sic non esset perfectio totius mixti, & omnium eius qualitatum, nisi dicamus calorem cum consumauit superfluam humiditatem se commisceri in temperie, cum humido, & facere perfectam temperiem.

Picolomineus in tract. suo de coctione has omnes opiniones conatur conciliare dicēdo, quod in coctione quatuor sunt principalia. Primum se tenet vt materia coctionis, & istæ sunt qualitates passiuæ .s. humiditas, & siccitas à quibus est, vt à termino a quo. Secundum est temperamentum harum qualitatum, quod tenet locum formæ, nam cum concoctio facta est, temperies adest, denominans concoctum temperamentum. Tertium est ipsa perfectio rei coctæ, quæ non est nisi temperamentum ipsum. Quartum est affectio, & effectus coctionis, scilicet consistentia rei coctæ, & eius in crassitione, prout etiam dixit Arist. multum, lachrymas, & pus tunc esse cocta, dum eorum humor à naturali calore consistentiam suscipit, & ideo vrinam, & fęces tunc sanitatem polliceri, cum apparuerint concoctæ, quia indicant imperium supra humidum, quare cocta redduntur crassiora, vnde crassitudo, consistentia, & densitas humidi dicitur effectus, & signum coctionis.

At ista bene, sed per ista non explicatur quonam modo coctio dicta sit perfectio.

Dicendum est ergo ex definitione ipsa, quod id totum, quod à calore naturali, & proprio fit ex oppositis passiuis dicitur perfectio ipsius coctionis, quia tunc adepta est suum terminum, & perfectionem. Hoc autem potest habere latitudinem, propterea, quod maior potest esse coctio, & minor. Sed perfecta nec nimium, nec paucum suscipit, vnde argumentum procedit secundum quod coctio participatur, & non secundum id, quod secundum se dicit, & importat.

Ad tertium respondendo necesse est prius videre, quid annuerit Arist. per propriū, & naturalem calorem, maxime cum dixerit 4. Meteor. coctiones elixationis, & assationis, fieri ab externo calore. Pomponatius 4. Meteor. q. 16. interpretatur per proprium calorem, calorem internum, per propria instrumenta operantem. Ludouicus Boccaferrus vult definitionem coctionis extendi etiam ad arte elaborata, & cocta. At nos dicimus, quod cum calor proprius, & naturalis dicatur de omnibus coctis, analogia attributionis, vt diximus supra, sufficit, vt de omnibus coctis dicatur analogice, & eo modo, quo eorum naturæ conuenit. Nam sanitas hac analogia dicitur de animali, vrina, & medicina, sed de animali tantum intrinsece, quia in eo solum formaliter, & intrinsece est adæquatio humorum, de vrina vero, & medicina dicitur extrinsece, de vrina vt est signum sanitatis, & de medicina, vt eius est causa. Ita calor naturalis, & proprius dicitur de maturatis, elixatis, & assatis, at de maturatis solum intrinsece, & per calorem proprium, & connaturalem ab intrinseco, de elixatis vero, & assatis ab extrinseco, inquantum ipsum recipiunt ab externo, & eo suo modo coquuntur, vnde cum definitio analogice dicatur, non vna ratio formalis eius inspicienda est, sed vna analogice.

Ad primum autem dicitur, quod nutritio est ab anima, vt à principio primo, & à calore, vt à principio proximo.

Ad secundum dictum est, & additur, quod elixatio, & assatio proprie possunt dici fieri à calore externo, quia ad ipsum nō habent nisi potentiam passiuam remotam, at

coctio

coctio ventriculi est ab eius calore, qui dicitur animalis ab intrinseco, & ita calor in fructibus maturandis, quare calor Solis non efficit radicaliter illum calorem, sed coadiuuat, vnde differentia magna est.

Ad tertium dicimus tripliciter posse cooperari ad concoctionem. Primo incidendo, & debilitando humidum, vt facilius à calido superetur, & ita syrupi frigidi humores incidunt, ad expulsionem parant, & vt à calore superari possint disponunt. Secundo, contemperando extremum calorem, & ad temperamẽtum reducendo, ne excessus caloris, eius connaturalem actionem, ad temperiem ordinatam dissoluat, & hoc modo multa medicamenta frigida causant calorem, idest eius qualitatis temperiem. Tertio, augendo per Antiperistasim calorem, eum ad intima vnibilius reducendo, & hoc pacto multa olera per gelu coquuntur, & sic membranæ dũ à frigore congelantur, pinguedo quoque congelatur, & crescit. Dicitur ergo, quod coctio per se, principaliter, & directe est à calore, à frigore vero potest esse per accidens, & indirecte.

Ad quartum respondendo dicimus ad primum, quod humiditas, & siccitas, secundũ se aliquo modo sunt qualitates, & formæ actiuæ, non vero in ordine qualitatum, vt sibi aduersantur, vt suo loco diximus.

Ad secundum dicitur, quod humor decoquitur, nec interimitur, sed in temperie redigitur, & perficitur, per chylum, & sanguinem.

QVÆSTIO LXXXVIII.

An cocta sint calidiora non coctis, & dulciora.

Videtur quod non. Primo. Cocta sunt crassiora non coctis. Igitur minus calida. Probatur sequela, quia patet ignem, & lucem, quæ inter calida tenent principatum subtiliora esse, & non crassiora.

Secundo. Pueri sunt magis calidi, quam homines in perfecta ætate constituti, & tamen sunt minus maturi eis. Ergo.

Tertio. Patet experientia multa per concoctionem reddi frigidiora, quam sua natura fuerint. Nam coquinarij volentes scire, an caro assa sit cocta, gladium in ea iniiciunt, nam si acumen gladij in ea infixum fit maxime calidũ, iudicant eam non esse coctam, & ita si humor, qui ex ea manat valde sit calidus, quia dum bene est cocta non ita ardet. Item volentes scire, an caro, & ceteraque elixantur sint bene cocta, an non, fundum lebetis tangunt, & si illum multum calidum inuenerint, censent rem non esse adhuc bene coctam, at si moderate ipsum esse calidum deprehenderint bulliente adhuc in eo aqua, tenent coctionem esse perfectam. Pariter vlcera ante maturationem calidiora sentiuntur, quam post maturationem. Præterea lac fit ex sanguine, vnde est sanguis coctus, vt dicitur 4. de gener. animal. cap. 8. & tamen est sanguine frigidius. Vinum pariter recens est tactu calidum, & gustu dulce, & dum est vetus, nec calidum est, nec dulce, & tamen est magis coctũ. Item glandes, sorbæ, pira, & poma ante maturitatem sunt amara, & cocta dulcia. At secundum Galenum 2. de simplicium medicamentorum facultatibus omnia amara sunt calida.

Quarto. Causa non plus in effectum producit, quam in seipsam habeat. Ergo per coctionem nihil fiet calidior. Probatur, quia causatur à proprio, & naturali calore.

In contrarium est Arist. 4. Metheor. & 3. de gener. animal. cap. 1. quibus in locis dicit, cocta esse calidiora non coctis, & dulciora.

Ad claritatem huius quæstionis. Primo. notandum venit, quod coctio duplicem finem respicit. Primum dicimus internum, & hic est ille, qui per definitionem exprimitur. f. quod sit perfectio, quia ad ipsam perfectionem eius in quo fit coctio ordinatur, vnde omne, quod facit ad perfectionem coctionis vocabo finẽ eius intrinsecum siue primario, siue secundario. Secundus dicitur finis extrinsecus, & hic est qui inseruit coctioni pro operationibus operantis. Quod credo voluisse Arist. annuere 4. Metheor. dum dixit. Natura autem quam, vt speciem, & essentiã dicimus alijs in subiectam quandam formam finis est coctionis, quando tale redditum fuerit humidum, & tantum, aut assatum, aut elixum, aut putrefactum, aut quouis alio modo excalefactũ, tunc enim coctum est, & vtile dicimus, veluti mustum, & quæ in tuberculis coeunt, cum sup-

suppuruerint, & lachryma cum facta fuerit. Sordes siue lippitudo, &c. Vocat autem putrefactum coctum, nō formaliter, quia putredo distinguitur formaliter; & sua natura à coctione, sed concomitanter, quia ex concoctione sequitur separatio vtilis ab inutili, excrementitio, & humore maligno, & aduerso (vt verbis Medicorum vtamur) calor enim secernit vtile, & conuertibile in substantiam aliti, ab inutili, superfluo, excrementitio, quod dicitur putridum, quia ad putredinem, & corruptionem tendit, sicut coctum ad perfectionem.

Secundo. Notandum venit, quod Arist. vt supra tunc dicit coctionem esse perfectā, quādo calor naturalis materiam suam circa quam occupatur. s. humidum, & crudū superauit, cū permixtione siccitatis. Hoc duplici signo patefacit. Primum est, quod tunc vrina, & excrementa sunt signum sanitatis, quando bene concocta apparent, quia tunc ostendunt victoriam, & imperium caloris naturalis in concoctione vigere, & efficaciter vtilia ab inutilibus separare. Quare excrementa semper ostēdunt sanitatē illius partis à qua prodeunt, vt de vrina enunciauit Galenus lib. 2. de Crisibus dicendo, quod si bene cocta est, indicat sanitatem, & virtutem hepatis, & bonam dispositionem renum patefacit. Secundum signum est, quod cocta sunt calidiora, cum enim calor partes tenues, & subtiles resoluat, opus est, vt id quod restat, crassius fit, & magis consistat, & fit magis calidum.

Sed tertio notandum venit, quod hæc propositio. Cocta sunt calidiora non coctis est intelligenda, nōn absolute, sed cum his.

Primum, quod comparatio fiat in eodem ordine, & calore coquente, verbi gratia, panis in chylum conuersus in ventriculo, est comparandus cum eo, qui in ventriculo est minus coctus, vt sit sensus. Cibus magis coctus in ventriculo est magis calidus, quam cibus minus coctus, in ventriculo. Et chylus magis coctus in hepate, & melius in sanguinem conuersus, est calidior, quam chylus minus in hepate coctus, & minus bene in sanguinem mutatus.

Secundum est, quod non intelligatur de calore coquente, sed de calore rei coctæ, vt intelligamus rem coctam magis, magis etiam in se esse calidam, quam minus coctam, siue sit cocta à maiori calore, vel nō hoc enim non facit ad propositum nostrū, in quo non de calore causæ, sed rei coctæ sermonem facimus.

Tertium est, vt consideretur in re cocta non, omnis calor illi quouis modo coniunctus, sed solum ille, qui ex terminatione humidi rissoluti in re cocta manet, ex vi, & natura concoctionis.

Conclusio ergo est. Cocta sunt calidiora non coctis, ita bene. Probatur. Coctio humidum resoluit, & rem coquendam, vt bene coquat calidam efficit. Ergo quanto magis eam coquit, tanto eam minus humidam, & magis calidam relinquit.

Ad primum in contrarium dicimus, quod de veritate antecedētis disputabimus in quæstione sequenti, pro nunc dicimus ad argumentum, quod sequela est falsa. Ad probationem dicitur, quod aliud est loqui de caliditate simplicium, vt sunt lux, & ignis, & aliud de caliditate corporum mixtorum. Nam simplicia suam caliditatem tenent ex propria natura, at mixta eam consequuntur inquantum per coctionem humor aereus incrassatur, quia quod est magis tenue per calorem resoluitur, vt dicitur in 5. de generat. animalium.

Ad secundum dicendum, quod duplex est caliditas. Prima dicitur naturalis, & congenita. Secunda dicitur ex concoctione acquisita. Prima caliditate pueri sunt calidiores, quia calor primogeneus, & connaturalis in ipsis viget, & cum humido radicali adhuc in optimo suo statu manente moratur, sed de hac non loquimur, sed de ea, quæ potest ex coctione acquiri, tali autem dicimus, quod quanto aliqua sunt magis cocta, tanto sunt calidiora. Secundo dicitur, quod calor naturalis bifariam considerari potest. Primo, secundū quantitatem. Secundo, secundum gradum, & intensionem. Modo dico pueros maiori abundantia caloris pollere, at non maiori eius perfectione in hoc, quod sit aptus ad operandum, vnde in viris est principium generationis, & multarum aliarum operationum, quibus pueri carent, & secundum hunc sensum, quo aliqua sunt magis cocta, sunt etiam magis calida.

Ad experientias tertij argumenti modo dicemus. Ad illud de carne cocta dicitur, quod argumentum procedit de calore externo, & non de eo, qui factus est proprius

prius rei coctæ. Nam dum res coquitur, adest pugna agentis, & patientis, adest permixtio cum excrementis, & adest humor tenuis calore externo præcalefactus, sed dum humor proprius coctus est, pugna abest, excrementa sunt separata, humor crassior est, & suo proprio calore terminatus, & spiritus ignei coquentes sunt dissoluti, & ideo caro assa intus minus feruet, & ima pars lebetis reddita est minus calida.

Ad illud de lacte dicitur. Primo, quod comparatio non est in eadem specie, nam sanguis dum lac fit, speciem mutat, vnde arguendum esset, quod lac, vel sanguis minus coctus, sint calidiora, quam magis cocta in sua specie. Secundo dicitur, quod lac bifariam considerari potest. Primo, secundum suam naturam, vt dicitur lac. Secundo, vt ei miscetur humor aqueus, & crudus, sicut etiam sanguini miscentur bilis, & alij humores. Primo modo lac est calidius sanguine, ex 4. de generat. animalium cap. 8. at secundo modo potest esse, quod sit minus calidum, quia ei multum admiscetur de humore aqueo, vt serum eius ostendit, & hoc vtimur ad refrigerandum. Quo pacto dixit etiam Auerroes in Pharaph. de generat. animalium lib. 3. cap. 2. albumen oui, esse vitello calidius, sed quia albumini multum de humore aqueo permiscetur, ideo ille calor cito extinguitur, & dissoluitur, & ob id refrigerat.

Ad illud de vino dicitur, quod duplex calor in vino considerari potest .s. proprius, & extraneus. Nam dum vinum est mustum permiscetur cum multis excremẽtis, quæ etiam non prædita sunt propria caliditate. Dum enim Vua in Cadis coaceruatur, calore externo calefit, deinde fit separatio vini à crassioribus excrementis, & tunc calor excrementorum dissoluitur, & mustum remanet. Mustum autem tria genera partium includit .s. humorem proprium vini, alia excrementa minus primis crassa, & spiritus quosdam tenues subtiles, & aereos, & per horum commixtionem vinum erat dulce. Quare quamdiu spiritus illi aerei in vino durant, dulce remanet, vnde antequam vinum ebulliat, dulce est, nam per ebullitionem spiritus aerei euaporant, quapropter etiam vinum per colatoria deductum dulcius est, eo quod nõ ebullit amplius, & consequenter in eo remanent spiritus aerei, vnde etiam excitat flatos in ventre, & magis per colatoria separatur ab excrementis terrestribus, quæ sunt illa, quæ dulcedinem rapiunt. Ad argumentum ergo dicitur, quod vinum per maturationem, & coctionem redditur proprio calore magis præditum, non vero externo aeris, excremẽtorum &c. quia his poterat feruere.

Ad illud de pomis, quæ prius sunt amara respondet. Primo Auerroes 2. de anima tex. 105. & 5. Orarum collect. cap. 2. negando, quod amara sint calidiora. Sed huic obstat Galenus 2. de simplicium medicamentorum facultate, & experientia, quoniam absinthium, bilis, & similia sunt quidem amara, & calidissima. Dicitur ergo secũdo, quod poma immatura non proprie dicuntur amara, ea saltem specie amaritudinis, quæ conuenit absinthio, ac similibus, quæ proprie amara sunt, vnde potius dicuntur austera, & acida. Patet enim, quod poma, quanto magis sunt matura, tanto amplius sunt dulcia, & si coquantur, dulciora euadunt. Nec obicias etiam amara, vt absinthium, & similia ex coctione fieri amariora. Respondetur enim, quod cocta ex coctione fiunt calidiora, seruata proportione calidi, & humidi, non vero si accedant ad adustionem, sic enim etiam dulcia amara fiunt, ob sicci terrei copiam, vt patet de combustis.

Ad quartum dicitur, quod cocta elixatione, & assatione possunt reddi calidiora, quam sit sua natura, quia coquuntur ab externo calore vehementi, at in coctis per maturationem alia est ratio, nam quanto in maturitate crescunt, tanto plus in eo vapores frigidi dissoluuntur, qui cum essent prius cum calidis mixti, calorem remittebant, vnde fructus quo magis maturi sunt completa maturitate sua, tanto amplius sunt calidi, & minus frigidi, & humidi, & ideo minus nocent.

QVÆSTIO LXXXIX.

An cocta sint crassiora, & sicciora.

Videtur quod non. Primo, experientia coctionum in corpore animalis. Constat enim chylum subtiliorem esse alimento, & sanguis chylo, & sanguis per angustias

flas venas currens, quam in hepate formatus. Et flaua bilis, quo magis coquitur, tanto magis subtilior redditur, & pituita dulcis, dum per coctionem in sanguinem vertitur, non incrassatur, sed inciditur, & attenuatur. Et sanguis arteriarum, quia est magis à calore cordis coctus, subtilior est sanguine hepatis minus cocto. Ergo per coctionem cocta non redduntur crassiora, sed subtiliora.

Secundo probatur ex coctis per maturationem. Equidem pyra, poma, & alia similia dum immatura sunt, duriora, tenaciora, & grauiora conspiciuntur, quamdum sunt matura. Vnde immatura in aqua proiecta merguntur, & matura supernatant. Et vua acerba parum mittit humoris, & matura multum. Et mustum eius plus crassum est, quam vinum defecatū. Et vlcera primo sunt solida, & dura, mox cocta leniuntur, & mox edunt humorem copiosiorem, & tenuiorem, vnde Arist. 25. parte problem. dixit. Cocta molliora esse non coctis.

Tertio. Probatur ex coctione elixationis. Nam dicit Olympiodorus, & visus docet, carnes, pisces, & olera, & similia, quæ elixantur, primo esse duriora, sicciora, & solidiora; mox liniri, & attenuari, adeo vt etiam per sublimationes, ex carnibus elixatis tenuissimi humores eliciantur, qui cito, & valde nutriunt.

Deinde Aristot. cap. de cruditate affirmat, aquam non maturari, quia non incrassatur, sed elixari, ex quo deducitur, quod illud quod elixatur, non incrassatur.

Quarto. Causa coctionis est calor. At proprium est caloris humidum attenuare, & subtiliare, vnde aquam in aerem, & aerē in ignem couertit; & clarum est aquam ebullientem subtiliorem esse, ea quæ non ebullit per calorem. Ergo.

Quinto. Accedunt multæ auctoritates Medicorum. Nam Hippocrates lib. 1. & 2. Aphorismorum ait cōcoctis oportere medicari, & ex aduerso dicit, quod si quis voluerit corpus purgare, opus erit, vt fluentibus vtatur. At fluxus cum crassitudine pugnat.

Item Galenus 2. Aphor. cap. 9. ait, Humores crudos esse crassos, viscosos, & tenaces, & ob id vires euacuantium subterfugere. At si per concoctionem crassiores, & sicciores redderetur magis euacuātibus obsisterent, quia secundum Galenum, ad euacuandum humores, non debent incrassari, quia quo fuerūt subtiliores, eo facilius educuntur.

Accedit Auicenna dicendo, humores crassos, per coctionem attenuari, tenues incrassari, inæquales æquari. Ergo per coctionem humores non semper redduntur crassiores.

In contrarium est Aristot. 4 Metheor. cap. de maturatione, vbi dicit, quod ea quę maturantur, ex tenuioribus semper crassiora redduntur, & quod ideo succi rerum crudarum sunt tenues, & magis frigidi, quam calidi.

Item 2. Metheor. cap. 3. inquit. Incoctum maxime est excrementum humidi alimenti, veluti omnis hypostasis, & pręsertim quę in vessica. Signum autem est, quia tenuissima est, cocta autem omnia constare nata sunt.

Galenus quoque idem approbauit, vnde de Regimine acutorum comm. 4. dicit. Digestio omnis, coquit, adunat, & crassa reddit.

In resolutione præsentis difficultatis varia dicunt Doctores. Nam Alexander 2. Metheor. intelligit cocta reddi crassiora in coctione tantum humidorum, non vero siccorum.

Sed huic obstat hanc modificationē reddere propositionem particuralem, & non vniuersalem, & quod poma, pira, & similia sunt humida, & tamen per coctionem attenuantur.

At Thomas de Garbo in summa, & Gentil's in prima quarti dicunt hoc esse tātum verum in propria coctione humidi, non vero in præparatoria.

Sed & hoc nihil est, quia coctio est humidi, & sicci.

Conciliator dixit verificari vt plurimum, vt quando ordinatur ad restaurationē crassi, verbi gratia, carnis, non vero semper, vt quando est ad attenuandum.

Sed nec ista seruat vniuersalitatem, & necessitatem propositionis Arist.

Hinc Olympiodorus eam solum seruat in vltima coctione, quando ex sanguine fit caro, sublatis omnibus impedimentis.

Sed & hoc non acceptatur, quia etiam chylus per coctionem ingrassatur, & est nimis arctare vniuersalitatem coctionis, reducendo eā ad vnam tantum speciem.

Dicen-

Dicendum autem venit, quod propositio Arist. vera erit his subintellectis.

Primum, quod sit sermo de propria coctione. Nam coctio bifariam sumi potest. Primo, proprie pro perfectione a proprio, & naturali calore facta, ex oppositis passiuis, prout supra fuit definita. Secundo, communiter, tum pro præparatione humorũ ad hoc vt educantur, tum pro contemperatione, vt dum nimis siccum debet humectari, siccum enim non dicitur coctum siccum, sed humores cocti, siccum vero humido contemperatum, vt si Ethicus, qui nimis siccus est, humidis contemperetur. Tum pro expurgatione, vt quando terrestre secernitur ab aliquo humido, ipso tamen non mutato, sed tantum defecato, vt fit in vino, quod per collatoria expurgatur, ad secernendum ab eo partes terrestres, adhoc vt maneat dulce, ista enim non est coctio in qua humor concoquitur à calore intrinseco naturali, sed est expurgatio tantum à terrestribus. Loquimur ergo solum de ea, quæ est proprie coctio, sine sit vtilis humoris, sine inutilis, vel nociui.

Secundum est, quod sistamus in eo, quod proprie concoquitur. Hoc autem humidum est, siccum enim, vt diximus proprie non coquitur. Sed ad temperamentum redigit, & facit. Duplex autem est humidum inspiciendum. Primum illud, quod in re iam cocta fuit, antequam coqueretur. Secundum humidum, quod remanet post coctionem, nam secundum Arist. res quæ non erat cocta, tunc cocta dicitur, quando retinet tale, & tantum humidum. Dicimus ergo, quod considerando vnam eandemque rem sub duplici humiditate, non cocta, & per coctionem ad temperamentum reducta, habet, quod post coctionem sit crassior, quia calor partes subtiliores attenuauit, & resoluit, vnde remanet crassitudo.

Tertium est, quod per crassitudinem intelligamus aliquem lentorem, vel humorem per coctionem magis condensatum, quod relictum sit ex resolutione tenuioris humoris, & ex contemperamento cum sicco terreo, vel ex permixtione cũ aliquo spiritu, vt de spuma affirmauit Arist. 2. de gener. animal. cap. 2. Loquendum igitur est de coctione, vt spiritus subtiles resoluit, siccum cum humido contemperat, & rem coctam ad contemperamentum subsistẽs reducit. Quare dum dicimus cocta calefieri, exsiccari, dulciora reddi, & incrassari, per crassum non intelligimus viscidũ, coagulatum, congelatum, vel maius redditum, sed tantum humorem maiori lentore refertum, vel condensatum ad temperiem.

Conclusio ergo est. Quæ coquuntur, per coctionem crassiora redduntur. Probatur. Primo. Coctio agit in humidum, ac eius partes subtiliores resoluit, vt dicitur 5. de gener. anim. cap. 3. Et quæ remanent pro facultate commiscet, & in vnam naturam redigit, vt dicitur 2. de gener. anim. cap. 2. his verbis. At non omnia, quæ accidunt diximus? Nedum enim, quod ex terra, & aqua humidum constat, crassius redditur, verum etiam, quod ex aqua, & spiritu, vt spuma, quam ob rem crassius redditur quod albescit, cum humor in eo contẽtus secernatur à calore, & efficiatur spiritus. At ista. s. resolutio spirituum, vnitio remanentium, &c. non possunt fieri sine maiori coagulatione, & cõdensatione eorum, quæ relinquuntur. Ergo necesse est crassiora reddi.

Secundo. Humor aqueus, cum aereo iunctus, vt patet in spuma, vel cum terrestri, vt in alijs coctis adunatur, & cõdensatur. Ergo etiam incrassatur, secundum ea quæ diximus supra.

Tertio. Probatur experientia. Nam pus vlcerum, sordes oculorum, chylus, lac, genitura, & similia, cum fuerint cocta crassiora euadũt, & talia apparent, visu teste. Ergo dicendum venit, cocta esse crassiora.

Ad primum dicitur, quod argumentum non stat in comparatione eiusdem rei sub humore non cocto, & cocto, in qua stat coctio, quæ non est generatio, vel corruptio, sed alteratio, sed facit transitum de vna re ad aliam. Dicimus enim chylum esse crassiorem coctum, quam non coctũ, & ita per sanguinem.

Ad illud de sanguine arteriarum subtiliori sanguine venarũ respõdemus, quod crassitudines, & subtilitates illorum sunt diuersæ. Nam sanguis arteriarum est spiritosus, & spumosus, vnde ex eo præcipue est genitura. Sanguis vero venarum est crassior alia crassitudine. s. aquea, vnde non stamus in eodem.

Ad illud de flaua bili, & pituita, dicitur. Primo,

mo, quod ista proprie nō coquuntur, quia coctio est humidi non aerei, quia hoc est calidum, & non indiget coctione. Nec humidi aerei, cum igneo mixti, de quo humiditate tenent spiritus, & bilis, quia nimis distant, vnde est tantum humidi aquei, & terrestris modo supra dicto.

Secundo dicitur, quod pituita crassior redditur per coctionem, idest magis in ea permiscetur humor aqueus, cum sicco terreo, vel spiritu aereo, & si collatur maior eius viscitudo, non enim viscidū proprie dicitur crassum, vt in proposito nostro.

Ad secūdum, quo ad particulare pomorum, &c. dicimus, quod in illis ante maturationem sunt multa proprio humori illorū admixta, quæ per maturationem secernuntur, & ideo leuiora, & molliora fiunt, sed hoc non est contra nos, qui dicimus humorem proprium pomorum, &c. ante maturationem esse tenuiorem, & deinde fieri crassiorem, vt patet in vua immatura, & matura, nam humor maturæ lenit digitos, non sic immaturæ.

Ad singulare de vino dicimus vinum tripliciter posse considerari. Primo, quando est mustum, & cum multis excrementis admixtum. Secundo, quando iam est maturum, & sua naturali coctione coctum. Tertio, quando iam à longo tempore sua naturali coctione coctum, adhuc postea ad annos reseruatur, vnde fit purius, & vigorosius. Primo modo non dicitur proprie crassius, sed excrementitius, & spissius. Tertio modo dicitur purgatius, & potentius, sed nō coctius, quia tantum est coctum vinum dum amplius nō ebullit, si sit per duos menses ab eius expressione ab vuis, quantum si habeat ab ea decem, & viginti annos, iam enim coctio eius temperata terminata fuit.

Ad illud de vlceribus idem dicitur, quod de pomis, quia ista sunt poma medicorum. Resoluuntur enim in eis partes frigidæ, & coagulatę, humor viscosus inciditur, & ab excrementis quæ sunt in via, vt secernantur, & ideo fiunt molliora, & tunc sunt crassiora, & si non duriora.

Ad tertium de elixatis dicimus, quod per elixationem coagulata liquefiunt, solida dissoluuntur, viscida inciduntur, excrementa varia per spumam secernuntur, sed tamen ista ad coctionem proprie non faciunt, nam ipsa in hoc formaliter consistit, vt humorem proprium incoctum, per coctionem reddat crassiorem, quod esse verum deprehenditur in brodio, etenim per elixationem semper crassius redditur, & quodam lentore præditum. At si quis quærat. Cur oua elixata dura reddantur, & poma mollia. Dicimus prouenire, quia humor oui aereus est, liquidus, & multis spiritibus preditus, hi autem per elixationem secernuntur, & resoluuntur, vnde restat illud, quod est magis terreum, densius, & minus salubre, & præsertim vitellus, qui est magis terreus, humor vero pomorum est coagulatus, non tot spiritibus præditus, & magis cum suo succo permixtus, & ideo per elixationem poma liquescunt, cum hoc tamen, quod humor, qui in eis post elixationem remanet, est crassior, calidior, & dulcior.

Ad motiuum de aqua dicitur, quod aqua, nec assatur, nec elixatur proprie, quia hæc mixtis conueniunt, vnde coctio aquæ est quædam expurgatio, & reductio aquæ ad maiorem subtilitatem aeream, & separationē à cruditatibus frigidis, vnde aqua cocta salubrior est, quam non cocta.

Ad quartū negatur minor, quo ad hoc, quod calor humorem rei coctæ non reddat crassiorem, reddit vtique, vnde resoluit tantum spiritus tenuiores, & quādo conuertitur aqua in aerem, tunc aqua exit suam temperiem.

Ad dicta Medicorum dicendum venit, quod coctio humorum educendorum non est proprie coctio, sed potius incisio, & separatio vnius ab alio, & permixtio cum tenui syroporum humore, & remotio obstructionū, vel aliud simile genus potius præparationis ad coctionem.

At quis instare poterit, quod si præparatio ad coctionem fit per attenuationem humorum, & coctio per incrassationem eorundem, coctio erit contraria præparationi, nam si ista attenuat, coctio incrassat, vnde eos reddit difficiles ad euacuationē, quoniam euacuatio eos subtiles, & tenues postulat.

Respondetur, quod coctio principaliter datur, ad hoc, vt vtilia ab inutilib⁹ secernat, quare si in hac separatione vtilia incrassantur, non est ad intemperiē, sed ad temperiem. Vel dicitur, quod præparatio attenuat non cocta, at coctio impinguat cocta,

cta, quæ reddita sint vtilia. Et si esset coctio aliquorum inutilium, erunt educendi, & si essent nimis densi, & viæ per quas educendi essent obstrusæ, debent viæ aperiri, & humores per aliquam mixtionem cum tenui alio humore reddi tenues, & fluuentes.

QVÆSTIO LXXXX.

An detur inconcoctio.

VIdetur quod non, vel saltem non sit recte explicata ab Arist. 4. Meteororum, nam de incoctione sic ibi ait. Inconcoctio est imperfectio ob indigentiam proprij caloris. Indigentia autem caloris, frigus est, imperfectio autem est oppositorum patibilium. Siquidem vnicuique per naturam sunt materia. Concoctio igitur, & inconcoctio sint hoc modo definita. Obijcitur autem contra supradicta.

Primo, quod sermo Phil. sit æquiuocus, & obscurus, quia cum triplex sit coctio, ita etiam triplex est inconcoctio, de qua autem harum sermonem faciat, non explicat.

Secundo. Dicit inconcoctionem esse ex defectu caloris. Hoc falsum est quandoque, nam potest etiam ex nimio calore prouenire, nam si coquinarij vehementem ignẽ carnibus assandis applicẽt, partes externæ quidem aduruntur, sed internæ non coquuntur, vnde student eis dare ignem temperatum.

Tertio. Quia incococtio nonsolum ex defectu caloris prouenit, verum etiam nascere potest ex defectu temporis, pira enim & poma ante maturitatem collecta, immatura, & incocta sic redduntur. Insuper oriri potest ex nimia copia humoris rei coquendæ, vt de immaturitate dixit Phil. Et vlterius procedere potest ex aduersa affectione alimenti coctionem vitantis. Has autem causas non expressit. Ergo est mancus.

Quarto. Arist. loquens de coctione illam dixit fieri à proprio, & naturali calore. Loquẽs vero de incoctione dixit esse per defectum proprij caloris nullam mentionem faciendo de naturali, cum tamen oppositorum sit eadem ratio.

Quinto. Quæritur cur fabæ, ciceres, & alia legumina, si aqua feruenti primo abluantur, elixationi inepta redduntur, & similiter si id aqua frigida fiat, non vero si aqua tepida. His enim calor proprius non deficit.

Sexto. Cinere etiam facilius elixabilia redduntur, & tamen non videtur, quomodo calorem illorum adaugeat.

In contrarium est Arist. 4. Meteor. vt adductum fuit in primo argumento.

Dicendum est igitur, quod sicut coctio fit mediante naturali, & proprio calore, ita incoctio ex deficientia istius resultat, quoniam coctio, & incoctio opponuntur, per positionem vnius rationis, & negationem eiusdem, cum se habeant sicut habitus, & priuatio, vt visus, & cecitas. Vnde sicut coctio est perfectio, quia perficit coctum, ita incoctio est imperfectio, quia illud, quod de se est coquibile, incoctum relinquit.

Notandum est ergo, quod de ratione incoctionis sunt ista. Primum, quod sit circa idem subiectum, circa quod est coctio, quia illa, quæ opponuntur priuatiue, habent vnum subiectum, quod respiciunt habitus per rationem positiuam, & priuatio per negatiuam. Vnde frigus, quod hic ponitur pro causa incoctionis dupliciter considerari potest. Primo secundum se, & vt ens est, & sic est ens positiuum, & non negatiuum. Secundo, vt priuat subiectum sua naturali proprietate, & ita induit rationem priuationis, & dicitur incoctio, nõ vero primo modo, sed vocatur frigus.

Secundum est, quod intelligatur esse circa subiectum coquibile, non vero circa ea quibus coctio repugnat, vt ferro, lapidibus, & similibus, accipiendo coctionem, vt fit per calorem animæ vegetantis, vel sensitiuæ, nam per calorem Solis etiam insensata aliquo modo coqui possunt, vt patet in mineralibus, & per artem, vt est notũ apud artifices. Hinc dixit Aristot. loquendo de incoctione, quod ipsa est oppositorum patibilium, & sermonem faciẽdo de coctione, quod est ex oppositis passiuis, annuendo, quod coctio respicit opposita passiua humiditatem, & siccitatem in termino à quo, quia ea de imperfecto traducit ad perfectum, incoctio autem ea intuetur in termino ad quem negatiue, quia s. ea non potuit ducere ad perfectum, cum tamen nisi calore defecissent, ad eam potuissent perduci.

Tertium est, quod hic sumitur incoctio communiter, nam indigentia caloris triplex est. Prima, totalis, & hæc dicitur absolute incoctio, idest nullo modo coctio. Secunda deprauata, quia adest calor, sed non ad recte coquendum, sed male, vnde non est indigentia caloris absolute, sed recti. Tertia diminuta, quia calor est, sed debilis, & non sufficiens ad coquendum. Proprie ergo primo modo tantum sumitur, at large, & communiter omnibus supradictis modis.

Conclusio ergo est. Datur incoctio. Probatur. Illud dicitur incoctum, quod cum sua natura coqui possit, tamen ex deficientia caloris non coquitur. At hæc dicitur incoctio. Ergo incoctio datur.

Ad primum in contrariũ dicitur, quod Arist. hic definit incoctionem per rationem vniuersalem analogam, quæ tribus speciebus incoctionis conuenit, & si non eodem modo, hoc autem sufficit, quia aliud est definire genus, & aliud species.

Ad secundum dicitur, quod illa est adustio, combustio, & ariditas, non vero dicitur incoctio, vnde non est contra nos.

Ad tertium dicimus, quod tempus præsupponitur, vt conditio agentis ad agendum, vel patientis ad patiendum. Dum autem nascitur ex defectu rei coquẽdæ dicimus, quod hic defectus dupliciter inspici potest. Primo, pro eo tunc, & sic in omni coquendo in initio coctionis reperitur, quia illam coquit, de imperfecto procedendo ad perfectum. Secundo, pro tempore suo, quia.s.in tanto tempore, nisi calor deficeret, res illa cocta fuisset, & hoc modo fundatur incoctio, quæ est priuatio coctionis, pro tempore opportuno suo.

Ad quartum dicimus, quod omne proprium dicitur naturale, quia emanat à principijs subiecti, vnde naturale est proprium, & vtrumque vno termino explicari potest, cum dicantur ad conuertentiam. Secundo tamen dicitur, quod strictius loquendo de naturali, & proprio, inter hos calores possumus ponere differentiam dicendo, quod calor senum est proprius, non tamen stricte naturalis, quia deficit a sua perfectione, prout aliquid dicitur naturale perfectum, competens naturę, vt est in sua perfectione.

Ad quintum dicitur, id accidere, quia aqua feruens partes subtiles, & tenues leguminum subito resoluit, & partes plus solidas, & magis terrestres, quas etiam aqua frigida indurat, relinquit, & ideo non possunt bene coqui. Vnde sicut periti Medici volentes curare humores in cardinibus, & iuncturis ossium inclusos, non debent vti vehementibus remedijs, ne spiritus tenues resoluant, & ita in curatione humores grossiores remanentes remedia deludant, sed oportet primo per temperata lenire, & suauiter coagulata dissoluere, & sicca, & terrestria cum mollibus miscere. Ita bene legumina coquere volentes, debent per aquam tepidam partes terrestriores cum mollibus, & tenuioribus adunare, quia simul per coctionem euacuabuntur.

Ad sextum dicitur, id euenire, quia cinis facultatem tenet calefaciendi, dissecandi, & incidendi, & consequenter bene præparandi humores ad coctionem.

QVÆSTIO LXXXXI.

An maturatio sit species coctionis.

Videtur quod non. Primo. Maturatio tunc dicitur coctio, quãdo semina, quę sunt in Pericarpio, aliud generare valent, vt dicit Arist. 4. Meteor. Sed hoc non est verum, similitudine sumpta ab animali, quod valet aliud generare, quamuis non sit maturum, idest in perfecta ætate constitutum. Ergo, quod dicitur de coctione maturationis nihil est.

Secundo. Arist. maturationem reducit ad Ideas. Has autem reprobat 8. Metaphys. Ergo & maturationem.

Tertio. Dicit maturationem esse coctionem factam à naturali calore, inexistentis humori. At talis definitio est omnis coctionis, & omni coctioni conuenit. Ergo non est recta.

Quarto. Dicit omnia, quæ maturantur reddi terrea. Hoc autem falsum est, quia quædam redduntur aerea, vt oleum, & semen.

In contrarium est Arist. 4. Meteororum.

Pro explicatione huius speciei coctionis. Primo notandum venit, quod coctio maturationis dupliciter sumitur. Primo, proprie. Secundo, per Metaphoram. Maturatio proprie est quędam coctio alimenti in Pericarpijs, sic enim eam Arist. definit. In qua definitione ly quædam ponitur loco generis,

generis, quia coctio prædicatur, (vt dixi) analogice, de maturatione, elixatione, & assatione. Dicitur alimenti in Pericarpijs, quod est obscuritate, plenum.

Notandum est igitur secundo, quod Pericarpium generaliter sumptum, vocatur inuolucrum fructuum.

Vnde notandum venit ex Arist. 1. de hist. animalium cap. 18. quod menstruum dicitur fœminæ genitura, maris semen, & fructus. Semen respectu omnium viuentium, & fructus proprie respectu plantarum, & vegetantium, & Pericarpium, vt dicitur inuolucrum fructus. Hoc autem duplex esse potest. Primum esui aptum, vt inuolucrum seminum pirorum, & pomorum. Secundum esui inaptum, ob suam duritiem, vt nucum, & amygdalarū. Hoc etiam duplex est. Primum dicitur Pericarpium Pericarpij, quia fructus duplici Pericarpio tegitur, ad extra, & pro semine, vt patet in nuce, & amigdala. Secundum dicitur simpliciter Pericarpium, quia vno solo coopertorio tegitur, vt patet in piris &c.

Quid igitur in proposito intellexerit Arist. per Pericarpium dicit Vicomercatus per Pericarpium denotasse fructum.

At contra est, quod Pericarpium est inuolucrum fructus, vt dicit Arist. & non ipse fructus.

Olympiodorus ergo docet Pericarpium esse inuolucrum illud fibrosum, quod est paratum à natura ad seruandum semen, frugum.

Sed nec hoc est satis, si per Poricarpium intelligit Thecam fructuum, quia etiam dicitur de quibus non dicitur Theca.

Dicendum est ergo Arist. per Pericarpium intellexisse communiter omne inuolucrū fructuum, quod eos cingit, & cooperit ad maturationem, & in quo semen fructuum reducitur, vel ipse fructus potest esse semen. Hoc enim deducitur ex verbis Philosophi, dicentis in textu sic. Quoniam autem coctio perfectio quædam est, tunc maturatio perfecta est, cum semina, quæ in Pericarpio sunt, aliud tale perficere valent, qualia ipsa sunt. Cum igitur semen, quod est in Pericarpio aptum natum est generare sibi simile, idest illi plantæ ex qua decisum est, tunc maturatio dicitur perfecta.

Secundo modo diximus maturationem dici de quibusdam alijs per Metaphoram, & translationem, & ista sunt, quæ per ideā, idest communem rationem analogam, quoquo modo secūdum vsum, & modum loquendi similitudinarium dicuntur matura.

Ad primum autem argumentum dicitur, quod aliud est loqui de maturitate hominis, vt est generatiuus, & aliud de eius maturitate, vt est indicatiuus. Primo modo est maturus illico, quod valet sibi simile generare. Secundo vero modo non, sed hic modus est extra propositum nostrum.

Ad secundum dicitur, quod per Ideam intellexit Arist. non ideas Platonis, sed rationem pluribus conuenientem.

Ad tertium dicimus, quod maturatio est à calore naturali intrinseco, assatio vero, & elixatio ab externo.

Ad quartum dicimus, quod quæ maturātur, vt plurimum redduntur terrea, sed non semper, quandoque etiam aerea redduntur, vt dixit Arist. 2. de generat. animalium cap. 2. & patet, in spuma, oleo, & genitura.

QVÆSTIO LXXXXII.

An detur immaturatio tollens nutritionem rectam.

Videtur quod non. Nam per Philos. 4. Meteororum ad maturitatem requiritur coctio humidi, cum sicco permixti, vnde inquit aquam non maturari, quia nō est mixta sicco, vnde semper immatura remanet. At hoc est falsum, quia quod dicitur coctum, dicitur etiam maturum, cū necessarium sit speciem genus includere. At aqua dicitur cocta, datur enim aqua cocta, & cruda. Ergo & dicitur maturari.

Secundo. Matura nutriunt, aqua nutrit. Ergo maturescit. Maior est Arist. supra. Minor dato, quod in aqua pura non esset vera, vera tamen est de aqua in vinum conuersa. Vinum enim nutrit, & aqua in vinum transmutatur, per Arist. & experientiam. Ergo.

Tertio. Antiqui, qui diutius viuebant, quam modo nos viuamus, crudis, & non igne coctis cibis vtebantur, quare Cardanus in 2. de subtilitate, censet omnia cocta igne insalubria esse, & aliquid maligni in re cocta per ignem relinquere, vt patet in omnibus

nibus adustis. Ergo immaturitas, non reddit cibum ad nutritionem malum.

Quarto. Arist. 4. Meteororum Metaphorice vocat fictilia matura. At hoc falsum est. Nam cum istorum coctio fiat igne, sicco, & calore externo, & non interno, potius dicenda sunt assata, quam maturata.

Quinto. Vocat ibidem lac incoctum, & non maturum, & tamen 2. de generat. animalium dixit ipsum esse rem coctam ab intrinseco, nam quæ fit per ignem in sero aqueo potius dicitur elixatio, quam maturatio.

In contrarium est Philos. 4. Meteororum vbi ponit duplicem immaturitatem. Primam vocat propriam, & hæc dicitur cruditas alimenti in Pericarpio, ob inopiam caloris naturalis. Nam oppositorum eadem est ratio, vnde sicut maturitas est coctio alimẽti in Pericarpio, ita incoctio immatura tatio, seu dicamus rerum, quæ possent, & valent maturari dicitur incoctio alimenti in Pericarpio. Hinc deducitur, quod sicut matura apta sunt ad nutriendum, ita immatura reperiuntur noxia, & aduersa nutritioni.

Tradit insuper ad maturitatem esse necessarium, quod humor aliquo sicco perniscceatur, & ideo aqua, nec proprie coquitur, nec maturescit. Et hoc, quod dicitur de aqua, de aere quoque intelligitur, quod non potest coqui nisi aliquo sicco vniatur. Nam per coctionem, & maturationẽ res incrassatur, aqua autem, & aer in sua puritate non incrassantur.

Secundo modo sumitur immaturatio translatiue, & Metaphorice, & hoc modo dicitur de omnibus de quibus cruditas non dicitur secundum translationem. Hæc autem tenẽt diuersos gradus. In primo enim reperiuntur chatarri, sputa, vlcera, & omnes defluxus pituosi, & omnia sedimenta vrinarum, quæ dum matura sunt apparẽt secrera, alba, leuia, æqualia, & ad imum descendentia. Ita vrinæ dicuntur crudæ cum sunt vt aqua, tenues, colore paleari destitutæ. In secundo gradu collocat omnia fictilia non bene ab igne cocta, & etiam lac.

Ad primum negatur minor. Ad probationem duo dicuntur. Primum, quod illud quod proprie dicitur coctum, dicitur etiã maturum, modo negatur, quod aqua proprie dicatur cocta. Coctio enim propria est à naturali calore interno, quo aqua careret. Secundum est, quod Olympiodorus interpretatus est sententiam Arist. quod aqua non coquatur, nec incrassetur semper, & de facili, at cũ difficultate, & quandoque, vt dum in vinum saltem vertitur, negauit. At errat, quia ista non est aquæ puræ incrassatio, & coctio, sed transmutatio. Dum autem Arist. dixit aquam elixari, intellige matephorice, pro quanto aliquę eius partes tenues, & subtiliores eius in elixatione resoluuntur, nõ enim est propria elixatio, cum ista non sit ab aliquo calore humido eius indefiniti, &c.

Ad secundum diximus, quod dum aqua in vinum conuertitur ista non est maturatio, sed transmutatio.

Ad tertium dicitur, quod si antiqui crudis cibis vtebantur, & diutius viuebant, erat, quia maiori calore naturali vigebant, & fortioris complexionis erant. Ceteris autem paribus dicimus coctionem semper facilem reddere digestionem cibi, quia inter similia facilior est transmutatio, & dulcia vt sunt matura, facilius nutriunt. Nec officit, quod dicitur de adustis, quia de coctis loquimur ad temperamentum, & non de adustis, quę per adustionem deprauata sunt. Deprauatio enim peior est, quam immaturatio, sicut ignorantia prauæ dispositionis peior est, ignorantia simplicis negationis.

Ad quartum dixit Boccaferrus Arist. vocasse lateres non coctos immaturos, & coctos maturos secundum communem modum loquendi, vnde non est facienda vis in proprietate coctionis, vel maturationis. Albertus autem Magnus dixit potius eos assari, quam maturari. Picolomineus econtrario affirmauit magis proprie dici maturari, quam assari, quia assatio deficcat solum partes externas, internas vero humidas sinit. At dum lateres coquuntur, intus, & extra deficcantur. Secundo, quia quę assantur igni immediate applicantur, non sic lateres in fornace, nec panis incoctus in furno, & ideo dicuntur potius maturari. In gratiam tamen Alberti dicas hanc potius esse assationem, quam maturationem, quia causa semper est inspicienda an sit interna, vel externa, modo immediate applicetur, vel non, deficcet omnino, vel non, & quia causa maturationis interna est, & ex proprio calore pendet, assa-

assationis vero ab externo, vt fit in coctio ne latet rum, ideo potius erit assatio, quam maturatio, & si aliquo modo improprio possit dici maturatio, vt annuit Phil.

Ad quintum de lacte dicitur, quod duplex est coctio lactis. Prima à natura facta à calore naturali, & secundum hanc lac potest dici coctum, & in animali maturatū, & sic de eo locutus est 2. de gener. anim. Secunda fit ab arte, idest, à pastoribus, qui ponunt lac prope ignem, vt facilius coaguletur, & ex eo butyrum, & caseum faciant, & ista lac potest dici incoctum, & immaturum. Ad hanc secundam autem coctionem facit aliquo modo proprius calor lactis, & ideo potius dicenda est maturatio, quam assatio, quoniam in assatione inspicitur solum calor externus assatiuus, vt bene notauit Albertus Magnus. Coctio tamen seri, per quam reliquiæ casei congregantur, potest metaphorice nuncupari elixatio, quoniam partes casei in aqueo sero coquuntur.

QVAESTIO LXXXIII.

An rectè Arist. loquatur de elixatione in 4. Metheor.

Videtur quod non. Primo ibi distinguit elixationem à frixione. Hoc autem videtur falsum. Nam elixatio fit per calorem, in humidum receptum. At ita etiam fit frixio. Ergo non distinguuntur.

Secundo. Dicit quod calor dominans in elixatione est ille, qui trahit humorem. At hoc est verum etiam in assatione, quia in assatione, & elixatione, cum calor sit externus, & dominans deducitur, quod humor deberet extrinsecus trahi.

Tertio. Experientia etiam obstat, quia dum aliqua frigimus, quæ sint pinguia, vt carnem suillā, vniuersus eius humor effluit, & solum remanet aliquid aridum, & terreum, quod non ita fit in eius elixatione.

Quarto. Quæritur cur frixione res citius coquantur, quam assatione, cum tamē res, quæ assatur, proximius patiatur ab igneo calore.

Quinto. Quæritur, quomodo si frixio est assatio, cur Medici facilius concedant ægrotis assa, & non frixa, & cur si assa sunt humidiora elixis, (vt dicit Arist.) febricitantibus, quibus victus humidus competit, potius tamen eis tribuuntur elixa, quam assa.

Sexto. Quæritur, an detur frixio propria, & metaphorica, sicut datur in maturatione, elixatione, & assatione.

Septimo. Dicit ibidem Aristot. ligna non elixari ob eorum densitatem. Hoc autem est falsum, quia ligna sunt rara, & porosa, vnde super aquam natant.

Secundo. Quia etiam ligna multa elixantur, vt patet de Liquiritia, de Ligno Sancto, de salsa pariglia, & similibus, quæ varias facultates tribuunt aquæ in qua elixantur, & ipsa remanent proprio humore destituta.

Octauo. Dicit. Elixabilia proprie non dici eadem idea elixabilia, & tamen dixit matura proprie, & metaphorice, dici eadem Idea matura. Non autem videtur maior ratio in istis, quam in illis.

Nono. Vocat metallorum dari elixationem, quomodo autem durum est videre.

Decimo. Dixit cap. de maturatione lac maturari, & in cap. de elixatione affirmat illud elixari. Vni autem diuersæ rationes non competunt.

Vndecimo. Quæritur. Cur cum caro ebullierit, si aqua frigida abluatur, citius mox elixetur.

Duodecimo. Quæritur. Cur caro animalium seniorum, difficilius elixetur.

Decimotertio. Cur vitrum primo incensum, & mox in aquam mersum, in qua caro elixatur, efficit, vt citius elixetur, quod etiam efficiunt. Aures, ossa arida, cinis, & calx.

Decimoquarto. Cur sal impedit elixationē, & præsertim leguminum, taliter quod legumina nisi prius sint cocta, non debent sale condiri.

Decimoquinto. Quæritur an pharmaca proprie elixentur.

Decimosexto. Quæritur, quæ coctio sit sublimatio rerum in ollis, ab igneo calore facta.

Decimoseptimo. Quæritur an lacti aliquo modo conueniat assatio, sicut ei aliquo modo conuenit maturatio, & elixatio.

Multa sunt quæ dicuntur ab Arist. in capitulo de elixatione, quæ ad ista reducuntur. Primum est, quod elixatio sic definitur. Elixatio est concoctio à calore, humido eius indefiniti, quod in humido est. Dicitur concoctio, quia illa ei conuenit pro genere,

re, cum elixatio sit species coctionis. Dicitur à calore facta, quia calor est causa effectiua omnis coctionis, nec coctio fieri potest sine calore. Dicitur humidi interminati, quia coctio est humidi generaliter, sed in elixatione habet hanc singularitatem, quod humidum rei elixabilis debet terminari per calorem, in re humida, vt est aqua.

Secundum est, quod ea secundum Philosoph. dicuntur proprie elixari, quæ sunt apta suscipere formam elixationis, & ista sunt flatuosa, & aquea, quia calor in elixatione recipitur in humido aqueo, quo pacto etiam coctio alimenti facta in ventriculo dicitur elixatio, quia fit à calore humido, & præsertim in pueris, & fœminis.

Tertio. Comparat elixationem cum frixione, & assatione, & dicit, quod assa in intrinsecis suis partibus sunt humidiora, & in extrinsecis ficciora, tũ quia calor externus exficcat partes sibi proximiores, tum quia simile suo simili delectatur, & ideo calor rei coquendæ per assationem se appropinquat ad ignem suum simile. Econtra vero in elixatione, quoniam elixata humido coquũtur. s. aqua, ideo humidum rei elixatæ se reducit ad partes humidi elixantis, vnde elixata in parte externa sunt multum humida, & in interna ficciora.

Hoc autem intelligitur de proprio humore, & de partibus assatis temperare, & non de combustis. Frixio autem se habet, vt elixatio, quia quod frigitur, tangit sartaginem, calore ficco feruentem, & fit in oleo, & pinguedine in quorum spiritibus subtilioribus, & facile combustibilibus, calor ignis deficcans recipitur vehementer.

Quarto. Dicit non omne corpus esse proprie elixabile. Primo enim non sunt elixabilia, illa in quibus nullus est humor, vt in lapidibus. Secundo, nec ea in quibus aliqualis est, sed non potest vinci ob eius densitatem, vt in lignis. Quare si aurum, metalla, & ligna dicuntur elixari, hoc per metaphoram intelligitur, & non secundum eandem Ideam, idest rationem. Illa ergo quæ non sunt apta elixari sunt corpora terrea, omni fere humore destituta, vt lapides, ossa, cornua, vngulæ, dentes, &c. quorum humor ab igne nõ potest vinci, vnde comburuntur, & non assantur. Elixabilia vero in triplici sunt ordine. Primus est elixabilium proprie, vt carniũ, panis, & similium. Secundus est elixabilium metaphorice, vt sunt aurum, metalla, & lignum, & alia multa similia. Tertius est quorundam medio modo se habentiũ, quoniam sunt humida, parum ficci inclu-dentia, vt lac, & mustum. Ista enim elixari dicuntur, dum per ebullitionem prodeuntem ab ambiente igne, sapor eorũ immutatur, & dulcior redditur, variato enim temperamento, variatur etiam qualitas.

Ad primum autem in contrarium dixerunt aliqui differentiam esse inter frixionem, & elixationem, quod frixio prius respicit sartaginem, quam incensam postulat, deinde requirit, quod id quod frigitur, excalefiat, & calefactum agat in oleum, id ad se trahens, & dicunt Olympiodorus, & Alexander, quod cocta in sartagine non patiuntur à calido humido intrinseco, sed ab igne externo, & per hoc distinguuntur ab elixatis, quoniam in his calidum ab intrinseco agit in humidum, & partes internas ficciores reddit, & exrernas humidiores.

Hec responsio quamuis aliquid veritatis contineat, tamen falsa est quo ad exemplum sartaginis, quia si aqua impleretur, & piscis, vel caro in ea poneretur, ageret vt in frixione, & tamen esset assatio.

Dicendum ergo venit, quod frixio fit in humido crasso, & elixatio in aqueo humido, cetera vero consequuntur.

Ad secundum dicitur, quod in assatione humor exterius non trahitur, quamuis calor sit fortis, & potens exterius. Primo, quia calor partes externas assati adurit, & obstruit, vnde humor non potest ad externas partes fluuere. Secundo, quia humor inueniens calorem externum vehementem sibi contrarium, ad partes internas refugit. Tertio, quia iunctus calori interno se munit ibi, & fortificat, non sic est in elixatione, vt ostendimus.

Ad tertium dicitur, quod pinguia non sunt apta frigi, quia liquida fiunt per calorem, vnde fluunt, loquimur ergo de assatis non pinguibus, vel quo ad partes nõ pingues quod in eis humor ad interna se reducit.

Ad quartum dicitur, id euenire, quia calor in frixiatis recipitur in oleo, & pinguedine, cum magna intensione, vnde vehementius per ista agir, quam per aerem incensum, vt fit in assatione, & magis quam in elixa-

elixatione, in qua minus fortiter agit, quã in aere, & pinguibus.

Ad quintum dicitur, quod infirmis potius elixa, quam assata conceduntur. Primo, quia assata per assationem reddita sunt densa, & condensata, & ideo difficilius à ventriculo coquuntur, quam elixa, quæ reddita sunt mollia. Secundo, quia coctio ventriculi est similis elixationi, vt diximus, & non assationi. Inter similia autem est facilior mutatio, & actio. Tertio, quia febricitantes grauantur calore sicco, quo assata abundant, vnde esset per simile febrem nutrire, quare magis eos iuuat calor humidus aereus elixatorum, quã siccus assatorum. Quarto, quia in elixatis si proprius humor deficit, alienus abundat. Quinto. Quia facilior est elixio, quam assatio, tum ab externo, tum ab interno. Sexto, quia in elixatione magis res elixæ expurgantur ab excrementis per spumã, & aquam, quam in assatione. Septimo. Quia assatio fit ope pinguedinis, quæ ægrotis nocet. In quibusdam tamen infirmitatibus in quibus opus est desiccare, magis, & aptius dantur assata, quam elixata, ceteris non obstantibus.

Ad sextum dicitur, quod frixio per naturam non datur. Primo, quia exposcit pinguedinem liquefactam, quæ est dispositio præter naturam. Secundo, quia fit artificiosis instrumentis, & non naturalibus.

Ad septimum dicitur, quod ligna bifariam considerari possunt. Primo, vt aerem includunt in suis meatibus, & ita sunt rara, aerea, & supernatant, Ebano excepto, vt dicit Arist. 4. Meteor. Secundo, vt solum secundum suam substantiam considerantur, & sic sunt terrea, & densa, nec elixationi apta. Sunt enim prædita humore aqueo, terræ iuncto, non apto liquefieri à calore humido. Ad aliud de lignis elixatis dicitur, quod non proprie elixantur, sed Metaphorice. Hoc autem duobus modis euenire potest. Primo, per ebullitionem humoris in ligno, vt videmus in ligno viridi, igni apposito, quod primo videmus humorem emittere, & deinde intus aridũ manere, vt cõtingit elixatis. Secundo per ebullitionem ligni in aqua, vt dictum est de ligno sancto, &c. Alexander, Albertus, Vicomercatus, Boccaferrus, & alij multi sentiunt Arist. de prima esse locutum, dũ dixit ligna elixari, & aurum per Metaphoram. Aurum enim dupliciter potest inspici. Primo, vt est argento permixtum, & sic persusionem, cum latere, & sale liquefactum purgatur. Secundo, vt est purum. Primo autem modo tantum dicitur elixari. Aurum enim, & argentum, cum latere, & sale tritis purgantur, & Cuprum cũ arena, & sabulo, Picolomineus tamen tenet Arist. sermonem fecisse de secunda elixatione, quæ inquit ligna supradicta, in aquam ebullientia perdunt ab intus proprium humorem, & aridiora fiũt, & aquæ in qua elixantur qualitatem aliquam propriam imprimunt. Et ita aurum in aqua positum, vel per os ad stomachum transmissum, & vltimo euacuatum, aliquid de proprio deperdisse est comprehensum, vnde ista potest vocari Metaphorica elixatio. Hoc autem admittimus & nos, sed non ita congrue. vt dixerunt Albertus, & alij asseclæ, quia illa sicut est maior elixatio, ita etiam est magis similis elixationi propriæ.

Dicas ergo Arist. negare lignũ, & aurum elixari proprie, & concedere metaphorice, vt ex verbis eius constat.

Ad octauum dicitur, quod matura habent vnam Ideam, idest ratione analogiam apparentem, non sic elixabilia. Sed melius dicitur, quod dum locutus est de maturis, & dixit ea vnam Ideam habere, per Ideã intellexit vnam metaphorice, & non proprie, in quo sensu negat elixabilia vnam Ideam tenere, non negando metaphorice, vnde in hoc nulla est differentia.

Ad nonum dicimus metalla elixari metaphorice, vt supra.

Ad decimum dicitur, quod lac in vberibus proprie maturatur, & in aqua igni apposita, idest, in sero per metaphoram, dum ex eo caseus secernitur. Ita mustum dum in cado bullit, per proprium calorem, in proprium humidum agentem maturat, dum vero igni applicatur, & sic ebullit, & decoquitur elixari dicitur, quoniam tunc fit per calorem externum, secernentem ipsum à spuma, & sic causantem vt crassius, & dulcius remaneat, diutius seruetur, & minus humidum cognoscatur.

Ad vndecimum dicitur, quod caro semielixa, aqua frigida lota, citius elixatur. Primo, ex Anteperistasi. Nam calor iam in carne impressus, dum frigiditatem aquæ sentit, ad internas partes se reducit, deinde

de cum iterum calorem aquæ sentit, fortius contra frigiditatem inuehit, & sic eã citius expellit, & consequenter carnem velocius coquit. Secundo, quia dum vna res sub contrarijs sine intermissione ponitur, imbecilior in propria virtute redditur, & eius humor resoluitur, & mollior efficitur, vnde minus resistit deinde contrario agẽti. Hinc qui gallos gallinaceos, & omnes pullos, imò & carnes omnium animalium de recenti interremptorũ molliores reddere cupiunt, iteratis vicibus modo in feruentem aquam, deinde in frigidam mergunt, quod eorum caro fit mollior, & aptior ad cibum. At oppositum in leguminibus euenit, quoniam si cicerez, & fabæ semicocta aqua frigida abluantur, non bene vlterius coquuntur. Primo, quia in eis non fit antiperistasis ob paruitatem granorum. Secundo, quia eorum humor multum est mixtus cum terreo, qui cum primo calefiat, & rarefiat, per frigus superueniens, & penetrans vehementius condensatur, ita vt deinceps difficilius dissoluatur, caro autem non tantum terrea est, & humor eius est magis aqueus.

Si quis autem quærat, vnde nascatur, quod quædam fabæ, & quidam Ciceres, & alia legumina ex vno loco collecta facilius elixentur, quam ex altero.

Respondetur id prouenire ex Sole, cui magis ager ille est expositus, & ex terra, quę est magis arenosa, & leuior, nam legumina, quæ sunt temperamenti magis solidi, & terrei, vt sunt illa, quæ nascuntur in agris magis opacis, & in terra magis solida, & grauis sunt difficilioris coctionis.

Ad duodecimum dicimus, quod caro animalium seniorũ difficilius elixatur, quia per senectutem caro eorum ad terreum multum accessit, & eorum humor multũ condensatus est, & cum terreo, & solido permixtus, vnde humor iste cum difficultate soluitur, & solutus insalubre alimentum tribuit.

Ad tertiumdecimum dicitur, quod vitrum, & similia facilitant elixationem, quia vt dicit Albertus sua siccitate trahunt humorem carnium, & agunt ad excitandum proprium calorem ad operandum in proprium subiectum. Vel quia ex se spiritus tenues, & acuti emittunt, qui incidunt, & dissoluunt, vt etiam comperimus in aceto, & vino, in quibus res facilius elixantur, propter eorum acuitatem, & tenuitatem, & aptitudinem ad operandum.

Quod autem ossa mortuorum, & nuces, & ipsæ hoc idem præstent, dicimus esse, quia habent virtutem desiccandi subtiliores humores, & incidendi, ex sua ariditate. Quare nuces etiam sunt bone post pisces, quia sua siccitate humorẽ piscium contemperant, & sua facultate incidunt. Item multa ex his, quæ calorem vehementem suscipiunt, & excalefacta potenter in alia agunt, vt sunt vitrum, Calx, & Cinis, ideo apta reperiuntur ad elixationem, & hinc est, quod lixiuium feruens magis lædit tangentes, quam aqua feruens.

Ad quartumdecimum dicimus, quod sal impedit elixationem leguminum, quia tria habet eis contraria. Primum est humor aqueus ex quo gignitur, & in ipsum resoluitur. Secundum est salsum terreum. Et tertium adustionem à calore factam. Propter adustionem desiccat, per humorem aqueum per angusta meantem, & humorem ad se trahentem humectat, & ideo in aqua reddit corpora difficilius elixabilia, & hoc facit in leguminibus; sua enim facultate dissoluendi, eorum humores subtiliores resoluit, & relinquit grossiores minus elixationi aptos. Carnes autem, & pisces præditi sunt humore aqueo, & ideo eis non obest.

Ad quintumdecimum dicitur, quod ea, quæ in brodio elixantur, vt sena, vel in humore aqueo, vt multa alia, dicuntur multum large elixari, quia non tenent omnes conditiones elixationis superius positas.

Ad sextumdecimum dicimus, quod habent aliquem modum assationis, & elixationis. Assationis si fiant sine aqua. Elixationis dum ollæ merguntur in feruenti aqua.

Ad decimumseptimum dicit Albertus, quod ei conuenit aliquo modo assatio, quia coquitur à calore externo, non tamen proprie, quia fit in humore aqueo.

QVÆSTIO LXXXXIV.

An detur imperfecta elixatio.

HAbet Arist. 4. Meteororum, quod sicut datur elixatio perfecta, ita etiam datur imperfecta, quæ à Grecis dicitur Molinsis, & definitur sic. Molinsis est inconcoctio

ctio indefiniti humoris, qui inest in corpore, ob caloris inopiam, qui in humore est ambiente. Sicut ergo elixatio erit con coctio indifiniti humoris, ita imperfecta elixatio est inconcoctio eiusdem indifiniti humoris. Hæc autem causatur à frigore sicut elixatio fiebat ab eius contrario .s. à calore. Hoc autem frigus, qui non est nisi defectus caloris ex duplici causa procedit. Primo, ex remissione caloris, & potentia frigoris, quia qui debebat vincere, vincitur. Secundo, ex abundantia humoris coquendi, in quem totum non æque bene potest calor elixans. Ita etiam & immaturatio, & inassatio ex hac duplici parte prouenit. s. ex defectu agentis, & ex resistentia magna patientis.

Hoc declaratur exemplo caloris ventriculi in senibus, qui non valet coquere alimentum, vnde remanent multæ cruditates, & exemplo caloris Solis mense Martio, qui commouet multos humores, & non resoluit ob defectum virtutis ex quo multæ sunt ægritudines.

Addit Phil. pro signo, quod imperfecte elixa duriora fiūt elixis, quia ex elixione res redditur mollior, & leuior, vt apparet etiam in maturatione ficuum, & apostematum.

Contra autem supradicta ab expositoribus adducuntur diuersa dubia.

Primum est, quod non videtur verum elixa ex elixatione fieri leuiora, & molliora. Obstat enim experiētia in ouis, neruis, & os reaceis, quæ ex elixione duriora fiunt.

Secundum est. An imperfecta elixatio dicta Molensis fiat tantum à diminuto calore, an vero etiam à frigore.

Tertium est. An omne elixatum, antequam sit adeptum perfectam elixationem, possit dici imperfecte elixatum.

Quartum est. Cur Arist. non adduxerit pro vna ex causis non elixationis, angustia temporis.

Quintum est. Quod imperfecta elixatio non videtur esse contraria perfectæ, cum non maxime distent, sed se habeāt, vt magis, & minus.

Ad primum tamen dicitur, quod neruus nō est aptus elixari, sicut nec metallum, quia eius humor non potest à calore elixante vinci, & superari. De ouo dicimus eius elixationem consistere in quadam consistentia humoris eius, vnde cum primum eius albumen sumit colorem lactis, debet iudicari coctum. Nam si deinde ebulliendo obdurescat, est, quia tunc non elixatur, sed deprauatur, & ex sano alimento, insalubre efficitur, quoniam humor eius tenuis resoluitur, & crassior cum terreo remanet, ex quo durior, & terrestrior redditur.

Ad secundum dicunt aliqui elixationem fieri etiam à frigiditate, quia fit à diminuto calore, qui est quædam frigiditas.

Sed hic modus loquendi non recipitur. Primo, quia est contra Arist., equidem concedit in imperfecta elixatione cum calore admisceri frigiditatem, non tamen frigiditati attribuit elixationem imperfectam.

Secundo. Quia diminutus calor non dicitur frigiditas secundum se, & absolute, sed solum in respectu.

Dicendum ergo est, quod imperfecta elixatio fit tantum ex parte agentis ex defectu caloris, & ex parte patientis, ex superabundantia humoris.

Ad tertium dicitur, quod imperfecte elixatum esse stat dupliciter. Primo, quia nondum est adeptum perfectam elixationem, cuius est capax, & ad illam ordinatur. Secundo, quia eam nec recepit, nec ad eam est aptum ab defectum caloris. Primum, potest dici imperfecte, & perfecte elixatum dum stat sub imperfecta, & perfecta elixatione. Secundo vero modo dicitur tantum imperfecte elixatum, & est Molensis.

Ad quartum dicitur, quod angustia temporis est circunstantia communis subintellecta, & si non explicata.

Ad quintum dicitur, quod non maxime distant, nec positiue, vt duæ formæ contrariæ, nec negatiue, quia Molensis de calore participat, vnde maxime distant solum sicut perfectum, & deprauatum, quod potest reduci ad oppositionem priuatiuam aliquo modo.

QVAESTIO LXXXXV.

An quæ dicuntur ab Arist. de assatione vera sint.

IN capite de assatione Arist. multa tradit. Primum est, quod definit assationem sic. Assatio est coctio, interminati humoris à sicco, & alieno calore. In qua definitione

ly coctio stat pro genere, & ly interminati humoris pro eius materia, & subiecto. Ly à sicco calore, ponitur ad differentiam elixationis, quæ est à calore in humidum recepto. Ly ab alieno ponitur ad differentiam maturationis, quæ fit à proprio calore.

Secundo probat assationem fieri à calore sicco, quibusdam signis. Primum est, quia si caro coquatur in olla sine aqua, dicitur assari, & non elixari, quia elixatio fit in humore aqueo. Secundum est, quod partes externæ assati sunt sicciores, & internæ humidiores, ad differentiam elixati, cuius partes internæ sunt sicciores, & externæ humidiores. Tertium est, quod partes externæ ideo sicciores sunt, quia sicco magis sunt proximæ, idest calori ignis, & duriores fiunt.

Tertio tradit assationem fieri, & elixationem ab arte, & tamen etiam æmulari naturã. Nam coctio alimenti in ventriculo similis est elixationi, quia ibi fit à calore humido. Hinc Galenus lib. de nat. facultat. dixit ventriculum esse ollæ similem, caput operculo, ignem autem esse in corde. De assatione nõ dedit exemplum, sed nos in dubijs dabimus.

Quarto. Soluit quoddam dubium, quod in ventriculo non fiat elixatio, quia videtur in eo vermes generari, cum per os euomantur. Vbi autem viget calor naturalis, & proprius animalis, & coquitur cibus pro nutritione non generantur vermes. Dicit ergo non generari in ventriculo, sed in intestinis ex crassioribus excrementis, quæ ex cibo secernuntur, & putrescunt. Intestina autem in quibus generantur non sunt illa, quæ ventriculo coniunguntur, sed remotiora. Subdit excrementa longe distantia à calore, putrescere. Primo, quia deferuntur, & reijciuntur à calore coquente, vt inutilia. Secundo, quia sunt vario humore prædita putrescibili. Tertio, quia non habent vnam formam seruantem. Quarto, quia cum sint excalefacta non proprio calore, emittunt vapores in quibus calor externus recipitur.

Quinto loco dicit etiam assationem tenere suum oppositum, sicut illud habet elixatio, & maturatio, & si illud non sit cũ proprio nomine significatum, sed communiter dicatur deprauata assatio. Hæc autem prouenit ex exquisitate caloris, vel ex abundantia humoris assandi.

Circa autem supradicta multa sunt dubia. Primũ est. Quomodò hic attribuat Arist. calori indurare, cum sit ei proprium attenuare, rarefacere, & aperire.

Secundũ est. Quomodo assatio dicatur fieri à calore externo, cum sit coctio. Coctio autem fit per calorem internum.

Tertiũ est. Quomodo Philos. dixerit assationem fieri etiam quodammodo a natura, & non dederit exemplum, vt fecit de elixatione.

Quartum est. An assa, intus sint humidiora elixis.

Quintum. An concoctio facta per artem, distinguatur specie a concoctione per naturam.

Sextum. Quot in viuente inueniantur gradus coctionum.

Ad primum respõdetur, quod calor duo habet. Vnum per se, & hoc est calefacere, de se enim est calefactiuus, & exsiccatiuus. Secundum est, multa alia operari, prout in subiectis diuersis recipitur, vel cum alijs cooperatur. Hinc est, quod cum humido obstruit, inflat, mollificat, minusq; resoluit. Cum sicco vero humorem dissoluit, acutius agit, & magis consumit. Accidit autem, quod dum tenues humores consumit, in meatibus existentes, partes externæ contrahantur, vt apparet in cute suilla, & partibus nerueis. Euenit quoque sæpe, quod partes externæ humidæ cum sicco terreo mixtæ adusto humore, partesq; tenet superstite, cohereant, & aridæ connectantur, vt videmus fieri in carne dum assatur. Hoc autem non fit in ligno, dum excalefit, & eius humor dissoluitur, quia cum partes eius sint solidæ, & densæ, ob eorum duritiem, & soliditatem non contrahuntur.

Ad secundum dicitur, quod coctio est genus analogum analogia attributionis, & aliquo modo inæqualitatis, vnde non est necessarium, quod ab intrinseco de omnibus coctionibus dicatur, vt supra ostendimus.

Ad tertium diximus Arist. non dedisse exemplum de assatione, sicut fecit de elixatione, quia versamur in hoc in re obscura. Attamen Doctores varia exempla adducunt. Nam primo dicunt in pueris, qui sunt humidiores fieri elixationes, & in inueni-

uenibus magis calefcentibus cum ficcitate maiori puerum, fieri affationes. Secundo, comparando fexus, & temperaméta, & dicendo in fœminis, & pituofis elixationes fieri, & in viris, & biliofis affationes. Tertio, comparando partes corporis adinuicem, affirmando offium effe affationem, & carnium, neruorumve elixationé. Quarto, comparando regiones terræ, dicendo in Aetiopia, & Zona torrida affationes fieri, & in temperata elixationes. Quinto, comparando anni tempora. Sic enim dicemus in æftate fieri affationes, & in Vere, & Autumno elixationes. Sexto, comparando adinuicem varia animalium genera dicemus, in feruĉtioribus, & aduftioribus, vt in Leone, & Miluo fieri affationes, & in humidioribus elixationes, vt in Sue, & Anferibus. Iftæ inquam magis, & minus poffunt dici affationes, & comparatiuæ tantum.

Ad quartum fupra diximus elixa humidiora effe in partibus externis, ficciora in internis, affa vero econtra. Hoc autem vltimum intelligit. Primo loquendo de proprio humore rei elixæ, & aflæ, nam in problematibus loquendo de aliquo humore, dixit affa ficciora euadere. Vel dicas extra, non intra: Hinc affa fluxum ventris cohibent, non elixa, quia cum affa habeât partes externas aduftas, illa aduftio exficcat, & conftipat, non fic humiditas. Vnde etiam Aeftate elixa comedimus ad teprimendam magnam ficcitatem æftus, & econtra in Hyeme affis vtimur, ad deficcandas magnas humiditates ex frigore ortas. Et fic in fero affis vti bonum eft, quia deficcant, & mane elixis, ad conferuandam humiditatem laboribus refiftentẽ, ne fuo calore humidum confument.

Non folum autem affa reprimunt fluxum ventris, quia ad extra funt ficca magis, verum etiam quia feruant qualitatem ignis, qui eft ficcus, & exficcatiuus, & funt priuata humido aqueo ventrem relaxante.

Secundo. Hoc intellige nifi affanda prius elixentur, nam elixatio humorem ad extra deducit, & multum humectat, vnde per ignem non tam cito partes rei elixæ exficcantur, aduruntur, & coarĉtantur. Imperfeĉta tamen elixatio multũ ad optimam, & præftam affationem facit. Primo, quia minuit internum humorem, relinquendo vt ille qui remanet facilius cedat coĉtioni. Secundo, quia varia eius excrementa per fpumam refoluit, & rem elixandam affationi puriorem præbet. Tertio, quia impedit ob humiditatem ad extra reduĉtam, ne ignis adurat, & exficcet affandum.

Tertio. Hoc intellige de re affanda dempta pinguedine, quia illa de facili liquefcit, & calorem externum non fuftinet.

Quarto. Intelligitur de rebus elixandis, & affandis, & non de humoribus, vt funt vinum, & lac, & fi per ebullitionem vini partes tenuiores euaporent, & denfiores remaneant, vnde fit potentius, & diuturnius. Et ita lac ad ignem applicatum relinquit partes feri aqueas, & in cafeum fe adunat. Quod autem pafta elixata feruĉtur humida intus, & extra, & humidior, & tenerior reddatur verum eft, fed non proprio humore, fed eius in quo elixatur.

Circa quintum argumentum duas inuenio opiniones: prima negat effe eiufdem fpeciei, quia ab Ariftot. vocantur duæ fpecies vniuerfales, cũ habeat diuerfa principia fpecie diftincta, f. artem, & naturã, tenent diuerfos fines, coctio per naturã ad chyli, & fanguinis productionem, per artem vero ad efum ordinantur, ficque coctio naturalis per proprium calorem, & artificialis per externum, &c.

Secundam affirmat has duas coctiones fpecie non differre, tum quia Arift. dixit non effe infpicienda inftruméta, f. an fint Phyfica, vel artificiofa, fed intuenda eft fola natura elixationis, quæ vna eft, tum quia femper fiunt à calore agente in humidum, tum quia Arift. etiam dixit 7. Metaph. effe eandem fanitatem à natura, & ab arte caufatam, & plantæ natura, & arte gigniuntur.

Dicendum ergo venit, quod diminutio fpecifica dupliciter confiderari poteft. Primo per fe, & fimpliciter, & fic pendet à natura fpecie diuerfa, nã Homo, & Leo fpecie diftinguuntur, quia habent diuerfa cõftitutiua formalia, & naturalia, & diuerfas proprietates ex vi naturæ, naturali fequela proficifcentes. Secundo extrinfece, & fere per accidens, & fic ex diuerfis principijs, finibus, modis, & caufis confideratur. Nam tantum fuit homo Adam à Deo de terra formatus, & vt principium humani generis conftitutus, quantum Abraham, Ifaac, & quilibet alius homo ex car-

nali propagatione ortus.

Respondemus ergo, quod coctio naturæ, & artis duplex est. Prima eiusdem naturæ specificæ, verbi gratia, chyli, carnis, &c. & istæ non distinguuntur specie, quia nō faciunt diuersitatem in natura. Secunda diuersarum naturarum, vt coctio naturalis alimenti, & coctio artificialis lateris, & similium, & istæ specie secernuntur.

Ad sextum respondendo necesse est prius aliqua notare.

Primum est, quod vt supra diximus triplex est coctio. Cuius numeri sufficientiam aliqui deducunt ex calore coquente, quia si fit à calore aereo est maturatio, si ab aqueo est elixatio, & si ab igneo est assatio. Alij sic dicunt. Si fit à calore interno est maturatio, si ab externo humido est elixatio, si sicco est assatio. At melius dicitur quod duplex est calor .s. naturalis intrinsecus, & proprius, & hic facit maturationem. Alius proprius, & naturalis non viuentis, vel nutriendi, sed coquentis, & ad nutritionem facientis. Et hic est duplex, primus in re humida, & hic facit elixationem, secundus in sicca, & hic constituit assationem, vt vidimus.

Secundum est, quod eadem coctio potest habere plures gradus si patitur magis, & minus, sed hi speciem non variant, sed tantum eius perfectionem alterant.

Tertium est, quod septem gradus possunt considerari in coctione, & eius opposito.

Primus est eorum quæ non sunt apta coqui, vt nox, & cælum, & sic incoctio opponitur coctioni negatiue.

Secundus est eorum quæ sunt nata coqui, sed non coquuntur ad hoc, & his opponitur priuatiue.

Tertius est eorum, quæ apta sunt coqui, & incepta est eorum coctio, sed ob penuriā temporis non est perfecta, vt fit in pomis, vuis, ac alijs immature collectis, & his opponitur priuatiue reductiue, prout diminutio ad priuationem reducitur.

Quartus est aptorum coqui, sed non coctorum, vel ex imbecillitate caloris, vt est in senibus non valentibus ob imperfectum eorum calorem naturalem cibum digerire, vel ex copia humoris, vt in multum comedente, & his opponitur etiam priuatiue reductiue.

Quintus est aptorum coqui, sed non coctorum ex aduerso frigore obsistente, & his opponitur contrarie.

Sextus est nimis coctorum, & adustorum, & his opponitur etiam contrarie, prout corruptio opponitur generationi.

Septimus est aptorum coqui beneque, & optime coctorum, & in his sita est ratio coctionis vere, & proprie.

Quomodo autem istæ coctiones fiāt, & quo ordine perfectionis inter se ordinentur vidimus supra. Pensandum est enim semper in natura id quod eam constituit formaliter, & perficit essentialiter, & ex hoc desumendum est iudicium illius præstantiæ, & nobilitatis.

QVÆSTIO LXXXXVI.

Vtrum putredo generationi mixtorum opponitur contrarie, & ad interitum conducat mixta.

Videtur quod non. Primo. Quæ opponuntur contrarie positiue se habēt per Arist. in post prædicamentis. At generatio, & corruptio ad quam putredo disponit, contradictorie opponuntur, cum sit oppositio generationis, & corruptionis esse, & non esse. Ergo &c.

Secundo. Multa enim corrumpuntur, & non per putredinem, vt quæ comburuntur, & multa sunt mixta quæ incapacia sunt putredine, vt sal, piper, zinziber, lapides multi, & metalla.

Tertio. Si putredo conuenit mixtis, & opponitur generationi contrarie, sequitur quod omne putrescibile sit generabile, quia per Philos. contraria apta nata sunt fieri circa idem. Hoc est falsum, quia putredo non solum conuenit mixtis, sed etiam omnibus elementis, vt tradit Phil. 4. Meteorum, præterquam igni. Ergo &c.

Quarto. Male videtur dictum, quod putredo sit dispositio ad interitum. Nam oppositum verius est .s. quod interitus est via ad putredinem, quia post interitum viuentia putrescunt. Sed hoc videtur male dictum, quia putredo non potest esse finis, sicut nec mors, vt tradit Arist. 2. Phy. quia finis habet rationem boni, mors vero, & putredo mali.

Quinto. Inconcinne etiam dicitur interitum esse secundum naturam, & viam ad putredinem, vt affirmauit Aristot. 4. Meteor. quia nihil est dicendum secundum naturam,

ram, quãdo est aduersum, & corruptiuum naturæ, prout sunt interitus, & putredo.

Sexto. Putredo est ipsemet interitus rei, quia proprie non putrescit nisi per interitum. Ergo male dicitur, quod vnum est via ad aliud.

Quatuor asserit Arist. de putredine in 4. Meteor. quæ breuiter sunt perlustranda.

Primum est, quod generationi putredo opponitur.

Secundum, quod duplex est putredo. Prima dicitur mixtorum, & hæc opponitur proprie generationi mixtorum. Secunda dicitur elementorum, præter ignem. Hæ differunt, quia putredo mixtorum est totius, & totalis, & propria. Elementorum vero secundum partẽ, & fere impropria cum dicat tantum amotionem alicuius elementi à sua naturali dispositione.

Tertium est, quod putredo sic definitur. Putredo est interitus eius, qui in vnoquoque humido proprius est, & naturalis calor, ab alieno calore.

Quarto loco manifestat definitionem putredinis rectam esse, & conuenire vere putrescentibus. Et quoniam ista tandem superficialiter percurrere intendo, ideo non multum digrediar à textu.

Conclusio ergo est putredo est contraria generationi, quæ est principium viuentium. Probatur rationibus Phil. Prima est. Vltimum rei contrariatur principio eiusdem. At putredo est vltimum rei. Ergo contrariatur principio, idest generationi rei. Maior patet, quia hac ratione dicitur 5. Phys. quod corruptio est contraria generationi. Minor apparet, quia ob hoc senectus animalium, & ariditas plantarum dicitur interitus, & putredo suo modo.

Secundo probatur. Quæ opposito modo fiunt sunt opposita, & contraria. Talia sunt generatio, & putredo. Nam generatio fit per calorem, & humidum terminatiuum siccitatis. Sed putredo fit per destructionem caloris proprij, & interminationem humidi, quia siccum non ipsum terminat, vnde fluit, quare quæ putrescunt prius mollia redduntur, & humido consumpto arida manent.

Ad primum autem argumentũ dicitur, quod oppositio contraria late hic sumitur pro contradictoria. Secundo dicitur, quod generatio, & corruptio bifariam considerari possunt. Primo, ratione vltimi termini, & sic opponuntur contradictorie, vt faciunt esse, & non esse. Secundo ratione dispositionum præcedentium, & sic opponuntur contrarie, quia dispositiones pro vita, corrumpuntur per dispositiones deducentes ad finitionem, & corruptionem eiusdem.

Ad secundum dicitur, quod omnia mixta, quæ desinunt esse, putrescunt, combusta per siccum, & alia per humidum sicco nõ terminatum, quia interitus, & putredo se consequuntur, vnde differentia solum est, quod quædam celerius, quædam tardius, quædam clarius, & quædam obscurius, & quædam per ignem, aerem, aquam, vel terram putrescunt, omnia quidem suo modo. Sed & secundo dicitur, quod putredo hic late sumitur, & non vt dicit humidum fluens &c.

Ad tertium dicitur, quod propria putredo interitum sequitur, & ipsum non antecedit nisi dispositiue. Hoc autem fieri potest secundum totum vt in mixtis, & secundũ partem vt in elementis, vnde analogice de his dicitur, sicut etiam generatio. Nam etsi elementa secundum totum non generentur, generantur tamen, & corrumpuntur secundum partem, prout coeunt in aliquo mixto dissolubili. Aduerte autem, quod secundum rem idem sunt in suis subiectis interitus, putredo, & mors, sed secundum rationes diuersas distinguuntur, quia interitus est simpliciũ, putredo mixtorum, & mors viuentium.

Ad quartum dictum est, pro quanto autem tangit, quod interitus non possit dici finis respondetur, quod proprie non est finis, vt finis dicit vltimum, & optimum. Est tamen finis, vt dicit tantum vltimum, Arist. autem 2. Phys. reprehendit Euripidem Poetam, quia dicebat mortem esse finem, cuius gratia nati sumus, quasi diceret habet rationem finis, & optimi.

Ad quintum respondendo dico, quod Arist. videtur in hoc secum pugnare, nam 4. Meteor. & 5. Phys. tex. 57. vocat interitum, & mortem ens secundum naturam, & de longitudine, & breuitate vitę distinguit mortem in naturalem, & violentam. Econtra vero 2. cæli tex. 38 & multis alijs in locis vocat supradicta contra naturam.

Boccafertus dicit interitum esse secundum naturam materiæ corruptibilis, & contra naturam formæ actuantis. Alij quod inquantum est generatio alterius est secun-

dum

dum naturam, vt est geniti iam corrupti contra eius naturam. Alij quod est naturalis reductiue, vt etiam dicitur priuatio 2. Phys., non per se, quia sic est violenta naturæ. Alij, quod est naturalis, vt natura respicit primam causam intendentem vicissitudines rerum, contra naturam, in ordine ad rem particularem intendentem sui conseruationem, vnde dicitur potius à natura, quam secundum naturam. Alij, quod est naturalis quando fit ab intrinseco per dissolutionem contrariarum qualitatum existentium in mixto, quando vero est ab extrinseco per violentiam dicitur contra naturam. Tandem alij dicunt corruptionem, interitum, mortem, diminutionem, senium, & similia comparata cum suis contrarijs esse contra eorum naturam, quia ea remouent à sua perfectione. Late tamen, & aliquo modo possunt dici secundum naturam, prout distinguũtur à violentis, & sequuntur statum rerũ ab intrinseco corruptibilium.

Ad sextum dicitur, quod distinguuntur, quia interitus est priuatio esse, & putredo temperamenti esse. Et interitus est totius, & putredo partium idest carnium, neruorum &c.

QVÆSTIO LXXXXVII.

Vtrum detur putredo mixtorum secundum totum, & elementorum secundum partem, præter ignem.

Videtur quod non. Primo. Quia mixta, verbi gratia homo potest secundum partem aliquam carnis putrescere. Ergo male dicitur, quod putredo mixti est secundum totum, & elementorum secundum partem.

Secundo. Videtur falsum, quod ignis non possit putrescere. Nã quod à sua naturali dispositione remoueri potest, põt corrumpi, & putrescere. Talis est ignis, cum possit per remissionem, & impuritatem dimoueri à sua naturali puritate &c.

Tertio. Arist. 5. de hist. animalium ignis, nix, & glacies comparantur adinuicem. At in glacie, & niue ex putredine gigniuntur vermes per eandem. Ergo & in igne.

Quarto. Idem Aristot. lib. de morte, & vita ait calorẽ interire posse, & à frigore contrario per extinctionem, & a se per marcedinem. At marcedo est quæ iam ignis putredo. Ergo & ignis putrescit.

Quinto. Idem 25. part. problem. 19. dicit, nec aerem, nec ignem putrescere, & hic dicit aerem putrescere, & etiam cap. 2. de longit. & breuitate vitæ affirmat pinguia non putrescere, quia plurimum aeris includunt, aer autem ad cetera elementa est tamquam ignis, qui non putrescit.

Incontrarium est Arist. vt supra, vbi dixit mixta putrescere secundum totum, elementa præter ignem secundum partem.

Notandum est autem, quod mixta proprie dicuntur putrescere, quia secundum totũ putrescunt, & esse desinunt, elementa vero non tam proprie putrescere dicuntur, cum secundum totum maneant, & solum quo ad aliquam partem marcescant, & putrescant.

Hoc autem dupliciter intelligi potest. Primo sola alteratione, ita vt dicantur putrescere cum alterantur, & hoc non, quia vt plurimum sunt in alteratione, non autem in putrefactione. Secundo amotione à propria natura, & hoc est, quod intelligit Phil. At quid sit hæc amotio à propria natura non vno modo explicatur.

Alexander per amotionem à natura intelligit amotionem à calore naturali, in quo consistit vita, & temperamentum viuentis cum humido eius. At ista expositio nõ consentit cum putredine partis saluante totum, sed cum putredine totius, quæ est tantum mixtorum. Alij dicunt significare quandam putredinem, non dignam nomine interitus, qualis est illa mixtorum, sed tantum amotionis à sua naturali dispositione, & hoc tantum secundum partem.

Secundo. Notandum venit, quod putredo multiplex esse potest. Nam quædam est totius, vt dum tota caro putrescit. Quædã secundum partem, vt ea, quæ est elementorum, & etiam mixti secundum partem, verbi gratia carnis vulneratæ. Alia est etiã in inanimatis consideranda, & alia in animatis, quoniam est diuersa putredo non formaliter, & definitiue, sed tamen subiectiue. Item alia est secundum naturam, vt senium, & mors, & alia violenta, vt ab extrinseco causata. Et alia humorum viuentis, febre putrida laborantis. Hæc autem à Galeno 1. de differentijs febrium cap. 6. triplex est, nam vel fit natura superata viuentis, vel ea superante, vel partim superante,

rante, partim superata. Ista autem putredo similitudinem habet cum putredine elementorum pro quanto ambæ sunt per alterationem, & dispositionem proportionalem interitus, sed tamen differunt, quia putredo elementorũ plus dicit, quam turbationem partium eorundem.

Tertio. Notandum venit, quod elementa non dicuntur putrescere dum transmutantur adinuicem, vt dum ex aqua fit aer in locis calidis, & in locis frigidis ex aere condensato fit aqua. Ista enim non est putredo, sed transmutatio. Et idem dico dum aer in fodinis, & cauitatibus terræ transit in metalla, sed tunc dicitur putrescere dũ deprauatur, & corrumpitur, in bona sua dispositione, ex qua verbi gratia deprauatione aeris, & putrefactione fiunt morbi vniuersales, & pestilentiæ.

Falsum est tamen, quod Olympiodorus dicit, ex putredine aeris generari qualias, & coturnices, cum animalia perfecta ex putri esse non possint, vt in 5. Metaphys ostendimus. Et ita teneo Arist. ex vulgari fama, & non ex propria sententia dixisse in 5. de hist. animalium cap. 5. perdices si aduersæ maribus steterint, & ventus inde afflet, vbi mares stant concipere, & plerumque vocẽ marium ingrauescere, & volatu super mare id effici posse, nã eodemmet Arist. teste 2. de anima, generatio est opus viuentis, & à viuente, si vera sit generatio, vt est auium.

Quarto. Notandum, quod solus ignis à Phil. constituitur expers putredinis. Primo, quia putredo fit à calore externo corrumpente naturalẽ, at nullus potest calor esse, qui calorem ignis valeat superare, & à sua dispositione in suo proprio subiecto amouere. Secundo, quia putredo fit ex humore fluente à sicco non terminato, at ignis caret humido, & siccissimus est. Tertio, quia quod putrescit, frigescit tandem, & à sua puritate remouetur. Ignis autem omnia consumat, & numquam frigescit.

Ad primum autem argumentum dicitur, quod putredo partis in viuente est quidẽ, sed non solum, sed etiam secundum totum, in elementis vero solum secundum partem.

Ad secundum conceditur, quod ignis possit aliquo modo à sua naturali dispositione amoueri per alterationem, & mixtionem aliquam, sed non corrumpi, vt accidit terræ, aquæ, & aeri secundum partem.

Ad tertium dicimus, nec in igne, nec in niue, nec in glacie posse esse vermes ex substantia illorum, sed si qui sunt, sunt, quia illis admiscentur quædam corpora mixta in illis resoluta, vel putrefacta.

Ad quartum dicitur, quod calor potest interire, non vt est in igne, sed vt in mixto, & quodam temperamento.

Ad quintum dicitur primo, quod sensus Phil. est aerem cum difficultate putrescere. Secundo dicitur, quod loquitur non de aere nobis proximo, qui de facili putrescit, sed de contiguo sphæræ ignis, qui ex maxima sua caliditate soluitur à putredine.

QVÆSTIO LXXXXVIII.

Vtrum recte sit definita putredo sic. Putredo est interitus eius, qui in vnoquoque humido proprius est, & naturalis calor, ab alieno calore, idest ambientis.

Videtur quod non. Primo. Generatio, & putredo sunt contraria, vt supradixit Phil. At contraria habent vnum communẽ subiectum, & dicunt vnam communẽ rationem genericam, sub qua sunt, quæ in proposito non potest esse nisi mutatio. Ergo sicut generatio dicta est mutatio, ita & putredo erat dicenda mutatio.

Secundo. Putredo est interitus totius mixti. Sed iste est totius substantiæ, & non qualitatis. Ergo dicenda erat interitus substantiæ mixti, & non interitus caloris, qui est qualitas.

Tertio. Aliter eam definit Galenus dum dicit 11. libro Methodi. cap. 8. Putredo est interitus totius substantiæ putrescentis, facta ab aliena caliditate.

Quarto. Probatur, quod male dicatur esse interitus proprij, & naturalis caloris. Nã hoc videtur solum viuentibus conuenire, & tamen Phil. videtur omnibus mixtis putredinem adscribere. Probatur assumptum, quia calor non viuentium est cælestis, & non connatus.

Quinto. Spiritus in interitu mixti deficiunt. At hi non dicuntur putrescere. Ergo putredo non est totius mixti.

Sexto. Nec proprius calor dicitur putrescere, cum putredo sit humidi non terminati à sicco.

Septimo. Multa sunt mixta valde arida, vt piper. Ergo putredo non erit in humido semper, nam & piper potest putrescere.

Octauo. Vna qualitas non est subiectum alterius, sed est substantia, vt dicitur in prędicamentis. Ergo male dicitur, quod putredo sit interitus caloris in humido.

Nono. Ambiens est aer, & locus putrefaciendi. At aer non est corruptiuus locati, sed conseruatiuus. Ergo male dicitur, quod putredo causetur à calore externo ambiente.

Decimo. Probatur, quod non sit à calore ambiente. Primo, quia multæ putredines fiunt hyberno tempore, & in locis frigidissimis vt sub polis. Ergo non tam fit à calore, quam à frigore.

Secundo. Quia simile à simili non corrumpitur. Ergo calor internus non corrumpitur ab externo, cum sint calores similes.

Tertio. Sic sequeretur, quod in Zona torrida, quę est calidissima plures essent putredines, quod tenetur falsum.

Quarto. Patet, quod qui febre putrida aggrediuntur non à calore, sed à frigore incipiunt plurimum affici. Ergo non est à calore.

Quinto. Quia in successu febris putridæ non minuitur calor, sed augetur.

Sexto. Quia in vulneribus reperitur putredo, & pus efficitur coctum dominante proprio calore, & non externo.

Septimo. Quia pulmo, vel alia pars interna putrescit quandoque, & tamen externæ partes seruantur illesæ.

Octauo. Etiam in Ethica febre naturalis calor à sua dispositione remouetur. Ergo hoc non est proprium putridæ.

Nono. Etiam in assatione, elixatione, & cōbustione calor externus immutat assata, &c. Ergo alijs competit.

Decimo. Si daretur homo supra globum Lunæ vbi non ascendit calor externus ad huc corrumperetur, & putresceret, vt docet Arist. 1. cæli, tex. 100. cum sit sua natura mortalis. Ergo putredo non est à calore externo semper.

Ad notitiam definitionis putredinis sciendū est primo, quod eius causa finalis terminatiua est interitus, proxima materia est calor naturalis corruptus in humido, materialis dicitur proprius, & naturalis calor, qui est ille qui succumbit, & ab humido superatur illum resoluente, quo resoluto fit putredo. Effectiua autem causa est externus calor qui faciendo fluuere humidum, & non terminando illud per siccum, euanescit tandem cum calore, & sic in putrefacto non remanet nisi propria frigiditas. Hæc autem definitio analogice conuenit putredini secundum totum, & secundum partem, vt qualibet illarum suo modo sit proportionaliter.

Ad primum autem dicitur, quod mutatio est commune genus putredini, & generationi remote, sed putredini proxime conuenit esse interitum, generatio autem non habet commune nomen proximum, nisi nugatorie velimus dicere, generatio est mutatio, quæ est generatio.

Ad secundum aliqui dicunt Arist. per calorem intellexisse temperamentum totius substantiæ, & non calorem de tertia specie qualitatis. At contra patet, quod calorem contraponit calori externo, & eum posuit in humido, quæ sunt qualitates. Alij dicunt, quod putredo dicitur esse interitus proprij caloris causaliter, idest causari ab eius interitu, non vero formaliter. Sed nec hoc quadrat, quia auertit verbum Arist. Dicitur ergo, quod putredo dicitur interitus caloris, vt est instrumentum vitæ coniunctum, vnde eo destructo mixtū interire intelligitur.

Ad tertium dicitur, quod definitio Galeni secundum substantiam consentit cum definitione Arist. vt testatur idem Galenus 2. de differen. febrium. Differt tamen, quia Galenus indicat temperamētum esse substantiam mixti, quod negat Aristot., sed vterque vt dixi consentit, quod sit interitus caloris naturalis in humido non terminato, facta à calore externo.

Ad quartum dicimus calorem non viuentiū esse influxum causaliter à cælis, sed subiectiue est in mixto putrefacto.

Ad quintum dicitur, quod spiritus stricte, & proprie non dicuntur putrescere cum sint calidi, & sicci, & accedant ad naturam ignis, late autem dicuntur putrescere secundum partem, recedendo à sua puritate, dum fiūt crassi, & humidi, vnde ex euntes ab oculis quarundam vetularum fascinant pueros, & interficiunt.

Ad sextum dicitur, quod putredo est caloris facta in humido non terminato, vnde calor est ille qui desinit.

Ad septimum dicimus, & si piper, & quædā alia

alia multum sint sicca, tamen retinent aliquid de humido. Et ita etiam dum aqua putrescit, & si sua natura sit frigida, tamen quia non est sincera participat de calore, & sic putrescit.

Ad octauum negatur maior absolute, quando vna qualitas potest aliam terminare, vt calor terminat humidum, & dum non terminat humidum, fluuit, & mixtum putrescit.

Ad minorem non dicitur id esse verum, quando habet cum eo proportionem, non sic autem habet aer externus, cũ eo, quod putrescit, vnde vt dispositum ad putrefactionem ad terminum reducit.

Ad decimum. Vgo Bentius, Gentilis Forliuiensis, & alij cum Auerroe 4. Meteoror. concedunt aliam putredinem inductam à frigore, de qua dicunt Arist. mentionem non fecisse, vt de minus nota. At hoc est falsum, quia resolutio est à calore, frigus enim nectit, & a re putrida sunt putridi halitus, quos res frigida cohibet. Dicendum est igitur, quod est triplex frigus. Primũ dicitur antecedens, & est frigus ambientis aeris. Secundum dicitur concomitans, & est frigus internum remittẽs calorem naturalem, & reddens illum imbecilliorem. Tertium dicitur sequens, & hoc est illud, quod sequitur putrefactum, quia per putrefactionem efficitur frigidum. Dicitur ergo ad argumentum, quod putrefactio facta in locis frigidissimis est à calore aliquo externo, qui per magnum frigus, ex antiperistasi coadunat calorem naturalem ad cor, & recludendo meatus, & vias spirituum, suffocat, & occidit.

Ad secundum dicitur, quod simile à simili, & sibi proportionato non corrumpitur, secus si excedat, vt in proposito.

Ad tertium dicitur, quod ille calor secum ducit magnam siccitatem, vnde cum parum humidi inueniat, nõ tãtũ putrefacit.

Ad quartum dicitur, quod improprie febris quædam vocatur putrida, quia non putrefacit de se mixtum, sed tantum aliquem humorem. Vbi scito febrem putridam habere quatruplex subiectum. Primum dicitur originale, & hoc est humor putrescens. Secundum dicitur formale, & hoc est spiritus qui incenditur. Tertium principale, & hoc est cor, quod alteratur, & quartum est adæquatum, & hoc est totum mixtum. Primo autem causat frigus, quia dum humor pituitę, & atrę bilis, quę sunt frigida alteratur, causat rigorem, cum autem calor super ea præualet, ea accendit, & causat magnum calorem, cum ebulliant tunc illi humores mali. Tertio. Humores communicant cum spiritibus cordis, & tunc est alteratio, & pugna inter hos, & si spiritus pręualent, secernunt hos humores, & concoquunt. Si pręualent mali humores, cadit vita.

Ad sextum dicitur, quod pus fit à calore naturali, sed putredo ab externo, nec inconuenit, cum separentur.

Ad septimum dicimus illud non esse inconueniens, quia malum potest fieri ab intrinseco, nam potest esse, quod ex humoribus grossis non detur transitus de externo ad interna. Vel quod excrementa in eam partem internam fluuant, vel quod lædatur ab aliquo malo humore interno. Sed hæc habent radicem, & causam remotam à corrumpente extrinseco.

Ad octauum dicitur, quod Diaria, & Ethica distinguuntur à putrida. Nam diaria collocatur in spiritibus, qui incenduntur, Ethica vero in humido naturali à calore præter naturam consumpto. At putridã diximus esse in pituita, & atra alteratis, accensis, & pugnantibus cum spiritibus cordis.

Ad nonum dico, quod combustio non fit à calore humido, & fluuente, vt fit putredo, sed fit à calore vehementi sicco impediente, & consumente fluxum humoris. Ita omnis coctio non est interitus proprij caloris, sed perfectio eius. Neque in ea proprius humor priuatur proprio termino, sicut in putredine.

Ad decimum dicitur, quod cum mixtum habeat in se contrarietatem, & sumat cibum diuersarum qualitatum, necesse est, vt tandem per resolutionem corrumpatur in quocunque loco, & tunc fieret corruptio à calore externo virtualiter, inquantum non posset manutenere humidum ne flueret. Sed & argumentum nihil valet, quia putredo sequitur interitum. Habeas autem frigus externum non putrefacere, sed congelare, & internum si fuerit vehemens, & cõgelet à putredine pręseruare, vt patet in metallis. Nec facit pro putredine, nisi inquantum constituit calorem naturalem imbecilliorem, cum debilitando, & frangendo.

QVÆSTIO LXXXIX.

Vtrum signa assumpta ab Aristot. 4. Meteor. ad probandam definitionem putredinis sint vera.

Septem signa assumpsit Arist. ad probandam definitionem putredinis sumptas ex his quæ in putredine apparent.

Primum est, quod dum internus calor ab externo vincitur, & humidum sicco non coercetur, redduntur mollia, sed deinde resoluta humiditate remanet fimus, & terra. Putredo enim sic fit. Calor enim naturalis dum fortis est humidum coercet, ne fluuat, & sicco illum terminat, sed dum ab externo debilitatur, frigus internum incipit præualere, & terminos caloris, & siccitatis dissipare, vnde humidum fluuit, vsque ad vltimam siccitatem mixti prioris. Quare hi gradus in putredine considerantur. Primus, calor externus multum excalefacit mixtum, & humidum quodã calore auget, vnde illud relaxat, & meatus putrefacit. Secundo, succedit tunc euaporatio caloris proprij, eum alieno familiariter iuncti. Tertio, perit calor naturalis, & augetur frigus internum. Quarto inde humidum destructo suo coercente, scilicet calore, propriam naturam consequitur, & sic fluuit, & rem putrescentem mollem reddit, & humidam. Tandem hac humiditate consumpta, restat puluis.

Sed dubitatur, quia si putrefactum resoluitur in fimum, cum fimus sit calidus, & humorem calidum includens, nõ erit frigus putrefacti.

Respondetur facillime, quod ille calor non est naturalis mixti putrefacti, sed resultat ex eius corruptione.

Secundum signum est, quod dum viget calor externus, vt in æstate, vel flante Austro citius res putrescunt, quam in tempore frigido. Ita hyberno tempore carnes magis seruantur immunes à putredine aeri frigido expositæ, quam in puteis, & cantinis, vbi per antiperistasim maior calor viget. Et ita dic, quod citius res putrescũt in locis maritimis, & conuallibus, quam in altis montibus, in quibus flant venti frigidi.

Sed contra. Primo, quia poma, & fructus exponuntur Soli calido, vt seruentur à putredine, & ita carnes fumo.

Secundo. Quia in ciuitatibus ad tollendam putredinem aeris accenduntur ignes, iuniperorum, pinorum, & vbi abundant ignes solet esse aer saluberior, & tamen augetur calor externus.

Tertio. Experientia docet contra Arist. hyberno tempore magis abundare febres putridas, quam æstate. Imò deficiente calore Solis, dum Sol accedit ad Austrum multę apparẽt putredines, decidunt enim folia arborum, herbæ putrescunt. Imò inter senium, & hyemem est magna conuenientia. Senium autem dicitur ab Aristot. via ad putredinem.

Quarto. Sub Zona torrida plures putredines fiunt hyeme, quam æstate, nam in æstate in ea non fiunt putredines, sed incendia.

Quinto. Quia Arist. 12 part. prob. 13. dixit Paleas suo calore externo maturare fructus, & non putrefacere.

Ad primum tamen dicitur, quod calor externus putrefacit quando facit fluuere humidum, nam humiditas est mater, & radix putredinis. Modo à Sole dissecatur humiditas fructuum, & non dissoluitur, vt in alijs, & hoc ex dispositione subiecti.

Ad secundum idem dicimus, nam si calor incensorum dissolueret humidum per fluxum, & non per maiorem constrictionem siccitatis generaret putredinem, sed oppositum facit. s. magis terminat humidum ne fluuat sua abundantia.

Ad tertium dicitur, id accidere non per se, sed per aliud. i. quia mali humores per frigus ad intra impelluntur, & tunc calore vigente interno eos dissoluit, & putridas generat, & eo magis si sumantur cibi crassi, & pituosi.

Ad alia dicimus cadere folia, & putrescere herbas, quia frigus viget supra calidum, vnde dissoluit humidum cum calore terminatum. Vnde non inconuenit dicere frigus incipere putredinem, & calorem terminare.

Ad id de senio dicimus senes esse frigidos, vt est hyems. Pereunt autem magis in initio Veris, quando Sol incipit aerem calefacere, & ipse agit in humores malos in hyeme congregatos, vnde exurgentes suffocant calorem.

Ad quartum dicitur, quod hyems in regione torridæ correspondet nostræ æstati, quia est

est multum calida, æstas vero est veluti ignis, multum incensiva, & exsiccatiua. Sed & dicimus propositionem Arist. esse intelligendam in regione temperata.

Ad quintum dicimus (quod etiam pro superioribus valebit) quod duplex est calor externus. Primus dicitur intemperatus, & humidi dissolutiuus, & hic est causa putredinis. Alius dicitur temperatus, & confortatiuus, seu concoctiuus, vt est in paleis respectu fructuum, & hic non ponitur causa putredinis, sed concoctionis.

Tertium signum adductum ab Arist. quod putredo causetur à calore externo est, quod ideo, quæ multum frigida sunt, vt glacies, & metalla non possunt putrescere, quia calor aeris externus non valet magnum frigus internum superare, quia semper ad putrediuem necessaria est victoria, & maior potentia in putrefaciente, quam in putrefacto, & hinc etiam est, quod multum calida non putrescunt, vt carbones, calx, sulphur, aromatica, & similia, quia aer externus corrumpens est debilior interno supradictarum rerum. Nam quod mouet, alterat, vel corrumpit, motum, alteratum, vel corruptum vincit.

Sed contra est. Primo, dictum eiusdem Aristot. 1. de gener. & 3. Phys. quod agens agendo, repatitur.

Secundo. Aristot. fecit supra putredinem communem omnibus mixtis, & modo ab ea excipit congelata, & valde calida.

Tertio. Quia idem non potest esse à contrarijs. Modo dicitur, quod putredini obsistunt calor, & frigus.

Quarto. Etiam nimia siccitas obsistit putredini, & tamen de ista nil dixit Phil. quod & dico de duritie, vt patet in ossibus, vnde Gal. dixit 11. de simplicium medicam. facultatibus corpora solida, & compacta resistere putredini.

Ad primum tamen dicitur, quod patiens reagit, sed reagendo in quod agit non vincit, vt de agente hic loquimur.

Ad secundum diximus putredinem fieri in omnibus, in quibus calor externus superare potest internum, & non absolute.

Ad tertium dicimus idem ratione diuersorum, nam calor iunctus multum sicco impedit putrefactionem, & imbibitus in multum humido eam causat. Sic siccum iunctum frigido eã necat, cũ humido nequaquam, vt patet in pituita, quæ cũ sit multum frigida, & humida facile putrescit, modo idem potest esse à contrarijs ratione diuersorum.

Ad quartum dicitur sufficisse Arist. posuisse quæ magis latebant.

Quartum signum, quod adducit Arist. est, quod quæ mouentur continuo non putrescunt, immota maxime, quia mobilia calor ambiens non obsidet, nec alterat, sicut quiescentia facit. Dicendum est enim, quod quæ mouentur minus putrescunt. Primo, quia minus subijciuntur motui externi alterantis. Secundo, quia per motum proprius calor augetur, perficitur, & purgatur. Tertio, quia per motum remouentur obstructiones suffocantes, consumuntur humores redundantes, & varia excrementa fecernuntur, vnde sic aquæ currentes puriores euadunt. Quarto, quia per motum partes mixti aptè, & facile fecernũtur, vnde dicit Albertus sanum esse cõsilium baculo miscere vina, vel mutare dum periculum est ne corrũpantur, quia tunc partes reuniuntur. Inordinatus tamen, & immoderatus motus causat putredinem, quia calorem naturalem incendit, & dat aditum ingrediendi externum, ex quo multum exercitati, vel moti, si sint maxime iuuenes, in febres putridas incidunt.

Sed contra. Aqua currit, & mouetur, & tamen non calescit, immo videtur frigidior aqua quiescente.

Secundo. Aristot. part. 22. prob. 4. dicit carnes, & fructus inclusa in vtribus plenis diu seruari, si vtres sint bene clausi, & obturati. Hoc autem est, quia magis stant immota, quam faciant in vtres non plenis supradictis.

Ad primum aliqui dicunt motum causare calorem in calidis, & frigus in frigidis, vt in aqua, separando calorem aeris. Sed tamen adhuc dicitur, quod aquæ currentes recipiunt aliquem calorem cælestem, & paludales aeris circumstantis, vnde primus nõ putrefacit, & secundus sic.

Ad secundum dicitur id non esse à motu, sed quia quæ sunt in vtre non pleno facilius recipiunt calorem externum, quam quę bene conclusa sunt, & densata in vtre pleno.

Quintum signum Phil. est, quod ideo multum minus putrescit quam paucum, quia multum plus includit caloris proprij, quã pau-

paucum, vnde citius alteratur, & magis ab extrinseco calore, quare facilius putrescit pars maris, quam totum mare.

Sed contra est primo propositio illa. Sicut pars ad partem, ita totum ad totum, & econtra. Ergo sicut se habet pars ad partem ambientis, ita se habebit totum ad totum ambiens, & sic erit eadem ratio actionis, & passionis.

Secundo. Supra Arist. dixit proprium frigus facere pro putredine, & modo maius frigus totius putredini magis resistere, & sic ab ea saluare.

Tertio. Quia experientia docemur, quod dum volumus aliqua citius putrescere ea coaceruamus, & accumulamus, vt frumētum, vinum, carnes, & similia, dum vero ea intendimus à putrefactione seruare ea secernimus, in partes secamus, & extendimus.

Quarto. Falsum est, quod mare, & salsa putrescant.

Sed ad primū dicitur, quod currit maior vbi eadē est ratio virtutis, & multiplicationis, talis autem non est in proposito nostro, in quo virtus vnita est fortior, & diuisa infirmior.

Ad secundum dicitur, quod minus facit pro putredine, dum ei non valet resistere, & econtra vbi eam superat, vt iam dictū est.

Ad tertium dicimus, quod propositionem intelligimus de toto continuo, & non de toto per aggregationem, vt adducitur in argumento. Secundo dicitur, quod valet de corpore in sua natura saluo, non in iam exciso.

Ad quartum dicitur, quod talia difficilius putrescunt, sed tamen si diuidantur in partes, putrida fiunt tandem.

QVÆSTIO C.

Vtrum animalia producta ex putri sint eiusdem speciei cum productis ex semine.

Vide quæstiones nostras, q. 1 of 8. Metaph.

Vtrum animalia perfecta possint ex putri generari, q. 11.

Vtrum genita ex putri sint à casu, q. 12.

Finis Secundæ Partis Vniuersi Elementaris.

VNIVERSI ELEMENTARIS PARS TERTIA.

In qua de his, quæ in spheris quatuor Elementorum fiunt, disputatur, à sphera ignis incipiendo.

QVÆSTIO PRIMA.

An ex terra, & aqua fint exhalationes.



Idetur quod non. Primo. Simile non generatur nisi à simili secundum Arist.2. de generat. At vnum elementum non est alteri simile. Ergo ab aqua, & terra non possunt esse vapores, & exhalationes, quę in aerem, & ignem conuertantur.

Secundo. Elementum de se solidum, & immobile, in aliud transmutari non potest, aliter non esset immobile, & solidum. At terra solida est, & immobilis, vt testantur scripturæ, & omnis Philosophia. Ergo non potest per exhalationem in aliud elementum transmutari.

Tertio. Hoc experientia docet. Ignis enim quamuis voracissimus sit, & actiuissimus, tamen terram in aliud conuertere non potest. Vt patet in igne deuorante ligna, qui cineres resoluere non valet. Et si terra frigida est, quomodo ex ea erit exhalatio calida, & sicca?

Pro explicatione huius quæstionis, quæ est introductio ad libros Meteororum Arist. quædam erunt scienda, & notanda. Deinde secundo loco conclusio probanda. Et tertio loco soluenda argumenta.

Quo ad primum ergo. Primo notandum venit, quod Meteoron Grece, Latine idem sonat, quod sublime, & eleuatum, quare libri Meteor. erunt de rebus sublimibus, & eleuatis tripliciter.

Primo, consideratione, nam cum impressiones Meteorologicæ admirandæ sint, causasque occultas, & supernas teneant, animum in sui admirationem rapiunt, & alliciunt. Hoc antiqui significare voluerũt, dum Iridem Meteorologicam impressionem dixerunt filiam esse Theumantis, idest admirationis, & triplici colore decorari, quia Meteorologica animos nobiles, & eleuatos in sui admirationem trahunt, & per sui cognitionem eos triplici scientia ornant. Physica, cognoscendo ista esse entia naturalia, mobilia. Mathematica Astrologica, penetrando causam, formam, figuram, & prognostica ex his. Et Diuina extollẽdo animum ad primum motorem, qui luce, & calore sydeium ista efficit, & format.

Secundo generatione, quia ista generantur in superioribus regionibus, supra terram existentibus.

Tertio causalitate, quia vt superiora, in ista inferiora influunt, & agunt.

Secundo. Notandum venit, quod impressiones istæ duplicem materiam habent. Prima dicitur remota, & ista est terra, & aqua, quia ab his duobus elementis potissimum sunt exhalationes. Secunda dicitur proxima, & ista per Arist.1.Meteor.cap.4. est vapor, & exhalatio, & ex his quandoque simul, & quandoque ex vno horum Meteora vniuersa oriuntur. Ex aqua autem est vapor, qui non est nisi spiratio calida, & humida sursum ascendens, vt videmus ex olla aqua plena, & igni apposita ascẽdere vaporem. Ex isto autem sunt nebulæ, rores, nubes, pluuiæ, niues, grandines, & his cognata. Ex terra autem est exhalatio, quæ non est nisi anhelitus terræ, calidus, & siccus, & ex ista sunt duæ impressiones. Prima est ardens, quia de facili in ignem, in cometas, & faces ardentes conuertitur. Secunda, non est tam ardens, sed est temperatior, & ex ista sunt venti. Primæ materia est terrea, solida, & dura,

dura, & vehementi Solis ardere in sublimiorem regionem aeris deducta. Secundæ, materia non est ita solida, & tenax, ex quo citius, & facilius calore Solis resoluitur, & in ventos redigitur.

Tertio. Notandum venit, quod vapor, & exhalatio conueniunt, & differunt.

Conueniunt primo, quod fumi speciem præseferunt, & imitantur. Secundo, quod sunt calida, non sua natura, sed virtute Solis, & syderum, quæ per calorem ista attenuant, & in Meteorologica transmutāt. Tertio, quod de sua natura sunt frigida, cum substantialem formam, aquæ, & terræ non amittant.

Differunt vero. Primo, ratione subiecti à quo sumuntur, quia vapor attollitur ab aqua, vel à locis humentibus terræ permixtis, exhalatio vero est à locis siccis, & terreis. Verum est tamen, quod aqua, & terra miscentur, & consequenter ab his permixtis potest humor, & exhalatio simul attolli. Sed cum fuerint in aeris regionibus secernuntur, quia vapor subsistet, & exhalatio altius tolletur.

Secundo. Differunt ratione qualitatū, quia vapor est calidus, & humidus, & exhalatio calida, & sicca, vnde Arist. exhalationē vocat ignē, quia potentia ad ipsum tendit, sicut vocat vaporem aerem, quia in aeris regionibus sistit, & in eis (dico medijs) & inferioribus mutatur.

Tertio notandum venit, quod cum in libris Meteor. agatur de impressionibus in elementis generatis, & ex ipsis deductis, omnisque scientia speculetur ens sub aliquo eius modo, si est scientia particularis, & si vniuersalissima vt est Metaphy. vt est ens, ideo in libris Meteorologicis considerabitur ens, vt est mobile per alterationem ad diuersa. Hæc enim ratio communior est, & proprior omnibus alteratis per Meteorologicas impressiones, quam sit ratio corporis mobilis simplicis, ad mixtionem venientis, vt annuit Albertus Magnus, vel ratio affectionum elementorum ex principijs externis prodeuntiū, vt tenuerunt Philoponus, & Olympiodorus. Vel ratio mixti imperfecti, vt plures ex recentioribus sustinuerunt. Vel ipsum Meteorologicum vt alij. Nam in subiecto tria sunt pensanda. Primum, quod eius ratio prædicetur de omnibus cōsideratis in scientia, qua ratione dicitur vniuersalissimū. Secundum, quod per illam rationem differat à quocunque alio, & per hoc dicitur proprijssimum. Tertium, quod sit passio nota subiecti, & per hoc dicitur potissimum. Istæ autem tres conditiones conueniunt enti mobili per alterationem ad impressiones Meteorologicas. Nam sic prædicatur de omnibus Meteorologicis, facitque per hanc rationem ista differre ab omnis alijs entibus mobilibus absolute, & sub hac, vel illę ratione, quia illorū mobilitas non est Meteorologia, hæcque ratio ducit nos in cognitionē omnium sic alterabilium, quare erit ratio subiecti.

Quarto notandum venit, quod Aristot. his Meteorologicis duo nomina attribuit. Primo enim ea vocat circularia, & quidem vt censeo. Primo, quia solent communia circularia appellari, ista autem communia sunt omnibus in terra viuentibus, quia ex qualibet regione Sol attollit vapores, & exhalationes, vnde in omni regione fieri possunt, magis, vel minus pro ratione abstractionis. Secundo, quia cæli reuolutiones sequuntur, ex diuersoque motu circulari Solis, & syderum constituuntur. Tertio, quia per quatuor anni tempora semper cū regressu solent variari. Quarto, quia multa circuli formam præseferūt, vt Iris, Corona, Grando, Turbo, & similia. Quinto, quia multæ harum impressionum cum sursum ascenderint, tandem descendunt, & si non in mole, in influxu, & qualitate.

Secundo, ea dicit inordinata ratione primi elementi, idest cæli, quod dicitur elementum, vt elementum idem est, quod vltimum, non vt idem sonat, quod corruptibile, & alterabile, saltem secundum partem. Nam quæ pendent à cælo, in duplici sunt differentia. Quædam enim ab eo pendent inuariabiliter, vt ortus, & occasus syderum, varietas dierum, & noctiū, ordines temporum, & similia. Quædam vero ab eo sunt cum maxima variatione, vt ariditates, pluuiæ, sterilitates, vbertates, & his similia, & ista dicuntur à cælo esse inordinate, idest sine regula, quæ sit certa, & inuariabilis. Meteorologica ergo sunt inordinata. Primo ex parte temporis, quia plurima in omni tempore fiūt. Secundo ex parte figuræ, quia figuram multum variant. Tertio, ex parte magnitudinis, & vehementiæ, vt patet in terræ-

motu,

motu, pluuia, ventis, & alijs similib. Quarto, ex parte modi, quia incensiones, pluuiæ, tempestates, venti &c. non fiunt semper eodem modo, sed cum multis alijs varietatibus.

Quinto notandum venit Meterologica habere suas causas. Causam materialem diximus esse vaporem, & exhalationē, quæ & seorsum, & simul esse, & misceri possunt, cum hoc tamen, quod halitus calidus, & siccus semper aliquid humoris includat, cū humor sit materia incensionis, & eo extincto, flamma extinguitur. Et ita halitus calidus, & humidus insertas tenet quasdam partes siccas, actione caloris productas, ex quibus sunt corruscationes, & fulgura.

Causa eius effectiua duplex est. Prima dicitur principalis, & ista est virtus cæli, & syderum, & præcipue Solis, qui sua luce, & calore corpora inferiora alterat. Secunda dicitur instrumentalis, & ista est qualitas immediate operans ad impressionem, quæ si est frigida, generat impressionem frigidam, si calida calidam, & sic discurrendo. Illi vero, qui dixerunt eas à calore reuerberate in altum eleuari, male locuti sunt. Primo, quia calor de se non est principiū motus. Secundo, quia virtuti datur hæc præeminentia, & non rei ex se.

Causa formalis impressionum istarum est diuersa eorum figura, colores, magnitudines, & similia, sub quibus fiunt, sunt, & videntur.

Finis est conseruatio connexionis inferiorum cum superioribus, expurgatio aeris à multis qualitatibus, ne aer vapore, & exhalatione diu durante, & permanente corrumpatur, & sic etiam animalia interficiat.

Conclusio ergo est. Ex terra, & aqua sunt vapores, & exhalationes. Probatur. Virtus Solis est actiua, & resolutiua, & ad se tractiua, quantum potest. Ergo educit ab humidis, & siccis cum humido vapores, & halitus, qui cum non possint spherā ignis transire oportet, vt in inferiores aeris regiones resoluantur.

Ad primum dicimus ad maiorem, quod simile generatur à simili, vel formaliter, vel virtualiter. Modo in elementis sunt virtutes, & proportiones, per quas in mixto veniunt, & sic transmutantur.

Ad secundum dicendum, quod non terra, sed exhalatio terræ est illa, quæ mutatur in Meteorologicum. Verum est tamen quod Olympiodorus in Meteoror. lib. 1. lect. 5. concessit ex sola aqua ascendere vaporem, & non ex terra, motus tertio argumento, sed errauit, quia vapor aqueus in igneam impressionem conuerti non potest, sine magna difficultate, vnde danda est exhalatio calida, & sicca, quæ sit disposita ad ignitum cometā &c. Nec officit exemplum de cineribus, quia si non consumuntur, propterea est, quia sunt siccæ, & omni pinguedine priuatæ, pinguedo autem est pabulum ignis.

QVÆSTIO II.

Vtrum vapores, & exhalationes specie distinguantur ab elementis à quibus erumpunt.

Videtur quod sic. Primo. Nam elementum, & mixtum specie distinguuntur. At terra, & aqua sunt elementa simplicia, vapor vero, & exhalatio quid mixtum, ex vaporibus, & exhalationibus. Ergo specie distinguuntur.

Secundo. Arist. 2. de generat. tex. 28. ait fumum esse exhalationem constantem ex aere, & terra. Sed fumus cui Meteorici vapores, & exhalationes assimilantur, est quid specie distinctum à terra, & aqua. Ergo &c.

Tertio. Calidum, leue, & rarum, specie distinguitur, à frigido, graui, & denso. Sed vapor, & exhalatio sunt leuia, rara, & calida, terra vero, & aqua frigida, grauia, & densa. Ergo specie distinguuntur. Sequela probatur. Quia propriæ passiones indicant naturam cuius sunt passiones ab ea fluentes.

Quarto. Halitus rei non est res ipsa, sicut odor rosarum, & carnium, non est rosa, vel caro. At vapor, & exhalatio se habent vt halitus elementorum. Ergo &c.

Quinto. Nihil conuertitur in seipsum, quia conuersio est generatio, & idem non generat seipsum. Sed per Arist. 1. Meteor. cap. 9. vapor conuertitur in aquam. Ergo differt specie ab aqua.

Sexto. Quæ non differunt specie, nec etiam differunt proprietatibus, & qualitatibus proprijs. At vapor differt ab aqua, quia est calidus, & aqua frigida, vnde magis accedit

accedit ad naturam aeris, qui est calidus. Et exhalatio differt à terra cum pariter sit calida, & terra frigida. Ergo specie distinguuntur.

Circa hanc difficultatem inuenio tres opiniones.

Prima est Philoponi 2. de gener. comm. 18. & Auerrois dicentium, elementa, & vapores exhalationesque distingui specifice hoc modo, quod elementa sunt corpora simplicia, vna forma contenta, at vapores sunt mixta, in quibus sunt adunatæ multæ formæ substantiales elementares, non in esse perfecto, sed refracto, & imperfecto.

Sed hæc opinio multa falsa continet.

Primum, inquantum ponit plures formas substantiales in eodem mixto, quod in 8. Metaphys. reiecimus.

Secundum, quod ponit qualitates elementares esse elementorum formas, quod pariter explosimus supra, in secunda parte huius operis.

Tertium est, quod distinguãtur specie, quod modo reprobabimus.

Secunda ergo opinio non cognoscit plures formas substantiales in vaporibus, & exhalationibus, tamen tenet distingui specie ab elementis, à quibus sunt.

Sed & ista est falsa, vt modo probabimus, & si nos alibi in gratiam Bannes ad eam declinauerimus.

At tertia opinio vera est Alberti Magni lib. 1. tract. 1. cap. 7. primi Meteor. Louaniensium, & Conimb. in 1. Meteor. s. quod vapor, & exhalatio non distinguuntur specie ab elementis, à quibus abstrahuntur.

Probatur ergo primo. Illa quę de facili trãsmutantur, non essentiali, & specifica differentia sunt distincta, sed tantum accidẽtali. At videmus vaporem de facili in aquam conuerti, & exhalationem in terreum, vel lapideum. Ergo.

Secundo. Videmus vaporem in aquam, vel quid aqueum se conuertere in regionibus aeris. Ergo non erit nisi aqua.

Tertio. Idem testatur Arist. 1. Meteor. c. 3. vbi dicit vaporem esse aquæ sectionem. i. partes aquæ segregatas.

Ad primum dicitur ad maiorem, quod duplex est mixtum. Primum per generationem vnius, cum alterius corruptione substantiali, & hoc distinguitur specifice ab elementis ex quibus coalescit. Secundum per solam accidentariam alterationem, & mutationem, vt aqua conuertitur in vaporem, & iterum in aquam reuertitur, & sic exhalatio fit humor terreus, & densus, & hoc mixtum non distinguitur specie ab elemẽtis ex quibus fit, & tale est mixtum meteoricum.

Ad secundum negatur minor, nam fumus cõstat ex partibus terrestribus, & aereis, & ratione partium terrestrium nõ differt essentialiter, sed tantum accidentaliter à terra, & ratione aerearum est idem specie cum aere.

Ad tertium negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod leuitas, raritas, & caliditas alicui possunt dupliciter conuenire. Primo ab intrinseco, vt propriæ passiones, ab essentia manantes, & sic arguunt specificam differentiam à graui, &c. ab intrinseco. Secundo ab extrinseco, in quantum virtute extrinseci, accidẽtalem adipiscuntur leuitatem, &c. vt faciunt meteorica, & sic non inferunt distinctionem essentialem, sed accidentalem.

Ad quartum Conimbr. vt supra concedunt quosdam halitus mixtorum. i. illos qui nõ redeunt in priorem substãtiam distingui specie à mixtis, à quibus sunt, non vero qui in eandem substantiam redeunt, vt fumus in quem argentum viuum conuertitur, & deinde in argentum viuum regreditur, & halitus elementorum in elementa. At ego censeo falsum halitus, & vapores mixtorum distingui specie ab eis à quibus sunt. Primo, quia fumus non reuertitur in substantiam ligni à qua est, & tamen secundum eosdem Conimbr. in eadem quæstione, non distinguitur specie ab eo à quo est. Secundo, quia distinctio specifica pẽsatur ex intrinsecis, & non ex impedientibus, quod enim odor rosæ, vel carnium in rosam, vel carnem non conuertatur, non est disparitas naturæ, & pro priæ qualitatis, quia semper est odor rosæ, vel carnium, & non alterius rei, sed prouenit, quia euaporat, & defluit tandẽ, cum à proprio subiecto decedat, non ad permanentiam, sed ad anichilationem.

Ad quintum dicimus ad maiorem, idem differens a seipso solum accidentaliter posse conuerti in seipsum, facta tantum mutatione accidentali, vt contingit in vaporibus, & exhalationibus.

Ad sextum dicimus illam qualitatem non profluere a natura, sed ab extrinseco in Meteo-

Meteoricum imprimi, & ideo non variare naturam essentiali differentia perpetua, sed tantum accidentali terminatum.

QVÆSTIO III.

Vtrum in aere ac alijs locis elementorum possint generari Meteorica.

VIdetur quod non. Primo. Causa in actu habet effectum proprium in actu. At aer sua natura est calidus, & agit in omne illud quod ab ipso tegitur, & circundatur. Ergo calefaciet vaporem ad se reductum, & non sinet illum in frigidum metoricum conuerti.

Secundo. Nullum violentũ potest esse perpetuum per Arist. 1. cæli text. 18. At aer sua natura est calidus. Ergo in media regione sua, in qua plura meteorica ponuntur gigni, non erit perpetuo frigidus, & ex sua frigiditate ad impressiones meteoricas cooperatiuus.

Tertio. Res leuior sua naturali proprietate supra grauiorem ascendit, & illa descendit sub ea. At frigidum est grauius calido, si ergo. Secunda aeris regio in qua pluuiæ, &c. ponuntur fieri, est frigidior aere, in inferiori regioni existente. Sequitur quod ille aer descendat, & noster ascendat, quod ponitur falsum.

Quarto. Sæpe visi sunt milites in aera pugnantes, & auditi strepitus armorum, vt narrant Historici. At ista quomodo ex aere, vapore, vel exhalatione generari possint, non apparet. Ergo quod negatur de istis, etiam de alijs negandum erit.

In contrarium stat totus labor Arist. in libris Meteororum.

In enodationem huius quæstionis. Primo notandum venit, hoc nostrum vniuersum à Summo omnium opifice creatum, mirabili, & ineffabili ordine esse dispositum. Sic quod superiora in inferiora agãt subordinate, & ordinatione quadam.

Vnde corpora cælestia, & elementa in ista inferiora operantur, secundum quod suscipientibus eorum actiones conuenit, cum vnumquodque recipiatur per modum recipiẽtis. Hoc est igitur illud, quod Arist. docet 1. Meteororũ dũ dicit. Necesse est mundum hunc inferiorem continuum esse (idest contiguum) lationibus superioribus, idest necesse est elementa esse contigua corporibus cælestibus, quia agẽs tangit illud in quod agit saltem, immediate. Vnde cum Luna sit infimum planeta, opus est vt tangat superficiem connexam sphæræ ignis, & sphæra ignis, spheram aeris, & sphæra aeris, spheram aquę, & spheram terræ, eo modo quo supra explicuimus ista elementa, & corpora cælestia esse ordinata.

Secundo. Adnotandum venit, quod ad generãdum meteoricum sunt duæ conditiones necessariæ.

Prima est, quod materia à qua est sit euaporabilis, cum non sit nisi vapor, vel exhalatio. Aliquid vero dicitur euaporabile quando in se continet partes quasdam tenues, & quasdam grassas, & terrestres, vel densiores, quia euaporatio non est nisi separatio partium subtiliorum a crassioribus, vnde hæ partes subtiles ascendunt, vel visibiliter, vel imperceptibiliter in altum, & crassiores remanent in suo elemẽto. Hinc ignis non euaporat, quia secundum se est totus subtilis, & tenuis, & ita aer, quia quamuis, vt dicit Magnus Albertus 1. Meteor. tract. 1. c. 9. teneat partes subtiliores, & crassiores, tamen cum omni vapore, & exhalatione comparatus subtilior est, & tenuior. Ex sola igitur aqua, & terra abstrahuntur vapores, & exhalationes, quæ sunt materia Meteoricorum.

Secunda est, vt vapores in loca idonea, & proportionata ad generandam impressionem meteoricam conducantur virtute caloris.

Tertio ergo notandum venit, quod duo sunt tantum loca, in quibus ista generari possunt. Primus locus est terra. Terra enim sua natura frigida est, & sicca, sed cauernosa, & fungosa in aliquibus partibus, & in alijs solida, & concreta, & in alijs sulphurea, & bituminosa. In locis cauernosis eius concussiones, & terremotus fiunt, in solidis puris nihil, in spungiosis, & sulphureis voragines, & hiatus ignium ex terra irrumpentium. Vbi est humida sunt scaturigines, & fontes aquarum, &c. vt suo loco dicemus, ex proprietatibus enim quas possidet, diuersa producit.

Secundus locus est aer, in quo fiunt, quæ vere, & proprie meteorica appellantur. At vt clarius hoc fiat.

Quarto notandũ venit, quod regio, & sphera aeris in tres regiones diuiditur, scilicet in

in infimam, mediam, & supremam. Infima est illa, quæ a superficie terræ, vel maris incipit, & vsque ad illam partem tendit, quæ ex reuerberatione radiorum Solis non calescit, quare totum illum spaciũ aeris, quod potest ex repercussione radiorum solis calescere, erit infima aeris regio. In quo considerandum venit, quod ei non potest certa mensura præfigi, quia dato quocunque alto monte, a radijs Solis percusso, ex eius repercussione potest fieri reuerberatio, & exhalatio quædam, & si ab alia causa possit impediri ne sortiatur effectum. Media est illa quæ inter hanc infimam, & supremam aeris regionem collocatur, & in hac præcipue (vt dicemus) Meteorica, quæ ex vapore ortum ducunt, generantur. Tertia incipit ab vltima superficie mediæ, & vsque ad spheram ignis ascendit. Hanc quidã volunt attingere mõtẽ Olympũ in Thessalia, vel Cipro, & Athonis in Macedonia, pro signo adducentes, qđ ibi cineres relictæ per totum annum nec ventis efflantur, aut dissipantur, nec imbribus eluuntur, vnde dixit Lucanus. Nubes excedit Olympus, pacem summa tenent. Et D. Aug. libro 3. de Genesi ad literam c.2. tradit in summitate mõtis Olympi, aerem esse adeo tenuem, vt nihil valeat sustinere, nec pro respiratione sufficere, vnde qui causa sacrificandi, vel sydera contemplandi illum ascendunt, solent secum spongias aqua plenas deferre, vnde fugant humorem ad refrigerandum cor, aliter ob summam illius aeris tenuitatem, & siccitatem viuere non possent. At ista potius per hyperbolem dicta esse credo.

Quinto notandum venit, quod de tota sphera aeris in tres regiones diuisa, vt supra bifariam loqui possumus. Primo, vt aer secundum se est elementum a ceteris distinctum, & suis naturalibus qualitatibus præditum, & sic dicimus aerem esse natura sua calidum, & humidum, & per hoc à ceteris elementis distingui, & in suo esse constitui, vt supra ostensum est. Secundo, vt ab extrinseco potest alterari, & a sua naturali dispositione amoueri, & ita diuersa subijt.

Nam infima eius regio, quæ terram tangit dum ea Sol, cum alijs astris directis, vel minus obliquis radijs ferit, tunc maxime calescit, vt patet in Aestate dum Sol supra Zenith capitis nostri magis extollitur. Dum vero terram radijs obliquis respicit, & reuerberatio intensa ex consequenti deficit, vt fit dum Sol est in signis Australibus, & maxime in Capricorno, tunc parum calescit, & multum frigescit.

Media autem aeris regio ab externo quoque & ipsa frigida est accidentaliter, & hoc. Primo, quia cum aer à super ori sua regione igni contigua accendatur, & ab infima quoque ex reuerberatione Solis calefiat, eijcit frigus suum per antipheristesim ad mediam regionẽ quam calor ignis non attingit, nec infima regiõ per reuerberationem eam pertingit, & ideo illa regio frigida fit. Secundo, quia cum vapores à calore sursum tollantur, & quousque in eis calor viget, ad suam naturam non conuertantur, euenit, quod cum ad illam secundam aeris regionem ad quam non ascendit calor ex reuerberatione ascẽderint, ad suam naturam reducũtur, & ad suum naturale frigus se reducunt, & sic aerem circumfusum refrigerant. Tertio, Parisienses, & Iauellus tertiam causam adducunt, scilicet planetas magis frigidos in hanc regionem mediam, magis influere, & ita illam infrigidiṫare; sed qua ratione moueantur ad ponendũ frigidos planetas in hanc singulariter operari, & non alios virtualiter calidos, præcipuè Solem omniũ inferiorum influxuum dominum, & patrem, ignoro.

Tertia autem regio igni vicina feruet. Primo quia est igni vicina, & ex consequenti de eius caliditate, & siccitate participat. Secundo ob quasdam flammulas ab igni non numquã decidentes, (vt quidam ex proprio capite dicũt) cum sphera ignis sit conglobata, & tota in se recollecta, nec admittat superflua. Tertio, quia ad eam vsque exhalationes calidæ, quæ non potuerunt in secunda aeris regione resolui ascendunt, & vlterius cum non possint procedere, eam calefaciunt. Quarto, quia accenditur ex circumuolutione continua, & velocissima cælorum, & spheræ ignis.

Sexto notandum venit, quod sufficientia impressionum metheorologicarum sic potest haberi. Omnis meteorica impressio, vel generatur ex vapore, vel sine vapore.

Si sine vapore, vel est secundum Arist. antiquum in cælo, & sic erit Galaxia, vel in aere, causata ex reflexione radiorum solis,

lis, vel aliquarum stellarum, & sic erit Iris, & Halo.

Si fit cum vapore, vel ex vapore simplici, idest non incluso in alio vapore, vel ex incluso in alio, qui propterea poterit dici vapor compositus.

Si ex simplici, vel erit ex vapore calido, & sicco inflammato, & sic erit cometa, & A sub. Vel ex humido, aqueo, & frigido & sic erit ros pluuia, vel nix, si ex sicco frigido terrestri, erit ventus, vel terræmotus.

Si sit ex composito. Vel vapor siccus terrestris inclusus in vapore humido per magnam agitationem inflammatur. Vel non. Si primum, erit tonitruum, vel fulgur. Si secundum, si exit cum impetu erit ventus turbinis. Sed de his seorsum exactius dicetur suis locis proprijs.

Conclusio ergo est Dantur Meteorica Probatur. Vbi adest materia, non deest forma, adsunt efficiens, & finis, illud tale possibile est fieri. At Meteorica habent pro materia vaporem, & exhalationem, pro forma diuersas figuras, pro efficiente calorē, pro fine terminationem rei, vt supra explicatum est. Ergo Meteorica sunt possibilia.

Ad primum iā dictum est, quod ab intrinseco aer est calidus, & humidus, & calefacit, & humectat, non ab extrinseco, vt supra.

Ad secundum dicitur, quod quamuis aeri, vt aer est sit violentum esse frigidum, tamen vt subest altiori vniuersali naturæ, non est ei violentum, sed connaturale, sicut & igni moueri circulariter in sua sphera, & si ex se sursum tendat.

Ad tertium dicimus tertiam regionem aeris esse concretiorem, & ideo grauiorem, Vel si secunda esset grauior, staret, quousque in Meteoricum reducta descendat.

Ad quartum dicendum, quod portenta dupli cem causam habere possunt. Primo naturalem, saltem materialem, quæ non erit nisi magna copia exhalationum calidarū, & siccarum, quæ postea vel Dei Imperio, vel Angelorum, vel Demonum ministerio in horribilia portenta conuertuntur, vt videre licet apud Pliniū, Suetonium, Iosephum Iudæum, & alios. Secundo diuinam, nam sæpe diuina voluntas loquitur per cælos, & elementa, vt homines arceantur à via sua mala. Ista enim solent magnæ alicuius calamitatis esse indicia, vnde etiam antequam veniat dies domini magnus, & manifestus, erunt signa in Sole, Luna, & stellis, &c. vt dicitur in euangelio.

QVÆSTIO IV.

An possint generari Meteorica ignita.

Videtur quod non. Primo. Nam ignis est maxime actiuus, & consumptiuus, & eo amplius, si est magnus, vt ille qui est in sua sphera, & tanto plus si materia in quam agit est tenuis, & subtilis, vt sunt vapores, & exhalationes. Ergo incōgrue dicitur, ignem accendere vaporem, & illum in ignitum meteoricum conuertere, & in illum etiam per multos dies sine eius consumptione agere, vt dicitur de Cometa.

Secundo Frigus, & humidum semper calidum attemperant, & si fortia sunt extinguunt. At secunda aeris regio frigidissima est, & humida. Ergo cum exhalatio ad eam deuenerit, infrigidabitur, & humectabitur, & sic non ascēdet vsque ad spheram ignis, vt ibi fiat ignitus Cometa, &c.

Tertio. Si supra aerem esset ignis, qui accenderet Cometas, quomodo ibi non lucet, & Cometa sic?

In contrarium est Arist. 1. Meteororum, cum omnibus eius expositoribus, qui enunmerando impressiones ignitas has dicunt. Flamma, Capræ saltantes, Lancea, Sydera discurrentia, Stellæ cadentes, Ignis perpendicularis, Ignis fatuus, Ignis lambens, Draco volans, Castor, & Pollux, Helena, Fulgura, Fulmina, & Cometæ. Stipulæ ardentes, Fax, Trabs, & Lampas.

Sciendum est ergo primo, quod igneæ incensiones ob multas causas fieri possunt.

Primo per eorum velocem, & celerem motum, constat enim motum velocem rotarum ferū ignire, & lignis etiam inustionem afferre. Verum est tamen vt notauit Arist. 1. Meteororpm cap. 4. quod quamuis quædā ignita meteorica videantur quandoque velocitate sua, Solis, & Lunæ motum anteire, non tamen ita est, vnde hoc euenit, qa ex eorū propinquitate certius, & accommodatius eorum motus cernitur, quam superiorum syderum.

Secundo possunt generari ex repercussione radiorum, sicut etiam cernimus radios ex speculo concauo reflexos, ignem ciere.

Tertio propter vicinitatem quam adipiscun-

tur ad speram ignis, cum non sint ex vapore in secunda aeris regione transmutabile, sed ex exhalatione sicciore, & difficilius transmutabili:

Quarto per violentas partium ignis in pressiones in aerem, modo dicendo.

Et Quinto per antiperistasim, vt in nubibus, per frigus ambiens, fumus inclusus accenditur. Quinto autem hoc modo solent incensiones apud nos, seu in maiori ad nos vicinitate fieri, & etiam secundo modo, idest ex repercussione radiorum. At quando sunt ex celeritate motus, & vicinitate ad spheram ignis fiunt in suprema aeris regione. Et quarto modo in media, vt suis locis videbitur.

Secundo. Notandum venit, quod ista ignita multipliciter differunt. Primo magnitudine, quia quędam sunt exigua, & quędam magna. Secundo Figura, quia alia rotunda, alia quadrata, alia oblonga, & alia, alia forma sunt. Quæ autem sunt angularia longius cernuntur, & longhæ videntur, quia distantia impedit ne angulorum eminentia videatur, vnde etiam est, quod qui à longe turrim quadratam intuentur, eis rotunda videtur, quia anguli non bene ex longinquo videri possunt. Tertio differunt colore, quia quædam sunt fumida, & obscura, ob densitatem, alia vero alijs coloribus distincta, propter dispositionem materiæ illorum. Quarto differunt motu, quia quædam mouentur circulariter motu raptus, quædam sursum feruntur, quia naturale est ignitis sursum tendere, quædam ad latus declinant propter occursum corporum superiorum, & alias causas prohibentes motum rectum. Quędam veloci gradu procedunt, & quædam lento gradu, nam quidam Cometæ lente incedunt, & sydera cadentia magna rapiditate. Quinto differunt loco, quia quædam generantur in suprema aeris regione, quædam in media, & quædam in ima, & quædam in terræ visceribus, in omnibus enim locis sub Luna existentibus generari possunt. Non vero in cælo, vt docet Arist. 1. Meteor. quia sic non apparerent velocia in motu, & quia si vere stellæ aut partes illarum caderent, tandem vt arguit Seneca lib. 1. nat. hist. in nihilum decidissent, & tamen semper remanent eiusdem lucis, formæ, figuræ, & motus. Essentque corpora cælestia corruptibilia, quod repugnat veritati, & Aristot. 1. cæli, cap. 3. Sexto, differunt duratione. Nam quædam subito fiunt, & euanescunt, quædam diu durant, quædam de nocte apparent, & quædam de die, & si raro, quia & si sint in cęlo, tamen maiori Solis splendore offuscantur.

Tertio. Notandum, quod & ista meteorica ignita habent suas causas. Efficiens principalis sunt astra. Instrumentalis calor, frigus circumstans, & motus, vt supra dictum est. Materialis est exhalatio, & proxima, remota natura terræ à qua est. Formalis, quæ ex sui natura eis debetur, & sub qua apparent. Finalis, est purgatio aeris ab his noxijs exhalationibus, nam per ignem consumuntur, & si in consumptione venenum suum diffundant.

Item est manifestatio diuinæ iustitiæ futuræ, quia solent, fere semper esse pronuncia alicuius magnæ calamitatis. Item alij etiã addunt finem esse vlterius naturæ æqualitatem, quia enim in hyeme calor remissus est, hinc in vere, vel alia anni differentia fiũt ignita exhalationes, vt omnia suas partes teneant. His ergo generaliter notatis ad singularia descendamus.

DE VIA LACTEA.

Quoniam de via lactea disputauimus in vniuerso nostro cælesti, ideo multis omissis, vt quod sit iter Deorum iuxta illud Ouidij Metamorph.

Est via sublimis, cælo manifesta sereno,
Lactea nomen habet, candore notabilis ipso.
Hac iter est superis, ad magna tecta tonantis.

Vel quod sit via lactis Iunonis, vel Opis conspersa. Vel via in qua Apollo contra Gigantes pugnauit, Vel via Animarum, sedes Heroum, circulus Beatorum. Vel via S. Iacobi de Galitia, idest ad ipsum ducens, secundum diuersa dicta antiquorum, nullam firmitatem habentium. Restat dicendum, quod non est circulus cæli, sed quædam Zona, latitudine prædita, secans cælum in duo Hemisperia, per signa Geminorum, & Sagittarij, & deinde in alia medietate inferiori reuertitur à signo Sagittarij ad signorum Geminorum, conficiendo quasi vnum circulum ad modum Zonę. Verum est tamen quod & alia apparet

versus

versus Aquilonem, quę nec circulum constituit, nec semicirculum, sed est veluti plures nubes sparsæ versus Aquilonem, non contiguæ, sed hinc inde intercisæ. Vt diximus ergo hęc est in octaua sphera, & nascitur ex minutissimis stellis, se lumine repercutientibus, cũ stellæ sint partes dēsæ, & non diaphanæ, sicut sunt cæli sole inferiores, per quos eius lumen ad nos descendit. Lexque non est qualitas elementaris, quæ sit in subiecto corruptibili, sed est qualitas spiritualis etiam corporibus incorruptibilibus conueniens. Tene quoque secundum antiquum textum Aristot. eam in octaua sphera collocasse, quãuis textus nouus, aliud dicat.

De Flamma, & Face.

Flamma, seu Fax apparet, cum exhalatio multa, in longum, & latum distenditur, & est ita subtilis, vt tota possit inflāmari, & ita quandoque tanta luce, vt videatur de nocte, diem facere.

De Capra Saltante.

Secundo solent apparere exhalationes in aere, veluti Capræ saltantes. Ad formationem autem istius figuræ hæc sunt necessaria. Primum, quod materia exhalationis magis sit in longum, quam in latum protensa, vt possit formare corpus Capre. Secundum, quod non sit interrupta, quare non approbatur opinio dicentium has figuras fieri ex diuersis exhalationibus distinctis, & iunctis solum subtilioribus partibus se inuicem celeriter flammam communicantibus, nam ista communicatio est interrupta, non autem sic apparent illæ Capræ, & si apparent, cum interruptione verum dicunt. Tertium est, quod quædam exhalationis partes distendantur veluti fila, vt faciant apparere comas, & barbam Capræ.

Dictæ autem sunt istæ incensiones Capræ saltantes, quia ex vehementia caloris in materiam exhalationum operantis, inueniendo in partem resistentiam per aerem insiliunt, atque saltant.

Quo etiam modo Medici pulsum salientem Caprinum vocant. Vel vt dicunt Olympiodorus, Philoponus, & alij, quod in hac exhalatione videtur forma Capræ, quia appendices eius emicantes, villorum ac barbulæ caprę in morem, a reliqua materia pendent.

De Lancea, & Trabe.

Solet quandoque exhalatio crassa sicca, & calida in altitudinem attolli, & quasi immobilis stare, & tunc cum accenditur, formam Lanceæ, iaculi, vel trabis ostendit.

De Syderibus discurrentibus.

Sydera discurrentia, & cadentia oriuntur quo ad locum in infima aeris regione, vel media, quoniam ex antiperistasi frigoris exhalationi sursum ascendentis obsistenti nasci solent. Exhalatio enim ascendit, & si ad longum protenditur, & accenditur, cum continua successione, fit, quod dum vna pars alteri ignem celeriter communicat, accenditur, sicut si lucerna ardens super de recente extincta & adhuc fumante superponitur, fumo lucernæ extinctæ accenditur, & ita accendit lucernam iam extinctam. Et quia illa exhalatio solet conglobari, ideo accensa, & per frigus secundæ regionis aeris deiecta, videtur sydus cadens. Potest autem, & in latus tendere, & deorsum directe descendere, prout accidit illam moueri à frigore obsistente per antiperistasim.

Secundo dum magna multitudo harum stellarum discurrentium in aere cernitur, vēti validi expectantur, nam eadem est materia ventorum, & horum syderum, nisi quod materia minus crassa in ventos conuertitur, & crassior modo dicto, vel alio accenditur. Quod si ex diuersis mundi regionibus exiliant, plures venti portenduntur, qui aerem turbabunt.

Si autem quæras quomodo videantur longũ iter conficere, & tamen de superna aeris regione non veniant. Respondet Seneca 1. nat. quæst. c. 14. visum in hoc allucinari, ex velocissimo eius motu, sicut etiam hoc modo allucinatur in longo tractu fulminis.

De Igne perpendiculari.

Qvarto solet etiam in aere comparere ignis ad modum perpendiculi stantis, vel in formam Pyramidis, vel columnæ perpendicularis, in quibus figuris duo con-

concurrunt. Primum est, exhalatio calida, & sicca. Secundum est diuersitas in hac materia, nam partes subtiliores ascendunt, & crassiores deorsum manent, vnde figuras antedictas formant. Pars enim inferior figuram basis ostendit, & superior, pyramidis, &c.

DE IGNE FATVO.

SOlēt in infima aeris regione videri quandoque quædam candelæ, vel cærei ardētes, homines de nocte ambulantes, quandoque præcedentes, aliquando insequentes à latere, & retro eos sequentes, & etiam sæpe in mortuorum cimiterijs, & sub patibulis morte punitorum, quæ Meteorica vocantur ignes fatui. Ista enim primo sunt, ex materia viscosa, ac in partibus suis bene conglutinata, quæ supra capita mortuorum, & eorum sepulcra apparet, quia ex defunctorum corporibus similes exhalationes viscosæ ascendunt. Secundo ex frigore noctis per antiperistasim accenduntur, vel per collisionem partium exhalationis inter se. Tertio cum istæ exhalationes accensæ ab aere deferantur, si aer anterior est in dispositione, vt illud ignitum portet, anteit, si vt illud ad se retro euocet, sequitur, si vt ad latus moueatur, in latus mouetur. Quarto. Hic humor non est multus, & cito est inflammabilis, quia si non esset cito ignibilis, & esset multus, ad superiores aeris regionis raperetur, & ibi per vehementē calorem ignis dissolueretur. Solet etiam formare figuram domus plenę igne, vel cumuli paleæ ardētis, prout illa materia est disposita. Solent etiam similes inflammationes apparere super malum nauis post longam tempestatem, & denotat futuram maris, & aeris tranquillitatem, quia illa exhalatio sicca, & frigida, quæ prius ascenderat in ventos fuit conuersa, & si quis habuit de calido, resoluta est in illam flammam supra nauim, vt supra rem solidam se ponentem. Et ita dum homines, & equi currūt velociter, supra eorum capita similes flammæ stant, quoniam ex capite ascendunt vapores viscosi, a circunstante aere calido accendibiles. Sed, & ista sæpe veniunt Dei Imperio, vt in die Pentecostes factum est.

Sexto comparet etiam in aere Draco ignitus volans. Hic ex halitu non admodum calido, nec valde coagulato, & compresso prouenit. Hæc enim exhalatio dum altum petit, vel nubes, vel frigus secūdę aeris regionis illi occurrūt, & per antiperistasin illam accendūt. Et quia impulsus nubis frigidę flectitur, & curuatur tamquam Draconis venter, & subtilior est à parte anteriori ideo format formam Draconis volantis, ex resilientia resistentis, & videtur scintillas ardentes ex ore euomere, quia partes subtiliores continuo resoluuntur. In summa secundum quod causa effectiua meteorici igniti materiam dispositam inuenit, sic diuersas figuras causat.

Septimo accidunt etiam quædam impressiones, quæ dicuntur Castor, Pollux, & Helena. Sed hæ non sunt aliæ, ab his quas diximus. Cetera enim fuerunt antiquorum superstitiones, vnde cum vna tantum inflammatio apparuisset, infaustum, & cum duæ, faustum diem vocitabant. Sic enim a Demonijs decipiebantur, ponentes in naturalibus diuinitatem. Sunt & aliæ ignitę impressiones, sed de his singulari quæstione differemus.

Ad primum dicimus, humorem vsque ad spheram ignis ascendētem esse viscosum, solidum, & durum, magis, & minus, vnde non est mirum si tam cito ab igne non consumitur. Pro qualitate enim eius, & quantitate cito, vel tarde resoluitur.

Ad secundum dicimus, quod ad hoc ut contrarium aliud sibi contrarium corrumpat duo sunt necessaria. Primum, quod sit fortius, & ualidius, possitque in totum suum contrarium agere, & illud sibi subijcere. Secundum quod eius actio non adunet uires contrarij, ut fit in Antiperistasi. Modo quamuis secunda aeris regio sit frigida, non tamen tantum est, ut possit infrigidare, & humectare totā illam exhalationem sic, quod sursum non ascendat, & ei nō resistat. Manet enim in ea adhuc virtus caloris præpotentioris, unde assurgit, & procedit usque ad spheram ignis, impellente etiam eam frigiditate, per antiperistasim.

Ad tertium iam diximus in uniuerso cælesti, ignem esse in sua sphera purum, rarum, & tenuem, quia non est in materia densa, in qua dum recipitur, illam accendit, ac lucere facit, sicut conspicimus in materia ignita Cometæ.

QVAE-

QVAESTIO V.

Vtrum tonitrua, generentur ex exhalatione calida, & sicca.

Videtur quod non. Primo, quia Arist. 2. Meteor. dicit tonitruũ esse continuum sonum in nubibus, factum ob fracturam nubis. At Asclepiodorus, vt refert Seneca lib. 2 nat. quæst. c. 30. dixit absque nube posse fieri tonitrua, vt visum est, & auditum, dum mons Ætna ingentem, adustæ arenæ copiam eructauit. Ergo tonitruum non fit ex fractura nubis.

Secundo. Non minus exhalatio impetum facit in secunda aeris regione, dum superiorem petit, quam dum in tonitruum euadit, quia maior est violentia facta a re permanente, & obsistente, quam à cedente, vt est exhalatio in nube, in tonitruum conuersa. At dum exhalatio sursum ascendit strepitum, & tonitruum non facit. Ergo nec alio modo.

Tertio. Accedit sententia Empedoclis, & Anaxagoræ existimantium generari extinctione ignis nubibus intercepti, eo modo quo ferrum in aquam cadens, si ignitum sit, feruet, & fumidum vaporem emittit.

In contrarium est Arist. 2. Meteor. cap. vltimo, cum Seneca lib. 2. nat. quæstio. cap. 17. Plutarcho lib. 3. de placitis cap. 3. Plinio lib. 2. cap. 43. Alberto Magno, S. D. & omnib. peripateticis, qui docēt tonitruum fieri ex concussione, & fractione nobis.

Notandum est ergo primo, quod vt diximus materia omnium ignitorum est exhalatio calida, dēsa, terrestris, & sicca. Hæc igitur materia si contingat in nube recludi, sicut ventus in vtre concluditur, varios causat effectus. Nam vel hic vapor est simplex, & subtilis, & libere ascendit ad mediam aeris regionem. Vel est simplex, sed deuius, non liber, quoniam detinetur in cōcauitatibus terræ. Vel non ascendit simplex, sed in ascensu coniungitur vapori humido ascendenti, & ab eo concluditur, & circundatur, sicut vter recludit ventum. Si primum fiunt venti. Si secundũ, terræmotus. Si tertium, tonitruũ, fulgura, corruscationes, & fulmina.

Secundo ergo notandum venit, quod humor terrestris, calidus, & siccus, qui ascendit cum nube, in ea inclusus, sentit frigiditatem secundæ regionis aeris, & nubis, & sentiendo contrarietatem sibi repugnantem nubes comprimit, & ipsæ compressæ comprimunt vaporem siccum, & sic ex motu eum inflammant, ipse autem latera nubis contundit, & sic se intra eas agitat, ex impetum facit vt exeat, & cum exit, nubem frangit, & sic ingētem sonum causat in aere. Necesse est autem, quod nubes in qua recluditur sit densa, & in lateribus crassa, & intus caua. Sic enim in ea & per motum, & per antiperistesim, incalescit, raresit, accenditur, & tandem impetum facit, vt exeat, & exeundo, & nubem rumpendo sonitum magnum facit, & hic sonus appellatur tonitruum. Hoc explicuit Arist. 2. Meteor. c. vlt. exemplo lignorum siccorum multum, quę dum vrũtur, crepitum magnum vaporũ exeuntium emittunt, quam similitudinem Lucretius sic expressit.

Aridior porro si nubes accipit ignem
Vritur ingenti sonitu succensa repente:
Lauricomos vt si per montes flamma vagetur.
Turbine ventorum comburens impetu magno.
Nec res vlla magis, quam phebi Delphica Laurus
Terribili sonitu flamma crepitante crematur.

Tertio considerādum venit, quod varij sunt modi tonitruorum, & differētiæ vt notauerunt Arist. 2. Meteor. c. 8. Albertus Magnus lib. 3. tract. 3. Meteor. Vt plurimum autem quadruplex est prout cōtingit exhalationem varie disponi, & præparari. Aliqui igitur sic distinguunt ista tonitrua in quatuor differentias, & alij in tres. Dicunt enim hi posteriores. Vel exhalatio nubem infringit, aut non. Si infringit, & vno ictu, fit crepitus similis ei, quem mēbrana edit, dum spiritu grauida est, & rumpitur. Si infringit pluribus ictibus, tunc fit tonitruum multis ictibus, & sonis strepitum faciens, secundum quod contingit nubes in multis partibus rumpi. Si non effringit, sed intus continet tumultum, & strepitum, & ad latus declinat, fortiorem tumultum causat, sed obscurioré. At Seneca sic dicebat. Primus modus tonitrui est grauis murmuris, prout contingit in terremotu, dum ventus est clausus, & fremit. Concluditur enim exhalatio in con-

concauis partibus nubis, & per eam discurrens causat sonum raucum, continuū & æqualem, & venturum imbrem prænunciat. Secundus est dum nubes rupta crepitum facit potiusquam continuum sonum in nube, vt solemus audire dum vesica supra caput alicuius rumpitur.

Et hoc modo fit tonitruum, cum nubes globata dissoluitur, & spiritum, quo fuerat distenta emittit, & dicitur fragor subitus, & vehemens.

Clarius tamē Iauellus tract.6.c.3. in meteor. explicat quatuor modos tonitrui. Primus est per modum tumultuantis, vel contundentis vegetem frequentatis ictibus. Et hoc nascitur quando vapor siccus, & calidus in nube inclusus, latera nubis percutit, sicut si quis in vegete clausus eius latera percuteret, & tamen non valet nubem scindere. Agitatur ergo hic humor in nube, & si nondum est inflammatus auditur tonitruum sine corruscatione, quod raro fit, & si est inflammatus corruscat, & sonat, sonitu tumultuoso, sed non aperto. Secundus est per modum scissionis magnæ, vt si pannus fortis magno impetum per totum longum scinderetur, & tunc corruscatio est obliqua, quia nubes oblique scinditur, & in diuersis partibus, & ideo magnum fit tonitruum, & interruptum, ad modum soni causati à plaustro moto super saxa inæqualia. Tertius est per modum subitæ fractionis, & scissionis, admodum vt diximus vesicæ ruptæ vno ictu, & nascitur, quia tota illa exhalatio, vel eius maior pars à nube exit, & aerem fortissima percussione percutit, & causat huiusmodi subitum fragorē. Quartus est per modum combustilis, in igne crepitantis, quod fit quando ille vapor in nube subtiliatur. Tunc enim maiorem locum quærit, & nubem compressam rūpit, & vbi eam erumpit, egrediendo magnum sonum causat, sicut facit castanea non incisa; sub cinere, & carbone posita. Cum enim eius flatus subtiliatur ab igne, & exire non potest, corticem frangit magno ictu, & cinerem, & carbones in altum proijcit.

Ad primum autem argumentum in contrarium duo dicimus.

Primum quod Seneca, & Lucretius volunt posse etiam fieri tonitruum sine exhalatione sicca, & calida, vt dum nubes adinuicem pugnant, delatæ à contrarijs vētis.

At hoc vt non expertum reijcio. Nubes enim molles sunt, & eiusdem naturæ, & qualitatis, vnde mollior, alteri densiori subito cedit, nec inter eas antiperistasis cadit, vnde non faciunt sonum, sicut nec quando in montes impingunt, à ventis delatæ. Quod vero possint quendam fragorem, & sybilum facere non nego, quia vna potest alia esse durior, & resistendo facere aliquem strepitum.

Secundum est, quod duplex est tonitruum. Primum proprie, quia fit per exhalationem calidam, & siccam, in nube inclusam, & nubem scindentem, & hoc conuenit solum exhalationi in nube. Secundum dicitur similitudinarium, quia ad modum eius magnum facit sonum, & tale potest esse vaporis ex montibus, & terra irrumpentis.

Ad secundum dicitur, quod exhalatio ascendens non inuenit impedimentum, quia non includitur in nube; sicut illa ex qua est tonitruum. Et si includeretur, per vehementem calorem sursum traheretur, & non in nubem agitaretur, & sic non causaret tonitruum.

Ad tertium dicitur, quod similis opinio fuit reiecta ab Aristot. Nam si fieret extinctione ignis in nube, nobis non appareret corruscatio ignita, sed fumida, & obscura, quod experientia negat.

Neque

Neque hic prætereunda est quadm tabula prognosticorum ex tonitruis à Beda desumpta.

Copiosa effusio.	Maio tonante ex Oriente.	Copia frugum, & fœni.	Die Dominico. Mors clericorum.
Mortalitas, & pestis.	Iunio tonando ab Occidente.	Piscium abundantia.	Lunæ. Frugum dissipatio, & interitum coniugum.
Clades maritima.	Iulio exorto tonitruo à Meridie.	Arborū infructuositas.	Martis. Abundantia frugum.
Mors infideliū.	Augusto à Borea.	Mors serpentum, pisciumq́.	Mercurij. Effusio humani sanguinis.
Mors ouium, pecorū, & aliorū animaliū.	Septembri, & Ianuario ab Oriente.	Mors hominum.	Iouis. Abundantia frugū, & piscium à mari ad flumina.
Auium infirmitas.	Octobri, & Febr. ab Occidente.	Valida procella, & venti vehementes.	Veneris. Bella, & mors ouium.
Mortalitas maxima.	Nouemb. & Martio à Meridie.	Ouium sterilitas.	Sabbathi. Pestilentia, & validum bellum.
Marium tempestas.	Decemb. & April. à Borea.	Prosperitas, & salus animalium, frugum, & hominum.	

Sed his parum fidimus, & vt dicta à Beda adduximus.

QVÆSTIO VI.

Vtrum fulgur, & fulmina sint ex exhalatione calida, & sicca.

VIdetur quod non. Primo. Simile generatur à simili per Arist. 2. de generat. & corrupt. Sed fulgura sunt res duræ, & densæ. Ergo non fiunt ab exhalatione tenui, & vaporosa.

Secundo. Si vnquam calidæ, & siccæ exhalationes ascendunt, in æstate ascendere dicendum est, quia eo tempore Sol suis radijs humorem à terra tollit, & per euaporationem eā siccā reddit, & consequenter in Aestate magis deberet cælum fulgurare, & fulminare, & tamen dicit Plinius lib. 2. c. 50. quod crebriora sunt fulgura, & fulmina in Italia ac alijs locis, quia semper quodam modo vernant, vel autumnant. Ergo

Tertio. Calidum enim rarefit, & non condensatur. Ergo si illa exhalatio est calida, in fulgur durum non adunabitur.

In contrarium est Arist. 3. Meteor. c. 1. cum omnibus eius interpretibus.

In explicationem huius quæstionis. Primo quædam dicemus de fulgure. Secundo de fulmine. Tertio de eius mirandis effectibus. Quarto agumenta soluemus.

Quoad primum. Primo notandum venit, quod fulgur siue coruscatio, est fulgor in media aeris regione apparēs, & desinens, & prodiens ex vapore calido, & sicco, incenso, non multo, & sparso.

Dicimus ergo primo fulgur esse quendam fulgorem, per quod excludimus opinionem Empedoclis dicentis esse ignem, radijs Solis accensum. Et Anaxagoræ affirmantis esse ignem ex cælo distillantem. Falsa est enim opinio ista, quia cælum secundum omnes suas partes est corpus inalterabile, & incorruptibile, nec est naturæ igneæ, sed quintæ essentiæ. Ita falsa est opinio Empedoclis, cum fulgura etiam

luce Solis absente appareant. Lux autem qualitas est, præsentiam lucentis expostulans.

Diximus ergo esse exhalationem accensam, ex motu, & antiperistasi causatam, quia tonitruum, fulgur, & fulmen pro materia habēt vaporem siccum, & calidū. Ideo

Secundo. Notandum venit, quod fulgur, & fulmen conueniunt, & differunt. Conueniunt. Primo, quoniam fiunt ex exhalatione sicca, & calida. Secundo quod habent exhalationem hanc pro materia. Tertio quod illa exhalatio ardens, & corruscans est, & nubes frangit, & vt fulgur, & vt fulmen sic, quod vtrumque est cum fractura nubis.

Differunt vero. Primo, quod vapor fulguris est rarior, & minus compactus, quam fulminis. Secundo, quia vapor fulguris per interualla discurrit, & accenditur, fulminis vero vno ictu, & simul accenditur. Tertio quia fulmen est in nube, vel si à nube exit, aerem solum superiorem percutit, neque ad nos descendit, sicut facit fulgur. Quarto quia fulgura possunt ex omni parua nube exire, at fulmina non nisi ex magnis, crassioribus, ac densioribus nubibus exeunt. Quinto quia maiorem vim fulmen petit, quam fulgur, maioraque mala parturit, & inducit, quare antiqui dicebant Iouem minari per fulgura, & punire per fulmina.

Tertio notandum cum Arist. quod quamuis nos prius conspiciamus fulgur, quam audiamus tonitruum, tamē tonitruum prius est, cum prius fit sonus in nubibus, & humor in eis agitetur, antequam exeat per fulgur, vel fulmen. Hoc autem prouenit, quia visus re præsenti eam videt in instanti. At species rei audibilis in tempore ad aures perferuntur. Vnde prius videmus secundam percussionem remium in aqua, antequam audiamus eam quam prima percussio remium fecit in aqua.

Quo ad secundum. Primo notandum venit circa naturam fulminis, quod vt diximus eadem est materia fulguris, & fulminis, solum quod in fulgure manet in nube, vel in superiori aeris parte, in fulgure vero vsque ad nos descendit, & arbores succedit, animantia ferit, occidit, & resoluit. Illa ergo exhalatio in nube exagitata, & ignita triplicem statum habere potest.

Primus est tantum corruscationis, & fulgoris in nube, vel in parte aeris non multum à nube distantis, & sic dicitur fulgur, idest fulgor, & corruscatio.

Secundus est percussionis, quia ille vapor ignitus, ex nube magno impetu egrediēs in vltima aeris regione aliquod percutit, & hoc dupliciter. Primo per solam exhalationem accensam, (quod vt plurimum fit) quia illa exhalatio vel vsque ad inferiora descendit, vel saltem vsque ad magnam propinquitatem, & aerem sibi immediatum accendit, & per eum lædit. Secundo per conflationem lapidis. Ille enim vapor duplex esse potest. Primus non multum tenax, nec viscosus. Secundus, admodum terrestris, & admixtus humiditati viscosæ ad modum luti. Primo modo dicitur fulmen tantum. Secundo vero modo fulmen, & sagitta, & cuneus, & hoc est quod voluit dicere Arist. negando fulmen esse lapidem, vt vulgo dicitur, scilicet semper, & quādo solum impetum facit, & percutit turres, arbores, & sublimia. Quod enim quædam sint fulgura lapidea, ad instar lateris vltima decoctione decocti, testis est visus multorum, & ratio, quia cum spiritus ex aqua, & terra eleuantur, aliquid sicci, & humidi seruant, & hoc calore decoctum redditur crassius. & densius, & lapideum, & sic in nube agitatum, & per motum, & antiperistasim nubis frigidæ semper se adunantis, & constringentis, veluti è bombarda emissum, admirandas dat strages.

Tertius erit metalli, seu ferri, vel calibis secundum Albertum 3. Meteor. tract. 3. cap. 23. & Georgium Agricolam lib. 4. de rerum subterranearum ortu. Si enim ille vapor à Sole, & astris eleuatus non est simplex, sed ex varijs compositus, quorum natura tendit ad naturam argenti viui, & sulphuris terrestris non defecati, vel argenti luculenti, dum in nubibus decoquitur, & depuratur; vertitur in ferrum, vel calibem, calibs enim est ferrum depuratum. Hinc est quod fit ex maximo calore hac materia dissecata, & per ardentissimam decoctionem indurata, quod non est possibile, per nostrum ignem liquefiat, vel mollificetur, nec cum malleis contundatur, vnde potius per longam moram in igne detenta, euaporat, & in cineres conuertitur, quam arti cedat.

Secundo. Notandum, quod alij, vt Seneca

lib. 2.

lib.2.nat. quæst.c.40.Plinius lib.2. cap.43. & 50. D. Damascenus in suis Physicis, c. vltimo, & alij tria faciunt fulminum genera.

Primum dicunt esse nimium subtile,& flammeum, & ideo per subtilissima penetrans, & hoc ictu terebrat.

Secundum dicitur valde conglobatum, & admixtum cum spiritu, & vento, & hoc rumpit, & non perforat, ac per id foramen quo ingressum est regreditur.

Tertium est magis igneum, quam flammeũ & hoc vrit, & percussis magnam adustionem infert.

Tribus autem modis vrit. Primo leuiter adurendo solum pilos, vel pellem. Secundo comburendo, & ignem in percussum ponendo cum combustione. Tertio tantum ignem accendendo.

Addit Plinius quædam alia fulmina, quæ vocat bruta, & vana, quia feriunt tantum montes, & aquas, quibus nullum inferunt nocumentum. Addit alia esse sicca, humida, idest minus sicca, & clara, sicca dicit non adurere, sed dissipare. Humida non vrere, sed nigrare, inficere. Clara vero mira facere. Quæ omnia ad effectus fulgurum, & fulminum reducemus.

Tertio consideranda veniunt, quædam circunstantiæ in fulminibus. Primo quo ad tempus, quod in Hyeme, & Æstate non sunt tam frequentia fulgura, quia Hyems est multum frigida, & per calorem debilem suum non potest eleuare magnam copiam exhalationum, nec antiperistasis aeris est tam valida, vt in magno colore à terra ascẽdente. Hinc Scythæ, & aliæ septẽtrionales nationes nimium frigidæ fulmina rarius sentiunt. In Æstate vero deficiente humiditate terræ, exhalationes tenues sunt,& nubes paucæ, quæ fulmina concipiant. Quare Plinius dixit in Autumno, & Vere fulmina multiplicari, & in illis regionibus, quæ fere semper autumnant, aut vernant, quia eo tempore, & illis in locis abundant exhalationes calidæ, & siccæ, per calorem ad secundam aeris regionem deductæ.

Secundo quo ad motum solent fulmina valde irregulari motu,& tortuoso descendere, quia cum naturam ignis sit sursum tendere, & tamen illa exhalatio ignita nubis abruptæ impetu deorsum trudatur, aere ei obsistente, fit, vt hinc inde discurrat, vt aerem sibi resistentem superet, frangat, & deijciat. Notat autem Plinius fulgura non amplius quinque pedibus descendere, & ideo pauidos recte in cantinis, & locis sub terra existentibus se reducere, & sic se ab eis saluare.

Tertio quo ad odorem sæpe sulphuris odorem secum portant, quia illa exhalatio retinet multum de natura sulphurea. Sicut enim sulphur in terra gignitur, sic & in aere generari non inconuenit, & ita dicimus de quocunque alio odore mixtum comitante.

Quarto. Quo ad eius formationem notamus triplex principium habere posse, immediatum, scilicet Deum, naturam, & artem. Deum inquantum miraculo percutit suos aduersarios fulmine à cælo vibrato. Narrat enim Egnatius, & idem M. Aurelius Antoninus Philosophus in suis epistolis confitetur, quod dum in Germaniam exercitum mouisset, piorum Christianorum precibus hostes profligati fuit, è cælo fulminibus iteratis, quare illam legionem Christianorum cum Imperatore militãtium vocauit legionem fulminatricem. Vide Maiolum colloquio. Primo vbi eodem modo narrat precibus Christianorum fulmina fuisse vibrata, è cælo in hostes Aurelij Imp. secũ in exercitu habentis Christianos, & refert idem Eusebius Cesariensis ecclesiast. hist. lib.5. cap. 5. Ita S. Gregorius Magnus epist. ad Constãtinam Imperatricem scribit quosdam venisse ex oriente, vt ad partes suas reducerent corpora SS.Petri, & Pauli, & dum hoc tentarent apud Catacumbas vi fulminum territi ea reliquerunt. Et Platina refert in Anastasio 2. Olympium Carthaginensem Episcopum Arianũ in balneo Santissimam Trinitatem blasphemantem, tribus tactus fulminibus cõcidisse, & eius cadauer omnino exustum fuisse. Et ita memoria tradidit S. Bernardus in vita S.Malachiæ Episcopi, quosdam qui in eum conspirauerant fulmine è cælo iacto expirasse. Vide multa alia exempla admiranda apud Maiolum, vt supra. Habent etiam naturam pro causa fulmina, vt diximus, & dicemus.

Tenent quoque artem, vt imitatricem. Scribit enim Zonoras tom.2. ijs verbis. E Tiberini posteris ortus est Amulius homo

tatem faciei, vel melius extrahendo humorem internum ad eam, & consumando humorem crystallinum, oculum visione priuat.

Tertio propter eandem rationem, exurit pilos existentes etiam in locis occultis, & non comburit carnem, quia exhalatio illa debilis est, & tenuis, & sicca, vnde agit in pilos, qui sunt sua natura sicci, carnem vero non tangit, quia ei sua humiditate, ac subsistentia magis resistit, & si sæpe, & ipsa aliquid patiatur.

Quarto. Eadem ratione exurit vestes, caligas, & calceos, & non infert nocumentũ alicui parti corporis, quia corpus ei sua humiditate contradicit, enumerata vero sua siccitate ei pabulum præstant, sicut & pili, qui cum eis tunc exuruntur.

Quinto propter non dissimilem causam interficit hominem, & non apparet in eo vulnus. Prouenit enim, quia ille vapor est subtilis, sed fortis, & rarus, & ideo permeatus, & vitalia membra pergit, & intus consumit, non faciendo vulnus in corpore, quod solet inferri à corpore duro, & non à raro, vt est illa exhalatio.

E contrario vero quando vapor ille est densus, & bene cohærens per partes subtiliores porosas transit sine nocumento, vt per bursam, per vaginam gladij, vel per aliquid, ferrum, lapidem, vel quid simile durum circundans, & dum sentit resisten tiam se vniendo, & confortando operatur in durum, & cum sit illo efficacior, illud atterit, & consumit. Et per hæc fundamenta solues omnes difficultates.

Tertius fit effectus fulminis quandoque comburere vegetem, & vinum per aliquod tempus seruare. Et aliquando apud Lucretium vinum consumere, & dolium intactum relinquere. Quando ergo vegetem, seu dolium consumat, & vinum seruat, agit sua siccitate in lignum, & illud inueniendo suæ actioni accommodatum cõburit. At inueniendo humiditatem vini sibi contradicentem, non habendo vires illam tollere, per conterminationem eius actionis quãdam tunicam, ad modum pellis circa vinum relinquit, vnde non fluit. Sicut pellis tenera circundat ouum in vẽtre gallinæ, antequam dura testa cooperiatur. Vel hoc erit vt Magnus dicit Albertus, quia calor potest liquores adensare, si hi siccam exhalationem contineat, vt apparet in sale, nitro, sulphure, & similibus, vnde cum vinum sit calidum, potest extremas eius partes condensare, & quasi circa ipsum crustam facere, per triduum durantem. Sicut etiam refert ad idẽ operari psellium herba vino immissa, ipsum n. quodẽ humore viscoso replet, quẽ vinum proprio calore ad extremitates diffundit, & ex isto fit quædam crusta, quę tollit ne vinum fluat, dolio etiam rupto. E contra vero, quando vinum absumitur, illeso dolio, dicendum venit fulgur tunc secum traxisse exhalationem maxime calidam, siccam, & subtilem, quæ porosum lignum transiuit, & sua siccitate, & caliditate vinum consumpsit.

Quartus effectus fulguris est liquorem illũ quem tangit, sit vinum, vel quid aliud (vinum tamen pręcipue propter suam virtutem, & densitatem) inficere, ita vt degustatum mortem infert, vel stoliditatem inducit. Ratio est, quia fulgur in illum liquorem mittit qualitatem substantia unicosam, & qualitate sulphuream, & necantem.

Quintus ex opposito effectus est, vt venenata post fulminis plagam venenum deponant, & non venenata venenum concipiant. Ratio est, quia in venenatis sua caliditate, & siccitate venenum proprium illis consumit, & nõ venenatis, qualitatem noxiam sulphuris imprimit, quam credibile est etiam venenatis inferre.

Sextus est, quod faciem ab eo percussi contra se conuertit. Ratio est, quia animal dum percutitur, caput, & faciem contra percutientem vertit, vt illum sibi nocentem cognoscat. Fulgur autem citissime interficit, vnde non datur tempus ab eo percusso in aliam partem faciem suam voluere.

Septimus est, quod vt plurimum percussa fulmine sulphureum odorem emittunt, quia fulmen ad odorem sulphuris accedit, talemque odorem sibi quasi cõnaturalem vendicat.

Octauus est, quod vulnus à fulgure inflictum sit frigidissimum. Prouenit enim, quia ignita omnia cum refrigerantur, solito frigidiora fiunt.

Nonus est, quod quandoque die sereno aliquem percutit, & de medio tollit, cum tamen fulmina ex nubibus fint. Ita legimus de Marco Herrennio Decurione, in

Cati-

Catilianis prodigijs, quod & de tonitruo narrat D. Gregorius magnus Dialog. 3. cap. 15. & Metaphrastes in vita S. Alberti Hierapolitani 22. Octobris. Sed hi hæc miraculo adscribunt, & vere sic tenendum est quoad causam primam. Potuit tamen esse, quod in hac actione Deus assumpserit causam naturalem, ita vt sit naturale factum, sed supernaturaliter, sicut vita data mortuo est naturalis, at data supernaturaliter. Dicendum ergo venit, quod si illa potuerunt habere causam naturalem fuit humor, & exhalatio aliqua subtilis in aere relicta, quæ in tonitruum, & fulmen ex vehementi spiritu concitata sit conuersa in illa.

Ad primum autem argumentum negatur maior, generatur enim à dissimili, si fiat per antiperistasim, vt in secunda parte huius vniuersi ostendimus. Vide ibi.

Ad secundum diximus in æstate terram reddi ficciorem, & ita non tot exhalationibus graniorem.

Ad tertium dicitur, quod per violentiam contrarij ipsam includentis adensatur.

QVÆSTIO VII.

Vtrum ignis possit à superis descendere.

Videtur quod non. Nam vel erit elementaris, vel exhalatio, sicca, & calida. Non elementaris, quia esset violentum ei descendere, sicut est ei naturale ascendere. Non exhalatio, quia illa esset fulgur, vel fulmen.

In contrarium tñ est Nicephorus lib. 13. c. 36. narrans, qđ Roma ab Alarico capta ignis quasi de rupto cęlo descendit, & vento vehementi in mari transiuit, & tunc videre erat spetaculum nouum, fluctus ipsos igni ardere, &c. Item cum Samaritani contempsissent Christum per Samariam recipere, dum in Iudeam proficisceretur, Io. & Iacobus dixerunt dominos Lucæ 9. Vis dicimus vt ignis de cælo descendat, & consumat illos? Et Gregorius Turonensis hist. Galli. lib. 10. cap. 29. Scribit Lemonicinam vrbem ob dominici diei iniuriã, plures ex eius ciuibus eumdiem violantes cælesti igne fuisse consumptos. Et simile ob eandem causam Turones accidisse. Et Elias supra duos principes quinquagenarios qui venerant ex parte Ocoziæ eum capere, ignem fecit de cælo cadere, & eos consummare. Et oues, & pueros Iob ignis cælestis deuorauit Iob. 1.

Ad claritatem huius difficultatis notandum venit, quod tripliciter possumus quærere. An ignis de cælo possit esse. Primo, per diuinam virtutem, ignem nouũ creantem, vel sub cælo Lunæ, vel in alia aeris regione, & illum ad nos mittendo. Secundo per diuinam virtutem, non nouum ignem creantem, sed materiam ad ignitionem aptatam congregantem, & igni entem, & super terram effundentem. Tertio per virtutem, & potentiam naturæ. Primo, & secundo modo non est aliqua difficultas, cum omnia elementa, & elementata, immo omnes creaturæ eius subdantur voluntati, & potentiæ. In tertio ergo sita est difficultas.

Secundo ergo notandum venit, quod id solum naturæ negamus, ad quod nullam habet potentiam naturalem actiuam, & passiuam, Ignem autem ciere, & deorsum trahere non apparet naturæ impossibile, cum hoc soleat facere in fulminibus, ac alijs ignitis incensionibus.

Nec valet arguere, quod in his causam scimus, scilicet exhalationem ascendere, in nube concuti, ex motu, & antiperistasi accendi, & sic descendere, quasi explosa à bombarda. Dico enim, quod effectus naturales sunt in duplici differentia. Quidam enim habent causam naturalem, vt plurimum effectum producentem, & ideo de facili sub cognitione nostra cadentem. Quædam vero naturaliter quidem fiunt, sed raro accidunt, quia concursum extraordinarium fere requirunt causarum. Prima sunt naturalia, & de facili cognoscibilia. Secunda, & si de difficili penetrentur, tamen naturalia sunt.

His ergo stantibus. Tertio pono hanc conclusionem. Ignis potest à natura de superis mitti. Prob. Primo, quia videmus in cælo sereno multas exhalationes ignitas de nocte descendere, quæ etiam de die possunt cadere, quamuis non videantur, luce Solis offuscatæ.

Secundo. Natura de se apta secerni, valet secernere. At exhalatio calida, & sicca potest à nube separari, vt videmus in illa quæ spheram ignis attingit, & fit cometa, vt modo dicemus. Ergo poterit, & illam ex magno vento, vel alia accendere

in

in cælo sereno, vel prope terram, ex magna aeris calefactione.

Ad argumētum ergo dicitur, quod ille ignis et exhalatio calida, & sicca, si fiat à natura, neque omnis exhalatio fit fulgur, vel fulmen, sed etiam plura alia. Quando autem Deus ignem de cælo immittit triplici via procedere potest. Primo creando nouum ignem, vt diximus. Secundo coadunando exhalationes calidas, & siccas valde, & eas accendendo. Tertio ignem elementarem decisum quo ad aliquam eius partem mouendo, quod non erit ei violentum, sed obedientiale.

QVAESTIO VIII.

Vtrum Cometa sit exhalatio calida, & sicca.

Videtur quod non, sed quod sit ætereæ naturæ. Primo. Quod de sua natura mobile est, & de facili dissolubile, nō potest esse materia rei diu durātis, & voraci agenti, vt est ignis resistentis. At exhalatio terræ, in aerem subleuata est vt aer accensus mobilis, & dissolubilis Ergo nō potest conuerti in Cometam diu duranté. Nam aliqui per sex menses durauere.

Secundo. Omne graue deorsum descendit. Si ergo Cometa est exhalatio compacta, viscosa, dura, & densa, ergo erit natura grauis, & consequenter deorsum caderet, quod non contingit.

Tertio. Si aer incensus seu exhalatio ignita non est naturæ cælestis, in circulum non moueretur, quia hoc est proprium cælestibus orbibus. At Cometa mouetur ab Oriente, in Occidentem, vnacum sphæris cælestibus. Ergo erit naturæ illorum. In contrarium est Arist. 1. Meteororum & Albumazar, Ptolomeus. Albertus Magnus 1. Meteor. tract. 3 cap. 5. & alij.

Pro explicatione huius quæstionis. Primo notandum venit, quod de materia Cometarum multæ fuerunt opiniones. Nam quidam extimauerunt eos esse de natura corporum cælestium, & de numero stellarum errantium, vt Caldei. Et quāuis in diuersa abierint sequaces illorum, tamen in hoc conuenerunt, quod materia Cometę sit cælestis.

Sed in contrarium stat Aristot. cum omnibus Peripateticis, ponentibus Cometam esse exhalationem, vt dicemus. Conclusio ergo est Cometa non est ex materia cælesti. Probatur

Primo. Effectus suam causam habet, & signum rem cuius est signum. At dum Cometæ apparent magni sequuntur venti, & magnæ siccitates, quæ ex exhalationibus siccis procedunt. Ergo signum est, quod tunc abundant siccæ exhalationes, ex quibus sunt venti, & Cometæ Minorem probat experientia. Nam tempore Anaxagoræ per 75. dies ingens Cometa exarsit, quem tanta ventorum tempestas secuta est, vt turbo lapidem à rupe auulsum in sublime ferret, & illum portaret in Ægeos flumen Traciæ, vt Arist. dicit 1. Meteor. cap. 7. & de hoc apud historicos multa habemus exempla.

Secūdo. Materia cælestis incorruptibilis est, & inuariabilis. At Cometæ quandoque subito quod comparent, disparent, quandoque magni fiunt, & quandoque minimi euadunt. Ergo non sunt ex materia cælesti.

Tertio. Astronomi instrumentis Mathematicis docti, dilucide deprehenderunt Cometas esse Luna inferiores.

Hinc ergo exclusam habes opinionem Democriti, & Anaxagorę dicentium Cometam esse cohalitū multorum planetarum inter se lumine cohærentium, ex quo reddunt faciem syderis longiorem. Hoc enim præter supradicta est falsum. Primo, quia dum omnes planetæ distabant, Cometæ visi sunt. Secundo quia planetæ parum exeunt ab ecliptica Zodiaci, at Cometæ multum ab eo visi sunt distare. Tertio, quia coniunctio planetarum breui tempore absoluitur, Cometa autem diu durat, & per menses. Quarto quia hoc regulariter fieret in congressu planetarum, & tamen tunc de raro videntur Cometæ.

Ita etiam explosam intelligimus opinionem Pythagoreorum, Hippocratis, & Æschyli, aiētium Cometas esse vnam, eandēque stellam errantem, distinctam à septem planetarum. Falsum enim est assertum istud.

Primo, quia aliquando visi sunt Cometæ vt testatur Aristot. vt supra cap. 6. & Scaliger exercit. 70. in Cardanum. Item non est verum quod dixit Seneca, & cum eo Apollonius, quod sint stellæ errātes. Quia non semper a nobis cernūtur, cum tamen cælum sit diaphanum, & translucidum.

Secundo

mouetur aer igni propinquus, cum & ipse ignis hoc motu moueatur ab orbe Lunæ cui contiguatur. Secundo, quia ex instrumentis mathematicis deprehensum est cometas excedere omnem altitudinem montium, quam non transcendit media aeris regio. Tertio. Quia media hæc regio frigidissima est, vnde non patitur moram ignitæ impressionis, sicut eam ducunt Cometæ.

Secundo. Deducitur, quod & si aliquando visi sint intra Tropicos, vt fuit Nichomacho regnante, in quo tempore cometa apparuit circa æquinoctialem, tamen fere semper conspiciuntur extra tropicos solstitiales, tam ad septentrionem, quam ad Austrum, vt ait Arist. 1. Meteor. c. 6. quoniam sol multum calefacit partes tropicis subiectas, vnde ex nimio calore, illos vapores dissoluit.

Hinc Tertio deducitur, quod vt plurimum Cometæ generantur Autumnali tempore, quoniam hyberno tempore calor remittitur, & frigus augetur, vnde calor non valet abstrahere has exhalationes siccas, & calidas. Ita veris tempore calor non est sufficiēs sursum trahere vaporem talem viscosum, densum, & terrestrem, & si aliquem attollit, in corruscationes, & fulgura resoluit. Æstatis vero calor intensus talem vaporem dissipat, & absumit. At in Autumuno cnm soleant ad finem signi Leonis pluuiæ concrescere, & adhuc calor vigeat, fit, vt similes vapores ad superam aeris regionem aduocentur. Sed tamen in omni tempore anni contingere possunt, nam & hyberno tempore, cum omnia gelu rigerent visi sunt, quoniam potest aer esse dispositus ad recipiendas illas exhalationes omni tempore, & virtute alicuius astri, tunc singulariter influentis sursum duci.

Quarto dixit Plinius lib 2. cap. 25. breue tempus durationis cometarum esse septem dierum, & longissimum octuaginta. Sed melius dicitur tempus hoc non esse aliqua certa regula præfinitum. Nam Ioseph lib. 7. de Bello Iudaico, cap. 44. narrat ante excidium Hierosolymæ apparuisse cometam, & per annum perdurasse. Fere vero semper non transcendunt tempus sex mensium.

Si quis autem quærat, quare vnus alio magis duret. Respondetur hoc. Primo esse, quia materia vnius copiosior est, vel densior, & difficilior ad resolutionem, quam alterius. Secundo, quia dum exhalationes similes abundāt, quæ iam ad superam aeris regionem deductæ sunt, alijs successiue ad eandem partem à calore deductis aluntur. Tertio, quia possunt magis minusve distare ab igne, & sic minus ab eo, vel magis resolui, & anichilari. Vapor enim ille tandem, vel in aerem resoluitur, vel in ignem.

Quinto. Quo ad motum Cometarum dicimus illos non habere vnum motum. Primo enim in girum voluuntur ab oriente, in occasum, sequendo motum orbium cælestium, & ignis in sua sphera. Secundo ab occasu in orientem, sed hic non dicitur proprie motus, sed eius retardatio, vergit enim secundum se, vt coniunctus igni ab ortu in occasum, sed quia aer, & ignis sunt corpora tenuia, ideo non recipiunt totum impetum cæli mouentis, & maxime cometa, qui est viscosus, & terrestris, & obluctatur illi raptui, vnde semper videbitur tendere ad maiorem distantiā alicuius syderis supra ipsum iam alias positi, quia semper ipse magis retardatur in motu ab Oriente in Occidentem. Tertio tamen, quandoque mouetur ab Austro in Septentrionem, & aliquando a Septentrione in Austrum, & ad alias differentias locorum, vel propter actionem alicuius singularis syderis in ipsum, vel propter nouam exhalationem sursum, ad hanc vel illam partem salientem, & illum vt sibi similē, & quasi ad pabulum habentem: Vel quia impetus ignis illum mouet, vbi magis ponderat. Quarto sursum commeat, quia ignis illum ad se rapit, vt consumet aptius, vel sic videtur, quia ex parte inferiori vapor accrescit.

Sexto quo ad colores, non proprios, quia his carent, cum non sint mixta ex quibus pullulare possint hi, vel illi calores. Quo ad colores ergo apparentes. Nunc apparent quasi argentei, & tunc signum est, quod materia est rarior ad modum flammæ, quæ est veluti argentea, & rarior pars ignis. Nunc fumidi, & tunc eorum materia crassa est, & viscosa. Nunc vt carbo niger, & tunc materia est densissima. Nunc vt carbo ardens, & tunc est valde compacta, & calida.

concauis partibus nubis, & per eam discurrens causat sonum raucum, continuũ & æqualem, & venturum imbrem prænunciat. Secundus est dum nubes rupta crepitum facit potiusquam continuum sonum in nube, vt solemus audire dum vesica supra caput alicuius rumpitur. Et hoc modo fit tonitruum, cum nubes globata dissoluitur, & spiritum, quo fuerat distenta emittit, & dicitur fragor subitus, & vehemens.

Clarius tamẽ Iauellus tract. 6. c. 3. in meteor. explicat quatuor modos tonitrui. Primus est per modum tumultuantis, vel contundentis vegetem frequentatis ictibus. Et hoc nascitur quando vapor siccus, & calidus in nube inclusus, latera nubis percutit, sicut si quis in vegete clausus eius latera percuteret, & tamen non valet nubem scindere. Agitatur ergo hic humor in nube, & si nondum est inflammatus auditur tonitruum sine corruscatione, quod raro fit, & si est inflammatus corruscat, & sonat, sonitu tumultuoso, sed non aperto. Secundus est per modum scissionis magnæ, vt si pannus fortis magno impetum per totum longum scinderetur, & tunc corruscatio est obliqua, quia nubes oblique scinditur, & in diuersis partibus, & ideo magnum fit tonitruum, & interruptum, ad modum soni causati à plaustro moto super saxa inæqualia. Tertius est per modum subitæ fractionis, & scissionis, admodum vt diximus vesicæ ruptæ vno ictu, & nascitur, quia tota illa exhalatio, vel eius maior pars à nube exit, & aerem fortissima percussione percutit, & causat huiusmodi subitum fragorẽ. Quartus est per modum combustilis, in igne crepitantis, quod fit quando ille vapor in nube subtiliatur. Tunc enim maiorem locum quærit, & nubem compressam rũpit, & vbi eam erumpit, egrediendo magnum sonum causat, sicut facit castanea non incisa, sub cinere, & carbone posita. Cum enim eius flatus subtiliatur ab igne, & exire non potest, corticem frangit magno ictu, & cinerem, & carbones in altum proijcit.

Ad primum autem argumentum in contrarium duo dicimus.

Primum quod Seneca, & Lucretius volunt posse etiam fieri tonitruum sine exhalatione sicca, & calida, vt dum nubes adinuicem pugnant, delatę à contrarijs vẽtis. At hoc vt non expertum reijcio. Nubes enim molles sunt, & eiusdem naturæ, & qualitatis, vnde mollior, alteri densiori subito cedit, nec inter eas antiperistasis cadit, vnde non faciunt sonum, sicut nec quando in montes impingunt, à ventis delatæ. Quod vero possint quendam fragorem, & sybilum facere non nego, quia vna potest alia esse durior, & resistendo facere aliquem strepitum.

Secundum est, quod duplex est tonitruum. Primum proprie, quia fit per exhalationem calidam, & siccam, in nube inclusam, & nubem scindentem, & hoc conuenit solum exhalationi in nube. Secundum dicitur similitudinarium, quia ad modum eius magnum facit sonum, & tale potest esse vaporis ex montibus, & terra erumpentis.

Ad secundum dicitur, quod exhalatio ascendens non inuenit impedimentum, quia non includitur in nube; sicut illa ex qua est tonitruum. Et si includeretur, per vehementem calorem sursum traheretur, & non in nube agitaretur, & sic non causaret tonitruum.

Ad tertium dicitur, quod similis opinio fuit reiecta ab Aristot. Nam si fieret extinctione ignis in nube, nobis non appareret corruscatio ignita, sed fumida, & obscura, quod experientia negat.

Neque

Neque hic prætereunda est quadm tabula prognosticorum ex tonitruis à Beda desumpta.

Copiosa effusio.	Maio tonante ex Oriente.	Copia frugu m, & fœni.	Die Dominico. Mors clericorum.
Mortalitas, & pestis.	Iunio tonando ab Occidente.	Piscium abundantia.	Lunæ. Frugum dissipatio, & interitum coniugum.
Clades maritima.	Iulio exorto tonitruo à Meridie.	Arborũ infructuositas.	Martis. Abundantia frugum.
Mors infideliũ.	Augusto à Borea.	Mors serpentum, pisciumq́.	Mercurij. Effusio humani sanguinis.
Mors ouium, pecorũ, & aliorũ animaliũ.	Septembri, & Ianuario ab Oriente.	Mors hominum.	Iouis. Abundantia frugũ, & piscium à mari ad flumina.
Auium infirmitas.	Octobri, & Febr. ab Occidente.	Valida procella, & venti vehementes.	Veneris. Bella, & mors ouium.
Mortalitas maxima.	Nouemb. & Martio à Meridie.	Ouium sterilitas.	Sabbathi. Pestilentia, & validum bellum.
Marium tempestas.	Decemb. & April. à Borea.	Prosperitas, & salus animalium, frugum, & hominum.	

Sed his parum fidimus, & vt dicta à Beda adduximus.

QVÆSTIO VI.

Vtrum fulgur, & fulmina sint ex exhalatione calida, & sicca.

VIdetur quod non. Primo. Simile generatur à simili per Arist. 2. de generat. & corrupt. Sed fulgura sunt res duræ, & densæ. Ergo non fiunt ab exhalatione tenui, & vaporosa.

Secundo. Si vnquam calidæ, & siccæ exhalationes ascendunt, in æstate ascendere dicendum est, quia eo tempore Sol suis radijs humorem à terra tollit, & per euaporationem eã siccã reddit, & consequenter in Aestate magis deberet cælum fulgurare, & fulminare, & tamen dicit Plinius lib. 2. c. 50. quod crebriora sunt fulgura, & fulmina in Italia ac alijs locis, quia semper quodam modo vernant, vel autumnant. Ergo

Tertio. Calidum enim rarefit, & non condensatur. Ergo si illa exhalatio est calida, in fulgur durum non adunabitur.

In contrarium est Arist. 3. Meteor. c. 1. cum omnibus eius interpretibus.

In explicationem huius quæstionis. Primo quædam dicemus de fulgure. Secundo de fulmine. Tertio de eius mirandis effectibus. Quarto agumenta soluemus.

Quoad primum. Primo notandum venit, quod fulgur siue corruscatio, est fulgor in media aeris regione apparẽs, & desinens, & prodiens ex vapore calido, & sicco, incenso, non multo, & sparso.

Dicimus ergo primo fulgur esse quendam fulgorem, per quod excludimus opinionem Empedoclis dicentis esse ignem, radijs Solis accensum. Et Anaxagoræ affirmantis esse ignem ex cælo distillantem. Falsa est enim opinio ista, quia cælum secundum omnes suas partes est corpus inalterabile, & incorruptibile, nec est naturæ igneæ, sed quintæ essentiæ. Ita falsa est opinio Empedoclis, cum fulgura etiam luce

luce Solis absente appareant. Lux autem qualitas est, præsentiam lucentis expostulans.

Diximus ergo esse exhalationem accensam, ex motu, & antiperistasi causatam, quia tonitruum, fulgur, & fulmen pro materia habēt vaporem siccum, & calidū. Ideo

Secundo. Notandum venit, quod fulgur, & fulmen conueniunt, & differunt. Conueniunt. Primo, quoniam fiunt ex exhalatione sicca, & calida. Secundo quod habent exhalationem hanc pro materia. Tertio quod illa exhalatio ardens, & corruscans est, & nubes frangit, & vt fulgur, & vt fulmen sic, quod vtrumque est cum fractura nubis.

Differunt vero. Primo, quod vapor fulguris est rarior, & minus compactus, quam fulminis. Secundo, quia vapor fulguris per interualla discurrit, & accenditur, fulminis vero vno ictu, & simul accenditur. Tertio quia fulmen est in nube, vel si à nube exit, aerem solum superiorem percutit, neque ad nos descendit, sicut facit fulgur. Quarto quia fulgura possunt ex omni parua nube exire, at fulmina non nisi ex magnis, crassioribus, ac densioribus nubibus exeunt. Quinto quia maiorem vim fulmen petit, quam fulgur, maioraque mala parturit, & inducit, quare antiqui dicebant Iouem minari per fulgura, & punire per fulmina.

Tertio notandum cum Arist. quod quamuis nos prius conspiciamus fulgur, quam audiamus tonitruum, tamē tonitruum prius est, cum prius sit sonus in nubibus, & humor in eis agitetur, antequam exeat per fulgur, vel fulmen. Hoc autem prouenit, quia visus re præsenti eam videt in instanti. At species rei audibilis in tempore ad aures perferuntur. Vnde prius videmus secundam percussionem remium in aqua, antequam audiamus eam quam prima percussio remium fecit in aqua.

Quo ad secundum. Primo notandum venit circa naturam fulminis, quod vt diximus eadem est materia fulguris, & fulminis, solum quod in fulgure manet in nube, vel in superiori aeris parte, in fulgure vero vsque ad nos descendit, & arbores succedit, animantia ferit, occidit, & resoluit. Illa ergo exhalatio in nube exagitata, & ignita triplicem statum habere potest.

Primus est tantum corruscationis, & fulgoris in nube, vel in parte aeris non multum à nube distantis, & sic dicitur fulgur, id est fulgor, & corruscatio.

Secundus est percussionis, quia ille vapor ignitus, ex nube magno impetu egrediēs in vltima aeris regione aliquod percutit, & hoc dupliciter. Primo per solam exhalationem accensam, (quod vt plurimum fit) quia illa exhalatio vel vsque ad inferiora descendit, vel saltem vsque ad magnam propinquitatem, & aerem sibi immediatum accendit, & per eum lædit. Secundo per conflationem lapidis. Ille enim vapor duplex esse potest. Primus non multum tenax, nec viscosus. Secundus, admodum terrestris, & admixtus humiditati viscosæ ad modum luti. Primo modo dicitur fulmen tantum. Secundo vero modo fulmen, & sagitta, & cuneus, & hoc est quod voluit dicere Arist. negando fulmen esse lapidem, vt vulgo dicitur, scilicet semper, & quādo solum impetum facit, & percutit turres, arbores, & sublimia. Quod enim quædam fiunt fulgura lapidea, ad instar lateris vltima decoctione decocti, testis est visus multorum, & ratio, quia cum spiritus ex aqua, & terra eleuantur, aliquid sicci, & humidi seruant, & hoc calore decoctum redditur crassius, & densius, & lapideum, & sic in nube agitatum, & per motum, & antiperistasim nubis frigidæ semper se adunantis, & constringentis, veluti è bombarda emissum, admirandas dat strages.

Tertius erit metalli, seu ferri, vel calibis secundum Albertum 3. Meteor. tract. 3. cap. 23. & Georgium Agricolam lib. 4. de rerum subterranearum ortu. Si enim ille vapor à Sole, & astris eleuatus non est simplex, sed ex varijs compositus, quorum natura tendit ad naturam argenti-viui, & sulphuris terrestris non defeccati, vel argenti luculenti, dum in nubibus decoquitur, & depuratur; vertitur in ferrum, vel calibem, calibs enim est ferrum depuratum. Hinc est quod fit ex maximo calore hac materia dissecata, & per ardentissimam decoctionem indurata, quod non est possibile, per nostrum ignem liquefiat, vel mollificetur, nec cum malleis contundatur, vnde potius per longam moram in igne detenta, euaporat, & in cineres conuertitur, quam arti cedat.

Secundo. Notandum, quod alij, vt Seneca, lib. 2.

lib.2.nat. quæst.c.40. Plinius lib.2. cap.43. & 50. D. Damascenus in suis Physicis, c. vltimo, & alij tria faciunt fulminum genera.

Primum dicunt esse nimium subtile, & flammeum, & ideo per subtilissima penetrans, & hoc ictu terebrat.

Secundum dicitur valde conglobatum, & admixtum cum spiritu, & vento, & hoc rumpit, & non perforat, ac per id foramen quo ingressum est regreditur.

Tertium est magis igneum, quam flammeũ & hoc vrit, & percussis magnam adustionem infert.

Tribus autem modis vrit. Primo leuiter addurendo solum pilos, vel pellem. Secundo comburendo, & ignem in percussum ponendo cum combustione. Tertio tantum ignem accendendo.

Addit Plinius quædam alia fulmina, quæ vocat bruta, & vana, quia feriunt tantum montes, & aquas, quibus nullum inferunt nocumentum. Addit alia esse sicca, humida, idest minus sicca, & clara, sicca dicit non adurere, sed dissipare. Humida non vrere, sed ingrare, inficere. Clara vero mira facere. Quæ omnia ad effectus fulgurum, & fulminum reducemus.

Tertio considerandæ veniunt, quædam circunstantiæ in fulminibus. Primo quo ad tempus, quod in Hyeme, & Æstate non sunt tam frequentia fulgura, quia Hyems est multum frigida, & per calorem debilem suum non potest eleuare magnam copiam exhalationum, nec antiperistasis aeris est tam valida, vt in magno colore à terra ascẽdente. Hinc Scythæ, & aliæ septẽtrionales nationes nimium frigidæ fulmina rarius sentiunt. In Æstate vero deficien te humiditate terræ, exhalationes tenues sunt, & nubes paucæ, quæ fulmina concipiant. Quare Plinius dixit in Autumno, & Vere fulmina multiplicari, & in illis regionibus, quæ fere semper autumnant, aut vernant, quia eo tempore, & illis in locis abundant exhalationes calidæ, & siccæ, per calorem ad secundam aeris regionem deductæ.

Secundo quo ad motum solent fulmina valde irregulari motu, & tortuoso descendere, quia cum naturam ignis sit sursum tendere, & tamen illa exhalatio ignita nubis abruptæ impetu deorsum trudatur, aere ei obsistente, fit, vt hinc inde discurrat, vt aerem sibi resistentem superet, frangat, & deijciat. Notat autem Plinius fulgura non amplius quinque pedibus descendere, & ideo pauidos recte in cantinis, & locis sub terra existentibus se reducere, & sic se ab eis saluare.

Tertio quo ad odorem sæpe sulphuris odorem secum portant, quia illa exhalatio retinet multum de natura sulphurea. Sicut enim sulphur in terra gignitur, sic & in aere generari non inconuenit, & ita dicimus de quocunque alio odore mixtum comitante.

Quarto. Quo ad eius formationem notamus triplex principium habere posse, immediatum, scilicet Deum, naturam, & artem. Deum inquantum miraculo percutit suos aduersarios fulmine à cælo vibrato. Narrat enim Egnatius, & idem M. Aurelius Antoninus Philosophus in suis epistolis confitetur, quod dum in Germaniam exercitum mouisset, piorum Christianorum precibus hostes profligati sunt, è cælo fulminibus iteratis, quare illam legionem Christianorum cum Imperatore militãtium vocauit legionem fulminatricem. Vide Maiolum colloquio. Primo vbi eodem modo narrat precibus Christianorum fulmina fuisse vibrata, è cælo in hostes Aurelij Imp. secũ in exercitu habentis Christianos, & refert idem Eusebius Cęsariensis ecclesiast.hist. lib.5. cap. 5. Ita S. Gregorius Magnus epist. ad Constãtinam Imperatricem scribit quosdam venisse ex oriente, vt ad partes suas reducerent corpora SS. Petri, & Pauli, & dum hoc tentarent apud Catacumbas vi fulminum territi ea reliquerunt. Et Platina refert in Anastasio 2. Olympium Cartaginensem Episcopum Arianũ in balneo Santissimam Trinitatem blasphemantem, tribus tactus fulminibus cõcidisse, & eius cadauer omnino exustum fuisse. Et ita memoria tradidit S. Bernardus in vita S. Malachiæ Episcopi, quosdam qui in eum con spirauerant fulmine è cælo iacto expirasse. Vide multa alia exempla admiranda apud Maiolum, vt supra. Habent etiam naturam pro causa fulmina, vt diximus, & dicemus.

Tenent quoque artem, vt imitatricem. Scribit enim Zonoras tom.2. ijs verbis. E Tiberini posteris ortus est Amulius homo

tatem faciei, vel melius extrahendo humorem internum ad eam, & consumando humorem crystallinum, oculum visione priuat.

Tertio propter eandem rationem, exurit pilos existentes etiam in locis occultis, & non comburit carnem, quia exhalatio illa debilis est, & tenuis, & sicca, vnde agit in pilos, qui sunt sua natura sicci, carnem vero non tangit, quia ei sua humiditate, ac subsistentia magis resistit, & si sæpe, & ipsa aliquid patiatur.

Quarto. Eadem ratione exurit vestes, caligas, & calceos, & non infert nocumentũ alicui parti corporis, quia corpus ei sua humiditate contradicit, enumerata vero sua siccitate ei pabulum præstant, sicut & pili, qui cum eis tunc exuruntur.

Quinto propter non dissimilem causam interficit hominem, & non apparet in eo vulnus. Prouenit enim, quia ille vapor est subtilis, sed fortis, & rarus, & ideo permeatus, & vitalia membra pergit, & intus consumit, non faciendo vulnus in corpore, quod solet inferri à corpore duro, & non à raro, vt est illa exhalatio.

Econtrario vero quando vapor ille est densus, & bene cohærens per partes subtiliores porosas transit sine nocumento, vt per bursam, per vaginam gladij, vel per aliquid, ferrum, lapidem, vel quid simile durum circundans, & dum sentit resistentiam se vniendo, & confortando operatur in durum, & cum sit illo efficacior, illud atterit, & consumit. Et per hæc fundamenta solues omnes difficultates.

Tertius fit effectus fulminis quandoque comburere vegetem, & vinum per aliquod tempus seruare. Et aliquando apud Lucretium vinum consumere, & dolium intactum relinquere. Quando ergo vegetem, seu dolium consumat, & vinum seruat, agit sua siccitate in lignum, & illud in ueniendo suæ actioni accommodatum cõburit. At inueniendo humiditatem vini sibi contradicentem, non habendo vires illam tollere, per conterminationem eius actionis quãdam tunicam, ad modum pellis circa vinum relinquit, vnde non fluit. Sicut pellis tenera circundat ouum in vẽtre gallinæ, antequam dura testa cooperiatur. Vel hoc erit vt Magnus dicit Albertus, quia calor potest liquores adensare, si hi siccam exhalationem contineat, vt apparet in sale, nitro, sulphure, & similibus, vnde cum vinum sit calidum, potest extremas eius partes condensare, & quasi circa ipsum crustam facere, per triduum durantem. Sicut etiam refert ad idẽ operari psilium herba vino immissa, ipsum. n. quodã humore viscoso replet, quẽ vinum proprio calore ad extremitates diffundit, & ex isto fit quædam crusta, quæ tollit ne vinum fluat, dolio etiam rupto. Econtra vero, quando vinum absumitur, illæso dolio, dicendum venit fulgur tunc secum traxisse exhalationem maxime calidam, siccam, & subtilem, quæ porosum lignum transiuit, & sua siccitate, & caliditate vinum consumpsit.

Quartus effectus fulguris est liquorem illũ quem tangit, sit vinum, vel quid aliud (vinum tamen precipue propter suam virtutem, & densitatem) inficere, ita vt degustatum mortem inferat, vel stoliditatem inducit. Ratio est, quia fulgur in illum liquorem mittit qualitatem substantia uncosam, & qualitate sulphuream, & necantem.

Quintus ex opposito effectus est, vt venenata post fulminis plagam venenum deponant, & non venenata venenum concipiant. Ratio est, quia in venenatis sua caliditate, & siccitate venenum proprium illis consumit, & nõ venenatis, qualitatem noxiam sulphuris imprimit, quam credibile est etiam venenatis inferre.

Sextus est, quod faciem ab eo percussi contra se conuertit. Ratio est, quia animal dum percutitur, caput, & faciem contra percutientem vertit, vt illum sibi nocentem cognoscat. Fulgur autem citissime interficit, vnde non datur tempus ab eo percusso in aliam partem faciem suam voluere.

Septimus est, quod vt plurimum percussa fulmine sulphureum odorem emittunt, quia fulmen ad odorem sulphuris accedit, talemque odorem sibi quasi cõnaturalem vendicat.

Octauus est, quod vulnus à fulgure inflictum sit frigidissimum. Prouenit enim, quia ignita omnia cum refrigerantur, solito frigidiora fiunt.

Nonus est, quod quandoque die sereno aliquem percutit, & de medio tollit, cum tamen fulmina ex nubibus sint. Ita legimus de Marco Herrennio Decurione, in

Caij-

in cælo sereno, vel prope terram, ex magna aeris calefactione.

Ad argumentum ergo dicitur, quod ille ignis et exhalatio calida, & sicca, si fiat à natura, neque omnis exhalatio fit fulgur, vel fulmen, sed etiam plura alia. Quando autem Deus ignem de cælo immittit triplici via procedere potest. Primo creando nouum ignem, vt diximus. Secundo coadunando exhalationes calidas, & siccas valde, & eas accendendo. Tertio ignem elementarem decisum quo ad aliquam eius partem mouendo, quod non erit ei violentum, sed obedientiale.

QVAESTIO VIII.

Vtrum Cometa sit exhalatio calida, & sicca.

Videtur quod non, sed quod sit æthereæ naturæ. Primo. Quod de sua natura mobile est, & de facili dissolubile, nõ potest esse materia rei diu durãtis, & voraci agenti, vt est ignis resistentis. At exhalatio terræ, in aerem subleuata est vt aer accensus mobilis, & dissolubilis Ergo nõ potest conuerti in Cometam diu durantẽ. Nam aliqui per sex menses durauere.

Secundo. Omne graue deorsum descendit. Si ergo Cometa est exhalatio compacta, viscosa, dura, & densa, ergo erit natura grauis, & consequenter deorsum caderet, quod non contingit.

Tertio. Si aer incensus seu exhalatio ignita non est naturæ cælestis, in circulum non moueretur, quia hoc est proprium cælestibus orbibus. At Cometa mouetur ab Oriente, in Occidentem, vna cum sphæris cælestibus. Ergo erit naturæ illorum.

In contrarium est Arist. 1. Meteororum & Albumazar, Ptolomeus. Albertus Magnus 1. Meteor. tract. 3 cap. 5. & alij.

Pro explicatione huius quæstionis. Primo notandum venit, quod de materia Cometarum multæ fuerunt opiniones. Nam quidam extimauerunt eos esse de natura corporum cælestium, & de numero stellarum errantium, vt Caldei. Et quãuis in diuersa abierint sequaces illorum, tamen in hoc conuenerunt, quod materia Cometę sit cælestis.

Sed in contrarium stat Aristot. cum omnibus Peripateticis, ponentibus Cometam esse exhalationem, vt dicemus. Conclusio ergo est Cometa non est ex materia cælesti. Probatur

Primo. Effectus suam causam habet, & signum rem cuius est signum. At dum Cometæ apparent magni sequuntur venti, & magnæ siccitates, quæ ex exhalationibus siccis procedunt. Ergo signum est, quod tunc abundant siccæ exhalationes, ex quibus sunt venti, & Cometæ Minorem probat experientia. Nam tempore Anaxagoræ per 75. dies ingens Cometa exarsit, quem tanta ventorum tempestas secuta est, vt turbo lapidem à rupe auulsum in sublime ferret, & illum portaret in Ægeos flumen Traciæ, vt Arist. dicit 1. Meteor. cap. 7. & de hoc apud historicos multa habemus exempla.

Secũdo. Materia cælestis in corruptibilis est, & inuariabilis. At Cometæ quandoque subito quod comparent, disparent, quandoque magni fiunt, & quandoque minimi euadunt. Ergo non sunt ex materia cælesti.

Tertio. Astronomi instrumentis Mathematicis docti, dilucide deprehenderunt Cometas esse Luna inferiores.

Hinc ergo exclusam habes opinionem Democriti, & Anaxagorę dicentium Cometam esse cohalitũ multorum planetarum inter se lumine cohærentium, ex quo reddunt faciem syderis longiorem. Hoc enim præter supradicta est falsum. Primo, quia dum omnes planetæ distabant, Cometæ visi sunt. Secundo quia planetæ parum exeunt ab ecliptica Zodiaci, at Cometæ multum ab eo visi sunt distare. Tertio, quia coniunctio planetarum breui tempore absoluitur, Cometa autem diu durat, & per menses. Quarto quia hoc regulariter fieret in congressu planetarum, & tamen tunc de raro videntur Cometæ.

Ita etiam explosam intelligimus opinionem Pythagoreorum, Hippocratis, & Æschyli, aietium Cometas esse vnam, eundẽque stellam errantem, distinctam à septem planetarum. Falsum enim est assertum istud. Primo, quia aliquando visi sunt Cometæ vt testatur Aristot. vt supra cap. 6. & Scaliger exercit. 70. in Cardanum. Item non est verum quod dixit Seneca, & cum eo Apollonius, quod sint stellæ errãtes. Quia non semper a nobis cernũtur, cum tamen cælum sit diaphanum, & transludicum.

Secundo

mouetur aer igni propinquus, cum & ipse ignis hoc motu moueatur ab orbe Lunæ cui contiguatur. Secundo, quia ex instrumentis mathematicis deprehensum est cometas excedere omnem altitudinem montium, quam non transcendit media aeris regio. Tertio. Quia media hæc regio frigidissima est, vnde non patitur moram ignitę impressionis, sicut eam ducunt Cometæ.

Secundo. Deducitur, quod & si aliquando visi sint intra Tropicos, vt fuit Nichomacho regnante, in quo tempore cometa apparuit circa æquinoctialem, tamen fere semper conspiciuntur extra tropicos solstitiales, tam ad septentrionem, quam ad Austrum, vt ait Arist. 1. Meteor. c. 6. quoniam sol multum calefacit partes tropicis subiectas, vnde ex nimio calore, illos vapores dissoluit.

Hinc Tertio deducitur, quod vt plurimum Cometæ generantur Autumnali tempore, quoniam hyberno tempore calor remittitur, & frigus augetur, vnde calor non valet abstrahere has exhalationes siccas, & calidas. Ita veris tempore calor non est sufficiẽs sursum trahere vaporem talem viscosum, densum, & terrestrem, & si aliquem attollit, in corruscationes, & fulgura resoluit. Æstatis vero calor intensus talem vaporem dissipat, & absumit. At in Autumuno cnm soleant ad finem signi Leonis pluuiæ concrescere, & adhuc calor vigeat, fit, vt similes vapores ad superam aeris regionem aduocentur. Sed tamen in omni tempore anni contingere possunt, nam & hyberno tempore, cum omnia gelu rigerent visi sunt, quoniam potest aer esse dispositus ad recipiendas illas exhalationes omni tempore, & virtute alicuius astri, tunc singulariter influentis sursum duci.

Quarto dixit Plinius lib 2. cap. 25. breue tempus durationis cometarum esse septem dierum, & longissimum octuaginta. Sed melius dicitur tempus hoc non esse aliqua certa regula præfinitum. Nam Ioseph lib. 7. de Bello Iudaico, cap. 44. narrat ante excidium Hierosolymæ apparuisse cometam, & per annum perdurasse. Fere vero semper non transcendunt tempus sex mensium.

Si quis autem quærat, quare vnus alio magis duret. Respondetur hoc. Primo esse, quia materia vnius copiosior est, vel densior, & difficilior ad resolutionem, quam alterius. Secundo, quia dum exhalationes similes abundãt, quæ iam ad superam aeris regionem deductæ sunt, alijs successiue ad eandem partem à calore deductis aluntur. Tertio, quia possunt magis minusve distare ab igne, & sic minus ab eo, vel magis resolui, & anichilari. Vapor enim ille tandem, vel in aerem resoluitur, vel in ignem.

Quinto. Quo ad motum Cometarum dicimus illos non habere vnum motum. Primo enim in girum voluuntur ab oriente, in occasum, sequendo motum orbium cælestium, & ignis in sua sphera. Secundo ab occasu in orientem, sed hic non dicitur proprie motus, sed eius retardatio, vergit enim secundum se, vt coniunctus igni ab ortu in occasum, sed quia aer, & ignis sunt corpora tenuia, ideo non recipiunt totum impetum cæli mouentis; & maxime cometa, qui est viscosus, & terrestris, & obluctatur illi raptui, vnde semper videbitur tendere ad maiorem distantiã alicuius syderis supra ipsum iam alias positi, quia semper ipse magis retardatur in motu ab Oriente in Occidentem. Tertio tamen, quandoque mouetur ab Austro in Septentrionem, & aliquando a Septentrione in Austrum, & ad alias differentias locorum, vel propter actionem alicuius singularis syderis in ipsum, vel propter nouam exhalationem sursum, ad hanc vel illam partem salientem, & illum vt sibi similẽ, & quasi ad pabulum habentem: Vel quia impetus ignis illum mouet, vbi magis ponderat. Quarto sursum commeat, quia ignis illum ad se rapit, vt consumet aptius, vel sic videtur, quia ex parte inferiori vapor accrescit.

Sexto quo ad colores, non proprios, quia his carent, cum non sint mixta ex quibus pullulare possint hi, vel illi calores. Quo ad colores ergo apparentes. Nunc apparent quasi argentei, & tunc signum est, quod materia est rarior ad modum flammæ, quæ est veluti argentea, & rarior pars ignis. Nunc fumidi, & tunc eorum materia crassa est, & viscosa. Nunc vt carbo niger, & tunc materia est densissima. Nunc vt carbo ardens, & tunc est valde compacta, & calida.

De prognosticis ex cometis faciendis.

COmetas nil per se boni prænunciare commune est assertum, & multa mala annunciare, fuit commune dictum experientia comprobatũ, de qua re legi possunt. Ioseph Hebreus vt supra. Zonora tom. 1. Socrates hist. eccles. lib. 6. cap. 6. Sozomenus lib. 8. cap. 4. Seneca lib. 7. cap. 21. cap. 15. & lib. 6. cap. 26. ac alij historici. In singulari autẽ eius effectus isti dicũtur.

Primus est vehemens ventorum flatus. Nam cum cometæ generentur ex abundantia exhalationum, & eadem sit materia ventorum, & cometarum, quamuis in qualitatibus differant, hinc est, quod ex tanta quantitate, quædam in ventos resoluuntur, & quædam Cometes fiunt.

Secundus effectus est terræmotus, propter eandem rationem, nam illi vapores sicci, & calidi, vel habent exitum liberum à visceribus terræ, vel non. Si non, concutiunt terræmotu terram, vt suo loco dicemus. Si sic, resoluuntur, vel in fulgura, vel flumina, vel ventos, vel cometes, vel alias impressiones ex exhalationibus siccis, & calidis genitas secundum earum dispositionẽ, & efficientiã causarum proximarũ.

Tertius est maris tempestas, & nauium naufragium, qui effectus sequitur, quoniam vt diximus tunc temporis magni, & terribiles venti concitantur.

Quartus effectus est epidimia, & multi alij mortiferi morbi. Nam ad consumationẽ cometæ per ignem factam sequitur illius magni vaporis per aerem diffusio, qui cũ per respirationem ad interiora rapiatur, ea inficit, cõtaminat, ac malignis humoribus respergit, ex qbus generatur morbus.

Quintus sunt prælia, quoniam magna caliditas per aerem diffusa, ex vapore generante cometam, & in quam per maiorem infectionem resoluitur, choleram suscitat, & accendit, & sic homines cholera peruasi ad arma volant, ad bella properant, & ad occisiones, & depopulationes, ex quibus ruinæ sunt prouinciarum, & regnorum. Sed quia corruptio vnius est alterius generatio, hinc dicimus cometas significare etiã mutationes dominiorũ, & pricipũ, sicut factũ est tpe magni Augusti.

Sextus sunt sterilitates, & pennuriæ rerum ad victum humanum necessariarum, quoniam calor terræ succum per exhalationem secum traxit, & aerem maligno humore infecit.

Septimus est mors principium naturalis, & violenta. Reddit rationem Iauellus, quia tempore cometarum per aerem extenditur magnus calor, mortalem secum ducens qualitatem, quæ in eis præcipue vires exercet, qui delicatius viuunt, vt reges, & principes, & humores habent subtiliores. Sed hoc non sufficit, quia pueri, & alij multi possunt principibus esse teneriores, & delicatiores.

Vnde dicendum venit, vel cum magno Alberto, quod & istorum sequitur mors, nisi habeant bonum temperamentum, sed his attribui non solet, quia non notatur, sicut notatur mors magnorum virorum. Potest etiam esse, quod hi magis de propria morte timeant, vnde dum per præseruatiua defensionem vitæ quærunt, timore, & in oportunis remedijs se interficiãt. Vel erit, vt dicit Damasc. lib. 2. fidei cap. 27. quia à Deo cometæ assumuntur, vt causæ secundæ ad inferendam mortem alicui magno viro, & quia de principibus singularem curam tenet, ideo ante eorũ mortem eos per cometas, ac alia multa signa animaduertit, vt de sibi necessarijs ad bene moriendum disponant, ne post eos sint rixæ, & prælia, & ipsi ei coniungi possint in gloria, qui eos in hoc suo vniuerso fecit sibi singulares ministros, ex particulari gratia. Ideo dum principes cometam in Horoscopo suæ natiuitatis viderint, vel in domo mortis dicit Ptolomeus multum de Occasu dubitent. Hoc solum noto Anno 1558. & 1559. duos Cometas apparuisse, & tunc mortui sunt Carolus V. Imperat. Paulus IIII. summus Pont. Rex Franciæ, Rex Angliæ, Rex Lusitaniæ, Rex Daciæ, Reginę Poloniæ, Angliæ, Vngheriæ, Frãciæ, Dux Venet. & Ferrariæ, & 15. Cardinales, & patriæ vehæ Venet.

Concludere tandem volo de Cometis, præcipue ab octo, & supra diebus durantibus nihil boni esse posse, quoniam cum illa exhalatio sit pertinax, & igni per tot dies resistat, dum ille in illum agit, & ipsum resoluit, continuo pestilentes qualitates in aerem producit, quæ causæ sunt accensionis choleræ, inflammationis sanguinis, corruptionis humorũ in corporibus mixtis, ex quibus tandem sunt bella, lites, rixæ, pestilentiæ, naufragia, mutationes dominiorum, & mortes principum, ac magnorum virorum, vnde dum Cometam vide-

videmus diu durare. (Sicut modo inspicimus ante Solem sub signo Scorpionis hoc Anno 1618. durare Cometam caudatum per 12. dies, nec etiam deficere in totum, cum tamen mutatio coloris de rubeo in clarum, ostendat exhalationē tenuiorem, & subtiliorem redditam esse) ad dominū leuare corda nostra debemus, & illum orare, vt mōstra conuertat in signa clementiæ suæ. Numquam enim visus est Cometa, quod aliquid mali non euenerit.

Nam Cometa ille fuit, qui ante obsidionem, & occupationem vrbis Romæ factam per Alaricum apparuit, de quo tradit Nicephorus lib.13.cap.36. suæ historiæ, & hic durauit per quatuor menses, & sequuta est tanta siccitas, vt more insolito multi mortales, & alia etiam animalia interierint. Furor bellorum creuit, pestis crudelis multis vitam ademit, & multi terræmotus cum magna hominum strage auditi sunt. Mouebatur in circuitu sub, & supra terram, ad motum aeris, quod nulli impressioni ignitæ cōuenit, nisi Cometæ. Idem Nicephorus lib.12.cap.37. commemorat de altero Cometa sub Theodosio Seniore Imperatore, durante per 40. dies, quem dicit fuisse nūcium magnorum malorum in vniuerso. Nam à pauco tempore totum imperium in combustione fuit, irruentibus barbaris in ipsum. Zonoras quoque refert tomo 1. ante excidiū Hierosolymæ per annum visum esse Cometā aduenire, & transire supra vrbem in formam gladij. Et Maginus in descriptione Tartariæ narrat, quod Cometa qui Anno à Christi Natiuitate 1211. apparuit, & per 18. dies perdurauit tuba fuit, quod Gothi, & Tartari in Europam aduenire debebant, & eam in direptionem, incendia, depopulationes, & strages ponere resoluerant, quod & factum fuit. Apparuit autem hic Cometa transeundo sopra Gothos, & Tartaros, & supra Russiam, & fluuium maximum Tanaim feriendo semper cum cauda sua occidentem. Euenit enim Anno sequenti, vt quædam gentes olim incognitę sub montibus Indiæ viuētes, in Tartariam venerint, & cum Tartaris vnitę irruerunt in Russiam, Vngheriam, & Poloniā, postquam iam depopulati fuerant, Sarmatiā Asiaticam, seu Scithyam, & omnes has Prouincias in ore gladij, & furore ignis deuastati sunt. Narrat etiam idem Zonoras sub Mauritio Imperatore alium fuisse Cometam Xiphiam, ita dictum, ab ensis forma. Quo tempore Padua cōbusta fuit à Longobardis. Roma ab Agilupho Rege Longobardorum obsessa, Saraceni in Siciliam innumera mala fecerunt, & Sclaui Dalmatiam occupauerunt. Natus est eo tempore Perfidus Maumethus, & Imperator Mauritius in Calcedone cum vxore, ac filijs, Anno suæ ætatis 63. trucidatus est. Scribit etiam Socrates hist. ecclesiast. lib.6.cap.6. aliud præsagium Cometæ, ait enim Gaynæ tyrranide Constantinopoli tam graue periculum imminebat ciuitati, vt Cometes maximus è cælo ad terram vsque peruadens, illud ipsum portenderet. Idem refert Sozomenus lib.8.cap.4. In magna etiam Nerronis tyrannide, in vrbem, ciues Romanos, matrem, & Christianos seuientis apparuit alter Cometa. Sed & postea, & Nero occisus est, apud Senecam lib.7.cap.21. Et ita ante Achaicum bellū, idem Seneca lib.7.cap.15. Et ita antequā duæ magnæ Vrbes in Aegipto Helices, & Dusis euersæ sint. Seneca nat.lib.6.cap.26. Ita ante bellum ciuile inter Pompeiū, & Cęsarem visus est Cometa, & in morte Cęsaris. Et ante famem, & pestilentiam Italiæ horribilem de Anno 1012. quæ vltra medietatem hominum à vita subtraxit, sub Benedicto Octauo. Et sub Andrea Dandolo Duce Venetiarum 1343. alter visus est, & postea in die Conuersionis S. Pauli Apostoli magnus terræmotus Ciuitatem concussit, & magnus morbus per totam Italiam peragrauit. Idem successit per tres Annos in Italia sub Nicolao V. Pontifice, vnde multas Processiones in Vrbe fecit, ad diuinam iram placādam. Idem significauit Cometa ante pestilentiā, multas Ciuitates Italiæ affligentem, de Anno 1576. Rogandus est ergo Deus, vt nostri misereatur, & benedicat nobis.

Ad primum in contrarium dicitur, quod aer rarus de facili mouetur, & dissoluitur, non vero per exhalationem in humorem terrestrem, & multum viscosum adensatus, vt fit in Cometa. Sic enim etiam per tempus igni resistit

Ad secundum dicimus non descendere, quia in eo calor grauitatem vincit, calor autem sursum attollit, & ignis.

Ad tertium dicimus Cometæ esse proprium moueri

moueri, illis motibus quib. diximus, prout ab hoc, vel illo mouentur, eo modo quo mouentibus conuenit. Solet autem Cometa fere semper in Septentrione apparere, & cōtra ipsum radios dirigere, numquam versus occidentem, vtique versus meridiem, vel contra Orientem, dico fere semper.

QVÆSTIO IX.

An stella magorum, & quidam Soles visi aliquando fuerit ignita exhalationes.

VIdetur quod non. Nam illa stella magos anteibat, & eis ingredientibus Hierosolymam deseruit. Vapor autem naturalis semper idem est, & eadem operatur, quia non ducitur voluntate, sed mouetur, vel stat, vel apparet, vel occultatur &c. naturæ necessitate. Ergo non fuit exhalatio Physica.

Secundo S. Augustinus epist. 80. ad Hesychium scribit duos Soles apparuisse ante Christi aduentum, & hoc miraculo, & Eutropius lib. 7. tradit ea die qua Christus natus est tres Soles apparuisse, quod Titelmanus in suæ naturalis Philosophiæ compendio lib. 6. cap. 13. ad miraculum trahit, ad significandum mysterium trinitatis.

Hæc difficultas non est magna, quoniam ex resolutione superiorum pendet. Id enim, quod Deus potest cum secunda causa facere, seipso solo potest etiam perficere, quoniam virtus Dei, nō est rebus alligata.

Difficultas solum est de facto. An Deus seipso, nulla causa naturali saltem effectiua concurrente formauerit stellam ductricē magorum ad præsepe, & quosdam Soles, & Lunas, in quibusdam temporibus visas, an vero his vsus sit, à natura formatis.

Quod igitur stella, quam viderant Magi in Oriente, & antecedebat eos, vsque ad locum Præsepij in Bethleem Iudæ ciuitate Dauid, vbi adhuc iacebat puer Iesus, à paucis diebus nobis natus, fuerit stella de nouo creata, cecinerat prius prophetando afflata spiritu Sybilla Erithrea dicendo 8. oraculorum.

Diuinamque Magi Stellam coluere recentem.

Monstratusque Dei præcepta sequentibus infans.

Est in præsepi;

Quare autem Saluator noster media Stella Magos ad sui cognitionem traxerit ait Theophilactus 2. Matthei, quia ipsi erant Astronomi, vt refert Tertullianus lib. de Idolatria, & ideo signo illis familiari eos duxit, sicut & Petrum piscatorem, dum in naui esset, & piscaretur vocauit.

Fuerunt tamen nonnulli apud Abulensem, cap. 2. Matthæi, q. 11. qui arbitrati sunt illam Stellam fuisse vnam ex fixis, vel planetis.

Sed hæc opinio est contra SS. patres D. Thomam 3. p. quæst. 36. art. 7. D. Basilium de humana Christi generatione, D. Io. Criso. hom. 6. in D. Matteum D. August. lib. 2. contra Faustum, & D. Damasc. lib. 2. de fide cap. 5. & alios. Et est contra rationem. Primo, quia stellæ oriuntur, & occidunt quodlibet die naturali, ista autem numquam occidebat. Secundo, quia alia astra lumine Solis offuscātur, & ista magis splē debat, vt testatur D. Ignatius epist. 14. ad Ephesios. Tertio, quia erat terræ vicina, & non supra omnia elementa eleuata.

Dicendum est ergo, quod fuit exhalatio à Deo in formam stellæ reducta, & magno splendore decorata, quæ ministerio angelorum mouebatur, vel alio Dei speciali influxu, quæ post eius peractam legationem euanuit.

Ad primum ergo dicitur, quod quamuis materia illius stellæ esset naturalis, motor tamen erat angelus, vel Deus, qui illam mouebant supranaturaliter.

Ad secundum dicimus illos soles potuisse esse exhalationes, sed credibilius est fuisse miraculo formatos.

QVÆSTIO X.

Vtrum ignis habent multa propria.

VIdetur quod non. Nam omnis calor est à primo calidissimo per Arist. 2. Metaphys. At tale est Sol, qui est origo, fons, & causa omnis caloris. Ergo omnia quæ igni attribuuntur ratione caloris, aptius soli possunt aptari.

In contrarium est D. Dionisius de Hierarchia Angelica cap. 15. vbi sic dicit de igne. Ignis est corpus sensibile longe excellentius, & subtilius omnibus alijs rebus corporalibus, & naturæ spirituali proximū, ac per hoc effectum suum dissimilius cun-

ctis

ctis alijs demonstrat. Ignis enim in omnibus est, & per omnia dare se consueuit, & ab omnibus non remouetur. Est tamen occultus, incognitus, immensurabilis, inuisibilis, quodammodo incorporeus, potens ad actionem propriam, mobilis, tradens se omnibus, quoquomodo approximantibus, mouens vniuersa se participantia, renouatiuus omnium, naturæ custos, illuminatiuus cum circumuellatis splendoribus, clarus, discretus, distinguens, & resiliens, deorsum pascens, & sursum mouens, acute means, excelsus, non recipiens ignominiam minorationis, semper motiuus, comprehensiuus, & mutatiuus, & in se reuertens, potenter actiuus. Ista autem singularia sunt attributa. Ergo ea habet, & bene erit aliquo modo ea explicare.

Primo ergo igni attribuitur inter elementa situs sublimior, quia supra aerem, & in concauo orbis Lunæ diximus in nostro vniuerso cælesti, sedem, & spheram suã habere. Patet enim, quod semper sursum tendit, tamquam ad proprium locum, cũ omne naturaliter moueatur ad proprium locum.

Secũdo dicitur, quodammodo incorporeus, sumendo incorporeitatem metaphorice, prout significat subtilitatem, & puritatẽ, quia purissimus est, & subtilissimus adeo, vt possit poni tamquam medium inter naturam incorpoream, & corpoream terrestrem, & materialem compactam.

Tertio inter elementa, & mixta est actualior, & actiuior, vnde dicitur immensurabilis, quia eius operatio in infinitum crescit, si ei in infinitum combustibile apponatur.

Quarto. Dicitur inuisibilis, & occultus quo ad essentiam, & formam, vnde multi pro forma ei dederunt suam qualitatem, scilicet caliditatem.

Quinto. Est cunctis corporalibus mobilior, quia caliditas quæ est ab igne est principium motus in animali. Et si aquæ fluant velociter, velocius tamen cadit fulgur, & currit corruscatio per cælum, & terrã.

Sexto. Dicitur cæteris inferioribus clarior, & illuminatiuus inferiorum, quia ex se emittit lucem per radios, sed circumuellatur quo ad eius claritatem propriã, quia in propria sphera non lucet.

Sed circa hoc singulare duas inuenio opiniones de qua re, post hanc quæstionem disseram.

Septimo est cæteris penetrabilior, propter quod dicimus acute means, quia de facili resistentiam tollit, & ad interiora pergit.

Octauo. Dicitur manifestatiuus, & distinctiuus, quia per lucem suam, & calorem, colores ostendit, & metalla discernit.

Nono. Dicitur habere virtutem attractiuã, quia materiam in quam agit dissoluit, rarefacit, & secum trahit.

Decimo. Dicitur habere vim renouatiuam, quia omnia veterascunt, vbi calor naturalis defecerit.

Vndecimo. Habet virtutem immutatiuam, quia omnia in quæ agit, in sui naturam igniendo resoluit.

Duodecimo. Habet virtutem communicatiuam, & sine diminutione diffusiuam, quia potius alia in se conuertit, quam ab alijs in suam conuertatur. Vnde dicitur capere gloriam in augmentabili, & in eo quod putatur minor, non sustinet contumeliam.

Decimotertio. Habet virtutem purgatiuam, quia metalla mundificat, expurgat, & mundat.

Decimoquarto. Habet virtutem alteratiuam, quia humores in corpore suaui digerit, & cibos crudos, consumendo in eis superflua, sapidos, & sanos reddere consueuit.

Decimoquinto. Habet virtutem vnitiuam, quia in quod agit, in eo suam formam imprimit, & sibi illud vnit, & in se conuertit.

Secuundo notandum venit, quod triplex ponitur species ignis, s. ignis, lux, ignis flamma, & ignis carbo quæ vere tamen non sunt tres species ignis, distinctæ essentialiter, sed vna est, distincta modaliter. Flamma enim est, vt in materia aeris consideratur, quia flamma est materia ignea, in substantia aerea accensa. Fumus vero est vapor ex partibus materiæ subtilioribus, & humidioribus, vi caloris resolutus. Et carbo est ignis actualiter incorporatus, & vnitus terrestri materiæ.

Tertio. Notandum, quod in igne etiam consideramus scintillam, fauillam, & cinerem. Scintilla est modica particula ignis, ex materia ignea, impetu caloris dissoluentis resoluta. Vi enim caloris

subito

subito in altum tollitur, sed cum in ea virtus eius defecerit, cum sit grauis denuo deorsum descendit. Ex materia autem viridi, & humida scintillæ grossiores, & in suo effectu penetrabiliores generantur, verum tamen pauciores.

Fauilla vero à fouendo est dicta, quia ignem fouet, & regit. Est autem tenuis, mollis, subalbida, sicca, & leuis in superficie, carboni ignito, adhærens fulgorem eius hebetans, & feruorem eius attenuans, ac minorans.

Cinis autem à cadendo est dictus, quia de substantia materiæ terrestris, vi caloris, generatur. Est mollis, despecti coloris, amari, & stiptici est saporis, partes habet minutissimas, & tenuissimas, leui flatu, diuisionis, & sparsionis receptiuas. Habet uirtuaem collatiuam, mundificatiuam, corrosiuam, & desiccatiuam. Calidus ignem fouet, frigidus extinguit. Multa actione, & conflagratione ignis in uitrum se conuertit, terram autem sterilem reddit, quia non impinguatur, nec propria humiditate humectatur.

Ad argumentum concedimus calorem ignis esse causaliter à Sole, sed alius, & alius est causaliter.

QVÆSTIO XI.

Vtrum ignis in propria sphera luceat.

Videtur quod non. Primo. Si luceret in sua sphera, nobis prohiberet uisionem stellarum, & Lunæ, & totum cælum colore rubeo perfunderet, cum ignis sit corpus luminosum, non requirens medium pro sui illuminatione. Hoc autem cernitur esset falsum. Ergo dicendum est illum in sua sphera non lucere.

Secundo. Sic tegeret nobis corpora, quæ sunt inter ipsum, & aspectum nostrum. Quoniam lucidū per se terminat visum.

Tertio. Sic illuminaret terram de nocte, & ita non esset perfecta nox.

Quarto. Quia est in materia rara, non apta visum terminare, quemadmodū nec aer, nec ea cæli pars, quæ non est stellata.

In contrarium arguitur. Calidum naturale, naturali sicco commixtum, in materia densa, efficit lucem. At ignis in propria sphera est densior cœlo non stellato. Ergo cum sit calidum, sicco commixtum habebit lucem.

Dicendum est tamen ignem in propria sphera non lucere posse dupliciter intelligi. Primo, luce emittente radios. Secundo, sua propria, est enim corpus non opacum, sed lucidum, vnde aliud est quærere an luceat secundum se, & aliud an vt lucidum à nobis videatur, sicut aliud est etiā quærere an cælum empyreum sit lucidum, & aliud an à nobis videatur, vt lucidum. Primum enim nō negamus, cum non sint corpora densa, & luce priuata. At secundum est, quod controuertitur.

Et quidem circa hanc quæstionem sunt duæ opiniones. Prima affirmat lucere, luce quadam alba, clara, quasi niuea, quam lucem dicunt nos videre in tempore sereno, dum ante stellas quandam lucem inspicimus albescentem. Hanc quidam moderni tenuerunt, inter quos est Dominicus Bannes 2. de generat. quæst. 1.

In oppositum stat Auerros 4. cæli comm. 32. vbi docet, quod aquæ accidit congelatio non vt est aqua, sed vt ei commisceantur vapores terrei cum quibus miscetur, ita ignis quatenus ignis non lucet, sed quatenus miscetur terreo, denso, radios reflectenti. Hanc opinionem sequūtur Alexander 1. Meteor. Algazel, & Auicenna, & videtur esse communis, & amplexanda, eo modo quo diximus. s. ignem esse lucidum, sed non lucere nobis, vnde illa albedo cæli. non est nisi lux stellarum, per aerem diffusa.

Ad argumenta ergo vtriusque partis respondemus.

Ad primum primæ opinionis dicitur, quod procedit de lucente in materia densa, & opaca, & radios emittente, qualis non est ignis in sua sphera.

Ad secundū idem dicimus, nullo modo officere visioni, quia est ibi corpus diaphanum, & transparens.

Ad tertium nil dicimus, quia pro nobis est, quamuis alij dicant, illuminare quoquo modo per aliquam lucem.

Ad illud aliorum dicitur, quod ignis in propria sphera non est in materia densa, sed subtili, & pura.

QVAE-

QVAESTIO XII.

Continens aliqua problemata de igne.

TAndem pro complemento tractatus de igne, & ignitis su... aliqua problemata, & difficultates soluendæ.

Primo ergo quæritur. Quomodo ignis possit à seipso corrumpi per definitionem, & à maiori igne per aggregationem, & tamen dicat Arist. 3. de cælo tex. 51. & 2. de generat. omne quod corrumpitur, à contrario corrumpitur non à suo simili.

Respondetur, quod ignis tripliciter corrumpitur. Primo, ex defectu materiæ qua nutritur, idest ex defectu combustibilis, in quo conseruatur. Secundo, per suum contrarium, & hoc dupliciter. Primo, per se, & sic corrumpitur ab aqua, quæ eum extinguit, si sit in sufficienti quantitate, & hæc vocatur corruptio violenta, idest per violentiam illata. Secundo, per actionem aeris per se absumentis ignem, & hæc ab Arist. vocatur corruptio naturalis, quia naturaliter ignis conuertitur in aerem. Per maiorem autem ignem corrumpitur per accidens, inquantum illum sibi vnit, & incorporat, & vnum secum facit per aggregationem.

Ad argumentũ ergo patet, quod dum ignis deficit paulatim, à suo contrario comedente illum corrumpitur à maiori autem per accidens, & ex defectu materiæ tollitur generaliter.

Secũdo. Quæritur, cur aer sit necessarius ad conseruandum ignem, ita vt si ignis sit in aliquo vase inclusus, & aeris ingressus prohibeatur claudendo os vasis, subito ignis extinguitur, vt patet in cucurbitulis, & alijs similibus.

Respondetur, quod papulum extrinsecum ignis est aer, vnde ad conseruandum ignẽ necessarius est aer tripliciter. Primo, vt illum suo modo alat. Secundo, vt excrementitiam eius fuliginem excipiat, cum ignis puriore aere foueatur, vnde semper illum rarum facit, & rariorẽ. Tertio, quia aer frigidus, caliditatem ignis restringit, & vnit. Cum igitur in angusto loco est ignis, & respiratio (vt ita dicam) seu noua aeris attractio ab eo subtrahitur, incalescit, & ardet, & deficiendo ei necessaria ad sui conseruationem, necessarium est illum deficere.

Tertio. Quæritur, cur ignis diutius ad vmbram, quam ad Solem conseruetur.

Respondetur id esse, quia calor Solis calorem ignis dissipat, ac dispergit, in vmbra vero frigus circunstans calorem ignis reprimit, nec effluuere finit.

Quarto. Quæritur, cur ab aqua marina minus extinguatur, quam ab alia.

Respõdetur, quia aqua marina pinguior est, & siccior, habiliorque ad minus extinguendum ignem, quia pinguedo, & siccitas in rebus combustibilibus ignẽ fouent, in aqua vero suo modo minus officiunt, quia magis accedunt ad fomentum ignis, quam aliæ aquæ non salsæ.

Quinto. Quæritur, quæ nam est causa, quod dum ignis in pyramidis figuram ascendit cacuminatur.

Respondetur, quia partes tenuiores celerius ascendunt, & minus tenues ab imo fusæ resistunt, mediocres has antecedunt, illæ sequuntur. Et quia ascendendo semper se vnit, & subtiliat.

Sexto. Quæritur, cur ignis ex sulphureo pulvere excitatus, intra vasa tormentaria contentus tanto fragore, & strepitu foras erumpit.

Respondetur rationem esse, quia cum intra angustum vas concipitur, inuenitque sibi materiam paratam ad ampliorem locum, eam rarefacere, & ampliare conatur, & inueniendo impedimentum, & aerem propinquum sibi obsistentem, illũ suo impetu frangit, disrumpit, & dissipat, & sic talem strepitum edit.

Septimo. Quæritur, cur multus ignis minus sudorem prouocet, quam minor, dum per ignem sudor prouocatur.

Respondetur, quia multus ignis dissipat humidum, in corpore excitatum, & sic exsiccat, & sudoris materiam consumit. Vnde etiam, qui ad ardentem Solem nudi stant, parum sudant, quia calor Solis humidum consumit sudoris.

Octauo. Quæritur, cur hi qui vehementer frigent, si ad copiosum ignem propius accedant, magnum dolorem sentiũt, vt ego expertus sum, dum Vercellas peterem in medio hyeme, & ex defectu nauigij in medio noctis aquas gelidas intrauerim, ductore amisso, & angelo (vt pie credo me ducente) amnem intrauerim eius profunditatem ignorando, & diuinæ clementiæ me committendo, eram enim inter

fluuium,

fluuium, & fluuium, & in medio niuium.

Respondetur, quòd repentina mutatio de vno contrario, in aliud, de frigore ad calorem violenta est, & resistiua, vnde dum contrarium contrario resistit, subiectum patitur. Suauis autem calor suauiter etiam expellit contrarium frigus, & sic alleuiat dolorem.

Nono. Quæritur. An detur animal, qui in igne viuat.

Respondetur cum Arist. lib. 5. de hist. anim. cap. 19. Galeno lib. 5. de temperam. & S. D. 4. d. 44. q. 3. art. 1. quæst. 3. negatiue. Quare quod alibi dixit Arist. de Pyraustis viuentibus in fornacibus Cipri accipiendũ est, vt aliorum dictum, & non vt proprium. Et ita quod de Salamandra affirmatur. Verum est enim, quod est admodum frigidę, & humidæ naturæ, & suo tactu aliquas prunas extinguat, at tandem igne consumitur, nisi ab eo exeat. Opus est enim, vt quodlibet mixtum, ex temperie quatuor qualitatũ coalescat, & consequenter quod si vna excedat, animal decidat.

Decimo. Quæritur. An saltem aliquod anima expers possit in igne incolume seruari.

Respondet Plinius lib. 37. de nat. hist. cap. 4. id verificari in adamãte, qui ferro, & igni resistit, adeo vt ferro non confringatur, nec igne aduratur. Item hanc virtutem donat lib. 10. cap. 3. lapidi Aetili, qui solet in nido quarundam Aquilarum inueniri. Et alij hoc idem tribuũt cordi hominis venenato.

Sed dicendum venit, quod aliud est retardare, & diutius obsistere calori ignis, & aliud omnino ei non cedere. Primum est verum in adamante, ac quibusdam alijs. Secundum vero est falsum, quia caliditas est qualitas actiua, & frigiditas passiua, actiuum autem passiuum tandem vincit, & superat. Et si excalefieri possit ab igne, ab eodem etiam consumi tandem, & si magna acrimonia, & lõgo tempore possunt, quia calefactio dispositio est ad consumationem.

Vndecimo. Quæritur. An detur ignis qui suo contrario. I. humido, & frigido alatur, & foueatur.

Respondetur nos multa admiranda legisse de igne aqua non extincto, ea depasto, & nutrito.

Primo enim Plinius tradit lib. 2. cap. 106. in Megapolitano agro esse quendam ignem, qui nemus prope se non adurat, & iuxta gelidam fontem semper ardet. Strabo etiam, & Solinus asserunt cacumina, & latera montis Aethnæ inter niues ardere, nec frigus niuium calore dissolui. Immo quod mirabilius est scribit Marcus Polus, lib. 1. cap. 28. in planitie Pamor sub magni Camditione, adeo ingẽs esse frigus, vt eo vis ignis reprimatur, vt nec lucere valeat, nec aliquid coquere.

Auicenna, & Bartholomeus Sybilla Metropolitanus in Dec. 1. c. 3. q. 4. quæstiunc. 5. dicunt id euenire, quia causa potest impediri in effectu, sed ab ea non potest tolli propria actio. Itaque potest aer aliquo nimis infrigidari in vno loco, & ita impediri à frigore, ne accendatur ab igne, & accendat cõbustibilia, in alio vero foueri ex dispositione aeris, & accendere. Oportet enim prius ignem aerem accendere, & per eum vrere. Ita continuus ingressus aeris in voraginibus montis Aetnæ, & aliorum montium ardentium, potest impedire ne montes illi igni absumantur, cum ille non sit humidus, & frigidus, & consequenter fiat nutrimentum ignis, ita vt aliam materiam intactam relinquat.

At secundo mirabilius censeo, id quod scribit Plinius lib. 2. c. 106. in Chymora monte ignem esse, qui aqua accenditur, & terra, & fœno extinguitur. Et in Parselide Liciæ, & Hephestijs esse arenam, quæ in aqua posita ardet. Et alium esse ignem, qui pluuijs alitur, quia si quis baculo ex eo accenso traxerit sulcos, riui ignei sequuntur. Et in Nimpheo esse petram, quę pluuijs accẽditur Theophompo teste.

Rationem esse puto, quia illa aqua plurimũ de sulphure, vel pice, vel alia qualitate igni accomodata retinere debet, vel de crasso, & oleoso, & sic ratione illius qualitatis fiat materia ignis. Possunt enim aqua, & ignis in aliquo mixto stare, vt in sale cernimus, vt tradidit S. Hilarius comment. in Matt. can. 4. & propterea sal in igne crepitat, quia humor aquæ resistit. Sed de his multa dicemus, dum de aqua agemus.

Duodecimo. Quæritur quid dicendum veniat de igni montium, qui vel in monte cernitur, vel ex eo erumpit.

Respondetur, hoc clarum, & dilucidum esse, quosdam reperiri montes in quorum cacumi-

cuminibus perpetuæ sunt niues, & tamen ex illis montibus exeunt crebra, magna, & horrenda incendia, vt de Æthna tradit Solinus cap. 10. Olaus de rebus Septét. lib. 2. cap. 4. & cap. 2. Saxo Grammaticus, & Surius, anno domini 1537. de quodam alio monte in Islandia, dicto Staghe alias Echla. de quo sic scribit. Mons ille cum furit, haud secus, atque horrenda tonitrua insonat, proijcit ingentia saxa, sulphur euomit, cineribus egestis, terra circumcirca tam longe operit, vt ad vigesimum lapidem coli non possit. Emergit illic ignis quidem, qui aquam absumit, stuppam non absumit.

Secundo. Non solum apud Septentrionales frigidos in eorum mōtibus perpetuæ sunt niues, in montibus altis, verum etiam in Affrica in torrida Zona, vt dicit Iouius lib. 18. Et littora Antarctica perpetuis niuibus albescere tradit Petrus Hispan. par. 5. cap. 17.

Dico ergo, quod in istis montibus vbi duo cōtraria reperiuntur, niues, & ignis, duo sunt pensanda. Primum est quod ibi sunt cauernæ sulphureæ, ex quibus ignes euomuntur, lapides, & cineres, vnde periculosum est prope eas accedere. Secundum est, quod ignis ille in visceribus illorum montium reductus, externis niuibus, & frigore coadunatur, ac per antiperistasim validior efficitur. Vnde potest esse, vt cacumina, & aliæ partes externæ gelidæ sint, & ex suo frigore calorem ad intus impellant, & hinc fiunt tot incendiorum natales.

Sed quis interrogabit me. Quomodo cacumina montis Olympi, inter omnes montes altissimi, sint omni niue priuata, & tamen in altissimam mollem se attollāt. Respondent S. Aug. libro 1. de Genesi contra Manicheos cap. 15. Isidorus lib. 14. c. 4. & alij, quod sumitas illius montis secundam aeris regionem transcendit, in qua niues generantur, & ideo in eo numquam esse niues, nec ventos sentiri. Et quamuis Franciscus Philot. hoc iudicet fabulosum, dicatque se montem illum conscendisse, & hoc non inuenisse. tamen in Augustini sententia est standum, & dicendum quod quinque sunt Olympi, ex Strabone. Bocatio, Manutio, &c. & de nostro non fecit experientiam, qui est in Macedonia, nisi deceptus sit in nomine. Sed altitudo ad rem nostram non facit. Dubium quidem esse potest, quomodo ex montibus fulminent ignes, & ex vallibus non.

Dicitur, quod montes cauernosi sunt, & porosi, in eisque sulphur, & bitumen generantur, vnde tum ex valido ventu illas cauernas intrante. Tum ex antiperistasi externi frigoris ignem concipiunt, & antequam parturiant, strepitu interno personant, at valles sunt terra compacta, & & solida, & humiditate plena, & ideo nisi ibi etiam sint cauernosa, nō edunt ignem.

Decimotertio tamen quæritur. Cur in multis insulis voracissimi ignes deprehendantur.

Respondetur. In eorum montibus vtique, quia ignis fomenta sunt tria, scilicet sulphurea materia, ventorum spiritus, & plurimus humor, adeo, vt vbi ista tria sunt, ignis est perpetuus, & vbi defecerint, non. In insulis autem vndique ventis expositę, & aquis circundatæ ista reperiuntur. Nec obstat, quod in Æthiopia præcipue meridiana non pluuat, & tamen ibi sint magni ignes in montibus, quia quod pluuia alibi facit, hoc in Æthiopia nocturni rores efficiunt. Magno enim Solis ardore humor ille in visceribus montium clauditur, ad fomentū ignis, in campestribus autem difficiliores sunt ignes, quia raræ sunt illarum partes, quæ sint cauernosæ, & sulphureæ, & si sunt, ignem, & ipsæ emittunt.

Decimoquarto. Quæritur quid dicendum sit de igne ex lapidibus deducto.

Respondetur, quod in intimis eorum partibus sunt quędam ignis semina, cum siccitate permeantia, vnde percussi, ex attritu fauillas faciunt. Quod vero alij tradunt lapidem esse, qui in aqua positus ignem accendit, possibile est, quia debet esse calidæ, & siccæ naturæ, vnde dum contrarium sentit, per antiperistasim accenditur, vt patet in calcina.

Decimoquinto. Quæritur de igne lignorū, ligna enim esse materiam combustioni aptam clarum est, sed tamen multa contraria legimus.

Dicimus ergo primo mirabile esse id quod scribit Arist. de admirand. c. 110. scilicet petras quasdam esse in regione Scytharū, & Medorum, quę extinguunt carbones ignitos ex lignis, & aqua irrigati ardent. Ratio potest esse, quod ex nimia siccitate non possunt igne torreri, at humore sug-

gesto vtique, vt de calcina diximus.

Secundo. Dicimus ignem in ligna tria operari. Primo calorem, quia ea nigra facit adurendo ea. Secundum solida reddit, si post primum ignem in aqua extinguantur, vnde quæ pro fabricis assumuntur, prius in fundo comburuntur aliqualiter, quia illa adustio humiditatem laxatiuam, & corruptiuam adimit, & partes ligni constringit, & sic eas fortiores reddit. Tertio ea consumit, si diutius in ipsa agat, quia vorax est.

Decimosexto. Quæritur quomodo possit ignis cieri à vitro, & speculo cum ex se frigida sint.

Respondetur, vt diximus supra hoc fieri, quia ex concauitate, & reflexione radiorum, vnioneque ipsorum, ignem excitare possunt.

Decimoseptimo. Quæritur, An alia mirabilia de igne legamus præter enumerata.

Respondetur affirmatiue. Et Primo, quod mirabilia facit in mineralibus, vnde dixit Plinius lib. 36. cap. 27. Ignis (ait) accipit arenas ex quibus alibi nimium, alibi plumbi genera, alibi pigmenta, alibi medicamenta fundit. Igne lapides in æs soluuntur, igne ferrum gignitur, ac domatur, igne cremato lapide cementa intectis alligantur.

Alia sæpius vri prodest, eademque materia aliud gignitur primis ignibus, aliud secundis, aliud tertijs.

Secundo. Reijcitur opinio Plinij de inuentione ignis, dum lib. 4. c. 12. autumat ignem primum in Delo insula fuisse inuentum, & alij dum dicunt eum à Protogono adinuentum, à toto cælo aberrant. Nam 3. c. Genesis legitur, illico post eiectionem. Adam à terrestri paradiso, positum fuisse ad eius custodiam Cherubinum cum gladio ignito, ne quis auderet illuc redire. Et in sacrificio Abel eius primitias cõsumpsit, & Tubalchain in ferrariam artem fuit in adiutorium. Et credibile est omnia elementa à principio mundi fuisse in vsu, & cognitione.

Tertio. Dicimus Deum sæpe suam potentiã per ignis ministerium demonstrare in sacrificijs, & puniendis malis, vt passim legimus in sacris, ac prophanis literis. Primo quia est symbolum Dei omnipotẽtiæ, Ignis enim totum quod vrit, consumit, & in fauillam, & cinerem redigit, adeo vt illius nullam memoriam relinquat. Et ita Deus est cui corpus, anima, & omnia sunt subiecta, & ea in nihilum redigere potest. Vnde sicut illi qui crimen aliquod omnino detestabile, & horrendum committũt igni cremantur, vt de eis nulla amplius relinquatur memoria. Ita qui diuinam maiestatem offendunt, scire debent æternas luituros pœnas, & nomina eorum deleri de libro vitæ. Secundo, quia ignis est supremum elementum, & primum in ministerio Dei vindicis. Tertio, quia multas habet similitudines cum Deo, & ideo magis assumitur, quam alia elementa.

Quarto. Rem naturalem esse censemus, quæ tamen primo aspectu miraculosa iudicabitur, scilicet quod turris lignea ab Archelao alumine oblita, dum contra eum L. Sylla pugnaret, ardere non potuit. Oportet enim allumen vim ignis repressiuam habere. Ita non est miraculum, quod linum Indicum, siue Cyprium, ex Amiante lapide cõfectum ab igne non lædatur, sed seruetur illesum, & quod in telam cõtextum, & in mantilia redactũ, si proijciatur in ignẽ non comburuntur, sed à sordibus purgantur, & deinde illesa seruantur, pura, & nitida, vt testatur de visu Plinius lib. 19. cap. 1. & Solinus cap. 16. Scribit carbasa quædam esse, quæ inter ignes valent. Et Vincent. Beluac. hist. nat. lib. 20. c. 38. de Chamaleonte sic dicit. Chamaleon quadrupes, lacerti forma, præfert ex cute quasi Lunam quandam, ex qua quæ contexuntur, comburi non possunt. Et Surius narrat de monte Hecla in Islandia, qui quondam ignem producit aquam ablumẽtem, & linum intactum ab incendio seruãtem. Et est alius ignis in Puteleano monte sulphureo, qui neque oleo, neque cera, neque aliquo pingui accenditur, nec stuppã comburit, nec ex eo lumen accenditur, immo accensum extinguitur. His enim omnibus occurro dicendo. Primo, quod esse potest quidam ignis in apparentia, qui vere non sit ignis, sed potius aqua accensa, sicut etiam accidit linteo, in aqua cõmuniter dicta (di vita) immerso, quod flamescit, & non comburitur, facit enim aqua lucem, & flammam ignis, sed non est vere ignis. Secundo dico esse quosdam ignes mirabiles, & subtiles, vt sunt ignes fulminum, qui res tenues, & subtiles non lædunt, sed duras, & densas sibi resisten-

tes

tes corrodunt, & absumunt, vt supra in quæst. de igne fulgurum diximus. Tertio dico ignem nostrum nutriri in materia mixta, quæ potest pati diuersas proprietates, vnde non est mirabile videre tot diuersitates in igne. Sufficit enim, quod elementaris, & non impeditus calefaciat, luceat, & comburat.

Decimooctauo quæritur. An possit dari ignis, qui sine olei noua appositione, perpetuo durare possit.

Respondet Solinus cap. 12. & 24. affirmatiue, scilicet quod Asbestus lapis ferri colore, accensus semel, extingui non potest, ideoque in famis Idolorum, tum in sepulchris collocatum, (ut scriptores tradidere) ibi perpetuo ardet. Et Viues in 6. caput lib 21. de ciuitate Dei S. Augustini dicit. Erutum est sepulchrum memoria patrum, in quo ardebat lucerna condita ibi, vt ex inscriptione apparebat, supra millesimum, & quingentesimum annum, eaque tota exemplo, vt contrectari cepta est, inter admotas manus feriata, in tenuissimum abijt puluerem. Quod & si D.Aug. superstitioni tribuit, pro quanto antiqui putauerunt hoc igne sacerdotes gentiles populos decipere, non tamen sine causa naturali esse potest, scilicet materiam illam esse adeo igni resistentem, vt illum per secula conseruare possit. Quod & Solinus tradit dicendo. In Britannia, in Mineruæ delubro perpetuos ignes fuisse, eosque numquam in fauillas canescere, sed vbi ignis abijsset, in saxeos globos verti consueuisse. Et Viues testatur se vidisse Parisijs pluribus in locis Licinos quosdam, qui incensi numquam absumebantur. Et Petrus Hispan. tradit in Silu. par. 5. cap. 26. iuxta Vrbam in nouo orbe esse quandam naturam ligni, quod ab igne accensum, lucet, & numquam extinguitur, donec post multum temporis absumatur. Potest enim materia densa, & oleosa ignem diu seruare. Ita Ælianus histor. anim. lib. 5. cap. 3. tradit de quodam alio igne, ex oleo cerulei vermis carnibus eius confecto, qui vermis in Indo flumine nascitur, & natat accenditurque ignis tanta vi olei istius, vt sine vllo alio igne admoto ex sola aspersione huius olei facta super quamcumque magnam lignorum congeriem, illam irremediabiliter comburat, & tamen si hominem, vellet, vel aliud animal exurere, primum vt hoc insuderis, funditus statim deflagrat. Debet enim sympatiam cum lignis habere, & antipatiam cum animalibus & improportionem cum his tenere, & ideo in illa, & non in ista agere.

TRACTATVS SECVNDVS.

De Elemento aeris, & de genitis in eo.

QVÆSTIO XIII.

Vtrum aer habeat quedam propria.

Videtur quod non. Primo. Elementum purum videtur ab omni passione esse purgatum. At talis est aer, vt eius subtilitas testatur. Ergo non habet propria.

Secundo. Propria faciunt compositionem cum subiecto. At aer est corpus omnino simplex. Ergo.

Tertio. Propria sunt accidentia, & ista saltem per Dei potentiam à subiecto separabilia. At à corpore simplici nihil est separabile, aliter non esset simplex, sed compositum. Ergo non habet propria.

In contrarium sunt DD. communi consensu dicentes, aerem esse corpus simplex, solidum, & humidum, rarum, subtile, influentiarum, & cælestis luminis receptiuum, inspirationis, & respirationis necessarium vehiculum. Volatilium cæli proprium habitaculum.

Primo ergo habet aer secundum suam naturam, quod sit calidus, & humidus. Habet tamen per accidens, quod etiam sit frigidus, & siccus. Frigidus vt in media sua regione constituitur, in qua pluuiæ, grandines, & alia frigida generantur, & quod sit siccus, vt est materia ventorum, maxime septentrionalium. Est etiam magis calidus, & humidus in vna parte, quam in alia, & in vno tempore magis, quam in alio, nam prope spheram ignis æstuat, & tempore Æstatis prope terram ardet, tem pore vero hyemis frigescit. Et prope aquam, ac loca humentia magis humidus est, quam in locis siccis, ac altis montibus. Ista autem ei conueniunt per accidens nō vt talis est in se, sed vt est alterabilis ab extrinseco.

Nn n 2 Secun-

Secundo. Habet, quod sit vehiculum lucis, & influxus cælestis, quia prius in aere recipiuntur, & deinde per aerem ambientẽ ad nos deferuntur, & eo magis si per expirationem, & respirationem ad intima nostra transportantur.

Tertio. Est necessarius ad respirationem, & ad vitam hominum, vnde nisi sua frigiditate calorem magnum per expirationẽ temperaret, homo dissolueretur. Hinc aer expiratus est calidus, quia exit à pectore, calefactus per calorem cordis, & dum quis strictis labijs exufflat sentitur frigidus, quia talis aer est externus, qui nisi inueniret impedimentum durum labiorum, ad cor descenderet, & sic est frigidus.

Quarto ratione suæ subtilitatis, & nobilitatis est maxime alterabilis, adeo vt modo sit frigidus, & modo calidus, vnde cauendum est ab aere sic cito alterato, quia etiam alterat corpora nostra, & transportando de dispositione ad contrariam dispositionem, inæquationẽm humorũ facit, & consequenter malas febres. Hinc etiam sequitur, quod ex aere infecto sequuntur pestilentiæ, fames, & sterilitates, quia male affectus inficit omnia quæ tangit, quæ sunt omnia super terram existentia. Vnde dicunt Physici, quod aer bonus est omnibus si est serenus, purus, tenuis, patens, liber à fetoribus, nulla putredine infectus, ventisque afflatus, qui cum attrahitur, sentitur, oriente Sole cito calescens, & eodem occidente cito frigescens. Econtra omnibus malus est aer, turbidus, nebulosus, impurus, fetidus, nubilus, obclusus, putridus, quem neque Sol, neque ventus penetrat, nec purgat, qui ab aquis immotis, & feculentis malam qualitatem suscipit, qui tempore æstatis ex lacuum, stagnorum, paludumq; vicinitate malam admixtionẽ recipit, & pestilẽtem. Sic malus aer est, qui ex sterquilinis cloachis, & locis pestiferis oritur, qui proinde cor constringit, anhelitum coarctat, & virtutes spirituales debilitat. Item malus aer est nimium calidus, qui vires dissoluit, sitim generat, spiritum diminuit, & digestionem impedit. Pariter multum frigidus, qui asthmata, & catarrhos gignit, & spiritum vitalem vitiat. Et in morbis præcipue cronicis salutare est aerem mutare, & ad proprium natiuum, si fieri potest se reducere, quia nullus est natu connaturalior illo, nisi sit multum fetidus, & nociuus. Redditur etiam aer malus ex suffumigationibus, & odoramentis, calida enim caput replent, & catarrũ generant, vnde odores temperati inter humidum, & calidum sunt illi qui cerebrum confortant. In æstate ergo erit alterandus aer frigidis odoribus, ex rosis, violis, mirto, camphora natiua, sandalis, aqua rosarũque. Hyeme vero cinnamomo, aratio, aloe, arulea, musco, quę sunt calida. Solet autem aer esse purior, & melior in locis altis, & montibus, nisi quod quandoque est nimis subtilis. Condensatur autem aer. Primo, per vapores, & exhalationes à terra, & aqua virtute Solis abstractas. Secundo per frigus congelans partes humidas eius, & Tertio, cum aer aeri additur, vt flatus aeri, vnde tempore frigido fumus videtur.

Quinto. Dico, quod aer solet immutari. Primo per approximationem, & elongationem Solis calefacientis. Secundo per dominium, & influxum stellarum calidarũ, vel frigidarum, vt suis locis dictum est. Tertio ex repercussione obliqua, vel directa radiorum Solis, quia directa causat calorem, & obliqua cum minuit, vt patet Aestate, & Hyeme.

Quinto. Dico, quod profunditas sphera aeris secundum Fernelium lib. 1. Cosmog. c. 2. Clauium ad c. 1. spheræ sacri bosch, Barocium lib. 1. Cosmo. cap. 2. & Planium lib. 2. c. 13. est circiter 52. milliariorũ, quia vltra hanc altitudinem vapores non ascendunt, nec Cometæ vltra hanc distantiam transcendunt, vt docet Petrus Nonius lib. de Crepusc. Vitellio lib. 10. proposit. 60. & alij perspectiui, quibus vt in sua arte expertis credendum est.

Septimo. Dico aerem proprio motu sursum moueri, cum ignis, & aer sint mobilia à medio, & aqua, & terra ad medium. At vt coniunctus est igni mobili à sphera Lunæ in circulum, potest & ipse in circulum moueri, & hoc tantum in superiori sua regione contigua igni. Mouetur etiam per condensationem, & rarefactionem, & resolutionem, nam in locis frigidis intantum potest adunari, vt fiat aqua, & in calidissimis, vt conuertatur in ignem.

Octauo. Dico etiam pro fundamento fere omnium dicendorum, quod aer diuiditur

in

in tres regiones. Prima dicitur suprema quæ sphæræ ignis est contigua, in qua diximus generari cometas, & multa alia ignita, & ista est multum calida, & sicca ob vicinitatem ignis. Secunda dicitur media, quæ quoniam distat ab igne, & à terra in qua mediante repercussione radiorum Solis causatur calor remanet frigida, & humida. Tertia vero terræ proxima modo est calida, dum Sol eã ex irradiatione calefacit, & modo est frigida, dum eam parum collustrat. Sed & omnem tertiam partem aeris in tres partes diuidimus, quia ex vicinitate ad aliam multas trahit diuersitates, vnde etiam in illis fiunt diuersæ impressiones. Vt igitur melius rem intelligamus, hic ordinate has regiones ponimus.

Suprema pars supremæ regionis.) Media pars eiusdem.) Infima pars eiusdem.)	Suprema aeris regio.
Suprema pars mediæ regionis.) Media pars eiusdem.) Infima pars eiusdem.)	Media aeris regio.
Suprema pars infimæ regionis.) Media pars eiusdem.) Infima eiusdem.	Infima aeris regio.

Ad primum autem argumentum dicitur ad maiorem, quod aer dicatur elementum purum stat dupliciter. Primo in ordine ad mixtum, & sic verum est, quia componit mixtum, & non componitur ab alio. Secundo in ordine ad suam form, & passiones proprias, & sic non est omnino simplex, vnde admittit compositionem subiecti, & accidentium, ex esse, & essentia, ex genere, & differentia, &c. & per hoc patet ad secundum, & tertium. Si vis autem scire an propria passio sit saltem per diuinam potentiam separabilis à subiecto, vide in quæstionibus nostris metaphys.lib.7.

QVÆSTIO XIV.

Vtrum aliqui veri colores Voraginis, Halo, Corona, Iridis, & nubilum possint comparere in aere.

Videtur quod non. Nam color est qualitas secunda composita ex primis, & consequenter est passio mixtorum. At aer non est corpus mixtum, sed simplex, vt dictum est. Ergo in aere non possunt esse colores. Et si colores, qui in aere apparent causentur ex exhalatione calida, & sicca, quæ est materia omnium ignitorũ, tamen ad hunc locum distulimus, quia propriè in aeris regione fiunt.

Primo ergo notandum venit, quod colores sunt in duplici differentia. Primi vocantur veri colores, & hi ex mixtione primarum qualitatum resultant, & solum in corpore mixto, terminato cernuntur, vt docet Aristot. lib. de sensu, & sensibili, & in libris de anima. Secundi vocantur apparentes, & non veri colores, & de his solum hic sumus locuturi.

Secundo. Igitur notandum venit, quod huiusmodi colores apparentes in aere suas habent causas. Causa enim materialis est vapor calidus siccus, & terrestris in aerẽ eleuatus, vel etiam aqua attenuata, & reducta in maiorem raritatem. Causa formalis est lux, quæ diuersimode in supradictis modificatur. Causa effectiua remota sunt astra, quæ huiusmodi vapores in aerem eleuant, & proxima lucida corpora, exarsionesque, & similia, quæ lumen in istos vapores immittunt. Causa finalis est pulchritudo vniuersi. Locus vero est media aeris regio, vt plurimum.

Tertio igitur considerandum venit, quod hæ exhalationes, vel sunt tenues, & subtiles, vel densæ, & solidæ. Hæ igitur vtriusque modi à Sole, & astris lucentibus irradiantur, sed cum diuerso effectu coloris. Nam lux vbi percutit exhalationem densam, & crassam, quia eam penetrare non potest ex sua crassitie, ideo eam reddit coloris nigri, vel vmbrosi. Si autem sit exhalatio densa, sed non sicca, sed humida facit colorem ceruleum, qui quoniam ostendit vaporum humidorum adunationem, ideo futuram pluuiam pronunciat. Si autem exhalatio sit tenuior, & rarior ostendit purpureum colorem. Et si magis sint tenues pheniceo colore pinguntur. Vt flammæ enim diuersimode solent colorari. Ista ergo diuersitas pendet ex varia dispositione exhalationum, & vaporum, & ex varia irradiatione sydérum. Hinc considerandum est etiam, quod omnis color qui in astris cernitur, in ipsis non reperitur, sed ex parte medij causatur. Quando igitur reperitur vapor densus in aere, cõ-

densatus

densatus ex frigiditate noctis, in mane Sol videtur declinare ad fuscum, quia vapor ille fumus est, & sic eum ostendit, sicut quando cum ocularibus rubeis video, omnia mihi rubea videntur. Si vero vapor fit siccus, calidus & cōbustus, Sol, vel aliud astrum videtur fuscum, & denotat magnum cauma præteritum, vel futurum. Quando vero minus est densus, apparent astra rubea, & sanguinea.

De Voragine, Corona, & Halo.

Quarto. Descendendo in particulari ad diuersas formas quæ in aere apparent, quædam horum solet dici Vorago, si magna est, si parua Hiatus. Ratio denominationis est, quia cum sunt multæ exhalationes in aere collectæ, solent quædam in medio esse densæ, & in extremitatibus rariores. Hinc prouenit, quod lux astrorum eas per fundēs non illuminat bene medium, quod densum est, vnde in ea parte, vndique alijs partibus rarioribus illustratis apparet in parte densa quædam profunditas, quæ si magna est vorago dicitur, si parua hiatus. Videtur autem illa pars voraginis nigrior remotior esse, quia hæc est ratio nigri, in eadem superficie, & distantia positi cum albo, vel alio lucido colore, quod tardius moueat potentiam visiuam, Quare pictores cum aliquid cauum, atque profundum, vt puteum, vel antrum pingere volunt, ipsum colore nigro pingūt. Si autem aliquod eminēs nobis ostendere volunt, aut vicinium, albo, vel cognatis eius coloribus ipsum exprimunt, nigro, vel ceruleo colore circumcingentes.

Si autem ille humor vndequaque sit densus, & solum in circumferentia aliqualiter sit rarior, tunc lumine illustratus, & non penetratus in parte densa, sed tantum irroratus in rariori, formam lucidæ coronæ ostendit. Si autem ista corona magis adensetur, pluuias pronunciat, vt docet Arist. lib. 3. Meteor. cap. 3. quia signum est, quod vapores crescant, qui tandem in pluuiam resoluuntur. Si vero ex vna parte distrahantur, signum est ventorum, quia illa distractio est a vento. Si autem tota corona sine distractione resoluatur, indiciū est serenitatis, quia calidum illos humores absumit. Solet autem ista corona magis sub Luna, quam sub Sole apparere, quia Sol suo magno calore illos vapores resoluit, Luna vero sua humiditate potius fouet, quam consumet.

Euenit etiam, quod ad latera Solis aliquę nubes apparent, quædam alijs rariores, & facilius in aquam conuertibiles, quam aliæ, cum ergo hæ radijs solis penetrantur, ob partium diuersitatem, varijs coloribus imbuuntur, & quia in cauitate nubis versus terram perpendiculariter protendūtur in similitudinem virgarum, ideo virgæ nominantur.

Notandum est ergo pro scienda veritate colorum in nubibus apparentium, quod vt plurimum sunt quinque. Nam nubes aliquando apparet nigra, aliquando alba, aliquando purpurea clara, quandoque obscura, quasi vinosa, & quandoque viridis. Nigra apparet nubes ob duplicē causam. Prima est quando ille vapor est siccus, terrestrisque, & Sol in ipsum agit, & totam eius humiditatē absumit, ex quo fit, quod ille vapor magis constringitur, & niger efficitur, sicut videmus quod si proijciamus coriū in igne, quod subito aduritur, & constringitur, & remanet nigrum, & sic cum non possit ob suam densitatem à Sole penetrari, ostendit nobis imaginem nubis nigræ. Secunda est ex humiditate nubis coniuncta cum frigiditate, quæ nubes constipat, & stringit, vt est proprium frigoris, & sic nubem adensat, vt non sinat lucem claram Solis ad nos transire.

Alba vero nubes apparet, si eius vapor sit subtilis, & humidus, & in ipsum caliditas aeris operetur; nam hic calor aeris nō permixtus frigiditati vaporem subtiliat, & disgregat, ita vt recipiendo lucem superiorum corporum videatur alba, & si ad terram per aliquam frigiditatem reprimatur, apparet sparsa in aere inferiori, vt lana.

Rubeę censentur nubes in modum purpuræ claræ, quando vapor est humidus, & fumosus, cum mixtione terrestris adusti, ex qua admixtione nubes densior fit, & recipiendo radios corporum cęlestium, dum se adēsat contrahit colorem purpureum clarum.

Rubea vero ad modum purpuræ obscurę vinosæ tunc apparet, quando in aere sunt multi vapores terrestres, qui in ventre nubis incipiunt inflammari, & condensari, vnde sētitur in ea tonitruum ad modum murmurātis, vel aquæ suppressæ murmurantis in decursu suo. Ideo similes nubes

bes in Aestate sunt periculosæ, in eis enim fit tonitruum, & generatur fulgur, & fulmen.

Viridis cernitur quando iam incipit pluuiam stillare, recipiendo enim radios Solis viriditatem contrahit.

Notandum est etiam circa coronam. Primo, quod non solum sit circa Lunam, vel Solem, verum etiam circa alia astra, luminosa, & ratio est, quia ille vapor est multus, & per aerem diffusus, vnde correspondet multis astris sub quibus contingit esse congregatus. Est autem vapor humidus nondum in nubem coadunatus, & conuersus, qui à splendore astri medium percutientis cum maiori resistentia, ipsum humorem dilatat, vnde in modum coronæ, vel alterius figuræ se reducit. Sed necesse est tunc aerem à ventis quiescere, quia si flarent, de facili illum dissiparent, vnde quando ex vna parte dissipatur, signum est ventorum flantium, qui illum vaporem consumere volunt. Raro autem in Aestate, & Hyeme videtur, quia magnus calor æstatis illum resoluit, & magna frigiditas hyemis non permittit illum in tanta raritate. Vnde in tempore medio inter calidum, & frigidum comparet, vt in Vere, & Autumno, & magis in Autumno, quia in Vere sunt adhuc nubes densæ derelictę ex frigore Hyemis, quæ non possunt rarefieri à temperato calore Veris, In Autumno vero aer multum iam rarus ex Aestatis calore, incipit paulatim adensari, & & constringi, & ideo prius fit corona, vel halo, & postea succedente frigore hyemis adunatur in nubem.

Frequentius vero fit in nocte, quam in die, quia in die eleuatus, per calorem est multum rarus est adueniente vero frigiditate noctis incipit aliqualiter vniri. Et frequentius etiam est in sero, & aurora, quã in media nocte, quia in sero frigiditas noctis incipit adunare aliqualiter vaporem illum humidum, & ita illucescens Sol incipit illum subtiliare, & sic frequentius tunc circa astra Halo, & corona cernuntur.

Secundo. Notandum venit, quod vt diximus Halo, significat pluuiam, ventum, & serenitatem. Quando enim Halo, vel corona vaporis circa astrum multum condensatur, & ad nigredinem, vel viriditatem declinat, de proximo pluuiã annunciat, annuit enim quod incipit condensari in nubem pluuiæ matrem. Quando autem in vna parte dissipatur, & frangitur, & non in alia indicium est, quod vapor humidus, qui erat materia pluuiæ deficit, & vapor siccus frigidus remanet, qui ex calore Solis eleuantis illum per accidens fit calidus, & sic cum materia venti sit vapor siccus frigidus, calefactus resoluitur in ventum. Quando autem ille circulus secundum omnes partes euanescit, & deficit, denotat futuram serenitatem ex exanimitione illius vaporis, & resolutione, vnde in aerem vertitur, & sic serenitas sequitur, sed quandoque cum vento, quia in ventum vertitur.

Notandum est etiam circa virgas apparentes à latere Solis, quod inde fiunt, quia radij Solis dum per nubem discontinuam transeunt, & perpendiculariter ad nos descendunt, quasi per foramina nubis virgas illas efficiunt. Aliquando autem apparent vt cordæ albæ, quia nubes non est continua, sed est veluti pannus perforatus, transeuntibus enim radijs Solis per illa foramina efficiuntur illæ figuræ veluti cordarũ variarum, seu virgarum longarũ, albarum. Cum autem nubes est continua, & in vna parte rarior, quam in alia, tunc radij Solis penetrãdo nubem in partibus raris formant quasdam virgas quandoque virides, quandoque nigras, quandoque puniceas, prout contigit reperiri vaporem illum magis, minusve subtilem, & in pluuiam, vel ventum, vel quid aliud cõuertibilem. Sic autem colorantur, quia transeũt per nubem ad illum colorem declinantem, prout videntur rubei si transeunt per colorem rubeum, &c.

De paralijs, idest signis ostendentibus plures Soles.

Paralij vocantur imagines Solis iuxta Solem apparentes, quę multoties visę sunt. Nam S. Aug. ep. 80. ad Hesychium scribit ante Christi natiuitatem duos Soles apparuisse. Et Zonoras in Vitellio narrat duos Soles fuisse visos, vnum ab Occasu alterum ab Oriente. illum infirmum, & pallidum, hunc robustum. Et tres Soles esse visos scribit Plinius lib. 2. cap. 31. & Dio. lib. 47. qui a matutino tempore durarunt in Occasum. Et tot vidisse legimus

subito in altum tollitur, sed cum in ea virtus eius defecerit, cum sit grauis denuo deorsum descendit. Ex materia autem viridi, & humida scintillæ grossiores, & in suo effectu penetrabiliores generantur, verum tamen pauciores.

Fauilla vero à fouendo est dicta, quia ignem fouet, & regit. Est autem tenuis, mollis, subalbida, sicca, & leuis in superficie, carboni ignito, adhærens fulgorem eius hebetans, & feruorem eius attenuans, ac minorans.

Cinis autem à cadendo est dictus, quia de substantia materiæ terrestris, vi caloris, generatur. Est mollis, despecti coloris, amari, & stiptici est saporis, partes habet minutissimas, & tenuissimas, leui flatu, diuisionis, & sparsionis receptiuas. Habet uirtuaem collatiuam, mundificatiuam, corrosiuam, & desiccatiuam. Calidus ignem fouet, frigidus extinguit. Multa actione, & conflagratione ignis in uitrum se conuertit, terram autem sterilem reddit, quia non impinguatur, nec propria humiditate humectatur.

Ad argumentum concedimus calorem ignis esse causaliter à Sole, sed alius, & alius est causaliter.

QVÆSTIO XI.

Vtrum ignis in propria sphera luceat.

Videtur quod non. Primo. Si luceret in sua sphera, nobis prohiberet uisionem stellarum, & Lunæ, & totum cælum colore rubeo perfunderet, cum ignis sit corpus luminosum, non requirens medium pro sui illuminatione. Hoc autem cernitur esset falsum. Ergo dicendum est illum in sua sphera non lucere.

Secundo. Sic tegeret nobis corpora, quæ sunt inter ipsum, & aspectum nostrum. Quoniam lucidũ per se terminat visum.

Tertio. Sic illuminaret terram de nocte, & ita non esset perfecta nox.

Quarto. Quia est in materia rara, non apta visum terminare, quemadmodũ nec aer, nec ea cæli pars, quæ non est stellata.

In contrarium arguitur. Calidum naturale, naturali sicco commixtum, in materia densa, efficit lucem. At ignis in propria sphera est densior cœlo non stellato. Ergo cum sit calidum, sicco commixtum habebit lucem.

Dicendum est tamen ignem in propria sphera non lucere posse dupliciter intelligi. Primo, luce emittente radios. Secundo, sua propria, est enim corpus non opacum, sed lucidum, vnde aliud est quærere an luceat secundum se, & aliud an vt lucidum à nobis videatur, sicut aliud est etiã quærere an cælum empyreum sit lucidum, & aliud an à nobis videatur, vt lucidum. Primum enim nõ negamus, cum non sint corpora densa, & luce priuata. At secundum est, quod controuertitur.

Et quidem circa hanc quæstionem sunt duæ opiniones. Prima affirmat lucere, luce quadam alba, clara, quasi niuea, quam lucem dicunt nos videre in tempore sereno, dum ante stellas quandam lucem inspicimus albescentem. Hanc quidam moderni tenuerunt, inter quos est Dominicus Bannes 2. de generat. quæst. 1.

In oppositum stat Auerros 4. cæli comm. 32. vbi docet, quod aquæ accidit congelatio non vt est aqua, sed vt ei commiscentur vapores terrei cum quibus miscetur, ita ignis quatenus ignis non lucet, sed quatenus miscetur terreo, denso, radios reflectenti. Hanc opinionem sequũtur Alexander 1. Meteor. Algazel, & Auicenna, & videtur esse communis, & amplexanda, eo modo quo diximus. s. ignem esse lucidum, sed non lucere nobis, vnde illa albedo cæli non est nisi lux stellarum, per aerem diffusa.

Ad argumenta ergo vtriusque partis respondemus.

Ad primum primæ opinionis dicitur, quod procedit de lucente in materia densa, & opaca, & radios emittente, qualis non est ignis in sua sphera.

Ad secundũ idem dicimus, nullo modo officere visioni, quia est ibi corpus diaphanum, & transparens.

Ad tertium nil dicimus, quia pro nobis est, quamuis alij dicant, illuminare quoquo modo per aliquam lucem.

Ad illud aliorum dicitur, quod ignis in propria sphera non est in materia densa, sed subtili, & pura.

QVAE-

QVAESTIO XII.

Continens aliqua problemata de igne.

TAndem pro complemento tractatus de igne, & ignitis fu... aliqua problemata, & difficultates soluendæ.

Primo ergo quæritur. Quomodo ignis possit à seipso corrumpi per definitionem, & à maiori igne per aggregationem, & tamen dicat Arist. 3. de cælo tex. 51. & 2. de generat. omne quod corrumpitur, à contrario corrumpitur non à suo simili.

Respondetur, quod ignis tripliciter corrumpitur. Primo, ex defectu materiæ qua nutritur, idest ex defectu combustibilis, in quo conseruatur. Secundo, per suum contrarium, & hoc dupliciter. Primo, per se, & sic corrumpitur ab aqua, quæ eum extinguit, si sit in sufficienti quantitate, & hæc vocatur corruptio violenta, idest per violentiam illata. Secundo, per actionem aeris per se absumentis ignem, & hæc ab Arist. vocatur corruptio naturalis, quia naturaliter ignis conuertitur in aerem. Per maiorem autem ignem corrumpitur per accidens, inquantum illum sibi vnit, & incorporat, & vnum secum facit per aggregationem.

Ad argumentũ ergo patet, quod dum ignis deficit paulatim, à suo contrario comedente illum corrumpitur à maiori autem per accidens, & ex defectu materiæ tollitur generaliter.

Secũdo. Quæritur, cur aer sit necessarius ad conseruandum ignem, ita vt si ignis sit in aliquo vase inclusus, & aeris ingressus prohibeatur claudendo os vasis, subito ignis extinguitur, vt patet in cucurbitulis, & alijs similibus.

Respondetur, quod papulum extrinsecum ignis est aer, vnde ad conseruandum ignẽ necessarius est aer tripliciter. Primo, vt illum suo modo alat. Secundo, vt excrementitiam eius fuliginem excipiat, cum ignis puriore aere foueatur, vnde semper illum rarum facit, & rariorẽ. Tertio, quia aer frigidus, caliditatem ignis restringit, & vnit. Cum igitur in angusto loco est ignis, & respiratio (vt ita dicam) seu noua aeris attractio ab eo subtrahitur, incalescit, & ardet, & deficiendo ei necessaria ad sui conseruationem, necessarium est illum deficere.

Tertio. Quæritur, cur ignis diutius ad vmbram, quam ad Solem conseruetur.

Respondetur id esse, quia calor Solis calorem ignis dissipat, ac dispergit, in vmbra vero frigus circunstans calorem ignis reprimit, nec effluuere sinit.

Quarto. Quæritur, cur ab aqua marina minus extinguatur, quam ab alia.

Respõdetur, quia aqua marina pinguior est, & siccior, habiliorque ad minus extinguendum ignem, quia pinguedo, & siccitas in rebus combustibilibus ignẽ fouent, in aqua vero suo modo minus officiunt, quia magis accedunt ad fomentum ignis, quam aliæ aquæ non salsæ.

Quinto. Quæritur, quæ nam est causa, quod dum ignis in pyramidis figuram ascendit cacuminatur.

Respondetur, quia partes tenuiores celerius ascendunt, & minus tenues ab imo fusæ resistunt, mediocres has antecedunt, illæ sequuntur. Et quia ascendendo semper se vnit, & subtiliat.

Sexto. Quæritur, cur ignis ex sulphureo pulucre excitatus, intra vasa tormentaria contentus tanto fragore, & strepitu foras erumpit.

Respondetur rationem esse, quia cum intra angustum vas concipitur, inuenitque sibi materiam paratam ad ampliorem locum, eam rarefacere, & ampliare conatur, & inueniendo impedimentum, & aerem propinquum sibi obsistentem, illũ suo impetu frangit, disrumpit, & dissipat, & sic talem strepitum edit.

Septimo. Quæritur, cur multus ignis minus sudorem prouocet, quam minor, dum per ignem sudor prouocatur.

Respondetur, quia multus ignis dissipat humidum, in corpore excitatum, & sic exsiccat, & sudoris materiam consumit. Vnde etiam, qui ad ardentem Solem nudi stant, parum sudant, quia calor Solis humidum consumit sudoris.

Octauo. Quæritur, cur hi qui vehementer frigent, si ad copiosum ignem propius accedant, magnum dolorem sentiũt, vt ego expertus sum, dum Vercellas peterem in medio hyeme, & ex defectu nauigij in medio noctis aquas gelidas intrauerim, ductore amisso, & angelo (vt pie credo me ducente) amnem intrauerim eius profunditatem ignorando, & diuinæ clementiæ me committendo, eram enim inter fluuium,

fluuium,& fluuium, & in medio niuium.

Respondetur, quòd repentina mutatio de vno contrario, in aliud, de frigore ad calorem violenta est, & resistiua, vnde dum contrarium contrario resistit, subiectum patitur. Suauis autem calor suauiter etiam expellit contrarium frigus, & sic alleuiat dolorem.

Nono. Quæritur. An detur animal, qui in igne viuat.

Respondetur cum Arist. lib. 5. de hist. anim. cap. 19. Galeno lib. 5. de temperam. & S. D. 4. d. 44. q. 3. art. 1. quæst. 3. negatiue. Quare quod alibi dixit Arist. de Pyraustis viuentibus in fornacibus Cipri accipiendū est, vt aliorum dictum, & non vt proprium. Et ita quod de Salamandra affirmatur. Verum est enim, quod est admodum frigidę, & humidæ naturæ, & suo tactu aliquas prunas extinguat, at tandem igne consumitur, nisi ab eo exeat. Opus est enim, vt quodlibet mixtum, ex temperie quatuor qualitatū coalescat, & consequenter quod si vna excedat, animal decidat.

Decimo. Quæritur. An saltem aliquod anima expers possit in igne incolume seruari.

Respondet Plinius lib. 37. de nat. hist. cap. 4. id verificari in adamāte, qui ferro, & igni resistit, adeo vt ferro non confringatur, nec igne aduratur. Item hanc virtutem donat lib. 10. cap. 3. lapidi Aetili, qui solet in nido quarundam Aquilarum inueniri. Et alij hoc idem tribuūt cordi hominis venenato.

Sed dicendum venit, quod aliud est retardare, & diutius obsistere calori ignis, & aliud omnino ei non cedere. Primum est verum in adamante, ac quibusdām alijs. Secundum vero est falsum, quia caliditas est qualitas actiua, & frigiditas passiua, actiuum autem passiuum tandem vincit, & superat. Et si excalefieri possit ab igne, ab eodem etiam consumi tandem, & si magna acrimonia, & lōgo tempore possunt, quia calefactio dispositio est ad consumationem.

Vndecimo. Quæritur. An detur ignis qui suo contrario. i. humido, & frigido alatur, & foueatur.

Respondetur nos multa admiranda legisse de igne aqua non extincto, ea depasto, & nutrito.

Primo enim Plinius tradit lib. 2. cap. 106. in Megapolitano agro esse quendam ignem, qui nemus prope se non adurat, & iuxta gelidam fontem semper ardet. Strabo etiam, & Solinus asserunt cacumina, & latera montis Aethnæ inter niues ardere, nec frigus niuium calore dissolui. Immo quod mirabilius est scribit Marcus Polus, lib. 1. cap. 28. in planitie Pamor sub magni Camditione, adeo ingēs esse frigus, vt eo vis ignis reprimatur, vt nec lucere valeat, nec aliquid coquere.

Auicenna, & Bartholomeus Sybilla Metropolitanus in Dec. 1. c. 3. q. 4. quæstiunc. 5. dicunt id euenire, quia causa potest impediri in effectu, sed ab ea non potest tolli propria actio. Itaque potest aer aliquo nimis infrigidari in vno loco, & ita impediri à frigore, ne accendatur ab igne, & accendat cōbustibilia, in alio vero foueri ex dispositione aeris, & accendere. Oportet enim prius ignem aerem accendere, & per eum vrere. Ita continuus ingressus aeris in voraginibus montis Aetnæ, & aliorum montium ardentium, potest impedire ne montes illi igni absumantur, cum ille non sit humidus, & frigidus, & consequenter fiat nutrimentum ignis, ita vt aliam materiam intactam relinquat.

At secundo mirabilius censeo, id quod scribit Plinius lib. 2. c. 106. in Chymora monte ignem esse, qui aqua accenditur, & terra, & fęno extinguitur. Et in Parselide Liciæ, & Hephestijs esse arenam, quæ in aqua posita ardet. Et alium esse ignem, qui pluuijs alitur, quia si quis baculo ex eo accenso traxerit sulcos, riui ignei sequuntur. Et in Nimpheo esse petram, quę pluuijs accēditur Theophompo teste.

Rationem esse puto, quia illa aqua plurimū de sulphure, vel pice, vel alia qualitate igni accomodata retinere debet, vel de crasso, & oleoso, & sic ratione illius qualitatis fiat materia ignis. Possunt enim aqua, & ignis in aliquo mixto stare, vt in sale cernimus, vt tradidit S. Hilarius comment. in Matt. can. 4. & propterea sal in igne crepitat, quia humor aquæ resistit. Sed de his multa dicemus, dum de aqua agemus.

Duodecimo. Quæritur quid dicendum veniat de igni montium, qui vel in monte cernitur, vel ex eo erumpit.

Respondetur, hoc clarum, & dilucidum esse, quosdam reperiri montes in quorum cacumi-

cacuminibus perpetuæ sunt niues, & tamen ex illis montibus exeunt crebra, magna, & horrenda incendia, vt de Æthna tradit Solinus cap.10. Olaus de rebus Septēt. lib.2.cap.4. & cap.2. Saxo Grammaticus, & Surius, anno domini 1537.de quodam alio monte in Islandia, dicto Staghe alias Echla.de quo sic scribit.Mons ille cum fuerit, haud secus, atque horrenda tonitrua insonat, proijcit ingentia saxa, sulphur euomit, cineribus egestis, terra circumcirca tam longe operit, vt ad vigesimum lapidem coli non possit. Emergit illic ignis quidem, qui aquam absumit, stuppam non absumit.

Secundo. Non solum apud Septentrionales frigidos in eorum mōtibus perpetuæ sunt niues, in montibus altis, verum etiam in Affrica in torrida Zona, vt dicit Iouius lib. 18. Et littora Antarctica perpetuis niuibus albescere tradit Petrus Hispan. par. 5.cap.17.

Dico ergo, quod in istis montibus vbi duo cōtraria reperiuntur, niues, & ignis, duo sunt pensanda. Primum est quod ibi sunt cauernæ sulphureæ, ex quibus ignes euomuntur, lapides, & cineres, vnde periculosum est prope eas accedere. Secundum est, quod ignis ille in visceribus illorum montium reductus, externis niuibus, & frigore coadunatur, ac per antiperistasim validior efficitur. Vnde potest esse, vt cacumina, & aliæ partes externæ gelidæ sint, & ex suo frigore calorem ad intus impellant, & hinc fiunt tot incendiorum natales.

Sed quis interrogabit me. Quomodo cacumina montis Olympi, inter omnes montes altissimi, sint omni niue priuata, & tamen in altissimam mollem se attollāt. Respondent S.Aug.libro 1. de Genesi contra Manicheos cap.15. Isidorus lib.14. c. 4. & alij, quod summitas illius montis secundam aeris regionem transcendit, in qua niues generantur, & ideo in eo numquam esse niues, nec ventos sentiri. Et quamuis Franciscus Philot.hoc iudicet fabulosum, dicatque se montem illum conscendisse, & hoc non inuenisse, tamen in Augustini sententia est standum, & dicendum quod quinque sunt Olympi, ex Strabone. Bocatio, Manutio, &c. & de nostro non fecit experientiam, qui est in Macedonia, nisi deceptus sit in nomine. Sed altitudo ad rem nostram non facit. Dubium quidem esse potest, quomodo ex montibus fulminent ignes, & ex vallibus non.

Dicitur, quod montes cauernosi sunt, & porosi, in eisque sulphur, & bitumen generantur, vnde tum ex valido ventu illas cauernas intrante. Tum ex antiperistasi externi frigoris ignem concipiunt, & antequam parturiant, strepitu interno personant, at valles sunt terra compacta, & & solida, & humiditate plena, & ideo nisi ibi etiam sint cauernosa, nō edunt ignem.

Decimotertio tamen quæritur. Cur in multis insulis voracissimi ignes deprehendantur.

Respondetur. In eorum montibus vtique, quia ignis fomenta sunt tria, scilicet sulphurea materia, ventorum spiritus, & plurimus humor, adeo, vt vbi ista tria sunt, ignis est perpetuus, & vbi defecerint, non. In insulis autem vndique ventis expositæ, & aquis circundatæ ista reperiuntur. Nec obstat, quod in Ætiopia præcipue meridiana non pluuat, & tamen ibi sint magni ignes in montibus, quia quod pluuia alibi facit, hoc in Ætiopia nocturni rores efficiunt. Magno enim Solis ardore humor ille in visceribus montium clauditur, ad fomentū ignis, in campestribus autem difficiliores sunt ignes, quia raræ sunt illarum partes, quæ sint cauernosæ, & sulphureæ, & si sunt, ignem, & ipsæ emittuut.

Decimoquarto. Quæritur quid dicendum sit de igne ex lapidibus deducto.

Respondetur, quod in intimis eorum partibus sunt quędam ignis semina, cum siccitate permeantia, vnde percussi, ex attritu fauillas faciunt. Quod vero alij tradunt lapidem esse, qui in aqua positus ignem accendit, possibile est, quia debet esse calidæ, & siccæ naturæ, vnde dum contrarium sentit, per antiperistasim accenditur, vt patet in calcina.

Decimoquinto. Quæritur de igne lignorū, ligna enim esse materiam combustioni aptam clarum est, sed tamen multa contraria legimus.

Dicimus ergo primo mirabile esse id quod scribit Arist. de admirand. c. 110. scilicet petras quasdam esse in regione Scytharū, & Medorum, quę extinguunt carbones ignitos ex lignis, & aqua irrigati ardent. Ratio potest esse, quod ex nimia siccitate non possunt igne torreri, at humore suggesto

gesto vtique, vt de calcina diximus.

Secundo. Dicimus ignem in ligna tria operari. Primo calorem, quia ea nigra facit adurendo ea. Secundum solida reddit, si post primum ignem in aqua extinguantur, vnde quæ pro fabricis assumuntur, prius in fundo comburuntur aliqualiter, quia illa adustio humiditatem laxatiuam, & corruptiuam adimit, & partes ligni constringit, & sic eas fortiores reddit. Tertio ea consumit, si diutius in ipsa agat, quia vorax est.

Decimosexto. Quæritur quomodo possit ignis cieri à vitro, & speculo cum ex se frigida sint.

Respondetur, vt diximus supra hoc fieri, quia ex concauitate, & reflexione radiorum, vnioneque ipsorum, ignem excitare possunt.

Decimoseptimo. Quæritur, An alia mirabilia de igne legamus præter enumerata.

Respondetur affirmatiue. Et Primo, quod mirabilia facit in mineralibus, vnde dixit Plinius lib. 36. cap. 27. Ignis (ait) accipit arenas ex quibus alibi minium, alibi plũbi genera, alibi pigmenta, alibi medicamenta fundit. Igne lapides in æs soluuntur, igne ferrum gignitur, ac domatur, igne cremato lapide cementa intectis alligantur.

Alia sæpius vri prodest, eademque materia aliud gignitur primis ignibus, aliud secundis, aliud tertijs.

Secundo. Reijcitur opinio Plinij de inuentione ignis, dum lib. 4. c. 12. autumat ignem primum in Delo insula fuisse inuentum, & alij dum dicunt eum à Protogono adinuentum, à toto cælo aberrant. Nam 3. c. Genesis legitur, illico post eiectionem. Adam à terrestri paradiso, positum fuisse ad eius custodiam Cherubinum cum gladio ignito, ne quis auderet illuc redire. Et in sacrificio Abel eius primitias cõsumpsit, & Tubalchain in ferrariam artem fuit in adiutorium. Et credibile est omnia elementa à principio mundi fuisse in vsu, & cognitione.

Tertio. Dicimus Deum sæpe suam potentiã per ignis ministerium demonstrare in sacrificijs, & puniendis malis, vt passim legimus in sacris, ac prophanis literis. Primo quia est symbolum Dei omnipotẽtiæ, Ignis enim totum quod vrit, consumit, & in fauillam, & cinerem redigit, adeo vt illius nullam memoriam relinquat. Et ita Deus est cui corpus, anima, & omnia sunt subiecta, & ea in nihilum redigere potest. Vnde sicut illi qui crimen aliquod omnino detestabile, & horrendum committũt igni cremantur, vt de eis nulla amplius relinquatur memoria. Ita qui diuinam maiestatem offendunt, scire debent æternas luituros pœnas, & nomina eorum deleri de libro vitæ. Secundo, quia ignis est supremum elementum, & primum in ministerio Dei vindicis. Tertio, quia multas habet similitudines cum Deo, & ideo magis assumitur, quam alia elementa.

Quarto. Rem naturalem esse censemus, quæ tamen primo aspectu miraculosa iudicabitur, scilicet quod turris lignea ab Archelao alumine oblita, dum contra eum L. Sylla pugnaret, ardere non potuit. Oportet enim allumen vim ignis repressiuam habere. Ita non est miraculum, quod linum Indicum, siue Cyprium, ex Amiante lapide cõfectum ab igne non lædatur, sed seruetur illæsum, & quod in telam cõtextum, & in mantilia redactũ, si proijciãtur in ignẽ non comburuntur, sed à sordibus purgantur, & deinde illæsa seruantur, pura, & nitida, vt testatur de visu Plinius lib. 19. cap. 1. & Solinus cap. 16. Scribit carbasa quædam esse, quæ inter ignes valent. Et Vincent. Beluac. hist. nat. lib. 20. c. 38. de Chamæleonte sic dicit: Chamæleon quadrupes, lacerti forma, præfert ex cute quasi Lunam quandam, ex qua quæ contexuntur, comburi non possunt. Et Surius narrat de monte Hecla in Islandia, qui quondam ignem producit aquam absumẽtem, & linum intactum ab incendio seruãtem. Et est alius ignis in Puteleano monte sulphureo, qui neque oleo, neque cera, neque aliquo pingui accenditur, nec stuppã comburit, nec ex eo lumen accenditur, immo accensum extinguitur. His enim omnibus occurro dicendo. Primo, quod esse potest quidam ignis in apparentia, qui vere non sit ignis, sed potius aqua accensa, sicut etiam accidit linteo, in aqua cõmuniter dicta (di vita) immerso, quod flamescit, & non comburitur, facit enim aqua lucem, & flammam ignis, sed non est vere ignis. Secundo dico esse quosdam ignes mirabiles, & subtiles, vt sunt ignes fulminum, qui res tenues, & subtiles non lædunt, sed duras, & densas sibi resisten-

tes corrodunt, & absumunt, vt supra in quæst. de igne fulgurum diximus. Tertio dico ignem nostrum nutriri in materia mixta, quæ potest pati diuersas proprietates, vnde non est mirabile videre tot diuersitates in igne. Sufficit enim, quod elementaris, & non impeditus calefaciat, luceat, & comburat.

Decimooctauo quæritur. An possit dari ignis, qui sine olei noua appositione, perpetuo durare possit.

Respondet Solinus cap. 12. & 24. affirmatiue, scilicet quod Asbestus lapis ferri colore, accensus semel, extingui non potest, ideoque in famis Idolorum, tum in sepulchris collocatum, (ut scriptores tradidere) ibi perpetuo ardet. Et Viues in 6. caput lib 21. de ciuitate Dei S. Augustini dicit. Erutum est sepulchrum memoria patrum, in quo ardebat lucerna condita ibi, vt ex inscriptione apparebat, supra millesimum, & quingentesimum annum, eaque tota exemplo, vt contrectari cepta est, inter admotas manus feriata, in tenuissimum abijt puluerem. Quod & si D. Aug. superstitioni tribuit, pro quanto antiqui putauerunt hoc igne sacerdotes gentiles populos decipere, non tamen sine causa naturali esse potest, scilicet materiam illam esse adeo igni resistentem, vt illum per secula conseruare possit. Quod & Solinus tradit dicendo. In Britannia, in Mineruæ delubro perpetuos ignes fuisse, eosque numquam in fauillas canescere, sed vbi ignis abijsset, in saxeos globos verti consueuisse. Et Viues testatur se vidisse Parisijs pluribus in locis Licinos quosdam, qui incensi numquam absumebantur. Et Petrus Hispan. tradit in Silu. par. 5. cap. 26. iuxta Vrubam in nouo orbe esse quandam naturam ligni, quod ab igne accensum, lucet, & numquam extinguitur, donec post multum temporis absumatur. Potest enim materia densa, & oleosa ignem diu seruare. Ita Ælianus histor. anim. lib. 5. cap. 3. tradit de quodam alio igne, ex oleo cerulei vermis carnibus eius confecto, qui vermis in Indo flumine nascitur, & natat accenditurque ignis tanta vi olei istius, vt sine vllo alio igne admoto ex sola aspersione huius olei facta super quamcumque magnam lignorum congeriem, illam irremediabiliter comburat, & tamen si hominem, vellet, vel aliud animal exurere, primum vt hoc infuderis, funditus statim deflagrat. Debet enim sympatiam cum lignis habere, & antipatiam cum animalibus & improportionem cum his tenere, & ideo in illa, & non in ista agere.

TRACTATVS SECVNDVS.

De Elemento aeris, & de genitis in eo.

QVÆSTIO XIII.

Vtrum aer habeat quadam propria.

Videtur quod non. Primo. Elementum purum videtur ab omni passione esse purgatum. At talis est aer, vt eius subtilitas testatur. Ergo non habet propria.

Secundo. Propria faciunt compositionem cum subiecto. At aer est corpus omnino simplex. Ergo.

Tertio. Propria sunt accidentia, & ista saltem per Dei potentiam à subiecto separabilia. At à corpore simplici nihil est separabile, aliter non esset simplex, sed compositum. Ergo non habet propria.

In contrarium sunt DD. communi consensu dicentes, aerem esse corpus simplex, solidum, & humidum, rarum, subtile, influentiarum, & cælestis luminis receptiuum, inspirationis, & respirationis necessarium vehiculum. Volatilium cæli proprium habitaculum.

Primo ergo habet aer secundum suam naturam, quod sit calidus, & humidus. Habet tamen per accidens, quod etiam sit frigidus, & siccus. Frigidus vt in media sua regione constituitur, in qua pluuiæ, grandines, & alia frigida generantur, & quod sit siccus, vt est materia ventorum, maxime septentrionalium. Est etiam magis calidus, & humidus in vna parte, quam in alia, & in vno tempore magis, quam in alio, nam prope spheram ignis æstuat, & tempore Æstatis prope terram ardet, tempore vero hyemis frigescit. Et prope aquam, ac loca humentia magis humidus est, quam in locis siccis, ac altis montibus. Ista autem ei conueniunt per accidens nō vt talis est in se, sed vt est alterabilis ab extrinseco.

Secundo. Habet, quod sit vehiculum lucis, & influxus cælestis, quia prius in aere recipiuntur, & deinde per aerem ambientē ad nos deferuntur, & eo magis si per expirationem, & respirationem ad intima nostra transportantur.

Tertio. Est necessarius ad respirationem, & ad vitam hominum, vnde nisi sua frigiditate calorem magnum per expirationē temperaret, homo dissolueretur. Hinc aer expiratus est calidus, quia exit à pectore, calefactus per calorem cordis, & dum quis strictis labijs exufflat sentitur frigidus, quia talis aer est externus, qui nisi inueniret impedimentum durum labiorum, ad cor descenderet, & sic est frigidus.

Quarto ratione suæ subtilitatis, & nobilitatis est maxime alterabilis, adeo vt modo sit frigidus, & modo calidus, vnde cauendum est ab aere sic cito alterato, quia etiam alterat corpora nostra, & transporsportando de dispositione ad contrariam dispositionem, inædequationem humorū facit, & consequenter malas febres.

Hinc etiam sequitur, quod ex aere infecto sequuntur pestilentiæ, fames, & sterilitates, quia male affectus inficit omnia quæ tangit, quæ sunt omnia super terram existentia. Vnde dicunt Physici, quod aer bonus est omnibus si est serenus, purus, tenuis, patens, liber à fetoribus, nulla putredine infectus, ventisque difflatus, qui cum attrahitur, sentitur, oriente Sole cito calescens, & eodem occidente cito frigescens. Econtra omnibus malus est aer, turbidus, nebulosus, impurus, fetidus, nubilus, obclusus, putridus, quem neque Sol, neque ventus penetrat, nec purgat, qui ab aquis immotis, & feculentis malam qualitatem suscipit, qui tempore æstatis ex lacuum, stagnorum, paludumq; vicinitate malam admixtionē recipit, & pestilētem. Sic malus aer est, qui ex sterquilinis cloachis, & locis pestiferis oritur, qui proinde cor constringit, anhelitum coarctat, & virtutes spirituales debilitat. Item malus aer est nimium calidus, qui vires dissoluit, sitim generat, spiritum diminuit, & digestionem impedit. Pariter multum frigidus, qui asthmata, & catarrhos gignit, & spiritum vitalem vitiat. Et in morbis præcipue cronicis salutare est aerem mutare, & ad proprium natiuum, si fieri potest se reducere, quia nullus est natura connaturalior illo, nisi sit multum fetidus, & nociuus. Redditur etiam aer malus ex suffumigationibus, & odoramentis, calida enim caput replent, & catarrū generant, vnde odores temperati inter humidum, & calidum sunt illi qui cerebrum confortant. In æstate ergo erit alterandus aer frigidis odoribus, ex rosis, violis, mirto, camphora natiua, sandalis, aqua rosarūque. Hyeme vero cinnamomo, aratio, aloe, arulea, musco, quę sunt calida. Solet autem aer esse purior, & melior in locis altis, & montibus, nisi quod quandoque est nimis subtilis. Condensatur autem aer. Primo, per vapores, & exhalationes à terra, & aqua virtute Solis abstractas. Secundo per frigus congelans partes humidas eius, & Tertio, cum aer aeri additur, vt flatus aeri, vnde tempore frigido fumus videtur.

Quinto. Dico, quod aer solet immutari. Primo per approximationem, & elongationem Solis calefacientis. Secundo per dominium, & influxum stellarum calidarū, vel frigidarum, vt suis locis dictum est. Tertio ex repercussione obliqua, vel directa radiorum Solis, quia directa causat calorem, & obliqua eum minuit, vt patet Aestate, & Hyeme.

Quinto. Dico, quod profunditas sphera aeris secundum Fernelium lib. 1. Cosmog. c. 2. Clauium ad c. 1. spheræ sacri boscht, Barocium lib. 1. Cosmo. cap. 2. & Plinium lib. 2. c. 13. est circiter 52. milliariorū, quia vltra hanc altitudinem vapores non ascendunt, nec Cometæ vltra hanc distantiam transcendunt, vt docet Petrus Nonius lib. de Crepusc. Vitellio lib. 10. proposit. 60. & alij perspectiui, quibus vt in sua arte expertis credendum est.

Septimo. Dico aerem proprio motu sursum moueri, cum ignis, & aer sint mobilia à medio, & aqua, & terra ad medium. At vt coniunctus est igni mobili à sphera Lunæ in circulum, potest & ipse in circulum moueri, & hoc tantum in superiori sua regione contigua igni. Mouetur etiam per condensationem, & rarefactionem, & resolutionem, nam in locis frigidis intantum potest adunari, vt fiat aqua, & in calidissimis, vt conuertatur in ignem.

Octauo. Dico etiam pro fundamento fere omnium dicendorum, quod aer diuiditur

in

in tres regiones. Prima dicitur suprema quæ sphæræ ignis est contigua, in qua diximus generari cometas, & multa alia ignita, & ista est multum calida, & sicca ob vicinitatem ignis. Secunda dicitur media, quæ quoniam distat ab igne, & à terra in qua mediante repercussione radiorum Solis causatur calor remanet frigida, & humida. Tertia vero terræ proxima modo est calida, dum Sol eã ex irradiatione calefacit, & modo est frigida, dum eam parum collustrat. Sed & omnem tertiam partem aeris in tres partes diuidimus, quia ex vicinitate ad aliam multas trahit diuersitates, vnde etiam in illis fiunt diuersæ impressiones. Vt igitur melius rem intelligamus, hic ordinate has regiones ponimus.

Suprema pars supremæ regionis.) Media pars eiusdem.) Infima pars eiusdem.)	Suprema aeris regio.
Suprema pars mediæ regionis.) Media pars eiusdem.) Infima pars eiusdem.)	Media aeris regio.
Suprema pars infimæ regionis.) Media pars eiusdem.) Infima eiusdem.	Infima aeris regio.

Ad primum autem argumentum dicitur ad maiorem, quod aer dicatur elementum purum stat dupliciter. Primo in ordine ad mixtum, & sic verum est, quia componit mixtum, & non componitur ab alio. Secundo in ordine ad suam form, & passiones proprias, & sic non est omnino simplex; vnde admittit compositionem subiecti, & accidentium, ex esse, & essentia, ex genere, & differentia, &c. & per hoc patet ad secundum, & tertium. Si vis autem scire an propria passio sit saltem per diuinam potentiam separabilis à subiecto, vide in quæstionibus nostris metaphys. lib. 7.

QVÆSTIO XIV.

Vtrum aliqui veri colores Voraginis, Halo, Corona, Iridis, & nubilum possint comparere in aere.

Videtur quod non. Nam color est qualitas secunda composita ex primis, & consequenter est passio mixtorum. At aer non est corpus mixtum, sed simplex, vt dictum est. Ergo in aere non possunt esse colores. Et si colores, qui in aere apparent causentur ex exhalatione calida, & sicca, quæ est materia omnium ignitorũ, tamen ad hunc locum distulimus, quia proprie in aeris regione fiunt.

Primo ergo notandum venit, quod colores sunt in duplici differentia. Primi vocantur veri colores, & hi ex mixtione primarum qualitatum resultant, & solum in corpore mixto, terminato cernuntur, vt docet Aristot. lib. de sensu, & sensibili, & in libris de anima. Secundi vocantur apparentes, & non veri colores, & de his solum hic sumus locuturi.

Secundo. Igitur notandum venit, quod huiusmodi colores apparentes in aere suas habent causas. Causa enim materialis est vapor calidus siccus, & terrestris in aerẽ eleuatus, vel etiam aqua attenuata, & reducta in maiorem raritatem. Causa formalis est lux, quæ diuersimode in supradictis modificatur. Causa effectiua remota sunt astra, quæ huiusmodi vapores in aerem eleuant, & proxima lucida corpora, exarsionesque, & similia, quæ lumen in istos vapores immittunt. Causa finalis est pulchritudo vniuersi. Locus vero est media aeris regio, vt plurimum.

Tertio igitur considerandum venit, quod hæ exhalationes, vel sunt tenues, & subtiles, vel densæ, & solidæ. Hæ igitur vtriusque modi à Sole, & astris lucentibus irradiantur, sed cum diuerso effectu coloris. Nam lux vbi percutit exhalationem densam, & crassam, quia eam penetrare non potest ex sua crassitie, ideo eam reddit coloris nigri, vel vmbrosi. Si autem sit exhalatio densa, sed non sicca, sed humida facit colorem ceruleum, qui quoniam ostendit vaporum humidorum adunationem, ideo futuram pluuiam pronunciat. Si autem exhalatio sit tenuior, & rarior ostendit purpureum colorem. Et si magis sint tenues pheniceo colore pinguntur. Vt flammæ enim diuersimode solent colorari. Ista ergo diuersitas pendet ex varia dispositione exhalationum, & vaporum, & ex varia irradiatione syderum. Hinc considerandum est etiam, quod omnis color qui in astris cernitur, in ipsis non reperitur, sed ex parte medij causatur. Quando igitur reperitur vapor densus in aere, cõ-

bes in Aestate sunt periculosæ, in eis enim fit tonitruum, & generatur fulgur, & fulmen.

Viridis cernitur quando iam incipit pluuiam stillare, recipiendo enim radios Solis viriditatem contrahit.

Notandum est etiam circa coronam. Primo, quod non solum fit circa Lunam, vel Solem, verum etiam circa alia astra, luminosa, & ratio est, quia ille vapor est multus, & per aerem diffusus, vnde correspondet multis astris sub quibus contingit esse congregatus. Est autem vapor humidus nondum in nubem coadunatus, & conuersus, qui a splendore astri medium percutientis cum maiori resistentia, ipsum humorem dilatat, vnde in modum coronæ, vel alterius figuræ se reducit. Sed necesse est tunc aerem à ventis quiescere, quia si flarent, de facili illum dissiparent, vnde quando ex vna parte dissipatur, signum est ventorum flantium, qui illum vaporem consumere volunt. Raro autem in Aestate, & Hyeme videtur, quia magnus calor æstatis illum resoluit, & magna frigiditas hyemis non permittit illum in tanta raritate. Vnde in tempore medio inter calidum, & frigidum comparet, vt in Vere, & Autumno, & magis in Autumno, quia in Vere sunt adhuc nubes densæ derelictę ex frigore Hyemis, quæ non possunt rareficri à temperato calore Veris, In Autumno vero aer multum iam rarus ex Aestatis calore, incipit paulatim adensari, & & constringi, & ideo prius fit corona, vel halo, & postea succedente frigore hyemis adunatur in nubem.

Frequentius vero fit in nocte, quam in die, quia in die eleuatus, per calorem est multum rarus est adueniente vero frigiditate noctis incipit aliqualiter vniri. Et frequentius etiam est in sero, & aurora, quã in media nocte, quia in sero frigiditas noctis incipit adunare aliqualiter vaporem illum humidum, & ita illucescens Sol incipit illum subtiliare, & sic frequentius tunc circa astra Halo, & corona cernuntur.

Secundo. Notandum venit, quod vt diximus Halo, significat pluuiam, ventum, & serenitatem. Quando enim Halo, vel corona vaporis circa astrum multum condensatur, & ad nigredinem, vel viriditatem declinat, de proximo pluuiã annunciat, annuit enim quod incipit condensari in nubem pluuiæ matrem. Quando autem in vna parte dissipatur, & frangitur, & non in alia indicium est, quod vapor humidus, qui erat materia pluuiæ deficit, & vapor siccus frigidus remanet, qui ex calore Solis eleuantis illum per accidens fit calidus, & sic cum materia venti sit vapor siccus frigidus, calefactus resoluitur in ventum. Quando autem ille circulus secundum omnes partes euanescit, & deficit, denotat futuram serenitatem ex exanimitione illius vaporis, & resolutione, vnde in aerem vertitur, & sic serenitas sequitur, sed quandoque cum vento, quia in ventum vertitur.

Notandum est etiam circa virgas apparentes à latere Solis, quod inde fiunt, quia radij Solis dum per nubem discontinuam transeunt, & perpendiculariter ad nos descendunt, quasi per foramina nubis virgas illas efficiunt. Aliquando autem apparent vt cordæ albæ, quia nubes non est continua, sed est veluti pannus perforatus, transeuntibus enim radijs Solis per illa foramina efficiuntur ille figuræ veluti cordarũ variarum, seu virgarum longarũ, albarum. Cum autem nubes est continua, & in vna parte rarior, quam in alia, tunc radij Solis penetrãdo nubem in partibus raris formant quasdam virgas quandoque virides, quandoque nigras, quandoque puniceas, prout contigit reperiri vaporem illum magis, minusve subtilem, & in pluuiam, vel ventum, vel quid aliud cõuertibilem. Sic autem colorantur, quia transesit per nubem ad illum colorem declinantem, prout videntur rubei si transeunt per colorem rubeum, &c.

De paralijs, idest signis ostendentibus plures Soles.

Paralij vocantur imagines Solis iuxta Solem apparentes, quę multoties visę sunt. Nam S. Aug. ep. 80. ad Hesychium scribit ante Christi natiuitatem duos Soles apparuisse. Et Zonoras in Vitellio narrat duos Soles fuisse visos, vnum ab Occasus alterum ab Oriente. illum infirmum, & pallidum, hunc robustum. Et tres Soles esse visos scribit Plinius lib. 2. cap. 31. & Dio. lib. 47. qui a matutino tempore durarunt in Occasum. Et tot vidisse legimus

mus Sp. Posthumum, Q. Mutiũ, Q. Martium, M. Portium, M. Antonium, & Dolabellam, M. Lepidum, L. Plancum Coss. Et eo die quo Christus natus est tres Soles apparuere apud Eutropiũ lib. 7. Et Palmerius id etiam accidisse narrat anno 1466. & Surius anno Domini 1514. Vuitembergæ. Et Tiguri 1528. Et Plinius tradit visas esse etiam tres Lunas lib. 2. cap. 32. Et Surius 1514. in Ratrocil. Ista autem, & si Deo disponente fieri possint, vt nuncient futura, vel præsentia, tamen suas causas tenẽt naturales, & nõ sunt vt illuminationes miraculosæ, quales legimus. Nam Christo nato lux circumfulsit Pastores. Et Lucas Tul. scribit in Christi natiuitate nubem tantæ luciditatis Hispaniam collustrasse, vt meridies esse putaretur, quod etiam scripsit Petrus Hispal. in Sylua p. 2. c. 30. Et tempore Licinij Tyranni apud Seballen ad intercesionem 40. Martyrũ Sol circa tertiam noctis horam omnes circumfulsit ita calidus ac si esset in æstate, apud Metaphrasten 9. Martij. Lipp. tom. 7. & multa alia similia legimus, quę modo perscrutari non est locus.

Loquendo ergo de illis paralijs Solis, idest imaginibus Solis quæ circa ipsum naturaliter apparent dicimus, quod hæ imagines Solis quæ videntur veri Soles nascuntur, quia ad latera Solis solent quãdoque esse nubes densæ, & rotundæ, & solidæ uniformiter in omnes partes. Dum igitur Sol eas percutit vna, vel plures, cum sint densæ, & rotundæ, vt Sol, & vniformiter crassæ refrangunt lumen Solis, sicut fit refractio a speculo, & ita causantur imagines plures Solis si sint ad eius latera plures nubes tales, vel imago eius si tantum sit vna, sicut mos est speculi repræsentare omnia quæ ei obijciuntur. Itaque plures Soles apparebunt, si plures sint nubes ad latera Solis, & si vna, duo tantum videbuntur Soles, vnus verus in suo orbe, & alius apparens in nube.

Ista autem nubes. Primo, debet esse densa, & solida aliquo modo, ad hoc vt possit reflectere radios Solis, quasi eos à se emittat. Secundo debet esse in modum Solis efformata ad hoc vt Solem ostendat, & non quid aliud. Tertio debet esse aquea, & diaphana, vt imaginem Solis admittat, sicut etiam aqua perlucidat.

Dicit autem Aristot. lib. 3. cap. 2. Meteor. & 5. quod solent hi plures Soles apparere vel in Oriente, vel in Occidente, dum Sol ascendit, vel occidit, quia aer melius in his partibus adensatur, quam in meridie, in qua iaculando quasi ex directo terram, & magno calore percutiendo eam, densitatem nubium melius dissipat. Sed tamen possunt etiam comparere in meridie sicut ipsemet Aristot. vt supra narrat accidisse in Bosphoro, quæ parelia durauerunt usque in occasum Solis. Potest enim esse tanta densitas nubis in meridie, etiam cum alijs conditionibus, ut radios Solis remittat, & figuram alterius Solis ostendat.

Oportet etiam ut istæ nubes oblique cadant à Sole, ut lumen eius possint recipere, nec multum ab eo distent, quia si multum distarẽt radios non repercuterent, sicut nec specula procul abiuncta faciem reddunt.

Numerus autem non est definitus, quia possunt esse plures nubes circa Solem, ut supra. Plinius tamen lib. 2. cap. 31. tradit non extare memoriam, vel annales, qui Soles plures tribus vnquam visos fuisse testentur.

Si quis autem quærat an etiam possint apparere plures Lunæ.

Respondetur cum Plinio vt supra c. 32. accidisse, sed hoc erit in plenilunio, Luna exoriente, vel occidente. Media autem est vera, aliæ apparentes.

Animaduertendum est etiam, quod dum Aristot. 3. Meteor. c. 4. docet visionem omnium coloratorum in calis visorum fieri per extramissionem radiorum ab oculis. tunc loquebatur secũdum sententiam Platonis. nam visionem fieri non per extramissionem luminis ab oculis, sed per intramissionem speciei rei visæ in potentiã visiuam docuit ex proprijs 3. de anima, c. 1. 2. & 3. & lib. de sensu, & sensili c. 2. Quod autem dicitur de Antiferonte oretano ita debilis visus, vt sibi videretur sem per propriam imaginem ante oculus habere, quia radij oculorum suorum nõ erant efficaces ad videndum. Dicimus hanc non esse causam, sed quia quædam nubecula aliqualiter densa erat corrugata ante pupillam oculorum eius, quæ cum esset densa reflectebat eius imaginem, sicut etiam tunc videntur nobis quædam per aerem volare, quando materia aliqua in oculis abundat, illi similis. Parelia autem annun-

annunciant futuram pluuiam.

De Iride.

Inter colorata in aere apparentia famosa, & frequentia, est Iridis de qua plura sunt dicenda.

Primo ergo ad hoc vt possimus melius intelligere dicenda notandum est cum perspectiuis, quod radius est triplex, scilicet rectus, reflexus, & refractus. Rectus est ille qui transit per medium per lineam rectã.

Reflexus est ille qui dum percutit medium, quod ex sua densitate transire non potest in seipsum reflectitur, si cadat supra medium. V.g. speculum perpendiculariter, si vero cadat supra speculum oblique, & lateraliter reflectitur in partem oppositam.

Refractus est ille qui non transit nec recte, nec reflexo, vnde visui quid inordinatum representat, vt patet in remo, in aqua inspecto, qui ibidẽ tortuosus videtur.

Sicut autem triplex est radius, ita triplex etiam est visio, scilicet recta, reflexa, & refracta. Visio recta est qua aliquid videtur positum in prospectu per radium rectum, & reflexa per radium reflexum, vt dum video Antonium post me stantem in speculo. Refracta dum aliquid intueor per radium refractum, vt videndo denarium in aqua, in qua maior apparet, quam sit, vel remus apparet tortuosus in ea, & est rectus, & secundum hanc visionem sæpe accidunt deceptiones.

Notandum est autem. Secundo, quod ad visionem reflexam duo anguli, & duo radij requiruntur. Primus dicitur incidentię, seu, percussionis, quia intelligitur exire à corpore illuminante, & percutere medium aliquo modo solidum. Secundus dicitur reflexionis, idest repercussus à medio illuminato, vt exiens à speculo luce Solis illustrato, vel ab aqua. Et sic in omni visione reflexa necessarij sunt hi duo radij incidentiæ, seu percussionis, & reflexionis. Vt apparet in speculo illuminato, vel in aqua, quæ mittit radium ad parietem. Iris autem se habet quasi speculum à quo radij solares reflectuntur. Quare vt melius eius natura ex suo simili sciatur, scienda est natura speculi.

Tertio ergo dicimus. Speculum esse corpus terminatum, ex sua natura tersum, politum, & planum, vel diaphanum planum, aliquo opaco terminatum. Dicitur autem sua natura terminatum, idest non simpliciter, & sua natura diaphanum, vt est aer, & aqua pura, quoniam sic non reflecteret radios. Quare ad reflexionem radiorum necessarium est vnum horum. Primum quod si est corpus diaphanum, vel saltem transparens, vt est cristallus, & vitrum post ipsum ponatur aliquod densum, & solidum, vnde in speculis à tergo ponitur plumbum, vt possit reflectere radios Diaphanum enim recipit colores, sed visui non itro non remandat, nisi ratione opaci ipsum solidantis. Vel secundum erit necessarium, quod si non adsit opacũ, adsit saltem quadam condensatio, quia ista gerit vices opaci, vt licet videre in aqua congelata, & aere multo frigore, & crassitie adunato, in quibus si adunatio multa esset, viderentur imagines obiectorum. Vel Tertio erit opus vt illud corpus quod imagines reflectit sit ita dispositum, vt virtualiter stet, ac si esset solidum in suo termino, vt videtur in speculo in medio pro fundo. Nam tunc cum non illuminatur præcipue radio super ipsum directe percutiente, ex tenebrositate quam retinet in profundo remittit figuras obiectorum. Specula autem quæ debent representare obiecta, vt in re sunt. Primo debent esse tersa, quia si non essent tersa male reprę sentarent. Secundo debent esse sufficientis magnitudinis, & plana, quia conuexa repræsentant obiectum aliter quam sit in quantitate, quoniam magna faciunt apparere parua. Et concaua ostendunt figuram inuersam, V.g. os superius, & occiput inferius, & omnes pilos faciei grossos, vt fenum. Et si non sint sufficientis magnitudinis ostendunt tantum colorẽ, & non imaginem. Vbi aũt lux cadat in corpore diaphano opacato aliquo modo, magis in vna parte, quam in alia, in huiusmodi apparebunt diuersi colores, quod & accidit in nube diuersimode condensata in partibus suis, ex quo dicemus varios colores apparere in Iride.

Quarto notandum venit, quod Iris multipliciter nominatur. Primo enim dicitur Iris, seu Iridis, quasi facer, quoniam in se rapit aspectum nostrum, vt in quoddã diuinum, & admirandum, nam sancta diuina appellantur. Secundo à Grecis Poetis dicitur filia Thaumantis, idest filia admirationis, quia rapit sua varietate, & pulchritudine omnes in admirationem.

Vnde etiam dixit Ecclesiasticus c. 3. Vide arcum, & benedic eum, qui fecit illum. Valde speciosus est in decore suo, gyrauit cælum in circuitu gloriæ suæ, manus excelsi aperuerunt illum. Tertio, dicta est à sacerdotibus antiquis Idolorum, Iunonis arcus, quoniam Iunonem dicebant esse diuinam vim in aere. Quarto. Ab Hesiodistis dicta est Dęmonis arcus, idest diuinæ sapientiæ, vel intelligentiæ signum. Asserebant enim per ipsam nobis significari diuinam clementiam, vnde per colorem rubeum significabat aquam non debere præualere super ignem, nec mundu aquis esse submergendum, nec igni cremandum. Rubeus enim color procedit ex humido inflammato. Et quoniam in ea etiam compareat color viridis, qui prouenit ex humore aqueo indigesto, denotabat ignem aquam non esse superatum. Quæ quidem videntur à sacra genesi accepisse. Nam ibi de Iride, (quæ in sacris literis arcus cæli nominatur) dicitur c. 19. in persona Dei. Cum obduxero cælum nubibus, arcus meus apparebit in nubibus, & recordabor fœderis mei, quod pepigi vobiscum, & non erunt vltra aquæ diluuij ad delendam omnem carnem. Alij dixerunt Hesiodistas vocasse illum arcum Demonis, qui scientissimus est naturaliũ, quoniam ipse solus inter creatos intelligentes naturales, perfecte eius naturam, proprietates, & prænunciationes ostendit. Et vere sic esse videtur, quoniam de ea multæ sunt sententiæ, & variæ, vt est videre apud Plutarchum lib. 3. de placitis, cap. 8. Magnum Albertum lib. 3. Meteor. tract. 4. cap. 8. & 26. Picum Mirandulanum lib. 1. de exam. vanit. cap. 12.

Quinto. Notandum venit, quænam sit causa effectiua Iridis. Multi igitur multa dixerunt. Metrodorus enim voluit Iridem fieri, cum Sol irradiat nubem nigram. Cum enim prius nigresceret, illustrata, & percussa lumine à Sole subrutilat. Anaximenes dixit esse, quia radij Solis non possunt penetrare nubem crassam, & densam sibi occurrentem, vnde eam ferientes, tot in ea colorant. Plinius, & alij multi voluerunt prouenire, quia radij Solis immittuntur in nube caua, & aliquo modo profunda, vnde radij reflectuntur, diuersos colores pingentes, & alij plures varia dixerunt.

Dicimus ergo nos cum peritioribus philosophis, quod duæ sunt pensandæ causæ præcipue in formatione Iridis. Prima est materialis, idest materia seu subiectum in quo fit, & talis est nubes rorida. Scito igitur quod ante magnam pluuiam quatuor sic disposita reperiuntur. Primum est nubes nigra, & densa, quæ in magnam pluuiam resoluitur. Secundum, est roratio, idest descensus subtilis minutarum guttarum, quæ quodammodo se tangũt, & figuram ad modum telæ latæ, & bene contextæ constituunt. Tertium est roratio maior, idest maiorum guttarum, quę faciunt quodammodo quandam aliam telam latam, sed densiorem, & crassiorem. Quartum est aer immixtus iam factus humidus ex his irrorationibus, & ex frigiditate loci, & pluuiæ condensatus. Post igitur nubem nigram, & densam in pluuiam conuersam, remanent duæ priores dictæ irrorationes, & aer cum his adensatus propter frigiditatem regionis in qua Iris fit, quare cum sint adensata, fiunt quasi tria specula, in quibus radij Solares recipiuntur, & ex eis reflectuntur, vnde causantur colores Iridis, vt melius infra dicemus. Est igitur necessarium vt præcedant duæ illæ rorationes, & quod aer sit condensatus in nubem, quæ in parte nos respiciente translucida sit, vt facilius lumen bibat, & à tergo sit densior, vt lumen repercutiat. Asserimus ergo causam materialem esse nubem roridam, versus nos diaphanam, à tergo magis densam. Causam vero effectiuam esse Solem mittentem ad eam radios, ex directo eam ferientes, & irradiantes, cum repercussione eorumdem, sicut fit ex speculo. Exempla huiusce rei familiaria tenemus. Accipiamus enim cyathum plenum aqua, & opponamus eum radijs Solis, videbimus, quod similes colores coloribus Iridis faciet in terra. Item simus in naui, & remis aquam percutiamus, conspiciemus quod remus percutiens aquam ad magis profundum, idest secundũ suam sum mitatem portabit ad ventrem nauis colorem viridem, ex reflexione radij Solaris ferientis eam ex opposito situs propterea, quod ista aqua est densior, aqua vero quæ eodem remo percutitur, sed prope nauem, quoniam non percutitur tantum in profundum, & consequenter non est tam densa, sed subtilior

ideo

ideò causabit in ventre nauis (semper tamen existēdo in opposito ad radios Solis) colorem croceum, & medio modo percussa, & eleuata portabit ad eam colorem rubeum.

Ex parte tamen causæ efficientis quædam sunt necessaria ad hoc vt Iris, & eius colores fiant in aliquo subiecto.

Primum est, quod Sol reperiatur in opposito situ cum nube irrorata, nam si esset sub Sole directè, & Sol eam perpendicu-lariter irradiaret, radij Solis caderent super partem densam nubis, vnde non fierit Iridis.

Secundum est, quod vt diximus illa nubes pro ea parte, pro qua recipit radios Solis sit diaphana, & quodam denso terminata, vt de speculo exemplificauimus.

Tertium est, quod illi qui debent videre Iridem sint inter Solem, & nubem irroratā, idest in medio istorum, vt dixit Aristot. 3. Meteor. cap. 4. & ostenditur. Primo, quia illa nubes est nobis quasi speculum, vnde necessarium est quod ad nos reflectat radios, eos ad Solem mittendo. Secundo, quia si nubes esset inter nos, & Solem, non illustraretur nisi ab ea parte, qua Solem respicit, & sic secundum partem versus nos respicientem remaneret densa, & obscura. Ita si Sol esset inter nos, & nubem, nec tunc inspici posset, quia Iris nō cernitur nisi in distantia ad tria milliaria. Modo si Sol esset inter nos, & ipsam opporteret eam distare per 18. gradus ad minus, quibus in terra correspondent 1125. milliaria, singulis gradibus cum Ptolomeo adscribendo 62. milliaria, cum dimidio. Et ita de facto est, quia si Iris ante meridiem apparet, ad occasum cernitur, & si post meridiem, ad ortum, vel ad Aquilonem nititur, quibus temporibus nos sumus inter Iridem, & Solem. Hinc sequitur, quod existentes in quinto climate numquam vident Iridem ad meridiem, cū non possimus esse in Meridie, & in Septentrione, & sic non possimus stare in medio inter Iridem, & Solem.

Sexto notandum venit, circa colores Iridis. Primo, quod colores Iridis non sunt colores naturales, qui generantur ex mixtione proportionata primarum qualitatū elementarium, sed dicuntur colores apparentes, qui sunt ad similitudinem colorum verorum. Aduerte autem aliud esse dicere quod non sint veri colores naturales causati ex mixtione primarum qualitatum elementarium, & aliud est dicere quod non mittant veras species talium colorum ad visum nostrum. Primum negamus, secundum affirmamus, vnde diximus quod illi colores ad visum nostrum veras species mittunt, ac si essent veri colores.

Sciendum est ergo, quod secundum quod Sol transit per varios vapores, ita etiam illos pingit. Nam si radius Solis transit per exhalationem calidam, siccam, terrestrem, in ea format rubedinem, sed necesse est quod illa exhalatio sit multum densa, quia quando lux intensa, & magna transit per exhalationem, vel vaporem tenuem, & debilem fit color albus, vnde in summa sic habeas.

Color rubeus causatur ex magna, & intensa luce, transeunte per exhalationem multum opacam.

Color albus fit, quando magna lux est intensa, & transit per exhalationē, vel vaporem tenuem, & debilem. Nigredo causatur quando non magna, sed debilis lux trāsit per medium opacum.

Medius color generatur, quando debilis lux transit per tenue opacum.

Color viridis generatur ex crassitie in profundum posita, in nube habente multam humiditatem aqueam, magis indigestam.

Vnde in proposito dicimus, quod color viridis Iridis fit, ex receptione radiorum Solis in profundum nubis roridæ vt supra, quoniam illa nubes in sua profunditate tenet multum de crassitudine, & humiditate aquea, magis indigesta. Color vero eius rubeus generatur in medio nubis illius, quoniam in illa parte habet multum de pituoso terreo adusto. Color vero eius citrinus, vel croceus nascitur ex radijs Solis diffusis in aere medio, illis rorationibus mixto, iam facto humido, & ex frigiditate condensato.

Colores igitur Iridis vt plurimum sunt tres Viridis Rubeus, & croceus ratione vt supra. Aliquando autem contingit, quod pars superior nubis roridæ est viridis, & inferior azuri, seu cælestis coloris, magis accedentis ad nigredinem, quā ad viride clarum. Ratio est, quia illa pars superior, est quidem aliqualiter crassa, & ideo ostēdit colorem uiridem, sed minus quam sit

inferior, & ideo declinat ad azurum. Pars autem rubea quandoque est rubea, rubore claro, quandoque obscuro, veluti vinoso, & sanguineo. Causa est, quia si illa pars est bene perspicua, & radij Solis in ea multiplicantur, tunc se tingit colore rubeo claro. Si vero sit densior, & minus perspicua, & radij Solis in ea non multiplicantur, videtur vinosa, & sanguinea. Aer autem adlatus ex propinquitate quā habet ad colorem rubeum, & viridem Iridis, se ostendit in modum coloris citrini, vel crocei, vel paleæ, sicut videmus quod color, qui dicitur (Cangiante) nascitur ex diuersis filis diuersorum colorum adinuicem coherentium, & contextorum. Si autem ille aer sit habens parum de subtili fumoso, & aliquantulum plus de humido, eius color erit quasi albus. Croceus vero clarus, veluti color paleæ, si habet multum de fumoso subtili, & si declinaret ad opacitatem, color fieret ad ruborem.

Hoc ordine autem conspiciuntur colores supradicti in Iride. Color rubeus tenet superiorem partem Iridis, quoniam causatur ex exhalatione fumosa quæ sursum semper tendit, cum sit naturæ leuis. Viridis vero est inferior, quia cum sit ex vapore aquoso indigesto, naturę grauis, deorsum descendit, ad partem inferiorem, & ista pars vocatur etiam profundior respectu Solis, & receptionis radiorum eius. Quoniam tamen ista pars crassa, & grauis in sua inferiori parte densior est, & ponderosior, ideo in ea fit color alurgus, seu purpureus. Necesse est ergo, quod pars superior Iridis sit leuior, quam media, & media quam infima. Videntur etiam in Iride quasi multi alij colores permixti, secundum illud 5. Aeneid. (Mille trahit varios aduerso Sole colores.) Nam in ea apparet aliquid flammei, lutei, cerulei, punicei, herbacei viridis, purpurei, crocei, &c. quod nascitur ex diuersitate partium nubis, in qualitate, & quantitate. Nam etiam si aquam in ore accipiamus, & leuiter eam versus Solem sufflando expandamus, videbimus in ea diuersos colores, ex irraditione Solis causatos, & ita in lucernæ aere ipsam ambiente. Lucis enim proprium est istam colorum variesatem causare.

Septimo venit notandum circa multiplicationem Iridis. Primo, quod dupliciter potest multiplicari. Primo secundum speciem, & sic alia est Iridis Solis, & alia Lunæ, nam etiam Luna, vt diximus potest causare Iridē, & sic erunt duæ Irides specifice, saltem materialiter. Secundo secūdum numerum, & hoc multipliciter. Primo, in vno die secundum distinctas horas, quia potest fieri in qualibet hora dici. Secundo in eadem die, & hora, sed in oppositis sitibus, V.g. vna sit in Oriente, & alia in Occidente. Tertio, in eadem die, hora, & situ, stando vna supra aliam, cum hoc vt vnam alteram contineat, sic vt continens dicatur superior, & contenta inferior.

Secundo. Dico, quod etiam Luna potest causare Iridem, sed non ea varietate, & decore colorum, sed tantum colore candido decoram. Huius causam assignauit Arist. dicēdo id euenire ob obscuritatem noctis, quoniam lumen visum tenebrarum tempore candidum apparet, & intensæ albedinis. Sed aliud addendum est inquit Albertus, quia cum radij Lunæ in nube rorida accipiantur secundum suas diuersas dispositiones, vt supra, deberet etiam varijs coloribus amicta videri. Dicendum est ergo, quod non solum noctis obscuritas, verum & eius frigiditas, quæ multum nubem condensat est in causa, vt non possit à debilibus radijs Solis in profundum penetrari, sed tantum in superiori superficie illuminari. Sol autem, quia suo intenso lumine profunda totius nubis attingit, ideo secundum dispositionem partium eius eam varijs coloribus decorat. Hæc autē Iridis vt dicit Albertus 3. Meteor. tract. 4. cap. 22. apparet vt semicirculus lacteus, non bene continuus, sed intermedius, habens lineas subnigras, quæ tamen sunt sicut albore superinductę per quē apparēt.

Tempus autem apparendi Iridem Lunæ, dicit Aristot. solum in nocte comparere, dum est in ortu, vel occasu, & in 14. die à suo coitu, idest prope plenilunium, & solere raro apparere, sicut in 50. annis bis tantum suo tempore apparuit. Hoc autem Albertus non acceptat, nisi vt dictum secundum famosas opiniones sui temporis, & non vt propriam sententiam Arist. Ait enim Albertus suo tempore accidisse bis in eadem nocte fuisse, & in tempore quod erat plusquam dimidia, existente Sole in fine Tauri, & Luna in principio Capricorni.

ni. Vnde sufficit, quod nubes rorida sit in eius opposito, & disposita ad figuram Iridis, & sic in omni tempore fieri poterit.

Irides autem Solares numero multiplicantur, vel multiplicari possunt. Primo in eadem die, vt si Sole existente in Oriente, Iris appareat in Occidente, & in sero existente in Occidente, videatur Iris in Oriente.

Secundo, in eadem hora, sed non in eodem situ, vt si Sol sit in meridie, & duas habeat nubes roridas in oppositum, vnam ad Orientem, aliam ad Aquilonem, & si essent tres, & omnes in opposito, radiorũ Solis totum cælum ex omni parte irradiantis, idest versus Orientem, Occidentem, & Septentrionem, (non enim si est in Meridie opponi ei potest, nec vnquam opponi cum nũquam Sol transeat ad Septentrionem, vnde non fiunt Irides in meridie) apparerent tres Irides.

Tertio in eodem die, & hora, & situ dum modo vna, aliam contineat, vnde continens dicitur Iris superior, & contenta inferior, & interior. In ista autem colores contrario modo ordinantur. Nam in prima paripheria, quæ est veluti, vt dicitur fascia est coloris punicei, seu dicamus rubei ad instar grani pomi granati. In secunda est coloris viridis, seu cerulei, quod idem est. In tertia, a luoghi, idest azuri, vel cælestis, ad instar coloris saphiri. In Iride vero superiori primus color est azurus, in secunda viridis, in tertia flauus, & in quarta rubeus.

Causa horum est, quia duæ nubes roridæ possunt esse in eadem positione cæli, v.g. in Oriente, vna supra aliam, & discontinuæ. Dum ergo Sol illustrat Iridem inferiorem, ipsa cum sit quasi speculum remittit colorum species ad partem superiorem, & ecce quod in nube rorida superiori impingunt, quasi in secundo speculo, & sic in ea causant eius colores. Quare inferior à radijs Solaribus causatur. Secũda vero immediate est ab Iride inferiori, vnde in ea debiliores sunt colores. Contrario vero modo se habent in representatione colorum, quia talis est dispositio reflexionis illorum. Solum quod flauus causaaur in aere medio, & fit ex permixtione coloris rubei, & viridis clari.

Octauo notandum venit circa figuram in qua apparet Iridis, quod solet apparere in formam semicirculi, seu vt quædam portio minor circulo. Hoc docuit Arist. lib. 3. Meteor. cap. 3. & ibidem. S.D. & alij. Ad eruendam autem hanc veritatem oportet quædam mendicare à prospectiuo.

Primum ergo est, quod Horizon alio modo sumitur ab Astrologo, & alio modo à Prospectiuo. Astrologus enim dicit Horizontem esse circulum magnum diuidentem spheram in duo æqualia, vt in p.p. vniuersi cælestis demonstrauit. Perspectiuus vero dicit Horizontem esse superficiem circulatam, continentem superficiem terræ, procedentem vsque ad extrema partium cæli visarum, cuius centrum, est centrum oculi sic videntis, vnde apud perspectiuũ sic variatur Horizon, sicut variatur oculus videntis, & in hoc sensu loquitur de Horizonte Aristot.

Secundum est, quod dum videtur Iris necesse est, quod coincidant simul centrum Solis, centrum Horizontis, & cẽtrum Iridis, vnde oculus videntis qui dicitur centrum Horizontis ferit per lineam rectam centrum Iridis, & Solis. Patet enim experientia quod quanto Sol deprimitur versus oculum, seu dicamus Horizontem, tanto magis polus eleuatur, & centrum Iridis super Horizontem, & quanto Sol eleuatur supra Horizontem, tanto deprimitur polus, & centrum Iridis sub Horizonte. His suppositis cum Aristot. duas regulas deducimus.

Prima est. Vbicunque Sol non potest eleuari supra nostrum Horizontem per 52. gradus, illic omni hora potest Iris videri. Ratio est, quia cum semidiameter Iridis sit 42. grad. potest semper esse aliqua eius portio supra Horizontem.

Secunda est. Vbicunque potest Sol eleuari supra Horizontem plusquam per 32. gradus in die artificiali, illis Iris non potest omni hora apparere, vel aliqua eius portio, Ratio est, quod post tantam eleuationem erit centrum Iridis, & polus eius per 42. gradus, sub Horizonte. Cum ergo semidiameter Iridis tantum, & non amplius contineat, sequitur quod punctus eius altissimus sit omnino sub Horizonte, & consequenter de Iride nihil videatur.

Ex his quatuor deduci possunt.

Primum, quod Sole existente in ortu, & occasu, Iris potest videri vt semicirculus præcise,

cise. Patet quia Sole existente in ortu, vel occasu polus Iridis stat in opposito, qua propter si centrum Solis sit in contactu Horizontis in Oriente, polus Iridis erit in contactu Horizontis in Occidente, & consequenter centrum Iridis erit in consimili situ. Hinc sequitur quod si Iris esset circulus perfectus, vna medietas staret sub Horizonte, & alia super, & consequẽter non posset apparere maior, vel minor quam sit semicirculus.

Secundum est, quod Sole eleuato supra Horizontem Iris apparet minor semicirculo, quia secundum quod Sol exaltatur supra Horizontem, polus Iridis, & eius centrum deprimitur sub Horizonte, vnde quod relinquitur de Iride supra Horizontem est minus semicirculo.

Tertium est, quod si aliqua portio Iridis appareat in Meridie, oportet quod sit minima, quia tunc Sol maxime exaltatur supra Horizontem, vnde necesse est eam deprimi, cum sit in eius opposito.

Quartum est, quod Sol tantum potest exaltari supra Horizontem, vt nulla portio Iridis videatur, nam si eleuetur supra 42. gradus, cum semidiameter Iridis secundũ Prospectiuum sit præcise 42. grad. si Sol exaltetur grad. 43. vel 44. &c. nullo modo videbitur.

Nono quo ad situm in quo Iris apparet diximus supra posse in omni situ apparere, & si in Meridie non videatur, vel si videtur, sit minima. Duæ autem sunt conditiones necessariæ ad hoc vt possit vbique videri. Prima est, quod Sol non eleuetur supra Horizontem vltra 42. gradum, quia aliter non videretur. Secunda, quod oculus stet in medio inter Solem, & nubem, vt supra diximus, & addimus tertiam, quod sit in eius opposito, vt iam ostensum est.

Decimo notandum est tempus in quo solet Iris apparere. Dicimus ergo Primo, quod habitantibus sub æquinoctiali non potest Iris apparere per tres horas ante, vel post Meridiem, quia tunc eleuatur supra eos per tres horas ante, & post meridiem per 45. gradus, vnde cum transcendat 42. non potest videri.

Secundo dicimus quod per duas horas scilicet ab ortu, & ab occasu, habitantibus sub æquinoctiali potest apparere eis Iris, quia per vnam horã exaltatur sub æquinoctiali 15. gradus, & per duas 30. & ita per oppositum in declinatione post meridiem declinat per hos gradus, qui sunt intra latitudinem 42. grad. & ideo ab eis potest videri.

Tertio dico, quod habitãtes sub tropico æstiuali non possunt videre Iridem omni hora, quia prope meridiem exaltatur super eorum Horizontem vltra 42. grad.

Quarto. Nec potest videri ab his, qui habent Solem supra suum Zenith, quoniam polus, & centrum Iridis sunt tunc directe in angulo noctis, cum correspondeat ex opposito meridiei. Econtra habitantes sub polo arctico, vel anctartico possunt eam omni hora videre diei, quia non eleuatur Sol supra eorum Horizontem vltra 24 gradus. Habitantes vero in 5. & 6. climate possunt per sex menses Iridem videre, omni die. i. ab æquinoctio autumnali ad æquinoctium vernale, quoniam Sol non potest accedere ad Zenith capitis nostri per 42. gradus. Nobis autem non apparebit in meridie, quia dum est in Cancro & pertingit ad punctum meridiei, centrum Iridis tantum deprimitur sub Horizonte, quod tunc etiam eius circumferentia sub Horizonte est.

Vndecimo tandem animaduertendũ venit, quod ex Iride varia significata desumimus. Nam Senecæ. 1. nat. quæst. c. 6. dicit Arcus à meridie ortus magnam aquarum vim vehit. Si circa occasum refulsit, rorabit. Idem affirmauerunt Plinius li. 18. c. 35. Virgil. 1. Georg. & Ouidius 1. Metamorpho. cecinit.

Nuncia Iunonis varios induta colores.
Concipit Iris, aquas alimentaqi nubibus affert.

Suntque qui referant post multarum Iridũ generationem fuisse diluuium prouinciale Tessaliæ sub Deucalione anno 2700. a creatione mundi, & post generale diluuium annis circiter octingentis. Et in insula Pharo anno 3006. ab orbe condito.

Oppositum videtur docere S. D. quod. 3 art. 30. Herueus quod. 1. q vlt. Io. Archiepiscopus Cantuariensis in Compendio prospectiuæ lib. 3. c. 2. Abul. c 9. Genesis c. 7. docentes Iridem non futuram pluuiam, sed præteritam significare, & pro hac opinione est primo auctoritas Gen. 9. vbi de Iride Deus loquitur non vt de signo minante diluuium, sed vt de signo annuente cessationem aquarum a cælo. Dicitur enim ibi.

Arcum

Arcum meum ponam in nubibus, & recordabor fœderis mei vobiscum, & non erunt vltra aquæ diluuij. Secundo, probatur ratione s. Doctoris. Tripliciter enim calor Solis ad vapores se habet, qui sunt materia meteor. Primo enim eos potest respicere vt causa dissolutiua illorum, quin sua vi illos absumit, & consumit. Secundo, vt causa eleuatiua illorum ad regionē aeris pluuialem, in qua non potest eos dissoluere, & destruere. Tertio vt causa eorum non consumptiua quidem, sed ita actiua, vt non sinat illos adensari in nubem pluuialem, nec eos omnino resoluit, sed in nubem roridem eos reducit. Primo modo dissoluuntur, nec ex illis vaporibus aliquid fit. Secundo fiunt materia magnarū pluuiarum. Tertio modo vero fiunt materia Iridis, & consequenter non sunt materia pluuiarum. Et ita docet experientia, quod Iris non apparet, nisi postquam nubes exoneratæ sunt per magnam pluuiā.

Si quis autem quærat quomodo Iris sit signum non futuri diluuij. Respondet Lipomanus Methonensis Episcopus in sua Catena, esse ex Dei peneplacito, eo modo quo lapides ponuntur in agro pro terminis viarum, & possessionum. Est enim credibile, quod etiam ante diluuium fuerint vt Irides, sed tunc erant res simpliciter naturales, modo autem, & naturales, & voluntariæ, ad significandam inundationem aquarum in totum orbem, eo modo quo tempore diluuij generalis fuit, ex parte Dei, non esse futuram.

At Eucherius, Strabus, Albinus, & D. Greg. obseruant, quod sicut per colorem ceruleum arcus promittitur nobis securitas diluuij aquarum, ita per colorem eius rubeum nobis annunciatur deflagratio totius orbis, per ignem ante diem iudicij. Et sicut minatur sagittas diuinæ iræ, vt est arcus, ita nobis diuinā misericordiam promittit, quia est arcus, sine sagittis.

Ad argumentum autem dicitur, quod concludit de veris coloribus, nos autem loquimur de apparentibus, vt iam dictum est, & explicatum est.

QVÆSTIO XV.

Vtrum Ros sit ex materia vaporis humidi, & subtilis.

Videtur quòd non. Nam natura humidi est se adunare, & ingrossare, vt videmus in guttis pluuiæ, quæ currūt ad riuulos, & riuuli ad torrentes, & torrentes ad flumina, & ista ad mare. Ergo non poterit dari materia vaporis quę sit humida, & consistat in subtilitate.

Ad sciendam naturam roris. Primo notare oportet, quod eius causa remota, sicut & omnium aliarum impressionum Meteoricarum est calor Solis pręcipue, & aliorum astrorum, quæ calore sursum vapores eleuant & in varia efformant. Calor igitur aeris temperatus ponendus erit pro causa effectiua proxima roris cum frigiditate tēperata eiusdem aeris. Si enim calor aeris esset intensus resolueret illum vaporem in aerem, & si frigiditas aeris esset intensa condensaret illum vaporem, & congelaret sicut accidit in pruina. Ros igitur postulat temperatam caliditatem, & frigiditatem aeris simul, & semel pro causa proxima effectiua. Causa eius materialis erit igitur vapor humidus, & subtilis, talis qualis requiritur ad temperiem aeris inter caliditatem, & frigiditatem.

Notant ergo DD. quod à Sole ac alijs astris à terra, & aqua abstrahuntur vapores in quadruplici differentia. Primus enim est calidus, & siccus, & hic ductus vsque ad supremam aeris regionem ad sphæram ignis contiguam fit materia ignitorum. Secundus est calidus, & humidus, qui ferè semper dum in prima aeris regione recipitur, in aerem conuertitur, nisi intensa frigiditas aeris illam conuersionem impediat. Est enim vapor similis aeri calidus, & humidus, & ideo de facili in aerem transit, & ita ex eo non fiunt impressiones. Tertius est frigidus, & siccus, & hic fit materia ventorum, vel terremotuum, vt videbimus. Quartus est frigidus, & humidus, & hic causat omnes impressiones aqueas. Aliquas per condensationem, vt rorem, & pruinam. Aliquas per congelationem, vt pluuiam, niuem, & grandinem. At sciendum, quod hic vapor humidus duplex est. Primus est

subtilis, & ex isto fit ros, & pruina. Secundus est crassus, & ex isto sunt omnes aliæ impressiones aqueæ. Habet ergo materia roris esse vaporem humidum, & subtilem.

Secundo loco venit notandum, quod circa locum in quo generetur ros sunt duæ opiniones. Prima, est Alberti Magni, 2. Meteor. tract. 1. c. 3. tenentis rorem generari in suprema parte mediæ regionis aeris, quæ est proxima supremæ regioni æstuanti ex propinquitate ad spheram ignis. Ratio Alberti est. Res generatur in parte aeris temperati inter caliditatem, & frigiditatem, vt iam diximus. At talis est dicta regio aeris nã cũ sit constituta inter supremam æstuantem, & mediam frigentem, necesse est, vt tamquam media temperate gaudeat de extremis, & ita secundum Albertum locus in quo ros formatur, est altius loco pluuiæ, quia in secunda aeris regione generatur.

Secunda opinio est Comment. quod generetur in infima aeris regione, non transcendente altitudinem mõtium, cum in eis ros non generetur, vt dicit Arist. Probat ergo suam opinionem sic primo. Si ros supra mediam aeris regionem generaretur, sequeretur, quod etiam cadendo tangeret, & irrigaret summitatem montium, sicut etiam facit pluuia, quia eius regio natalitia extollitur super montes. Hoc est falsum, vt docet Arist. Secundo. Idem est locus generationis roris, & pruinæ secundũ famosiores expositores. At pruina secundum istos generetur in infima regione. Ergo etiam Ros.

Sed Albertus negat paritatem argumenti, & ad primum respondet dicendo, quod montes sunt in triplici differentia. Primi fuut constituti in infima aeris regione, & dicuntur colles ameni, culti, & fructiferi. Secundi transeunt primam aeris regionẽ, & attingunt secundam frigidissimam, vnde in eis sunt in summitate saltem perpetuæ niues, ex quarum compressione in fundo generantur birillus, cristallus, frigidissimi, calido omnino euaporato. Tertij secundam excedunt, & vsque ad tertiam magnopere calidam sua altitudine perueniunt, & de his montibus dicit Albertus locutum esse Aristot.

Sed quamuis Albertus Magnus sit apud me in magna reuerentia, tamen eius opinionem pro nunc non approbo. Primo, quia si in eodem loco ros generatur, in quo montes tertij ordinis sunt, quomodo de genitis in eis non participabunt? Secundo. Quomodo ros, qui est vapor subtilis non condensabitur dum descendet ad secunda maeris regionem frigidissimam, & non conuertetur in pluuiam? Et quomodo in Æstate tam cito ex illa regione descendit, cum videamus breuissimo tempore in terra fieri? Est igitur dicendum, quod generetur in infima aeris regione temperata inter calidum, & frigidum, & quod in montibus altis non fit, tum quia excedunt hanc infimam regionem, tum quia cum sicci sint, & ex locis humidis, & cauis deducatur humor hic humidus, & subtilis roris, non potest generari in montibus, & tanto magis quod ventis perflãtur dissipantibus vaporem illum subtilem si ibi esset.

Tertio. Notandum venit, quod tempus roris, saltem quo ad abundantiam est Ver, & Autumnus, quia ista tempora sunt temperata inter caliditatem, & frigiditatem. In Æstate vero non est, nisi aliqualis, & in locis humidis, & frigidis, quia magnus calor Æstatis non sinit illum concrescere, sed vaporem subtilem, materiam eius cõsumit. Nec in Hyeme est, quia magnum frigus illum adenſat in pruinam. Dum autem venti calidi, & humidi flant, vt sunt Australes tunc abundat ros, quia magnã symmetriam, & facilem transmutationem habeat. Econtra vero flantibus Septentrionalibus ventis frigidis, & siccis cessat ros, & fit pruina, quæ cum illis conuenientiam habet.

Quarto. Notandum, quod Ros habet suas proprietates. Prima est, quod cum fit ex aere temperato inter caliditatem, & frigiditatem, necesse est, vt & ipse sua natura temperatus sit in caliditate, & frigiditate, vnde est temperatior pluuia, niue &c. quare si esset multus, & irrigaret terram mirabiliter fructificaret.

Secunda est, vt significet aeris serenitatem, tum quia generatur ex aere temperato, qui est serenus, tum quia cum eius materia sit humor subtilis, non debet multum humiditate aque, vel frigiditate vnius, vel grandinis, quæ cadunt tempore turbato distrahi.

Tertia est, quod tempore nebuloso non generatur,

neratur, quia aer distemperatur, & calor aeris resoluitur in sua tempere. Nec tempore vētoso, quia dissoluitur eius vapor à vento, nisi sit australis, quia talis rorem facit, & nubes sæpe portat.

Quarta est, quod soluit ventrem animalium, & hominum comedendo aliquid rore conspersum, & oues cadunt in fluxum. Nam quia subtilis, & rarus est, intestina penetrat, & stercora dissoluit. Inquantum vero est calidus adiuuat potentiam expulsiuam ad expellendum. Sed de his infra.

QVÆSTIO XVI.

Vtrum vna sit materia roris, & pruinæ.

Videtur quod non. Nam quæ communicant in subiecto conueniunt etiam in proprietatibus subiecti, cū istæ à subiecto fluuant, vt propriæ passiones subiecti. Sed aliæ, & aliæ sunt proprietates roris, & pruinæ. Ergo non habent eandem materiā.

Respondeo cum Arist. 1. Meteor. ca. 4. eandem esse materiam roris, & pruinæ, & non distingui nisi secundum intensionem, & remissionem in eadem specie. Ros igitur, & pruina pro materia habent humorem humidum, & subtilem. Ista ergo materia dupliciter considerari potest. Primo, vt est temperata inter caliditatem, & frigiditatem, vt fit in Vere, & Autumno, & sic redundat in rorem. Secundo, vt fit frigida, & acuta à magna aeris frigiditate, tempore hyemali, vel flante Borea, qui est vētus multum frigidus, & subtilis, & sic ille vapor cōdensatur in pruinā. Quare sicut ros sic diffinitur. Ros est vapor exiguus, humidus, subtilis & temperatus, à tēperato aere causatus, terrā, & herbas & alia humectans. Ita pruina sic definitur. Pruina est vapor exiguus, humidus, subtilis, & à vehementi frigore congelatus, & vt exigua nix super terram effusus. Vnde vapor est causa materialis, formalis sua forma, efficiēs remotum recessus solis, proximum frigus noctis, & finis corruptio illius humoris, & generatio pruinæ, quæ est secundum quid.

Secundo Notandum venit, quod locus generationis pruinæ secundum communiorem est infima aeris regio, sed pro eo tempore pro quo cū Sol non calefacit multum, vt facit in æstate, ex propinquitate ad nos, vnde pruina generatur dum à nobis recedit, & sic parum de die calefacit terram, & succedendo frigiditas noctis, aerem in pruinam adensat.

Hinc dicimus pruinas abundare tantum tempore brumali, quia tūc aer, frigidior est, tum quia Sol irradiat terram oblique, vnde reflexio radiorum non est fortis ex qua causatur calor diei, tum quia tempore hyemis ex elongatione Solis à nobis humores crassi frigidi multiplicantur, & ad mediam aeris regionem eleuati in pluuias conuertuntur, & niues. Prouenit ergo pruina, & eius abundantia à tempore frigido sereno, & à ventis siccis frigidis, quales sunt septentrionales, & vt etiam dicit Albertus à Saturno dominante, quoniam ipse est planeta frigidus, quare si in vere cum Sole coniungatur, vel Luna, vel sit in signo frigido, & terreo, vt in Tauro, Virgine, vel Capricorno, periculum est de pruina, & consequenter de adustione florum arborum, & fructuum.

Tertio ergo veniunt notandæ proprietates pruinæ. Prima est, quod si cadat tēpore suo proficua, & vtilis est, quia intus calorem concludit, & in radices arborum agit, & mirabiliter ad fructificandum disponit. Cum vero cadit tempore sibi incongruo, idest in vere, quod sua natura est tēperatum, flores, fructus, folia, prata, ac omnia virentia mortificat, exsiccat,

cat,& inaridat. Ratio est,quia cum sit nimis frigida, & tendat ad siccitatem est destructiua,sicut temperamentum roris calidum, & humidū est viuificatiuum vegetantium. Et magis lædit pruina, quam nix cum nix sit subtilior, & magis participet de caliditate. Est ergo pruina adustiua,quoniam adducit lactescentes germinum oculos, & enecat omnē arborum viriditatem, & floritudinem,vt discant mortales,quod sicut pruina vna nocte totam spem vnius anni de fructibus colligendis peremit,ita mors vno ictu diu cogitata, & ordinata præripit.

Secunda proprietas, ex prima prouenienſ est, quod humorem vegetabilium foras ducit, & consumendo ipsum quantum potest inaridat. Vnde sciendum venit, quod non semper eosdem effectus intensiue producit. Nam si multa sit, & ex magna frigiditate generata, fere in totū exsiccat,& adurit vegetātia, ita vt omnino ea priuet pro illo tūc facultate iterū germinandi,florendi,& fructificandi. Aliquando vero solum virētia decolorat,sed non plus eis nocet, & tunc est quando genita est ex minori frigiditate, & non est ita condensata, & portatur à vēto. Si enim ventus flet,non descendet, maxime si fortiter flet,fit enim postquam vētus cessauit flare,vnde periculum est in uere si per diem venti septentrionales sufflauerunt, & versus diem cessent flare,tunc enim aer vndique infrigidatus se adunat, & in pruinā mortalem se transmutat. Si vero cōtinuent flare pruina nō erit, vel pauca,quæ tantum decolorabit,sed non exsiccabit. Aliquando etiam si noceat pro eo tunc, tamen non penetrat ad interiora vegetantium,vnde eis non adimit virtutem iterum germinandi, quia non fuit ex frigidissima.

Quarto. Notādum venit,quod quamuis ros,& pruina sint ex eadem materia,tamen pluribus differentijs differunt. Primo ergo conueniunt quidem in materia, quia ambæ sunt, ex vapore humido,subtili, sed differūt in intensione, quia in rore est temperatus,in pruina multum frigidus. Secundo conueniūt in loco generationis,quia vterque generatur in infima aeris regione,sed in diuerso tēpore, quia Ver, & Autumnus sunt tempus roris, & hyems tempus pruinæ. Tertio ambæ generātur tempore sereno, at pruina flante Borea. Ros Austro, dico quo ad maiorem abundantiam, nam etiam sine vento generantur. Quarto differunt effectu, quia vt diximus ros viuificat per se,nisi ei adiungatur siccū terrestre,& cōuertatur in māna,vel mel, tūc enim,& ipse ratione nonæ transmutationis mortificat,at pruina sēp flores, & oculos fructuū mortificat.

Ad argumentum negatur maior. Ad probationem dico, quod proprietates subiecti sunt in duplici differentia. Nam quædam sunt specificæ, vt risibile, & disciplinabile homini, & istæ omnibus, & singulis indiuiduis conueniunt. Quædam vero dicuntur indiuiduales, quoniā consequuntur principia indiuiduantia huius, vel alterius indiuidui, et istę possunt vni conuenire, & alij non,vnde vnus homo erit temperamenti calidi, & humidi temperate, & alius frigidi,& sicci, & ita accidit pruinæ, & rori,quæ non sunt duæ species, sed duo indiuidua sub eadē specie vaporis humidi, & subtilis.

QVAESTIO. XVII.

Vtrum mel sit ex vapore humido, acuto, sicco, & terrestri.

Videtur,quod non. Nam in ratione principij ars,& natura differunt, quia natura est principium intrinsecum naturalium, & ars principium extrinsecum artificialium,vt dicitur

secun-

secundo Phyſ. Sed mel arte colligitur ex alueo Apum, ergo non poteſt generari ex aere, vel vapore humido, acuto, participante de ſicco, & terreſtri.

Reſpondeo cum Alberto 2. Meteor. tract. 1. cap. 14. quod mel ſic generatur: Sol eleuat vaporem humidũ, & ſubtilem, qui eſt materia roris, & multum habet de aereo, tunc calor æſtatis (generatur enim tempore cau matis) digerit humidum aereum illius vaporis, & ex digeſtione illa reſultat, ex qualitate ſua virtuali in eo quoddam ſubtile, & terreſtre, deinde adueniente temperata frigiditate noctis æſtiuæ, humidum aereum iam ad quandam terreſtreitatem reductum pingueſcit, & vt ros fluens ac viſcoſus, ad modum mellis cadit ſuper flores, & folia, & herbas, quod Apes colligunt, & ſic in ſuis aluearibus verum mel formant. Sed ad maiorem explicationem huius ſunt aliqua notanda.

Primo ergo notandum venit, quod circa generationem mellis non fuit vnus modus dicẽdi. Nam Plin. lib. 11. nat. hiſt. c. 12. optat ſe poſſe inuenire mel purum, ac liquidum, vt dicit à cęlo cadere, & non ex obuio vapore terræ ſordidatum, ac fæculentatum. Dicitque ignorare an ſit cęli ſudor, aut ſyderum ſaliua, aut ſuccus aeris ſe purgantis. At Philoſophi dixerunt generari ex materia roris dum ei permiſcentur quidam vapores terrei, ſubtiles, vt diximus. Hunc ergo vaporem in mel adunatum dicit Ariſt. lib. 5. de hiſt. animalium cap. 22. apes non generãt, ſed ad ſua aluearia tranſportant. Hoc probat Ariſt. Primo quia ſi aluearij vno, & altero die cellas melle repletas inueniũt eſt, quia illud ab extra colligunt. Secũdo quia in Autũno ſi mel ab aluearibus detrahatur, illud apes non reparant, quod facerent ſi ipſum generarent. Vnde concludit, quod Apes fauos ex floribus conficiunt, ceram ex lacryma arborum excipiunt, & mel ex rore aeris colligunt. Seneca tamen dixit epiſt. 84. quoſdam tenuiſſe. Apes quadam proprietate ſibi congenita, colligendo rorem, illum in mel mutare. Sed ſententia Ariſt. acceptanda eſt, quia exprimit naturam rei, prout experimur.

Secundo. Notandum eſt, quod duplex eſt mel. Primum vocabimus domeſticũ, & familiare, quod in vſu apud nos eſt. Secundum dicitur Syluestre quod pro cibo inſeruiebat D. Io. in deſerto Matt. 3. Primũ celebratur ſi ſit dulce, & acre, boni odoris, perlucidum, ſub flauum, non humectum, graue, & minime fluxum. Laudatur multum illud quod habetur ex Hymeto, ex Cycladibus iſulis, & ex. Sicilia cognomine Hybleum. In copia magnum eſt in Creta, Cipro, & Affrica. Quo ad ceræ ſplẽdorem, quod in Pelignis, quoad fauorum magnitudinem, quod in Germania vbi fauũ octo pedum magnitudinis viſũ ſcribit Plinius lib. 11. cap. 14. Aeſtiuum autem quod eſt primum ſemper deſideratur, vt melius. Et collectum ex folijs hymi excellentiſſimum eſt.

Quid autem per mel Syluestre ſit intelligendum. Rabanus, & Ardulphus Galliarum Epiſcopus, qui adea loca peregrinatus eſt putant per mel Syluestre eſſe intelligenda quædam folia arborum candida, & tenera, quæ manibus trita ſaporem quaſi mellitum exhibent. Alij ſunt in ſententia eſſe humorem ex folijs arborum col lectum. Faber credit eſſe illud mel quod Plinius facit tertium, & dicitur Ericeum, quod apes colligunt ex erica deficientibus alijs floribus, qui frutex Autumni tẽpore flores emittit, eſtque ſaporis iniocũdi, & ingrati. Peluſiota lib. 1. Epiſt. & epiſt. 132. ad Timotheum lectorem ſic dicit. Nõ eſt herba mel Syluestre, ſed mel montanum, quod ab agreſtibus api-

buscōficitur, ſummeque amarum eſt,& guſtatui omni infeſtum,atque inimicū. Nec hoc eſt mirum,quoniā mel Sardicum amarum eſt, quoniā apes inibi illud colligunt ex abſinthio. Et in Heraclea ponti vbi aconitum naſcitur mel inuenitur, quod qui edunt, vel bibunt, ita affliguntur ex eo ac ſi ſumpſiſſent aconitum, mente enim alienantur, ac ſudore diffluunt apud Dioſcoridem lib. 2. cap.75.& lib.6.cap.8. At D. Criſoſt. Theophylatus, & Euthymius volunt eſſe mel in lapidum ſciſſuris ab agreſtibus apibus confectum, niſi quod eſt amarum & guſtui in iocundum. Videtur autem huic expoſitioni arridere aliquo modo dictū Deuter.ca.32. Vt ſuggeret mel de petra, oleūq; de ſaxo duriſſimo, ideſt de loco petroſo in quo plātatæ erant oliuæ,& apes colligebant mel, vt expo nit S.Thomas ſupra Iob.c. 29.

Tertio. Notanda quædam ſunt, quæ de melle ex varijs doctoribus collegi digna admiratione.

Primum eſt, quod in India,& maxime in Praſiorum regione liquidū mel fluit, quod in herbas ac paluſtrium arundinum comas decidens, mirificas paſtiones ouillo, & bubulo pecori præſtat ait, Aelianus hiſt. lib. 15.c.7. Et Mela lib.3.ca 4. ſic dicit. India tam pinguis alicubi, & tam feracis ſoli, vt in eam mella frondibus defluuant, & lanam ſyluæ ferant.

Secundum eſt, quod in regno Tigremahor Aſſiriæ reperitur mel, vt ſaxum durum, & ad inſtar niuis candidum,& id etiam reperitur in Regno Tadogaſt Affricæ, vt tradunt Aluarez, & Leonius p. 2.

Tertium eſt, quod in Capodociæ quibuſdam locis eſt mel, ſine fauis con fectum, ſpiſſum, & oleo per ſimile, vt dicit Ariſt.de admirād. c.16. & c. 18. vbi ait mel plurimū naſcitur in Lidia ex arboribus, quo incolæ paſtillos, ſine cera conficiunt, quibus vtuntur cum abſcinderint, ijque duriores ſunt, quam vt poſſint conteri. Idem refert Aelianus lib. 5.cap. 42. Et quod etiam in Media Mel ex arboribus ſtillat.

Quartū eſt quod vt Ælianus narrat lib.5.c.42. in Trapezunte mel quod dam ex Buxo naſcitur odoris mali, quod guſtantes in inſaniam conuertit, & venenum eis fit. Sed quod mirabile eſt dicir, Ariſt. de admirand.cap.17. hoc mel ſanos in inſaniam conuertit, at inſanos ab ægritudine ſoluit. At Plinius lib. 21.ca. 13. affirmat. tale mel in inſaniam ducere, ſed negat mentis ſanitatem afferre, quia inſania videtur morbus perpetuus. Sed hoc nihil eſt, quia multi inſani præcipue ex accidenti inſanientes ad ſanitatem mentis veniunt, & ſi non poſſunt vt plurimum venire, ex magna admiratione poſſent redire, nam dicimus hoc inter miranda naturę eſſe ponē dum. Soluit ventrem animalium ad mortem non coctum, & nutrit choleram in eis.

Quartū Notandū ꝙ infima pars mellis .i. quæ ſtat.in fondo laudatur,& olei,quæ eſt in ſuprema, & vini media. Ratio eſt,quia illud mel excellētius iudicatur,quod minus fluuit, & quaſi Saccharum concreſcit, hoc autem cum ſit graue ad ima deſcendit. Oleum vero melius eſt,quando magis fuerit defecatum, clarum,& aereum, proprium autem eſt leuis,& aerei ſurſum aſcendere. Vinum autē duo habet. Primum quod multum læditur ab aere, vnde ſi bene cuſtodiatur ab aere ingrediente diu conſeruatur. Superior autē pars illa eſt,quæ contrietatem aeris ſentit. Secundum eſt,quod cum teneat de Terreſtri multas feces ſecum trahit, quę cum ſint graues deorſum deſcendunt,vnde ima eius pars non eſt tam bona,vt media, quæ à fecibus eſt purgata,& ab aere tuta. Quare bonum vinum eſt illud quod ex

ore

ore paruo in medio dolij deducitur, dolio existente pleno.

Quinto. Notandum venit quod, & si Menardus, & Leonardus Fuchsius tenuerint saccharum nostrum esse aliud à melle, tamen Dioscorides lib. 2. c. 7. & Galenus lib. 7. de sinp. medicam. facul. cap. 101. tenent esse speciem mellis. Sic enim dicit Dioscorides. Est & aliud genus mellis, quod saccharum nominatur. Et Galenus sic, Saccharum quod ex India atque Felici Arabia conuertitur in calamis, vt aiunt, concrescit, & ipsum mellis est species, minus certe nostrate dulce, sed ei ad similes vires obtinens, quod ad abstergendum, desiccandum & degerendum attinet. Et id defendit etiam Scaliger. exercit. 164. in Cardanum, & Mattiolus in coment. lib. 2. Dioscor. ca. 57. Possibile est autem quod antiqui ignorauerint modum deducendi illud ex arundinibus, vt notat Conimb. 6. Meteor. c. 7. trac. 7. c. 10.

Ad argumentum dicitur quod aliud est arte aliquam formam substantialē in materia inducere, & aliud est naturam adiuuare applicando actiua passiuis. Primum non potest facere ars, sed hoc facit natura, & ideo nō facit ex saxo, vel terra mel. secundum vero est eius opus, vnde colligit mel ab apibus collectum.

QVAESTIO XVIII.

Vtrum manna sit liquor roridus, & dulcis in infima aeris regione genitus.

Videtur quod non. Nam color distinctionis rerum est testimoniū. Vnde albedinem, nigridinem, & alios colores specie distinguimus. At manna, & mel diuersum habent colorem. Ergo & naturam specificam, & sic si mel est liquor roridus, talis non erit manna.

In contrarium est, quod dum Sol vehementi calore in rorem agit, cui admiscetur terrestre siccum, & subtile, humidum aereum consumit, & exsiccat, & sic ipsum reddit quasi farinam super petras, herbas, & folia resper sam, conglobatam ad modū. Coriandri subalbi, & sic dicitur manna, Cornelius tamen Celsus, & Columella Syriachū rorem vocant Galenus lib. 3. de alim. ca. 39. mellis speciem dicit, & asserit in Libano Liburniæ monte copiose colligi à rusticis, expansis humi velleribus, & concussis arboribus. In Calabria etiā modo abundanter colligitur, & ad varias mūdi partes defertur. Cōgelatur autem parū ante solis ortū ex frigiditate aeris, & dum cadit liquidum est, sed mox redditur durius, & in grana redigitur. Generatur in infima aeris regione, ante ortum Caniculæ.

Pro proprietate autem soluit ventrem, vnde computatur inter medicinas benedictas.

Difficultas solum est an manna, quod Deus pluuit Hebris in deserto per 40. annos, vt habetur Exodi 16. fuerit eiusdem speciei cum nostro.

Videtur enim quod non. Primo quia dicitur panis Exodi 16. ibi. Iste est panis quem dedit vobis dominus ad vescendum, & psal 77. panem angelorum manducauit homo. panis autem differt a manna nostro. Secūdo erat quasi semen Coriandri, durū ita vt contunderetur, & comminueretur. Nostrum autem non est tam durum. Tertium Illud antecedebat pruina num. 11. quæ non cadit nisi in magno frigore. Manna autem temperato aere fit. Quartū Hebreorum manna quodlibet die præter quam in Sabatho cadebat, colligebaturque, & quantum tantū per vnum diem sufficiebat, aliter putrescebat, quæ nostro non conueniunt. Quintum probis (quidem) tātum omnem saporē, & dulcedinē præbebat, iuxta illud Sap. 11. panē cęli dedit eis, omne delectamentum

in se habentem, vt etiā tradit Abul. q. 13. eiusdem capitis. Regulariter autem omnibus referebat saporem similæ mellitæ. Ista autem nostro manna desunt.

Verius tamen dicitur quod sunt eiusdē speciei, & natura cum nostro, tum quia manna cum nostro dicitur, & non ei simile, & quia non reperitur in eo varietas secūdū essentiam, quæ non reperiatur in nostro, nisi quod delicatius erat, sicut etiam vinū in nuptijs Galileę fuit à domino nostro ex aqua productū, quia Deus solet producere creata perfectiora, quando ea per se producit, quam cū secundis causis faciat.

Ad primum ergo dicitur, quod vocatur panis metaphorice, quia Hebreis pro pane inseruiebat. Et dicitur Angelorum ob suam excellentiā quia si cibum aliquem sumpsissent, manna pro quocunque alio non relinquissent. Vel quia erat Angelorum ministerio, applicantium actiua passiuis formatum.

Ad secundum dicitur omne manna primo esse tenerum, & deinde indurari, magis autem vel minus non uariat speciem, sicut nec quod pruina prius descenderet quam manna hoc enim ab extrinseco erat, & ne descendendo immediate super terrā sordes cōtraheret. Similiter ad alia dicitur, quod probant differentiam accidentalem, & extrinsecam, non essentialem in diuersitate essentiarū fundatam.

Ad argumentum dicitur, quod color est accidens commune; sit separabile, vel inseparabile indiuidualiter, vnde non arguit distinctionem specificam subiectorum quibus conueniet; sed suæ naturæ ab alio colore. Vnde aliud est quod colores specie distinguantur adinuicem, & aliud quod distinguant specifice subiecta quibus inhærent. Nam albus est paries, lac, & alia multa, vnde ratione albedinis sunt vnius speciei, & ratione naturæ diuersarum, & ita dic econuerso.

QVAESTIO XIX.

Vtrum nebula seu caligo sit reliquia nubium resolutarum.

Videtur quod non. Nam quod antecedit pluuiam, non potest esse reliquia pluuię. Sed nebula, seu caligo sæpe pręuenit pluuiam. Qui a re experti dicunt, quod si caligo sequatur tempus serenum, aerem nubat, & pluuiam generat, si exoriatur post pluuias, serenitatem aeris annunciat. Ergo caligo non erit reliquia pluuiæ.

In cōtrariū est Arist. 1. Meteor. c. 4. vbi dicit caligine, seu nebulā esse reliquias nubiū, & pluuiarū. Et c. 9. vocat nebulam nubem sterilem terris incubantem, & signum serenitatis.

Dicendum est ergo quod vapor humidus, & aquosus habet duplices partes, scilicet subtiles & crassas. Crassæ autem facilius condensantur, & in aquam conuertuntur. At subtiles non conuertuntur in aquam, sed adueniente frigiditate noctis aliqualiter condensantur, & conuertuntur in nebulam, quæ dicitur caligo, & est veluti fumus. Hoc autem probat Philip. 5. nebulam esse reliquias nubium subtiles, & tenues, quia Sole ascendente; cito eius calore dissoluuntur, & in aerem conuertuntur, quod non tam cito faceret, si caligo esset ex partibus crassioribus eiusdem vaporis. Quare postquam vapor ille quoad partes crassiores conuersus est in aquam, quoad suas partes subtiliores in caliginem vertitur.

Animaduertendum est tamen primo, quod caligo duplicem motum solet habere. Primus est sursum, & sic dum videmus eam sursum a Sole attrahi, dicendum est futuram fore pluuiam, quia reducta ad secundam

dam aeris regionem, in nubem densam, & pluuiosam redigetur. Secundus est deorsum, vt dum inspicimus etiam a suporis ad terram descendere, & sic futuram serenitatem promittit, quia signum est, quod fugit à calore solis eam dissoluente, vnde euanescit.

Secundò notandum venit, quod quanto est terrę proximior, tanto est spissior, obscurior, & frigidior, quia vt diximus, fugit à facie solis, vnde descendendo se adensat, & adensando fit obscurior, & frigidior per antiperistasim. Si autem per diem à Sole non dissoluitur, vel à superueniente vento Septentrionali, vel Occidentali, in nocte crescit, & roboratur, vnde Sol sequenti die de facili ad se eam rapit, vt densatam, & in pluuiā redigit.

Aliquando autem guttas mittit, quia dum à calore Solis versus terram reijcitur, si quædam partes crassæ vaporis humidi admiscentur, & ita separando se à subtilioribus guttas aquæ faciunt ex frigiditate diffusa in aere illas adensante, & tunc caligo guttatim descendit. Tunc autem subtiles partes in aerem conuertuntur, vnde signum est, quod caligo dissoluitur, & serenitas aeris præparatur. Si tamen crassæ, & subtiles non descenderent, sed ascenderent, expectanda esset de breui pluuia.

Tertiò. Notandum venit, quod Olympiodorus cum quibusdam alijs errauit in generatione caliginis dicendo nubē caliginis esse grauiorē, & crassiorem nube pluuiæ, propterea quia ista sursum ascendit, & illa descendit. Proprium est autem grauis descendere, & leuis ascendere. In contrarium tamen sunt omnes Illustres expositores Arist. quoniam caligo citius à Sole dissoluitur, & quia crassior materia debet esse crassioris. s. pluuiæ. Ratio autem Olympiodori nulla est, quia motus nubis est à Sole, nam eos vapores quos crassos reperit, non potest cito resoluere, vnde in eos agendo sursum tollit, illos autem quos subtiles sentit, suo calore dissoluendo, destruit, vnde descendunt. Conimb: tamen dicunt hoc etiam prouenire à frigiditate aeris, sit enim frigidis post pluuiam. Sed hoc verum esset tantum de nubecula post pluuiam, non autem semper, vt loquendum est.

Quartò. Notandum, quod caligo ista habet multas proprietates. Prima est annunciare serenitatem si descendat, & pluuiam si ascendat, vt diximus. Secunda est, quod ei admiscentur sæpe mali vapores terræ frigidi, & sicci, vnde multum ledit arbores florentes, & germina omnia tenera, nec multum est vtilis, sed nociua animalibus, quia attrahendo illum aerem nebulosum, & alterarum eum cum suis malis qualitatibus ad interiora nocet. Tertio dicitur ergo pluuiæ nuncia florum, & germinantium corruptiua, diuersarum infirmitatum inductiua, latronum, & peruersorum hominum ad malum properantium occultatiua, itinerantium, & peregrinātium sua obscuritate pro recto suo itinere impeditiua, solis, & pulchritudinis cęli offuscatiua, nauigantibus aduersatiua, & ad scopulos impulsiua.

Ad argumentum dicitur, quod antecedere pluuiam stat dupliciter. Primo in causa, quia scilicet antecedit pluuiam, & causam pluuiæ, & sic negamus caliginem antecedere causā pluuiæ, dum enim Sol vapores sursum trahit, crassos ad secundam aeris regionem ducit, & nebulam, quę extenuioribus est per aerē inferiorē spargit. Quod autem si nascatur, tempore sereno pronunciet de futura pluuia ratio est, quia est indicium calorem solis roborari, & sursum vehere multos vapores, qui in secunda aeris regione resoluentur in pluuias.

uias. Dum autem videtur post pluuias, & descendit, indicat solem non sursum ducere, sed deorsum vapores impellere, & illos dissoluere, vnde expectanda est serenitas.

QVAESTIO XX.

Vtrum nubes sint humores crassi, humidi, à sole in aerem eleuati.

Videtur quod non. Nam montes sicci sunt, & in suo aere subtiles, At in summitate montium quorūdam ferè semper nubes conspiciuntur. Ergo non est verum, quod fiant per eleuationem factam à Sole vaporis humidi, & crassi.

In contrarium est Arist. in Meteor.

Respondetur quod nubis est vapor humidus, & crassus, vsque ad mediā aeris regionem eleuatus, & ibi ex magna frigiditate illius regionis cōdensatus, & nondum in aquam conuersus. Vapor humidus in hac definitione ponitur vt genus, quia de multis impressionibus dicitur, Ly crassus ponitur ad differentiam vaporis subtilis, quem diximus conuerti in rorem, pruinam, & caliginē Ly vsque ad mediam aeris regionē eleuatus ponitur ad differentiam omnium aliarū impressionum, quæ in suprema aeris regione fiunt, vt venti, Asub, & cometa. Et ad differentiam earum, quæ in infima regione generantur; Nam si hæc infima regio est temperate calida, & frigida illum vaporem conuertit in rorem. Si excessiue frigida in pruinam, & si excessiue calida resoluitur à calore in aerem. Ly condensatus ponitur ad significādum materiam pluuiæ, nam si ille vapor in secunda aeris regione frigidissima cō gelaretur, resolueretur vel in niuē, vel in grandinem, condensando autem solum se fit nubes ex qua est pluuia. Vnde sicut farina est materia panis, ita nubes adensata est materia pluuiæ.

Igitur materia nubis est vapor humidus, & crassus, materia rarę pluuię est nubes ipsa idest, ille vapor, vt est condensatus in secunda aeris regione. Causa effectiua est Sol, & alia astra lumine suo, & motu. Locus ex quo deducitur est locus humidus, & crassus. Causa effectiua condensationis nubis in media regione aeris est frigiditas illius regionis.

Secundò. Notandum venit quod nubes solet intus esse concaua, & ad modum spongię cauernosa, vnde recipit de facili superiorum influxus, & Lucem, vnde etiam diuersis coloribus pingitur, prout est in se disposita, & lucem recipit, vt supra diximus. Et quoniam frigus secundæ regionis aeris illam vndeque stringit, inde est quod stricta pluuiā mittit vt dicemus. Solent tamen esse quædam nubes, ex subtiliori vapore, & minus humido congregatę, & hę de facili à sole, & ventis dissoluuntur sine pluuia, vnde dicuntur nubes infecundæ. Est ergo nubes interius concaua, & spongiosa, & exterius rotunda, & connexa, à latere vero non est determinatæ figuræ, vnde dum vna alteri appropinquat de facili cum ea se vnit, & in eam se transformat. Est autem velocis, vel tardi motus prout, à ventis impellitur, vel à forte attractione solis commouetur.

Tertiò. Dicimus ergo quod nubes primo est intus concaua, extra connexa, & rotunda in superiori parte, à partibus nullius determinatæ figuræ. Mobilis ab astris, & ventis. Figurabilis diuersis figuris, & prout est magis, vel minus densa, est & in se magis, vel minus solis obscuratiua. Et prout etiam extra radios solis se interponit est caloris mitigatiua, & in hyeme, quia ad se trahit frigus, & impedit flatum ventorum frigidorum fit etiam magnæ frigiditatis temperatiua.

Secundò per pluuiam est terræ fecundatiua.

datiua, & germinum, ac seminum in terra generatiua, & veluti terræ mater, & nouerca, modo illam pluuijs fęcundat, ac nutrit, modo illam tonitruis terret; modo niue cooperit, & tegit, modo grandine eam flagellat, & percutit, vnde semper de ea sperare, & timere licet.

Tertiò. Est salsedinis maris purgatiua, quia vapor à Sole à mari eleuatus, à salsedine purgatur, sic, vt cadendo sit omni malo vapore priuatus.

Quartò. Sicut per pluuiam est terræ fęcundatiua, ita si conuertatur in ventum est terræ, & maris conturbatiua; & per collusionem cum altera nube est aeris inflammatiua, & corruscationis, et tonitrui causatiua, dum suarum partium est subito diuisiua. Et si secum à paludibus, cadaueribus, ac locis putridis malos vapores trahit est aeris corruptiua, & pestilentię effectiua. Et si est congregata ex vaporibus siccis, & ventosis est hominum, pluuiam expectātium deceptiua, quoniam tunc non est nisi venti, et turbinis solutiua. Et si à magno vento ad terram vsque deferatur, locum vbi cadit est quasi submersiua, et dum leuiter pluuiam mittit, sicut est terrę nutritiua, ita est per destructionem sui ipsius anichilatiua. Et dum nubes contra nubem à contrarijs ventis, vel impetu defertur, est commotionis magnę in aere, et tempestatis in mare excitatiua.

Quarto. Notanda etiam veniunt aliqua singularia, de nubibus apud scriptores reperta. Primum est, quod vt tradit Plinius lib. 2. cap. 42. mirabile est, quod magna molis maris nō impediret lucem Solis illi qui staret in eius fundo, et tamen parua nubecula eius visionem impediat, cum nec multum in altum extollatur, vt licet videre stando in monte, nam in vallibus, vel ad medium montis nubes conspiciemus. Hinc ergo deducitur, quod vapor nubis sit crassus, et minus diaphanus, et transparens, quam sit elementum aquæ, et tamen aqua deorsum currit vt grauior. prouenit enim ex virtute caloris sursum trahentis hos vapores, et non aquā, cum eam extra suam spheram non moueat.

Secundum est, quod nubes possunt ad se trahere lapides, ferrum, arbores, et pisces, & deorsum tandem pluere, vt tradit Plinius lib. 31. cap. 1. Titus Liuius, et alij vt infra dicemus.

Tertium est, quod in aere sereno visæ sunt quandoque nubes ignitę, sed de his diximus supra, sicut etiā de causis diuersitatis nubium in coloribus.

Ad argumentum dicitur, quod aliud est quod ex summitate montium generentur nubes, et aliud quod supra eos sint. Primum iudicamus difficilius, quam quod generētur ex aqua, et terra lutosa, et humida, et crassa. Secundum concedimus, quia sua altitudine, vel attingunt secundam aeris regionem, vel prope eam sunt. Et dum videmus montium summitates nubibus obtectas indicium est pluuiæ, quia signum est, quod congregantur, et adunantur ad pluuiam, et à vehementi frigore constringuntur, vnde descendunt cum pluuia.

QVÆSTIO XXI.

Vtrum pluuia generetur ex constrictione nubis.

Videtur quod non. Nam pluuia fit ex nube per generationem, aut per corruptionem. Non per generationem, quia nubes non corrumpitur ante instans pluuię, sicut corrumpūtur omnia quæ præcedunt terminū generationis. Non per corruptionē, quia vt diximus potest remanere nubis cessante pluuia. Ergo nullo modo pluuia fit ex nube.

Pro explicatione generationis, et naturæ pluuiæ. Primo notandum venit,

quod vt etiam supra diximus materia pluuiæ est vapor humidus, & crassus, à Sole ad secundam aeris regionem reductus, & in nubem condensatus. Vnde sicut lutum est materia proxima laterum si induretur, ita vapor nubis fit materia pluuiæ si condenseretur.

Secundo. Notandum venit, quod & si secunda aeris regio sit multum frigida, tamen est inter duas regiones quæ sunt calidæ, sed saltem superior, & etiam inferior ex reuerberatione radiorum Solis continet aliquid sē per de calore. Calor ergo vndique vrget vaporem illum humidum, & crassum, vnde se adunat, vt se fortificet, & sic circunstante vndique calore, vapor reductus ad secūdā aeris regionem frigidam, magis se stringit; & sic frigus fugiendo calorem ad nubem se reducit, & quia proprium est frigoris magis, ac magis semper coarctare, ac adunare, hinc fit quod partes nubis se adunando exprimunt humiditatem illius vaporis, quæ non est nisi pluuia. Et quia in æstate maior est caliditas aeris circunstantis, & vrgentis cum maiori robore, & fortitudine, hinc etiam pluuiæ cum maiori impetu cadunt, quia nubes fortius exprimuntur, & constringuntur, quam in hyeme à debiliori calore.

Quod autem calor aeris impellentis frigiditatem in nubem sit causa pluuię patet experientia, nam tempore hyemis magno existēte frigore raro pluuit, quia omnia gelu rigent, & paruus, vel minimus calor per aerem diffunditur, vnde quando remittitur magna frigiditas, tūc licet sperare de pluuia; vel melius dicam timere, quia si pluuiæ in hyeme abundēt, sufflantibus ventis australibus, qui sunt calidi, & humidi, & ideo pluuię generatiui, germina mortificant, quia illis nutrimentum ad augmentum præbent, & frigiditas hyemis reperiendo ea humiditate mollia, & tenera enecat, & destruit.

Tertio. Notandum venit circa locum generationis pluuiæ, quod hic duplex est. Primus dicitur per se, & fere ordinarius, & hic est in media aeris regione, quoniā suprema æstuat, & infima participat de calore ex reuerberatione radiorum Solis, locus autem pluuiæ postulat, vt sit sua natura frigidus, ad hoc vt nubes condenset, & sit à regionibus calidis valatus, vt magis in nubem per antiperistasim à facie sui contrarij fugiendo se conducat, & illam quasi spongiam exprimat. Secundus dicitur locus per accidēs, & sic est infima pars mediæ regionis aeris, contigua infimę regioni. Accidit ergo quod aliquando à suprema aeris regione magna frigiditas secundæ regionis deprimitur ad infimam regionem, vbi inueniendo vaporem crassum humidum, in nubem conuersum, illum comprimit, & ex eo pluuiam deducit, quod solet accidere tēpore hyemis propter paruam caliditatem infimæ regionis.

Quarto. Notandum venit, quod pluuia differt multipliciter ab alijs impressionibus humidis. Primo enim differt, quia omni tempore sunt pluuiæ, ros vero solum est in vere, & Autumno, & pruina in hyeme, & nix, & grando solum in æstate. Ratio est, quia vapor crassus, & humidus, qui est materia nubis, & pluuiæ est familiarior, & facilior actioni attractiuæ Solis ad superas partes aeris, quā sint alij vapores. Secundo. Diutius pluuit, per horas, dies, et mēses, quia dum ille vapor in aquam conuertitur, terram humectat, et Sol reperiēdo terram multum humidam, maiorem copiam vaporum humidorum ad secundam aeris regionem reducit, vnde crescente humiditate crescūt pluuiæ, vnde quasi quodam circulo vapor ille per pluuiam descendit, et per calorem Solis ascendit iterum, et descendit, et iterum ascen-

ascendit, et nisi succedant venti Aquilonares nubes dissipantes, vel sic citas aeris, ex aliquo nouo influxu syderum, pluuiæ durant per hebdomadas, et aliquando per menses.

Quinto. Notandum venit, quod quædam singularia in pluuia reperiuntur.

Primum est, quod diuersimode pluuit nam aliquando guttæ guttatim descendunt, et modo magnæ, et modo cessant. Ratio est, quia vehemens frigiditas quodam impetu nubem premit, et sic magnas guttas mittit, deinde non sic fortiter à calore circunstante constringitur, sed in pace finitur, et sic cessat pluuia. Aliquando guttæ sunt rotondæ, et magnæ, et quandoque minutæ. Ratio rotunditatis est, quia cum sint graues conglobantur adinuicem, vt per maiorem grauitatem suū locum teneant, et quia quasi vnitæ ad centrum sic decurrunt, sicut etiam faciunt partes terræ ad suum centrum. Quod vero sint grossę, vel minutę diximus esse propter maiorem, et vehementiorem compressionem nubis, vel minorem. Potest etiam esse rario raritas, vel densitas nubis, quia si rarior est, frigiditas magis expedite illam ingreditur, et citius eam in magnam pluuiam conuertit, quod si est densior, paulatim ingreditur, et sic incipit facere pluuiam minutiorem.

Sexto. Notanda essent signa futuræ pluuiæ, sed ista reseruamus vsque in finem tractatus, vbi de omnibus signis aeris mutationis in singulari disputabimus.

Septimo. Notanda sunt tamen quædā mirabilia de pluuia. Primum autem mirabile est, quod aliquando cum pluuiæ descendūt plumæ, pisciculi, sanguis, lac, lapides, et ferrum, et multa alia. Mirabile est autem, quod Liuius tradit. Deca. 3. lib. 1. ad finem scilicet quod in Piceno lapides pluuerunt. Et Deca. prima lib. 1. quod in Albano eodem impetu lapides pluuisse, quo cum grandinem venti glomeratam in terras agūt. Et Dec. 3. li. 5. in Albano pariter testatus est biduo lapides pluuissę. Quod enim miraculo possint lapides pluuere dilucide habemus Iosue cap. 10. de quinque Regibus Amorrheorum cōtra Iosue congregatis, qui à Deo occisi sunt lapidibus de cælo in eos missis. Sed non disputamus modo de miraculis sed de causis naturalibus. Factum enim esse pluries testatur D. Aug. 3. de ciuitate Dei ca. vlt. Palatin. in Io. 23. Mondognetus in vita. M. Aurelij Imperat. lib 1. c. 25. et Surius in cōmentaria anni 1509. qui dixit in Insubribus pluuisse saxa tam grandia, quod vnum erat pōderis librarum 120. et erant salicibus duriora, et odore sulphureo.

Sed mirabilius est, quod testatur Bonfinius dec. 2. lib. 7. in quibusdam lapidibus quos cælum pluuerat, videbantur vultus hominum, et diademata.

Respondet Plinius lib. 31. cap. 1. nubes ad terram vsque descendentes trahere posse lapides, ranas, et pisces, et ista cum pluuia ad terram mittere. Sed melius potest dici, quod exhalatio terrestris, sicca, et dura vehementi calore Solis ad secundam aeris regionem reducta, et in vnum efformata, dum forti impetu à calore circumstāte ab externo comprimitur, et à frigiditate interius permeante, magis ac magis per antiperistasim adensatur, potest fieri vt illa exhalatio se reducat in lapidem; sicut videmus in fulmine. Nec tamen hi cum tanto strepitu descendunt, quia non generantur ex exhalatione sicca, et calida, sed sicca, et frigida, nec per motum accenduntur in nube, sicut accidit fulminibus. Contingit tamē etiam pluuisse lapides ignitos, campestria omnia vastātes ad oppidum. Vredelanth in die S. Remigij anno domini 1304. apud Kārantiū Sax. lib. 8. cap. 27.

Secundum est, quod non solum lapides sed lac, & sãguinẽ cęlũ pluuit biduo quidem in area Cõcordię Romæ, vt testatur Liuius dec. 4. lib. 9. in fine. Et in Tnij cede apud Zonorã Tom. 2. Et alijs pluribus vicibus, vt referunt Surius anno 1543. Platina in Adriano 2. Pontifice apud Brixiam ante supradicti Pontificis mortem tribus continuis diebus.

Respondetur, quod illa pluuia nõ erat veri sanguinis, quia hic iacet in venis, sed erat humoris rubei ad colorem sanguinis, quod potest fieri per mixtionẽ calidi. Alij dicunt potuisse Solem à loco sanguine loto humefacto subduxisse vaporem sanguineum, & incolorasse pluuiam colore sanguinis. Et idem dicimus de lacte, nõ enim fuit verum lac, sed ad eius similitudinem, & humoris concocti in aere.

De ranis, & muribus non est tantum mirandũ, quia vel potuerunt rapi in aere à nubibus, vel generari ex pluuia, cum sint animalia, quæ possunt generari ex putri materia, vt diximus in Metaphys. Vel etiam potuerunt ex vapore calido, & humido generari in aere virtute Solis, & sic ad nos cum pluuia descendisse.

At quartum mirabile est, quandoque carnes pluuisse. Liuius decade. 1. lib. 5. & Plinius lib. 2. c. 56. Immo adipẽ, Coturnices, linum, lanam, & multa alia, vt videre poteris apud Maleol. 5. Meteora Colloq. Necesse est enim dicere virtute syderum omnia ista in aere esse genita, vnde in 8. Metaphys. diximus virtute cęli posse omnia mixta generari, preter mixta animata, & perfecta, quæ vnum tãtum modum habent generationis. Non enim est incredibile, quod id quod cælum facit, cum causa secunda in terra, possit etiam in aere facere, & eo magis, quia nostra elementa non solent esse sincera, sed multis exhalationibus, ac vaporibus mixta.

Quinto tamen non est pretermittendũ monstra ista sæpe immitti à Deo, quasi signa demonstrantia irã diuinam. Vnde dixit Dominus noster, quod ante diem iudicij erunt signa in Sole, Luna, & Stellis, &c. & quod virtutes cęlorum mouebuntur ad insolita, & admiranda. Iræ enim diuinæ, & eius iustitiæ punitiuæ signum fuit diluuium aquarum de quo Genes. 15. & Plato teste Eusebio 7. præparat. Euang. lib. 12. c. 10. Et ita diluuium Achaiæ, tempore Ogygij longe aliud diluuium Deucalionis de quibus multa dicũt Solinus, Eusebius, Cæsar. Hieron. Oratius, & alij apud Maleolum vt supra. Et ita diluuia aquarum multarum refert, D. Greg. Magnus ad iram diuinam hom 35. Vide multa historica de hac re apud Mal. vt supra.

Ita nõ pluuere vbi pluuiæ sunt consuetæ, & necessariæ vindictæ Dei est testimonium, vt habemus 3. Regum 17. 18. Luc. 4. Vnde Gregorius Magnus ad placandam diuinam iram pluuias impedientem, Romæ solebat vestes D. Io. Apostoli processionaliter per ciuitatem deferre, & subito pluuia descendebat.

Similiter diuinam iram cõprobat nimbus, magnus, vehemens, & procellosus, qui oppida vrbes, & montes subuertit apud supradictum, & hoc anno 1618. mense Septembri in Valle Tellina euenit. Magnus enim mõs qui stabat supra oppidum satis insigne 3000. millium animarum versus solis occasum totum montem eleuauit, & supra oppidum præcipitauit, vnde omnes incolas sub se sepeliuit, & si hoc ad terræmotum referendum videatur, & ad ventũ magnum sub illo monte cõclusum; vt alibi de his dicemus.

Sexto pro mirabili habendũ est, quod nubes tantam vim aliquãdo habuerint, vt vitulum, lapides ingentes, & arbores per aerẽ ad remota loca trãsportauerint, turbine magno concita-

tæ,

tæ, & supradicta cum pluuia, & etiam sine ea ad terram dimiserint. Hoc idem (& si miraculo adscribamus) factum est, vt in obitu Deiparæ dominæ nostræ omnes Apostoli per nubes ex diuersis mundi partibus fuerint ministerio angelorum ad vrbem Hierosolymitanam translati. Hoc enim tradit Dionisius Areopagita lib. de diuinis nominibus. c. 3. Io. Damascenus serm. de dormitione Deiparæ. Singellus in D. Dionisij vita, apud Lipomanum lib. 7. & Nicephorus hist. ecclesiast. lib. 2. c. 21. Sic enim, & Abacuch trãslatus fuit cum prandio ad Danielẽ in lacũ Leonum existẽtem, vt habetur Dan. c. 14. Et sic etiam forsitan ministerio alicuius spiritus, vel magno impetu venti ex terra erumpentis, vel turbinis secum in altum multa trahentis factum est, quod sint visa magna saxa per aerẽ volitare, vt refert Liuius Dec. 3. lib. 5. Et sic transportantur exercitus locustarum innumerabilium de loco ad locum, vt Italia experta est anno 1541. vt audiui à patre meo, tunc adhuc puerulo.

Ad argumentum dicitur, quod generatio pluuiæ, vocatur generatio secundum quid, quia fit ex materia quæ non consumitur per generationem pluuiæ semper; Vel dicendum quod possit vocari generatio, & corruptio non substantialis, quia pluuia non differt specie à sua nube, sed accidentalis. Est enim generatio, vt in pluuiam redigitur, & est corruptio, quia quo ad illas partes, in quas nubes resoluitur, dissoluendo se in pluuiam est corruptio.

QVÆSTIO XXII.

Vtrum nix generetur ex nube multum calida.

Videtur quod non. Nam proprium est caloris glaciem dissoluere, & destruere. At nix congelata descendit. Ergo non potest esse à nube multum calida.

Pro explicatione naturæ niuis primo animaduertẽdum venit, quod duos modos inuenio explicandi generationem niuis. Iauellus enim 3. Meteor. c. 4. dicit, quod nix generatur ex nube calida, non ad vnum locum redacta, sed per totum aerẽ sparsa. Calor ergo eleuat a terra, & aqua vaporem calidum, & humidum, sicut ab olla succensa fumus ascendit, & hic vapor secum multum de aere trahit, & ad secundam aeris regionem reductus ex eius frigiditate in nubem conuertitur. Aliam autem dispositionem habet nubes niuis ab ea, quæ est aquæ. Nam pluuiosa habet, quod sit magis densa, magis obscura, & magis vnita in vnum locum. Niuosa enim tenuis est, & subtilis, & cum multum de aereo habeat, est clara, & quasi alba, & per aerem sparsa. Sicut autem nubes pluuialis in aquam conuertitur ex vehementi frigiditate illam intrante, & ex calore externo illam comprimente, & in maiorem densitatẽ reducente, Ita nubes niualis in niuem conuertitur per frigiditatem non adunantem nubẽ in vnum, sed eam in partes congelantem, & sic facit niuem descendere.

Alius modus assignandi generationẽ niuis est, quod nubes cum in secundam aeris regionem fuerit, antequã in pluuiam conuertatur gelascit, & quia circumcingitur a maiori frigiditate, quam nubes pluuialis, ideo antequam conuertatur in pluuiam fit gelata niues. Vterque autem modus rei naturam exprimit, sed melius primus, quia annuit etiam causam materialem, scilicet vaporem illum sparsum, multum de aere continentem, qui ideo non tantum adensatur, vt nubes pluuialis vnde. Dicendum venit, quod si frigiditas aeris non est tanta vt valeat congelarẽ ni-

nubem fiet pluuia, si autem sit intensa illam resoluet in nubem. Quare antequam nix descendat multum frigus augetur, & si post niuem sequatur pluuia, rigor frigoris remittitur. Nam frigiditas quæ nubem generat non intrat nubem, sed per aerem spargitur, & ideo sentitur magnum frigus, dum vero nubem intrat, cessat.

Et ideo, & si nix, & aqua generentur in secunda aeris regione, tamen alia, & alia ratione generantur.

Secundo. Notandum venit, quod tempus generationis niuis est Hyems, aut principium veris. Ratio est, quia eo tempore, aer est multum frigidus, quia Sol tunc non irradiat terram radijs directis, qui sunt illi, qui calorem causant, sed obliquis, qui sunt illi, qui parum calefaciunt. Tūc enim temporis Sol ad Austrum declinat, vnde nos irradiat, nō ex directo, sed ex radio transeunte. Cum ergo aer est frigidus nimis congelat vapores, & sic in niuem redigit. Hinc est quod in montibus altis fere semper sunt niues, quoniam appropinquant regioni secundę aeris frigidissimæ, & Sol eos ferit parum, quia non habent multum spatium reflectendi radios ex directo. Et hoc magis conspicitur in montibus ad Sep-trētrionem positis, quia hi esussflantur a ventis frigidis Borealibus, vnde sunt apti ad niues. Econtra vero partes ad Austrum positę, & ventis australibus afflatæ, non subjciuntur, vel parum niuibus, quia venti australes, non infrigidant aerem, vt faciūt Septentrionales, sed humectant, & calefaciunt, & ideo frigiditatem per aerem sparsam ejiciunt, & in nubē reducunt. Hac etiam ratione ciuitates, & loca ad littus maris posita parum vident de niue, quia etiam tēpore hyemis per antiperistasim, aquæ fiunt calidæ, vnde fumant, & sic aerem calefaciunt. Hoc autem magis clarum, & notum est in locis ad Austrum conuersis, & ventis meridionalibus afflatis vt Roma. Genua, & Neapolim.

Tertio. Notandum venit, quod nix habet multas proprietates.

Prima est, quod colore est alba; Primo quidem, quia vt diximus est ex nube rara, & diaphana, quæ est susceptiua lucis. Inter colores autem qui magis de luce participat, & de diaphano est albus vnde disgregat visum, sicut etiam facit nix.

Secundo, quia diximus etiam niuem multum retinere de aereo, partes autem quæ sunt aereæ albescunt, vt patet in spuma, & in aqua oleo intersuso, vnde, & Arist. 2. de generat. animalium c. 2. & Plinius lib. 17. nat. hist. ca. 2. niuem vocauerunt spumā aeris.

Tertio, quia frigiditas alborē causat, vt notum est in adipe, & habitantibus in regionibus Septētrionalibus, qui sunt albiores. Quanto autem magis eius spuma est laxior, tanto efficitur nix candidior. Si tamen vetustate tabescat, rubescere incipit, vt dicit Arist. 5. de hist. animal. c. 19. & Plinius lib. 11. c. 35. Ratio est, quia partes aereæ vt subtiles cito euanescunt, vnde remanent partes terrestriores, quæ in rubedinem declinant. Refert etiam Eustathius in Armenia cadere niues rubeas, eo quia in illis partibus magna est copia Minij, ex quo exhalationes multæ deductæ retinent de eius colore. Sed, & potest esse, quia vapor niualis minus ibi retinet de aereo, & magis de terrestri, & calido.

Quarto autem notandum circa colorē niuis, quod Albertus Magnus, & Louanienses censent illum non esse colorem realem, sed apparentem. At Conimb. tract. 7. Meteor. c. 3. tenent illum esse verum colorem. Primo, quia perseuerat diu in niue, et secundo, quia ad terminationem veri coloris non est necessaria semper perfecta mixtio, sed sufficit imper-

fecta

fecta etiam. Dicendum est autem quod realiter sunt veri colores, quia sunt terminati per niuem, & non sunt tales ex medio, vt dum lux transit per rubeum videtur rubea, et non est, etc. Constat enim, quod si etiam nix comprimatur semper suũ colorem album retinet. Possunt autem dici apparentes quoquo modo, quia in aere est diaphana.

Secunda proprietas niuis est, quod sit mollis, et tenera ad differentiam grandinis, et pruinæ. Ratio est, quia calor aereus in nubem niuosam inclusus, non totum simul expellitur à frigiditate aerem obsidente, quare successiue ingreditur frigiditas; et congelat partes nubis niuosæ, et multum aereæ; et sic facit niuem. Vnde dum incipit ningere, intensa frigiditas remittitur aliqualiter, quia calidum, quod erat in illa nube inclusum paulatim expellitur, et per aerem spargitur. In generatione vero pruinæ simul totum calidum expellitur, quo expulso particulæ aeris frigidi rigescunt, et congelantur. Et etiam, quia cum pruina prope terram generetur, magis retinet de terrestri, quam nix quæ in altiorem, et puriorem aerem euehitur in sua materia, vnde fit leuior, mollior, et rarior.

Tertia proprietas niuis est vt descendat lata, et mollis. Lata vt particulæ bombacis, quia secundum quod frigiditas nubem ingreditur, sic successiue eius partes congelat, et quia congelatæ fiunt graues, ideo subito descendunt, et quia illa frigiditas ingreditur quasi tadendo illam nubem, ideo magnas, et latas partes deorsum mittit, et multo maiores sunt, dum fiunt, quam cum ad terram perueniunt, quia in aere in multas partes dissoluuntur, cũ sint tenues, et fragiles. Descendit etiam mollis, quia est tenera, rara, et multum aerea, et diaphana.

Quarta est, quod ex ea crystallus generatur, vt docent M. Albertus lib. 2. Meteor. trac. 1. c. 16. et Plinius lib. 37. nat. hist. c. 2. Si igitur in frigidis locis nix non dissoluatur, sed continuo condensetur; et congeletur simul, et sic semper, ac semper magis frigescendo foras pellit omnem calorem, et eo deiecto fit dura quasi lapis; immo lapide durior, vt patet in byrillo, qui etiam ipse ex niue congelata, et omni calore destituta procreatur, et ita fit durus, vt potius consumetur in igne quã liquefiat, nec dolari, nec limari potest, et multo percussus, ignem mittit. Reperiuntur autem crystalli, et Byrilli in môtibus altis, et frigidissimis, in quibus à multis annis durant illequefactæ niues. Vnde in hac parte reijciendus est Georgius Agricola liber 6. de nat. fossil. vbi negat Byrillum, et Crystallum generari ex aqua, et niue congelatis.

Quinta proprietas est, quod nutrit, et cõseruat vegetabilia, et hoc ob multas causas. Prima est, quia non permittit sua frigiditate calorem terræ in bibitum exire ab ea, faciendo ei resistentiam dum exire contendit, et sic per accidens calore fouet terram, et germinare facit. Secundo, quia humor ex niue resolutus est Aereus, et leuissimus, et quasi spuma, vnde sic terram alit, et pascit. Vnde dixit Theophrastus in initio lib. 2 de causis sic. Multitudo niuis magnopere prodest, vt paullatim colliquescens subeat fœtum, nec vniuersus humor influxit vnico ruens dilabatur. Ita enim & terra fermentari optime potest circumclusa, atque exercito, quod seminibus vehementer conducit, fibrisc entia subnixa, firmataque compressu frigoris, simul ac nitescere tempus inceperit, celeriter, atque vniuersa erumpunt. Tertio, quia cũ mixtũ multum de aereo contineat consequenter oportet, quod etiam de calido teneat, et humido, (et si sit siccior aqua) humi-

midum autem, et calidum ad vitam omnium facit. Si tamen longo tempore super terram durat, et congelatur, vegetabilia mortificat, quia ab ea exit omne calidum, et ex complexione fit multum frigida, et consequenter mortificatiua.

Sexta est, quod quæ lauantur ex niue, sint manus, vel quid aliud non purificantur, sed potius sordidatur, quia in se continet quasdam partes crassas, et terrestres, quæ sordes generant; vnde est, quod dum nix consumitur in eius superficie apparent quædam nigra & sorditates in superiori superficie, partes enim subtiliores subtus defluunt, & terrestriores sursum manent.

Quarto venit notandum, quod signa futuræ niuis pro nunc sunt ista.

Primũ est, quod nubes efficiuntur fere albæ, cum prius esse obscuræ.

Secundum est, quod ante frigus intenditur, & niue incipiente descendere remittitur. Sed de his infra.

Quinto. Quædam sunt adnotanda admiratione digna de niue.

Primum est, quod vt scribit Olaus lib. 19. c. 15. in quibusdam locis Septentrionis tam alta crescit, vt summitates arborum excedat, & continua in ramis consistit, & facit sub arboribus quasi porticus, & cameras, quod potest fieri ex frigiditate regionis, cito illam congelantis, vel adunantis.

Secundum est, quod in regione Suezziæ in summo montium. Defluiorum, quædam auicula pedibus commouit paruam partem niuis, quæ continue descendendo, & in pilæ forma cadendo, in tantam magnitudinem creuit, vt multa oppida ad pedem montium sita sua maxima mole destruxerit, si credendum sit Olauo lib. 2. c. 13. Nam & Surius tom. 3. in vita S. Anselmi narrat quod ex altissimis montibus magna niuis magnitudo in monasterium magnæ Chartusiæ ruit humum, & lapides secum traxit, cellas, & fratres in eas manentes oppressit.

Tertium est, quod Strabo refert lib. 11. & Aristot. quod in niue generantur quidam vermes, cum tamen frigus sit vitæ inimicum, vnde dicendum venit, quod ex crassioribus eius partibus quæ etiam sunt calidiores procreantur.

Quartum est, quod in quibusdam regionibus nix numquam decidit, vt in Etiopia & si genus ibi fiat, apud Plinium lib. 2. c. 103. & Franciscum Alnarez de rebus Aetiopiæ c. 159. forsitan, quia nubes ex aliquo impedimento non possunt sublimari. Quod autem in alto mari non cadant niues non est tam mirabile, propterea quod ex mari consurgunt vapores calidi, & humidi, melius ad pluuias apti. Quod autem apud Tartaros in maiori æstiu, in media æstate inquam, subito irruat magnum frigus, & succedant multæ niues, potest esse situs regionis ventis frigidis tunc solis afflare, vel per aliam dispositionem illius situs, si hoc est circa regulare.

Quinto non censeo esse prætereundum niuem in scripturis multiplex habere significatum. Primo sumitur pro prædestinatis. Ita enim interpretatur. D. Aug. dictum Psal. 147. Qui dat niuem, sicut lanam, idest faciet Deus ex frigidis corde sicut est nix, lanam (quæ est materia vestium) vestem charitatis, qua ingredi possint ad regales nuptias cæli. Secundo sumitur pro ira Dei iuxta expositionẽ D. Gregorij super illud Iob. Qui timẽt pruinam, irruet super eos nix, idest qui timent tamiliionem temporalium ne illa amittant perdent æterna, & ad æternos inferni cruciatus adiudicabuntur. Tertio sumitur pro puritate cordis sanctorũ, vnde sic dicit Gregorius lib. 27. moralium c. 14. exponens verba Psal. 30. super niuem dealbabor. Quid hoc loco per niuem, nisi lucem iustitiæ, & candida accepimus corda sanctorum?

rum? Niues ad terram de cœlestibus veniunt, cum sublimia corda sanctorum, quæ in solida contemplatione pascuntur, pro paterna claritate, ad humilia prædicationis verba descendunt.

Quarto etiam sumitur pro abstinentibus, & continentibus secundum eundem Gregorium lib. 32. moralium, c. 17. Nam exponens illa verba Hieremiæ Threni 4. Candidiores Nazarei eius niue, sic dicit. Quid Nazareorum nomine nisi abstinentium, & continentium vita signatur, quæ niue, & lacte nitidior dicitur? Quid ergo per niuem, nisi candor vitæ cælestis?

Ad argumentum dicitur, quod nix fit ex nube calida dupliciter intelligi potest. Primo radicaliter, & fundamentaliter, & sic est verum, quia illa nubes antequam frigiditas eam ingrediatur, & dissoluat in niuem, tenet multum de calido aereo. Secundo actualiter in formatione niuis, & sic dicimus niuem fieri per frigiditatem congelantem nubem illam calidam successiue, vt dictum fuit.

QVAESTIO XXIII.

Vtrum grando sit pluuia in aere congelata.

Videtur quod non. Quælibet res terminos suæ sphæræ tenet, nam stellæ solum in cælo fulgent, elementa in suis locis morantur, pro auibus est aer, pro piscibus aqua, pro animalibus terra. At gelu in terra fit, & glacies. Ergo non poterit in aere habere actionem ad congelandum aquam in grandinem.

In contrarium est Arist. lib. 1. Meteor. t. 12. vbi dicit grandinem esse aquam in aere conglaciatam.

Circa hanc difficultatem. Primo cogitandum venit, quæ nam sint causæ grandinis. Prima ergo, & materialis est vapor calidus à terra eleuatus, veluti fumus ebulliens ex olla feruentissima, sic enim dum terra æstiuis solis radijs ardet, ad superiorem partem mittit exhalationes calidas. Hæ in nubem calidam adunantur. Secunda causa inspicienda est effectiua, & ista est triplex partialis, tamen vnam totalem constituentes. Prima est caliditas æstiua aeris vndique per aerem diffusa, quia tempore æstatis, vel magni æstus aer totus calescit. Secunda est frigiditas illius partis ad quam deducitur hæc exhalatio calida (nō enim caliditas aeris multum sursum ascendit.) Fugit ergo frigiditas, quæ erat in aere suum contrarium valentius, & se reducit ad superiorem partem, vbi non percutitur tam valide a calore. Tertia est caliditas exhalationis in nubem cōuersæ, cum ad locum frigidum deuenit.

Sic igitur generatur grando. Calor aestus frigiditatem expellit. Ista nubem iam per vaporem genitam magno impetu ingreditur, & non solum eā in pluuiam comprimit, verum etiam quia calor vrgens multus est, aqueū humorem in grandinem congelat. Si autem frigiditas à calore persecuta per antiperistasim non inuenit in nube impedimentum resistentię, vel melius dicam, si calor vrgens frigiditatem non est multum fortis, tunc non potest frigiditas omnem aquā in grandinem congelare, sed mixta aquæ descendit, & nō in grana multum grandia. Si autem calor eijciens frigiditatem in nubem sit potens, & magnus, tunc frigiditas magno impetu in nubem ingreditur, et magnum impetum faciēdo congregat omnes partes nubis in pluuiam conuertibiles in grandinem, & tanto maioris quantitatis, quanto calor vrgens est maior, & frigiditatis ingressus in nubem est impetuosior.

Cogitandum est autem, quod humor aqueus, sicut, & aqua, si prius fuit calefacta, & postea tempore hyemis

sub Diuo ponatur, quod de facili cõgelatur, & fortius, quam aqua numquam calefacta. Ita ille vapor calidus, cum per magnam frigiditatem stringitur, citius congelatur, & fortius, quam si non fuisset prius naturæ calidæ.

Secundo. Notandum venit, quod Anaxagoras, apud Arist. 1. Meteor. ca. 12. & aliqui moderni apud Conimb. tenuerunt grandinem solum in secunda aeris regione generari: quia cum generetur per antiperistasim, i. per calorem aeris in frigiditatem agentis, non videtur tempore æstiuo tantam esse frigiditatem aeris, vt possit grandinem, & glaciem generare per antiperistasim in nube, vt Alexander, Auerroes, Philoponus. D. Tho. M. Albertus, Louanienses. Conimb. & fere omnes alij sustinent, quod possit generari, & in media aeris regione, & in infima. In media quoniam illa est regio frigida, & pluuiarum. In infima, quoniam potest esse, quod dum guttæ aquæ ad terram descendunt, frigiditas aeris sursum eiecta a magno calore terræ tempore æstatis congelet guttas aquæ in aere, dum de secunda aeris regione ad terram descédunt. Et potest etiam esse (vt ego expertus sum in die natiuitatis Deiparæ Pratæ, dum ibi eo die societatem Sãctissimi Rosarij in ecclesia parochiali Sanctæ Luciæ instituissem) quod nubes descendant versus terram, & grandinem portent. Erat enim illa nubes parua, & 30. cubitos extensionis non tenebat, & videbatur prope terram, quæ cum aliqua grana grandinis misterit, quæ nihil mali fecerunt, euanuit, nam enim, & eo tẽpore quo grandines cadebant, totũ cęlum erat clarum, & serenum. Nec argumẽtum aduersariorum aliquid valet, quia magna caliditas terræ non ascendit per multum tractum aeris, vnde in ęstate montes sunt frigidi aeris.

Tertio. Notandũ, quoad tempus grandinis, quod quamuis in locis nõ multum frigidis omni tempore fieri possit, quia ex terra possunt ascendere exhalationes calidæ, & ab aqua, tamen in locis frigidis solum tempore æstatis fiunt, & in principio Autumni, & fine veris. In Hyeme enim non eleuatur à terra vapor calidissimus, qui est materia grandinis, cum terra sit parum radijs solis tunc excalefacta, & tunc temporis frigiditas sua nõ est ad vnum locũ cõgregata, sed est per totum aerem diffusa. Ita in furore æstatis Sol multum exsiccat terram, vnde ab ea non abstrahit multum vaporis pro materia nubis, pluuiæ, vel grandinis. Si tamen contingat per diem, vel duos pluuere, & cęlum adhuc non serenetur timendum erit de grandine, quia tunc adest humidum calidum, sursum à Sole ductum, & aeris caliditas, & frigoris fuga, vnde facilis est generatio malæ grandinis. Sicut etiã dum cęlum tonat, & ventus frigidus perflat. In medio autem veris, vt in mense Maio, & Iunio, & in initio Autumni, idest in Septẽbri terra est humida, Sol adhuc fortis, aer ad sufficientiam calidus est, quare ista tempora minantur grandines.

Quarto. Notandum venit circa figuras in quibus compatent grana grandinis, quod solet esse multiplex, sed generalior duplex. Nam quandoque grana sunt parua, & rotunda. Et aliquando grupulosa. Quando cadunt sub priori figura dicendum est, quod sint generata in secunda aeris regione. Nam et si grossa generentur, tamen cum illa regio multum distet à terra sit, vt descendendo colliquescãt ex aere calido, per quẽ transeũt, & sic angulos, & magnitudinẽ perdant, vnde solent cum pluuia descendere, quæ est eliquatio granorũ grandinis. Dum autem grando in prima aeris regione generatur habet grana magna, & grupulosa, quia cũ sit in-

sit infima regio, & terræ propinqua, subito descendit, & in aere nō liquescit, vnde etiam sine pluuia est. Descendunt ergo vel nubes, vel guttæ magnæ aquæ ad terram, e secunda aeris regione, & in aere frigido congelātur, & quia gutta supra guttam cadit, si post aliquam cōgelationem illam tangit secunda gutta, cum ea congelatur, sed non per continuationem, vt fit dum ante congelationem duę guttæ se tangendo, in vnam coeunt, & magnam efficiūt. Hoc enim etiam inspicimus, quod dum aqua à tectis descēdit, per continuationem fit magna, & in hyeme ex frigore aeris vna gutta alteri adherendo formant diuersas figuras, secundum quod contingit secundum diuersas partes adunari.

Quinto Notandum venit, quod grando habet suas proprietates.

Prima enim est mortificare fructus, & quæ ex incisione, vel separatione, vel contusione tangit. Hoc habet primo, quia diuisio &c. est causa dissolutionis. Secūdo ex sua qualitate, quia cum sit multum frigida, est vitæ inimica. Vnde & si pruina, & etiam magnæ guttæ aquæ mortificent vegetātia, non tantum, quantum grando.

Secundò inducit etiam in ea quæ percutit pro anno futuro sterilitatem, sit terra, vel arbor. Nam secundum se est frigidissima actualiter, & virtualiter tenet de adusto vapore ex quo genita est, vnde ratione vtriusque sterilem reddit, quæ percutit, & amara ea reddit, vt patet in vino collecto de vua grandinata.

Tertiò si diuidatur granum grandinis reperietur in medio habere partes nigras in circuitu per modum circuli depicti. Ratio est, quia vapor ex quo est grando multū habet de terrestri impuro, quod vt magis densum tendit ad mediū granis, vt magis graue. Et ista est ratio vt notat M. Albertus 2. Meteor. tract. 1. cap. 16. quod in grandinis medio quandoque re periūtur, pili, palleæ, & frustula ligni, quia scilicet Sol eleuauit vaporem illum calidum cum supradictis mixtū, quoniam magnus calor reperiēs humidum, illud cum magna vi secum tollit, & rapit.

Sexto Notandum venit, quod non solum reperitur grando magna, sed & quædam parua, quæ granedula nuncupatur, quæ solet cadere in fine Februarij, & prima medietate Martij, spirantibus ventis sep̄tētrionalibus. Hoc autem modo generatur. Dum nix descendit, inuenit aerem eo tempore aliquo modo excalefactum, vnde incipit liquefieri, at quia adhuc frigus viget, & venti frigidi flant hinc se ipsā stringit, & sic in minuta grana ad modum coriandri cadit, super terram, sed si tangatur, vere reperitur nix glomerata.

Septimo quædam mirabilia de grandine sunt hic apponenda. Primum est, quod quādoq; sæpe vt nūcia diuinæ iræ desuperis mittitur, sic enim legimus Exodi 9. ibi. Extendit Moyses virgam in cęlum, & dominus dedit tonitrua, & grandinem, & discurrentia fulgura super terram, pluitq; dominus grandinem super terram Aegipti, &c. Et de simili grandine in vindictam peccatorum missam legendi sunt Socrates hist. Ecclesiast. lib. 4. c. 10. & Sozzom. hist. lib. 6. & Nicephorus lib. 11. cap. 4. & lib. 13. cap. 36.

Secundum est, quod sæpe visa sunt grana grādinis mitæ magnitudinis lib. octo, & plus, & Surius testatur de anno 1507. tantam tunc fuisse grandinis rabiem, vt ea fenestras, & tecta multa comminuerit. Et Bonf. dec. 1. lib. 10. narrat tam grandem grandinem cecidisse, vt homines, & pecora in agro existentia occiderit, & inter alia frusta visum est vnum 12. pedum longitudine. Et apud Segebertum annò domini 824. aliud pedum 16. in longitudine, & in latitudine 7. & altitudine 9. visū est apud

Augustudunum. Et multi alij Scriptores referunt grana multa grandinum ad modum oui gallinacei cõ petra fuisse, inter quæ Romæ cecidisse grandinem ad modum oui struttionis narrat Bergomas noster anno 1470. mense Iunio. Horum ratio est vehemens calor vrgens frigus, & parua resistẽtia reperta in nube quã ingreditur, vnde cito potuit adunare materiam, & in magna quantitate, ad magnam grandinem pluendam supra terram.

Tertium est, quod in quibusdam granis grandinis visæ sint aliquando imagines. Narrat enim Krantius Vand. lib. 9. c. 3. anno domini 1395. mense Augusti in solo Aquilonari visam est grandinem humanas facies præseferentem, virorum, & mulierũ, his barba addita, illis crinibus. Hoc autem fieri potest naturaliter, si illa grana referant quandam similitudinem hominum, vel alterius rei, quia vapor ille cum multas varietates virtuales contineat potest à frigido diuersimode in vnum adunari. At si refert veram, & propriam imaginẽ, bene delineatam, & formatam dubium est, num sit cõgregata ministerio malorum, vel bonorum Angelorum, ad instantiam maleficorum, vel iustorum, secundum diuersos fines. Et certe non potest adscribi nisi miraculo id quod tradit Vincentius hist. lib. 30. c. 138. & etiam Naucler. gener. 41. scilicet quod Cremonę de anno domini 1240. intra Diui Gabrielis claustra grãdinis frustum cecidit, in quo erat exculptum signũ crucis, additis literis. Iesus Nazarenus, cuius aquæ stillantis contactu, cęcus illuminatus est.

Ad argumentum dicẽdum venit, quod quædam habent causam tantum in vno loco, vel vitam si viuunt, & ista nõ exeunt suã sphærã aliter periũt. Alia verò habẽt causam in pluribus locis vt gelu, glacies, & nix, & ignita multa, & ista possunt vbique generari, si vbique habent suam causam. Hac ergo occasione quædam dicenda sunt de glacie.

De Glacie.

Primum est, quod Glacies pro causa materiali habet aquam prout retinet aliquid de terrestri, & denso, effectiua vero est intensa frigiditas, quæ coadunat aquæ partes in vnum in gelu, & glacie, nam proprium est frigidi congregare, vnde aqua in vase vsque ad summum posita, si congeletur, multum decrescit. In illo autem terrestri semper latet aliquid de calido, quia ad cõcoctionem semper est necessarium aliquid caloris, vt docet Arist. 4. Meteor. c. 5.

Secundum est, quod facilius aquæ immotæ congelantur, quia eius partes per motum non distrahuntur, sicut fit in aquis currentibus. Attamen si magnũ, & intensum sit frigus, etiã flumina currentia glacescunt.

An vero mare gelari possit. Plutarchus lib. de causis nat. cap. 8. Gellius lib. 17. cap. 8. Disarius apud Macrobium lib. 7. Saturnal. c. 13. sustinent aquam maris immunem esse à gelu. Et ad instantiam quod in multis partibus maris gelu cogitur. Dicunt id accidere solum ex aquis fluminum redundantibus in mare, & si tãtum in superficie, nam vt leuiores supra aquas maris innatant. In cõtrariũ est S. D. Iob. 38. vbi dicit, aquas maris congelari in superficie, non in profundum, quia frigus ad eam partem non permeat. Et ita sentiunt, & varias experientias afferunt de multis maris, vt de septentrionali, glaciali, Bosphorico, Nigro &c. Herodotus, Beda lib. de natura rerum c. 9. Marius Niger lib. Comment. suæ Geographiæ, Pomponius Mela lib. 3. de orbis situ, & Olaus Magnus lib. 11. de rebus septentrionalibus cap. 30. Ratio est, quia dato etiam quod in mari flumina non intrarent, & quod

aqua maris sit adustiua, & calida, tamen in superiori parte leuior est, & sentiendo calor maris frigus magnũ ad ima maris per antiperistasim se reducit: & sic superiores partes gelu exponuntur.

Tertiò quædam admiranda in glacie pensanda veniunt.

Primum est, quod in mari Septentrionali est quoddã genus glaciei, quod ad litus deductum nullo mouente ad mare seipso reddit, & potest esse ratio, quod illud mare aliquam qualitatem attractiuam glaciei habeat, sicut habet magnes attrahendi ferrum. Mirabilius est, quod tradit Olaus lib. 2. c. 8. in Islandia esse glaciem, quæ nullo vase seruari potest, nam etiam in vase occlusa subito disparet, & necesse est, quod in se habeat aliquid de subtili, & multum aereo, & ideo extra suum locum posita in aerem se reducit.

Secundum est, quod in mari Septentrionali est glacies, quę temporis cursu fit lapis, & crystallus eximia apud Senecam de nat. quæstion. Hoc fit, quia illa aqua tenet de terrestri, & facile congelabili, à qua cum in successu temporis omnis calor abeat, restat durus lapis.

Tertium est, quod in mari glaciato Aquilonari fiunt inaudita mirabilia, vt quod pedibus calchetur tãquam solida terra, super ipsum exercitus dimicent, currus, aquæ, & pondera magna portet, hospitia ædificentur &c. vt tradit Olaus lib. 1. & 2. Et similia legimus apud Strabonem de palude Meotide. Et Ananias in nauigatione Anglica anno 1577. dicit iuuentam fuisse Insulam, nomine Hecam toto anno gelu rigentem, quod gelu quandoque vento pingitur ad modum vitri, & frusta eius supernatare tam ingentia, vt leucas occuparent 12. montes quoque eadem frusta æquasse, & eminere e maripedes 70. circuitu dimidiæ Leucæ. Similia leguntur, & si non tam magna apud Zonoram, tempore Constantini, Capronymi, apud Grãmat. in pręfatione rerum Daniæ & alios. Ad argumentum iam dictum fuit.

QVAESTIO XXIV.

Vtrum venti generentur ex vapore terrestri sicco, frigido, & subtili.

Videtur quod non. Nam effectus suam causam ostendit, Sed non omnes venti sunt sicci, subtiles, & frigidi, sed quidam sunt calidi, humidi, & nubiũ cõdẽsatiui, vt australes. Ergo nõ est dicendũ, quod vẽti fiũt, ex exhalatione sicca, frigida, subtili.

Opiniones.

Disputãt de ventis Arist. 1. Meteor. c. 13. 2. c. 4. 5. & 6. Plutarchus li. 3. de placitis c. 7. Plinius lib. 2. c. 45. M. Albertus lib. 3. tract. 1. c. 6. & 7. Agricola lib. 2. de ortu, & causis subter. Mirand. lib. de exam. uanit. c. 12. Iauellus c. 3. epit. Meteor. Conimb. tract. 6. Baroccius in sua Cumographia, lib. 2. & alij omnes Meteor. expositores. Nos autem famosiora, & necessariora de materia ventorum vẽtilantes, hanc quæstionem per capita dissoluemus.

Primo ergo venit notandum, quod circa materiam ventorum multæ fuerũt opiniones. Prima fuit quorundã, vt Hippoc. lib. de flatibus, & c. qui dixerunt ventum non esse nisi aerẽ agitatione commotum, & spirare à niue, glacie, gelu vehemẽti, fluminibus, & stagnis, & à terra humida, & refrigerata. Anaximander putauit ventum esse aeris fluxum, cuius sol suo calore consumpsit humidiores partes. Stoici illum dixerunt aeris motum, & impetum prouenientem à diuersis mundi partibus. Vetruuius lib. 1. architect. 6. c. eum vocat vndam aeris, cum incerta motus redundantia. D. Isidorus lib. 13. vocat ventum aerem commotum. D. Damasc. lib. 2. fidei orthod. ca. 8. aeris fluxum,

fluxum, siue agitationem, Astrologi motionem aeris sydeream. Quare dicitur quod cum Iupiter Solem, Lunam, & Mercurium, vel Mars Mercurium diametrali aspectu, seu dicamus opposito aspexerit, vel quadrato, eo magis si ambo fuerint insignis aeris, &c. vt infra melius dicemus, tunc portæ ventorum aperiuntur.

Sed hi omnes qui materiam venti aerem fecerunt, rem istam bene non penetrauerunt, quia aer semper mouetur, nec semper est ventus. Et cum explodunturr bombardæ, & cadunt turres, & magna ædificia, aer multũ commouetur, & tamen illa commotio aeris ventus non dicitur.

Vera igitur sententia est, quod ventus generatur ex exhalatione terrestri, & sicca, & subtili, sed Iauellus cum Alberto eam facit frigidam, alii eã appellant calidam. Notandum est ergo cũ Iauello, quod Sol suo calore quatuor vapores à terra eleuat. Primi sunt terrestres subtiles, & densi, & inflammabiles, & hos ducit vsq; ad inferiorem regionem ignis, & supremam aeris, & eos inflammat, & conuertit in Cometas, lanceas ardentes, & alias impressiones ignitas, de quibus dictum est in primo tractatu huius tertiæ partis. Secundi sunt humidi, & hi in secũda regione conuertuntur in pluuiam, grandinem, & niuem. Tertij sunt terrestres, frigidi, sicci, & subtiles, & hos eleuat vsque ad supremam regionem secundæ regionis veris, quæ est contigua supremæ æstuanti, & eos vertit in ventos. Quarti sunt terrestres frigidi, sicci, retinentes aliquid de crassitie, qui non adducuntur de visceribus terræ, sed in eis commouentur, & his est terræ motus.

Pro conciliatione ergo dicendum venit, quod materia venti vere est calida, originaliter, & ex sua natura, quia est exhalatio fumosa terræ, at dicitur frigida formaliter, quia resoluitur in ventum in loco frigido, vnde recipit frigiditatem ex loco, sicut faciunt etiam vapores qui conuertuntur in pluuiam, niuem, & grandinem.

Differentia exhalationum.

Secundo ergo deducendum venit, quod etsi vapor, seu exhalatio, quæ est materia ignitorum, sit terrestris, sicca, & subtilis, sicut etiam est materia ventorũ, tamen differunt multipliciter, vt bene monuit Iauellus. Primo quidem, quia materia ignitorum inflammatur, ventorum neutiquam. Secundo, quia est subtilior, & minus continua (ex dissolutione facta per calorem ignis) materia ventorum, vnde venti continuantur. Tertio, quia ascendit vsque ad tertiam aeris regionem supremam, materia ventorum vsque ad secundam solum, & si attingat vltimam supremæ. Quarto, quia vapor ignitur, ab igne, & ventus causatur à frigiditate regionis in quo generatur. Quare sic definitur ventus, Ventus, est vapor terrestris, siccus, subtilis, & frigidus, libere per aerem mobilis, & non in cauernis terræ conclusus.

Ventus est exhalatio sicca.

Tertio loco probatur multis experiẽtijs, quod ventus generetur ex exhalatione sicca, fumosa, terrestri, calida, & subtili. Primo, quia dum talis exhalatio abundat, vt in vere, & Autumno, tunc abundãt venti. Secũdo quia venti sæpe ab ortu Solis flare incipiunt, quia eo tempore Sol ad se trahit magnam quantitatem vaporum, causatam ex humiditate, & frigiditate noctis. Tertio quia cælum rubedo denotãs magnam caliditatem aeris ventos annunciat, & ita Cometæ consumptio, quia exhalationes multæ tunc in aere redundant. Quarto quia vt plurimum venti exsiccant

co

eo quod ex ficca, & calida adustiua- que materia consurgunt.

Tempus.

QVarto. Ex supradictis elicio tẽpus in quo magni sunt venti & pauci. Primo ergo abundant venti in Vere, quia tunc Sol incipit calorem suum augere, & aperiẽdo poros terræ, iam ab hyeme humefactæ multum, ad se multos trahit vapores, humidos, & siccos, & humidos in pluuiam conuertit, & siccos in ventum.

Secundo in Autumno præcipue circa finem, quia tunc pluuiæ crescunt, & Sol in calore deficit, vnde commouet in aere multos vapores, quos sua debilitate consumare non potest, & sic continuo trahendo illos ad regiones aeris, pro ratione vniuscuiusque, pluuias, & ventos gignit.

Contra vero in hyeme rari sunt venti, quoniam terra frigore cõstringitur, neque ad superas regiones fumum, & exhalationem multam mittit, debilitato multum calore Solis, vnde deficiente materia ventis, necesse est vt quiescant.

Ita in æstate venti non sunt frequẽtes, quia, & si Sol eleuet sua potenti virtute caloris, vapores à terra, tamen eos in aere consumit eadem caliditate, vnde deficiunt pluuiæ, & sistunt venti. Est etiam ratio, quia vapores æstatis sunt calidi, & sicci, vnde potius fiunt materia impressionũ ignitarũ, quam ventorum, qui & si sint ex vapore sicco, tamen non est tantum siccus sed aliquid tenens de humiditate, aliter non haberet continuationem, sicut nouimus habere ventos.

Secundo. Diximus frequenter exoriri in ortu Solis, propter abundantiam exhalationum.

Tertio ex influxibus syderum, vt infra dicemus. Nam Stellis, & planetis multum damus de concitatione ventorũ, vt nauigantes optime noscunt, qui quasdam Stellas obseruant, & raro falluntur.

Sciendum est tamen, quod in æstate etiam generantur venti, & magni, potentes, & feri, qui arbores euellunt de terra, domos diruunt, & aliquando homines, & animalia per aerem portant, grandines, procellas, & fluctus ingentes suscitãt. Ratio autem est, quia solet eo tempore eleuari à terra, iam vel à pluuia, vel ab aqua madefacta, vel ex dissolutione partium terræ per calorem, & siccitatem facta, vapores quidã multum terrestres, & crassi, qui in aerem deducti calidum, calore æstatis, frigiditatem per antiperistasim vsque ad secundam aeris regionem impellunt, ascẽdentibus autem his vaporibus impingunt in illam frigiditatem, quæ magno impetu eos expellendo causat flatus tam impetuosos, & terribiles. Quare teneo hos ventos generari in infima regione mediæ regionis aeris, vnde non multum durant, quia frigiditas illa non eos persequitur vsque ad consumptionem, sed immota stando in sua sphera, illos vapores crassos, & terrestres transire non sinit, sed prout ascendunt magna sua ui repellit. Si autem pars illorum vaporum in aquam conuertatur, vel in grãdinem non multum durabunt, & potius percurrendo transibunt, quia cito illi vapores consumuntur.

Locus.

QVinto. Notandum venit circa locum ex quibus desumitur materia ventorum. Nam aliqui tenent, quod solum in terra, & ex exhalationibus à terra à Sole aductis sint, vnde dicũt vapores ab aqua assumptos & ad secundam aeris regionem conductos in pluuiam resolui. Ratio istorum est, quia materia ventorum est exhalatio terrestris & sicca, quæ ab aqua deduci non potest.

Incon-

In contrarium sunt Conimbr. tract. 6. Meteor. tenentium materiam ventorum esse etiam vapores ex aqua eleuatos. Probant primo, quia à mari per multos continuatos dies spirãt venti, qui de salsedine tenent, non est autem credibile, quod tanta ex terra, vltra mare existente sit copia exhalationum, vt possit per tot dies nutrire, & conseruare eosdem ventos. Secundo, quia vapores aquæ vsque ad secundam aeris regionem ascendunt, sicut & illi, qui sunt materia ventorum ex terra. Ergo si isti pelluntur, & illi pelli possunt, & ventos fieri. Dicendum est autem quod ex aqua simpliciter, & præcise non est materia ventorum, vt prima ratio probat, at ex vaporibus aquæ, cũ exhalationibus terræ permixtis vtique. Vnde quando à mari spirant venti, & per dies continuatos, & sunt frigidi signum est, quod vltra illud mare est terra. Qua ratione ductus magnus Columbus ad reperiẽdam terram Mundi noui, & Indiarum fœliciter animum applicuit, & ad effectum perduxit. Notauerat enim ex mari venire quosdam ventos continuatos frigidos, qui cũ non possint nisi ex exhalationibus terræ procreari, vel ex vaporibus maris, cum exhalationibus terræ admistis, deduxit vltra illud mare magnum, & vastissimum stare terram.

A terra autem quam maxime est materia ventorum, & ab ea magis quæ est paludosa, & deserta, & ab omni ea quæ est multum humida, humiditate continuante partes terræ. Si enim fit humiditas dissolutiua partium terræ, & crassa fiet materia pluuiæ, vnde oportet vt solum ex his locis deducatur vapor subtilis, qui possit esse materia ventorum. Vnde in magnis campis, & locis desertis magni sunt venti, eo quod in his resoluitur crassities humiditatis, ab ea peditis radijs Solis. Secundo tamen in magnis nemoribus, & syluis concitantur validi venti, quando sunt prope magna campestria, quia exhalationes crassæ, & humidæ ex vmbrosis syluis deductæ, exhalationibus siccis campestrium sursum ascendendo miscentur, & sic multum alterantur, & hinc venti contrarij ex perturbatione istorum suboriuntur, vnde videmus modo arbores declinare ad vnam partem, impulsæ à vẽto, & modo ad aliam, & hoc etiam propter eandem rationem sæpe in mari conspicitur, sufflantibus contrarijs ventis. Tertio etiam in sumitate magnorum montium sentiuntur, tum quia ex siccitate eorum Sol deducit vaporem siccum, & subtilem, tum quia prope sunt secundæ aeris regioni vbi generantur. Nam quanto magis est remota virtus impulsiua deorsum ventorum, qui secum aerem ducunt, tanto magis deficit impetus venti, quia motus violentus, qualis fere est iste, in fine remittitur. Quapropter loca alta magis sentiunt vẽtum quam ima, & montes, colles, & turres, quam valles, & loca plana, & depressa.

Est etiam causa quod in vallibus in media parte pauci sunt venti, quia scilicet multa in eis est vmbra, vnde Sol suis radijs non tangendo terram illã non potest eleuare vapores. Et si eleuat vaporem illum consumit in fundo vallium quoniam ibi feruet multũ propter magnam, & mutuam ibi repercussionum radiorum.

Motus.

SExto. Notãdum venit circa motum venti, quod circa hoc singulare sunt duæ opiniones. Prima tenet motum venti esse tortuosum, & declinare ad motum circularem, vnde nec ascẽdit, nec descendit proprie, & directe, sed mouetur potius per arcum circuli. Ita tenent Albertus 3. Meteor. tract. 1. c. 13. & 21. & alij fere omnes Arist. expositores. Et proba-

tur

tur. Primo. Effectus suæ causæ assimilatur quantum potest. Sed causæ ventorum sunt sydera, & præcipue planetæ. Nam longa experientia Astronomi ducti, tradunt solem commouere ventos Orientales, Iouem Septentrionales, & Lunam Meridionales, & Occidentales, Notum est autem, quod corporibus cælestibus conuenit motus circularis. Secundo. Ventus causatur ex frigidita te secundæ aeris regionis, illum impellente deorsum secundum aliquos, vel à calore tertiæ faciendo ei cedere ex magno impetu frigiditatem secundæ, vsquequo ab ea exeat, et tunc frigiditas iterum se vniens impellit ipsum ad terram, vnde ei conuenit motus, qui conuenit aeri in secunda aeris regione. An talis est tortuosus. Nam dum descendit, inuenit caliditatem aeris sibi resistentẽ, vnde necessarium est, quod illam euitet, & fugiat, vbi fortem eam reperit, et sic currat vndique faciendo circulum, et impellendo aerem paulatim. Ergo mouetur circulariter. Confirmatur, quia cum ventus sit leuis, et retineat naturam aeris, dum a frigiditate deorsum pellitur, sua natura sursum ascendere conatur, vnde reluctat, et circulum facit. Tertio probatur duobus signis. Primũ est, quod videmus nubes à vento delatas ascendere paulatim supra Horizontem nostrum, et supra verticem nostrum venire, patet autem quod ille ascensus est circularis. Secundum est, quod naues nunquam aquę superficiem percurrant à vento delatæ, ergo ventus flectitur circa sphericam aquæ superficiem.

Secunda tamen est sententia negatiua quæ scilicet negat ventum moueri circulariter, probat hanc suam opinionem.

Primo. Motus circularis est vniformis secundum Arist. 8 phys. At motus ventorum non est vniformis, sed modo impetuosior, modo remissior, modo debilis. Ergo non mouetur circulariter.

Secũdo. Motus circularis est naturalis per Arist. 8. phys. At motus ventorũ est violentus. Nam nulla res mouetur naturaliter ad oppositum locũ in quo generatur. At ventus in Oriente genitus tendit in occasum, & genitus in Septentrione in meridiẽ, & econtra. Ergo &c.

Tertio. Nulla res duplici motu naturaliter mouetur per Arist. 1. cœli, & 12. Metaphys. At sæpe videmus quosdam ventos sursum tendere, secumque paleas, pulue rem, & folia trahere, & quandoque deorsum sufflare. Ergo non conuenit ei naturaliter tãtum moueri circulariter.

Sed his non est difficile respondere. Ad primum enim dicitur ad maiorem, quod valet in sempiternis, & inalterabilibus, vt sunt corpora cœlestia, non vero in alterationem patiẽtibus, vt sunt venti.

Ad secundum dicitur, quod ventus habet pro sphera suæ actiuitatis totam terram, & ideo non dicitur exire proprium locum tendendo de vna parte ad aliã, Secundo dicitur, quod motus circularis est naturalis, si sit a principio intrinseco, non vero si sit ab impellente, vt est motus venti impulsu frigiditatis.

Ad tertium dicimus id euenire per accidens, vt infra magis ostendemus, nam si duo venti ex contrarijs partibus surgant, dum vnus alteri contradicit, & impetum contra eum facit, ob resistentiam alterius se in circulum voluũt, & secum sursum, quæ inueniunt, trahunt.

Dicendum est ergo, quod eius motus, est circularis, non perfectus, quia nõ redit ad punctum à quo incepit, nec totum orbem girat, sed ad modum medij circuli, magis, & minus pro varietate ipsorum, & impulsuum.

De numero ventorum, & eorum spiratione.

MVlti sunt, qui de numero ventorum scripserunt, quos non est opus modo recensere, cum omnes in hoc conueniant, quod quatuor sunt Venti Cardinales, & principales, e quatuor mundi partibus principalibus spirantes, scilicet ab Oriente, Occidente, Septentrione, & Austro. Vẽtus igitur spirans ab æquinoctiali Orientali dicitur Subsolanus, quasi sub Sole oriente subsiliens. Eius oppositus ventus qui ab Occidente æquinoctiali flat dicitur latine Fauonius, & alio nomine à Grecis nuncupatur Zephirus, quasi viuificans, eo quia eo flante vegetantia viuificantur. Ventus ab Arctico, exiens Septentrio vocatur, & eius oppositus exiens à meridie Auster nominatur. Auctor horum quatuor ventorum Cardinalium dicitur fuisse Æolum Siciliæ Regem.

At Andronichus Cyrresthes, & Vetruuius lib. 1. de Architec. c. 6. quatuor alios ventos inuenerfit q̃ sunt Eurus spirãs ab Oriẽte vernali, idest, ab ea parte quæ est inter Orientem, & Austrum, Aquilo, seu dicamus *Borreas* veniens ab Oriente æstiuo, inter Septentrionem, & Orientem, Affricus veniens ab Oriente vernali, inter occasum, & Austrum, & Chorus procedens ab Occidente estiuo inter Septentrionem, & Occidentem, vt sequens figura ostendit.



AT philosophi, & diligentes nauigantes supradictis quatuor alios ventos addiderunt, vnde summam ventorum 12. constituerunt. Quatuor igitur sunt Cardinales. Subsolarus, Fauonius, Septentrio, & Auster.

ster. His damus duos collaterales pro vnicuique eorum & sic habebimus 12. ventos.

Subsolarus ergo, id est, ventus Orientis æquinoctialis habebit duos collaterales, scilicet Vulturnum à dextris, qui alio nomine dicitur Heles Ponticus. Et Eurum à sinistris versus Austrum.

Zephirus seu Fauonius, quod idem est, (& venit ab Occidente æquinoctiali, id est, ab eo loco in quo Sol occidit in æquinoctio, scilicet, in Ariete, & Libra; sicut etiam Oriens æquinoctialis significat locum Solis Orientis in primo gradu Arietis, & Libræ) pro collaterali à dextris versus Austrum habet Affricum, & pro collaterali à dextris versus Occidétem tenet Aquilonem seu Borream, & à sinistris versus Orientem Corum.

Auster pro collaterali dextero versus Orientem, & Affricum versus Occidentem, vnde secundum hanc descriptionem sunt versus.

Sunt Subsolanus, Vulturnus, & Eurus Eoi.

Circius occasum, Zephirus, & Fauonius afflant.

Atque die medio Notus hæret, & Affricus Auster.

Et Borreas Aquilo veniũt, & Corus ab alto.

Barocius tamen signat ventos, vt in sequenti figura.



Septentrio ergo dicitur a Grecis Aparctias, seu Apotis Arctu, id est, veniens ab Arctico Polo, qui à latinis dicitur Septentrio, quia in ea parte sunt septem Stella Vrsæ, inter quas lucidior est tramontana.

Auster à latinis sic nominatur ab effectu suo regulari, quia solet haurire

 aquas

aquas,& pluuiam facere. A grecis vero dicitur notos quasi noxius, quoniam nocet vegetantibus & animalibus, vel venit à verbo Noteo, notò,quod est pluuere.

Subsolanus apud latinos sonat sub Sole natus, & à Grecis nominatur Apiliotis,quasi Apoiuilio idest à Sole.

Fauonius dicitur à fouēdo,& nutriēdo apud Latinos,& apud Grecos Zephiros,i.veniens ab occasu,& ab obscuritate noctis,aut secundum eosdē venit à Zoin pherin, idest, à danda vita, quia est ventus saluberrimus.

Ille ventus qui ab Oriente vernali est dicitur à Grecis Euros, idest, latus, quia multum se diffundit super terram,aut ab Eo,idest, Aurora,aut ab Eoa, idest, Orizonte, quia venit ab Oriente, & à latinis nuncupatur Eurus, & Vulturnus à volatu Vulturis in altum,quia circa alta flat,vt circa turres. vnde Lucretius poeta Altitonans Vulturnus.

Helespontius dicitur à Latinis, & uenit ab Helespontio, & est ab Oriēte æstiuo.

Qui ab Occidente vernali proficiscitur,à Grecis dictus est Lips,quia spirat à Libia, à latinis dictus est Affricus,quia ab Affrica venit.

Ille qui ab æstiuo Occidente est,dictus est à Grecis Argestis,idest, fulminās .i. & Iapyx à Iapygæ .i. Pulia à qua flat, & Olympias quia transit per montem Olympum,& Seiron flans inter Megarā,& Corinthum. A latinis dictus est Corus,quasi corruscās, quia ducit secum fulmina, & fulgura.

Ille qui à parte Orientali circuli antarctici venit, a Grecis dicitur Euronotos, quoniam participat de Euro, & Noto, & Phinicias, eo quod venit à Phenicia. A Latinis dicitur Euto Auster.

Ille qui flat ab Occidentali plaga circuli Antarctici vocatur à Grecis Libonotos,& a latinis Affricus Auster, quasi compositus ex Austro, & Affrico inter quos iacet.

Ille qui procedit ab Occidentali regionem circuli Arctici dicitur à Grecis Tracias, quoniam per Traciam pergit. A latinis vocatur Circius,quasi omnia turbet, pergit enim singulariter in circulum, & conturbat omnia quæ ei obsistunt,cum sit multum impetuosus,& in Gallia Narbonensi solet esse multū ferox, & crudelis.

Ille qui venit ab Orientali parte Arctici dicit Borreas à Grecis, quasi nutritor seminum,fructuum, & animantium. A latinis dicitur Aquilo ab Aquila, quasi velociter volet,vt inter Aues Aquila facit, Arist. eum vocauit Mesis, quoniam Borreas nominauit Septentrionem.

At noui, & diligentiores exploratores numeri,& qualitatum ventorū duodecim supradictis alios quatuor addiderunt. Nam repererunt maius spacium esse inter Orientes, vel Occidentes solstitiales à tropicis demōstrati, & interfectiones Orientales, & Occidentales circulorum polarium cum recto Horizonte, & ita inter solstitia, & æquinoctialem. Quare.

Ille ergo qui experientia eos docuit flare inter Arctictum,& Occidentalem cardinem dixerūt Magistrum,quasi sit Magister nauigationis in Mediterraneo,in quo fuit obseruatus.

Illum quem cognouerunt venire ab ea parte quæ est inter Antarcticum, & Orientalem cardinem vocauerunt Syrocum,quasi Syriocum,seu Syriacum, quia per mediam Siriam transit. Seu syraucum,quoniam est ventus de se debilis, & tacitus, seu quia facit homines raucos, & opponitur Magistro.

Illum quem deprehenderunt venire ab ea parte,quæ est inter Arcticum, & Orientalem cardinem, eo quod per Greciam transit, propterea eum appellauerunt Grecum.

Illum autem quem nouerunt ex opposito Greco vento sufflare inter Antarcti-

tarcticum, & Occidentalem cardinem, vocant. sit Garbinum, id est, acer, & garbus, quoniam de se est malus, & solet conuertere serenitatem, in nebulas, & pluuias.

Hi igitur sunt sexdecim venti, qui Horizontem diuidunt in 16. partes æquales, quæ vocantur Rhombi.

Hi venti modo communiter alijs nominibus etiam vocantur. Septentrio enim dicitur Tramontana vulgariter, quasi nũquam occidat, Subsolanus, Leuante. Zephirus, Ponente, & Auster, Ostro. Ille qui est inter tramontanam, et Magistrum, Maestro Tramontana. Ille qui est inter ponentem, & Magistrum. Ponente Maestro. Ille qui est inter ponentem, et Garbinum, Ponente Garbino. Ille qui est inter Garbinum, et Ostrum, Ostro Garbino. Ille qui est inter Ostrum, et Sirocum, Ostro Siroco. Ille qui est inter Sirocum, et Leuantem, (vt verbis vtar vulgarium) Siroco, Leuante. Ille qui est inter Leuantem, et Grecum. Greco Leuante. Ille qui est inter Grecum, et Tramontanam, Greco Tramontana. Hi autem distant adinuicem secundum Cosmographos, et nauigantes grad. 22. secundum Astrologos vero aliqui ex illis distant grad. 23. m. 27. et aliqui grad. 21. m. 35. Ex positione ergo nauigantium consurgebant 16. venti, et Rhombi totidem, id est, spatia inter ventum, et vẽtum, æqualia quidem secundum nauigantes, sed secundum Astrologos inæqualia, parum tamen vt supradictum est.

At supradictis non contenti inter Rhõbum, et Rhombum, id est, spatium, et spatium posuerunt alium ventũ, quem vocant quartam venti, quare 16. quartæ ventorum consurgunt, vnde in totum sunt 32. venti. Has quartas denominant à ventis inter quos sunt. Ideo dant quartam Tramontanæ versus Magistrum, et quartam eiusdem versus Grecum. Item ventum Magistralem diuidunt in quartam ventus Tramontanam, et aliam versus ponentem, et idem faciunt, et dicunt de alijs. Hæc autem omnia ostenduntur in sequenti figura.

De Diuisionibus, & proprietatibus ventorum.

Venti quidam dicuntur Septentrionales. Alij Meridionales. Alij Orientales. Alij Occidentales. Septentrionales sunt omnes qui iacent inter Cancrum Tropicum, et Arcticũ. Meridionales qui sunt inter Tropicum Capricorni, et Polum Antarcticum. Orientales, qui sunt inter duos Tropicos Cancri, et Capricorni, et flant ex Oriente. Occidentales, qui sunt inter eosdem duos Tropicos, sed veniunt ab Occidente.

Septentrionales quidem sunt Arctici, quidam Orientales, et quidam Occidentales. Arctici proprie sunt, qui veniunt à Polo Arctico. Septentrionales Orientales, qui sunt inter Tropicum Cancri, et inter sectionẽ Orientalem, paralleli Arctici. Septẽtrionales Occidentales qui sunt inter Tropicum Cancri, et inter sectionem occidentalem paralleli Arctici cum Horizonte. Ita econuerso dic de Antarcticis, etc. Quare consurgunt quinque venti Septentrionales Arctici, tres Septentrionales Orientales, tres Septentrionales Occidentales, quinque Australes Antarctici, tres Australes Orientales, et tres Australes Occidentales, quinque simplices Orientales, et quinque simplices Occidentales.

Alij ex signis Zodiaci considerant etiã Orientalitatem, Occidentalitatem, Australitatem, et Septentrionalitatem ventorum. Dicunt ergo Astrologi Cancrum cũ duobus signis collateralibus ciere ventos Septentrionales, id est, cum Gemini, et Leone, excitare Septentrionem, Aquilonẽ, & Cho-

et Chorum, qui secũdum ipsos sunt venti Septentrionales. Ita Auster secum habet duo signa collateralia Sagittarium, et Aquarium, mediando inter ista Capricornum. Et ita in ventis inter Austrum stant Auster Affricus, et Euro Auster. Tria sunt signa Orientalia scilicet Aries cum Piscibus ex vna parte, et ex altera cũ Tauro, et sic sunt tres vẽti, & ita dic de signis, et ventis Occidentalibus, vt licet inspicere in figura.


Aliam diuisionem sumunt naturales ex locis, ex quibus venti veniunt, et affirmant omnes quotquot veniunt à Zona frigida esse intemperatos in frigiditate excedente, qui à torrida sunt, dicunt eos esse intemperatos in caliditate superabundante, qui vero sunt à Zonis temperatis, et ipsi sunt temperati. Itaque qui sunt à Zona frigida sunt multum frigidi, et sicci, idest, qui sunt ab Arctico numero decem; Qui à Zona torrida sunt nimium calidi, et humidi, idest, illi vẽti qui veniunt ab Antarctico, seu Austro, numero et ipsi decem. Alij duodecim sunt temperati in caliditate, et frigiditate, quia sunt à Zonis temperatis, magis tamen, vel minus dicuntur temperati, prout accedunt, vel elongantur à Zonis magis, minusue temperatis, vel intemperatis. Ex supradictis quædam sunt deducenda.

Primum est, quod quilibet ventus habet alium ventum ex diametro sibi correspondentem. Quare impossibile est, quod hi duo venti contrarij multo spatio temporis perflent, quia fortior, debiliorem eijcit, & fugat. Venti vero ex diametro non oppositi longius durabunt.

Secundum est, quod vt docet Arist. 2. Meteor. cap. 6. venti sua tempora tenent, nam Orientales flant, vt plurimum hyeme, Occidentales æstate, Australes Autumno, & Septemtrionales Vere. Ratio est, quia Sol ab ea parte ventos excitat, à quibus irradiat. Modo in Vere in initio Arietis ad Septemtrionem ascendit, a Cancro ad Libram, & à Septentrione ad Æquinotium Autumnale vadit, & ideo ab ea parte ventos Occidentales ducit. Deinde transeundo ad Capricornum vadit ad Austrum, vnde vocat ventos Australes, & à Capricorno ascendendo ad Arietem tempore hyemis, ducit ventos de Oriente.

Tertium est, quod venti patiuntur multas varietates. Primo enim variantur pro diuersitatibus regionum, vnde venti septentrionales, qui apud nos sunt sicci, & frigidi, apud Australes solent esse calidi, & humidi, prout nobis sunt Australes: & ita dic de alijs.

Quartum est, quod optime nauigantes ad cognoscendam naturam, & spirationem vẽtorum duo inuenerunt, scilicet vas concauum, quod maritimi vocant Bussolo, & Tabulam Hydrograficam; prout potest videri in sequenti pagina.



QVintum est, quod semper habenda est ratio ab habitantibus in aliqua Prouincia à quo loco veniant venti, qui ad ipsos pertingunt, quia ex loco per quem transeunt possunt à suis naturalibus qualitatibus alterari, & quandoque ab eis amoueri. Nam si venti sunt ex exhalatione calida, sicca, subtili &c. debent sua natura esse sicci, calidi, & subtiles, si vero veniant ex exhalatione calida, sicca, subtili, sed à regione in qua generantur sit frigiditas, erunt sicci, frigidi, & subtiles, prout de facto sunt. Per accidens tamen, vt dixi ex locis per quæ flando transeunt, aliam qualitatem suscipiunt. Quare Septētrionales qui ab Arctico loco frigidissimo spirant, & per niues, & glacies transeunt, sunt sicci, & frigidi. Australes vero qui à Zona torrida initium ducunt, & per mare, & calida humidaq; loca perflant, calidi fiunt, & humidi. Subsolanus quia est ab Oriente in quo Sol incipit calefacere terram, & humidos vapores ex ea, & aqua deducere, fit calidus, & humidus, & Zephirus frigidus, & siccus, quia venit ab occasu in quo Sol perdit vires calefaciendi, & abstrahendi vapores. Alij autem venti prout his sunt magis, vel minus propinqui, & per loca diuersa trāseunt, ita diuersas qualitates suscipiunt. Ex bonis autem, & malis qualitatibus ventorum consurgit temperies, & intemperies inhabitantium.

De proprietatibus ventorum.

QVattuor sunt venti principales vt diximus, habentes suos collaterales, ideo de his dicemus, animaduertēdo lectorē ꝙ collaterales induunt naturam principalis secundum magis, & minus, prout fiunt ei vicinatiores, vel remotiores. Dicamus ergo de singulis.

Septentrionales venti tres habent proprietates. Prima est, quod sunt frigidi,

di, & ficci, quia veniunt ab Hyperboreis, & Rodopheis montibus gelatis, & frigidissimis. Vnde & ratione loci à quo sunt, & exhalationis frigidissimę ex qua generantur oportet eos esse frigidos, & siccos.

Secunda est, quod vehementius, & frequentius spirant in Vere, & in Autumno, sed pręcipue in Vere, quia Sol pergit ad locum generationis ipsorum, se illi appropinquando magis quam alijs temporibus scilicet Arctico Polo. In Autumno autem generantur etiam aliquando, quia Sol descendo Septentrionem, eo tempore relinquit Septentrionem frigidum, et siccum, eleuādo tamen debilibus radijs aliquas exhalationes à terra, quas cum non consumet, & ad secundam aeris regionem peruenāt, in ventos conuertuntur.

Tertia est, quod inducunt serenitatem. Primo, quia minus tortuosi spirant, quam alij venti, vnde minus condēsant aerem in nubibus, & secundo quia eorum frigiditas, & siccitas claudit poros terrę, ne mittat exhalationes in altum ad materiam pluuiarum.

Quarta est, quod solent secum portare pruinam, si deficiunt versus meridiem, quia ex aere per ipsos multum infrigidato generatur pruina.

Auster vna cum suis collateralibus. Primo habet quod est calidus, et humidus tū ex Sole multū calefaciente in meridie, tū quia trāseunt per maria, et loca calida, et humida cum aqua.

Secundo inducunt hi venti pluuiam. Primo quia spirant tortuose, conglobando, et congregando semper aerem, et nubes, & humectādo. Secundo quia sunt calidi, et humidi.

Orientales idest Subsolanus cum collateralibus est calidus, et siccus secundum aliquos, et secundum alios calidus ex Sole, et humidus ex mari (vt apud nos) per quod transit.

Occidentales sunt frigidi, et sicci, vt diximus.

Secundo pro hac parte notandum venit, quod aliquando ventus incipit in mane, et desinit in sero, aliquando à sero incipit, et terminatur in mane, et sic multas alias mutationes facit. Causa cur in mane fortius spiret, est, quia suo aduentu exhalationes iam per noctes sopitas suscitat, et in flatum conuertit. Sed si nimis ęstuet, eas iam à pręterito die cōcitatas suo magno calore absumit, et ita ventus deficit. Et ita dic de alijs concitationibus, vel repressionib. Prout enim contingit vel exhalationes commoueri, vel non, prouenit impetus venti, vel eius cessatio.

In particulari autem aliqua dicenda de ventis sunt.

Ventus ergo Subsolanus solet esse calidus, et humidus apud nos, quoniam calorem recipit à Sole exoriente, et humiditatē à mari per quod ad nos venit. In partibus autem multum à mari distantibus est siccus, quia eius humiditas per longum tractum terrę à calore Solis dissoluitur. Ita etiā Auster nobis congregat nubes, et pluuias portat, et in Affrica nubes dissipat, et serenitatem inducit. Sicut econtra Septentrio apud nos est ventus serenus, et apud Cirenem, et Helesphontum pluuiosus.

Ventus autem Subsolanus solet esse temperatus, sed quando declinat in collateralem, eius naturam induit, vt cum Vulturno desiccat, et cum Euro nubes creat.

Venti autem Orientales vbi non tenēt multum de humido solent esse salubres in ortu diei, quia sunt temperati in calido, et humido. Tales ergo venti Orientales aquas clarificant, et eis saporem bonum administrant, corpora in sanitate custodiunt, et cāpos, viridaria que fructibus, floribus plus abundare faciunt, quam alij vēti. Propter hoc etiam flumina, contra Orientem currentia meliora sūt, clariora, et saniora aqua occurrendo Soli Orienti, et ventis Orientalibus

in

in aquis suis depurantur, et subtiliãtur. Subsolanus æstate tonat.

Ventus autem Fauonius, qui est occidentalis, cum suis collateralibus solẽt esse frigidi, quia paruam moram ducit Sol in occidente, et humidi, tẽperate tamen, declinando etiam sæpe ad siccitatem, quia Sol debili sua virtute non multum occidentalem plagam calefacit. Hi in fine diei fiũt salubriores, et temperatiores, quia Sol in occidente eos subtiliat, et depurat. Solet autem aqua in occidentali plaga esse turbida, quia in initio diei à Sole non purgatur, sicut facit aquam Orientalium. Solet Fauonius placide spirare multum Vere, & Autunno.

Auster est à Meridie cum suis collateralibus, & est humidus, & calidus, nubilosus, & pluuiosus, aerem adensat, nebulas cõgregat, fulmina excitat, tempestatem in mari generat, quia ab imo flat, poros corporis aperit, virtutes animales dissoluit, spiritus deijcit; & grauitatem in corpore, & in sensibus facit. Auditum enim grauat, visum obnubilat, & capitis dolorem causat. Colorem immutat, infirmitates generat, recidiuas egritudines adducit, podagrã, & pruritũ cõmouet, epylepsiam, & acutas febras inducit. Habet tamen quod sit ventus mollis, & remollitiuus, roris, & pluuiæ administratiuus, pororum terræ aperitiuus, germinum, & seminum productiuus, nutritiuus, & augmentatiuus, superficiei terræ renouatiuus, pennarum veterum, & plumarum in auibus mutatiuus, humidorum humorum, & frigidorum compactorum in corpore dissolutiuus, sudoris, & euaporationis fumositatum, & humidorũ superfluorum prouocatiuus, reptilium, & vermium terrestrium de interioribus terræ eductiuus.

Septẽtrio, seu Aquilo, & Borreas cum collateralibus sunt sicci, & frigidi magis tamen, vel minus, prout sũpra. Oritur ex montibus altis, ac locis aquosis, & congelatis. Aerem serenum reddit, & pestilentiam ab Austro venientem reprimit, sua frigiditate terrarum, & aquarum superficiem constringit, & hæc in glaciei speciem, vel crystalli conuertit, Corporis poros claudit, carnem indurat, humores purificat, spiritus, & sensus subtiliat, vim digestiuam adiuuat, virtutem retentiuam confortat, & vim generatiuam ad generandos mares augmentat. Vetumtamen tussim facit propter pectoris dissicationem, corpora, & terram aspera reddit, frigiditate, & siccitate sua neruos percutit, contrahit, & constringit, fructus, & flores teneros lædit, & corrumpit, vineas germinantes & florentes exurit, herbarum, & arborum virorem tollit, ptisicis nocet, quia pulmonem sua siccitate desiccat, vlcerat, & dilacerat, vt Galenus dicit.

Obseruandum est etiam, quod quibusdam prouincijs solent esse quidam venti particulares, vnde vocantur prouinciales, quia certis prouincijs sunt particulares. Nam ait Plinius lib. 2. ca. 47. Atheniensibus proprius est Sciro, paulum ab Argeste deflexus, reliquę Grecię ignotus. Atablus (ait Seneca lib. 5. nat. quæst. cap. 17.) Apuliam infestat, Calabriam Iapix, Phamphiliam Catægis, Galliam Circius, maxime Narbonensem prouinciam, & tamen Viennam eiusdem prouinciæ partem non attingens. Et Venetijs tempore æstiuo Syrocus frigidus flat, qui multum confortat.

De Ventis tempestatem commouentibus.

INter alia mala, quæ venti afferre solent, vnum ex præcipuis est, quod tempestates in mari concitant, & naues, & homines submergunt. Horum genera tria esse perhibentur.

Primum dicitur à græcis Eenephias, idest erumpens ex nubibus. Solent enim quandoque multæ spirationes densæ, & simul coaceruatæ sursum ascendere, quæ in nubem cauam intrant, & tunc per frigiditatẽ circum astantem concitantur, vel per motum velocem nubis calefiunt, & tũc cum proprium sit caloris dilatare, maiorem locum, & libertatem quærunt, vnde impetum in nube faciũt, & tandem magno impetu eam rumpunt, & frangunt, & sic ex ea cum magno furore exeundo more fulminis aerem commouent, & ventum generãt, terribilem ac impetuosum. Quare maritimi, qui similes nubes crassas, densas, & cõmotas vident, vela deijciunt, & nisi hoc faciãt, vibranti impetu demerguntur.

Secundum dicitur Turbo, seu Typho, hic oritur ex pugna diuersarum nubium adinuicem pugnantium, vel diuersarum partium in eadem nube, quæ dum se percutiunt, resiliunt, vel in vnum coeunt, & colligentes se circulum faciũt. Et sicut Eenephias rectè descendit, ita turbo in girum vertitur, vnde omnia nauigia in aqua, & in terra quicquid reperit in girum vertit, & in altum secum ducit, & præcipitat, & solet ex improuiso nasci. Et eius signum est videre diuersum motum nubium velociter contra se volantium, tunc enim iudicium fiendum est, quod dum appropinquauerint, turbinem facient.

Tertium dicitur Prester, & fit quando vapores attriti, ignem concipiunt, & deorsum ad modũ turbinis fortius descendunt, & comburunt, ita vt etiam maris aquas excalefaciant. Differt vero Prester à fulmine, quia fulmen plus habet flammæ, quam flatus. Præster vero econtra plus flatus, quem flammę.

Sunt, & stellæ quæ tempestates conciant, vt. Hiades, Pleyades, & Orion, & quædam viæ strictæ inter montes repertæ, in quibus adunati venti, magno furore, spirant.

De mirabilibus ventorum.

INter mirabilia ventorum connumerari possunt, immo ad miraculum, adscribi, quod arripuerit Coturnices vltra mare existentes, & duxerit vento ad filios Israel in deserto pro cibo, vt habetur Num. cap. 11. Hoc enim, & si fieri possit sine miraculo, tamen tunc factum est miraculose, ad sedandam murmurationem filiorum Israel.

Secundum est, quod venti in aere armorum strepitus faciũt, sonitum tubarum, congressus armatorum, prout nubes in diuersas formas deducunt, adinuicem collidunt, vel concussione perstringunt. Quæ tamen si continuatis diebus fiant, miraculo videntur adscribenda, vt sunt exempla miraculosa. Exodi 19. c. 12. Machab. cap. 5. & apud Nicephorum lib. 15. ca. 20. Plinium lib. 2. cap. 57.

Tertium mirabile est hoc, quod si materia fœtus esset disposita ad generationem fœminæ, & venti Septentrionales aduenirent, disponeretur ad masculum, et si esset disposita ad masculũ, et adueniret Auster, fœmina generaretur, apud Arist. de nat. anim. lib. 6. cap 9. et Ælianum lib. 7. cap. 23. Hoc autem censeo intelligendũ in remota dispositione, quia proxima quæ est intrinseca, necessarium est præualere.

Quartum est, quod papyro cohibentur, etiam impetuosissimi venti, vnde sanum est itinerantibus cingere se papyro, dum iter per ventum habent. Humiditas enim eius reprimit ventum.

Quintum. Si quis cupit legere ruinas partas à ventis, legat Aullum Gellium lib. 2. cap. 22. Olaum lib. 1. cap. 5. Petrum *Hispal.* Silu. p. 4. cap. 23. Argumentum ex dictis est solutum.

QVÆ.

QVÆSTIO XXV.

Vtrum dentur signa mutationum aeris.

Videtur quod non. Variabilis nullum potest esse signum inuariabile, aliter non esset variabile. At aer est in continuo motu, & variatione. Ergo nō potest habere aliqua signa, quæ eius variabilitatem determinate significent.

In contrarium est clara experientia.

Primo ergo dico, quod regulæ generales pro aeris mutatione cognoscenda, sunt istæ secundum Astrologos.

Prima. Magnæ aeris mutationes, quæ per longum tempus durant, & diutius effectum continuant, à coniunctione Saturni, vel Iouis, vel Martis proueniunt, quia hi planetæ tardius mouentur. Vnde magnæ hæ coniunctiones, si sint hyemales ad niuē inclinant, si vernæ ad ventos, si æstiuæ ad grandines, secundum Cardanum 7. Aphorism. 74.

Secunda. Validæ cōstitutiones contrariorum planetarum, contrarios ventos excitant, himbrium congregationem, niuem, & grandinem, pro suorum differentijs temporum.

Tertia. Prædominantibus infortunijs, idest, Saturno, & Marte, calamitates accidunt, vnde in piscibus, & cancro fiunt magnæ inundationes, cum Luna dominetur Cancro, & Iupiter piscibus. Ita Card. 7. Aphoris. 66.

Quarta. Existentibus absidibus infortunatarum in signis aqueis, maxime in Scorpione, periculosæ fiunt inundationes. In igneis signis sterilitates, & incendia. In terreis, concussiones. In aereis infirmitates, maxime si stellæ fixæ apogei locis assimillantur. Card. 7. Aphor. 124.

Quinta. Si dominētur planetæ velocis motus, vt Luna, Venus, & Mercurius dabunt siccitatem. Si sint stationatij ventos, si retrogradi aquas. Idē 7. Apho. 137.

Sexta. Planeta si sit occidentalis, retrogradus, vel tardus, & cōbustus, Marte excepto, qui siccitatem significat, dabit pluuias. Si sit Orientalis, directus, velox, & à radijs liber, exsiccabit.

Septima. Planeta calidus, & humidus, cum stellis calidis, & humidis, vel signis earundem qualitatum, saltem calidis, erit causa turbulenti, æstuosi, & insalubris aeris. Apho. 119. Planeta autem à stellis fixis roboratur, exceptis, Sole, & Luna, quæ quando ad stellas fixas deferuntur, effectus variant, non vero immutantur 7. Aphoris. 64.

Octaua. Planetę superiores, Marte excepto, pluuias non excitant Aphoris. 118. Et inferiores Mercurio excepto, serenitatem non inducunt. Vnde serenitas est à tribus superioribus planetis cum Sole, & pluuiæ ab inferioribus nascuntur.

Nona. Aperitiones portarum, idest, mutatio aeris aperta, ad tempestates, ventos, imbres, & grandines, fit. Primo quando planetæ habentes domos oppositas, & contrarias coniunguntur, vel se aspiciunt quadrato, vel opposito aspectu. Secundo quando Luna transit de aspectu vno supradictorum ad alium. Hinc si Saturnus vadit ad oppositionē Solis, quoniam Aquarius est domus Saturni, & opponitur Leoni, quæ est domus Solis. Vel Saturnus, eat ad oppositionem Lunę existente in Capricorno, quæ est altera eius domus Cācro opposita, quæ est domus Lunæ, fiet apertio portarum. Ita si Iuppiter vt supra vadat ad oppositum, vel quadratum Mercurij, stando in piscibus, quia pisces, qui sunt domus Iouis, & Virgo domus Mercurij opponuntur. Ita dic de Marte ad Venerem in Scorpione, & Tauro, quia opponuntur, hæ enim oppositiones in his signis factę magnas causant reuolutiones. Pariter si Luna à coniunctione, oppositione, vel quadrato Io-

uis, Martis, vel Solis, vadat ad Mercurium, Venerem, & Saturnum se se mutuo aspicientes, secundam faciet apertionem. Ideo si vadit à Marte ad Venerem, vel econtra humectat, pluit, & fulminat, & in æstate tonat, in hyeme ningit, & ventos Meridionales gignit, & Occidentales.

Decima. Regula Eudoxi à Plinio adducta c.47. non est paruipendenda, scilicet, omni quadriennio elapso redire fere easdem vices, in ventis, ac alijs tempestatibus, ac mutationibus aeris.

Vndecima. Dum planetæ transeunt per stellas quasdam fixas, vt per Asellos, Hiades, Pleiades, & Orionē mutationem aeris faciunt.

Duodecima. Plurimum variantur cęlorum influxus, quoad suos effectus in specie à varietate temporum Veris, æstatis, Autumni, & Hyemis, vnde proportionati effectus illis temporibus prodeunt. Et ita variantur à diuersitatibus regionum, & à superuenientibus eclipsibus, vnde omnia ista in pronunciãda mutatione aeris, quoad hanc, vel illam singularitatem est inspicienda.

Decimatertia. Trigoni signorum igníum dominantes in eclipsi, vt Arietis, Leonis, & Sagittarij, præcipue dominando coniunctione, oppositione, aut quadrato luminarium, in æstate magnam siccitatem causabunt, in hyeme frigoris temperamē tum, in terreis. Frigoris intensionem annunciant, in hyeme. & in æstate caloris remissionem. In aqueis pluuias, & temperatam æstatem, in æstate grandines, & niues in verno, & autumnali tempore. In aereis aeris temperiem.

Decimaquarta. In æstate nouilunia sunt calida, in hyeme frigida, plenilunia vero æstate frigida, & hyeme temperata deprehenduntur, nisi Saturnus obster Card. 7. Aphoris. 100. Oppositiones luminarium, & aliorum planetarum pluuias commouent.

Decimaquinta. Iupiter à Sole Orientalis solet inducere serenitatem, & ventos Septentrionales, & temperatum calorem, Occidentalis vero humiditatem.

Decimasexta. Mars cum Sole in signis bicorporeis facit, præcipue in Vere, tenebras, æstus, & infirmitates. In aqueis imbres, fulgura, & tonitrua. In igneis, siccitatem, Combustus pluuias minuit. Si reperiatur cum Sole grandines generat, cum Venere corruscationes, pluuias, & tonitrua. Cũ Mercurio in calidis calorem, in siccis, siccitatem, in aqueis pluuias; In autumno mutabit illa in grandines, in hyeme, & Vere in niues, & in æstate solet commouere ventos vehementes.

Decimasexta. Iupiter cum Marte in humidis facit pluuias, corruscationes, & ventos. In igneis prope sydera tempestuosa, etiam media hyeme grandinat, vel ningit, cum Sole in aereis serenat, in humidis dat imbres fęcundas. Cum Venere serenitatem facit, vel in aqueis tenet pluuias. Cum Mercurio ventos, & calíditatem adauget, aerem perturbat, & pluuias transeuntes commouet.

Iupiter in quadrato, vel oppositione Lunæ, serenat, & ventos Septentrionales inducit. In Ariete, & Scorpione albis nubibus cęlum tegit. Et si ab illo Luna ad Mercurium fertur, apetiuntur venti.

Decimaseptima. Saturnus cum Ioue afficit aerem multis diebus, vel serenitate, vel pluuijs, vel ventis. In humidis humiditate, in siccis siccitate, in terreis ventis. Cum Marte in humidis copiose pluuit, & grandinat. Cum Sole in aquaticis frigefacit, pluuit, & grandinat. In Sagittario, & Capricorno intense frigescit. Cũ Venere in humidis, cum testimonio Lunæ pluuit, & frigefacit. Cũ Mercurio

curio in humidis pluuit, in ficcis serenat. Cum Luna in aereis, frigus intendit. Saturnus cum Luna dominator loci vices duplicat, ideo ipsa plena frigus augetur, vacua ficcitas, temporibus ficcis, pruina, & vredo, humidis nebulæ, & frigiditas. Dum Saturnus trāsit de figno ad fignum, per plures dies in cęlo fiunt figna splendida.

Decimaoctaua. Venus cum Mercurio imbre facit, in oppositione Lunæ existentis in fignis, vel aereis, vel aqueis ventos tempestuosos, & nubiū turbationē, & eodem modo in quadrato eiusdem Lunæ.

Decimanona. Quarta dies à coniunctione luminariū sæpe indicat, quid totó mense futurum fit, & tūc se primo à coniunctione ostendit. Luna vero cum Venere in fignis humidis gratas pluuias cum frigore promittir. Et fi ab illa ad Martis coniunctionem, vel radium feratur, ad magnas pluuias fulmina, & tonitrua portæ aperiuntur.

Vigefima. Planetę Orientales cādorē, Occidentales obscuritatem, Meridionales lenitatem, & in nodis ambiguitatem fignificant. Et dominus interlunij multum potest inæqualitate aeris, & qui eum respiciūt, maxime fi in cardinibus fuerint. Et planeta qui primo à radijs folis exit, & nulli applicat, puriffimos effectus ostendit.

Vigefimaprima. Cometæ immobiles feditiones, mobiles bella indicant, ab externis in octauo, vel duodecimo loco, aut iacturam fegetum, in cardinibus mortem principum, & in vndecima nobilium.

Vigefimafecunda. Saturnus in fignis igneis cum Sole debili facit, Ethicas, Iupiter autem fanguineas fine putredine, fed fi Mars affuerit putridas. Mars in illis, ardentes febres omnis generis faciet. Venus Ephemeras, & fi Mars ei adiūgatur, putridas ex pituita. Mercurius mixtas, & fi Luna in eis fimiliter fit, augebit mala. Vide alia quæ diximus ad hoc propositum in nostro vniuerso cæleſtide his enim agit Cardanus in primo fuorum Aphorismorum.

De fignis futuræ pluuiæ.

Signa futuræ pluuiæ ifta funt.

Primum. Aues mundantes rostro fuo fuas pennas, ad nidum fugientes, in aqua ludentes, strepitum cum alis edentes.

Secundū. Aues fluuiateles prata quærentes, & terrestres vltra folitum se balneantes.

Tertium. Ardea in medijs aruis tristis manens.

Quartum. Anas domestica fubfiftens, & alas fuas quatiens.

Quintum. Afelli fuū dorfum ad terram fricantes.

Sextum. Aranearum telæ multum latæ.

Septimum. Aqua fcaturiens vbi non folebat.

Octauum. Aqua ftagnans fole abfente folito candidior.

Nonum. Arcus apparens, aere fereno exiftente.

Decimum. Boues fe lambentes, fortiter comedentes in principio pluuiæ, continuationem portendunt.

Bufoni vefperi cauernas relinquentes.

Corui fingultu latrantes, & alis quatiētes, vel fe fupra aquam depedicillantes, vel fuperuociferantes, vel furfum cum clamore afcendentes.

Cornix fe in aqua balneans, vel in ficca arena vociferans, vel fupra petrā, aqua fubmerfam cantans, vel vefperi plus folito clamans.

Canis inteftina murmurantia.

Columbæ tardius redeuntes ad columbaria.

Campanarū fonus longius auditus, & ab Oriente, vel meridie præcipue:

Coopercula omnia lignea folito ftrictiora.

Calor extraordinarius per diem.

Corru-

Corruscatio ab Aquilone tantum, vel Fauonio nocte existente serena.
Coruscationes frequentes vespertinæ.
Cælum mane rubescens, & nocte pluribus stellis ornatum.
Carduus Echinus sese claudens.
Corrigiæ contractiores.
Centipedes numero plures.
Delphinus lasciuiens, & in aquam se immergens.
Dolia in æstate feruentia.
Duo Soles, vel Lunæ diluuium aquarum, vel magnam inundationem significant. Sol Occidens infero sub nube densa, & nigra, in sequenti die annuit pluuiam.
Formicæ ante oua gradientes, & a terra in multitudine exeuntes.
Fulica alas quatiens.
Fauillæ ex Lucerna prodeuntes.
Fuligo maior solito.
Nigredo falcis secantis herbas.
Fungus in lucernis genitus.
Gallinæ tectum quærentes.
Gallus paulo post occasum Solis cantans.
Gallinacei pulli plus solito pipientes.
Grues ab imis vallibus fugientes. Catus pede caput suum cũ saliua propria lauans, vsque ad subautem.
Herodius mane clamans.
Halo in nubem nigram finiens.
Hirundo pennis aquam percutiens.
Ignis pallidus, & strepens.
Ictus podagrorum, & cauteria plus solito dolentia.
Luna ante coniunctionem subtilis, & rubea in parte luminosa, in alia vero nigra. Vel si viridis, & spissa.
Vel si duo circuli maxime stant circa ipsam liuidi, & nigri. Vel si cum halo. Vel in plenilunio si pallida, vel nigra.
Luna etiam rubens ventat, pallida pluuit. Alba serenat.
Montes circundati nubibus densis, & crassis, vel nubibus in medio montium stantibus, vel in summitate alta
Muschæ magis pungentes.
Mergorũ celerior volatus, & clamor.
Nubes æqualiter sonans, & mugiens, vel floccis lanæ similis, vel nigra.
Nebulæ sursum ascendentes, vel vento contrario terram petentes.
Oues plus solito edentes.
Olei scintillatio in lampadibus ardentibus.
Pedes sudantes.
Porci manipulos fœni abscondentes.
Pulex mordacior.
Pauo vociferantior. Pecus stridentior.
Ranæ magis garrientes.
Ros non cadens cessantibus ventis.
Salamandra visa.
Sues multum grunnientes.
Sol cum circulo rubeo, vel nigro, vel nubibus nigris, aut viridibus circundatus. Vel maior in exortu, & occasu. Vel cum halonibus. Vel concauus, aut maculosus. Vel si in Oriente habeat ante se nebulam, & dispareat. Vel vespere sub nube nigra, & crassa occidat.
Salsæ carnes vberius humectatæ.
Terræ motus leuis.
Tonitrua matutina, & hyemalia. Vel meridiana. Vel æstiua, in meridie, & Vesperi.
Talpæ plus solito in terra operantes.
Trifolium inhorrescens, & folia subrigens.
Vermes à terra exeuntes.
Vultur vel ocius volans.
Vacca in cęlum suspiciens, & naribus auras capians.
Zonæ sericæ arctiores.
Pelliceæ contractiores.

Signa serenitatis.

AVes Marinæ in littore alas nõ expandentes.
Arcus cęlestis tempore pluuioso.
Boues in sinistram coxam iacientes.
Corui contra Solem stantes, cum rostris apertis. Caligo post pluuias.
Cęlum sero rubeus. Cometæ.
Cornix mane clamans.
Corruscatio aere sereno prope Horizontem, absque tonitruis.

Del-

Delphinus mari turbato aquam spargens. Serenitas in Occidente, vel Septentrione consurgens.
Echinus vnum ex duobus foraminibus obstruens.
Formicæ oua sua à circunferentia ad centrum portantes.
Fumus albus ante Solis ortum eleuatus super aquas.
Galli tardius cantantes.
Grues volando non reflectentes.
Haloco æqualiter apparens.
Luna alba.
Littora clamantia.
Muscæ ad modum formæ pyramidalis ante Solis occasum, circa ipsum ludentes.
Marina in tempestate canentia.
Noctua intempestate vociferans.
Nubes albæ, & rubræ.

De Ventorum signis, & Planetis.

Habēdū est enim generaliter quod Saturnus causat ventos Orientales. Iupiter Septentrionales, Mars occidentales. Sol diuersos pro diuersitate signorum, Subsolanum autem magis, Venus Meridionales, & Mercurius omnes adiuuat, Luna vero diuersos pro diuersitate locorum.

Secundo Ventus australis solet excitari à planetis dum sunt in medio cęli, & in latitudine, & declinatione australi.

Tertio Venti orientales excitantur à planetis orientalibus, & occidentales à planetis occidentalibus. Boreales veniunt à Septentrione, & imo cęli.

Quarto Pisces commouent ventos occidentales, Aries Septentrionales. Taurus orientales, & Gemini australes.

Quinto Stellæ Saturninæ faciunt ventos orientales, Iouiales Septentrionales, Martiales occidentales. Venereæ australes.

Sexto Noctu auster spirat magis, diù Aquilo, in mari Auster, in terra Aquilo.

Septimo Temporibus calidissimis, & frigidissimis raro flant venti.

Octauo Corus cum Luna ad Saturnū Martio, & Februario grandinat Maio procellas immittit, Octobri grandinat. Aquilo spirans Aprili, & Maio flores adurit. Circius hyeme ningit, æstate grandinat. Fauonius spirans hyemem resoluit.

Nono Venti aniuersarij spirantes tempore caniculæ à tertia diei hora, durant vsque ad Vesperas.

De signis temporum ex Stellis fixis desumptorum.

Habendæ etiā erunt ad manus Hephemerides, Magini, vel tabulæ Batanzani in quibus habentur ortus, & occasus, Stellarum fixarum, & coniunctiones earum cum planetis, & sic de die in diem habebis cognitionem mutationum temporis. In nostro autem vniuerso cęlesti posuimus effectus prouenientes ex planetis, & coniunctionibus ortu, & occasu cum Stellis fixis, vnde hic solū adijciemus aliquas mutationes aeris quas solent inducere stella fixæ. Oriente igitur cum Sole, ante eum, vel alio planeta, magis tamen, & minus. Rostro Corui. Aer turbatur, & fit crassus. Dum oritur vt supra humerus sinister Aquarij. Erit aura frigida, glacies, & ventus.

Cauda Scorpij. Erit aeris varietas. Cornu Arietis pluuię, vel niues. Pleiades. Cessare faciunt Fauonium.

Vltima cauda Arietis. Ros. Oculus boreus Tauri. Tempestates. Hiades. Pluuiæ ad vini abundantiam, & venti aquilonares cessabunt. Oculus Tauri. Pluuiæ, & tempestates. Humerus dexter Orionis. Pluuiæ. Cingulus Orionis. Pluuiæ continuatio, si eo die inceperit. Tempestates si Marti, aut Ioui iuncta. Autumnus salubris Tonitrua, & Fauonij. Sinister pes Orionis Tranquillitas, & serenitas. Boreus Asellus

cui-

euidens pluuia. Presiæon. Etloci.i. anniuersarij venti. Syrion. Maris, terræ, & animantium perturbatio, siccitas, & morbi, vini fluctuatio, canum rabies, sideratio piscium, & magis si cum Marte, & minus si cũ Ioue, vel Venere, & erunt pluuiæ. Si Luna fuerit in Ariete erunt procellæ. Si in Tauro pestilentiæ. Si in Gemini siccitas. Si in Cancro magnus æstus. Si in Leone imbrium frequentia. Si in Virgine intemperies sicca. Si in Libra pestilentiæ. Si in Scorpione pluuiæ. Si in Sagittario, & Capricorno siccitas, & morbi. Si in Aquario larga pluuia anno sequenti. Si in piscibus similiter.

Regulus. Aquilo flat. Tergum Leonis. Aliqualis humiditas, & frigiditas. Cauda Leonis Tempestates, & grandines. Vindemiator, Humiditas, & frigiditas. Arcturus procellæ, & grandines. Lucida coronæ. Venti. Ceruix corui. Aeris inconstantia. Dexter humerus Herculis. Venti. Sinister humerus Herculis. Subita tempestas venti, & pluuiæ, & tonitrua. Si Saturnus, & Mars steterint in quadrato.

Lucida lanceæ borealis. Fauonius. Lucida lancis australis. Venti inordinati, Ophiuchi caput. Frigoris acrimonia, & nubes. Canum sinistri pedis Ophiuchi. Nebulæ, & tenebræ, Humerus dexter Centauri. Venti. Niues, vel pluuiæ. Cor Scorpionis. Humiditas, & tempestas. Aquila pluuiæ, vel Niues, & frigoris remissio Cauda Delphini. Pluuiæ, vel nix. Nebulosa Sagittarij. Nebula. Humiditates, & ventorum conflictus. Caput Andromedæ Aeris serenitas.

Secunda pars tabulæ, in qua ponuntur ortus vespertini cum prognosticis.

Nomina stellarum.	Significationes.
Cingulum orionis.	Fauonius.
Nebulosa capitis orionis.	Vẽti borrhapeliotes, frigoris remissio, & aeris crassities.
Lucida coronæ.	Tempestas.
Aselli & præsepe.	Pluuiæ si Lunæ, aut Veneri coniungãtur.
Canis minor.	Aeris varietas.
Venter leporis.	Frigus asperum.
Syrius.	Remissio frigoris, & aura lenis.
Regulus.	Frigoris augmentum.
Tergum ♌	Nebulæ, & frigiditas.
Lucida hydræ.	Pluuiæ, & nix.
Cauda ♌	Humiditas.
Præcedens in femore Herculis.	Venti, & tempestates.
Vindemiator.	Aquilo gelidus.
Arctutus.	Tempestates, Fauonius, & aliquando procellæ.
Lucida coronæ.	Tempestas in mari, & humidi venti.
Ceruix corui.	Auster pluuiosus.
Spica ♍	Frigiditas, humiditas, & aeris perturbatio.
Rostrum corui.	Aeris frigiditas.
Dexter humerus Herculis.	Venti orientales.

Bra-

Brachium dextrum *Herculis*.	Venti.
Sinister humerus *Herculis*.	Aer niue,& pluuijs agitatur.
Caput *Herculis*.	Tonat.
Lucida lancis boreæ.	Frigidior nox.
Humerus dexter centauri.	Humiditas aeris.
Cor Scorpionis.	Tempestas.
Aquila in plenilunio.	Oleæ, & vites florentes minus fœcundæ redduntur.
Delphinus.	Nebulæ, & aeris varietas.
Caput Andromedę.	Grata serenitas.
Humerus sinister Aquarij.	Frigidæ auræ,& venti.
Asellus australis.	Obscuritas cęli, & pluuiæ.
Cornu arietis.	Aeris inconstantia.
Pleiades.	Copiosæ pluuiæ,& ventus auster.
Dexter talus aurigæ.	Ventus turbidus.
Oculus tauri.	Aura frigida, & niuosa.
Pes dexter ophiuchi.	Nebulæ, & obscuritas.
Caput gemini,& humerus orionis sinister.	Remissio frigoris, & ventorum conflictus.
Caput pręcedens, & humerus dexter orionis.	Niues, & venti occidentales.

Tertia pars tabulæ, in qua ponuntur occasus matutini stellarum cum prognosticis.

Nomina stellarum.	Significationes.
Rostrum corui.	Aura turbida, & crassa.
Asellus boreus.	Varietas aeris.
Algorach seu ala dextra corui.	Nubes,nix,& aeris turbatio.
Regulus.	Aquilo,& pluuię.
Spica virginis.	Humiditas, & venti.
Cauda Scorpionis.	Venti,pluuiæ, & tonitrua.
Nebulosa sequens aculeum scorpionis.	Nebulæ & Aquilo.
Cauda leonis.	Nix, vel frigus.
Tergum leonis.	Nebulæ, & ros.
Cor scorpionis.	Aer æstuosus.
Sinistrum femur Sagittarij.	Serenitas.
Stellæ ophiuchi.	Nubes.
Axilla Sagittarij.	Serenitas.
Iaculum Sagittarij.	Pluuiæ.
Arcturus.	Aer intemperatus.
Nebulosa Sagitarij.	Aer turbidus,& nubilosus.
Lucida coronæ.	Auster.
Aquila.	Africus, & æstus.
Dexter tibiæ aquarij australis.	Tonitrua, & coruscationes.
Humerus dexter aquarij.	Pluuiæ,venti,& coruscationes.
Delphinus.	Calor,æstus & imbres.
Cubitus dexter aquarij.	Coruscationes,pluuiæ,& venti.
Cauda cethi.	Nebulæ.

Femur ſiniſtrum Herculis.	Venti occidentales.
Caput Andromedæ.	Temperies gratiſſima aeris.
Cornu ♈	Aeris inconſtantia.
Venter leporis.	Venti.
Apex trianguli.	Venti occidentales.
Clypeus orionis.	Nubes, & venti, ſine pluuia.
Vltima caudæ ♈	Pluuiæ cum niue.
Canis maior.	Africus cum pluuijs.
Cingulum orionis.	Fauonij, & auſtri cum pluuijs.
Hiades.	Gelidæ pluuiæ.
Pleiades.	Aquilo, & ſi nubes erit, hiems pluuioſa, ſi ſerenitas aſpera.
Palilitium.	Pluuia cum niue.
Procyon.	Africus cum pluuijs, & dies halcynoi.
Lucida hidræ.	Nebulę, & humiditates cum ventis.
Caput ♊ pręcedens.	Niues, & venti occidentales.

Vltima pars tabulæ, in qua ponuntur occaſus veſpertini.

Nomina ſtellarum.	Significationes.
Lucida coronæ.	Tempeſtas.
Aquila.	Tempeſtas.
Humerus ſiniſter aquarij.	Frigiditas.
Cauda delphini.	Auſter violentus cum pluuia, vel niue.
Cubitus dexter aquarij.	Ventus pluuioſus.
Os Cygni.	Tempeſtas in mari, venti pluuioſi.
Femur ſiniſtrum Herculis.	Venti vehementes occidentales.
Caput Andromedæ.	Frigiditas.
Venter leporis.	Venti frigidi.
Siniſter pes orionis.	Temperata aeris complexio.
Clypeus orionis.	Pluuiæ.
Vltima cauda. ♈	Pluuiæ nocturnæ.
Syrius.	Auſter, et Aquilo ſi biduo ante, vel poſt plenilunium, rubigo ſegetis, & vredo florentium, vnde rubigalia, & floralia ex Numę, & Sybillarum decreto in principio Maij celebrabantur.
Hyades.	Venti frigidi.
Pleiades.	Africus ad Fauonium poſtea deuolutus, ſi verò cum Marte, vel Venere, pluuioſa tempeſtas.
Oculus. ♉	Tempeſtas.
Procyon hel.	Fluctuatio viuorum.
Procyon.	Si cum plenilunio omnium frugum læſio, ſi interlunio oleæ, & vites florentes vredine afficiuntur.
Lucida hidræ.	Nubes cum pluuia.
Roſtrum corui.	Tranquillus, & ſerenus aer.

Cer-

Ceruix corui.	Aer inconſtans, fulgura, & tonitrua.
Caput ſequens. ♊	Venti occidentales.
Aſellus boreus,	Aquilones.
Ala dextra corui.	Nubes,& pluuiæ nocturnæ.
Regulus.	Fauonius.
Cauda ſcorpionis.	Tempeſtas.
Cauda ♌	Tepiditas.
Tergum ♌	Nebulæ,& nubes.
Cor ſcorpionis.	Pluuiæ.
Siniſtrum femur Sagittarij.	Venti,& ſerenitas.
Axilla Sagittarij	Frigus ſerenum.
Iaculum Sagittarij	Aura lenis,& frigoris remiſſio.
Arcturus	Venti auſtrini.
Nebuloſa Sagittarij.	Nebulæ,& obſcuritas.

	Ort.	Gr.	S.	M.	Occ.	Gr.	S.	M.	
Prǫsepe.		1	♌	3		2	♌	57	V.Or.21.Ian. M.Oc.23.Ia.
Asinus Boreus.		29	♋	34		6		41	V.Or.19.Ian.
Austrinus.		2	♌	41		2		19	M.Oc.23.Ian.
Lucida Hydræ.		1	♍	24		16	♋	14	V.Or.20.Feb.
Cor leonis, seu regulus.		23	♌	41		24	♌	3	V.Or.12.Feb.M. Oc. 13.
Fundus crateris.		27	♍	15		28	♋	23	V.Or.18.Mar.
Cauda Leonis.		10	♍	35		16	♎	55	
Rostrum corui.		16	♎	5		12	♌	30	M.Oc.2.Feb.V.Or.6.Ap.
Prǫuindemiatrix.		25	♍	17		9	♏	49	V.Or.18. Mar.
Spica Virginis.		18	♎	31		13	♎	32	M.Oc.4.Ap. V.Or.18.Ap.
Arcturus.		4		12		19	Sagit.	4	V.Or.25.Mar.M. Or.11.Ia.
Lanx Australis.		18	♏	55		26	♎	0	
Borealis.		8		48		29	♏	17	M.Oc.21.Ma.
Sinistrum genus Ophiuchi.		13	♏	30		3	Sagit.	32	
Brachiū dexterū Engonasci.		28	♎	32		16	♑	28	
Caput Engonasci.		12	♏	53		20	♑	39	Occ.Vesp.11.Ian.
Caput Ophiuchi.		19		5		23		15	V.Occ.13.Ian.
Cuspis Sagittarij.		4	♑	12		19	Sagit.	0	
Humerus sinister Sagittarij.		11		7		2	♑	51	
Axilla Sagittarij.		18		21		29	Sagit.	15	M.Or.9.Ian.
Rostrum Gallinæ.		28	♏	19		29	♒	44	M.Occ.24. Aug.
Aquila volans.		19	Sagit.	55		14		25	V.Oc.3. Feb. (cem.
Caput Antinoi.		0	♑	45		13		43	V.Oc.3.Feb.M.Or.23.De
Cauda Delphini.		27	Sagit.	58		25		22	V.Occ.14.Feb.
Dextrum genu Capricorni.		16	♒	4		26	♑	58	
Sequens oris Aquilei.		7	♑	22		0	♓	41	
Rictus Pegasi.		18		13		6		41	M.O.9.Ian.V.Oc.25.Feb.
Caudæ Capricorni sequens.		22	♒	1		16	♒	27	
Dexter humerus aquarij.		5		34		2	♓	46	V.Oc. 5. Feb.
Brachium dextrū Aquarij.		12		18		4		46	
Vmbilicus Pegasi.		3	♒	18		21	♈	28	M.Or.24.Feb.
Extrema ala pegasi.		1	♓	56		8		30	
Caput Algol.		29	♒	50		14	♊	31	V.Occ.6. Ian.
Lucida Eridani.		1	♌	16		17	♓	53	V.Or.21.Ian.V.Oc.8.Mar.
Hœdorum prior.		21	♈	16		10	♋	55	M.Or.12. Apri.
Dexter humerus aurigæ.		22	♈	7		12	♌	41	
Caput Apollinis.		3	♋	19		3	♌	11	
Sectio transtri nauis.		11	♍	0		0	♊	14	
Coma Berenicis.		0		3		5	Sagit.	31	V.Occ.28. No.
Lucida Coronæ.		12	♎	10		15	♑	16	Vesp.5. Ian.
Aculeus Scorpij.		7	♑	25		20	♏	27	M.Occ. 12. Ma.
Lucida Lyræ.		1	♏	44		6	♓	2	V.Occ.25. Ian.
Cauda cygni.		8		12		16	♈	11	V.Oc.8. Ap.
Lucida centauri non oritur.									(Ma.
Pectus Oloris. (dę.		23		3		26	♓	15	M.Occ.20.Sept.V. Or. 14.
Media vmbilici Androme-		25	♑	48		12	♉	0	
Sinister pes Andromedæ.		24	♒	37		25		0	
Antecedens à capite Medu-		9	♓	11		3	♊	4	V.Occ.24.Ma.
Sinistrum genu Persei. (sæ.		24		6		22		52	
Sinistrum femur Sagittarij.		20	♒	16		2	♑	18	
Pręcedens basis trianguli.		24	♈	53		5	♊	19	

TABVLA ORTVVM ET OCCASVVM 79. STELLARVM, AD ELEVATIONEM GRADVVM 45.

Pro intelligentia autem huius tabulæ nota literas, & sic intellige. Or dicit ortum Stellæ. Gr: gradum. S. Signum, Occ: Occasum. M. Minutum. V. Or: Vespertinum ortum, M. Oc. Matutinum occasum. Occ. Ves: Vespertinum occasum. Ita V. O. Ian: dicit mensem Ianuarij, Feb: & sic de alijs dicas ex initio literarum ipsorum. 1. 2. 3. & c: dicit diem mensis in quo Stella occidit, vel oritur.

Nomina stellarum.	Ort.	Gr.	S.	M.	Occ.	Gr.	S.	M.	Occ.		Ort.	
Scapulæ Andromedæ.		10	♒	3		29	♈	3	M. 23	Oct.		
Sinister cubitus Andromedæ.		4	♓	23		24	♈	13	M. 18	Oct.		
Summitas trianguli.		14	♓	58		11	♉	46	M. 5	No.		
Cornu arietis præcedens.		9	♈	2		1		32	M. 25	Oct.		
Sequens.		7		10		3		6	M. 27	Oct.		
Venter ceti.		28	♉	25		7	♈	54			M. 20	Ma.
Nexus piscium.		12	♉	29		20		3			V. 5	No.
Conuersio fluuij.		27	♊	50		10		52	M. 4	Oct.		N.
Media caudæ arietis.		10	♉	59		17		40			V. 3	N.
Borealior pleiadum.		13	♉	51		26		35			M. 5	Ma.
Pectus tauri.		8	♊	19		19	♉	48				
Prima hyadum.		9		22		25		52	V. 17	Ma.		
Quinta.		12	♊	6		0	♊	3			M. 3	Ian.
Clypei Orionis sexta.		26		53		24	♉	36				
Sinister humerus Orionis.		3	♋	0		28		22				
Cornu Boreale Tauri.		8	♊	39		22	♊	17	V. 24	Ian.		
Sinister pes Orionis.		15	♋	41		18	♉	13				
Cornu australe Tauri.		21	♊	52		16	♊	0				
Media ensis Orionis.		18	♋	6		24	♉	40	V. 16	Ma.		
Media cinguli Orionis.		14		50		28		49				
Venter leporis.		1	♌	23		12		29	M. 5	No.		
Humerus dexter Orionis.		11	♋	17		8	♊	10				
Pes sinister sequens ♊.		10		56		24		49				
Canis maior.		10	♌	1		0		55	V.		V. 30	Ian.
Venter canis.		24	♌	0		5	♉	40	V. 17	Ma.	V. 13	Feb.
Hercules.		11	♋	33		29	♋	18				
Canis minor.		2	♌	24		29	♊	53	V. 22	Ma.	V. 22	Ian.
Scutum Argi.		29		8		1		43	V. 23	Ma.		

Plures

Plures aliæ possent enumerari stellæ, verum, quia non sunt magni momenti, & euidentem non causant mutationem: ideo te remitto ad tabulas Magini in Isagogicis ephemeridū collocatas, vel ad Tychonicas obseruationes. Videre etiam poteris Ptolomæum, omnes stellarum qualitates, eo ferè modo quo nos illas proposuimus, explicantem. Si scire volueris quo die cum Sole, vel oriantur, vel occidant, considera gradum cum quo iunguntur, vel consulæ tabulas Magini fol. 328. introductionum.

DVBITATIO NONA.

De ijs quæ communes regulas irritas reddunt.

COmetæ præcipuè, vel diuinitus, vel naturaliter euenientes, & diuturnus aliquis effectus naturalium causarum statum perturbans, astrologos decipiunt.

Cometarum autem effectus sequentibus regulis innotescunt.

Prima. Cometa mobilis ab Oriente in Septentrionem ab ortu, pestem adducit, ad austrum, humiditates, & famem.

Secunda, Crinitus, versicolor, & bene caudatus, ventos.

Tertia. Niger, breui cauda, & sine crinibus sterilitatem.

Quarta. In terreis sterilitatē, in aqueis, pestem, in aeris ventos, & pestilentiam, in igneis incendia.

Quinta. In duodecima, vel octaua domo, primo apparens pestilentiam, & iacturam segetum.

Sexta, Matutinus in Orientem, caliditatem.

Reliqua superstitiosa à Card. & alijs relata de mutatione religionis, natiuitate legumlatorum, & cæteris similibus melius est silētio inuoluere.

Dies fausti, & infausti mercaturis, contractibus, & itineribus fauentes à sacrosancta, Catholica, & Apostolica Romana Ecclesia tanquam commētitij iure damnantur.

De tempore phlebotomiæ, & medicamentorum, siue purgantium, siue curantium satis.

Ad argumentum dicitur quod inuariabile habet signa inuariabilia, & variabile, variabilia.

De alijs considerandis.

ET si non videatur spectare ad hunc tractatum, in quo de aeris mutationibus tractamus adducere etiam signa multorum, quæ in terra fiunt, quoniam tamen cum superioribus connexa sunt, decreui de his hic sermonem facere.

De Domino anni considerando; & quartarum eius.

MVltum enim iuuat ad cognoscendum mutationem aeris, & futura in anno cōsiderare, quis nam ex planetis dum Sol primum gradum Arietis ingreditur, anni dominium, & principatum obtineat. Ad habendum igitur hunc principem omnes Astrologhi cōueniunt, necessarium esse figuram pro eo puncto erigere, & planetæ plures habenti in figura dignitates, & potentias concedemus primatum anni. Dictum est autem in nostro vniuerso cælesti, à quibus planetarū sumuntur fortitudines, & dignitates, scilicet à proprijs domibus, vel exaltationibus, & terminis. A quatuor cæli quartis. Oriente, Meridie, Occidente, & imo cœli. Ab aspectibus, & coniunctione cum stellis fixis, &c. Quod si cupis videre multa circa hanc partem considerranda. Legas Baranzanum in sua Vranoscopia in aureo eius opusculo de modo conficiendi Almanach. Iuxta igitur qualitatem planetæ, & eius bonum statum poteris considerare multas mutationes in aere, in

illo

illo anno futuras.

Idem secundo dicimus de quartis anni inspiciendis, scilicet Vere. Aestate, Autumno, & Hyeme, intuendo semper quis nam illorū temporum adipiscatur principatum, & sic iuxta naturam eius pronunciabis. Dat autem Baranzanus aliquas regulas ex peritioribus Astrologis desumptas, quas ad maiorem intelligentiam hic ponimus.

Prima est. Si ingrediente Vere, Mars locū Luminariū aspexerit, tūc Luna coniuncta, vel plena, sequenter fulgura, coruscationes, & tonitrua. Si planetæ fuerint combusti. Nebulæ. Si retrogadi, pręcipue Venus, dum Sol fuerit in Ariete, vel Tauro erunt multæ pluuiæ.

Secunda. Si Saturnus fuerit dominus Veris. Frigus erit, & humiditas. Aestiuo tempore planetis directis, mediocris calor. Vide Baranzanum, vt supra.

Tertia. Inspiciendę erunt Lunæ cōiunctiones, aspectus quadrati cum Sole, & oppositio, & considerandum quis nam in his quartis sit dominus. Nam si fuerit Saturnus, erunt nubes densæ, caligines, tenebræ, frigora, grandines, vel niues, pro qualitate temporis. At si à Ioue fæliciter aspiciatur, in hyeme serenitatem promittit, & ventos orientales serenos. Si fuerit Iupiter, erit salubritas, serenitas, & tepiditas aeris. Si Mars calor, siccitas, æstus. Si Sol calor, & siccitas, non tamen multum intensa. Si Venus humiditas. Si Mercurius mutabilitas aeris, & venti. Si Luna ipsa pluuiæ.

Quarto. Erunt etiam considerandæ quotidianæ coniunctiones planetarum. Nam coniunctio Saturni, & Iouis magna, afficit aerem multis diebus, vel serenitate, vel ventis, vel pluuijs. In signis siccis, Magna siccitas erit. In humidis inundationes. Si sit per aspectum cum Ioue iunctus facit pluuias cum ventis, & grandinibus. Cum Marte in humidis signis coniunctus, pluuias, grandines, et tonitrua æstate per tres dies ante, vel post. Hyeme niues eodem modo. Cum Sole erunt pluuiæ, & frigiditas, & aliquando grandines. In Sagittario, & Capricorno, adauget frigus. Ita cum Venere, vt cum Ioue. Cum Mercurio in siccis, inducit siccitatem, in humidis pluuias. Cum Luna in aeris. Frigus, & sæpe grandines.

Iupiter cum Saturno, vt supra. Cum Marte in humidis pluit, flat, tonat, et coruscat. In igneis grandinat, tempestates excitat, & hyeme ningit. Cum Sole in aeris serenat, ventos salutares parit, et tempus temperatum reddit. In humidis pluuias fœcundas immittit. Cum Venere serenat, et in aqueis locis leniter pluit. Cum Mercurio flat, calefacit, obtenebrat, et pluit.

Mars cum Saturno, et Ioue, vt supra. Cum Sole in signis bicorporeis, æstus, tenebræ, et morbi. In aqueis imbres, fulgura, et tonitrua. In igneis. Siccitas. Si combustus, minuit pluuias. Si fuerit cum Sole grandinat. Cum Venere pluuiæ profusæ. Cum Mercurio in calidis. Caliditas. In siccis. Siccitas. In aqueis imbres, et vt plurimum erunt venti, et in Autumno grandines. In hyeme niues.

Sol cum Saturno, et Marte, vt supra. Cum Venere humiditas, et eo magis si retrograda, Sole occupāte Capricornum. Aquarium, Arietem, et Pisces. Cum Mercurio in aereis venti, in humidis pluuiæ.

Venus cum Saturno, Marte, et Sole, vt supra. Cum Mercurio imbres. Si fuerit stationarius, aut retrogradus cum Luna erunt impetuosi venti, pluuiæ, nubes turbidæ, maxime tempore oppositionis. Ex Card. diuersis locis.

Quinto. Erunt considerandi alij aspectus planetarum, prout infra.

Omnes planetæ, cum luna iuncti suas exer-

exercent vires, quæ cognoscuntur, habita ratione, signi à luna possessi, stellarum fixarum, quibus iungitur, latitudinis lunę, dominatoris loci, coniunctionis, oppositionis, quadrati etc. eodem enim modo erigenda est figura cœlestis. In puncto quadrati aspectus quo in principio lunationis, et ingressuum Solis in signa, vt igitur hac erecta figura, facile de effectibus iudices, sequentes regulas ex Cardani Aphorismis, Steflero, Plinio, & alijs Philosophis collectas obserua.

Saturnus, vel corporaliter, vel per aspectum Lunę plenę copulatus, augetur frigus. ita 7. Aph. 45.

Lunę vero vacuę cursu, siccitas 7. Aph. 64.

*T*emporibus siccis pruina, & Vredo generatur 7. Aph. 23.

*H*umidis, nebulę, et frigus.

Quando futura est aliqua apertio portarum, magna aeris mutatio. Steflerus in Ephem. de aeris mutatione.

Luna cum Ioue, vel quadrato, vel oppositione, serenitas, et venti septentrionales. Stefl. ibid.

In ♈ vel Scorpione, nubes albę: ibid.

Cũ Martis testimonio coruscationes, et tonitrua. Stefl. ibid.

Luna à Ioue, ad Mercurium currente, apertio portarũ ad vẽtos. Stefl. ibid.

Luna cum Marte in signis igneis, nubes rubeę, venti, tumultus, coruscationes, fulgura, et tonitrua. Stefl.

In terreis hyeme nebulę, pluuię, et frigiditas. Stefl.

In aqueis tepiditas, venti occidentales et frigoris remissio.

Si à Marte, ad Venerem procedit, portarum apertio, ad pluuias. Stefl.

Luna cum Sole ad Saturnum immediatè procedente, portarum apertio.

Ascendente ad absidem, et nobis vicina, vel cum pluuiosa stella, imbres diuturni. ita 7. Aph. 114.

In aspectu Saturni. idem ibidem.

Luna cum Venere, in humidis salubres pluuiæ, & frigus.

Ab illa ad Martis coniunctionem, vel radium, portarum apertio ad imbres, fulmina, & tonitrua.

Luna cũ Mercurio, in humidis pluuiæ.

A Ioue, ad iilum maximè, cum testimonio Saturni, & Martis in quadrato, vel oppositione. Portarum apertio ad ventos: Vide regulas generales pro aeris mutatione, & tabulas vt supra.

Sexto. Erunt etiam considerandæ stellæ fixę iunctæ cum planetis, vel cum eis occidentes, vel orientes, prout infra.

Quarum omnium talis est in agendo efficacia.

Saturninæ frigus, glaciem, & grandines efficiunt.

Iouiales humiditatẽ, pluuias salubres, cum quibusdam tonitruis, ventos, & moderatum calorem.

Martiales ingentem calorem, vstionem, siccitatem, tonitrua, procellas, & tempestates.

Solares, multum caloris, parum siccitatis.

Venereæ humoris plurimum, caloris paululum.

Mercurinæ indifferentes.

Lunares, humiditatis copiam, caloris exiguitatem.

Saturninæ, & Lunares, nunc frigus, nunc humorem, nunc siccitatem, nunc nebulas, nunc grandines.

Martiales, & Lunares, imbres.

Mercurinæ cum Saturninis gelu.

Cum Venereis pestem, & venenum.

Cum Iouialibus tempestates.

Cum Martialibus impetuosus effectus.

Et eo vehementius supradictæ stellæ agunt, quo quantitate maiores, luminosiores, eclipticæ viciniores: deinde quæ alicui regioni verticales, & in nostro orizonte septentrionaliores.

De signis abundantiæ anni, & quorundam aliorum ex quartis anni.

CArdanus 7. Aphoris. tradit multas regulas ad prędicendam abundantiam,

tiam, vel penuriam annonæ in anno quæ sunt.

Prima. Validæ constitutiones dum arbores florent, Luna existente in oppositione Solis, aut coniuncta sæpe penuriam anni significat.

Secunda Nouilunia tempore florum, aut primi exitus germinis, aut cum ortu vel occasu potentissimorum syderum, fruges destruunt.

Tertia Niues mediocres in hyeme agros fæcundant, quia vermes occidunt, & terram calefaciunt.

Quarta. Si tempore Eclipsis arbor floret, sterilis erit.

Quinta. Dum Saturnus est in Tauro, Leone, & Scorpione, & Aquario ad est penuria, & hominum Mors.

Sexta. Cometę verno tępore apparentes adurunt, & succum arboribus exugunt.

Septima. Ventorum multitudo fructibus nocet, paucitas, dat paucas segetes.

Octaua. Vere calido arbores cito frondescunt, & florent, Cerasa, Fraga, & alij fructus verni citius maturantur, & maturata vermibus replentur. Et rosæ parum odoratæ, & pulchriores apparebunt. Vere humido pauci erunt fructus, & putridi, multæ herbæ inutiles, & plurima folia. Vere sicco, & parum calido, parum frumenti, & fructuum, & illud optimũ. Vere frigido, & sicco. Caritas vini, & aliorum fructuum. Vere frigido, tardi, & pauci fructus.

Nona Æstate existente pluuiosa, fructuum putredo, infirmitates, & penuria vini. Nimis sicca. Salubritas fructuum, Mors piscium, morbi acuti, & parua vini copia. Nimis calida. Morborum, & fructuum abundantia, & bonum vinum. Nimis frigida. Sanitas corporis, & fructuum tarditas.

Decima. Autumno existente multum humido. Erit vuarum putredo. Si eius vltima pars nimis fuerit humida, sequenti anno erit frumenti caritas. Si nimis sicca. Caritas milij. Autumno solito calidiore. Morbi, & infirmitates. Frigidiore. Fructus pauci acerbi, & ingrati.

Vndecima. Hyeme existente frigidissima. Vinearum, & aliorum arborum quæ gelu regent Mors. Dicunt etiam rustici, quod si dies octaua Iunij fuerit serena, messis erit bona. Et diem conuersionis Sancti Pauli significare multos effectus.

De prognosticis Belli.

HIc non intendimus agere de prognosticis belli inquantum voluntatis nostræ libertatem tangunt, pos sunt enim semper homines cessare à bello saltem offensiuo, sed solum adducere quædam signa ex Hermete, ac alijs Astrologis accepta, quæ rubram bilem commouere possunt, & sic indirecte causare bella. Nam etiam obseruatum est quibusdam temporibus canes ex stellis in rabiẽ se cõuertere. Tauros fieri ferociores, lupos crudeliores, volucres pugnas magnas inire, & pisces aduersum se pugnare, vnde mirum non est si etiã appetitus noster sensualis in vno tẽpore magis commoueatur à syderibus, et irascibilis terribilior efficiatur. Possumus ergo, & de his quasdam regulas tradere.

Prima est. Mars dominus anni bella denunciat, et magis si in figura cęlesti fuerit fortior, et fortunatior. Quare si erit in prima mouebit bella ob vulnera recepta, vel coniurationem contra vitam. In secunda ob facultates. In tertia ob fratres, et parua itinera. In quarta ob patrem, vel thesauros. In quinta propter filios, vel filias, vel fortunam meliorem. In sexta ob infirmitates. In Septima ob lites, vel vxorem. In octaua propter dispositionem mortis. In nona ob religionem, et longa itinera. In decima ob principatum, et regnum obtinendum. In vndecima propter amicos.

micos. In duodecima propter carcerem, et animalia. Et si Luna fuerit in latitudine cum Marte domino coniunctionis, vel quadraturæ, strages, et cædes sequentur.

Secunda est. In reuolutionibus annorum mundi multę difficultates, & prelia existunt, si in suis exaltationibus reperiuntur Iupiter, & Saturnus.

Tertia. Quando duæ infortunæ.i.Saturnus, & Mars coniunguntur, est aliqua perturbatio. Et ita quando coniunguntur planetæ inimici.i.contrariarum qualitatum. Alia quædã dicit. Haly parte tertia de iudicijs, quæ omitto, quoniam fundat se in victoria belli, quæ multum incerta est, cum varius sit euentus belli.

De signis pestilentiæ, & aliarum infirmitatum.

GVlielmus Gratarolus meus conterraneus libellum de pestilentia edidit, a quo, & ab Hippocrate 3. Aphoris. &c. quædam signa desumuntur futuræ pestilentiæ, vel infirmitatum frequentium.

Ista enim pro causa inferiori solent habere malignitatem aeris, paludum, lacunarum, & aliarum aquarum immobilium, stagnantium, aquarum fętorem, cloacarum, & latrinarũ colluuiem, cadauera insepulta, & fœtentia, imbrem assiduum, & continuũ, multos ventos diu flantes, maxime si spirent à loco pestifero, malos odores luti, & immudiciarum per vias ciuitatis, animalium mortuorum fętorem, macerationem lini, canabis, & coriorum in aquis stantibus, & similia. At pro superis causis infra scripta dicimus, quod futuram pestilentiam, vel magnam copiam infirmitatum significant. Eclipses magnæ solis. Inflammationes igneæ noctu, e cęlo cadentes. Assiduitas pluuiarum in fine Veris, vel in æstatę sine ventis. Exsiccatio, seu combustio arborum, Aer per multos dies quasi puluerulentus apparens. Panis per noctem aeri expositus, qui mucorem trahit. Rabies frequens canum, Luporum ingressus in Vrbes. Aues oua deferentes, & nidos. Multitudo ranarum, & blattarum in muris. Vermes, serpentes, & Talpæ sepius apparentes Aranea in galla quercus non perforata. Ver nimis frigidum. Hyems nimis calida. Rosæ, & violæ secundo in Autumno florentes. Calida, & humida totius anni constitutio. Saturnus in Leone, Ariete, & Sagittario.

Quando Venus, & Mercurius coniunguntur cum Stellis Saturninis pestis intenditur.

Tempore hyberno in sua constitutione, & natura seruato, inueniuntur tusses, catharri, grandines. Sicco, & ventoso, dolores partium pectoralium. Nimis humido pituitæ.

Vere existente nimis humido biliosæ ægritudines, in æstate febres curatu difficiles, & apostemmata. Phrenesis, & Variolæ. Frigido vero pestes, & putredines.

Æstate sicca, & calida Febres, variolæ, & dolores capitis. Humida, & calida. Dissenteriæ, febres acutę, morbi putridi, & sudores.

Autumno sicco. Biliosæ infirmitates, & atrę bilis abundantia.

QVÆSTIO XXVI.

Seu multa problemata de aere.

PRo complemento huius secundi tractatus de elemento aeris, soluenda veniũt quædã problemata de eo.

Primo ergo quæritur an ignis, & aer moueantur à seipsis motu circulari, vel an à cęlo.

Respondetur, quod multi Platonici tenuerunt affirmatiuam partem scilicet, quod à seipsis mouentur, & sursum, & in circulum in suis spheris. Sed hæc opinio non acceptatur. Primo,

mo, quia quæ seipsis mouentur ex sua natura viuentia sunt, & à viuentibus mouentur, vt cęli ab intelligētia. At aer non est viuens. Ergo debet moueri à cęlo moto ab intelligētia. Secundo. Idem est motus totius, & partium. Sed aer inferior à seipso non mouetur in orbem idest, motu circulari. Ergo nec tota spera aeris. Tertio. Eidem rei non conuenit duplex motus naturaliter, & ex sui natura. Sed aeri, & igni conuenit moueri sursum ex sua natura. Ergo moueri in circulum eis conuenit, vt continuantur cęlesti orbi. Dicendum est ergo, quod motus sursum conuenit aeri, & igni ex sua natura, in circulum vero vt sunt corpora fluida, motui orbis lunæ contigua, scilicet, sphéræ Lunæ, & sphéræ ignis, sphera aeris Ex contiguitate enim illarum spherarum, & fluiditate naturarum ipsorum talis motus procedit.

Secundo. Quæritur quomodo vtres vacui aere mergunt in aquis, & plenuento nequaquam, cum tamē pleni sint vacuis, grauiores.

Respondetur vim aeris talem esse, vt cum sit elementi leuioris super aquā resiliat, & stet. Vnde ea quæ multū de aere habent vt ligna, quæ sunt multum porosa, & vtres pleni aere super aquam manent, & quamuis sint multiponderis non tamen mergunt, quod eueniet rei terreæ. v. g. parui lapillo ex sua densitate, & terrestrietate.

Tertio. Quæritur. An leuitas aeris, & ignis sint eiusdem speciei.

Huic quæstioni fecimus satis supra in 2. parte huius vniuersi elementaris, et diximus non differre specie, quamuis multi alij oppositum doceant. Habent enim eundem motum secundum speciem scilicet moueri sursum, quamuis materialiter locis, & quibusdam alijs, differant.

Quarto. Quæritur quomodo possit esse, quod quædam soli exposita magis refrigerantur, quam in vmbra.

Respondetur causam esse, quia calor in re existens, & suum simile ad extra inueniens exit, vt illi quasi incorporetur. At in vmbra inuenit frigus ad extra obsistens, vnde per antiperistasim ad interna se reducit, & sic magis obsistit. Et hæc est ratio cur ventriculus hyeme sit calidior, quam æstate. Causa enim est, quia hyeme frigus stringit poros carnis, ne spiritus, & calor exeat, vt faciunt in æstate propter calorem externū poros dilatantem, quare in hyeme ad ventriculum corroborandum recurrunt, & sic ait Hippocrates ventres hyeme sunt calidiores, & æstate frigidiores.

Quinto. Quæritur cur aer à multo tempore sub terra conclusus, si per respirationem in exitu suo à subterraneis attrahatur, multum nocet.

Respondetur id esse, quia aer reclusus, nec in motu suo liber corrumpitur, & sic pestilens efficitur. Et Plinius lib. 31. nat. hist. c. 2. & Georgius Agricola de natura eorum, quæ ex terra effluunt, narrant, multis in locis scrobes, & specus ventum exhalare, adeo tetricum, & grauem, vt eius haustu pecora, aues, & feræ intermantur.

Sexto. Quæritur cur talis aer infectus quandoque tantum noceat auibus, aliquando auibus, & animalibus, & non homini, & aliquādo etiam ipsi.

Respondetur id prouenire ex qualitate talis aeris, quę aliquādo temperamento vnius tantum nocet, & aliquando tam malus est, vt omnibus pestilens sit.

Septimo. Quæritur, cur qui sudant dum aer est frigidus, deterius se habeant, quem dum est calidus.

Respōdetur hoc esse. Primo quia cum in hyeme sit necessarius maior calor, per sudorem minuitur. Secundo, quia cum sudor poros aperiat, frigus subintrat, & temperamentū corporis labefactat. Vnde in hye-

me sudor est vitandus, & flante vento frigido, et omni tempore frigido.

Octauo. Quæritur quomodo aer dicatur auctor quatuor temporum anni, veris æstatis, Autũni, & hyemis.

Respondetur esse, quia aer est ille, qui recipit qualitates horum temporum diuersas, & ad nos defert. Et hinc est, quod etiam in eadem quarta anni solet modo frigus caliditatem, humiditatem, & siccitatem intendere, vel minuere, quia id totũ quod per coniunctiones, aspectus, & alias irradiationes in inferioribus a syderibus causatur, ad nos per aerem defertur.

TRACTATVS TERTIVS.

De Aquis.

QVAESTIO XXVII.

Vtrum aqua habeat singularia.

Videtur quod non. Nam quod non est capax minoris, nec etiam dicẽdum est capax maioris. Sed aqua non est secundum se capax figuræ particularis, cum induat semper figurã continentis. Figura autem modicum quid est. Ergo nec erit capax aliorum maiorum singularium.

In contrarium est, quod secundũ Phil. elementum aquæ dicitur frigidum, & humidum, respectu terrę subtile, & perspicuum, proprio termino non contentum. Item aqua inter elementa est vtilissima, cęlum enim (dicit Basilius in Hexam.) aerem tẽperat, terram fęcundat, aerem suis vaporibus adunat, & condensat, scãdit in sublime, & cęlum sibi vendicat. Fruges gignit, arbores, & olera producit, sordes detergit, peccata benedicta diluit, & originale in baptismo abluit, & potum cunctis animantibus tribuit. Est terræ continuatiua, viscerum terræ penetratiua, & repletiua, caloris cęlestis nutritiua, omnium inferiorum temperatiua, alimenti ad sua membra deportatiua. Hæc piscibus dat spiraculum, sicut aer animalibus dat calori cordis temperamentum. Partes terræ sua humiditate nectit, ne in puluerem abeant. Nullius est secundum se saporis, sed ratione eorum cũ quibus miscetur modo fit salsa, amara, dulcis, clara, turbida, subtilis, & grossa. Non est caloris datiua, sed bene eiusdem receptiua. A centro mouetur ad circumferentiam, vnde nõ terram inuadit, sed versus aerẽ pergit. sicut videmus aquam semper ad littus venire. Et quia sub se habet opacum, & in se est aliqualiter densa, ideo reflectit radios lucis, & imagines contra ipsam stantes repræsentat.

Secundo. Notandum venit, quod aquæ sunt in multiplici differentia. Nam quædam de superis veniunt, & dicuntur pluuiales. Aliæ de cauernis terrę prodeunt, & dicuntur fontales, & fluuiales. Et aliæ terram diuidunt, & circundant, & dicuntur marinæ, & Occeales.

Pluuiales inter omnes sunt meliores maxime quæ veniũt cum tonitruo, sunt enim aquæ pluuiales lucidæ & claræ, subtiles, leues, & sapidæ, & sanæ animalibus, & seminibus, totius terræ. Quæ autem ex niue resoluuntur, vel ei admiscentur, ieiunos admodum ledunt, stomachum percutiunt, & contrahunt, tussim gignunt, dẽtes stupefaciũtq;.

Quare sciẽda est natura aquarũ. Nã sapida in substantia, clara, pluuiosa, fontana, & cisternalis purgata, aeris Orientalis, leuis, cito alterabilis bona est. Non enim grauat, cito cibum exit. Ad sciendum autem quæ æqua sit leuior fac experimentum. Intinge pannum vnum in singulis aquis quas experiri volueris, & sic madefacti æqualiter, soli expone, & ille qui prius fuerit exsiccatus indicabit tibi illius aquam esse alijs leuio-

leuiorem. Sed de aquis, & earum bonitate, & malitia dicemus etiam multa in tertio vniuerso .f. mixto.

Noto tamen sic Constantinum dicere, quod ille qui frequenter bibit aquam frigidam non euadet frigidas ægritudines, saltem in senectute, Et quod aqua calida sumpta à ieiuno, eius stomachum lauat à ciborum fecibus, phlegma purgat, putredinem ventris discutit, mundat, & purificat soluendo ventrem, naturã alleuiat, & confortat. Sed eius frequens vsus nocet, stomachum enim remollit, digestiuam virtutem debilitat, & impedit, & sanguinem de naribus manare facit. Aquæ autem paludales, & lacunosæ pessimæ sunt, splenem enim magnificãt, hepar, & stomachum confundunt, cutem horridam reddunt, & materias febris inducunt, lapidesque gigniunt.

Aqua salsa ventrem mollit, intestina mordicat, & laxat, sępe tamen bibita desudando, & consumendo humorem, ventrem ligat, corpus constipat, scabiem desiccat, pruriginem sanat, & hydropicos iuuat, si bibatur ab eis.

Aqua sulphurea frigidas infirmitates debilitat, neruos calefacit, intercutaneos humores consumit.

Aqua alluminosa, & bituminosa infrigidat, & desiccat, sanguinis fluxum constringit, & sedat, & hemorroides curat.

Aqua transiens per venam ferri ventrem constipat, membra confortat, splenem deoppilat, apostema curat.

Aqua ex ære veniens humiditati subuenit, stranguriam stringit.

Aqua ex argenti vena veniens, refrigerat, & desiccat. Sed hæ aquę dandę sunt per modum medicinæ, & non potus.

Aqua fontis in potum sumitur, et solet esse limpida sordium maxime purgatiuã, sitis extinctiua, caloris refrigeratiua, locorum sibi adiacentium fęcundatiua, cum loca fontibus propinqua soleant esse magis graminosa, florida, & herbosa. In hyeme tepescit, in ęstate frigescit propter antiperistasim, solum habet eius aqua quod solet parum esse cruda.

Dicit autem Isidorus lib. 12. in Italia esse fontem, qui vlcera oculorum sanat, alterũ in Beotia qui ex vna parte memoriam inducit, ex alia abducit. Alterum in Aethiopia rubei coloris ex quo qui biberit, statim lymphaticus erit, & sic multa alia dicit hic non recensenda.

Tertio essent notandæ excellentiæ, pręstantiæ, & vtilitates aquæ, sed de his diximus in vniuerso cælesti, & elementari, & an sit elementum, purũ, & sincerum, an sit supra terram, & quam proportionem in profunditate, et circunferentia teneat, & quam figuram sibi retineat.

Ad argumentum igitur dicimus, quod maior valet de his, quæ dicunt perfectionem in natura. Naturæ autem aquæ repugnat propria figura, cum sua natura fluat, vnde ex trinseco termino terminatur, et figuratur.

QVAESTIO XXVIII.

Vtrum Oceanus sit pater omnium aquarum.

Videtur quod non. Nam Oceanus mare est, et non fons. At de quadam fonte dicitur Gen. 2. Nec enim pluuerat dominus super terram, & homo non erat, qui operaretur terram, sed fons ascendebat e terra, irrigans vniuersam superficiem terrę. Ergo Oceanus non est officina, sentina, & pater omnium aquarum.

Disputat Arist. de origine maris 2. Meteor. & Plutarchus lib. 3. de placitis, c. 16. contra antiquos. Nam Anaximander, & Diogenes existimauerũt omnem superficiẽ terræ primo fuisse aqua coopertam, sed aliquas eius partes

partes à Sole fuisse exsiccatas, & aqua priuatas, abeunte aqua vt plurimum in vapores. Aqua autem (dicebant) quæ remansit, mare constituit. Anaxagoras autem, & Menodorus affirmabant, quod cum terra ardore Solis calescit, sudat, & sudor eius est mare. Hæ autem sententiæ sicut ridiculæ sunt, in philosophia, ita inter seipsas se interimunt, vnde vanum esset eas rationibus velle reijcere. Distinguendum est igitur de duplici mari. Primum dicimus communi vocabulo Oceanũ, alio nomine dictum Amphitrite, & hoc non dicitur habere originem ab alijs aquis. Secundum dicitur particulare mare, vt mediterraneũ, Thirenũ, &c. & ista cum omnibus fontibus, & fluminibus magnis ortum ducunt ab Oceano. Nam Oceanus est veluti sanguis in animali, qui occulte per diuersas venas magis minusve latas per totũ corpus decurrit, sursum, deorsum, ante, retro, dextrorsũ, &c. Ita aqua ex mari permeatus terræ diuersos meat, & hic vel ibi per diuersos fontes, & flumina in superficiem terræ erumpit, & tandem in mare aliquod cadit, & illud cum Oceano copulatur. Et quamuis multæ sint aquæ pluuiales, quæ generent quosdam fontes, torrentes, & flumina, tamen hæ paruæ sunt, in ordine ad vastissimam quãtitatem aquarum maritimarum; Sed, & istæ tandem ad mare currunt, quia omnia flumina, & fontes mare pro patre cognoscũt, & omnia maria primum parentem Oceanum appellant.

Secundo. Notandum venit, quod initium marium, fluminum particularium, et fontium adinuenire possumus, inspiciendo ostia per quæ de terra eleuata ad irrigandam terram per diuersas partes decurrunt, sed initium Oceani inuenire non possumus, vnde tenendum venit tale mare à Deo esse creatum, et hoc esse illud mare de quo dicitur Genes. 1. Congregentur aquæ in locum vnũ, & appareat arida, & vocauit congregationes aquarum maria, i. primum mare vniuersale, alia particularia. Nam Deus constituitur vniuersalis causa totius orbis, & quo ad totum, & quoad partes, inter quas præcipuas habetur mare Oceanum, quod solet sumi pro elemento aquę, per accidens multis tamen vaporibus terrestribus permixtæ.

Tertio. Notandum venit, quod omne mare est collectio aquarum, tam dulcium quam salsarum, vt dicit Isidorus lib. 13. Sed dicitur mare, quia eius aquæ non sunt dulces, vt sunt illæ fluminum, sed salsæ, & amaræ. Vel secundum alios dicitur mare Aequor ab ęqualitate, eo quod ęqualiter sursum est, nam & si in tempestate maris vnde in altum, & in profundum moueantur, tamen inquiete in ęqualitate permanent. Dicitur quoque Pelagus, quasi pellens vndas, quoniam in mare est fere perpetuus motus vndarum. Secundum autem Ambrosium, & Basilium in Hexam: mare est aggregatio aquarum multiplicata per diuersa loca, & nomina, sed tamen continue, & semper mota, vaga, sonora, spumosa. Mare caput est, et hospitium fluuiorum, fons imbriũ, quo discrepantes populi copulantur, subsidiũ in necessitatibus, refugium in periculis, itineris compendium, et laborantibus lucrum.

Quarto ergo notandum venit, quod mare multas proprietates habet.

Primo enim est perpetuum, et indeficiens, vnde et si per diuersas venas sub terra occultas transeat ad diuersa flumina, et in meridie ob calorem regionis multa eius pars in aerem cõuertatur, et insuper alia multa in halitus transeat, tamen indeficiens est, et æquale, quia flumina iterum in mare redundant, et in Septẽtrione vbi magnum est frigus magna pars aeris adensatur, et in aquã mutatur

mutatur, et cęlū per pluuias, niues, et grandines, ei aquas suas restituit, quas per halitus ab eo subtraxit.

Secundo. Est suipsius purgatiuum, quia vt dicit D. Gregorius omnia cadauera, et immunda à se reijcit, et omnia mortua discutit, et per motus violentiam expellit. O vtinam ita faceret anima contrita, propria peccata ad littus pęnitentiæ mittendo.

Tertio secundum D. Hieronymum super Ecclesiast. est per occultissimas venas sui ipsius diffusiuum, et tam fluminibus, quam fontibus materiā sui fluxus continue ministratiuum.

Quarto secūdum Rabanum super Eccles. 43. Ibi præclara, et mirabilia, opera, et varia bestiarum, etc. Et in Psal. Illic reptilia quorum nō est numerus, est animantium, et monstrorum multiplicis formæ productiuū. Mare enim (ait) longe plura producit monstra, et mira, quam faciat ipsa terra.

Quinto. In qualitate est molle, et tenerum, liquidumque, et tamen est durissimarum rerum productiuum, et generatiuum, vt patet in chonchylibus, et piscibus duræ testę, et in lapidibus, et gēmis quas producit. Nā in littore maris inter partes eius arenosas, diuersi lapides, et gemmę miręvirtutis procreantur, et arenatū attritu politę per vndarum maris motum ad littora iactantur.

Sexto. Quamuis quo ad gustum non sit delectabile, quo tamen ad effectum est vtile. Multarum enim infirmitatum, est curatiuum. Hydropicos enim sanat, vlcerosos, scabiosos, et alios multos.

Septimo. Et si in sua aqua sit salsum, & amarum, per dulcedinem tamen venarum terræ per quas transit, est sui saporis immutatiuum; per collationem enim terræ per quam transit, dulce fit. Aqua autem maris salsa est, & amara, quia in aqua maris sūt duos vapore, scilicet humidus, & siccus. Subtilis, & aquosus. Per lucem ergo, & calorem Solis ab aqua abstrahitur vapor subtilis, vnde remanet solum humor grossior, & hic per ardorem Solis efficitur salsum, & amarum, vt etiam accidit corpori nostro, quod vrina, & sudor salsa fiunt, et amara ex adustione sicut etiam conspicitur in lixiuio, quod cum meet per cineres, quæ sunt qualitatis siccæ, & adustæ, amaritudinem, & salsedinem contrahit. Per calorem enim Solis cōsumuntur partes aquæ subtiliores, & aquosiores; vnde remanent partes terrestriores, & sicciores, quæ necessario inferunt salsedinem, & amaritudinem. Hinc est, quod aqua maris grauior est quam dulcis, & ideo nauis profundius submergitur in aqua dulci, quam in amara, & salsa, quia ista sua grossitie nauē magis sursum tenet. Et ita ouum in aqua salsa natabit, & in dulci in profundum descendit, propter supradictam rationem. Et propter hoc idem, idest propter grossitiem, & terrestrietatem aquarum maris mortui, in eo nec animal mergitur, nec generatur. Naturale est enim leuis sursum ascendere, & grauis deorsum tendere, ex quo subtiliores, & leuiores partes aquæ maris sursum ascendunt, & in vapores abeunt, terrestriores autem, & densiores deorsum permanent.

Octauo. De salsedine ergo maris ista tene. Primum quod aqua maris de se non est salsa, cum omnis aqua sua natura sit insipida, vnde si aqua maris per arenam decoletur, vel per meatus terræ transeat purgatur, & subtiliatur, & sic à salsedine sua remouetur. Secundum est, quod vt diximus Sol, & sydera sua luce, & calore eleuant ab aqua maris partes subtiliores, & in pluuias reducunt, à profundiori autem aqua continuo auocant partes densiores, & terrestriores, quæ remanentes efficiunt salsedinem, & amaritudinem in aquis maris. Hoc comprobatum fuit

ex su-

ex sudore, & vrina, & lixiuio, & etiam ex sale, quia aqua maris conuertitur in salem, quia est terrestris, & densa. Alij pro signis addũt. Primo experimentum factum, quod aqua maris in fundo non est salsa sed dulcis, quia vapor grossior à virtute astrorum sursum trahitur, vsque ad superficiem aquæ, & ibi astra separando subtiles partes à terrestrioribus salsedo sursum manet, & deorsum aquæ quasi depurgatæ remanent dulces.

Causa autem, quod aqua quorundam fontium sit salsa non est illa, quam diximus esse in mari, sed aliunde prouenit, quia scilicet transeunt per terram adustam, & salitam. Nam secundum, quod aquæ per diuersas mineras decurrunt, sic etiam diuersas qualitates suscipiunt. Quare dixit Albertus lib. 2. Meteor. tract. 3. cap. 17. quod in Sicilia sunt quidem fontes acetosi, vnde incolæ vtuntur illis aquis pro aceto, & in Theutonia inuenitur aqua acris, qua incolę assumunt pro medicina laxatiua.

Et ita reperitur aqua amarissima, reddens amarum omne ab ea humectatum, quia transit per mineram æris cum æs generetur ex sulphure adusto, adusta autem sunt amara.

Sed instabit aliquis, quare aqua fluminum magnorum, & lacuũ aliquorũ, qui referunt quasi faciem maris non habent aquas salsas, cum tamen Sol sic illas aquas adurat, sicut facit etiã aquas maris.

Respondetur quod duo concurrunt in mare, quæ non reperiuntur in fluminibus, & lacubus, paludibus, stagnisque. Primum quod aquæ maris non exeunt littus, sed intra ipsum tãtum concluduntur, vnde firmius recipiũt adustionem Solis, & reddunt euaporationem partium subtilium, flumina autem perpetuo currunt, & perlacus aquæ decurrunt, vnde ex quodlibet lacu flumen exit, & ipsum etiã ingredi solet. Secundum est magna amplitudo, & vastitas maris, ex qua tota eius aqua radijs Solis feritur, & percutitur, & pars parti reddit adustionem. Hoc autem deficit etiam fluminibus non tam magnis vt mare, lacubus, & paludibus.

Octauũ. Est, quod piscium amabilium, & sanorum vt plurimum est productiuum. Vt enim dicit Ambrosius latentem dulcedinem in se abscondit, quem pisces suggendo optimum trahunt alimentum pro vtilitate aliorum.

Nono. Mobile est, & inquietum, & ex hoc iactu habet, quod non corrumpuntur eius aquæ, quia per motum partes eius subtiliantur, & purificantur; Nec tamen vltra littus decurrit, quia siccitate arenæ coercetur, & cum sit velut quodam corpus in se congelatum, & vnitum, non se diuidit concurrendo per partes, nisi per flumina, quæ sunt veluti quæda eius canales, & venæ.

Decimo est etiam ventorum generatiuum, pro quanto vt supra diximus vapores aquæ cum exhalationibus terræ permixti concitant ventos, & generant flatos.

Vndecimo. Non assuetis est nociuum. Timorẽ enim magnũ incutit, dolorem capitis affert, nauseam, & vomitum prouocat, & appetitum ante stomachi purgationem tollit. Habet enim naturam purgatiuam, vnde sicut in seipso non suffert immunda, nec morticina, ita nec in animali in eo nauigante sustinet abundantiam malorum humorum, ei similium, & stomacho, vnde compulit phlegma, & aquosa euomere, non vero sanguinem, nec atram bilem, quia sunt dissimiles humores.

Duodecimo. Est sui coloris mutatiuum pro qualitate ventorum flantium. Nam modo refert colorem flantium, modo luculentum, modo atrum, vt dicit Isid. lib. 13.

Tertiodecimo. Est multorum malorũ, & periculorum annunciatiuum. Nã

ex

ex fumositatibus quas per euaporationem emittit,& nebulæ,est nubiũ generatiuum, caliginis, & obscuritatis in aere inductiuum, radiorum solis interceptiuum, caloris solaris repressiuum. Modico autem flatu redditur procellosum,feruidum, & tumultuosum, vnde dicitur fretum, quasi sit aquarum furor,& fremitus. Hic autem nota primo Catonẽ adeo timuisse mare,vt dixerit. Numquã de aliquo doluisse, nisi quod vel secretum mulieri reuelasset, quia ipsa illud seruare non potest. Vel per mare iter fecisset, quod per terram facere potuit dicendo, quod dum in mari nauigabat,iudicabat se à morte non distare,nisi per duos digitos, idest, quantum lignum nauis erat grossum, & quod diem transigisset sine linea,idest,absque hoc,quod aliquid didicisset.

Secundo etiam non est nisi curiosum scire causam cur dum volumus significare magnum aliquod periculum nauigationis dicimus. Opus est me quasi trãsire per scyllam, et charybdim. In mari ergo siculo inangusto quodam loco ex vna parte est saxum ingens,in mari eminens,multa habẽs promunctoria siue capita, adque fluctus collisi faciunt horrendum strepitum,et hoc saxum dicitur schylla. Ex altera parte mare est voraginosum, et quasi in se reflexum, et tortuosum, et multis gurgitibus plenum. Quare si nauis ad hanc partem declinet,voragines ille ad se naues rapiunt,et degluttiunt. Si vero in alteram partem vadant, periculũ est, ne spiritus furentes venti naues in scopulos illos impingant, et frangant, & tãto magis, quod ter in die, fluctus erigit, & ter absorbet, nam vt dicit Isid.lib.13.c.de æstubus maris,& freti,aquas accipit,vt euomat, iterato vomit, vt rursum accipiat.

Datur etiam periculum Sirtis in mari Grece enim sirtis,latine dicitur tractus. Euenit enim in mari,quod non habeat vbique fundũm æqualem, quia in vno loco aqua est profundissima, & statim iuxta illum locum vix est vadosa, eo quod ibi arenæ in cumulos contrahuntur, & in hos dãtes naues periculum faciunt, & constringuntur.

Sed, & aliud periculum nauibus imminet,scilicet,quod per multa loca habet scopulos latentes,qui veluti ferrum eas scindunt, & rumpunt.

Insuper aliud periculum incurrere possunt,quod dicitur Bithalassum, scilicet, dum nauis multum onusta impingit in fundum multum bituminosum,& limosum. Propter enim limi tenacitatem tunc ibi ligatur, vnde nõ potest se ab eo eximere. Bithalassum enim secundum Hugonem,idem est, quod vestigium limo impressum. Quando ergo nauis in Bithalassum offendit, prora manet immobilis, sed puppis frangitur retro, maris impetu superuenientis. Magister tamen dicit in historia, quod Bithalassum est concursus duorum marium,& est quasi lingua terræ in mari protensa,hinc, & inde mari circundata.

Sed, & periculosum est mare, dum subintrantes vẽti in superficie aquarum, nimis tumidum efficitur,& vndis se allidentibus, & mutuo se concutientibus fit procellosum. Nam nauis multum periculose exponitur fluctibus ascendentibus, et descendentibus,quia sæpe aut concutitur, aut à procellis contrarijs aperitur.

Sed nec hic est finis periculorum maris,quoniam,et aura turbulẽta multum lædere potest nauigantes. Si enim mare sit tempestuosum, et cęlum obscurum,& caliginosum, magnum superstat periculum, et eo magis si formidatur de vento potenti versus terram impellente, vel cum altero fortiter in mari dimicante, res ad desperationẽ quam maxime accedunt,ne fluctibus nauis obruatur, vel in terram conteratur. Et hoc est magnum

magnum periculum nauis, vnde solent maritimi dicere. Salua me à ventis contrarijs, & à terra, & ego nauē secure saluabo.

Solent etiam instare pericula nauigantibus ex imperito gubernatore, & inexperto, & etiam ex vetustate, vel debilitate nauis, de quibus non est ad præsens.

Multas alias habet proprietates, & cōsiderationes mare, quæ singulare examen petunt.

*H*oc tandem dicimus, quod Oceanus secundum Isidorum totum globum nostræ terræ circundat, & girat, & dicitur Oceanus à celeritate, eo quod ocyus circumeat, & discurrat, vel quia purpureo colore nitet, quasi oceanus, idest, cęli circulus.

Ad argumētum autem dicitur. Primo quod fons proprie sūptus distinguitur à mari, late autem pro mari sumitur, vt in loco adducto Genesis, apud Conimb. in Meteor. Arist. trac. 8. c. 2. Sed D. August. Rabanus *Hugo* de Sancto Victore, & quidam alij illum locum sic interpretantur, quod antequam pluuiæ è cęlo descenderent, varij fontes à terra erūpebant, qui in vnum collecti, flumina, et mare fecerūt. Liranus autem, Eugubinus, & Lippomanus per hūc fontem intellexerunt vaporem à terra ascendentem ad effundendā pluuiam, & ad terram fęcundandam. Vnde est sensus illius loci, quod virentia omnia primum solius Dei imperio crescebant, & fructum faciebant, at Deus decreuit in posterum per aquas id euenturum, & futurū.

QVAESTIO XXIX.

Vtrum sint plura maria.

VIdetur quod non. Nam sicut se habent diuersæ venæ in corpore, ita se habent diuersa maria in orbe. Sed diuersæ venæ non faciunt plura animalia, sed vnum animal. Ergo, & plura maria, vnum mare constituent, & non plura.

Respondeo, quod de maribus dupliciter loqui possumus. Primo secundum naturam aquæ, & naturam maris essentialiter. Secundo prout à nobis describuntur, & denominantur. Primo modo possumus dicere tantum esse vnum mare, & omnia alia maria ab Oceano esse veluti riuos, & mēbra eius, vnde omnes, nisi aliud obstet retinent salsedinē, eundem motum, & alias proprias passiones. Secundo autem modo dicuntur plura maria, prout nobis contingit, à situ, prouincijs, regnis, &c. denominari.

Post Oceanum autem primum locum tenet mare mediterraneū. Oceanus enim primatum tenet, quia totā terram girat, & ambit. Secundo quia vastitate, & magnitudine omnia alia maria vincit etiam. Tertio quia omnia in ipsum fluunt, & ab eo incrementum sumunt. *H*oc mare Oceanum e Gaditano freto, & Herculis Columnis, quasi e portu egrediens funditur vndequaque per orbem, vnde diuersa nomina sortitur. Nam dicitur Oceanus occiduus, inquantum stat ab occidente. Acous vt humectat orientem. Æthiopicus ab Aethiopia, Athlanticus, Scythicus, Brittanicus, Germanicus, à monte Atlante, à Schythia, Brittania, à Germania, & sic de alijs locis.

Post ipsum ergo primus locus datur Mediterraneo. Hoc mare irrumpit ex Oceano inter columnas Herculis, idest inter duos montes, quorum vnus dicitur Abyla, & ponitur in Mauritania, & alter collocatur in Hispania, & nominatur Calpes. Mediterraneū ergo ab occasu ab Oceano fluit, in meridiem vergit, inde ad Septentrionem tendit, vnde dicitur Mediterraneum, quia per mediam terram vsque ad orientem perfunditur. Asiam diuidit ab Europa, & Africam. Diuiditur autem in diuersa

maria.

maria. Primus autem sinus qui in Hispaniam perfunditur Hybericus, & Balearicus appellatur. Deinde & Gallicus (est Isid. descriptio) qui Narbonensem Prouinciam alluit, post ligusticus, qui iuxta urbē Genuam est proximus, & vicinus.

Post est Thyrrenus, qui Italiā attingit. Inde Siculus, qui vsque ad Cretam à Sicilia vadit. Qui post in Pamphiliam, & Aegiptum se ostendit. Deinde per Helespontū versus Septentrionem magnis antractibus se retorquet, & tandem iuxta Greciam, & Illiricum in angustijs seprem ſta diorum constringitur. Deinde diffusus æquore primi cursus stringitur, & facit Propontidem, qui mox in 50. passus coarctatur. Fit autem tunc Besphorus Tracius, qui locus dicitur propontides, eo quod mare ponticum præuenit, & precedit. Idem dicitur Besphorus à transitu stricto, & angustis meatibus. Inde diffunditur sinus ponticus habens paludes meotides à tergo, quæ paludes tenent aquas dulces propter multitudinem fluminum in eas currentium.

Sinus autem maris dicuntur maiores recessus, vt in mari mediterraneo Ionicus ab Io: Rege Greciæ sic appellatus, Iones autem Athenienses dicūtur, vnde Ionicum mare à Ionia vsque in Siciliam dilatatur. Sinus autem Oceani sunt Caspius, Indicus, Ponticus, & Arabicus, qui & mare rubrum dicitur. Mare autem nostrum Adriaticum in cuius quidem fere medio sedet, quasi Regina ciuitas Venetiarum, ex Mediterraneo est.

Tertiū mare dicemus rubrum, de quo Plinius 6. ca. 23. dicit. Mare rubrum dixere nostri, Greci Erithreum à Rege Erithrea, aut vt alij Solis repercussu talem reddi colorem existimantes, alij ab arena, terraq; alij ab aquis talis naturæ. Philostratus lib. 3. vitæ Apollonij sic de eo loquitur. Rubrum mare valde esse ceruleum tradunt, denominant autem rubrum, vt ipsi perhibent à Rege Erithra, idest rubro, qui ex suo nomine mare appellauit. Varo dicit, in littore maris istius fontem esse, quem si oues biberint, mutant vellerum qualitatem, & antea candidæ, amittunt, quod fuerunt vsque adhaustum. Alij dicunt in hoc mari esse insulam cui, qui primus imperauit, rubro nomen fuit, ab eodemque nomine, mare illud nuncupatum. Alij dicūt tali nomine esse vocatum, eo quod sit roseis vndis infectum, sed talem non habet naturam, qualem ostendere videtur, sed ex vicinis litroribus viciatur gurges atque inficitur, quia omnis terra, quæ circūstat pelago rubea est, & sanguineo colori proxima, & vicina. Inde enim minium acutissimum excerpitur, & alij coloris, quibus pictura variatur. Vnde cum terra talem habeat naturam, ex fluctibus littus dissoluentibus, talis substantia rubrificatur, & ob hoc etiam in litoribus gemmæ rubræ inueniuntur. Nam huiusmodi lapilli humo inuoluti, cum inter arenulas sint attriti, maris colorem retinent, atque fundi. Hoc autem mare in duos sinus diuiditur. Vnus est Persicus ab Oriēte, quem Persæ inhabitant, alius ab occidente Arabicus, quem Arabes incolunt, & frequentant, vt dicit Isidorus lib. 3. At Lusitani, qui mare illud nauigauerunt, (apud Io: Bannum Indicarum rerū historiographum ca. 1. lib. 8. dec. 2) referunt, aquas eius rubrum referre colorem. Sed hausta aqua, & in naui posita, quam pellucidam, atque omnis ruboris expertem inuenerūt, vnde deduxerunt talem colorem emittere ex arena rubra, & corallis, quibus maris illius fundus scatet. Incipit ab Insula circiter Socotora, quæ latine dicitur Dioscoridis, terminaturq; ad Septentrionem oppido Sues, quod à latinis Pollidium vocatur.

catur. Habet longitudinis circiter. 350. leucas, in latitudine ad plus centum milliaria Italica tenet. A quibusdam vocatur mare Arabicum. Diuiditur in tres partes. Media dicitur mare latum, & nauigationem reddit securam de die, & nocte, quoniam in sua funditate habet 50. cubitos, & amplius, maxime ab Insula dicta Camuano vsque ad Suez. Aliæ duæ partes hinc, & inde ad Orientem, & Occidentem multis insulis repletæ sunt, & scopulis, vt nisi de declaro nauigari possint, & cum gubernatoribus practicis Quoniam in eo non intrant flumina magna non abundat piscibus. Portus sunt periculosi, ob multos circuitus quos facere oportet ad euadendum saxa. In capite est ciuitas antiqua dicta Sues, alias ditissima ob multos mercatores ibi concurrētes ex India, & Italia. Modo non est tātū diues, quoniam Lusitani exturbauerunt transitum, et Mecha ad se maiorem partem negotiorum rapit. Imperator tamen Turcarum ibi tenet quasdam triremes contra Lusitanos.

Mare Porticum, quod & sinus Persicus dicitur à Persis populis, nunc Menadim nominatur, habet longitudinis circiter 280. leucas.

Mare autem Hibericum egrediens ab Occidente intra columnas Herculis decurrit iuxta Hispaniam, Galliam, Italiam, Greciam, Ægiptum vsque Damascum.

Mare Caspium quod Parti Bachau, Tartari Chiualius, Comoria, & Cetucclani appellant, vnde originem habeat, dissident scriptores. Nam Plinius lib. 13. cap. 6 Solinus ca. 27. Mela. lib. 3. Strabo. lib. 2. Macrobius li. 2. de somnio Scipionis, & Martianus lib. 5. dicunt illud erumpere ex Oceano Scythico. Alij quos Strabo refert in vnum collegerunt Meotidem lacum, qui Tanaim recipit, & Caspium Mare. At Aristot. 2. Meteor. c. 1. D. Tho. ibidem. Herodotus, & alij dicunt illud ex nullo mari originem ducere. Intellige supra superficiem terræ apparenter currente, nā per cauernas terræ omnia maria ab Oceano debent procedere, sed vudique, & omni parte terra cingi, & vallari. Et ita Ptolomeus in sua Geogra. lib. 7. ca. 5. dicit mare Hircanum, quod & Caspium dicitur ab omni parte littoribus obsideri, et insulæ similitudinem ex opposito ducere. Et ita confirmant moderni nauigantes. Dicitur autem hoc mare Caspium, et Hircanum, quia iacet inter montes Caspios, et Hircanos. Herodotus tradit illud esse latum octo, et longum dierum quindecim nauigatione, at moderni mercatores tradunt ad 12. dies totum percurri. Nam Arabi tradunt in longitudinem solum habere 800. milliaria, et in latitudine 600 et ab ipsis vocatur mare clausum, quia vt diximus supra non habet cursum apertum, nec coniunctionem cum Oceano, vel alio mari. Multa tamen flumina in ipsum intrant, et apparenter multū ab eo exeūt. Sūt etiam alij qui in hac sententia, quod permeatus subterraneos in eo intrat mare Eusinum, quoniam à Caspio ad Eusinum sunt suo milliaria. Hoc tamē nō est credibile, quia amitteret transeundo per terram salsedinem. Flumina in hoc mare fluentia sunt Chessel, Geicon, Teuson, Corus, et Volga.

Mare Eusinum, idest mare (vt dicitur Maggiore) conficitur ex Oceano, et ex magnis fluminibus in ipsum decurrentibus, qualis sunt Tanai, Boristhenes, et Danubium. Inter Caspium mare, et Eusinum vltra Mediam sunt populi Giorgiani, et ad sinistram Mengrelij, et ad dexteram Circassi, idest Iberi, Colchi, et Zighi. Multa alia sunt maria de quib. prout erit necessarium infra dicemus.

Ad argumentum ergo dicitur, quod sic se habet mare Oceanum ad terram, sicut

sicut aqua ad totam terram, vel aer ad animal, quod cingit. At respectu diuersorum marium sicut sunt multæ venæ in animali, ita multa maria currentia per terram. Et sicut quædam sunt venæ magistrales, et aliæ ramusculæ, ita in terra sunt maria, lacus, et flumina, fontes, et torrentes.

QVAESTIO XXX.

Vtrum mare habeat proprium motum.

VIdetur quod non. Natura insensata determinata est ad vnum motum, vel sursum, vel deorsum, vt dicitur primo cæli. Sed mare in meridie sursum ascendit, dum in aerem conuertitur, et in Septentrione descendit, dum in glaciem congelatur. Insuper modo fluuit, et modo refluit. Ergo dicendum venit, quod ex sua natura non habeat determinatum motum.

Pro explicatione huius quæstionis notandum venit, quod sub triplici titulo potest disputari. Primo quærendo an vbi modo est terra, aliquãdo mare fuerit, et econtra. Secundo An mare secundum se habeat aliquem proprium motum. Tertio An ei conueniat ab intrinseco fluxus, et refluxus.

Quoad primum ergo dicimus clarum esse Oceanum non mutare, nec mutasse locum, quia semper circuit, et circuit terram. At loquendo de maribus alijs, respondent Phil. et Albertus maria particularia, et flumina mutare locum, si mundus in æuũ esset duraturus. Primo quia solũ Oceanum mare est tamquam in propria sphera, circundante terram, vnde istud non potest mutare locum. Omnia autem alia maria non vendicant sibi hanc, vel illam partem pro propria sphera, et consequenter possunt mutare locum. Secundo, quia sicut regna, et imperia transferuntur virtute cælorũ de gente in gentem, et de populo in populum, ita etiam respectu eorumdem, et multo magis possunt maria variare situm. Tertio quia experientia docet apud Albertum, quod ante tempora Philippi Regis Macedoniæ, quidam locus in Aegipto fuit ab aquis submersus, et deinde exsiccatus. Immo dicit Phil. quandoq; totum Aegiptum fuisse sub aquis, et modo sicca manet, et maxime circa mare rubrum. Et in magna palude Meotide facta est tanta imminutio aquarum, vt vix possit nauigari. Et in Olandia, et Frisia ad huc videntur turres, et campanilia sub aquis, quoniam in illis partibus multæ ciuitates sunt ab aquis obrutæ.

Hæc autem solent accidere inquit Albertus ex motu Solis, et coniunctionibus magnis planetarum, vel saltem trium superiorum, ex quibus sunt siccitates, diluuia, sterilitates, bella, et similia, de quibus vide Platonem in Timeo.

De motu maris proprio.

QVoad secundum dicimus, quod si verum est, quod nautæ Hispani referunt, mare ab Oriente, in Occidentem mouetur, vnde dum versus Occidentem iter dirigunt versus mũdum nouum, vno mense iter cõficiunt, vi, et cursu aquarum maris, quod vis redeundo ab Indis in Hispaniam spacio trium, vel quatuor mensium perficiunt, reluctantibus aquis in contrarium. Referunt etiam Lusitani apud Conimbr. in Meteor. Arist. tract. 8. ca. 3. eundem motum obseruasse dum à littore Africæ in Indiam contendunt. Nam transacto bonę spei promontorio, licet secundis fruantur ventis, cum prorã in ortum Solis obuertunt, ali quãdo tardius eunt, quoniam aquæ suo contrario fluxu nauem retardant.

dant. Et ita in mediterraneo, qui ex Hispanijs in Palestinam proficiscun tur plus temporis cõsumunt eundo, quam redeundo, ceteris etiam paribus. Causa huius motus ab ortu, in occasum creditur esse diurna conuersio cælestium orbium, quæ mouet aquas, ac simul secum rapit, procedendo de Oriente, in Occidente. Quod si ita est oporteret dicere per diem motum aquarum maris procedere de Oriente in Occidente; per noctem autem econtra, quoniã talis est motus cælestium spherarum. Et certe necessarius est aliquis refluxus de Occidente in Ortum, aliter Ocasus perpetuo motu aquarum in ipsum currente, aquis superaretur.

Sed hoc mirabilius videtur, quod in Oceano, et Mediterraneo etiam deprehenditur motus quo à Septentrione in Meridiem difluuit, vt testatur idemmet Arist. lib. 2. Meteor. cap. 1. dicendo hoc prouenire, quia fundus maris est altior versus Boream, quam versus Austrum, vnde aqua deorsum tendit, et tanto magis, quod versus Septentrionem in mare cadunt ingentia flumina, vt sunt Meotides, Tanaim. Eusinũ, Danubiũ, et alia plerique. Aliam etiam rationem videntur adducere Diui Tho. in eundem locum, et Magnus Albertus lib. 2. tract. 3. cap. 6. quia scilicet ob magnam frigiditatem sub Arctico polo plurimum aeris in aquam conuertitur, at in Austro multa aquæ pars in aerem vertitur ob caliditatem regionis, vnde necesse est, quod abundantia poli Arctici currat ad supplendum pro deficientia antarctici.

Sed obijciunt Conimb. partem etiam sub Antarctico esse frigidissimam, et forsitan plusquam arctici poli, quia minorem copiam habet stellarum, quæ sua luce calorem ciunt.

Respondet Niphus, quod non sola conuersio aeris in aquam est causa illius motus, sed etiam descendẽtia terræ ab Arctico in Antarcticum. Sed hoc non est saluare rationem Alberti, & Diui Tho. implicite, vnde dicimus, quod & si sub Antarctico polo possit esse magna frigiditas, ex distantia Solis tamen, quia veniendo in Arcticum transit per meridiem, & torridam, quæ antarctico magis est propinqua quam Arctico, hinc fit, quod illa abundantia aquæ in torrida regione in aerem conuertatur, vnde aqua arctici, quæ ex distantia est maior, debet in illam partem declinare.

Aliqui tamen sunt in sententia Aristot. ibi non esse locutum secundum propriam sententiam, sed secundum famosum quendam modum dicendi. Et alij, quod hoc solum voluit affirmare in Mediterraneo, non vero in Oceano. Sed ista contradicunt expresse menti Arist. ibidem. Vnde dicendum est hoc in vtroque mari seruari, & si clarius in Mediterraneo appareat, quoniam cõstat Meotidẽ per Bosphorum Cimericum in pontum Euxinum fluere, & defluere. Et mare Eusinum per Bosphorum Traciũ in Propontidem, & propontidis per Hellespontum in Aegeum migrare, qui motus est de Septẽtrione ad Austrum.

Cardinalis Contarenus alium motum in Mediterraneo deprendisse nautas narrat. Nam inquit, quod qui legunt oram Dalmatię, Histriæ, & Illirij non sentiunt illum motum, nec percipiunt ab Oriente in Occidentem, sed in fine maris Adriatici ex opposita parte, vbi nostra hęc inclita ciuitas Venetiarum sita est, cõprehendunt mare flecti in meridiem versus Flamminiam, indeque declinare Apuliam versus aliquãtulum ad ortum Solis, vnde mare hoc nostrum Adriaticum videtur moueri in circulum, iuxta terrarum oras. Causa autem esse potest, quia vndę in littus impingentes, & impedimẽtum vlterius transeundi inuenientes,

tes, necesse est, vt flexuoso itinere in gyrum voluantur, & circulum motu imitentur.

Mouetur etiam mare, prout venti illud impellunt, sed hic motus non est regularis.

De motu maris per fluxum, & refluxum.

MOtus fluxus, idest versus terram, & refluxus, idest versus seipsum occasionem prebuit antiquis multa dicendi, & opinandi, pro qua re potest legi Plutarchus lib. 9. de placitis. cap. 17. Mela lib. 3. cap. 1. Laurentius Coruinus in sua Geograph. ca. 11. Mirandulanus lib. 1. de Exam. vanit. cap. 12. & eius patruus lib. 3. contra Astrologos cap. 15.

Omittendo, ergo opinionem stultam stoicorum, vniuersitatem creaturarum esse animal quoddam, quod habet narices in profundum Oceani, quod dum respirat fluuere facit aquas eijciēdo eas, & dū ad se trahit flatum, & ventum eas ad se reducit. Puerilia enim ista sunt. Sicut etiam quæ dicuntur ab Appollonio Thianeo, quod fluat, & refluat propter spiritus, qui intra ipsum sunt, & sub ipso, spirantibus enim illis (ait) fluit, & retrahentibus spiritib. refluit. Sicut est talis etiam opinio Tinei, quod hoc eueniat ex fluminibus, quæ per Cellatum montes in Athlāticum irrumpunt, quæ dum in mare currunt refluxum faciunt, & fluxum dum se retrahunt, Patet enim, quod flumina in mari cadunt, & non retrocedunt nisi in quibusdam locis. Idem dicimus de opinione Seleuci Mathematici dicentis, quod terra mouebatur, & occurrendo lunæ, vel recedendo causabat fluxum, & refluxum maris.

Omissis igitur his opinionibus. Alij dixerunt hoc prouenire ex eleuatione vaporum facta à Sole per quasdā horas tantū, sicut in febricitante datur accessus, & rẽcessus febris. His opinionibus relictis quid Arist. senserit videamus. Plutarch voluit Arist. sensisse falsē motum maris quē æstum multi appellant fieri à Sole, dicendo quod Sol fert secum quosdam flatus, quibus ingruentibus vndæ tumescunt, & sopitis residunt. Alij dixerunt voluisse hanc causam in Lunam retulisse in lib. de elementorum proprietatibus, qui tamen liber Arist. esse nō admittitur à multis. Vnde remanet dicendum, quod in hac parte sententiam Arist. ignoramus.

Remanet ergo, vt dicamus cum Ptolomeo lib. 2. c. 12. Cicerone lib. 2. de natura Deorum, Plinio lib. 2. c. 97. Strabone de situ orbis li. 3. Auerroe, Alberto, & multis recentioribus 2. Meteor. D. Thoma 2. d. 14. q. 1. ar. 5. & opusc. 14. de occultis operibus naturæ. Scoto in 2. d. 14. Albumazar lib. 2. motiui introductorij ad Astro nominca. Alensi 4. p. q. 103. memb. 1. Card. Contareno lib. 2. de elem. Leuino lib. 2. de occultis naturæ miraculis c. 41. D. Ambrosio lib. 4. *Hex.* cap. 7. & D. Basilio hom. 6. Hexam. quod fluxus, & refluxus maris attribuendus venit Lunæ. *H*oc quidem experientia docemur, & rationibus. Rationibus, quia multum est terræ propinqua, & supra humida magnā exercet potestatem, ex quo ostreæ, côchilia, cancri, & similia aquatica, crescente Luna crescunt, & ea decrescente deficiunt. Hinc Ptolomeus dicit Lunam procreare fœminas, & Solem mares, quoniam Luna est humida, & frigida vt sunt fœminæ, & Mares calidi, & sicci, v test Sol. Et Medici pituitam inter quatuor humores Lunæ adscribunt, propterea quod pituita, est aqueæ substantiæ. Ita cerebrum patitur multum a Luna, quia ei subditur, cum sit humidū, et frigidum sicut etiam est Luna. Vnde sapiens dixit. Stultus vt Lupa mutatur.

Pro-

robatur experientia. Nam sicut sunt quatuor cardines cęli scilicet Oriēs, Meridies, Occasus, et imum cœli oppositum nostræ meridiei, ita dū Luna ab Oriente ascendit ad meridiē, idest, ad medium cęli, quia ipsa tunc ascendit, & ita mare ascendit ad terram fluuendo, et quia per sex horas cum quibusdam minutis ab ortu in meridiem deuenit, ita etiam fit, vt tunc mare ascendat. Dū vero a meridie ad occasū descendit, videmus etiam mare à terra versus seipsum descendere, quod fit per spatium similiter sex horarum, cum quibusdā minutis. Dum autem à cardine occidu o ad imum cęli pergit, quia nostris Antipodis ascendit, etiam mare ad nos ascendit, at cum ab imo cœli vsque ad ortum descendit apud Antipodos nostros, ideo et mare a nobis descendit, ad seipsum accurrendo.

Et quia Luna non semper eundem aspectum cum Sole seruat, hinc est, quod etiam recessus, et accessus maris eundem ordinem, et modum nō seruat. Nam in plenilunio maiores sunt, quam Luna deficiente, vel magis imminuta lumine. Et insuper quoniam Luna ab vno ortu vsque ad alium consumit 25. horas, nam vna fere hora indiget ad conficiendos 13. gradus, ideo retrocedit per horam fere inæqualem, cum hora præteritæ diei. Hinc etiam fit, quod dum Sol per australia signa currit irradiando Lunam, magis facit crescere mare, quam dū peragrat signa Septentrionalia. Vnde magis crescit mare hyberno tempore, quam æstiuo.

Sed sciendum venit, quod fluxus, & refluxus maris secūdum diuersitatē locorum, & marium multas patitur diuersitates. Nam Macrobius in somnum Scipionis dicit Oceanum hunc ordinem seruare. Nam primo die crescentis Lunæ fit solito copiosior, quia tunc mare plenum est in summo, deinde minuitur secundo die, & sic semper minuitur vsque ad septimum diem, & tunc est in maximo defectu. Deinde crescit semper per 7. subsequentes dies, vnde in 14. die, quando Luna est plena mare iterum est in summo, & deinde per septem alios dies minuitur, vnde quādo Luna habet 21. dies, est adhuc in minimo, tunc deinceps ascendit vsque ad 28. & tunc est in summo iterum, & hunc ordinem perpetuo seruat.

Conimb. autem, & ipsi varias referunt mutationes accessus, & recessus maris. Dicunt enim quod in mari *Ligustico*. *Tyrtheno*, Narbonensi, & apud Barchinonem in Celtibria, & in Mexico ad Cubā, & vicinas insulas nullus aut paruus cernitur fluxus aut refluxus maris. Econtra magnus conspicitur, vt ad Begaram in plaga Indica secūdum Gangem, & fauces indi, in mari Gothico, Flandrico, Brtānico, Lusitano, & in mari rubro. Et sic æstus magis cernitur circa littora vbi aquæ sunt depressæ, quam in alto mari.

Reperitur etiam diuersitas in fluminibus mare intrantibus, quoniam flumina Lusitana æstu retrocedunt, & Athlantica minime. Tamisis in Britannicum regreditur ad fontes 50. milliaria, & totidem ferme *Betis* in Hispania.

Discrimen est etiam in tempore fluxus, & refluxus. Namque vt plurimum mare per sex horas crescit, & per sex decrescit. At Oceanus in faucibus Garumnæ in littore Aquitanię septennis horis fluuit, & quinquenis refugit. Ad Guineam Aethiopiæ, siue ad Erythreum Africæ promōtorium quaternis horis accedit, & octenis regreditur. Item est diuersitas magna in motus velocitate. Nam ad oram Guineæ tantus est impetus maris in fluxu, & refluxu, vt vix anchoræ tres sustineāt nauem, ne impetu aquarum allidatur. Et in littoribus Cambaiæ, quæ est in fauci-

faucibus, indibilis horis 30. leucas circiter accessu obtigit, & binis recedendo totidem detegit. Et ne incautos decipiat cimbalorũ, sonitu homines admonentur, quoniam fluendo mare tam velociter currit, vt celerius fiat, quam homines in fugiendo ipsum. Nec naues ibi commorari possent, nisi haberent lacunas ad eum vsum defossas, in quibus mare abeunte consistunt.

Sed est, & alia differentia, quod vt diximus non eadem hora fluuit, & refluit mare, sed singulis diebus fere vna hora tardius ascendit. Ad argumentum patet ex dictis.

QVAESTIO XXXI.

Soluens multa dubia circa superiora occurrentia.

SEd ei quæ diximus multas difficultates generant, & solutionem petunt.

Primo enim quæritur. An fluxus, & refluxus mari attribuendus veniat motui Lunæ, ita vt dicatur ascendere ad nos, dum ipsa ab Oriente in meridiem seu medium cęli ascendit, & descendere, dum ad occasum declinat, &c. Vel sit adscribendus diuersitatibus angulorum quos radij lunares constituunt, dum Luna existit in ortu, in meridie, &c. Ita vt sicut olla dum ei ignis supponitur ebullit vsque ad summum, & dum subtrahitur decrescit vsque ad primum locum. Pariter dum radij Lunares directe mare aspiciunt, aqua suo fluxu augetur, dum autem recedunt, ex occasu Lunæ mare minuitur, vnde dicēdum veniat, quod fluxus fiat à radijs Lunæ, & refluxus ex eorum absentia.

Secundo. Quæritur vnde possit prouenire tanta diuersitas accessus, & recessus maris, si motus Lunæ est vniformis, & ita irroratio radiorũ eius. Element. Nam causa vniformis, vniformem debet habere effectum.

Tertio. Quæritur an fluxus maris nascatur ex rarefactione aquarum, sic, quod dum vndę fluunt rariores euadant, & dũ refluunt ad inuicem condensentur, vnde sint densiores dum ad mare redeunt, quam dum ab eo fluxerunt.

Quarto. Quæritur cur aquæ fluuiales, & maxime quæ mari sunt propinquæ, non patiantur fluxum refluxumque.

Quinto. Vnde nascatur, quod quædam flumina ad mare currentia cũ mari fluuant, & refluuant, & quædam non.

Sexto. Cur non æqualibus temporum differentijs mare, fluuat, et refluuat, sed differentibus.

Septimo. Cur aliqua maria paruum, aut nullum æstum sentiant, & alia magnum.

Octauo. Quomodo aliqui putei quotidie augeantur, & diminuantur cōmunicato eis per subterraneas cuptas accessu, & recessu maris, & tamen non seruēt motum maris, quia crescente mare decrescunt, & decrescente augentur.

Nono. Quæritur. Quæ nam possit esse causa cur Euripus (est fretum, seu peraugustum mare, inter Aulidē Beotiæ portum, & Eubeam insulã) vnius diei, & noctis spatio septies recurrat.

Decimo. Quæritur cur mare tempore caniculæ reddatur obscurius, & crassius, vt Plinius memorat lib. 9. cap. 16.

Vndecimo. Vnde nascitur tanta diuersitas colorum in aquis maris?

Duodecimo. Quæritur an in terræ sinu sint maria occulta, & inuisa.

Decimotertio. Quæritur. An possint nasci in mari arbores, & fructices herbæque altissimæ.

Decimoquarto. Quæritur an aquæ salsæ possint dulcibus misceri.

Decimoquinto. Quæritur an mare in

 scri-

scripturis significet bonos, vel malos homines.

Decimosexto. Quæritur An possit reperiri mare dulce.

Decimoseptimo. Quæritur Vbinam maria sint profundiora in Oriente, Occidente, Meridie, vel Septentrione.

Decimooctauo. Quæritur an imum seu profundum maris in aliquo loco spectari possit.

Decimonono. Quæritur an insulæ maximè fuerint in medio maris à Deo creatæ, vel aliquo casu emerserint.

Vigesimo. Quæritur cur, & tanti scopuli in mari reperiantur.

Vigesimoprimo. Quæritur An fuerint quandoque maris inundationes supra terram.

Vigesimosecundo. Quæritur An aliquando maria sint exsiccata.

Vigesimotertio. Quæritur quomodo vnum mare vocetur mortuum, & qua ratione, quasi alia sint maria viua.

Vigesimoquarto. Quæritur an à mari possit excitari flamma, & surgere ignis, qui incendat.

Vigesimoquinto. Quæritur an mare possit gelu constringi.

Vigesimosexto. Quæritur An omnia maria nauigari possint.

Ad primum respondet Iauellus in Meteo.epit.44.c.6. quod fluxus, & refluxus maris potius sit adscribendus radijs Lunæ, quam motui, neque rationem adducit. At Albumazar, & Cardinalis Contarenus censent motui Lunæ esse dandum fluxum, & refluxum, quia etiam tẽpore noui Lunij, & quando Luna parum lucet, vel sub terra iacet, videmus eodem modo æstum maris esse, sicut quando lumine suo mare collustrat, sed & occidendo radijs suis mare ferit, & si ex aduerso, sicut fecit dum oriebatur.

Ad secundum dicitur, quod causa vniformis habet vniformem effectum, nisi impediatur. Ita autem est, quod omnia maria si essent in eadem dispositione eodem modo sustinerent æstum maris. At quoniam quædam habent littora alta, quædam depressa, quædam habent motum refractum, & quædam non, quædam sunt quibusdam ventis exposita impellẽtibus aquas, vel non. Adduntur diuersi cælorum influxus, & stellarum in particularia loca, quæ omnia possunt tantam diuersitatem inferre, quia actiones agentium, in passis secundum modum suarum naturarũ recipiuntur, vnde calor naturalis in muliere fęta generat lac, & non in alijs.

Ad tertium Card. Contarenus dixit vndas fluentes rariores esse, & refluuentes densiores effici. Sed hoc non videtur verũ, quia dum fluunt vna continuat aliam, & eam impellit, sicut etiã fit in refluxu; vnde causa non est reducenda in densitatem, vel raritatem vndarum, sed in motum, & virtutem attractiuam Lunę, quæ dum ascendit, secum aquas ducit, at dum descendit, sinit eas suo naturali motu ad propriam sedem redire. Primus autem motus dicitur naturalis vt aqua subijcitur Lunæ, & secundus pro quanto conuenit ei ex sua natura moueri deorsum, cum sit de natura grauium.

Ad quartum dicimus, quod sicut magnes nõ rapit ad se omne graue, sed solum ferrum, quia in illud habet singularem actionem, & virtutem, Ita Luna, etsi omni aquæ dominetur, particularem tamen tenet virtutem, & actionem in aquas maris, & non in aquis fluminum, vnde in marinis æstum causat, & in alijs nequaquam. Sed & potest esse causa, quod aquæ fluminum deorsum semper currunt, & non sua natura immotæ sunt, vt marinæ, vnde cum suo particulari motu gaudeant, non est necesse quod alio motu moueantur. Nam motus est aquis necessarius. Primo, quia immota de facili alterantur

rantur

rantur ab externo calore, qui est causa putredinis. Vnde minus sentiunt calorem qui sub Sole ambulant, quã qui sub eo immoti manent, quia aer frigidus eos melius ambit. Secundo, quia per motum aquæ purgantur, quare nec cadauera, nec putrida, nec naufragata corruptibilia sustinent, sed ad littus reijciunt. Dicit autem Plinius lib. 2. c. 98. quod mare clarius purgatur in plenilunio, & quibusdam alijs certis diebus, forsitan, quia tunc eius virtus, & calor magis viget, & valet.

Ad quintum dicimus, quod vbi flumina sunt rapidissima vel ex sua natura, vel ex casu, quia dum ad littora maris perueniunt magnum præcipitium faciunt, mare cum ipsis retrocedere non permittunt, & eo magis vbi debilis est maris æstus. Sed vbi lento gradu, & debili cursu in mare descendunt, & illud mare magnum æstum patitur, cum fluxu secum etiam aquas fluminum trahit, & eas æstum pati facit.

Ad sextum diximus tales differentias oriri ex sitibus locorum, ex altitudine, vel depressione littorum, ex motu flexuoso aquarum, vel directo, ex diuersitatibus locorum, ex influxibus singularibus cęlorum, & ex diuersis ventis flantibus ab vna parte magis, quam ab alia.

Ad septimum dicunt aliqui recentiores quasdã partes mediterranei paruum, aut fere nullum subire æstum, vt patet in Meotide, Euxinoque, ob impetuosum motum quem habent similia maria in partem oppositã, vt Septentrionalia in Austrũ, & Orientalia in occasum, quibus motibus diximus maria moueri. Sed si hoc esset verum in omnibus maris verificaretur, quod est falsum, & experientiæ aduersum. Omnia enim maria iam ante dicta similes motus tenent. Dicendum est ergo, quod ex singulatibus locorum, & marium dispositionibus, influxibus, & coniunctis hoc nascitur, quas adducere possunt, qui dispositiones locorum viderunt.

Ad octauum dicitur, quod diuersitas meatuum per quos aqua maris in illos puteos transit, & exit est causa diuersitatis. Nam si à mari ad puteos illos iter sit expeditum, latum, & rectum, crescunt crescente mare, & deficiunt eo deficiente. Si autem meatus, & criptæ sunt angustę, tortuosæ, & à mari remotæ, diuerso modo se habent, quia tunc aqua ad ipsos non descendit, nisi post lõgius tempus, & aquis decrescentibus maris, quoniam prius implebant vias, ne aqua in puteos transire posset, quod impedimentum cessat, aquis maris ad suum locum reuertẽtibus.

Ad nonum dicimus talem instabilitatem maris Euripi adeo animum Arist. in perscrutanda causa afflixisse, vt tedio, & fastidio penetrandæ causæ oppressus, diem vltimum clauserit, (vt communis fama est) vnde in prouerbium abijt, Aristoteles non habet Euripum; Euripus habet Aristotelem. Dicunt ergo Conimb. huiusce reprocicationis causam esse fluxum a latissima maris Aegei effusione in angustias compulsi, qui Cicladum subinde insularum multitudine, atque obice refunduntur, & quasi circulo redundant. Tum loci situs sub illa insula vastis cauernis anfractuosus, per quas more longo tractu præcipitans, sursum inuenio obice regurgitat, varios accessus, & recessus impetu illos multiplicat. Liuius tamen lib. 8. dec. 3. negat septuplicem istum æstum Euripidi, & dicit solum verti huc atque illuc in modum venti.

Ad decimum respondent Plinius, Bartholomeus Anglicus Ordinis Minorum, & Aulus Gellius ad Aristot. Problemata, quod hoc euenit. Primo, quia eo tempore propter magnũ calorem ima maris sursum consurgunt, & sic redditur mare obscurius

& crassius. Secundo, quia eo tempore venti Australes, & Meridionales quiescunt, vnde mare manet tranquillum, quod autem quiescit obscurius, & atrius videtur, quam id quod mouetur.

Ad vndecimum respondet Gellius, vt supra, quod dum venti Septentrionales spirant, quia ex locis altis veniunt, quasi in profundum in mari precipitant, vnde ille motus est de sursum in deorsum. At venti Australes, quia à loco imo ad altum tendunt, vndas in altum erigunt. Ex hoc autem fit, quod flante Aquilone, in imum descendente redditmare obscurius, & atrius, quia adensat vndas, & profundum conturbat. Spirante autem Austro, & in altum aquas subleuante eas puriores, & rariores reddit, vnde mare illico quod Auster cessat, apparet glaucum, & ceruleum. Petrus autem Martir in summa, & Andreas Corsalius tradunt in India reperiri lacteum mare, & aliud per viride, aliud ceruleũ, & aereo colori per simile, & hoc procedere ex fundo illorum marium, qui per accidens causat tales colores, quod & diximus supra de mari rubro, & Petrus Hispa. p. 5. cap. 15. narrat in Insula Cubauga alio nomine delle perle, noui orbis, quodã anni tempore cum alioquin semper vireat, tunc rubescit, quod Ostreæ sanguinem passim fundant.

Ad duodecimum dicendum, quod maria nota, & aperta famosiora, & nomine maris digna ponuntur solum à Prisciano, & nostro Bergomate in Caio Iulio Cæsare 30. Sed post cognitum nouum orbem multo plura sunt constituenda. Sed prçter ista in prospectu hominum posita vult Seneca natur. lib. 3. cap. 8. 19. & 30. Et lib. 5. cap. 14. lib. 6. cap. 7. quod multa sint alia maria in visceribus terræ abscondita, quæ tantam colluuiem aquarum in se colligant, vt non lacus, aut stagnum dici possint, sed re vera mare, veluti est Oceanus. Forsitan arridet huic opinioni dictũ Psal. Qui super maria fundauit terram, & super flumina prçparauit eam.

Ad decimũtertium respondet Plinius lib. 13. c. 25. affirmatiue, & quod in mari rubro nascuntur fructices, & Syluæ, abietes, & quercus, & lauri, & oliuæ, quæ fructum faciunt; & quod cum pluuit etiam in eo fungi enascuntur, qui postea sole tacti, mutantur in pumicem. Si hoc autem verũ est, (quod apud me est dubium) nasci oportet ex densitate aquarum, cum terra permixtarũ. Hoc vnum tãquam verum, & expertũ tradunt Petrus Martir, et Ouetanus quod in India est mare herbis virentibus, & florentibus implicitum, vt nauigari non possit, obsistentibus retium more, longissimis herbarum ramusculis. In hoc ergo herbæ vsque ad superficiem maris exurgunt, ibi coalescunt, & adinuicem complicantur, & supra mare extolluntur veluti arbores per quindecim palmos, & quo fluctus vertuntur, eodem motu germina omnia conuertuntur, pellunturque. Et tanta est reperta longitudo istarum herbarum, vt à radice ad summum cacumen ascendat ad palmos sexaginta, intra mare 45. extra 15. Et in hoc discrimine primus omniũ periclitatus est Christophorus Columbus, omnium qui nouum orbem perlustrarunt antesignanus. Debet enim esse imum illius maris multum crassum, & calidum, & ideo tam altas herbas producere.

Ad decimũquartũ indubie respondemus, in mari aquas dulces salsis misceri. Vnde si vas ceteum ore obstructo in aquam mittatur, & ab hora extrahatur, inuenietur aqua dulci repletum, quæ illius poros penetrauit, cum aqua dulcis sit subtilior salsa. Plinius etiam dicit lib. 31. cap. 6. nauigantes laborantes defectu aquę dulcis, vellera circa nauim expandunt,

dunt,quæ dum madeſcunt,ſi poſtea exprimantur, dant aquam dulcem.

Ad decimũquintum dicitur, quod impij ab Iſaia 57. mari comparantur dum dicit. Cor impij quaſi mare feruens, quod quieſcere nõ poteſt. Sed etiam denotat pænitentiam iuſtorum, qui amaritudine lachrymarum animam ſuam affligunt.

Ad decimũſextum. Diodorus Siculus reſpondet affirmatiue de quodam mari poſito prope inſulam in meridionali Oceano. Et ita de mari peruaco in nouo orbe dicitur apud Ouetanum Tom. 3. ſed illa dulcedo naſcitur ex quodam magno flumine nuncupato Maragnouius, qui ex affluuentia aquarum ſuarum dat illi mari dulcedinem ad leucas 40. Idem Petrus Hiſp. p. 5. cap. 2. dicit eſſe idem ſecus littora inſulæ S.Crucis in nouo orbe. Et Plinius idem affirmat de ſchytico mari. Hoc autem fit, vel vt diximus ex magnis fluminibus, quæ in mari currunt, vel ob fontium latentium ſcaturigines. Nam & omnia littora maris continere ſub ſe aquam dulcem vult Cæſar Coment. lib. 4. de bello Alexandrino.

Ad decimũſeptimum dicitur, quod illi qui à Cæſare p orbem miſſi fuerunt ad perſcrutandum maris profundũ (apud Priſcianum inuenerunt maiorem eius profunditatem eſſe in ſtadia 15. ideſt, ad bis mille fere paſſus recta linea, ac diametrali menſura. Sed Gregorius Reiſch inſignis mathematicus in ſua Margarita philoſophica lib. 7. trac. 1. c. 44. tradit quoſdam dicere deprehenſam fuiſſe maris altitudinem in quibuſdam locis ad ſtadia triginta, i. prope quatuor paſſuum millia. At Solinus c. 54. videtur dicere in quibuſdã locis profundum maris eſſe imperſcrutabile, nec vlla menſura attingi poſſe, vt apud Trapobanes, vnde naues nullis anchoris ſiſti poſſunt. At nos de his diximus in noſtro vniuerſo cęleſti. Olaus autem lib. 2. c. 10. ſentit in Septentrionali plaga maria eſſe profundiora maxime in Nouergia, & eo magis non procul ab Vlma vrbe Suetiæ, nam eius profundum nullis funium dimenſionibus vnquam attigi potuit.

Ad decimumoctauum. Reſpondet Ælianus, quod vbi nauigia maxima nauigant, & vltra 30. paſſus, non poſſit humanus oculus fundum maris intueri ob craſſitiem, & denſitatem aquarum maritimarum. At vrinatores, & natatores aliud dicunt, & affirmant ex imo poſſe videri Sol, Luna, & homines ſurſum ſtantes. Ratio autem eſt, quia ſuperficies aquæ eſt diaphana, & continua, vnde non impedit viſionem, ſicut nec ocularia faciunt. Nubes vero impediunt, quia antequam pluuiam mittant, terræ ſunt, & non diaphanæ, neque planæ, & continuæ, ſicut tunc fiunt cum aquam, vel niuem emiſſerint, & tunc lumen Solis non tollunt.

Ad decimumnonum dicitur, quod ſi loquamur de aliquibus inſulis indubie dicendum eſt, quod a Deo fuerunt in medio maris creatæ, ne maris vaſtitas maneret incognita, per portus enim inſularum, & propter commodum ipſarum multi maris vaſtitatem perſcrutati ſunt. Per diluuium tamen multas inſulas eſſe enatas tradit, Auguſtin. de mirab. ſcript. lib. 1. c. 7. & quædam in multis tẽporibus ſponte irrepſiſſe. Hinc Ariſt. 1. Meteor. c. 14. dixit quaſdam partes terræ ex aridis tranſire ad fęcunditatem, & quaſdam econtra, & interdum continens fit mare, & vbi erat mare, fit terra firma. Nam ſi ſydera aquarum inundationes generantia coeant ſimul, diluuia aquarũ emergunt; & mare ebulliendo terrã quo ad aliquam eius partem cooperit, & quo ad aliam detegit. Quare Delos, & Rhodos ex aquis denuo emerſiſſe (volunt multi) vltra Mel-

cha

cha emersit Anaphe, inter Lemnum, & Hellespontum Nea. Inter Lebedum, & Teon Alone. Inter ciclades Ihera, Therasia, Hiera. Ita quædam insulæ à continenti sunt auulsæ, vt Sicilia ab Italia, Cyprus à Syria, Eubea à Beotia. Bisbicum à Bithinia, & quædam aliæ. Et quasdam insulas mare coniunxit terræ, vt Antissam Lesbo, Zephirium Alicarnasso, Ethusam Mindo, Dorniscon, & Peruen Mileto, Narthecusam partenio promontorio. Aliqui etiam sentiunt mare Mediterraneum fecisse sibi iter inter columnas Herculis, & totum spacium terræ curren do iuxta Hispaniam, Galliam, Italiam, Greciam, Aegiptum vsque Damascum occupasse, quod tamen fabulosum censetur.

Numerum autem Insularum insigniũ facit Priscianus, & cum eo Bergomas noster 72. Sed hi non viderunt innumeras fere insulas noui orbis, nam Nicolaus de Comitibus dicit apud Iapones esse octo mille insulas. Et Marcus Polus lib. 3. cap. 37. commemorat in indico mari numerari 12. millia insulæ.

Ad vigesimum dicendum, quod tot scopuli nascuntur ex inæqualitate profundi maris, vnde dum in vno loco se deprimit, in alio assurgit, quia sicut in terra nostra aquis discooperta sunt imæ valles, alti montes, & plana multa, ita etiam sub mari sunt loca alta, ima, & plana. Sed & in mari sunt voragines, & ostia per quæ aqua sub terra pergit, in quib. si tractu aquæ naues impingunt, in ictu oculi absorbuntur. De quibus dixit Olaus lib. 2. cap. 7. multas esse in mari Nouergiæ. Sed & aliæ sunt quæ portas per quas sub terra pergunt habent angustas, & hæ naues magnas solum in circulum vergunt, sed non absorbunt, quia os non est illarum capax.

Ad vigesimumprimum iam diximus, sed & addere oportet. S. Hieronymum dicere in vita S. Hilarionis, quod post Iuliani mortem terremotus totius orbis accidit, maria egressa sunt terminos suos, Naues ad prerupta montiũ delatæ pependeruntque. Item Nicephorus lib. 10. cap. 37. narrat sub Iuliano Imperatore. Alexandriam Aegipti aquis esse inuasam, vt vsque ad tegulas domorum peruenerint fluente mare. Pariter narrat Nicephorus lib. 14. cap. 46. & lib. 17. cap. 13. sub Theodosio iuniore mare terminos suos exisse, plures insulas, quæ amplius nõ sunt visæ sepelisse, & ingentes pisces super humum mortuos reliquisse, homines, & animalia multa necasse, & innumera alia mala fecisse. Saxo etiam Grammat. in præfatione hist. Daniæ adducit Phrisios multis magnis innundationibus fuisse deterritos, & anno 1164. tãtam subortam fuisse maris turbationem omnem terram Phrisiæ, & Hadeleriæ aquis cooperuerit, & quod terrã omnem limosam, & palustrem Albis, & Visuagi reliquerit, et multa hominum multa suffocauerit. Et Nauclerus generat 41. sub finem tradit fere totã Phrigiam esse submersam, ob irreuerentiam erga Sacrosanctum Christo corpus, anno Domini. 1218. Vnde ad vsque hæc nostra tempora turrium vestigia, quiescentibus fluctibus conspiciuntur sub aquis. Et Langus Chron: anno 1287. dicit octuaginta hominum millia perijsse eodẽ anno, marinis aquis obruta. Idem de Olãdia narrat Guilel. Neubrig. Angli. hist. lib. 3. cap. 1. anno Domini 1175. 7. Idus Ianuarij, & anno 1420. Et idem alij narrant de Flandria 1136. de Constantinopoli 1509. 722. Istæ autem magnæ inundationes, vel prouenerunt à magnis pluuijs redundantibus per magna flumina in mare, vel à ventis sub aquis sufflantibus, & aquas in altum eleuantibus, aut à tumore maris impediente, vt aquæ fluminum in mari præ-

præcipitent; Vel à terræ motu sub aquis, vel à declinatione terræ prope mare, nam in quibusdam locis te net sub se cauernas vacuas, quæ si a terra superiori cadente impleantur, necesse est eam declinare, & descendere, & sic mare illam partem obruere aquis.

Sed hic est difficultas an possit diluuiũ aquarum fieri naturaliter, quod totam terram aquis tegat, sicut fecit tẽpore Noe, Deo aperiente cataractas cęli. *Huic* difficultati respondent affirmatiue Auicẽna ex Astronomis, & Seneca, lib. 3. nat. quæst. volentes, quod tandem consensu totius naturæ imbres magni de cęlo cadent, flumina magnum incremen tum sument, maria sedibus suis excitata percurrent, & aliæ aquæ subterraneæ subinfluuant, & aliæ circumfluuant, & omnes omnibus iungant, paludibus stagna, & ita omnes aquę facto agmine ad perniciem hominum conspirent. Scribit etiam Genebardus in sua chonographia tempore Enoc extitisse diluuium, quod tertiam partem terræ perdidit. Et complura alia referunt Cato in 2. fragmento de orig. Solinus in pol. hist. Fabius pictor de origine nubis Romę D. August. li. 18. de ciuit. Dei. c. 8. & 10. & Isidorus lib. 14. orig. c. 22.

Aduersam tamen sententiam habet Arist. 1. Meteor. c. 14. & ita tenendũ est non viribus naturæ, sed Dei tãtũ potentia diluuium euenisse, & euenire posse. Pro hac autem opinione habemus primo auctoritatẽ scripturæ. Nam dixit Deus Noe post diluuium. Nequaquam amplius maledicam terræ. Archum meum ponam in nubibus cęli, & erit signũ fęderis, inter me, & terram. Et Iob. 38. Quis conclusit ostijs mare, quando erumpebat quasi de vulua procedens, cum ponerem nubem vestimẽtum eius, & caligine illud, quasi pannis infantiæ obuoluęrem? Circumdedi illud terminis meis, & posui vectem, & ostia, & dixi vsque huc venies, & nõ procedas amplius, & huc confringes tumentes fluctus tuos. Ratione etiam probatur. Nam mirabilis ordo vniuersi postulat, vt omnia elementa ordinem seruent adinuicem, nullumque eorum extra spheram totalem suæ actiuitatis procedat. Alia autem est sphera terrę, & alia aquæ. Ergo vnumquodque horum debet stare intra terminos suos, si teneamus vniuersum non esse confusum, sed mirabili ordine dispositum, & ordinatum.

Si quis autem quærat, quid nam intelligẽdum veniat per illa verba Gen. Apertæ sunt cataractæ cęli, & facta est pluuia super terram. Eugubinus in suis recognitionibus. Oleaster in illius loci explicatione, Beda, & quidam alij putauerunt supra stellarũ cęlum esse veras aquas, iuxta illud Gen. 1. Diuisit aquas, quæ erant super firmamentum, ab ijs quæ erant sub firmamento. Has dicunt terram inundasse patefacto cęlo. At ista opinio non recipitur à D. Ambros. lib. de Noe, & Archa c. 14. Ruperto lib. 4. in Genesim c. 20. D. Tho. in Psal. & in Gen. Lirano, Abulensi, & alijs de quibus diximus in nostro vniuerso cęlesti. Dicitur ergo quod supra firmamentum non sunt aquæ elementares, sed cęlestes, admodum crysthali. Et quod per cataractas cęli intelliguntur nubes, quæ eo tẽpore Dei virtute effundebant aquas veluti flumina. *Hæ* autem aquæ quæ creuerant per 40. dies excreuerunt super cacumina altissimorum mõtium per 15. cubitos, decreuerũt tandem absortæ à siccitate naturali terræ, & in specubus terræ se conglobauerunt, vel Dei potentia in halitus transierunt.

Ad vigesimumsecundum dicit Strabo lib. primo, tempore Artaxersis adeo siccitatem inualuisse, vt laci, flumina, putei, & fontes aruerint, & ma-

ria re-

ria recesserint, & hinc factum fuisse, vt procul à mari visa fuerint vestigia, conchiliarum, naulum, & anchoratum. Et Mela tradit lib. 1. cap. 4. mare iuxta Scosium, & Vthisiam à suis littoribus longe recessisse. Et Plin. l. 2. c. 89. dicit Nycanda quodã insula Iouiæ, 200. nunc à mari abest stadijs. Syriten Ephesus in Mediterraneo habet Derasidas, & Sophoniam vicina, & Magnesia. Epidaurus, & Oricum insulę esse desierunt. Hæc Plinius. Dicit etiam in Ambraciæ decem millium passuum interuallo, & Atheniensium quinque millium ad Pireum mare recessisse. Et ex Herodoto tradit mare fuisse supra Memphim vsque ad Æthiopũ montes.

Mirãdum est etiam quod tradit idem Plinius lib. 2. cap. 88. iuxta Cretam emersisse de mari insulam 1500. passuum, cum calidis fontibus, & alteram ab Olympiade 143. anno 3. in Tuscesinu flagrantem cum violento flatu, & circa illam magnam ad fuisse multitudinem piscium fluitantem, & cito expirasse. Sed de his diximus etiam supra.

Ad Vigesimumtertium dicitur, quod Metaphorice illa maria vocantur viua, quæ mouentur aliquo motu, vel per fluxum, & refluxum, mare ideo Gomorreheum merito dicitur mortuum, quia vt Metaphrastes tradit in vita Sancti Pionij apud Surium tom. 1. Februario nullis fluctibus exagitatur, nec alio motu mouetur, & de hoc mari cecinit Diuus Ciprianus sic.

Sic igitur cælo pariter, terraque sepultis
Nec mare viuit ibi, mors est maris illa quietis.
Quod nullas animat, per anhela volumina fluctus.
Quodque etiam patrio nusquam suspirat ab Austro.
Quodq; nequit perferre aliquam de gurgite gentem.
Aquas rumigerata leuiue cuti, vel cortice septam,
Vel crispam concham, aut duplici compagine clausam.
Solum illic propria mentitur fruge bitumen.

Ad Vigesimumquartum respondet affirmatiue Alphonsus Venerus Vasseus chron. Hist. anno Domini 939. dicendo. Circiter annum Domini 939. e mari ortus ignis in varias fusus regiones vsque Zamoram, multa oppida incendio absumpsit, & Possidonius testatur ex malis superficie ignem manasse apud Vulcanũ montem, aquas ipsas lambentem, sed hoc eueniet non ex natura aquę quæ est frigida, & humida, & igni calido, & sicco contraria, sed quia aqua recipit aliquid de limoso, & cenoso sulphureo, vt in supradicto mari accidit, apud Leandrum Albertum, quod in lapideam duritiẽ tandem (dicit) esse conuersum.

Ad Vigesimumquintum in dubie respondemus mare posse gelu constringi, & quod mirabile est apud Plinium in alto mari niues nunquã cadunt, & tamen altum mare gelu constringitur, quod si est, procedit, quia halitus maris non sunt dispositi ad niues, sed superficies externo frigore vehementi potest congelari. Petrus tamen Hisp. p. 5. ca. 17. vult in alto mari etiam cadere niues in Magelanico freto. Et de hac re diximus supra. Solum dicam quod anno Domini 1234. adeo mare nostrũ Adriaticum gelu obstrictum fuit, vt onustis iumentis fuerit peruium, id memorat appendix ad Scannaburg.

Ad Vigesimumsextum dicimus quædam maria penitus esse inauigabilia, saltem quoad aliquas partes, quia in quibusdam sunt scopuli, in alijs voragines, herbæ, plantæ, copia marinimarum testudinum, fluctus insuperabiles, vel caligines, vt habet illud

Illud mare quod est vltra Gotlandiam insulam, quod nullus vsque modo transire potuit ob impenetrabilem illius caliginem, gelu, & intensissimum frigus, in momento fere stringens classes.

QVÆSTIO XXXII.

Vtrum flumina, & fontes perhennes generentur in visceribus terræ ex pluuijs.

Videtur quod sic, experientia teste. Nã hyeme quia pluuiæ abundant, fontes etiam, & flumina ampliora redduntur. In æstate vero deficiunt fere, quia pluuiæ cessant. Item pauca sunt flumina, & fere nulla fons, vbi paucæ descendunt imbres, vt in Æthiopia, in interiore Affrica, & alijs locis, quæ Solis ardore torrentur. Contra vero Germania, Gallia, & Italia riuis, & fluminibus scatent, quia humido irrorantur cælo.

Circa præsentem difficultatem sunt plures modi dicendi. Nam aliqui apud Conimb. tract. 9. in Meteor. cap. 1. fuerunt in sententia, sub terra esse quosdam alueos, & quasdam cauitates aquarum pluuialium receptrices, quæ aquas terræ mittunt per flumina, & fontes.

Sed huic opinioni obstat. Primo, quod pluuiæ, etiam magnæ parum terram profundant, cum eius siccitate cito consumentur, vnde non possunt tot flumina, & fontes causare. Secundo, quia quidam montes saxosi perhennem fluunt aquam, quam à terra ebibisse non est dicendum, cum sint montes saxei, nulloq; corio terræ tecti. Tertio. Quia in locis siccis si putei per 200. aut 300. pedum spacia effodiantur, vberes dant aquas, ad tantam autem profunditatem aqua pluuialis pertingere non potuit.

Alij vero putant perpetuitatem fontiũ, & fluminum ex mari per occultos terræ meatus, & venas proficiscenti originem ducere. Sic tenent D. Basilius hom. 4. Hexam. D. Hieronymus ad 1. caput. Ecclesiastæ, D. Isidorus lib. 3. Orig. cap. 20. D. Damascenus lib. 2. fidei Orthodoxæ. cap. 9. Auctor libri de cognit. veræ vitæ. cap. 27. Hugo de S. Victore, in comment. Gen. ad illum locum. Fons ascẽdebat è terra. Et videtur fauere D. Thom. 2. d. 14. q. 1. & B. Magnus Albertus lib. 2. Meteor. tract. 2. cap. 11. D. Dionisius ad 8. caput prouerb. Plinius lib. 2. cap. 65. Philo Iudeus lib. de mundi Opificio, & alij multi. Hanc suam opinionem probant.

Primo. Quia magna est quãtitas aquarum ex fontibus, & fluminibus currentium, vnde videtur impossibile, quod tanta aquæ quantitas quotidie generetur ex vaporibus, & aere in visceribus terræ inclusis.

Secundo. Quia ex Ecclesiastæ. cap. 1. habemus. Omnia flumina intrãt in mare, & mare non redundat, à loco vnde exeunt flumina reuertuntur, vt iterum fluant. Si enim flumina à mari non exirent, maria exuberarent multum, & in terram currerẽt, dum flumina in maribus aquas mittunt, à mari per occultos meatus aquam iterum non recipiendo.

Nec valet arguere (aiunt) quod aqua de se grauis non possit sursum ascendere. Nam D. Basilius, Plato, in Phedone, & Plinius lib. 2. ca. 65. respondent, quod flatu sub terra concepto sursum impellitur. Vel, vt dicit D. Thomas hoc fit, vt aqua subditur motioni corporum cælestium, sursum aquam attrahentium, communis boni gratia, vt metallis, quæ in gremio terræ generantur, & animãtibus, & stirpibus, quæ haustu aquæ aluntur, tempestiuam irrigationem præbeat. Nam sic motus nõ est aquæ violentus, vt est mobilis à corporibus cælestibus ad bonum vniuersi, & si ex natura sua vendicet sibi cum alijs grauibus deorsum tendere. Vel vt dixit. M. Albertus aqua sursũ at-

trahitur à vaporibus in terræ cauernis generatis, vnde aquæ ad ora fontium ebulliunt, quia vapores has aquas quasi eructant. Vel vt alij dixerūt, quod cum aqua maris in istos specus, & cauitates terræ accurrat, necessarium est, quod his locis repletis, aqua vbi inuenit os, scilicet in superiori parte terræ erumpat, & quia iste fluxus maris in ista loca subterranea est perpetuus, ideo & flumina, & fontes sunt perhennes. Vel vt alij dicunt, quod cum terra sit porosa, & quasi spongia, suggit ab imo aquam, & terræ per multa foramina distribuit. Vel vt Seneca dixit, quia in terra sīt veluti multę venæ in animali, quæ loco sāguinis aquā mittūt.

Tertius modus dicendi fuisse videtur Aristoteles primo Meteor. cap. 13. dicētis aquam fluuialem, & fontanam intra sinus terræ, & loca cauernosa gigni, ex aere, & vaporibus in aquam solutis. Natura enim cum vacuum abhorreat, & in visceribus terrę sint multæ cauitates, specus, & cauernæ necesse est fateri, quod repleantur aere, omnia etiam durissima penetrante. Et eo magis, quod virtus syderum intra terram ex halitibus aerem format, & quia reperitur in loco frigidissimo adensatur, & in aquam conuertitur.

Probat suam sententiam. Primo. Quia flumina, & fontes ex aquis pluuialibus ortum non ducunt, cum non deficiant, supradictis deficientibus. Nec ex mari, quia mare nec deficit, nec minuitur. Ergo fateri oportet quod sint ex vapore, & aere incluso sub terra.

Secundo. Aqua maris est salsa, & fluuialis dulcis. Ergo non est ex aquis maris. Nec valet dicere, quod aqua maris pertranseundo per terram terra colatur, & sic fit dulcis. Quia ex siccitate, & exhalationibus terræ potius deberet reddi salsa, & amara, quam dulcis, & suauis.

Dicit ergo, quod sicut in aere sunt tres regiones, ita & in terra. Prima quæ prope cētrum est, ex sua maxima distātia nihil ea generatur. In secūda, quæ est media metalla generantur, & aquæ fontales. Tertia autem quā pedibus calcamus, pluuias suscipit, aluum fluminibus sternit, & plantas, animaliaque alit.

Sed contra hanc opinionem videtur esse, quod nihil generatur naturaliter extra locum suum. Media autem regio terræ non est locus aquæ, cum communior opinio teneat sphæram aquæ esse supra terrā. Ergo non potest in ea generari. Confirmatur. Quia si ibi generaretur, ibi non conseruaretur, vtpote extra propriam spheram.

Secundo ergo pro explicatione quæstionis dicendum venit, quod de origine fontium, & fluminum bifariā loqui possumus. Primo de communi, & prima. Secundo de aliqua, & quorundam, & proxima. Si de prima sit sermo, & principali dicimus, cū secūda opinione esse mare Oceanum, per venas, & cauitates terræ permeans. Hoc enim terram cingit, ab Arctico tendens per meridiem, Orientem, & Occidentem. Perpetuus enim fluxus aquarum, à terra irrumpentium oportet habere perpetuam causam. Hæc autem non potest esse pluuia, quæ sæpe per multum temporis deficit. Nec vapor sub terra inclusus, quia nimius esset, & magnam regularitatem sortiretur, quod non videtur credibile. Quare perpetui, & indeficientes fontes, et flumina, maxime si eandem quantitatem aquarum, vel parum differentem afferant tenendum est, quod à Mare Oceano primo procedant, vel ab alijs maribus, ex Oceano deductis.

Si vero sit sermo de quibusdam fluuijs in particulari.

Primo dico esse certum, quod sub terra sunt multæ, & magnæ aquæ, specus, stagnæ, lacus, & forsitā maria. Nam

tot

tot putei in terram effossi, tot scaturigines, & tot fontes e terra irrumpentes, indubium testimonium de hac re reddunt. Immo metallorum, & puteorum fossores experiuntur quandoq; tantam aquarum affluentiam, vt iam neque in profundum, neque ad latera progredi queant.

Ad hoc comprobandum facit historia Asclepiodori, Philippum Macedonum Regem multos homines gnaros demisisse in metallum vetus, & desertum, vt eius venas scrutarentur, illosque lucernis vsos, cum illud totum spatium subterraneum multis diebus obijssent, retulerunt vidisse magnos fluuios, et magna aquarum receptacula. Et Nicolaus Damascenus refert, tempore belli Mithrydatici apud Apameam Phrygię vrbem longe à mari distantem, nouos lacus, paludes, & fontes emersisse, & in his vnum fluuium salsum, qui magnam ostre rum, & maritimorum copiam effudit. Et fama est, in Caria circa Loruinā vrbem similem copiam aquarum emersisse, afferentem secum immensam animalium turbam, & piscium, qui videntes lucem perierunt. Et Card. Contarenus lib. 2. de elementis refert se apud Valentiam Hispaniæ vrbem sereno cęlo subitā inūdationē vidisse, quæ currendo contra ciuitatē, nisi clausis portis, & impedimentis positis eam in mare diuertisset, magnā calamitatem ciuitati erat illatura.

Secundo. *H*oc idem probatur, quia nisi aqua esset sub terra, terra ipsa sua natura sicca in puluerem redigeretur, & dissolueretur, vt dicit Plinius lib. 2. cap. 65. Vel introrsus non potuisset producere multa mixta, lapides, & metalla.

Tertio. Hoc idē ostēditur, q aterria die, à creationis initio mundi dicuntur à Deo deducti fontes, vt terram irrigarent, & fecundarent, animantibus potum suggererent, pabula educerent, aeremque salubriorem redderent. *T*erram adornarent, ac tanta fontium, & fluminum varietate gratiosiorem redderent. Vnde & Prouerb. 8. dicitur. Quando præparabat cælos aderam, quando ætera firmabat sursum, et librabat fontes aquarum. Hinc etiam dicit Rupertus, quod quatuor flumina quæ ex amne paradisi fluxerunt (de quibus Gen. 2.) duxerunt simul cum fluuio capite horum, ortum ex abysso. Et tamen adhuc alia flumina irrupeiūt à terra, et successiue irrumpunt.

Secundo pro constanti etiam habeo multos torrentes, et etiam flumina ex aquis pluuentibus fieri, quoniam solum tempore pluuiarum, vel liquefactionis niuium in montibus, inundant.

Tertio. Dico opinionem Aristot. esse etiam probabilem in multis fontibus, et fluuijs, quia cum aer sub terra in latibulis, cauernisque eius adefertur, necesse est, vt in aquam conuertatur.

Ad argumenta igitur omnia pro quanto officere possunt dictis nostris, modo respondendum est.

Ad primum ergo dicitur, quod probat quædam flumina, et fontes fieri ex aquis nubium, non omnes. Secundo dicitur quod pluuiæ possunt augere fluuios, et fontes, ortum ducentes à mari, non vero initiari omnes. *T*ertio dicitur, quod potest esse ne aliquando in magna siccitate fontes erumpant, non ex defectu marinæ aquæ, sed ex siccitate terræ aquas absorbente, antequam ad ora superiora deueniant. Vel quia aliquando meatus obturantur. Vel quia etiam venam à mari procedentem habent altam, et ideo nisi aquæ maris altæ sint, non immittunt in eam aquas, nam et mare decrescit sæpe vno tempore ex vna parte. Vel potest esse, quod tales fontes sint ex numero illorum, qui generantur ex aquis pluuialibus.

Ad primum cōtra primam opinionem ne-

negat Albertus assumptum, & dicit Senecam (cuius est argumentum) non fuisse peritum philosophum, cũ metallarij experimentum fecerint, aquas pluuiales in mõtibus per scissuras descendere vltra 320. passus. Et ita dicimus vbi terra solida est, & non habet venas, & porositates pluuia non multum descendet, sed vbi hæc habet vtique, & multum, & tãtum, quod non sistit donec solidum fundamentum inueniat.

Ad secuudum similiter dixit Albertus Senecam imperite loqui, quia considerauit solum saxum, durum, & solidum, & non locum vbi aquæ pluuiales supra montem coacernantur, scilicet in imo montis, vel alio eius receptaculo, à quo in altum deducuntur.

Ad tertium dicit hoc esse falsum. Intellige nisi ad talia loca sit aditus patefactus, prouterediblie est esse, quoniã pars terræ etiam solida incauernosam sudat aquam. Sed & dicitur, quod forsitan illa aqua est ex mari.

Ad primum secundæ opinionis non respondemus, quia manemus in illa sententia. Sed tamen dici potest hoc non esse incõueniens in quibusdam locis ex frigiditate ipsorum, & continua permutatione, & successione aeris.

Ad secundum etiam possent aduersarij dicere, mare terminos suos non exire, quamuis flumina perpetuo in ipsum intrent, quia multa quantitas aquæ resoluitur in halitus, & vapores, & flumina, & in respectu ad tantã quantitatẽ aquarum parum esse. Insuper pars illorum à terra absorbetur, & multis alijs modis imminuitur. Quia tamen scriptura dicit à mari flumina exire, concedendum est exire, vel occulte per venas subterraneas, vel per apertas vias.

De motu autem aquę sursum infra magis dicemus. Alij dicunt flumina à mari exire per ha licus, i. per aquam radicaliter, non formal iter.

Ad primum autem pro tertia sententia, vt videtur infringere secundam dicitur, quod mare non deficit, nec deprimitur, quia dum ex vna parte aquas tribuit, ex alia recipit, vnde datum, & receptum æquiparantur.

Ad secundum dicimus salsedinem maris collari per venas terræ. Nec improbatio aliquid valet, quia non omnis exhalatio amaritudinem generat, sed so lum illa quæ est adusta, & sicca.

Ad rationem dicitur primo, quod quãuis elementum aquæ habeat sphęram suam supra terram, tamen quo ad aliquas partes potest eam sub terra tenere, quia elementa sunt permixta. Nam etiam aer est sub terra. Secundo dicitur, quod nihil generatur extra spheram suam naturaliter, si secundum se consideretur, si vero vt dicit respectum ad totum vniuersum potest extra suum ordinarium locum generari, & virtute syderum conseruari, sic postulante necessitate ordinis vniuersi.

QVAESTIO XXXIII.

Vtrum aqua possit moueri sursum.

Videtur quod non. Omne graue mouetur non à medio, sed ad medium per Arist. 1. cęli. At aqua est grauis, vt dicitur ibidem. Ergo non sursum aliquando, sed deorsum debet moueri.

Diximus supra multos modos quibus DD. opinati sunt aquã sursum vehi, & ebullire quasi ex olla feruenti. Inter omnes autem modos magis placet ille, qui est. S.D. & Alberti Magni, scilicet, quod hoc fiat ex virtute syderum, & præcipue solis, tamquã ex prima causa.

Duplicem igitur huius consideramus causam. Primam dicimus esse lucem, & calorem syderum. Secundam calorem congregatum in quodam vapore calido in concauitati-

bus

bus terræ, ex motu, & calore sydenum, & in cauitatibus terrę retentum. Hic autem humor in cauernis terræ genitus quandoque exhalat, & quandoque non, sed detinetur in concauitatibus terrę, & quia proprium est calidi sursum ascendere, ideo ad superiores partes conscendit, & eas calefacit, & his calefactis incipit ad se trahere aquam, idest, vaporem illum in aquam conuersum in parte inferiori, vel alio modo ibi existentem, & tunc ebulliendo ex impetu vaporis sursum trahētis exit. Exemplum est. Accipias phialam, & os eius supra ignem ponas sic, vt excalescat intus, tunc ea excalefacta ponas supra vas aquę frigidę, tunc videbis aquam in phialam intrare, & implere, quod si tunc ex altera parte perforares fundum phialæ, ad te conuersum, aqua versus te efflueret. Ita fit sub terra, partes enim terræ concauę sint in monte, vel planæ sub se habente loca cauernosa, per penetrationem caloris cęlestis calefiunt, & pugnantibus caliditate generata à Sole, & frigiditate connaturali terrę, calor deorsum eijcit, frigidum aerem, vnde resoluitur in aquam, ipse autem ascendit, & sic secum aquam trahit. Et quoniam in ista terra in qua fons erumpit est superficies concaua, quæ est calida, & cōnexa quæ tempore hyemis est per antiperistasim calida idest, intra se claudit caliditatem aeris, hinc fit, quod aqua fontium in hyeme fumat, & est tepida, & in æstate est frigida, quia per eandem antiperistasim tunc frigiditas aeris expellitur ad hanc superficiem connexam, & sic per eam transeundo quamuis dū trahitur sursum retineat de caliditate, tamen transeundo per hoc medium modo fit calida, & modo frigida, sicut accidit aquæ apud nos, nam si transeat per canalem frigidum fit frigida, etsi per calidum calida. Hinc etiam frigidiores in æstate sunt fontes mōtium, quam paludussiorum locorum, quoniam aqua quæ per locum montis transit magis est densa, & stricta, & ideo tenacius tenet frigiditatem, & caliditatem, non sic terra locorum imorum, quæ est magis porosa, & rarior.

Ad argumentum ergo dicitur, quod aqua (vt supra etiam notauimus) secundum se deorsum tendit, sed vt subijcitur influxibus cęlorum, & ordini vniuersi sub vniuersali causa existenti, potest ascendere, immo de facto sursum ascendit.

QVAESTIO XXXIV.

Soluens multas quæstiones de fontibus.

AD plenam notitiam fontium, fluminum, & lacuum, singulares, & iocundas quæstiones de his occurrentes hic ponemus, & soluemus.

Primo ergo quæritur. An possint dari fontes in summis montibus, qui æstum maris imitentur fluendo, & refluendo cum mari.

Secundo. Quæritur cur aliqui fontes hieme exsiccentur, & æstate aquis abundent.

Tertio. Quæritur. Quomodo possit idem fons in vna eademque hora crescere, & deficere, vel bis tertia die, non sequendo æstum maris.

Quarto. Quæritur. An Luna suas vices etiam exerceat in fontes, sicut in mari facit, per refluxum, & fluxum.

Quinto. Quæritur, quæ nam sit ratio quod quidam fontes subito nascuntur, & quidam cito deficiunt.

Sexto. Quæritur an Deus per pueros mirabilia ostenderit in aquis.

Septimo. Quæritur an dentur pestiferi fontes, non ad vitam, sed ad necē ordinati.

Octauo. Quæritur. An iuxta fontes cali-

calidos, possint reperiri, qui sint frigidi.

Nono. Quæritur. An inter fluuiales aquas frigidas, possit exoriri fons calidus, & exire.

Decimo. Quæritur. An fontes possint producere bitumen, & picem, oleumque.

Vndecimo. Quæritur. An aliqua ratione aliqui potuerint dubitare, fontibus inesse sensum.

Duodecimo. Quæritur. An aquæ fontium sub terra agitentur, commoueanturque.

Decimotertio. Quæritur. An dentur fontes petras, & lapides generantes.

Decimoquarto. Quæritur, cur putei fontes non dicantur, cum tamen aqua in ipsis ebulliat.

Decimoquinto. Quæritur. An in scripturis per fontem, bonum sit intelligendum, vel malum.

Decimosexto. Quæritur. An dentur alia mirabilia apud scriptores de fontibus.

Ad primum respondetur affirmatiue. Plinius enim dicit lib.7.c.97. in Gadibus puteum esse altum, qui turbato mari augetur, & sedato minuitur, & alterum Oceani motibus cōsentientem. Et Ortellius in Hibernia dicit, in illa prouincia regione Connachia alterum esse in vertice montis, qui bis in die æstuat, & bis quiescit, quia mare ibi propinquum idem facit. Supra diximus rationē, quia scilicet generantur ex aquis fluentibus maris.

Ad secundum dicendum, quod quidā fontes hyeme exsiccantur, & æstate fluunt, & quidam econtrario æstate exsiccantur, & hyeme fluunt. Ratio primorum est, quod tēpore hyemis circa fontem terra est madida, & parum calida, vnde defectu caloris, & obstrictione terrę fons quiescit, at in æstate vrgente calore, apertis terrę meatibus aqua consurgit. Exemplum est in spongia, & pannis madidis, qui hyemali tempore minus exprimunt ex se aquam, quam ęstate poros aperiente, & per calorem magis agente.

Ratio secundorum est, quod locus horum fontium excauatior est, & magis receptiuus externi, vnde in hyeme per antiperistasim recipiunt calorem, & sic fluunt, & ęstate recipiunt frigiditatem, & sic deficiunt.

Quod vero vt Leander tradit in foro Iuliensi agro ad radices montium fontes sint, qui si serenum sit cęlum, leuiter, & modice fluunt, & si sit nubilū largiter, puto causam esse; quia sereno cęlo spiritus fontis leuiter exeunt, at eo turbato turbantur, & sic impetuosius procedunt.

Ad tertium dicendum factum esse verum, & in Pliniano fonte non longe à ciuitate Comi comprobatum (singulis enim horis crescit, ac deficit, vel saltem ter in die crescit, & decrescit) de quo legit Plinius epistola ad Surram lib. 4 Et Bocatius tradit in Tamaritia Cantabriæ esse alterum fontem, qui singulis diebus duodecies, & aliquādo vigeties siccatur, & redundat. Et de alijs similibus tradit Saxo Grammat. in Danię prefatione. Omnes putant causam huius esse regurgitationem. Nā intra illius terrę latebras, et sinus est plurimus spiritus, qui facile eruptionē quærit, aquę vero in eis non sunt perennes in abundātia, vnde illis deficiētibus spiritus eas nō mittit ad os fontis, et crescentibus expellit ad extra. Causa autem maioris, et minoris abundantiæ aquæ in tam pauco tempore esse potest fluxus earundem venient, ex mari, lacu, vel flumine per angustas portas. Nam quousque non creuerint vsque ad locum determinatum ad quem flatus subterraneus habet actionis vim nō mouentur, cum autem ad illum deuenerint, excitantur, et expelluntur.

Ad quartum Ludouicus Barthema de rebus Ind. lib. 1. c. 1. respondet affirmatiue

matiue narrãdo quod in Regno Cãrabriæ Indiarum Orientalium sunt quidam fontes, qui excrescunt, Luna deficiente, et ea plena deficiunt, Et Oliuetanus memorat, in quadam Insula noui orbis esse fontes, qui certis temporibus sunt dulces, et alijs amari. Putandum est ergo, quod motus lunæ magis lucentis congreget aquas, et adunet, in magnis ac vastis illis specubus, et cauernis subterraneis, nec fluere sinat, sua luce eis intra propria loca continentiam dando, et fluxum prohibendo. At ea deficiente, cessat etiam virtus eius intra per lumen diffusa, vnde fluũt. Possunt autem hæ aquæ dulces esse quibusdam temporibus, quoniam ex vno loco ad cauernam illã fluũt, et in alio ab alio loco salso, vnde in aquis apparet ista differentia. Vel potest esse, quod vno tempore misceãtur aliquo humore adusto ex syderum influentia genito, et in alio nõ, prout videmus etiam in hoc nostro vniuerso exteriori quandoque esse pluuias, aliquando niues, et grandines.

Ad quintum respondẽdo, legimus sub Theodosio Imperatore iuniore apud Niceph. lib. 14. c. 46. alicubi fontes subito exaruisse, et alibi copiosas aquas effudisse. Et Iacobus Cardinalis Papiensis, Platina, & S. Antoninus referunt, quod cum Boianum oppidum grandi terremotu quateretur, erupit ab ingenti rupe quæ illi supereminet, tanta aquarum copia, vt scaturigine, indigenas demerserit ad numerum 1300. sed modo suauiter fluuit, & ibi incipit amnis, & accidit hic casus anno 1456. in horribili terræ motu concutiente totum regnum Neapolitanũ, adeo vt facto numero eo occisorum varijs modis ascenderit ad 60. millia. Et ita tradunt alij scriptores anno 1356. accidisse prope Basileam. Et Seneca ex Theophrasto meminit in Corcyco monte, post terrarum tremorem nouos ingentesq; fontes emersisse.

Dicendum est ergo, quod quandoque fontes aliqui deficiant causæ sunt.

Prima terra quæ fit sicciot, aridiorque ibi, vt dixit Arist. 1. Meteor. c. 14.

Secunda causa erit terræmotus, qui dũ per defluxum terræ viam aquæ intercidit, ipsa gurgitans alium locum excundi quærit, & sic priorem fontẽ per priuationem exsiccat, & nouum producit.

Tertia (inquit Theopharatus) esse potest terræ durities, de nouo genita circa orificia fontium, nam illa durities, venas recludit, vnde aquæ nouum campum emergendi quærunt. Et hac de causa putat Arcadiã Cretæ vrbẽ fontes, & Lacus substitisse, abeuntibus alio incolis, terrãque mouere cessantibus, vnde cultoribus redeuntibus, terrãque aratro fodientibus de nouo, aquæ fluxerunt.

Quarta causa esse potest noua syluæ, arborumque procreatio, aut euulsio. Nam cum radices ad se trahant aquas (nisi ibi multum abundent) fontes exsiccant, vel minuunt, ipsis autem euulsis, & obtrũcatis, cum aquæ nullibi diuertantur, in fontes abeunt.

Quinta sit noua procreatio lacus, fontis, vel fluuij ibi, vel ex propinquo, vel putei, vel cisternæ, Nã aqua quę in fonte manabat, ad vnum supradictorum diuertitur, vnde non potest hic, & ibi supplere. Fiunt autem tales collectiones aquarum non solum sub oculis nostris, verum etiam in latebris terræ, quæ non omnes exeũt, sed tantum illæ aquæ quę sunt in loco apto ad calefiendum, & habendum spiritum, & flatum sursum pellentem.

Ad sciendum autem vbi sit aqua subterranea stans, vel decurrens, pro signis dederunt multa Vitruuius lib. 8. Architect. c. 1. Plinius lib. 31. c. 3. Palladius lib. 9. c. 8. & epistola Theodorici Ostrogothorum Regis primi apud

apud Casiodorum var. lib. 3. huius tenoris quo ad hoc particulare. Terris quibus dulcis humor non longe subest, vbertas quorundam germinum semper arridet, vt est iuncus aquatilis, canna leuis, rubus validus, salix lenta, populus vires, & reliqua arborum genera, quæ tamen vltra naturam suam fęlici proceritate luxuriant. Idem ostendunt lana sicca, & rudi cacabo tecta, nam si aqua ibi est subterranea, in mane erit mollis, & humida. Item dicunt alij, quod orto Sole, in columnæ speciem, tenuissimum quendam cerni fumum, qui quanta fuerit altitudine ad summum porrectus, tantum aquæ in imo latet. Seder de aquarū inspectoribus diximus in nostro vniuerso cęlesti.

Ad sextū respōdent affirmatiuæ Theodoretus in philotheo in vita. S. Iuliani Sabæ, narrās puerum in puteo cecidisse, & super aquas stetisse. Et Garimbertus in varia fortuna Cardinalium, tradit in sentinatū mare aquis suffocatum fuisse puerū, (qui postea fuit Cardinalis, creatus a Pio II. & vocatus Alexander Oliua) sed voto facto à matre reuixisse. Et D. Bonauentura in vita Sancti Francisci memorat in burgo Celano aliū puerum in puteo alto non perijsse, quia in eo cadendo dixit. Sancte Francisce, adiuua me. Sunt & alia multa exempla. Hoc solum dicam, quod in vltimis diebus Ianuarij apud Vercellas inter altissimas niues de nocte stans, omni nauigio ad trāseundum fluuium cum patre quodā Heremitano Concionatore, & puero, qui à patre aufugerat, & ad patrem humiliatus redibat, sani, & incolumes fluuium transiuimus, ignorando quantum esset profundus.

Ad septimū dicimus cum Plinio lib. 2. c. 103. quod in Beroso Taurorū colle tres fontes sine remedio, & sine dolore mortiferi sunt. Et cū Solino ex Marco Varrone c. 12. quod in Beotia puteus est pestilens, cuius liquor mors est haurientibus. Et cum Aristot. de admirand. quod fons magnus est apud Gclopes Traciæ, cuius aquæ puræ, & pellucidę videtur, quod si quis ex illis gustauerit, continuo moritur, & huic cōgruit, quod habet Plinius lib. 31. ca. 2. dum ait. Lycus fons in Leontinis tertio die interimit. Hoc autem non est difficile scitu, quia potest ex terra per quam transit mortiferam ducere qualitatem. Hoc mirabilius est, quod legitur apud Ortellium in Hibernia, dicentem in Hibernia in Connachia est fons (ait) omnibus animantibus mortifer, soli homini potabilis. Nam hoc non potest esse, nisi quia cum natura humana habet occultam simpatiam, cum sensitiua tantum antipatiam, nam & quædam arbores in vno loco crescunt, in alio moriuntur. Non est quoque sine admiratione dictum M. Polib. lib. 1. c. 18. quod in Cherma in Orientali prouincia, non procul ab Orenutio persidis, compertus est fons cuius aquæ sunt virides, ac prata ipsa, & salsæ, prægustatæ magnum corporis profluuium generant, quod & facit granum salis confectum ex eis, quod si quis illas bibat ad saturitatem, moritur. Et Martinus Crom. Polo. descript. lib. 1. dicit, quod in Lepusio Poloniæ est aqua pestilens, cuius non modo gustu, sed etiam afflatu animalia quæuis necantur. Et Plinius ex Varrone lib. 31. ca. 2. tradit apud Soractem montem nō procul ab Vrbe Roma fontem esse, qui Oriente Sole commouetur, ac ferueat, ex quo aues gustantes moriuntur. Et idem de simili fonte scripsit Blondus, & Leander addendo apud Politianum Etrurię vrbem esse fontem, cuius aquas oues potantes exanimantur quidem (idest, videntur exanimatæ) sed si in alias àquas demergantur, mox reuiuiscūt.

Hoc

Hoc etiam est admiratione dignum in Fortunatis insulis duos esse fontes, quod si quis ex vno bibit risu soluitur in mortem, sed si ex alio biberit sanatur. Hec habes apud Pomponium Melam. Potest autem esse, quod aqua vnius splenem dilatet multum, & sic risum causet, & alia constringat, & sic sanet.

De aquis fontis Pontinæ tradit Ælianus lib. 15. c. 25. quod haustu ab Equis sumptæ efferari eos cogit, & in rabiem inflammari. Et in Insula Chio est fons hebetans ingenio ex eo bibentes Plin. lib. 31. c. 2. Et in Sicilia apud oppidum Iusgum est alter, ex quo bibentes subtiliores sensus adipiscuntur. Et in Beotia duo sunt fontes, quorum alter obliuionem inducit, alter vero memoriam illustrat; Idem Plinius vt supra. Et in Germania trans Rhenum est alter, quibus aquis epotis intra biennium dentes decidunt, compages in genibus soluuntur, quod malum Britannica herba tollitur, & deluditur. Plinius lib. 25. c. 3.

Quod autem Solinus c. 9. & Isidorus lib. 14. c. 6. dicunt. Fontes Sardiniç habere aquas calidas infirmis medelam præbentes, furi cecitatem, si Sacramento furtum negat, & ex illis aquis bibat, vel oculos ipsæ tetigerint, superstitiosum censeo, nisi fiat diuina virtute. At de qualitatibus aquarum, infra alia dicemus.

Ad octauum. Respondetur affirmatiue, dicendo cum Strabone lib 12. & Pli. lib. 2. c. 106. & lib. 31. c. 2. qud in Cappadocia iuxta Argeum montē terra est feruida, cuius ignis solum de nocte lucet, & ibidem nascitur frigida aqua, & ita in Megapolitano agro ex monte ardente scaturit aqua gelida, & frigidissima. Et in Pyreneis montibus sunt aquç modo calidæ, & deinde paulùlum frigidç. Idē dicit Surius anno domini 1541. de quodam fonte apud Budam.

Hoc mirabilius est, quod sint fontes aquis frigidissimi, qui ignē euaporant occultum, supra quas si quis vestes expandit, accenduntur. Plinius lib. 2. c. 103. & Fulgos. lib. 1. c. 6. Idem legimus apud DD esse fontes qui cū sint frigidi faces suo occulto igne accendunt, & spiritu accensas extinguunt, & panes coquunt, Horū autem causa est conuenientia cū vno, & diuersitas cum alio, & permixtio aliqua occulta ignis cum frigido, per antiperistasim ad imum, vel ad aliam partem reducto, & per hęc patat ad nonum.

Ad decimū respondet Q. Curtius lib. 5. in vrbe Mesui magna quadam in specie, e fonte manare Bitumen, & Plinius idem dicit de bitumine Babilonico, & Strabo lib. 16. memorat iuxta Euphratem bituminis fontem esse, qui auctis niuibus, ipse quoque augetur, adeo vt in Euphratis alueū redundet. Et Ouet hist. lib. 17 c. 8. idem dicit de alio fonte in Insula Cuba, in nouo orbe. Et ita de pice habetur. Imo de alio liquore ad lucēdū in lucernis aptissimo apud Plinium lib. 31. c. 2. quod secūdum substantiam forsitan est oleum. Nam dari fontes olei consentiunt Arist. in monte Gonio dictionis Cartaginensium, M. Polib. 1. c. 4. & c. 28. in Giorgianorum limitibus, & in Scotia in Endimburgo.

Et de alio oleo ex fonte manante tetri odoris sed lucernis accommodatissimo, & vnguenti præbens beneficium in Perside, docet Iosaphat. Barb. c. 25. in Perside. Et sic in Italia apud Leandrum apud Puteolos, & apud Toccum oppidum.

Ad vndecimū dicimus omne dubium de sensu fontium irrationabile esse, quia cum careant anima sensitiua, sed & vegetatiua, non est qnod possint sentire, nec officio sensuum fungi. Quod enim fontes feruent vnū ordinem, vel alterent, non arguit propriam voluntatem, vel sensum, sed causam ordinatam, regularem,

vel non, vnde quod fons in monte Vesulo initium Padi quotidie æstiuis diebus exsiccetur, & fluat, & alter sit in Tenedo insula, qui à tertia hora noctis in sextam ab æstiuo Solstitio exundat, & quod alter sit in Iob qui colorem mutat quater in anno, faciendo se puluerulentum, sanguineum, viridem, & limpidum, tenendo ternis mensibus vnum colorem arguunt omnia ista, & multa alia similia posita à Simone Maiolo colloquio 13. Verbo Fontes, à quo plura de his excerpi, arguût dico naturam ordinatam in causa regulari, & inordinatam in irregulari Mirabilis est tamen fons Tungis Galliæ cuius aquæ igni admotæ turbidæ fiunt, & deinde rubescunt. Et alius in Halesina regione, qui quiescit omnibus tacentibus, & si tibiæ insonent exultabundus ad cantum eleuatur, & vltra margines intumescit, apud Solinum c. 10. Ratio tamen primi esse potest, quod aqua sentiendo ardorē ignis cum sit limosa, & terreno aliquo colore colorata ab intrinseco, subito quasi ebulliendo fit turbida, & deinde separatis partibus subtilioribus densioribus, appareat rubea. Ratio autem secundi erit, quod is fons à sinuoso latebrosoque loco manat, omnibus quiescientibus nō recipit in sinu, & latebris suis voces, cum autem insonuerint, spiritus in locis illis concitant, & sic aquę commouentur, eo modo quo videmus, quod si quis fistula insufflat in cacabum aqua oppletum, & quiescentē, tunc aqua exurgit, & commouetur, & idem inspicimus in Echo voces repetente, recipiendo eas in loco sinuoso.

Sed quid dicendum de fontibus Tamarici in Cantabria, qui siccātur duodecim diebus, aliquando vicies, alijs temporibus fluunt, sed si quis eos aspicere voluerit, non profluunt, sicut accidit Lartio Licinio legato post præturam apud Pliniū, & Bocaciū. Et de altero in Basilicam distante mille passibus à Senensi oppido apud Fulgosium lib. 1. c. 6. qui claras dat aquas illi qui ad eum accedit in silentio, nec retrocedendo, at si loquatur, vel retrocedat aqua subito turbatur.

Dicimus ad primum, quod forsitan Lartius Licinius ad illum accessit quando fluuere non debebat, vel factum fuit præstigio demonum, qui vigente infidelitate multum valebant, modo nō inuenitur talis fons.

Secundo dicimus posse esse vt qui ad eum accedit terram premat pedibus, & fluxum aquæ impediat.

Secūdo dubio dicimus vt supra, quod prouenit ex dispositione loci.

Ad duodecimum non est difficile affirmare affirmatiuam vt veram, cum habeamus expressum testimonium Arist. de hist. animal. lib. 17. c. 30. vbi narrat in Armenia excelsum esse montem saxeum, ingentem copiam aquarum exibentem, ex quo præcipitant sæpe pisces cubitali magnitudine, colore nigerrimos, aspectu nō insuaues, sed tactu mortales, quoniā omnem virum necant. Hoc autem esse non potest, nisi quia aquæ illæ magna concitatione turbantur in corde terræ, & sic impetu suo etiam pisces sursum impellant, qui tamen nati cum sint in aere, & aqua incongrua, & mala, pestilentem retinent qualitatem.

Ad decimumtertium respondet affirmatiue Leander, referēdo apud Volaterras Vlimenti Collis radicibus fontem manare, cuius aquis quicquid immergitur, post quintumdecimum diem saxeo cortice contegitur. Et ex monte Māto Foroiuliensis agri alterum fontem scaturire, in quem, vel ligna, frondes, & herbæ lapideo cortice obdurantur. Refert etiam Plinius lib. 35. c. 13. quod Cnydius fons dulcis est, sed in eo octo mensium interuallo iniecta terra lapidescit. Et lib. 31. c. 2. dicit. Sedet

in

in Scyretico metallo fons memoratur, quo quæcunque alluantur, saxa fiunt. Et in Eubeæ Delio sunt aquę calidę in quibusq; si saxa alluũtur in altitudinem, velut plantæ solent, crescunt. Et in Perpatensis fons est, qui quicunque riget, lapideam facit terram. Et in Euriminis alius, qui deiectas in ipsum coronas, reddit lapideas. Et Solinus c.29. alium memorat fontem in Affrica iuxta Ammonis ædem, qui humoris nexibus humum stringit, fauillam etiam in cespitem solidat, in qua gleba, nō sine miraculo (ait ipse) lucus viret, vndique siccus agris virentibus. Hoc idem confirmauit Isidorus lib. 13. c.13. Et Saxo Grāmat. præfat. Dan. hist. dicit, quod in Islandia insula sterilissima, & glaciali (est enim in Europa versus Arcticum ad occidētem) est quidam fons fumans, quo fumo omne tactum, in lapideam naturam mutatur. Et Ouellius in Hibernia memorat de alio fonte, in Hibernię Boreali Vltonia frigidissima, qui septennij interuallo iniecta ligna conuertit in lapidem. Refert etiam Leander fontes esse salsos, qui non admittunt ad sui profundum, quidquid in eis sit iniectum. Ratio omnium fontium in lapideam naturam iniecta conuertentium prima est, quod non intra, sed supra quasi corticem lapideam supra iniecta faciant ex sua crassitie, & humore viscoso ad duritiem, & soliditatem inclinato, prout multa quotidie videmus, quæ dura fiunt si alijs misceantur. Vel erit secunda causa quod illæ aquæ frigidissimæ sint, & consequenter a re iniecta calidiratem deducant, & frigiditatem cum siccitate coniungant, & sic videantur lapidea. Vel tertio potest esse vt eis sit aliqua qualitas influxa à syderibus ad hoc operandum, nam sicut generant metalla in visceribus terræ sua luce, ita etiam singulari quodam influxu in aquis possunt metalla generare, & lapides.

Ad decimumquartum dicimus, quod fons irrumpit naturę vi, puteus vero arte humana, fonsque solet esse initium fluminis, non sic puteus. Insuper aquæ fontis fluunt, & currũt, putei vero immotæ manent.

Mirabiles autem existimati sunt putei Aegypti apud Strabonem lib. 17. vt qui in æstiuo solstitio meridie à Sole illuminantur vsque in imum, vt in eis nulla vmbra appareat, quod pro uenit, quia ex diametro solem suscipiũt. Mirabilis est puteus in Eleplātina insula Nili ędificatus, & in vno saxo maxima profunditate excauatus, ex Strabone lib.17. Et in Suetia sunt putei tantum profundi, vt fune profundum ipsorum non possit attingi ex Olauo lib. 2. c. 10. Hi autē vel à natura sunt fabricati, vel ex aliquo terræmotu formati, cum ars illos non potuerit penetrare, quamuis non longe à Nilo legamus humana arte puteos confectos, continentes mensuram mille pedum. Et in Oruieto vrbe est alter cum Scalis in lapide duplicibus, miræ profunditatis. Miraculosus est ille qui in Palestina reperitur, ī quo stella quā magi viderant conspicitur, si hoc verum est.

Ad decimumquintum dixit D. Basilius Psal.7. hom. 13. ibi. Lacum aperuit, & effodit eum, quod nomen lacus in scripturis non bene sonat, vnde Ioseph dicitur esse positus à fratribus in lacum, cum fuerit positus in cisternam veterem. Nomen vero putei bonum sensum accipit, forsitan quia aqua lacuum non est potabilis, puteorum vtique. Nomen vero fontis solet bene interpretari, vnde Deus dixit, quod dereliquerunt fontem aquæ viuæ. Et dominus noster. Fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.

Ad decimumsextum dicimus multa alia esse mirabilia collecta a scriptoribus de fontibus, quæ nō sunt om-

nia recensenda. Tradunt enim in valle laci Cimini tot fontes erumpere, quod bacillos terræ tollis, quia sub terra est aqua. Nam vbi magna est copia aquarum, ibi possunt multi esse fōtes, vt in Portugallia in qua fontium perennium quinque millia numerantur.

Quod autem tradit Leander fluuium esse non procul à Neonia, qui numquam scaturire visus sit, nisi cum futura est annonæ penuria, pro causa potest habere, quod ex illis aquis, & melius ex subterraneis in propinquis nebula procedat, quæ segetes arefacit, & consequenter penuriam inducit. Quamuis enim humiditas temperata pro loco, & tempore opportuna mirabiliter adaugeat abundantiam frugum, excessus tamen eas tollit, prout necesse est dicere, eo tempore inibi aquas abundare, cum erumpant etiam in oculis omnium.

Ita ait Leander alium esse fontē apud Volaterras, qui si alte saliat, pluuiā futuram annunciat, si autem leuius serenitatem. Altior enim saltus designat Solem efficacius in halitus operari, atque multam copiam ad secundam aeris regionem trahere, ex quibus fit pluuia.

Habet etiam suam causam naturalē, quod reperiantur arbores aquarum profluuia exundantes, propterea quod subarboribus de facili aquæ congregantur, tum quia radices in profundum descendunt, & venas aquarum attingunt, tum quia ad se aquas pro suo nutrimēto congregāt, vnde, & ad pedes, & ex ramis etiā aquas effundere possunt, sicut de quadam arbore in insulis fortunatis in Ombrio cui modo nomen est Insula ferrea, dicit Petrus Ouet. histor. lib. 2. c. 9.

Difficilius id videtur naturaliter, quod legitur accidere in Hibernia apud Ortelliū in Hibernia, scilicet, quod detur quidam fons, qui solo tactu conuertat serenum tempus in nubilum, immo etiam pluuias exprimat. Dicere tamen possumus, quod motus aquarum per contactum factus potest causare exhalationem vaporum in aqua, quæ cito in pluuias soluatur.

QVAESTIO XXXV.

Soluens multas difficultates occurrentes circa flumina.

NOn desunt etiam multæ difficultates circa naturam, & accidentia fluminum, & fluuiorum accidentes, quarum solutio iocunditatem, & mentis eleuationem causabit.

Primo ergo quæritur. An possimus dicere eundem fluuium nos transire eundo, & redeundo, cum aquæ continuo fluant.

Secundo. Quæritur qui sint illi quatuor fluuij, qui ex paradiso terrestri manare dicuntur. Gen. 2.

Tertio. Quæritur quid nam spiritualiter possimus intelligere per quatuor illa flumina.

Quarto. Quæritur quæ, & quanti sint fluuij Europæ principales.

Quinto. Quæritur qui, & quot sint flumina Asiæ præcipua.

Sexto. Quæritur qui, & quot sint fluuij Africæ maiores.

Septimo. Quid de mirabilibus fluuiorum Americæ dicendum sit, & veniat.

Octauo. Quæritur de mirabilibus fluuiorum.

Nono. Quæritur vnde sit, quod flumina calidas habentes aquas non exsiccantur.

Decimo. Quæritur. An dentur fluuij quorum aquæ fiunt lapideæ,

Vndecimo. Quæritur. An dētur aquæ, quæ ebibitæ colorem immutent.

Duodecimo. Quæritur quomodo aquæ possint procreare serpentes.

Decimotertio. Quæritur quomodo

possint

possint aliquæ aquæ subito interimere.

Decimoquarto. Quæritur an detur fluuius, qui nihil aduehat, sed omnia quæ in ipso ponũtur, ad profundum descendere sinat.

Decimoquinto. Quæritur. An alia mirabilia dicantur de fluminibus.

Ad primum omissa opinione Heracliti dicentis impossibile esse eundem fluuium intrare, quoniam aquæ semper sibi inuicem succedunt, & non sunt eadem. Dicendum venit cum Aristot. 4. Phys. quod aquæ fluuij bifariam considerari possunt. Primo materialiter, vt sunt istæ, vel illæ aquæ. Secundo formaliter, vt talis fluuij, vel sit quæcunque alia res locata vt habet talem, & talem distantiã ad polos mundi, & centrum terræ. Primo modo non est idem numero fluuius, idest non sunt eadem aquæ, sicut nec est idem aer, qui perpetuo circa turrem volat. Secundo autem modo vtique, quia semper ille locus transitus aquarum seruat eandem distantiam ad polos mundi, & centrum terræ inuariabilem.

De Nilo.

AD secundũ respondendo oportet ante oculos habere verba Gen. 2. quæ sunt. Fons egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisũ, qui inde diuiditur in quatuor capita. Nomen vni Phison, ipse est, qui circuit omnem terram Heuilath, vbi nascitur aurum, & aurum illius terræ optimum est, ibique inuenitur Bdellium, & lapis Onychinus. Et nomen fluuij secundi Geon, ipse est, qui circuit omnem terram Æthiopię. Nomen vero fluuij tertij Tigris, ipse vadit contra Asirios. Fluuius autem quartus est Euphrates.

Isidorus autem dicit, quod Geon qui totam Ætiopiam cingit, & terram Aegipti irrigat, hodie vocatur Nilus propter limum quem trahit, qui efficit fœcunditatem. Phison est Ganges, qui à paradiso egrediens pergit ad Indiæ regiones. Hic fertur Nilo excrescere, & super terras Orientis erumpere. Tigris transit per Mesopotamiam, cõ tra Assirios procedit, & per multos circuitus in mare mortuum influit. Euphates per Mesopotamiam, & mediam Babiloniam influit, estq; gemmis copiosissimum. Mesopotamiam enim in quibusdã locis ita irrigat, sicut & Nilus Alexandriam.

Primo ergo dicendum venit de Nilo. De origine autem Nili multi multa dixerunt. Lucanus enim lib. 10. sui poematis dicit eius originem mortalibus esse imperscrutabilem, & ita Herodotus. Pausanias vero dicit multos non deesse, qui ex Euphrate terra condito, & postea supra Aetiopiam prodeunte caput ducere contendunt. Aristot. 1. Meteor. cap. 13. eum dicit oriri à monte Argiro. Ptolomeus credit fluuere à paludibus inferioris Affricæ, quæ aquam e mõtibus Lunæ, niuibus eliquatis recipiunt. Iuba inter alia, quę de Libicis rebus scripsit, memoriæ prodidit Nilum ad montem interioris Mauritaniæ, e lacu quem Nilidem appellant exoriri. Motus hac ratione, quod Crocodili, Alabetæ, Coracini, & alij quidam pisces, herbæque Nilo peculiares in eo cernuntur, & idem tradunt Mela lib. 1. cap. 9. Plinius lib. 5. cap. 9. Vitruuius lib. 8. cap. 2. & Solinus cap. 45.

Veritas tamẽ est, quod à Paradiso terrestri ortũ ducit, ipse enim est Geõ, qui circuit Aetiopiam, vt liquet omnibus. Dicunt tamẽ Conimbr. quod de Paradiso terrestri egreditur abscondendo se sub terra, vsque ad quendam lacum Affricæ in regno Congensi, & hoc esse obseruatum ab his, qui nostro seculo ea loca perlustrarunt. Alij idem docent scilicet iuxta Bonæ spei promontorium e terra emergere, vbi Antichtones degunt,

gunt, & in mediterraneum cadere, & semper ascendere adeo, vt à Nili de vsque Alixandriam sit dimensio graduum fere innumerabilium, & tamen semper vsque ad eam ascendit. Dicendum est ergo, quod descendat à Paradiso terrestri per immensa terrarum spacia, quia vna est sententia omnium peritorum, aquas tantundem ascendere, quantum descenderint.

Alij sic de eius origine dicunt. Nilum non oriri posse in dictione Prestegianni, vt aliqui voluerũt, nec vt dixit Ptolomeus à duobus lacubus positis æqualiter ab Oriente ad Occidentem, vt supra, quia in ea poli altitudine non est nisi lacus vnus inter duo regna, vt dicitur, di Angola, & Menomotapa habens in diametro. 159. milliaria. Moderni igitur dicũt vltra æquinoctialem per 12. gradus esse lacum vnum ex quo est Nilus. Hic lacus est vndique altibus montibus circundatus, & inaccessibilibus, & quidam ex his montibus dicuntur Salnitri, quidam argenti, & alij Casates. Ab hoc lacu sub illis montibus in alium decurrit lacum milliar. 200. sub æquinoctiali. Egrediendo autem ab hoc lacu declinat aliquantulum versus Orientem vsque ad insulam Meroe, vbi in duo capita diuiditur, sed reunitur cito, & circundando insulam duo magna flumina, nomen vnius Astapo, & alterius Astabora, & post longum iter peruenit ad catarractas Insulæ Sienæ. Hic se colligit inter profundas valles, in Aegiptum præcipitat, rigat, & fœcundat.

Hic fluuius multis laudibus extollitur, Dicitur enim origine fere incognitus, inundatione perutilis, cursu incredibilis, longitudine inscrutabilis, latitudine incomparabilis, fæcundissimus. Habet. Secundo, vt dicit Ælianus hist. animal. lib. 10. cap. 44. quod sit piscium messis, quia secum ducit magnam copiam pisciũ, & recedẽdo in loca decliuiora relinquit, & ibi capiuntur à piscatoribus vnde ait. Fertilior ea seges est, qua pisces metuntur, quam sint è frugibus satis messes.

Secũdũ mirabile in Nilo est illud quod diximus, quod tam longo cursu currat, et semper fere ascendendo contra naturam aquæ, quæ deorsum currit. Nam si Melæ credimus lib. 1. cap. 5. ab Antichonum regionibus vsque ad nostri maris alueum semper ascendens peruenit. Sunt enim Antichtones nobis oppositi in nouo orbe. Hoc autem fieri deprehenditur ex his quæ supra diximus, currendo sub terra per multa spacia, vnde conciliari possunt supradictæ opiniones inspiciendo primum, & posteriores ortus. Nam primus est à Paradiso terrestri, deinde apud nos primo videtur apud Antichtones, &c. Hic autem motus cum non sit naturalis aquæ, vt secundum se absolute cõsideratur, necesse est dicere, quod ei cõueniat, vt corporib. subditur cælestib. vt in eas aquas per singularẽ, influxũ cooperantur, conueniat. Nã sicut magnes ferrum trahit, ad se contra absolutam eius dispositionem virtute syderum, ita stella aliqua trahit aquas illas in altum, sic Deo prouidente ad mirandos effectus.

Tertium, quod antiquis multa dicendi occasionem tribuit. Nam Seneca lib. 4. nat. quæst. cap. 2. hoc attribuit diuinæ prouidentiæ ad irrigandam Aegiptum, quæ in ea parte, quæ in Aetiopiam vergit, paucos, aut nullos imbres sentit, vnde remaneret illa terra infructuosa, & sterilis, nisi Nilus supra se, se extollendo decem cubitis totam Aegiptum aquis suis irroraret, ac limo suo, quem secum copiosũ deducit impinguaret. Turbidus enim fluit, & crassus.

Sed maior difficultas est cur æstate fluat, incipit enim crescere post medietatem Iunij, & diebus 40. crescit, Sciunt autẽ per exuberantiam Nili

li Aegiptij, an in illo anno futura sit annoniæ abundantia, vel non. Nam ex opposito antiqui Cairi, in medio Nili quædam insula se eleuat, & in hoc est quædam fossa in quadrato 18. cubitis profunda, cum aquæ ductu per quem aqua Nili intrat. In medio autẽ istius fossæ est columna 18. cubitis ab aqua ordinaria alta. Dum igitur Nilus crescit, aqua etiã in ea fossa crescit, per cubitum, vel duos, & tunc signum omnibus mittunt crescentiæ Nili. Si crescit per 15. cubitos, diuinant anni fertilitatem. Si vltra, periculum est ne propter exuberantiam aquarum etiam habitationes absorbeantur. Si ad minus 12. cubitis se extollat, sterilitatem annunciat. Si intra 15. & 12. mediocritatem.

Incrementum ergo Nili versus Solstitium æstiuale, Thales attribuit ventis ex aduerso flantibus, eiusquẽ cursum in mari impedientibus, vnde dum aquæ reuertuntur suas metas transcendunt, & sic (aiebat.) Aegiptum inundant. Cum Thalete fuit Aelianus, & cum his Lucretius lib. 6. sui poematis.

Sed hęc opinio non potest stare. Primo, quia venti non seruant eandem regularitatem quam Nilus seruat. Secundo. Quia experientia compertum est, quod inundatio Nili fit aquis descendentibus, & non ascendentibus.

Veram igitur causam adinuenerunt noui orbis perlustratores. Dicunt enim, quod prope æquinoctialem (vbi Nilus oritur) per sex anni menses non pluuit, idest tempore hyemis nostri, quæ apud eos est æstas, ab initio vero Lunæ Aprilis vsque ad finem Augusti semper celum pluit, & magnis pluuijs, quare postquam arida terra pluuiæ beneficiũ suscepit, ea satiata euomit in paludem, & flumina propinqua, quæ exeundo alueos exuberant, & inde plana Aetiopiæ, Congi, Ghineæque inundant, & ita Nilus Aegiptum irrigat. Hoc enim etiam in Affrica accidit. Nã eodem modo in ea crescũt flumina dicta Niger, Zaire, & spiritussancti, & Zuuama, sicut etiam in Asia Pegù, & Menan, & in Europa Duina, & aquis suis loca adiacentia cooperiunt. Quod autem eo anni tempore apud eos, qui prope ęquinoctialem vitam degunt tot sint pluuiæ, & fere nulla in Aegipto referendum est ad corpora cęlestia, quæ in vno loco excitant imbres, & in alio siccitates. Habes ergo, quod incrementa Nili sunt prope æquinoctialem circulum, eo tempore quo apud eos est hyems, & apud nos æstas. Quare possumus dicere Nilum habere perpetuam lucem diei, & noctis tenebras, quia vbi oritur dicitur apud eos dies est, nobis est nox.

Abissini tamen apud Iouium lib. 18. hist. docent incrementum Nili à niuibus eliquatis prouenire, & pro ratione maioris, vel minoris caloris augeri.

De Gange.

SEcundus fluuius mirabilis de Paradiso egrediens, dicitur Physon, & hodie Ganges, de quo Solinus ita dicit cap. 53. Gangis latitudo per octo millia passuum, maxima per viginti patet, altitudo, vbi vadossimus est mensuram centum pedum deuorat. Et Plinius lib. 6. cap. 18. sic ait. Ganges vbi minimum fluuit, & non dum ad alios admissus est, altitudine est 20. passuum, latitudine vero, 80. stadiorum. Cum autem alij fluuij in eum influxerũt altius perfluit, 60. passus dilatatur, & diffunditur in 40. stadia.

De isto autem flumine ista mirabilia dicuntur.

Primo enim dicit D. Hieron. ad Rusti cum Monachum, quod à Paradiso terrestri multa genera pigmẽtorum deducit. Sic enim dicit. Ganges fluuius

uius quem Sancta scriptura Phison cognominat, quique circuit omnem terram Euilath, multa genera pigmentorum de Paradisi fonte, dicitur deuehere: Hinc credo ortum duxisse opinionem populorum regni de Bengala, (cuius Metropolim irrigat,) quod aquæ eius non solum sordes corporis tollant, verumetiam animæ feces abluant, vnde dum peccatis se inquinatos sentiunt, ad eius aquas pro aspersione cõfugiũt, soluendo gabellam principi. Primates supra eius ripas sepulchra sua ædificant, & Moscheas suas inter virides arbores, ac fructiferas; interquas vna est planta, quæ adeo suauem fructum producit, vt Mauri, & Hebrei, dicant illum esse, qui fecit peccare Adam. Inter ripas istius fluminis dicunt aliquas arundines tam grossas esse, quod homo non potest eas amplexari, & ex his vtres populi illi faciunt. Cadit in Oceano multis vijs, sed duabus præcipuis, quæ vocantur Catigau, & Satigan inter se distantes per 100. leucas. Magnus eius gulphus dicitur Gangeticus, hodie Bẽgala, omnibus Orientalibus notus. Initium suum apertum dicunt ab Vsfonte esse, sed necesse est, vt & ipse, & omnes quatuor fluuij à Paradiso terrestri egredientes per cauas subterraneas percurrant, & deinde in determinatis locis super terram nostram eleuentur.

Secundũ mirabile tradit Solinus. cap. 13. Plinius lib. 7. cap. 2. & lib. 9. cap. 3. quod habitantes prope Gangem solo odore pomorum viuunt. Verba Solini sunt ista, Gangem, qui accolunt, nullius ad escam ope indigent, odore viuunt pomorum syluestrium, quod si tetriorem spiritum forte attraxerint, exanimari eos certum est. Ideo longius pergentes eadem illa in præsidio gerunt, vt olfactu alantur. Hoc autem fabulosum esse censeo, quia odor non nutrit, sed tantum confortat, vt in nostro vniuerso elementari p. 2. ostendimus; quare credendum est, quod non solum odore pomorum, verum etiam gustu eorum pascantur.

Tertium est, quod in eo flumine sunt anguillæ trecentum pedum longitudine teste Plinio, vt supra, & Phantanisti pisces magnitudine cubitorũ quindecim. Et dicit vlterius, quod ibi sunt vermes re, & nomine ceruleì, quibus tanta est vis, vt raptos in ripis elephantes in profundum trahant. Tradunt Historici Cirum Regem indignatum ob demersum in illo eximium equum cum sessore suo diuisisse in 460. alueos annali labore, reddidisseque vadosum pueris, & mulieribus.

De Tigride.

Tertius fluuius e paradiso procedẽs vocatur Tigris, de quo Plinius lib. 6. cap. 27. dic dicit. Oritur Tigris in regione Armeniæ maioris, fonte cõspicuo, in planicie conciriatus, à velocitate Tigris incipit vocari. Ita appellãt Medi sagittam. Influit in lacũ Arethusam, omnia illata pondera sustinentem, & nitrum nebulis exhalantem. Vnum genus piscium ei est, idque transcurrenti non miscetur aluco, sicut nec è Tigri pisciscces in lacum transnatant. Fertur autem, & cursu, & velocitate, & colore dissimilis, trasuectus qui occurrente Tauro monte in specu mergitur. Subterque lapsus, à latere altero eius erumpit, eundemque esse manifestum est quod demersa perfert. Alterum deinde pertransiens lacum rursus in conicu los mergitur, & post 25. millia passuum redditur. Tam vicinum Arsaniæ fluuio in regione Arhenæ Claudius Cæsar auctor est, vt simul confluant, nec tamen misceantur, leuiora Arsenius innatat quatuor millium fere spatio, mox diuisus in Euphratem mergitur, Mesopothamiam per means,

meatis,& citra Babiloniam 120.millibus passuũ diuisus in alueos duos, altero meridiem petit, altero ad Septentrionem flectitur. Tandem rursum integratur, ac denique in lacus chaldaicos se fundit, eos septuaginta millium passuum amplitudine implet, mox vasto alueo profusus mari persico decimo ore. Hæc Plinius.

Solinus autem c. 38. tradit illum abundare sapidis piscibus, de reliquis cũ Plinio consentit. Strabo tamen affirmauit illum in alium lacũ influere, cui nomen Aranias, & quod cum ei superfluat, ob velocitatem non possit ei commisceri, & postea subterraneis locis subterfugere, & prope Colonitas emergere. Alij dederunt ei originem à monte Pariedro in Armenia maiori, vnde in prouinciam cum alijs consentiunt) à quo monte dicunt etiam Euprathen, Arasũ, & Gordium flumina maxima ortũ ducere, & supra hunc montem tot fluuiorum patrem tradunt archam Noe post diluuium quieuisse. Sed, vt supra diximus opus est altius procedere, & originem eius primam inspicere in paradiso terrestri, & fluxum subterraneum ei dare.

De Euphrate.

Plinius lib. 3. cap. 24. sic loquitur de Euphrate. Euphrates in præfectura Armeniæ maioris Cauranitide, vt prodidere ex ijs, qui proximo viderunt, fluitque per Armeniæ regiones, & Cappadociam vsque Taurũ montem, vbi duodecim millia passuum latitudine patet. Babilonem peruenit, indeque vsque in Persicũ mare, & Babilonem ad 42. millia passuum fluit. Et idem dicunt Nearchus, & Onesieritus. Habet magnam longitudinem, ita vt à Seleucia vsque ad Mesopothamiæ caput Euphrates nauigetur ad spaciũ vndecies, supra cætena vigintiquinq; millia passuum. Et à Seleucia vsque Mesopotamiæ caput, & ex Babilone vsque ad Persicum mare fluendo porrigitur ad quindecies supra cætena millia passuum, præter id quod à Seleucia interiacet, vsque ad ipsius Euphratis ortum.

Obstabit aliquis supradictis, quod sacræ scripturæ non consentiant. His dicitur ex sententia Isidori lib. 13. c. 21. quod ab initio mundi vsque ad nostra tempora factæ sunt multæ mutationes fluminum, & præcipue tempore generalis diluuij. Nam flumina quædam oppressa terris esse desierunt, quædam vi erumpendo emerserunt, & quædam cursum, & alueum mutauerunt. Hoc vnum pro certo tenemus, dicit D. Pater Augustinus lib. 8. ca. 7. quod omnes quatuor fluuij supradicti ex vno fonte terrestris paradisi incipiunt, & quod occultis deinde meatibus subterraneis postea dispergantur.

Ad tertium respondet D. Augustinus lib. 2. c. . o. quod per quatuor ista flumina è terrestri paradiso fluentia quatuor virtutes Cardinales intelliguntur. Neque Asia, & Affrica his quatuor fluminibus gloriari oportet, quia si illis datę sũt aquę fluuiales illorum fluminum, nobis datę sunt aquę spirituales virtutum, fidei, & sacramentorum Vnde Europę sunt reseruata maiora charismata & meliora.

De Fluuijs Europæ.

Evropa nostra, sicut videtur mater, & parens omnium Imperatorum, & Regum his nostris temporibus, ita etiam multa pręclarissima flumina in se colligit, de quibus modo breuiter dicẽdum est Achelaus hodie ex limpitudine suarum aquarũ dictus Asptoropotamus fluuius est Grecię. Nam in latere Orientali sinus Ambracij Acharnania sedet, & tranlacto hoc flumine in Etholiã

itur. Lepantum est insignior Etholiæ modo ciuitas. Alia flumina sunt Peneum, Alfeum, Ranifum, Tifoa. Eurotum. Inacum, Asapum, & alia.

Generaliter autem habendũ est, quod flumina Europæ sunt vt communiter dicuntur Acheloo, Ada, Adige, Adurro, Albis, Alfeo, Aliacmone, Alier, Amasio, Arno, Attona. Asopo, Auba, Anda.

Barbius, Baco, Bilbile, Bleua, Boiana, Boristheno.

Cefiso, Cidaro, Cimera, Cingo, Comioca.

Danubio, Deuuantia, Desna, Dordonna, Draua, Duero, Duina, Durenza,

Ega, Ehem, Eno, Eus, Epra, Esla, Euesta.

Fiore, Foglia, Fortore, Fermione, Fuctore, Fulda.

Gardon, Garigliano, Garonna, Guadelumar, Guadiana.

Haua, Hebro, Hers, Hiemiteno, Hiller, Huina.

Inaco, Ioir, Isara, Isero, Ismeno, Issel,

Lagaro, Lambea, Lambro, Lamentana, Labro, Lauaro, Latio, Lebrigatto, Lecco, Leita, Ligeri, Lemone, Lisonzo, Linenza, Lofanto.

Macra, Magra, Marna, Mena, Menzo, Merisco, Migno, Millars, Molta, Modego, Mora, Mosa, Mosuco, Mosella, Muer, Muenz, Muldao.

Narua, Natisone, Neccaro, Negua, Nemene, Nester, Nieme.

Odera, Ollio, Ofacto, Oneso, Onega, Orno, Ossa.

Panaro, Peuiso, Peneo, Pescara, Piaue, Pisuergo, Po.

Rausa, Reno, Risano, Rodano, Ruer.

Sala, Sacera, Saua, Schalda, Schelda, Sciarantia, Senna, Serchio, Sesta, Silaro, Senna, Serga.

Stiro, Stimone, Stura.

Tagliamento, Tago, Tanai, Tanaro, Tarno, Teia, Temesuar, Tenera, Termes, Tesino, Teuere, Teuerone, Tibisco, Tisoo, Tirrateno, Traulers, Tronto, Trasulo.

Vrbo, Vahal, Valo, Varta, Velisca, Vester, Vienna, Vinda, Vistula, Visurgo, Volga, Volegda, Vuerra.

Xenis, & Xucar.

Inter supradictos autem quidam sunt præcipui, de quibus aliqua sunt dicenda.

Magnum flumen in Europa, & in Italia est Padus, qui merito in Italia dicitur omnium fluuiorum pater, de quo Plinius sic dicit lib. 3. c. 16. Padus è gremio Vesuli montis fonte profluuit, condensque se cuniculo, & Forouiliensium agro iterum exoriens, nulli est amnium claritate inferior. Augetur ad canis ortum liquatis niuibus, agris, quam nauigijs torrentior, nihil tamen ex rapto sibi vendicans, atque vbi liquet agros libertate largior, trecentis millibus passuum a fonte, addens meatuum duodenonaginta, nec amnes tantum Apenninos, alpinos nauigabiles capiens, lacus quoque immensos in eum sese exonerantes, omni numero triginta flumina in mare Adriaticum defert. Eo admirabilior fluuius, quod nullus alius omnium tam breui spatio ratioris incrementi est, & quamquam deductus in flumina, & fossas, tamẽ quia largius vomit, septem maria dicitur facere. A grecis dictus est Eridanus, pœna illustratus Phetontis. Latini autem eum Padum dixerunt, eo quod circa fontem arbor sit multa picea, quæ pades Galice vocetur, ita Metrodorus dixit.

Danubius quoque magnus est fluuius, Ister ab alijs nuncupatus, & in Europa primatum tenere dicitur, quia vt tradiderũt scriptores 60. perpetuis, permaximisque fluuijs augetur, ac per septem ostia in Eusinum, hodie (mare maggiore) mergitur, retinẽs aquas dulces, & potabiles vsque ad 40. passuum millia. Bocatio teste. Aulus autem Gellius ex Saluftio sic de eo loquitur noct. Attic. lib. 10. c. 7. Omnium fluminum quæ in maria, quo Imperium Romanum est fluunt.

fluunt, maximum esse illud consentitur, proxima magnitudine esse Istrum scripsit Salustius. Eius origo in Germania est apud Senecam lib. 4.c.1. Est amplius, & profundius omnibus fluminibus Europae, & tamen aliquando gelu ita concretum est, imperante Marco Aurelio Antonino, vt Iasiga, & Romani collatis signis, & instructa acie super gelu mutuo dimicauerint, vt tradunt Dion, & Xiphilinus in M. Aurelio Non omittam verba Plinij de Danubio quae sunt lib.4.c.12. Danubius maximus Europae fluuius, qui ortus in iugis Arnobiae montis Germaniae, ex aduerso Raurici Galliae oppidi multis vltra Alpes millibus, ne per innumeras lapsus gentes Danubij nomine immenso aquarum auctu, vbi primum Illiricum abluit, Ister appellatus 60. amnibus receptis, medio ferme numero eorum nauigabili, in Pontum vastis sex fluminibus euoluitur.

Rhenus sequitur, perpetuo cursu Galliam à Germania dittermina. Surius autem Cartusianus in commēt. 1501. sic dicit. Basileam alluit Rhenus, amplissimum flumen. Is autem non longe ab Scafusia ciuitate Germaniae, obtinens altitudinem 40. aut 50. cubitorum ruit praeceps in imum, ita vt aqua omnis in spumam, & nebulam resoluitur, quod sane est aspectu horrendum. Ruit ex chararacta 75. pedum, & quamuis ibi abscondi videatur, mox tamē rursum amenus conspicitur, & nitidus semper fluens, vsque in Oceanum. Antiqui ob suam viriditatem cęlestem vocauerunt Iridē. Cōgelascit aliquando, & durissime, vt aequites, pedites, & currus sustineat. Vnū est hic cum Platone in phedo animaduertendam, scilicet ingētia flumina saepius sub terra se abscondere, & maiora flumina sub terra tegi, quam supra, quia ea quae sunt super terram facilius absorbentur, & in vapores abeunt, quam subterranea, & hinc est, quod in multis locis terra subtus personat, & ex terremotibus consurgunt flumina magna, lacus, & fontes apparent. Amon. Marcell. lib.15. vnum de Rhodano singulare dicit, scilicet, quod cum se ingurgitet paludi Lemanae, & eam inter secet, numquam tamen aquis alienis misceatur, & semper cęlestem refert colorem.

De Fluuijs Asia.

ASia sicut est vna ex tribus antiqui orbis pars magna, ita etiam multos, ac admirandos fluuios sibi arrogat, quorum nomina, communi lingua dicuntur.

Aich, Arasse.

Basin, Bare, Bindimiro.

Canac, Cantā, Cungerietor, Cacameā, Circan, Ciro, Curat, Chiesel, Druto, Euphrate, Ermo.

Gaico, Gange, Giordano, Halys, Iesdro, Iris.

Ilmento, Indo.

Mardo, Meandro, Meicon, Menan.

Regū, Roiisango, Riuo.

Ranga.

Sungario, Simoentio, Singa, Sirto, Siā, Scamandro, Sur.

Tana, Tanad, Tabo, Tessindo, Tintiro, Tigri.

Volga.

Tradunt etiam scriptores, non procul ab vrbe primaria Guinsai, Magni Chami iuxta chilense extare fluuiū patētē ad 20. passuum millia. Et altetum Dotalay non procul ab eadē vrbe Guimsai in angustiori parte patete ad 7. pass. mil. Et iuxta vrbem Simgui est flumen Quian, patens ad pass. mill. 10. & alluit vltra 200. vrbes, & est tantae longitudinis, vt diebus centum euagari non possit, & continet in ipsius vrbis Simgui portum, capacem 5. millium ingentium nauium, quas enumerasse se tradit Marcus Polus lib. 2. cap. 13.

Gaza est alter fluuius in Asia iuxta Malaccam, quem ad 15. passuum millia patere, tradit Ludouicus Barthema, rerum indicarum lib.3.c.17.

At inter omnes fluuios Asiæ Indus est Rex, vnde Basilius Hexam. hom.i. omnium fluuiorum maximum esse censuit. At Plinius lib.6.c.20. docet eum non esse Latiorem 50. stadijs, i. ad sex milliaria Italica, nec altiorē 15. passibus. In longitudine tamen dicitur maximus, vnde in se recipit 60. fluuios perennes, & centum torrentes, vt tradit Plinius lib.5.c.28. & per quinque menses non potest peruagari, dato etiam quod quotidie nauis conficiat 80. milliaria Italica, vnde ad hanc calculi rationem duodecim milliariorum millia porrigi in longitudinem videtur, & id experimento didicisse Alexandrum magnum scribit, Plinius lib.6.c.17.

Dorix etiam nominatur à Glossa super Eccles. 14. qui alio nomine dicitur Araxes, vel Arapsis, amnis est in Armenia, oritur secundum multos ex eodem monte cum Euphrate, & sic dicitur, quia sua rapacitate omnia prosternit, vt dicit Isidorus. Quare cum Alexander vellet eum transgredi, ponte fabricato, tanta violentia inundauit, vt pontem dirueret. Dicit etiam Isidorus, quod cum breuibus interuallis ab Euphratis ortu caput tollat, deinde in Caspium mare fluit. Glossa autem docet Ecclest. 24. quod Dorix dictus est à Grecis, à parte terræ ipsorum, nam illa pars vbi fluit, lingua ipsorum Dorica vocatur. Sed Dorix medicamentum generationis interpretatur. Dicitur gemmis abundare, & herbis aromaticis, quarum vsus conuenit medicinæ.

Iordanis in scripturis nominatus non est prætereundus. Est itaque Iordanis fluuius Iudeæ, à duos fōtibus, quorum vnus dicitur Ior, & alius Dan, Iordanis nominatus vt dicit Isidorus. Nascitur sub monte Libano, Arabiam, & Iudeam diuidit, per multos circuitus iuxta Hiericho in mare mortuum influit, quod ipsum absorbet, & consumit. Tempore messis, quod vernali tempore in Palestina accidit, magis abundat, quod accidit ex imbri seroteni inundatione, & ex niuium resolutione.

Multa priuilegia sortitur. Primum, quod regionem fidelium .i. Hebreorum, à regione infideliū .i. Idumeorum separauit. Secundum, quod coram filijs Israel se aperuit, & eis ad terram promissionis transitum præbuit, & in archę domini, & populi præsentia cum reuerētia se aperuit. Tertium quod lepram Naaman syri abluit, & mundauit Regū 4.c.5. Quartum quod per sui diffusionem Sanctitati Heliæ, & Helisei testimonium perhibuit, dum imperio vtriusque obediuit. 4. Regum 6. Sextum quod contactu sanctissimæ carnis Agnus Dei, qui venerat tollere peccata mundi sanctificari meruit, ex quo idem dominus noster in illis aquis ablutus, sanctum Baptismi Sacramentum in aqua fieri mandauit Lucæ 2. Septimum, quod Io. in aquis Iordanis baptizauit, et cęlos apertos videri, & vocem patris audire ibidem meruit.

Facit etiam mentionem scriptura de alijs fluuijs 4 Regum 5. qui erant in Syria Damasci, vt de Abana, & Pharphar, fluentes iuxta Damascū, quibus horti Damascenis irrigabantur, & multiplici genere herbarum, arborum, & fructuum multiplicatione fęcundabantur.

Nominat etiam Hydaspem 4. Regū 18. Ideo sciendum est, quod Hidaspis, qui & Gasan dicebatur fluuius est Medorum, oritur in Oriente, & rubro mari excipitur. Super hunc fluuium steterunt duæ tribus cum dimidia populi Israel captiuæ tempore Salmanassar Regis Assiriorū, & duæ tribus captiuæ tempore Nabucodonosor multis temporibus super

per Chobar fluuium Babiloniæ permanserunt Ezech. 1. De hoc flumine dixit D. Hieron. quod est fluuius Babiloniæ se diffundens per eius paludes, & Tigrim; ab Euphrate ortũ ducens, ac in vnum ipsorum iterum rediens, siue cadens. In parte sui littoris abundat salicibus, & carectis, & super hoc fluuio plorabat captiuitatem populus Israel dum dicebat. Super flumina Babilonis illic sedimus, & fleuimus, dum recordaremur tui Sion, &c.

De Fluuijs Affricæ.

Flumina Affricæ communi nomine dicuntur. Abagni, Arruia.
Bauagul, Barbela.
Goatto, Coenza, Cuama.
Gambea.
Inidine.
Lelunda, Luangua.
Magnice, Mangione, Mozingate.
Nilo.
Panami.
Quilimahei.
Ratto, Ruina.
Spanega.
Tagassi.
Varula.
Zaire, Zeila.

Tradit etiam Aloysius Cadam: inditione Gambeę flumen quoddam esse, quod latitudine patet 4. passuum mill. & totidem est aliud in tractu Sagres in affricanis littorib. Et in quadam insula, quæ e regione sita est promontorij, cui cognomentum est caput viride fluuius patens est ad passuum 20. millia, eodem Aloysio teste. Sunt & alia flumina, sed de his satis, & p. hæc patet ad 4. 5. & 6.

De Fluuijs America.

Non digrediar multum circa flumina noui orbis, solum dicam, quod perlustratores noui orbis tradunt sub Zona torrida sub qua est magna pars noui orbis flumina ingentia esse, vnde in peninsula Australi omittendo flumina del Brasil, & Perù vt dicitur, adest flumen dictum della Madalena, latum per septem leucas, & d'Origliana latum 70. Illud della plata 40. In peninsula Septentrionali sunt ingentes lacus. Ille de Quatimala longus 150. milliaria. Ille di Nicarugua 300. Ille del Messico 100. Numerantur etiã alia magna flumina dicta Baia formosa, dello Spirito S. Capo freddo, di S. Lorẽzo della Plata, di S. Sebastiano, di S. Antonio, delle palme, di Pannuro, di Almeria, di Aluarado, Torbido, Coanza, Gambea, Macagnone, Nauato, Niger, serenum, Zaire, di Crocodilli, di S. Francesco, di Gennaro, d'Argento, di S. Marta, & similia.

Ad octauum quærens de admirandis in fluuijs dicimus.

Primũ admirabile quidẽ in ipsis est, q̃ se abscondant, in lucem erumpant, & iterum sub terra se cõtegant. Hoc autem prouenit ex cauernositate terræ, qooniam nõ est in omnibus suis partibus densa, & compacta, vnde cũ aqua (quæ Labilis est, & subtilis) porositatem terræ, & cauitatem inuenit, statim subintrat, at vbi obicẽ ruendi sub terra reperit, regurgitat, & sursum ascendit, quare tradidit Strabo lib. 12. Piramum Capadociæ fluuium tanto impetu e terra emergere, vt non permittat mergi, quę ibi ponũtur, & sic etiã fit in alijs multis fluuijs, vt sunt Licus in Asia, Erasinus in Angolica, Tigris in Mesopotamia, & alia flumina de terrestri Paradiso exeuntia.

Secundum mirabile est, quod etiam flumina sub marinis aquis currant, & suam dulcedinẽ seruent. Nam de Alpheo flumine hoc tradit Pausanias lib. 5. scilicet quod transit sub mari ab Achaia, vsque in Siciliam, vbi in Arethusio fonte surgit. Hoc

idem docuit Seneca natur. lib. 3. ca. 26. & lib. 6. cap. 8. Et Plinius lib. 2. cap. 103. & Gregorius Nazianzenus in Monodia, solo Strabone contradicente, supra experientiam, quia si quid iaciatur in Alpheo in Grecia, consurgit in Arethusa. Nec mirabile est nec icredibile, quod aquæ duorū fluminum possint simul currere, & non cōmisceri adinuicem; hoc enim cōspicimus in lacubus, per quos flumina trāseunt, & memoratur idem accidere Virgini aquæ apud vrbem Romæ, quæ non miscetur Herculaneo riuo, vt scripsit Plinius lib. 31. c. 3. & propterea dicta est Virgo, quia Herculaneam aquam refugit. Et in Thessalia Peneus Eroton accipit, & eius aquis non infunditur, sed quasi oleum supernatat. Plinius lib. 4. cap. 8. Et in Macedonia non procul Ab Euripidis sepulchro, duo fluuij simul currunt recto tramite, nec alter alteri se communicat, immo alter se in saluberrimum porum conseruat, & alter suum mortiferum retinet Plinius lib. 31. cap. 2. Causa est differentia aquarum, ex occultis eorū qualitatibus promanans, nā sicut aqua oleo nō miscetur, quia diuersas qualitates, & naturas habent, ita etiam hoc potest accidere in duabus aquis quoniam, vel vna erit altera crassior, vel leuior, vel subtilior, &c.

Tertiū, quod à multis superstitiosum iudicatur est, quod affirmat Solinus cap. 10. quod fluuius Dianæ, qui ad Camerinam fluit eius est naturæ, vt nisi à pudica muliere hauriatur, eius aqua non potest vino misceri, sed seorsum vtrumque manet. Possumus tamen dicere in hoc facto duo esse. Primum, quod aqua non misceatur, & hoc naturale esse potest ex aquæ pinguedine, & crassitie, vt veluti adeps nequeat vino misceri. Secundum, quod à pudica virgine hausta vino misceatur, hoc autem superstitionem preferre posset inspiciendo naturalia, at credo id fuisse dictum, quia nulla fuerit mulier, quæ se tanto periculo exponere voluisset, cum non sit committenda sua fama in sensatis rebus. Vel erat, quia aqua illa numquam vino miscebatur, vnde adagium fuit. Tunc aqua ista vino miscebitur, cum à pudica muliere hausta fuerit, quasi nulla esset in mulieribus ex corde pudica, prout etiā fuerat aliud adagium. Nulla mulier casta, nisi non rogata. Hoc tamen falsissimum est, cum multę potius mallent mortem subire, quam pudicitiam suā minima labe notare. Vel hoc fuit antiquis temporibus vigente superstitione, & Idolatria, nam tunc multa fiebant arte demonis, quæ modo cedunt signo crucis.

Quartum mirabile est, quod memorat Petrus Hisp. p. 5. cap. 25. quod in nouo orbe in vndis Pernaci fluuij, imum, & littora hinc, & inde salita, exundāt, quæ tamen dulces exibēt aquas. Hoc autem euenire potest, quod aquæ ille aliquid teneant de pingui, quod non sinit qualitatem salsedinis ad illas transire.

Sed quid de aquis Oderæ fluuij in Pomerania, quæ si influant in quōdam lacum ibi proximum flantibus ventis australibus sunt dulces, & flantibus Septentrionalibus salsæ redduntur? Dicimus euenire, quia venti meridionales aquam rarefaciunt, & in altum eleuant, vnde his spirantibus aquæ redduntur clariores. Venti vero Aquilonares aquas inspissant, & & in profundum ferunt, aquasque adensant, vnde cum aquæ illius loci aliquid de salsedine teneant, condensatæ salsiores euadunt, non sic rarefactæ ab Austro.

Quintum mirabile est, quod reperiatur aqua simul calida, & frigida. Nam duo contraria teste Arist. esse simul nequeunt, & tamē Ouetanus hist. lib. 6. cap. 13. narrat de quodam fluuio Aquata nomine, in nouo orbe, qui superficiem frigidam habet, & fundum calidum, imo (ait) imum

totum

totum ferventi arena constat. Dicitur autem duo contraria non posse esse simul in eadem parte, in diversis vtique. Non est autem inconueniēs, quod detur aqua calida, vt balnea testantur, et de quodam fluuio naui gabili perpetuo, dicit Petrus Mart. Summa Ind: qui adeo calidas tenet aquas, vt manibus contrectari nequeant. Nam si ibi adsit minera sulphurea, vel alterius calidi, calidam reddet aquam. Modo aqua illa in imo feruet, quia ibi debet esse vena calida, in superficie autem friget, quia tota frigiditas aquæ per anteperistasim sursum expellitur, & ipsa ad suum simile scilicet ad aerem frigidum mouetur. Sed oportet illam aquam esse profundam, vt virtus caloris remittatur in medio, & deficiat in superficie, aliter tota ferueret.

Sed quid de aquis Ponti intra Medorum, Schytarumque regionibus siti, in quo lapides ardentes deuoluuntur, aqua semper existente frigida, vt docet Aristot. de admir. cap. 110. Respondetur, quod illi lapides sunt bituminosi, & sulphurei, vnde dum aquæ frigiditatem sentiunt, calor ad intima per antiperistasim penetrat, & confortatus materiam accendit, & inueniendo cōtrarium per aquas se volutant, & tunc lucidius splendent, & acrius ardent, bituminisq; odorem referunt, ingratissimumq; odorem spirant, quo aues, & serpentes affecti defugiunt. Non enim omnes lapides hunc effectum sortiuntur, sed solum illi bituminosi, qui apud eas aquas sunt.

Sextum miraculosum est, quod aquæ, quæ sunt labiles, & subtiles multa corpora sanctorum sustinuerint, vt domini nostri supra mare ambulantis, & D. Petri, D. Raimundi, & Iacinti, & aliorum plurium Sanctorum, apud curiam Summi Regis aduocatorum nostrorum.

Septimo loco non prꝗteribo esse aquas quorundam fontium, & fluminum, quæ mirabiles habent proprietates. Nam Fons Erythreus pilos facit nascere vbi esse non consueuerant, Plinius lib. 31. cap. 2. Et in littore maris rubri Arabici fons est, qui villos brutorum, ex vno colore in alium mutat. Solinus cap. 35. Et in Aestiotide sunt aliæ aquæ, quæ oues nigras faciunt, si ex his hauserint Plinius lib. Hoc autem, fiet ex qualitate aquæ causantis qualitatem in cute apta ad gignendum pilos, vel colorem. Ita potest esse verum, quod in Vittonia regione in Hibernia, sunt aquæ, quibus qui abluitur, non canescit, vt Ouellius dicit in Hibernia, & ꝙ alter fons sit in Mamonia Hiberniæ, quoqui abluitur, canessit, quia si aquæ illæ infrigident partem quam tangunt, & exsiccent canos faciunt, & si sint calidæ, & humidæ in temperamento caniciem impediēt, sed deperditum caloris primogenei non restaurabunt, & sic poterit mori homo etiam, quod non habeat capillos albos. In Sardinia quoque est fluuius valens contra venenum subfugæ, nam eius aqua illum enecat. Solinus cap. 9. Et Scotusis in Thessalia vlcera, ac crausa membra in pristinam integritatem, & sanitatem restituit. Arist. admir. cap. 112. Hoc autem non est mirum, nisi quantum admiranda sunt omnia efficacia medicamenta.

Illud quod tradit Solinus. c. 10. maiorem difficultatem habet, quod scilicet reperiatur aqua, apud Geoniū tetri odoris in duos fontes diuisa, & quod quæ sumpserit mulier fæcunda fit sterilis, ex vno, & ex altero steriles fit fæcunda. Potuit enim hoc ab alta causa prouenire, & erit hoc attributum illis aquis. Vel poterit esse, quod ex dispositione diuersa subiectorum diuersa faciat, Quod tamen reperiantur aquæ, quæ faciant steriles fæcundas, quia vel confortant matricem, vt semen retineat,

vel

vel augeat eius calorem, vel deficeret eius superabundantem humiditatē, non inficior, in aliquibus, nego in omnibus, quia multæ currerent ad has aquas, ex longissimis terræ prouincijs. Vnde cogitandum venit, quod similia mirabilia, vel fuerint rara, & potius per accidens exorta, vel fiebant tempore gentilitatis, quādo princeps tyrannus regnabat, quē filius Dei Iesus Christus Dominus noster foras eiecit, & potestate, & honore spoliauit.

Ad nonum dicitur, quod sunt, & aliquæ scaturigines aquarum, quę cum sint calidæ deficiunt, & aliæ quæ non, vt de multis exempla dare possemus. Ratio autem deficientiæ est quam in alijs diximus supra, perpetui motus, quoniam calor sursum aquas vehit.

Ad decimum respondent affirmatiue Matt. Cromo: descript: Polon. lib. 1. dicente in Sepusio Poloniæ esse riuum ex arduis montibus profluentem, cuius guttæ in lapideam duritiem concrescant, ita vt & sponte existant fulcra sustentantia canales, quibus riuus ad molendina diuertitur. Et Plinius lib. 31. cap. 2. in Colossis flumen esse scribit, in quo lateres coniecti, lapides extrahantur. Et admirabilius addit in scyretico metallo arbores, quęcunque flumine abluantur saxa fieri, cum ramis. Et in Euboeæ Delio riuum alterum esse, qui quæcunque saxa alluat, ea crescere in altitudinem, & eas aquas esse calidas. Et iuxta maritima littora Ostrogotorū (referūt scriptores Septentrionalium) torrentem esse, qui alluit Horcopiam vrbem, cuius formæ omnium rerum, in alueo comperiuntur saxeæ, perinde ac arte confectæ. Alijs enim est humani corporis forma, alijs manuum, alijs pedum, alijs digitorum sparsimque hæc confuso ordine per alueū proiecta visuntur. Sed & Leander refert quod in Etruria Sena fluuius iuxta collēse oppidū est, q. ligna omnia reddit saxea, & ex eo cortice saxeo columnæ eximiæ conficiuntur. Idem dicit pausania de Aniene: His autem omnibus, & similibus diximus supra, quod vel aquæ illæ corticem duram reddunt ad modum lapidis duri, vel quod ipsæ generent lapides, quod aquis cōceditur etiam in renibus, & vesica hominis. At quod ab intrinseco augeant lapides, vel mutent vnam substantiam in aliam non credo, nisi sit eis data talis virtus à cælo, quod per proximam causam dispositam potest operari ad nouam formam à materia dependentem.

Ad vndecimum respondēt affirmatiue Solinus cap. 12. Ælianus lib. 8. cap. 20. & lib. 12. cap. 33. Isidorus lib. 13. ca. 13. de ouibus, & de equis Seneca nat. lib. 3. cap. 25. Quod oriri potest ex diuersa qualitate illarū bibentibus, aqua, ad generandum hunc, vel illum colorem, vt diximus etiam supra. Sicut enim possunt pisces diuersi coloris generare; ita & alijs animalibus similes colores dare.

Ad duodecimum dicendum venit cum Mela lib. 1. cap. 6. quod aqua generet serpentes venenosos fiat dupliciter. Primo per se, & hoc est falsum, quia aqua cum sit elementum simplex, & bonum non potest generare venenum. Secundo per accidens, vel ex maligno humore ei admixto, vel ex imo limoso, & pestifero supra quem currit, & hoc euenire potest. Dicunt tamen naturales serpentes virulentos non generari in aquis, sed in terra, & ad aquas transire tempore æstus ad inueniendum refrigeriū. Imo Duglosius scribit in Lituania fluuium esse cui nomen est. Namia, qui non fert venenosa animantia, vsque adeo, vt serpentes, qui Bugo flumine delati adhæserint, edito sibilo refugiant, cum primum huius Naturæ aquam attingerint.

Ad decimumtertium dicendum venit, quod

quod venenositas aquarum interimentium non venit à serpentibus natis in eis, sed ab earum malitia, & malignitate. Vnde Seneca nat. lib. 3. cap. 25. & Isidorus lib. 13. cap. 13. dicunt. In Achaia aqua ex saxis profluit, Styx appellata, quæ epota illico interficit. Eius autem aquæ tanta vis est, vt omnia penetret, & disrumpat, nec vllo vase valeat contineri, præterquam Asini cuiusdam cornibus. Tales autem Asini dicit Aelianus lib. 10. ca. 41. nascuntur in Schytia. Huius fluminis origo apud Nonacrim Archadiæ est, omnibus animantibus exitiosus, ob suam plurimam frigiditatem statim necans, ferrum, atque æs rodit, & vt asini, ita quisque solius mulæ vngula potest contineri, cetera vasa frigoris vehementia statim disrumpit. Et hoc veneno quidam Alexandrum ab Antipatro putant peremptum, apud Vinc. nat. lib. 5. 80. Aldum ex alios.

Sed & Aelianus lib. 15. cap. 25. tradit Equos efferari, & rabie inflammari bibendo ex Cossinito flumine Traciæ, qui de fluit in agrum Abdeteritanum. Solinus etiam dixit cap. 29. quod bibentes ex Lethe flumine memoriam perdebant, quod & Plinius lib. 5. cap. 5. dixit de alio fluuio in Affrica habente similem proprietatem, vt est videre apud ipsum lib. 5. cap. 5. & est circa extremum Syrtium cornu, & Berenicem vrbẽ alluit. Hoc autem non est inconueniens perturbando phantasiam, & alterando sensus internos.

Ad decimumquartum Ramusius tomo 1. in ratiocinatione de Iambo beli nauigatione dicit proprietatem inesse Syliæ fluuio, vt nihil admittat; nec quidquam in illo supernatare, & omnia quamuis leuissima submergere. Alluit hic fluuius Polimbrotam Orientalium omnium extremam fere vrbem, porrigiturque longitudine ad decem passuum millia, latitudo vero ad duo passuum millia patet. Vnde omnino redditur inauigabilis.

Ad decimumquintum respondendo dabo regulas generales ad penetrãdas causas mirabilium aquarum. Omnia enim ista mirabilia ad ista reducuntur.

Primum, quod aliqui fontes, vel flumina exsiccantur in loco vno, & noui fiunt in alio. Huius est multiplex causa. Prima est, vt diximus, quia os aquæ salientis obturatur terra, vel ex pondere, vel ex concursu aquarum portantium multa impedimenta, & claudentia ora fontis, vel fluminis, vnde alibi vbi minorem difficultatem inueniunt, erumpunt. Secunda, quod vapor calidus inclusus in visceribus terræ simul cum aquis eleuat multas partes terrestres, quæ ex sua grossitie recludunt ora aquæ. Tertia prouenit ex terremotu deprimente in vno loco terram, & in alio aperiente, vnde hic cessat fons, alibi surgit.

Secundum est, quod quędam flumina, & fontes certis horis fiunt, & certis horis exiccantur. Horum prima causa est, quod vapor calidus eleuans aquas debilis est, vnde pro eo tempore tantum pro quo durat maior eius vis aquæ fluunt, deinde debilitata cessant, vsque ad nouum robur, & fortitudinem, quod fit virtute solis, & stellarum operantium in illa loca. Secunda erit virtus particularis alicuius stellæ, vel in loco, vel in aqua, vt cernimus etiam in æstu maris. Tertia potest esse, quod non fluat nisi ad tantam quantitatem peruenerit, vnde fluxu deficiente, necesse est aquæ fluxum deficere, quousque altera tanta congregetur.

Tertium est, quod aliquæ aquæ sunt vnius saporis, & odoris, & aliæ alterius. Dicimus enim ista nasci non ex natura aquæ, quæ de se nullius est saporis, vel odoris, sed ex locis per quæ transit, vbi sunt diuersa mineralia, vt sulphur, allumen, sal, fer-

rum, æs, argentum, & aurum, vnde pertranseundo per ista, istorum odorem, saporem, & colorem attrahere potest.

Quartum est, quod aquæ quædam sunt calidissimæ. Dicimus hoc esse, quia transeunt per mineras sulphureas eas calefacientes.

Quintum est, quod aliquæ conuertunt vt diximus ligna in lapides. Dicimus prouenire ex virtute minerali lapidea stante in aqua, & recipiente influxum cęli ad hoc.

Sextum est, quod aliqui fontes mutant colorem lanæ ouium, &c. Diximus prouenire à qualitate aquæ, nam si nimis frigida sit, & humida pergit ad cutem, & dat ei vim faciendi albam lanam, si vero sit calida, & teneat de qualitate adurente facit lanam nigram. Et notatum est in animalibus secundum variationem coloris cutis variari etiam colores, nō sic in homine, quoniam canities est ei propria.

Septimū est, quod aliquæ aquæ in hominibus causant strumas.i. tumorem sub mento, apud nos gosi dicuntur. Respōdemus prouenire à frigiditate aquarum bibitarum, quæ cōmouent diuersas superfluitates in cerebro, & ad gullam traducunt, & sic generant gosum, vt possunt testari nostri montani Brixienses, & Bergomates.

Octauum est, quod in aliquibus aquis non profundent iniecta. Dicimus esse à grauitate, & densitate aquarum, ex mixtione terrestris viscosi vt resistant graui, negandō ei ingressum.

Nonum est, quod aliquæ aquæ aliquando se purgant, emittendo superflua, frondes, paleas, ligna, &c. Dicimus esse, quia deportantur sub terra, & eleuantur ad orificium fontis, & nisi virtus impulsiua ad extra sit fortis sistunt, at dum viget exeūt.

Sed quid dicendum venit de fluuijs qui sanguinem fudisse tradunt, vt de fonte in agro Sudertano, qui per totam diem sanguinem fluxisse tradit Plin. dec. 3. lib. 6. Et Segebertus, & Genebrardus referunt de alio apud Tolosam Leone primo Pontifice summo.

Respondemus hoc pertinere ad prodigium, sicut etiam quando aquæ Ægipti conuersæ sunt in sanguinem. Exodi 7. Nisi transissent per venam rubei coloris, quod difficile est credere, cum per diem tantum fluxerint.

Sed quid de fonte Cirizi, qui potatus estinguit venereos stimulos, vt tradit Mutianus, & ex illo Plinius lib. 31. cap. 2. Dicimus esse, quia frigidus est, & caloris remissiuus, & O utinā de illo multi biberent.

QVÆSTIO XXXVI.

Soluens multas difficultates circa lacus.

Iocundum, & gratum quoque erit ingeniosis viris, ac mirabilium naturæ studiosis, si aliqua quæsita de lacubus proponamus, & soluamus, vt omnium aquarum naturam perscrutemur.

Primo ergo quæritur. An lacus industria humana fieri possint.

Secundo quæritur. An possint reperiri lacus in altis montibus.

Tertio quæritur. An omnes lacus piscibus sint pręditi.

Quarto queritur, Quid dicūt DD. de lacu Asphaltide Iudeæ.

Quinto quæritur. An aliqui lacus subito emergere possint.

Sexto quæritur, an sint lacus sustinentes pondera corporum densorum.

Septimo quæritur, an detur lacus cuius aquæ Venerem excitent.

Octauo. An dentur venenati lacus, & salutares.

Nono. An sint lacus salsi, generantes salem, sicut etiam mare facit.

Decimo queritur, an dentur aquæ lacus

lacus priuantes animalia pilis, vnguibus,& bruta cornuta etiam cornibus.

Vndecimo quæritur. An dentur lacus sanantes à multis infirmitatibus.

Duedecimo quæritur. An dentur lacus profundissimi.

Decimotertio quęritur,an lacus quandoque innundationes faciant.

Decimoquarto quæritur, an sint lacus, qui fremunt, & intumescant ex quacunque re in eis iniecta.

Decimoquinto quæritur,an dentur lacus quorum pars aliqua congelatur, & alia non.

Decimosexto. An alia admiranda habeantur de lacubus.

Decimoseptimo quæritur de lacubus Europæ, Asiæ, Affricæ, & Americæ.

Antequam supradictis argumentis respondeamus,quędam prius sunt cōsideranda.

Primum est, quod lacus dicitur latentium aquarum receptaculū, in quo aqua detinetur,nec fluctibus miscetur, vt dicit Isidorus lib. 13. Greci autem lacum stagnum vocāt. Nam fontes in flumina Labuntur, & flumina in fretus discurrunt, lacus autem in loco stat,nec fluit,& ideo dictus est lacus,quasi aquæ locus. Aquas enim quas scatutiendo,vel influendo recipit, alias non transfundit,nisi pro quanto à multis lacubus quædam flumina exeunt, vt apud nos ex lacu maiori Tesinus, ex Nouocomensi Adua, ex Gardensi Mincius.

Secundum est, quod aqua lacunalis solet esse grossior alijs,vnde si frequētetur multas generat in corpore passiones. Aqua eum immota densior fit, grauior, & compactior, & ideo illaudabilis est ad bibendum. Nec pisces lacuum nisi aquarum bonarum sunt sani, quia sua limositate lacus eos nutrit, & ideo quasi limū capientes reddit. Herbas superfluas gignit,in quibus ranas, & vermiculos multos nutrit. Ideo aquæ lacus pro potu reijciuntur,nec ad salubritatem aeris faciunt, nisi, vt dixi sint claręsubtiles,limo destitutæ,fluuiateles,& bonis ventis agitatæ, & purgatę.

Tertium est, quod aquæ lacuum diuersas contrahunt qualitates ex fundo, & situ,vnde dicit Isidorus lib. 13.c. 3.sic. In Aetiopia lacus est,quo profusa corpora velut oleo nitescunt. Etiam lacus est in Affrica,qui canores facit voces. Item in Italia est lacus,qui bibentibus aquam ipsius tædium vini facit,&c.

Ad primum respondemus affirmatiue dicendo, quod & si aquæ lacunales soleant à terra exoriri, pręcipue ad pedes montium,tamen etiam industria humana sunt facta, vel per excauationem vbi aquæ sortiuæ sunt, vel per deductionem alicuius fluminis in locum vnum. Vel per aliam artem, de qua re legi potest Plinius lib. 5 cap. 9. vbi dicit. Inter Arsinoitem, & Memphitem lacus fuit circuitu 290 passuum mill. vel vt Mutianus dicit 450. millium, & altitudinis 50. passuum, manu factus à Rege, Paridis appellatus. Et de alio insigniori lacu manufacto multa dicit Iouius lib. 18.

Ad secundum dicimus pariter cum Solino cap. 58.& Plinio lib 6. cap. 32. quod in fortunatis insulis, quarum primæ nomen est Ombrion, iuga montium aquis madescunt. Et petrus Marr. Summ: sua refert in Hispaniola insula in nouo Orbe in summo pręalti montis cacumine, lacum esse ambitu trium millium passuum patentem, pręoptimis piscibus refertum. Et Franciscus Aluarez tradit in Aetiopia compertum esse in regno Fatigar in summo montis lacum esse circuitu patentem ad passuum 12.millia. Et in Ita'ia in monte Gargano est locus nitidissimis aquis, & sapidissimis piscibus, apud

Leandrum. Nec hoc est mirabile, quoniam duas causas tenet. Prima est obstructio, & oppilatio omnium aliarum partium in monte, à quibus posset aqua exire, nam cum inuenit omnes partes clausas, oportet vt se reducat vbi cauitatē inuenit, quod euenit aliquando in summitate montium, vnde si fluxum liberum habet, fontem, vel fluuium, vel lacum ad pedem montis facit, si non, in cacumine per redundantiam se eleuat Secunda est eleuatio aquæ facta sursum, prout supra explicatum fuit in fontibus.

Ad tertium, respondet Aelianus hist. animal: lib. 2. c. 36. in pheneo esse lacum, qui nullos pisces habeat. Et Arist. 2. Meteor. cap. 3. affert alium lacum in Palestina omnibus piscibus carentem. Ita puteolis lacus Auernus est sine piscibus. Ratio est, quod vbi pisces nutrimentum habent, ibidem viuunt, & nutriuntur. Vbi autem aquæ sunt vehementis amaritudinis, vel salsedinis subtus, & supra, vel vbi sunt sulphureæ venę, pisces nō viuunt, sed enecantur. Et ita, vbi est maxima aquarum profunditas, vt in lacu Auerno, qui in profundum habere 360. cubitos tradit Bocarius lib. de locis. Et si qui sunt, manent in locis aptioribus.

Ad quartum, varia dicunt scriptores de lacu Iudeæ Asphaltide, qui vocatur mare mortuum. Dicitur enim mare propter eius magnitudinem, & profunditatem. Mortuum, quia nihil gignit viuum, nec sustinet, vnde nec pisces habet, nec volucres. Quare si tu quæcunque viuentia immergendo tentaueris quacunque arte in has aquas injicere, statim resiliunt, & quamuis vehementer illata, confestim excutiuntur. Neque à ventis mouetur, bitumine turbinis ventis resistēte, quo omnis aqua stagnatur, neque nauigationis patiens est. Omnia non viuētia in profundum recipit, neque quicquam sustinet, nisi bitumine illustretur. Dicunt, quod lucerna extincta submersa in eo accēditur, et supernatat. Omnia ista eueniunt ex qualitate aquæ salnitrosæ, & bituminosæ, vnde, & mare bituminis vocatur. Est inter Hierico, & Zacham. Longitudo eius vsque ad Zotans Arabiæ dirigitur, stadijs 780. Latitudo eius stadijs 100. vel vsque ad vicinia Sodomorum. Ex Isidoro. Nigras glebas bituminis euomit, & in eius ripis poma in arboribus nata vsque ad maturitatem coloris sunt viridis, quæ si matura incidas, fauillas intus inuenies. Ex Iosepho Hebreo. Poma enim pulcherrima ibi nascuntur, quæ si carpas, fachiscunt, & in cinerem resoluuntur, fumumque excitant, quasi adhuc ardeant. Tempore Habrahę vallis syluestris nuncupabatur, sed adhuc eo tempore ibi erāt multi putei bituminis. Videatur Iosephus de bello Iudaico lib. 4. & 5. Egesippus lib. 14. cap. 18. & Plin. lib. 2. cap. 103. Hoc mirandum est, quod neque ferro, neque aqua rumpitur, sed bene vrina, & menstruo mulieris. Forsitan propter occultam qualitatem, nisi dicas esse in testimonium criminis carnalis. Nā ibi erant Sodoma, & aliæ ciuitates Pentapolim igne de cęlo deuoratæ, vnde, & Strabo lib. 5. dixit in loco laci fuisse olim vrbes tredecim. Reperiuntur tamen etiam alij lacus bituminosi in nouo orbe, & non procul à Babilone, ex cuius bitumine muri Babilonici dicuntur ædificati, quorum erat tanta vis, vt ferro solidiores redderentur. Vide Ouet. hist. lib. 17. ca. 8. Dionem, &c.

Ad quintum, respondemus etiam affirmatiue cum Leandro narrante duos esse lacus in Etruria. Vnum iuxta Collense oppidum, & alterum ibi prope, qui ob Sodomitarum vitium, quo quispiam ibi laborabat, hiatu repentino emersit, & homines demersit. Est terrum veluti attramentum.

Sed

Sed & diximus supra cur flumina, fontes,& lacus antiqui exsiccati posſint,& noui alibi surgere.

Ad sextum, eodem modo affirmatiue respondemus cum Aristot. lib. de admir.cap.51. Ponente in Armenia factos à Tigri, quorum vnus dicitur Arsanias, nitrosus quidem, sed adeo efficax ad emundandas vestes, vt nulla alia egeant purgatione, quin si quisquam diutius eas in aquam reliquerit, euanescunt. Quod confirmat Strabo. lib. 11. Huic aliqui dederunt vim sustentandi pondera, sed errauerunt, quia hæc ponitur proprietas Asphaltidis, quamuis,& Vincent.hist.nat.lib.5. ca. 44.dicat. Quidam lacus sunt, qui natandi imperitos ferant. Sed hoc mirabilius est, quod dentur lacus, in medio Insulas habentes, quæ fluctuant,& per aquas hinc inde vagant, apud Plin. lib. 3.c.12.Immo lib.1.cap.5. Mela dicit. In quodam lacu, non longe ab origine Nili, vbi vrbs Antichtonis, apud Antipodes, Chemanis insula, lucos, syluasque, & grande ædificium sustinens natat. Hoc autem necesse est procedere, & à densitate aquarum, & à radicibus, vel lignis subtus existentib. in insula, quæ pręualeant grauitati terræ, nec eam in imum descendere sinant. Vel illa terra est pumica, & porosa, & plurimum tenens de aereo, vnde non descēdit, sed supernatat ad modum arborum,& nauium.

Econtrario in India stagnum est nomine Sidea, in quo nihil innatat, sed omnia, etiam arborum folia submerguntur. Plinius lib. 31.cap. 2. Isidorus lib. 13.cap.13.& Bocatius.

Ad septimum respondent Isidorus lib. 13.cap.13.& Vinc.hist.nat. lib.5. c. 44. quod in Beotia est lacus, cuius aquæ epotæ Venerem stimulant.

Econtra Clitorij lacus aquæ bibitę vini odium, & fugam causant, vnde Ouid. 15. Metamorph. de hoc lacu dixit. Clitorio quicunque sitim de fonte leuarit, Vina fugit.

Ad octauum dicimus cum Solino cap. 10. quod Gelanius lacus est ita terri odoris, vt nullum ad se accedere permittat. Et qui biberit ex lacu Crobsitaria illico moritur, immo si solum se in eo lauet, ex Bocatio. Et Amplanctus lacus apud Lucanos est ita pessimi odoris, vt superuolantes aues necet. Et in Cherma in persidis deserto est lacus habens aquas virides, ac salsas, quod si quispiam guttulam tantum eius aquæ biberit, vel minimum eius salis granum ediderit, magno ventris profluuio eum laborare necesse est. Causa erit frigiditas aquæ, & malignitas commouentis materias corporis, & secum ducentis. Marcus Polus lib. 1.ca. 17. Et in Arabia sunt paludes habentes angues venenatos, quorum tam dirum virus sit, vt morsum ante mors, quam dolor sequatur. Et in contrarium est lacus apud Petrenses in Arabia, qui serpentibus est noxius, & homini salutaris. Solinus c.10. Nam actiones agentium suscipiuntur secundum dispositionem subiectorū, & prout cum illis habent proportionem, aut contrarietatem, nam sic inducunt effectum bonum, vel malum.

Ad nonum dicimus, quod lacus Spanta in Media prędictus est sale, vnde in eo nascitur, & statim congelascit, sed illico sumptus dolore dentes afficit, corroditque plurimum, sed oleo mitigatur, & quod est mirādum cum salem gignat, ipsa tamen aqua dulcis est, ambustisque vestibus succurrit, si immergantur, ex Strabone lib. 11. Ita etiam lacus Mantianus in Armenia aquis salsissimis,& fontibus salis scatet. Strabo. lib. 11. Et ex lacu Tasta fluit sal, vt ex fonte, cuius aqua quæcunque aspergātur, & madescant, formam salis recipiunt, & si aues peruolantes summā alarum partē aquam paulisper attigerint, statim quasi visco captæ, volandi

Ad duodecimum respondẽdo dicimus Senecam affirmasse lacum quendã esse inscrutabilis profunditatis. Et Auernus lacus cõmuni voce est mire profunditatis,& si tamen alij dicant eum descẽdere in profundum passibus 360. ex Leandro. Et Solinus cap.10. commemorat alium lacum iuxta Pelorum in Sicilia,qui in medio ædificium habet, quod termini vicem gerit, quo progredi vlterius non posse demonstratur. At quod vltra ædificium est nec explicari licet,nec attingi, nam si quis in eum aliquam sui partem ponit,illam amittit.

Hoc autem à frigiditate,& malignitate aquæ prouenire necesse est, nam profunditas aquarum,non stupefacit membra animalium. Alios lacus profunditate imperscrutabiles ponit Olaus lib.5.c.10. in Insula Bernolm in aquilonari plaga. Non est etiam fine mentione prætereundus lacus Asianus apud puteolos profunditatis incompettæ, in quo nullum animal viuit præter ranas, cum tamen eius ambitus sit 8000. millium passuum.In hoc in mense Iunio serpentium globi innumeri decidunt, neque vsquam visuntur nisi, vel mortui, & propterea proxima specus pestifero est spiritu, dixit Bocatius.

Ad decimumtertium pariter dicimus, quod aliquando lacus inundauere, vt de Albano memorat Liuius dec. 1.lib.5.& Zonoras de palude in qua manebat Amulius. Et Melchior Nugnez ex Cocir 1558. scribit in prouincia Sarciorum, in illis vna ex regionibus, repentino quodam impetu emersisse à scatutiginibus amplum lacũ, vt pateret ad leucas 60. Et Bocacius dicit Scafagiolum lacum in Apẽnino talis esse naturæ, quod si in eo lapis, vel lignum injiciatur, mox aerem circumfusum in nubes congregat, & tanta procella fit,vt per diẽ perseuerans,& arbores conuellat, & proxima animantia perimat. Et Ortellius in Scotia docet lacum esse in Scotia in Lenno, qui sponte absque ventis cõcitatur, vsque ad nauigantium naufragium. Quod erit quia ventus, & si supra aquas non sentiatur, sub aquis tamen impetuose perflat. Inundationes vero oriri possunt, & à pluuijs, & ab alijs aquis in ipsis lacubus currentibus, vel supra terram, vel sub terra.

Ad decimumquartum id affirmamus cum Ioachimo Vadiano, de lacu Lucernæ nationis Heluetiorũ,nam si quis in eum lapidem, vel lignum, aut quicquam aliud iniecerit, sponte lacus fremit, ac intumescit tanto furore, vt è marginibus effluat, & perniciem agris, & satis afferat, & omnibus obuiam inuentis, & quod mirabilibus est,si hoc casu fiat, non facit,sed tantum quando aliquid in eo inijcitur dedita opera. Hoc idem tradit Petrus Hisp.Sil.p.2.c.8.vnde magistratus seueris legibus prohibent, ne quis in illum aliquid proijciat,& seuere transgressores puniũt. Hoc autem si verum est, quod non credo in toto lacu,sed in aliqua eius parte in qua sint meatus subterranei, qui spiritibus sint pleni, vnde quacunque commotione rei descendentis commouentur,vnde exeunt, flant sub aquis, & inundant. Nam aer inclusus mirabilia facit, si prius sit ligatus,& deinde soluatur aliquo modo,vt patet in terræmotu. Tradit enim lib.2.c.4.in Aquilonari plaga lacus esse, qui dum hyeme gelu constringuntur spiritus aereus manet in occultis meatibus inferioribus obclusus,vnde cum resilire nõ valeat glacie obstrusus,tonat sub gelu,non minori sonitu,quam sint reliqui crepitus, & tonitrua, quæ ex nubibus errumpendo exaudiuntur. Et de alio lacu idem Olaus lib. 1.c.24.& lib.20.cap.15.mentionem facit qui vocatur Vecher in Ostrogothorum

thorum regione in lõgitudinẽ, 60. millium passuum porrectus. Hic cũ gelu incipit adunari, mugit, & commouetur, dum vero gelu tota superficies stringitur, sedatur, at in Aprili mense, cum aer tepescit, & facies est in dispositione ad dissolutionem magno fragore aqua ebullire incipit, & illico, & fere in instanti tota illa glacies rumpitur, atque in prævexigua frustula cõminuitur. Quod non fit nisi, vento, & spiritu sub aquis glacientibus cõcepto, exitũ tẽtante, & ideo impetum faciente, & hoc ex sydcrum influxu, particulari in illis locis, & aquis. Nam etiã eodem Olauo teste lib. 1. c. 14. omnes lacus in Nouergia congelantur hyeme, excepto vno non longe à Nidrossa, cum tamen eius aquæ non tepescant, sed sint frigidæ. Nam cęli in illas habent singularem actionẽ, & eo amplius quia aqua illius lacus densior est, grauior, & calidior, quam sint aquæ aliorum lacuum, quæ sunt leuiores, & subtiliores, & ideo faciliores ad transmutationẽ. Et per hæc.

Ad decimumquintum respondetur, quod in Scotia in Gallouidia sit lacus in quo pars eius hyeme congelatur, & alia non, vt dicit Ortellius in Scotia. Nam sub ea parte in qua aquæ non congelantur Lutum feruet, ita vt obsonium ad imum crudum immissum, extrahatur per funem coctum. Sunt enim ibi sulphureæ venæ, & ita dicimus posse esse in lacu non longe à Nidrossa. Nec valet, quod aquæ in superiori superficie sint frigidæ, quia hoc prouenit ab aere externo, & à vi Antiperistasis, vt etiam supra notauimus.

Ad decimumsextum dicimus, esse mirabile in lacubus, quod emittant limum flagrantem, vt facit in Comagenes vrbe Samosata lacus quidam apud Plinium lib. 2. 104. Quod tantum ferueat, vt pisces in eo coquantur, vt de lacu Dunensi refert Robertus Grag. Franc. lib. 2. Quod metalla sua caliditate transmutent, & tales sunt in Polonia apud Surium 1541. Et aquæ Budæ oua elixant, Et in aquis calidis patauiuis, herbæ virentes nascuntur. Et in Affrica in calidis pisces nascantur, & nutriantur. Et in piceno iniecta in lapides conuertuntur, de quibus multis supra diximus. Et alij sint qui vngulas indurent, alij qui colorẽ mutẽt, &c. Vide Maiolum colloq. 12. Verbo lacus.

Ad decimũseptimum dicitur quod lacuş Europæ communiter dicuntur. D. Albufera. D'Abo, D'Agnano, D'Auerno.
Balatone, Benaco, Beibas. Bolsenna.
Comiche Di Costanza.
Fertoo Di Geneua.
D'Idri, Iseo, Iua.
Lario, Lemano, Di Lucerna.
Di Moos. Di Nissi.
Sablatino. Di Scutari.
Trasimeno.
Verbano, Di Vuener.
Laci Asię sũt Burgiano. Catacora Chistai. Di Caymaij, Di Caiadai.
Di Dangio, Di Guian. Di palus Oxiama.
Sirbeni, Sarmacouite. Di Vau di Xandre.
Laci Affricæ sunt D'Aquælunda, Barcenna. Chelonedi, Colue. Geogan.
In America etiam sunt multi lacus sub torrida, & vastissimi.

QVAESTIO XXXVII.

Vtrum aqua differrant in qualitatibus.

Videtur quod non. Nam omne accidens commune adesse, & abesse potest præter subiecti corruptionẽ. At omnes sapores, colores, &c. in aquis sunt accidentia communia, cũ aqua non sibi arroget nisi frigiditatem, & humiditatem, vt propria. Et

tamen

go talem non facient impressionem in aquis.

Quamuis in superioribus aliqua dixerimus de aquarũ qualitatibus, quia tamen fuit ex incidenti, & potius recitando historiam, quam perscrutando causam, ideo cogit nos materiæ necessitas, vt aliqua philosophico more hic dicamus de aquarum qualitatibus. Hæ autem quoniam multæ sunt, ideo seorsum de eis est agendum.

Prima qualitas inspicienda in aqua est caliditas, cum ipsa sua natura sit frigida, vnde ab extrinseco debet ei caliditas aduenire. Habemus igitur aquas calidas, & efferuescentes in Baiano sinu, ad Catunam collẽ Cariæ, & in Iudea non longe à Lacu Aspalthide. Calidas insuper aquas habet Islandia non procul ab Hecla monte. Britannia inter Iscalim, & Veniam. Gallia Aquitanica in Tarbellis. In Sequanis ad oppidum Geber fluẽtẽ. In Germania inter martianam syluam, & Rhenum. In ditione Vistembergensi non longe ab oppido Phorcena. Ad Venetam lacum in suburbio Vberlingo. In Pannonia inferiori apud Budã. In alpibus circa Rhodanum non procul à Verduno. In Lepontijs non longe a Rheno. In Italia inter Apenninũ, & Padum. In Hetruria sunt aquæ Lucenses, ad Vetulan os, Senenses, Perusinæ, Ceretanæ. In Latio Sinuessanæ. In Campania in Baiano sinu puteolanæ, Cumanæ, Neapolitanæ. In insulis in Aenaria ad Hisclam. In Sicilia Selmuntiæ, & Aegesthanæ. Item in phrigiæ Hierapoli. In Ionia in Astyris In Cardia. In Hispania Tarraconensi. In Lusitania non procul ab oppido Obedos, & apud Turdetanos, quos nunc Algarbienses Hispani vocant, & in alijs locis multis.

De causa igitur caliditatis aquarum disputauerunt antiqui, & quidam fuerunt in sententia, quod ventus in terræ visceribus inclusus, impulsus, & verberatus, accendebatur, & sic calefaciebat aquas.

Sed hæc opinio stare non potest. Primo. Quia aer non tantum caloris suscipit, vt possit aquas tantum calefacere, & per continuationem.

Alij dixerunt quod calor Solis terram penetrantis aquas illas calefaciebat.

Sed nec hoc verum est. Primo, quia recedente Sole aquæ illæ frigescerent. Secundo, quia non est credibile quod Sol tantam profunditatẽ suo calore penetret seipso. Tertio. Quia sic omnes aquas calefaceret, neque differentia esset vnius tempo ris ab alio, immo magis essent æstate calidę, cum tũc Sol magis ardeat, & tamen contrariũ accidit, quia hyeme magis feruent.

Dicendum igitur venit, quod aquę istę calẽt vel ex loco, vel ex materia per quam meant, vel per ignem per quem transeunt, vnde pro signo habemus, quod aquæ istæ sunt in locis bituminosis, sulphureis, vel ignem extra mittentibus. Quare deprehensum est in quibusdã locis, quod deficiẽte illa æstuãte materia, aquæ frigidæ deuenerunt.

Istæ aquæ calidæ multum faciunt ad pellendos morbos ex frigiditate contractos. Sulphurata enim neruis vtilis ẽ. Aluminata paralesy, & similì morbo affectis. Bituminata, & nitrosa purgationibus. Sed per hoc non omnes aquæ calidæ, sunt aquæ ad infirmitates pellendas, vt de multis dixit Plinius lib. 31. c. 2. & 6. vt de Egesta Siciliæ, Larissa, Troade, Magnesia, Melo, & Leparia. Lege etiam Vitruuium 8. lib. archit. c. 3. & Galenum lib. 1. de simpl. medicam. facult. Aliæ vero sunt frigidissimæ aquæ, & hæ sunt quæ per loca frigidissima permeant, vel ex eliquato gelu, vel niue deriuant, vel per dura saxa, & frigida decurrũt. Hæc multum lædit, quoniam omne frigidum est naturæ inimicum, & aduersum, & ideo

& ideo non est mirum si incolentes montes nostros Bergomenses, & Brixienses patiantur tumorem gulæ (il gosso) quoniam bibunt aquas frigidissimas illorum môtium, crudas & cerebrum offendentes. *Hæ* autẽ qualitates pertinent ad tactum.

Secundo inspiciendæ etiam veniunt qualitates aquarum pertinentes ad gustum.

Dixerunt ergo philosophi saporem in aquis prouenire ex mixtione, nam aqua secundum se nullius est saporis. Si igitur transeant per terram ab omni sapore alienam, aquæ nullius erunt saporis. Si per terram alluminosam, nitrosam, salsam, bituminosam, vel aliam qualitatem sapidam habentem, aqua erit etiam illi sapori correspondens. Decurrendo enim per loca alluminosa, aquæ redduntur acerbæ, per nitrosa amaræ, per salsa salsæ, Acres si meent per venas Chalcitidis, minij, & similiũ. Ferratæ per ferri venas.

Narrant etiam Conimb. multas aquas ex qualitatibus occultis locorum, varios dare sapores. Nam Himera fluuius Siciliæ dulcem saporem reddit. Lipparis fluuius pinguem. Puteales Galnicij acerbum, &c. Aquę etiam iuxta Paphlagonũ, & in Andro insula, & Nixe reperiũtur vini saporis.

*T*ertio considerandæ sunt qualitates in aquis pertinentes ad odoratum. Odorem igitur aquæ trahunt, vel quia vt bene dicunt Conimb. lambunt terram olidam, vel quia in se recipiunt halitus adustos, aut succũ aliquem odorem ferentem, vel quia habent admixtam terræ portionem odoratam, vel quia in locis cauis de terræ putrescunt, vel propter alias similes causas.

*H*inc in Mesopotamia Cabriæ fuit fõs aquæ odoriferæ. In Peloponnesso Methonæ puteus odorem vnguenti Cyciceni referens. Et aliæ tetrum odorem spirant, vt fere sunt omnes calidæ. Nã in prouincia Phaliscorũ fons est male olens, & in Calabria ad Leucam, in Aetolis ad collis *T*aprossi radicem, & multę alię de quibus dictum est.

Ad argumentum respondemus, quod pro nobis concludit, quia qualitates ante dictæ conueniunt aquæ non per se, nec in primo, nec secundo, nec tertio modo perseitatis, sed per accidens ratione alterius, vt diximus.

QVAESTIO XXXVIII.

Vtrum aliquæ aqua sint sana, & alia nociua.

VIdetur quod non. Nam maior virtus minorem superat, eam vincit, attenuat, debilitat, & frangit. At calor naturalis est virtuosior aqua ipsa, vnde eam digerit, reijcit, & prosternit. Ergo non erit aliqua aqua, quæ ei noceat.

Respondetur quod aqua bifariam cõsiderari potest, vt multoties dictum est. Primo secundum se, & sic nulla est differentia in ipsa, quoniam secundum suam naturam, vt est elementum est sincera, pura, homogenea, & vniformis. Secundo per aliud, put diximus quod vt trãsit per diuersa loca contrahit diuersas qualitates, & syderum, & locorum, & aliorum cum quibus miscetur, & sic multæ diuersitates in bonitate, & malitia dantur in aquis. De his igitur aquarum differentijs scripserunt *H*ippocrates lib. 5. Aphorismorum aphorismo 26. Athenæus lib. 2. c. 2. Dioscorides lib. 5. ca. 14. Vitruuius lib. 8. c. 2. Collumella lib. 1. c. 5. Plinius lib. 31. c. 3. Auicenna lib. 1. Fen. 1. Aetius lib. 3. c. 175. Galenus ad lib. 6. Hippocra. de morbis vulgaribus, & lib. 1. de sanitate tuenda. Conimb. in Meteor. tract. 10. cap. 6. Iauellus capit. 5. cum Alberto Magno lib. 2. Meteor. tract. 3. c. 2. de quibus

bus etiam nos dicemus in tertio vniuerso scilicet mixto.

De aquarum igitur bonitate bifariam loqui possumus. Primo in generali, Secundo in speciali, descendendo ad hanc vel istam aquam. In generali, dicimus summarie, quod proprietates bonæ aquæ sunt. Prima, quod sit tenuis, & subtilis. Secunda quod facile sit alterabilis ad caliditatem, & frigiditatem, & extra proprium locum cito putrescibilis. Tertia, quod sit clara, pura, & pellucida. Quarta quod sit lenis, & quinta omni odore, ac sapore immunis. Quod vero sit multum frigida non est eius bona qualitas, quia talis decoctionem cibi impedit, cruditates in stomacho inducit, visceribus hæret, & ventri onus est. Tumorem gulæ gignit, flatus, & ventositates producit, & dissenteriam sæpe.

Potest autem esse vt aqua leuior, non sit vt alia grauior bona, vnde præcipua conditio bonitatis aquæ est, quod sit cito alterabilis, & per stomachum bene transeat, nec offendat. Considerant etiam naturales cursum aquæ, quia quæ currit ad Orientem est melior alijs, & quæ per terram magis densatam scatet, quia magis eam defecat, & purgat.

In particulari vero aquæ non currentes non laudantur, vnde habentur vt malæ, minus cisternales, deinde puteales, postea lacunales, quæ pellucidæ sunt, quæ vero in superiori parte habent quasi pellem viridem, & mucilaginem pestiferæ sunt.

Ita currentes meliores sunt stantibus. At inter eas primo loco in bonitate ponimus pluuialem, quæ à cęlo descendit, deinde fluuiales contra Orientem currentes, & per loca petrosa, vel solida transeuntes, malasq; qualitates non trahentes. Quales sunt aquæ Tagi in Hispania, Gangis in India, & Coaspidis in Persia, aquas enim fluuij solent Reges Persæ bibere, & à longissimis etiam locis secū deferre, vt tradit Plinius lib. 31. cap. 3. Post has sunt fontales, quæ etiam multas fluuiales vincunt, vt quando fluuiales exhalationibus crassescunt, & fontales non, nec miscentur cum multis alijs aquis, vt faciunt fluuiales multæ.

Dicimus ergo currentes esse meliores non currentibus, & fluuiales quandoque, & quandoque fontales.

Inter currentes fluuiales illæ magis sunt sanæ, quæ currunt supra lutum purum, vt facit Padus, & tanto magis quanto distant à sua origine, quia ex longo cursu redditæ sunt puriores, & leuiores.

Quæ decurrunt per canales lapideos superant in bonitate currentes per canales plumbeos, quoniam hæc contrahunt de terreo, & crudo, vnde intestina excoriant.

Ita currentes per mineras auri præpōderant currentibus per venas aliorum metallorum, vnde vbi aqua currit per aurum optima inuenitur.

Post has bonæ sunt, quæ meant per venas argenti, & ferri, quia confortant membra vitalia, & contemperant calorem hepatis inordinatum.

Pessimæ sunt, quæ decurrunt per mineras æris, vel cupri, amarissimæ enim sunt, vomitum concitant, animalia enecant, vt vermes, & pisces: si nascantur in eis. De decurrentibus per mineras alluminosas, & sulphureas diximus eas esse medicinales.

Diximus etiam meliores esse, quæ decurrunt versus Orientem, vt aquæ Danubij, & Eridani. Post has quæ cursum dirigunt à meridie in Septētrionē, vt facit aqua Nili. Quæ vero à Septentrione ad meridiē pergunt, quoniam ventis australibus calidis, & humidis inficiuntur, ideo malæ fiunt. Quæ ab Oriente in Occidentem meant, minus malæ sunt.

Aquæ niuales malæ, & nociuæ sunt, cum purum exprimant, & crassum retineant, & idem dicimus deglacialibus.

libus. Sed in tertio vniuerso scilicet mixto cogemur iterum tractare da aquis, inquantum sunt necessarię ad potum.

Aquæ puteales reddentur meliores si os putei sit patens, & aerem viuum recipiat, quam si sit clausus. Et aqua fontis si nascatur sub minutissima arena, & cisternalis si per spongias transeat, pateat, imum purgetur, sæpe hauriatur, quod & dico de putealibus.

Ad argumentum dicimus, quod passum reagit, & reagendo quamuis non superet vim ei obsistentem maiorem, eam tamen debilitat, attenuat, & frangit, & si pręualeret, vt faciunt aquæ venenosę, calorem naturalem è toto exterminaret.

QVAESTIO XXXIX.

Soluens multa quæsita de piscibus.

QVoniam pisces viuunt in aquis, sicut animalia in aere, ideo rectum censeo ad copiosiorem doctrinam aquarum, vt multa scitu digna de piscibus examinemus.

Primo ergo. Quæritur circa pisces. An pisces sint in scripturis à maledictione priuilegiati.

Secundo. An habeant multa mysteria in scripturis.

Tertio. An aliqui sint naturæ humanæ beneuoli, & familiares.

Quarto. An sint aliqui, qui habeant humanam faciem.

Quinto. An sint alij pisces, qui multorum syderum, & stellarum referant figuram.

Sexto. An alij sint, qui auium imagines teneant.

Septimo. An alij aliquid representent arborum, & herbarum, & armorum, & animalium.

Octauo. An detur aliqua peritia in piscibus.

Nono. An reperiantur pisces magnę mollis, & magnitudinis.

Decimo. Quæritur quid dicendum sit de anguillis, viperis, murenis, & similibus.

Vndecimo. Quæritur quid sit dicendum de adherentibus terræ, vt sunt Ostreæ, spongiæ, &c.

Duodecimo. Quæritur, an sint pisces miræ virtutis.

Decimotertio. An in eis eluceat amicitia, familiaritas, inimicitia, &c.

Decimoquarto. An possit aliquis piscis in terra viuere.

Decimoquinto. An sit magna eorum multitudo.

Decimosexto. An sint doli, & artes in piscibus.

Decimoseptimo. Quid dicendum est de ranis?

Decimooctauo. An cognoscant loca sua, & tempora quæritur.

Decimonono. An in aquis reperiantur monstra.

Vigesimo. An pugnent pisces cum animalibus?

Vigesimoprimo. Sint & alia mirabilia de piscibus.

Ad primum respondet D. Augustinus de mirabilibus scripturæ lib. 1. cap. 4. quod pisces in scripturis non inueniuntur maledicti. Vniuersa (ait) quæ in aquis viuere possunt, diluuij plaga non tetigit, quæ terrena tantum mortificauit. Dixerat enim diuinum oraculum. Maledicta terra in opere tuo, &c. Huius autem facti tres possumus rationes assignare. Prima, quia Adam non aquam contra interdictum domini bibit, sed de fructu terræ prohibito comedit. Secunda, quia sicut Deus per aquas diluuij, tamquam per instrumentum suum totum vniuersum cō sumpsit, ita per easdem in Sacro baptismo totum mundum reparauit, vnde priuilegianda erant, quæ in aquis mouebantur. Tertio. Quia pisces non nutriunt libidinem, sed potius sua frigiditate extinguunt. Mundus autem aquis diluuij abhor

tus

tus fuit, quia omnis caro corruperat viam suam, currendo post suas concupiscentias. Addimus quarto, quia Apostoli, qui erant piscium piscatores figuram referebant conuersionis animarum, non damnandarum, sed saluandarum.

Ad secundum respondemus affirmatiue. Primo enim piscis à iuniore Tobia occisus, cuius cor, fel, & iecur seruauit, ex corde exusto pellendo demones à domo, ex felle liniendo oculos patris ceci ei visum dando, significabat dominum nostrum, cuius passione Demones ab orbe pulsi sũt, & humano generi restituta fuit cognitio veri Dei.

Secundo piscis etiam qui Ionam deuorauit, & super littus post triduum illesum euomit, vt habetur Ionæ, secundo significauit Christum, qui in corde terræ per triduum state debebat, & deinde resurgere, sicut idemmet suis verbis explicauit dicens. Sicut fuit Ionas in corde Ceti tribus diebus, & tribus noctibus, sic erit filius hominis in corde terræ. De qua re legẽdus est. D. Io: Crisos. in epist. ad Colloss. hom. 5. tom. 4. Item magnam fore multitudinem credentium significauit rete, quod rumpebatur in captura tantorum piscium Mattei 15. & Lucæ 5. Item bona Ecclesiæ in vsus pauperum, & non diuitum expendenda, dum dominus iussit Petro, ex pisce deducere staterem Matt. 17.

Ex prophanis etiam historijs multa bona deducimus ex piscibus. Nam cum Policrates Samiorum tyrrannus è pisce restitutum sibi annulum vidit, quod in mari iecerat, vt dolorem aliquem experiretur, cogitare debebat solius Dei vindictam sibi suprastare sicut fuit. Nam ab Oronte deinde cruci affixus est, sed ipse ex signo piscis malum animum non mutauit, & ideo pęnam sustinuit. Multa alia similia exempla adducuntur, quæ breuitatis causa omitto.

Ad tertium dicit Plinius lib. 10. cap. 70. in Cęsaris piscinis genera piscium fuisse, qui singuli ad nomen vocati veniebant. Et Ælianus hist. lib. 8. cap. 4. dixit. Pisces ad hominum consuetudinem mansuescunt, & cum appellantur intelligunt, & è manu largientium cibos capiunt, vt murena Crassi Romani omnium prędicatione celebrata, sic in auribus, & gemmis distincto monili, tamquam sane eximiæ formæ pulchritudine puella ornabatur, & appellantis vocem Crassi cognoscebat, atque ad eum adnatabat, cum quæ ei quidpiam porrigebat, gaudio exiliens prompto, & parato animo accipiebat. Et Plinius lib. 9. cap. 55. de *Hortensio* Oratore dixit. Apud Baulos in parte Baiana piscinam habuit *Hortensius* Orator, in qua murenam adeo dilexit, vt exanimatam fleuisse credatur.

De Delphino quoque mirabilia dicuntur. Vt quod citharedos diligat, & cantores ipsos sequatur, nec ab eis discedat, nisi procella compulsus. Olaus Magnus lib. 20. cap. 12. Solum dicit Albertus animal. lib. 24. quod olfactu noscit hominem, qui ex Delphini carne gustarit, & vbi id deprehendit, illum deuorat. Sed de amicitia quam libenter amplexatur cum alijs hominibus, vide Plinium lib. 9. cap. 8. dicentem, quod libenter audit se vocari Simone, quod quidam deferebat quotidie puerum ex Baiano Puteolos, in Ludum litterarium, ad nomenque Simonis aduolabat. Vide Maiolũ Verbo Pisces. Colloq. 9. Ratio autem tantæ amicitię erga homines, pręcipue cantores, & pueros potest esse, quod hi in piscibus callent magis, nam secundum Arist. apud Vinc. hist. nat. lib. 17. cap. 109. viuunt vsque ad 120. & etiam aliqui ad 140. annos, hinc magis apti sunt ad amorem, & amicitiam. Flãte autem vento Septentrionali dicit Solinus voces celerius hau

riunt,

riunt,& econtra Austro spirante auditu obstruuntur.

Lustratores etiam noui orbis referunt in Hispaniolæ insulæ littora piscem compertum,cui nomen est Manato, qui crescit in amplitudinem pedum 15.crassitie vlnarum 8. Hic vocatus venit,panem de manu hominum capit,palpari, & contractari se permittit, & multos transfretum dorso suo deducit.

Ouetanus lib.13.cap. 10. mentionem facit de alio pisce multum familiari, dicto Lupo Marino, vel secundum alios vitulo marino. Voce, & visu hominem salutat, nomine vocatus, respondet. Olaus lib.20.cap.4.tradit pellē huius seruare ea indutū à fulmine illesum, nam hoc priuilegium inter arbores Laurus habet,inter pisces Vitulus marinus, & inter aues Aquila.

Admirandum equidem est id quod tradunt Ouetanus hist.lib.13.cap. 10. & Petrus Martir summ.quod iuxta littora insulæ *Hispaniolæ* repertus est pisciculus non longior hominis vlna,qui captus domi alitur, tangitur, & palpatur in vase aquæ. Hic fit ægregius aliorum piscium in mari venator,nam in rete missus, & in mari iniectus cum longa fune, hac illacque per mare vagatur,& obuium quemuis piscem etiam magnum, illum aggreditur, & latera eius primum morsu vulnerat, neq; prius prædam deserit, quam mordicus tenet, quam vterque fune in littus trahatur, aut in nauigium. Alter piscis superiori similis est iuxta Insulam Cubā anguillæ forma,cartilaginem tenuem habens in capite ingentis marsupij modo, & firmissimi. Cum igitur obuium habet piscem magnum, & paruum in caput eius cartilaginem illam, quam pro arbitratu suo dilatat, ac contrahit, iactat, propter quod piscis obuolutus nihil videns fit huius pisciculi præda,& eam ad dominū suū ducit.

Sunt & alij pisces sui generis inimici. Vt Faste in cuius ore salsa aqua fit dulcis, qua dulcedine alij pisces allecti,accedunt ad ipsum, & ipse eos deuorat,vt discant homines sub mellito sermone sæpe iacere venenum. Vinc.lib.17.cap. 54.Et ita Britannicus quidam piscis sic vocatus homini alludit, sed cum factus est ei proximus,ipsum rapit, ac deuorat. Albertus Magnus animal: lib. 24. Et alter piscis in fluuio Insulæ Zoilam se capi permittit,sed capientem illico febre corripit,nec desinit nisi relinquatur, forsitā ex aliquo humore tēperamentū alterāte. Nic. Com.

Quartum, admittunt Theodorus Gaza,Petrus Hispa:& multi alij dicentes in Grecia se vidisse piscem Nereidum absolutissimam hominis faciem præseferrentem vsque ad fęmora,reliquum autem corpus desinebat in Anguillę caudam. Fluctibus in littus iniectus palpitabat,& quibusdam gemitibus angi se pręseferrebat, sed accedente Theodoro Gaza natandi vi illapsus in altum mare se traxit. Et ita Giorgius Trapezuntius testatur de proprio visu inspexisse pisces è mari emergentes, integram humanam formam perferentes, sed vbi animaduerterunt se visos, sub aquis se abdiderunt. Et Ramusius tom. 1. tradit in littore Aetiopico vltra bonæ spei promontoriū compertum fuisse piscem,cadaueri humano persimilem. Et Nic. Comit.in Colcham vrbe Cochi, ait maximam copiam expiscari piscium humanam formam habentium,noctu accenso lumine in littore, aut igni,ad ipsa enim sponte accurrunt, & sic capiuntur. Et Olaus lib.21.ca. 1. tradit in Nouergiæ Oceano esse quędam monstra marina,quibus est humana facies, simul cum quadam similitudine, caputij seu cuculli monachalis. Captus obstupefacit manus omnium piscatorum, & magnum strepitum omnium aliorum pi-

piscium concitat, nam cateruatim accurrunt ad nauem, ipsamque in periculum ponunt, nec relinquunt, nisi captum piscem in suam libertatem relinquant, eo, autem liberato conquiescit totius illius gregis piscium furor.

De Nereidis etiam sentit Plinius lib. 5. cap. 9. & Tritonibus humanam formam tenentibus vere esse homines, sua natura marinos, quod nos non approbamus, cum homini data sit terra pro habitatione, & aer pro respiratione, habeatque maximam improportionem cum natura aquę, quæ est frigida, & humida, homo vero calidus, & si humidus, humiditas tamen illa talis est, vt possit esse nutrimentum caloris, & non destructiuum. Quare etiam, quod dicitur de Sirenis idem Plinius lib. 10. cap. 49. indicat esse fabulosum, quamuis Platina in Sabmiano primo Pōtifice, concedat visas esse Syrenes. Non inficior tamen potuisse in vniuerso esse homines, qui ex longa consuetudine vitam potius degerēt in aquis, quam in terræ solo, quia pro hac sententia habeo Alexandrum ab Alexandro lib. 3. Genialium cap. 8. Petrum Hispalensem, Petrum Gillium, & alios admittentes Tritones, quos crederem, vel pisces in formam hominis, vel homines in terra, & mari stantes, sed in mari, vt plurimum. Nam de simili habemus à supradictis, quod repertus est quidam homo Apulus, baptizatus, nomine Nicolaus, qui adeo in mari viuere assuetus fuerit, vt pro pisce propter optimam natandi peritiam communiter teneretur, nam quia fere semper manebat in mari, ideo piscis fuit vocatus.

Quod vero dicit Viues apud Batauos captum fuisse hominem marinum, & supra duos annos detentum incepisse iam loqui, sed in mari tandem resilijsse gaudentem, puto esse referendum non ad naturam humanam quam habuerit, cum anima intellectiua, & immortali, sed ad magnam similitudinem cum humana natura, prout etiam videmus in Simijs, quæ tamen non sunt homines. Fari vero imperfecte poterat, prout etiam Papagalli edocti faciunt, sed discurrere non possunt. Hoc idem comprobant supradicti referendo historiam Calani viuentis vt plurimum in mari, qui quingenta, & amplius stadia præterfluere per diem, semper maritimos fluctus euersan do solebat.

Non nego etiam quod dicit Fulgos. lib. 1. c. 6. apud Labonicum sub Eugenio IIII. occisum fuisse marinum monstrum, qui ad mare puerū trahebat. Habentem faciem hominis, pellē anguillę, & in capite duo parua cornua, manus duorum tantū digitorum, & pedes in duas caudas desinentes, in brachijs alas velu ti vespertilionis. Nam non nego figuram, nego intellectum verum, qui sit animæ intellectiuæ potentia.

Idem dico de muliere, & viro visis in Bolta Ægypti in medio Nili apud Bonfi. dec. 1. lib 8. Et de altera muliere capta in Gotlandiæ lacu anno 1403. quæ didicit filare, & multis in rebus obsequi muliebri more, nam nunquam locuta est. Vide alia similia exempla apud Giorgium Bruin in Satlermo.

Hoc autem est mirabile, & monstruosum, quod apud Baonium mulier quædam pepererit filium in formā piscis, quod monstrum visum ab Imperatore iussit occidi vt testatur Theophanes anno 582. sed an bene censeo, quod non. Primo quia poterat esse homo sub illa forma monstruosa, & quia redolebat superstitionem Aristotelicam, quod monstra sint occidenda, vt præsagia futurorum malorum.

Ad quintum dicit Ælianus lib. 16. ca. 18. Leonum, Arietum, Pantherarū, Equorum effigies in piscibus in Tra-

poba-

pobanæ mari conspiciuntur. Hoc autem est pro mea sententia argumentum, quod sicut illi pisces sunt de genere piscium, & non de speciebus illorum animalium, quamuis referant eorum formam, ita etiam pisces visi in formam hominum nō habent eorum naturam, sed tantum externam figuram.

Primo ergo in piscibus reperitur forma Lunæ, vnde & piscis dicitur Luna, quoniam natando semicirculum facit, veluti luna media, & in Luna plena plenus est, & in deficiente vacuus, & quod est mirum dicunt Cyprij piscatores, quod si tempore Lunæ plenæ hunc piscem ad amorem apprehenderis, fructificabit multū, & si tempore Lunæ deficientis, marescet. Ita Aelianus lib. 5. c. 4.

Datur etiam in mari piscis dictus Stella, de quo dixit Arist. animal. lib. 5. c. 15. sic. Stella piscis adeo natura calidus est, vt omnia cōtactu protinus decoquat, detrimento etiam summo Echiuis Euripi, & Pirrheni eundem esse confirmant. Forma eius stellis, quæ pinguuntur similis est. Omnia quæ tangit, suo magno calore adurit, suo pede intra testas infixo, eas claudi prohibet, & sic ostreis expletur, apud Plinium lib. 9. cap. 22.

Ad sextum pariter affirmatiue respondemus cum Aeliano lib. 9. c. 52. sic dicente. Volant pisces cum timent, & exiliunt à mari Loligines, & Accipitres marini, & Hirundines pelagiæ. Loligines auxilio pinnarum longissimum saltum saltant, & sese in sublime attollunt, & gregatim auium more efferuntur. Hirundines humiliori, & non ita sublimi volatu vtuntur. Accipitres paulo supra summam maris aquam tolli solent, & ad iudicandum sit difficile, natent ne, an volent. Hæc autem adiecit Albertus de Loligine, eam quinque cubitis esse longam, in Sixo flumine Mauritaniæ, & iuxta Oceanum volitare sagittæ modo, stupefacereque manus piscatorū, tantamque in sua societate reperiri multitudinem, vt Naues mergant, Pedibus anterioribus sibi ad os cibum porrigunt. Hirūdines tradit habere alas & volare more auium. Volare etiā miluum piscem tradit Plinius lib. 9. c. 26. Item, & Miluagum apud Albertum animal. lib. 24. & tunc indicat procellam in mari futuram. Nec longe multum a Guinea volāt multi pisces gregatim, & tanta copia, vt procul conspicientibus insula quæpiam spectari videatur, Antonius, Pigal. Dicerem autem Piscem proprie non esse volatiuum, quia hoc est proprium auium, sed potius esse magnū saltum, qui speciem volatus præferat. Sine alis enim plumosis aerem percutientibus, in eo se sustentantibus, non est volatus.

Ad septimum dicit Plinius esse pisces arbores in Gaditano Oceano, intantum vastis disparti ramis, vt ex ea causa numquam fretum intrasse credantur. Sunt & in mari pisces vrticæ, & pastinacę. De Vrtica dixit Aristot. animal. lib. 1. c. 1. & lib. 4. cap. 6. quod saxis adhęret, habet totū corpus carneum sine testa, sentit, & manum admotam corripit, & in adherescit, ita vt caro intumescat; Os in medio corpore continet, & de saxo, quasi de testa viuit, & natantes pisces retinet, & excipit, nullumque excrementum facit. Vide etiam de hoc pisce Plinium lib. 9. c. 45. De pastinaca autem multa terribilia dicit Plinius, scilicet, quod infixus radici, arbores necat, arma vt telam perforat, vi ferri, & veneni malo, si quid viuum contingit, occidit. Natat, & volat, aculeum mortiferum habet.

Sunt, & animalium similitudines in piscibus. Nam Hippopotamus in solo, ac Nilo viuit, dorsum, & hinnitū habet equinum, rostrum resupinū, vngulas bifidas, dentes aprinos, caudam tortuosam, noctu segetes deuastat, & multa alia facit, vt poteris legere

legere apud Solinum c.34. Plinium lib.8.c.26.& Aelianum lib.5.c.53. & lib.7.c.18.

Sunt,& Simiæ pisces in mari rubro apud Aelianum lib.12.c.25. Et Mullus piscis magno pretio apud Romanos emptus apud Macrobium Satur.lib.3.c.16. Tradit autem Albertus carnem eius libidinem extinguere, & vini tedium afferre (quod & accidit Anguillæ vino necatæ) qui dum spirat, nihil eo formosius est, teste Seneca nat.lib.3.c.17.

Sunt & Lepores marini in Indico, qui solo tactu eius, vomitum,& dissolutionem stomachi creat, alijs piscibus visu tantum mortem affert, & grauidæ mulieri abortum,& si sumatur in cibum, veneno efficacissimo negat. Albertus animal.lib.24. & D. Basilius *Hex.* hom.7.

Datur etiam Leones pisces, Leoni per similes. Bergonas noster anno domini 1280.

Sunt, & Monocerotes, qui deferunt cornu in fronte rectissimum,& acutissimum, valens naues perforare. Vinc.natur.lib.17.ca.120. sed est ignauissimum animal.

Dantur etiam Parasiti pisces sequentes Delphinum, regiam maestatem seruantem, & veluti assectæ sunt,& in obsequio frequentissimi. Gaudet tantum de aliena præda. Aelianus libro 9.ca.7.

Sed, & Ichtiophagi sibi eligunt Regē in vrbe Porimuda in India. Aelianus lib.14.c.8.

Nec desunt formæ armorum in piscibus, vt rotæ, Ensis, gladij, mucronis, lanceæ, Leuæ, Acus, Lucernæ, & aliorum plurium, de quibus poteris legere Maiolum vt supra.

Ad Octauum, dicit Plinius lib.9. c.29. Nautilum piscē esse peritissimum, natat enim,& fit vnus ipse nauis, veli, gubernaculi, & remigiorum artifex. Albertus lib. 24. in Nautilo. Sed & Nauplus sepiæ persimilis nautæ officio peritissime fungitur. Vide Albertum libro 24. Littera C.

Sepiactia est veluti pugilaris, dum. n. metuit, vel abscondere se intendit suo vtitur atramento, colorem fusci pit loci in quo reperitur, & si ex eius atramento lucerna accendatur, astantium vultus facit videri Aetiopicos apud Albertum lib.24. in Sepia. Fugit ab oculis piscantium suum atramentum euomendo, & sic aquā inturbidando.

De Polipio autem nos multa diximus supra. Addimus solum Conchas ex piscari inijciendo in eis lapillum ne se claudant,& locustis marinis tanti est terroris, vt cum adesse nouerint polypum, statim moriantur Arist.animal.lib.8.c.2.& Plinius lib. 9.c.62. Immo aquilam interficit, illā trahendo in pelagus, dum colorem mutat, & volantem aquilam ad ipsum pertinacibus suis brachijs deuincit, ligat,& suffocat. Aelianus libr.7.c.11. Crescit in vastam magnitudinem, & descendit in terram furādo. Vide Aelianum lib.13.

Ad nonum, similiter affirmatiue respō demus cum Olauo referente lib.21. c.16. in Septentrione esse pisces magnos vt sunt præcipuę naues,& magna palatia. Et Strabo lib.15. attestatur compertos fuisse pisces quorum ossibus domus contiguarētur, portæ obserarenturque. Et in Oceani partib. datur piscis Ambraca longus ad brachia 25. & ex illo pisce est suauis ille odor, qui dicitur Ambracan. Et Olaus testatur se vidisse piscem 1532. longum pedes 90. cuius crassitudo ab imo ventre vsque ad summum dorsum erat pedū octodecim, os erat pedum 20. costæ pedum 12. In vtero gerebat tres ingentes specus, in gutture sinus 30. linguā ad 21. pedes longam. Et Albertus Magnus attestatur se proprijs oculis vidisse piscem, cuius fouea singulorum oculorum erat capax 20. hominum, Animal.lib.24 in Cete. Et lustratores noui orbis refe

runt in sinu Orotigna conspexisse piscem cuius capitis altitudo erat in pedes 15. longitudo maior, & reliquum corpus vltra 30. pedes. Et Surius 1531. tradit apud Harlemum Hollandię oppidum, inuentum fuisse piscem longum pedes 68. crassum 30. tanta oris vastitate, vt pateret pedes 12.

Et de pisce Physitherlin Turditania Affricæ ora dicit Strabo lib. 3. quod plurimũ super mare altissimæ colũnæ modo solet se attollere, & ex ore fluuios aquæ euomere, & nisi tubis, & æneis tormentis expelleretur longe a nauibus, nimbosa alluuie aquarum impleret eas. Plinius lib. 9. c. 4. Idem dicit Albertus de Physitero affirmando adeo ingentem fieri, vt molem suam trecenta iuga Bouum non trahant.

Possumus igitur credere Straboni lib. 16. dicenti in Persico littore visum esse Cetelongum cubitis 50. Squamis cute obtecta, crassitudine cubitali, conchis, ostreis, herbisque marinis desuperenatis. Et Plinius lib. 32. c. 1. tradit in flumen Arabiæ, intrasse Cete sexcentorum pedum longitudinis, & trecentorum sexaginta latitudinis. Et D. Basilius Exam. hom. 7. dicit Cete sæpe etiam montibus æquales fieri. Et Aelianus lib. 16. cap. 12. concedit in mari Indico Cete in quintuplo Elephãte maior, & Cete procreari triremibus maiores. Et Onesicritus, & Orthogoras scripserunt Cete longitudine dimidij stadij augeri. Et S. Ambrosius Exam. & Vinc. nat. lib. 17. cap. 41. & S. Augustinus epist. 49. concedunt Cete ad instar insulæ. Et Zonoras in Iustiniano narrat fuisse cete quendam Bizantijs vltra 50. annos molestum, quem Terplinium appellabãt. Hic cum apparebat, multas naues demergebat, & multis hominibus exitium afferebat, nec vllis machinis superari potuit, nisi quod Delphinos insequendo, in lutum profundum incidit, unde emergere non potuit, & inde securibus concisus est, eius longitudo erat 30. cubitorum. Similia legimus de Balenis.

Ad decimum dicit Solinus c. 53. in Gãge anguillas excrescere ad longitudinẽ 300. pedum, & idem affirmauit Plinius lib. 9. c. 3. In lacu Benaco Veronensis dictionis in Autumno mutuo glomerantur, vt globus vnus mille continuisse repertus sit Plinius lib. 9. cap. 22. & tamen non coeunt adinuicem, nec inter eas est fæmina dicit Arist. animal. lib. 8. ca. 30. Albertus tamen de hoc dubitat, cum viderit in Germania duas, ex quarum vteris multæ aliæ ederentur. animal. lib. 24. in Anguillis & addit in Danubio non viuere. Ita omnes murenæ sunt fæminæ, sicut secundum Arist. omnes anguillæ sunt mares, sed murenæ cum viperis coeunt, ex D. Basilio in examer. hom. 7. sed addit Viperam tunc venenum euomere. Hanc tamen fabulam censet Albertus animal. lib. 24. in Murena.

Ad vndecimum de ostreis dicimus cũ Plinio lib. 10. c. 68. Antonio Pigafesta, Maximiliano Transiluano apud Ramusium tom. 1. Ouetano hist. lib. 19. c. 8. & Alberto animal. lib. 5. trac. 2. c. 2. ista haberi. Primum, quod sexum non habent, sicut nec cetera animantiã, quæ saxis adhærent. Secundum quod ex sanguine ostrearum collecto, vt fit in Insula Iambo li Indica vbi multum sanguinis habent, eximia purpura conficitur. Tertium quod in Ostreis nascuntur vniones pretiosissimi, scilicet, perle, vt in insula dicta delle perle patet, in qua reperta est perla, quanta est nux iuglans, & multę in ea reperiuntur tantę magnitudinis. Quartum, quod in Indico mari ad tantam magnitudinem augentur, & in maxima copia, vt vnius caro ad librarum 25. pondus comperta fuisse perhibetur, auctore Antonio Pigafetta, qui etiam

etiam

etiam ad libras 47. quædam inuentę sunt in regno Bunco. Quintum quod excitat libidinem, & nutrit Venerem. Sextum quod eis sociatur animal minimi Cancri forma, à quo monentur quando veniunt Cãcri ad eas deuorandas, nam Cancri Ostreis insidiantur, ita, vt si inuenerint eas apertas, ligno, vel lapide interposito, ne occludi possint eas depascuntur.

De spongia etiam multa dicuntur ab Arist. Plinio Vincentio, Alberto ac alijs, vt quod sit inter plantas, & animalia, quoniam pascitur radicibus, vt planta, & tactum habet, vt animalia. Quod illis domus sunt latebrosæ, multis finibus impenetrabiles. Quod spongię apud se latronem nutriant, quendam pisciculum araneo similem, qui pisces paruulos ad cauernam inuitat, vt ibi clausus fiat cibus spongiarum. Sunt, & alia similia genera adhęrentium saxis, & arboribus, quę videre poteris apud Plinium lib. 9. c. 42. Necenim ex professo scribimus historiam animalium.

Ad duodecimum dicimus mirabiles esse virtutes quorũdam piscium, adeo vt potius admirentur, quam penetrentur. Nam primo de pisce Remora dixerũt Albertus animal. lib. 24. in Echneide, Aelianus lib. 1. cap. 27. & Arist. lib. 2. animal. c. 14. cum Plinio lib. 32. c. 1. Primum quod est magnitudine paruus, Petris assuetus, figura mediocris anguillę, vel lumaci extra testam. Secundum quod adhęret gubernaculo, vel circa puppim, & tanta firmitate sistit nauem, triremem, vel aliud nauigium, quod vt dicit Plinius, ruuant venti, seuiãt procellę, ipse imperat furori, viresq; tantas compescit, vt cogat stare nauigia, quomodo non vincula vlla, non anchorę pondere irreuocabili iactę. Infrenat impetus, & domat mundi rabiem, nullo suo labore, non retinendo, sed adhęrendo. Et ita fecit Pretorię Antonij in Actiaco bello, & triremi Caij principis ab Astura, contra impetum quadringentorum remigum. In naui vero hoc non pręstat. Tertium est, quod in sale asseruatus, talem habet vim, vt aurum, quod in puteos altissimos deciderit, admotus extrahat. Quartum est, quod in isto pisce spectamus quantitatem paruã, sed qualitatem magnam, et virtutem impedendi motum forsitan, quia causat improportionem inter nauem, & motum eius occulta virtute, ei à syderibus impressa. A Grecis non dicitur Remora, sed Echeneis.

Est alius piscis dictus Torpedo, qui stupefacit quicquid viuum, vel mediate, vel immediate eum tetigerit. Secundum Aristot. animal. lib. 16. cap. 10. est fęcundissimus, ita vt producat fætus circa 80. Abdit se in arena, & limo, & omnes pisces supra ipsum adnatantes corripit, & deuorat. Si capiatur, & in mare infundatur, & in eo pariat, aqua omnis hoc vase hausta torpescere facit, pedem, manum, & quicquid tetigerit, & tremere etiam, apud Ramusium tom. 1.

Physulus vero alter piscis in mari rubro repertus, neque oculos, neque os more piscium habens, si comedatur ventrem disrumpit, Aelianus, lib. 3. cap. 17.

Alius est pisciculus Indicus, qui numquam è mari emergit nisi mortuus, qui eum tetigerit, animi defectionibus primo tentatur, deinde moritur. Idem lib. 8. cap. 7. Leonidas Bezantius Physalum appellauit.

Et in Zeila in flumine Arotan alter est, qui manu tenius febrem immittit, & dimissus abscedit Nic. de Comit. Permittit autem se capi, sed captus sponte recedit, & cum eo febris. Alter est piscis in nouo orbe, qui statim quod in stomachum mittitur, febris exoritur Petrus Hispal. p. 5. cap. 34.

Ad decimumtertium respondet Plin.

lib. 32. cap. 2. Scauros habere hanc prudentiam, amicitiam, & amorem erga socium captum, vt omnes, gregatim aduenientes vt socium inclusum eripiant, caudis percutiendo rete, vt exire possit, & mordicus capiẽdo eius caudam, vt exeat tentãt.

Item Delphini, & Balenæ prolem pauentem ore excipiunt, vt tutam reddant Arist. animal. lib. 6. cap. 10. Et idem dixit Aelianus lib. 2. cap. 54. de Mustelo pisce, ait enim. Mustelus piscis, cum timet de suis fœtibus eos ore recipit, et rursus eadem via eosdem reuomens iterum viuos, & incolumes parit. Mirabilius est, quod canicula marina non ore tantum excipiat suos paruulos, sed ventre. Aelianus lib. 1. cap. 18. Sed & Glaucus piscis tanto amore prolem suam diligit, quod si quis ex paruulis suis timere cepetit, inhiantem buccam dilatat, & iuuentem recondit, deinde timore cessante, quem mater deuorauerat, incolumen reuomit, qualem acceperat. Aelianus lib. 1. cap. 17.

Capito etiam alter piscis paludalis nulli alteri pisci nocet, & si in quempiam iacentem inciderit, hunc in suum prandium conuertit, si mortuus sit, si viuus, eo intacto discedit. Idem Aelianus. O vtinam id facerent homines non arrogando sibi aliena viuente domino.

Ita dicimus inter quosdam pisces esse inimicitiam. Nam sicut in eadem specie, formicis inimicus est formiconus, fucus apibus, lupus canibus, cancer ostreis, ita Lucius omnium piscium est tyranus, persecutor, & deuorator.

Ad decimumquartum. Mela lib. 2. cap. 3. respondet affirmatiue ex Arist. de admir. cap. 69. quod quidam pisces in arena aluntur, & quod alij sub terra recunduntur quibusdam temporibus, & mox terra magis exsiccata humorem sectantes in siluam conueniunt, & postquam etiam illa exsiccata fuit, in humido dicuntur consistere, sicut feræ. Vide etiam Plinium lib. 9. cap. 57.

Ad decimumquintum respondet affirmatiue. Aelianus lib. 10. cap. 44. his verbis. Aegiptijs est piscium messis, nam vbi Nilus redũdat in agros, tum ibi piscationes fiunt, vbi arationes factæ sunt. Cum autem Nilus redit ad se, pisces à parẽtis fluuij decessu deserti ad breuia limosa adherescunt, atque Agricolis ad prędam relinquuntur, sic messis piscium est.

Ita legimus apud Ramusium tom. 3. in noua Francia in aquilonari mari noui orbis tantam esse multitudinem piscium, vt nauigia retineantur, vt vlterius progredi non liceat. Et Saxo Gramat. in libri prçfatione ait. In Scaniæ sinu, tanta est frequentia, & copia piscium, vt interdum impacta nauigia, vix remigiorum conamina eripiant, quoniam etiam manus officio capiuntur. Hoc idem comprobat piscium confricatio, in qua exercitus piscium conspiciuntur, & innumera oua quæ intra se habent, ex quibus Pisces producunt, vnde si inter eos non essent prędones, & deuoratores, & ab extrinseco tot piscatores, aquæ implerentur piscibus.

Ad decimumsextum dicimus miras artes, & dolos reperiri in piscibus. Nam Echinus in mari Indico pręsagiendo futuram tempestatem ex ventis futuram, saxum quoddam generosum subiergressus in ipso velut in anchora firmiter fluctuat, & grauitate detinetur. Hoc signum vbi viderint nautæ, sciunt imminere violentum ventorum motum D. Basilius exam. hom. 7. Mirabilius est, quod de Echino tradit Aelianus lib. 9. cap. 47. quod si dissecetur in partes, partes disectæ rursum coalescãt, & in eo reintegrentur, quod non potest prouenire nisi ex magna conuenientia inter partes, & densitate spirituum, qui nondum in parte disse-

cta

cta resssoluti, iterum conferátur cum parte non abscisa.

Ars mirabilis etiam conspicitur in Cancro, qui vt ostreas deuoret, clanculum calculo immisso complicatio nem prohibet, & deuorat, & sic de multis alijs.

Ad decimumseptimũ. Primo dicimus cum Philosophis ranas nasci ex putri materia virtute Solis. Secundo prenunciat pluuias, vociferando vltra solitum. Tertio secundum Isidorum rana viridis in offa permixta data cani in cibum, latrandi vocem ab eo adimit, & si officulus dexteri lateris in vas feruens aquæ injiciatur, vltra non feruebit, nisi extrahatur Albertus animal. lib. 26. in Rana. Hoc autem fit ex eius frigiditate, quæ constringit meatus, & audaciam refrigerat. Ob eandem causam si nitrum persrigidæ naturæ, in os Leonis, aut Vrsi immittatur, mordēdi vim amittunt ob frigiditatem. Isid. lib. 20. c. 2. Quarto in Macedonia mutæ sunt ranæ, ita in Cyrene, in Seripho, ac quibusdam alijs locis, vbi frigidissimæ sunt aquæ, nam si alibi transportentur ad minus frigidas fiunt canoræ. Viuunt etiam Pisis in Etruria in aquis calidis.

Ad decimumoctauum, similiter dicimus affirmatiue, sed eorum cognitio est opus intelligentiæ non errantis.

Ad decimumnonum dicitur affirmatiue, vnde dicit Antonius Pigafetta in Nouergiæ pelago esse piscem nullius formæ, & distinctionis membrorum, aliorum venator, & perpetuus inimicus. Et Aloysius Cardamustius memorat inueniri pisces dentatos aprum more, & cornutos in Burneo Indico mari Orientali, & in Valentia Hispaniç captus est e mari piscis, capite, ore, naribus, oculis, & mamillis vaccæ, cum vulua, sed sine cornibus.

Item in colore est magna monstruositas, cum sint quidam pisces, qui æstate nigerrimi sint, & hyeme albissimi Olaus lib. 20. cap. 17. Vide quid dicat Aelianus lib. 13. cap. 23. de Scolopendris, ac alijs similibus.

Ad vigesimum lustratores noui orbis apud Ouetanum hist. lib. 13. cap. 7. tradunt in mari esse pisces, in littus prosilientes, homines, & iumenta rapientes, & in profundum depascentes. Et Sebastianus Gabortus dicit Baccalaum piscem luctari cũ Vrso. Et Delphini pugnant cum Cocodrillis in Ægipto. Vinc. nat. lib. 17. cap. 17.

Ad vigesimumprimum dicimus. Primo Animum piscem ab homine visum, in eo causare ebrietatem, iram, & rixas, esus vero eum placat. Vinc. nat. lib. 17. cap. 32. Et piscis Gabata fœtus suos à proprio vētre extrahit, & si eos maturos inuenerit foris relinquit, si non, eos in matricem vt magis foueantur reponit. Albertus animal. lib. 24. in Gabata. Tertio. In regno Zapa pisces per triduum in arido descendunt, & si capiantur non se mouent, nisi post triduum. Oderi. lib. 1. Vide alia mirabilia apud Maiolũ Verbo pisces colloquio 9. in fine, nam multa ex supradictis ab eo excepi.

QVAESTIO XL.

Soluens multa problemata de aqua.

PRimo ergo quæritur. Cur cum gutta aquæ in rotunditatem inclinet, si ei addatur alia aqua rotũditatem amittat, & deorsum fluat.

Respondetur id prouenire, quia pondus preualet in aqua inclinationi ad rotunditatem. Quare si ei addatur maius pondus dilabitur, & tamen vbi desinit, se conglobat.

Secundo quæritur, cur aqua semper si possit, ita vt nõ sit impedita semper moueatur.

Respõdetur cum D. Thoma 2. d. 14. q. 1. art. 5. ad 4. quod elementa, (præter ter-

terram, quæ est creata immobilis secundum totum) duos habent motus scilicet proprium, & cęlo subordinatum, quo in circulum cum ipso mouentur.

Tertio quæritur. Cur aqua corpora spongiosa subit. Respondent aliqui prouenire, quia aqua in eo aerem expellit, & ne detur vacuum loco eius subintrat. Sed reddendo causam huius propriam dicimus corpus porosum vim attrahendi ad se habere humidum, quia eius mollities magnam proportionem, & similitudinem cum molli tenet, & hinc est, quod aer inclusus in spongiosis ad se trahit humiditatem, & si aqua ad est, aquam.

Quarto quæritur. Cur aqua currat in mari, cum proprium locum habeat.

Respondetur esse. Primo quia est grauis, vnde inueniēdo declinationem deorsum curri t, vsqueq uo ad mare perueniat. Et si aliquæ aquæ ascendunt, hoc est virtute cęli sursum trahentis aquas illas suo peculiari influxu. Secundo quia pars naturaliter inclinatur ad totum, aquæ autem omnes sunt veluti partes Oceani. Tertio quia omnia ad suam spheram properant naturali motu. Oceanus autem se habet, vt sphera aquæ.

Quinto quæritur. An motus aquæ fluuiorum per circulum, vel aliam figuram currentium sit aquæ naturalis, cum ipsa per lineam rectam habeat motum ad centrum.

Respondetur, quod est naturalis, & si minus quam motus per lineam rectam. Prout enim contingit illam inuenire declinationem ita currit, & eo magis, quod vna pars aliam semper impellit, si licet dare partes in aqua vnita, cum sit corpus homogeneum, sunt enim virtute.

Sexto quæritur. Cur aqua paulatim hausta melius extinguat sitim, quam si celeriter bibatur, & ita de vino.

Respondetur, quod aqua, vinum, & alia liquida subito sumpta non transeunt, palatum ipsum totum humectando, & bene, sicut etiam facit aqua furtiue currens per agrum, quæ solum superiorem superficiem penetrat. Lente autem sumpta, irrorat, madefacit, penetrat, & gustū faciat.

Septimo quæritur. Cur melius, & facilius fiat natatio in aqua marina, quam fluuiali.

Respondetur esse. Primo, quia marina quiescit, & fluuialis cum impetu currit, vnde vires frangit. Secundo, quia marina est calidior, & ideo minus debilitans vires. Tertio quia est crassior, vnde magis corpus sustentat, quam fluuialis.

Octauo quæritur. Cur aqua, & oleum de facili frigore congelantur, non sic acetum, vel vinum.

Respondetur, quod vinum est multum calidum, vnde nisi sit limphatum non durescit. Ita acetum est tenuissimarum partium, vnde concretionem respuit. Aqua vero est frigida, & ideo ad gelu apta. Oleum vero est temperate calidum, vnde illud temperamentum vincitur à fortiori externo sub aere multum frigido, & est densum, vnde durescit.

Nono quæritur. Cur aqua frigida æstuantem quandoque interficiat.

Huic dicimus, quod cum in æstuante pori sint aperti, & spiritus vitales ardentes, sentiendo suum contrarium potentius succumbūt, & deficiunt.

Decimo quæritur, cur aquæ morę minus putrescant. Huic etiam diximus prouenire, quia motus impedit externum calorem ne radicetur permanenter in re ipsa, & sic illam corrumpat, vt diximus in secunda parte.

QVAESTIO XLI.

An aliqua regulæ possint perscribi pro nauigatione aquæ.

Videtur, quod non. Nam regula debet esse de re certa. Sed nihil instabilius,

bilius, & mobilius aqua, & mari: Ergo male possunt aliquæ regulæ statui pro nauigatione.

Quoniam non intendo hic agere de nauigatione, sed solum de sciendis à nautis, ideo multis omissis dico peritum nautam debere omnia ista scire.

Primum debet esse philosophus naturalis Meteorologicus, quia non debet ignorare naturas ventorum, loca à quibus perflent, effectus quos faciunt, & in hoc, & illo mari, quantum soleant durare, &c. de quibus nos supra dedimus signa, & indicia.

Secundo. Debet esse Cosmographus sciendo littora, portus, loca maritima per quæ transit, & ad quæ vadit. Hoc autem obtinere poterit, libros voluendo, & tabulas veras, & rectas Cosmographiæ inspiciendo, ab antiquis nautis, & expertis sciscitando, & secum peritum in hac parte ducendo.

Tertio. Debet esse Astrologus, sciendo distantias ciuitatum, longitudinem, meridianum, altitudinem poli, irregularitatem temporum, dierum, & noctium. Habebitque semper oculum ad Astrolabium, quadrantem Astronomicum, & Geometricum, per quæ sciet altitudinem poli.

Quarto erit peritus in carta nauigatoria, aspiciẽdo à quo loco discedit, per quæ transibit, ad quæ pergit, quando opus erit ei supra ventum nauigare, quando sub vento. Quod milliaria conficiat nauis cum tali vento. Vbi sint scopuli, sirtes, & alia pericula, et in summa omnia necessaria perquiret, sciendo, quod qui nauigat mare, narrat pericula eius.

Ad argumentum dicitur, quod regulæ generales sunt certę physice, idest vt in pluribus, non vero particulares, et Mathematice, quia contingit singularia variari, et vniuersalia permanere.

TRACTATVS Quartus.

De spectantibus ad elementum terræ.

HAec pars præcipua est, multa scitu digna postulans, & nobis familiariora, & ideo magna diligẽtia absoluenda.

Primo autem tractabimus de spectantibus ad eam in vniuersali, deinde descendemus ad multa particularia.

QVÆSTIO XLII.

Vtrum terra sit in medio mundi constituta.

VIdetur quod non. Nam si terra esset in medio mũdi idem esset cẽtrum magnitudinis, & grauitatis eius. Sed hoc est falsum. Ergo non potest esse in medio mundi. Maior probatur, quia cum partes æquales æqualiter currant ad centrum, & sic illud grauent, necesse est, in terra idem esse centrum grauitatis, & magnitudinis. Minor probatur.

Primo. Quia terra in quibusdam partibus est densior, & grauior, & in alijs porosior, & leuior.

Secundo. Quia cum terra, & aqua faciant vnum globum, necesse est vt partes terræ quæ sunt supra aquas, magis distent à centro, quã illæ quæ sunt aquis coopertæ, cum iam sint grauiores, & ex aqua, & ex priuatione radiorum solis, exsiccantis magis, vel minus.

Pro explicatione, & resolutione præsentis difficultatis. Primo notandum venit, quod DD. triplex centrũ distinguunt. Primum vocant centrum vniuersi, idest, illud punctum ex quo intelligimus exire lineas ad circumferentiam primi mobilis æqualiter, & æquales. Secundum dicunt

cunt grauitatis, quod intelligitur stare in medio vnius lineæ rectę, & diuidere corpus in partes æquales in grauitate. Tertium dicunt magnitudinis, scilicet, punctum stās in medio lineę rectę, diuidens corpus in duas magnitudines ęquales. Distinguuntur autem ista centra in corpore non ęquę graui, vnde.

Secundo. Notandum venit, quod vel corpus est ęqualiter graue in omnibus suis partibus, vt v.g. est lapis dēsus, corpus orbiculare plumbi, &c. Vel non est ęqualiter graue in omnibus suis partibus, vt est sphera, ex vna parte lignea, & ex alia plūbea Nam centrum grauitatis, idest, medium grauitatis erit in plumbo, vt in parte grauiori; De centro ergo vniuersi nulla fere est difficultas, quod sit in medio vniuersi, vt probabimus infra. Neque magna est difficultas de centro grauitatis, scilicet, quod centrum mundi sit centrū terræ. Difficultatem maiorem facit solum tertium centrum, scilicet, an terra pro vno, eodemque centro habeat centrum grauitatis, idest, centrum mundi, adeo vt centrum mundi, quod est medium in toto corpore terræ, à quo intelliguntur deduci lineæ ad circumferentiam primi mobilis æquales, quod dicitur centrum vniuersi, & grauitatis dicatur etiam centrum magnitudinis, idest, stans in medio, æqualiter ad omnes partes terræ.

Tertio ergo notandum venit, quod circa prœsentem difficultatem sunt tres opiniones. Prima negat idem esse centrum magnitudinis, & grauitatis, vnde tenent centrum magnitudinis esse parum supra centrum terrę, vt dicitur centrum grauitatis, & vniuersi. Rationes horum positæ sunt in initio quæstionis.

Secunda sententia est Fernelij in sua Cosmotheoria lib. 3. c. 1. & quorundam aliorum dicentium idem esse cētrū in terra, quod dicitur vniuersi centrum, & grauitatis, & magnitudinis. Probant suam sententiam. Primo. Quod terræ congruit non est negandum ei à Deo in sua creatione fuisse datum, cum omnia sua opera creauerit perfecta. Sed maxime terræ congruit, vt habeat idē punctum pro centro vniuersi, grauitatis, & magnitudinis, neque in ea dentur plura centra. Hoc enim tollit in ea multiplicationem indiuisibilitatis, & stabilit in ea magnam cō formitatem. Ergo dicendum venit, quod vnum pūctum teneat pro omnibus centris. Secundo. Quia mirabilis est terræ, & aquæ permixtio, nam etsi in terra sint maria, in mari sunt etiam insulæ, ita vt si in vna parte deficit, in alia supplet.

Tertia sententia est Conimb. 2. de cęlo c. 14. q. 3. & Ruuio 2. de cœlo q. 2. distinguentium, quod idem sit centrū grauitatis, & magnitudinis in terra potest dupliciter intelligi. Primo Mathematice, idest, perfecte, ita vt dicamus terram vndequaque circū circa esse rotundam, & circularem. Secundo Physice & secundum quādam latitudinem, prout potest conuenire corpori habenti eleuationes, & depressiones, valles, & montes, Tunc dicunt primo modo terram non esse circularem, & rotundam, & consequenter non habere idem punctum quasi indiuisibile pro centro magnitudinis, & grauitatis. Secundo modo vtique. Probant Primum, quia in terra non potest dari centrum magnitudinis æquale, cum in vallibus sit depressa, & in montibus alta, minus enim distant à centro mundi, & grauitatis imæ valles, quam alti montes, vt constat. Probant etiam secundum, quia considerando tantam molem terræ simul, & comparando montes, & valles ad centrum eius, quod stat in medio fere nihil est eleuatio montium, & depressio vallium. Et si Oceanus in longum multum trahatur, in profundum

fundum tamen terræ cedit, vt supra diximus.

Mea autem sententia est, quod terra potest dupliciter inspici. Primo in exteriori superficie, prout in exteriori tenet ima vallium,& alta montium. Secundo in interiori puncto considerando eius centrum totale, non vt respicit hanc,vel illam partē, sed vt consurgit ex lineis ab ipso deductis ad circumferentiam imaginariam terræ, Potest enim esse vt in sphera rotunda intercisa in aliqua parte videantur aliquæ partes adinuicem comparatæ inequaliter se habere, quæ tamen nihil facient ad cōtinuatam imaginariam superficiem æqualem eiusdem sphe●. Considero ergo terram,& aquam vnum globum efficere, & quod quamuis partes terræ sint interruptæ,& inæquales,tamen circumferentia aquę, quam teneo esse supra terram est ęqualis,& æque rotunda ,cum vndique per Oceanum terram circundet,& sic dico habere æqualitatem in magnitudine, & in grauitate, cū dijudicem simul adunari aqua, & terra,& habita consideratione illorum æqualiter præmere ad cētrum.

His stantibus sunt conclusiones Prima conclusio est. *Terra* in medio vniuersi sita est,æqualiterque distat ab Ortu solis, & occasu,polo arctico, & antarctico. Probatur primo ex Ptholomeo in suo Alma gesto sic. Visio æqualis, ostendit visum esse in æquali distantia, aliter si maius, vel minus videretur, signum esset magis minusve distare. At Stellæ in eadem magnitudine, & proportione videntur dum in Oriente surgunt, sicut dum in Occidente cadunt, & insuper cognoscimus tot horas, & minuta habere solem ab Oriente ad meridiem, sicut habet à meridie ad occasum. Probatur etiam æqualis distantia respectu Polorum,quia dum Sol est in æquinoctij, Arietis,& Libræ videm⁹, quod eadem mensura,& directione lineę mittit vmbram corporis ad occidentem in mane, sicut facit ad Orientē in sero,& hoc solum euenit illo tempore.

Tertio probatur ab Auerroe 2. de cęlo sic. Certum est Eclipses fieri per interpositionem vmbræ terræ inter Solem,& Lunam,& hoc tantum in plenilunio,quādo Sol,& Luna sunt in oppositione. At hoc fieri non posset nisi terra esset in medio mundi. Nam,& videmus vmbram terrę in Luna tūc apparere æqualem,& obscurari propter terram intermediā. Ergo dicendum venit, quod sit in medio mundi.

Tertio probatur ratione Aristot. 2. cęli tex. 100. sic. Corpora grauia ęqualiter deorsum descendunt, & circūcirca medium seu centrum se conglobant, vt videmus in cumulo frumenti,arenæ,&c. Non enim feruntur sm̄ lineas parallelas, sed ad centrum se per circulum reducunt circumcirca. At terra est grauissima. Ergo æqualiter se stringit, colligit, & conglobat ad medium, & sic medium terræ manet mediū vniuersi.

Secunda cōclusio est Centrū vniuersi, est centrum grauitatis. Probatur. Quia propter grauitatem partium se in centro adunantium consurgit æqualis distantia ad circumferentiā primi mobilis, & sic idem fit centrū vniuersi,& grauitatis.

Tertia conclusio est. Idem est centrum vniuersi, grauitatis, & magnitudinis habita ratione ad circumferentiam aquæ,æqualiter terram girantis. Probatur primo Perfecta figura elementis tribuenda est per Arist. de cęlo. At talis est terra, est enim elementū à Deo perfecte creatum. Ergo putandum venit, quod habeat æqualem circumferētiam, &c. Vide etiam rationes pro secunda opinione.

Ad primum dicimus quod currit considerando partes terræ seorsum, nō

vt proportionem habent cum toto in centro. Potest enim esse quod in Septentrione altiores sint montes, quam in meridie, sed potest etiam esse vt magis sit obstricta terra in Meridie,& magis aquis grauitantibus cooperta,quam pars Septentrionalis. Inspiciendæ ergo sunt partes, vt cum aqua vnum globum grauitatem faciunt, & sic ad centrum currunt,& ita dijudicabimus idem esse centrum,& magnitudinis, & grauitatis, & ita cessabunt alia argumenta.

QVÆSTIO XLIII.

An terra, & aqua faciant vnum globum.

Videtur quod non. Quia habemus ex sacra genesi dixisse Deum. Côgregentur aquæ in locum vnum, & appareat arida. Alius igitur est locus terrę,& alius aquæ. Sed conglobata intelliguntur habere vnum locum, idest, vnam superficiem tegentem. Ergo dicendum venit, quod aqua,& terra non sint adinuicem cóglobata.

Secundo. Terra, & aqua sunt difformes in grauitate, quia terra est grauior aqua, vnde eam expelleret à centro suo, sicut non potest esse idem centrum sphæræ ex parte ligneæ, & ex parte æreæ, nam centrum ligneæ est in ligno, & æreæ in ære. Ergo aqua, et terra non possunt esse conglobata,& idem centrum habere.

Tertio. De ratione centri est, quod tangatur ab his quorum dicitur centrũ, quia ab eo deducuntur lineæ ad circumferentiam. At aqua non tangit centrum terræ. Ergo non habet illud commune cum terra.

Respondeo quod aqua, & terra habeant idem centrum dupliciter intelligi potest. Primo materialiter, et formaliter, ita vt illud punctum quod intelligitur esse vt centrum in medio terræ, dicatur esse centrum materiale etiam aquæ, sicut et terræ et formaliter, quia ab eo habent aqua, et terra stabilitatem, et firmitatem. Secundo formaliter, idest quo ad stabilitatem, sed non materialiter, quo ad contactum. Primo modo non intelligimus, quia terrę damus suum centrum in medio eius, quod dicitur centrum vniuersi grauitatis, et magnitudinis terræ, Aquę vero pro centro assignamus terram ipsam, circa quam voluitur, et sustentatur ne fluuat. Secundo ergo modo intelligimus terram, et aquam esse adinuicem conglobata, vt fere vnum globum constituant.

Secundo ergo notandum venit, quod elementum magis graue seruit pro centro elemento graui quidem, sed minus. Vnde est, quod quamuis aer circundet aquam, non tamẽ dicitur facere vnum globum cum ea, quia differt ab ea in motu, cum sursum tẽdat, aqua vero deorsum. Terra ergo suum habet centrum materiale physice, et formale, quia ei innititur. At aqua non habet suum centrum intra se, sed pro centro tenet terrã, quoniam ea est minus grauis, et tamen cum ea conglobatur, et quasi per cótinuationem vnum efficitur. Nec seiunguntur, quia aquæ fluxus deorsũ continetur à siccitate arenę.

Conclusio ergo est. Terra, et aqua faciũt vnum globum. Probatur. Quæ vna superficie mensurantur, vnum globum efficere videntur. At aqua, et terra vna superficie conuexa mensurantur, cum continuentur adinuicem. Ergo faciunt vnum globum.

Ad primum dicimus, quod aqua, & terra bifariam considerari possunt. Primo, vt sunt elementa, & naturæ quædam in genere distinctæ entis, & sic alius est locus aquæ, & alius terræ, vnde aqua est circa terram. Secundo vt se habent, vt continens, & contentũ, eo modo quo superficies ambiens corpus dicitur eius locus,

&

& vnum facere cum eo,& sic se habent per modum vnius globi,& continentis,& contenti.

Ad secundum dicimus, quod non est contra nos,qui tenemus aquam esse superiorem terra, & eam vndique circundare. Sic enim non est vnum centrum aquæ,& terræ,sed terra inseruit aquæ pro centro, & per hoc patet ad tertium.

QVAESTIO XLIIII.

Vtrum aqua sit superior terra.

Videtur quod non Primo. Deus administrat omnia quæ creauit (ait D. August.7. de ciuitate Dei c. 30.) vt ipsa proprios motus exercere, & agere sinat. At aqua cum sit grauis proprio motu deorsum tendit. Ergo si esset supra terram,eam totam cooperiret. Neque recurrendum est ad miracula, faciendo Deum semper miraculose detinere aquam sursum.

Secundo. Nec obstat quod aqua sit rotundæ figuræ, & se intra globum suum contineat, ne fluat super terram. Nam totum pondus aquæ illam fluuere faceret, sicut si vni guttæ aquæ conglobatæ addantur duæ aliæ,illa fluit,deorsum.

Tertio.Si aqua maris esset terra altior, & Oceanus tota terra, ita vt globus aquæ intersecaret globum terræ,nullæ essent in mari insulæ, nullæ salebræ,aut vadosa loca, quia omnia illa obrueret altior aqua.

Quarto. Si aqua esset terra altior,cum nauis altum mare petit,tardius mouetur, quam cum ad portum descendit. At hoc experientiæ aduersatur, celerius enim mouetur dum e portu soluit, quam dum in portum venit, alijs paribus. Ergo dicendum venit ,quod terra non sit mari inferior.

Quinto. Referunt Lusitani in nouam Hispaniam nauigantes, quod postquam per quindecim gradus progressi sunt, tardius vna hora vident ortum, & occasum Solis, à Lusitanis, Lusitaniam incolentibus. At hoc non posset esse si mare esset altius terra, nam prius appareret nauigantibus, sicut qui habitant in montibus, vel locis sublimioribus vident ortum Solis citius,& tardius eius occasum.

Sexto Terra, & aqua sunt adinuicem conglobata, & vnam superficiem habent, vt ostendit Eclipsis Lunæ vna tantum vmbra Lunã tegẽte. Ergo cum hęc sit vmbra terrę,dicendum venit aquam sub terra esse.

Septimo. Hoc idem videtur annuere scriptura. Nam dixit Dauid. Quod terram fundauit supra maria,& super flumina pręparauit eam. Psalm. 23.Et Psalm.135. Qui firmauit terram super aquas. Et Psalm. 106. qui intrant mare dicuntur descendere ibi. Qui descendunt mare in nauibus.Et Psalm.32. Congregans sicut in vtre aquas maris, idest in cauitatibus terræ. Et Iob 26. & 28. dicit Deum circumdedisse mare terminis suis,Ostijs, & vectibus,quæ nequeunt intelligi nisi de terra mari eleuatiori.

Octauo. Flumina currunt ad mare, & aqua est grauis. Ergo necesse est mare esse inferius imo terreo fluuiorum.

Nono. Si aquæ essent supra terra,frustra fuisset diluuium, cum tunc sufficisset aperire ostia maris, & sinere illum fluuere super terram, & tamen non dicitur creuisse supra mõtes,nisi ex pluuijs.

Circa pręsentem difficultatem duas inuenio opiniones. Prima negat aquã esse terra superiorẽ, vult enim aquæ eminere. Hanc receperunt. D. D. Augustinus Psalm. 135. Damascenus lib.2.fidei orthod.cap 9 Chrisost. hom.9. ad populum Antiochenum. Ægidius lib. Hexam. cap.27. Caiet.& Honcala ad caput 1 Gene-

 sis,Con-

sis, Contarenus lib. 2. de elementis. Clauius ad caput 1. Spherę Io: de sacro Bosco. Conimb. 2. Cæli. cap. 8. q. 4. Rubio q. 3. libri 3. & Molina p. p. D. Thom: de operibus sex dierum. Omnes enim hi vnanimi consensu aquam terra inferiorem constituũt.

Secunda sententia statuit terram esse vltimum, & infimum elementum, & supra terram esse aquam, & supra aquam aerem, & supra aerem ignẽ. Hanc docent. D. D. Basilius hom 4. Hexam. & Thomas p. p. q. 69. ar. 1. Burgensis, & Catherinus ad 1. caput Genesis. M. Tullius de natura Deorum, et alij plures.

Secundo igitur considerandum venit, quod quanto aliquid est grauius, tãto magis descendit deorsum, quia talis est conditio grauioris, vt non stet supra minus graue, sed bene minus graue, supra magis graue, sicut magis leue, vt est ignis respectu aeris, supra aerem ascendit. Cum igitur terra sit aqua grauior, compactior, & immobilior, merito videtur ei attribuenda ratio centri respectu aquæ, non vt vnum centrum commune habeant physice, sed quia ipsa cohibet aquam, & retinet, sicut facit centrum.

Tertio. Notandum venit, quod aliud est loqui de Oceano totam terram circundante, & aliud de hoc, vel illo mari in tali, et tali loco constituto, et ad hanc, vel illam partem terræ comparato. Non enim loquimur de hac, vel illa aqua dum dicimus eam esse terra superiorem, hoc enim perspicue cernitur falsum, sicut etiam falsum est aerem superficiem terræ tegentem, et intra cauernas terrę morantem, supra aquam esse, Loquimur ergo de terra, et aqua, vt in orbe suas determinatas spheras obtinent, et inter se elementa continuationẽ habent, et sic dicimus sphera aquæ eleuari supra spheram terrę, aliter non curreret supra terram, sicut nec magis graue currit supra minus graue, vnde terra constituitur imum, et infimum elementum, magis materiale, et fæciosum, nam quanto aliquid altius tendit, tanto tenuior, subtilior, purior, et spiritualior efficitur.

Conclusio ergo est. Aquæ sphera est eleuata sua natura supra spherã terræ. Probatur primo ex sacris literis. Nam dixit Deus tertia die. Congregentur aquæ in locum vnum, et appareat arida. Quæro ergo. Vel dum aquę creatæ sunt super terram, creatæ sunt in statu suo naturali, aut violento. Nec secundum, quia creatio fuit terminatio ad rem in sua natura constitutam, et consideratam. Si primum. Ergo eis conuenit naturaliter esse supra terram. Confirmatur. Quia scriptura annuit quod dũ dixit Deus. Congregentur aquæ etc. nõ voluerit tunc aquã ad suam naturalitatem deducere, sed potius voluerit vti suo imperio. Ergo ex sua natura conuenit ei supra terram stare.

Nec valet respondere, quod per locum vnum intellexerit Deus cauernas terræ, idest congregentur in cauernis terræ. Nam secundum communem expositionem per locum aquæ intelligitur mare Oceanum, quod dicitur elementum aquæ. Hoc autem mare non est conclusum in cauernis terræ, nisi per partes aliquas. Non enim Oceanus est ab aquis cauernalibus, sed illę ab Oceano. Item dicitur Psal. 103. Abissus sicut vestimentum eius, idest terræ, vestis autem supra rem vestitam est. Et supra montes stabunt aquæ. Nec valet dicere hoc esse dictum de aquis diluuij, vel creationis, quia subdit infra. Terminum posuisti quem non transgredientur, neque conuertentur operire terrã, quasi dicere velit supra montes starent aquæ, nisi tu eis posuisses terminum, iuxta illud Iob. Et dixi vsque huc venies, & non preteribis, & ibi confringes tu-

men-

mentes fluctus tuos,& Hieremiæ.5. Me non timetis, qui posui arenam terminos mari; & sic alias similes auctoritates habemus.

Secundo probatur experientijs certis. Nam si nautæ in littore ponant signum,eleuati in mari,à superficie aquæ inspiciendo,illud signum non vident, nec littus, & consurgentes prospiciunt aquam intra littus, & oculum ipsorum in alium conglobatam. Ita videmus guttam aquæ supra solidam terram cadentem in medio se eleuare,supra superficiem illius terræ cui inhæret. Et facilius aqua salit in summitate montium, & ab illis erumpit, quam possit aliqua pars terræ per virtutem Solis supra aquam eleuari,per modum permanentis. Et ampliora flumina à mari exeunt, & per subterraneos meatus sub terra mergunt, & tandem è terra emergunt, quia sua natura est eleuari si non obsit impedimentum supra terram, vnde nisi facta fuissent eis vasa profunda,totam superficiem terræ iterum cooperirent, sicut fit quando redundant. Dicere autem sensum falli, vt dicũt Conimbr: dum oculus eleuatus in mari inspicit signum relictum in littore quasi inferius, quia terra ob suã nigredinem causat depressionem visionis respectu obiecti, quia nigra videntur ima. Hoc inquam nihil est, quia nec signum videtur.

Ad singulare de fluminibus tres sunt responsiones. Prima S.D. 2.d.14.q. 1. art. 1. ad 4. quod sursum trahuntur è mari virtute corporum cęlestium; vnde concludunt eis hoc non conuenire ex sua natura. Secunda Ruuij,quod ille motus non est aquę naturalis, sed prouenit, quia partes aquæ anteriores effectæ sunt subtiliores, & dulciores meatibus terræ per quos transierunt, & quasi in eis decolatæ sunt, vnde succedendo illis grossiores,impellunt has ad exeũdũ,et ipsę succedũt iactęab alijs ipsis grauioribus,& sic successiue. Tertia est,Parisiẽsium, Molinæ,& videtur Arist.1. Meteor.ca.13. scilicet quod flumen, & fontes non habent ortũ à mari,sed ex aere incluso in visceribus terræ, qui in loco frigido existẽs conuertitur successiue in aquam.

Sed hæc responsio est contra scripturam dicentem. A mari exire flumina,& ad mare redire. Secundo,quia claris experientijs supra deduximus flumina quædam à mari venire. Tertio quia,& si aer faciat ad aquã, non tamen in tanta quantitate, vt conseruet tot ingentia flumina perenniter.

Nec secunda aliquid valet, quia si ille motus esset prӕter naturam non duraret, corrũperet aquas,etc. Nec salvat quare tota aqua cum omnibus suis partibus tendat ad sursum immediate,& dispositiue,si non habet ad locum sursum inclinationem. Prima autem est vera, & concludit propositum nostrum, scilicet, quod cęli sursum trahunt aquas subterraneas, vt propriam naturam teneant scilicet, vt stent supra terram.

Tertio. Naturaliter minus leue vendicat sibi locũ supra magis graue,per Arist.1. Cęli. At aqua est leuior terra. Ergo debet supra eam stare. Respondet Ruuio naturale esse minus graui, vt sustentetur à magis graui, non vero esse supra ipsum, cum et super puteos sit solus aer,et maxime facta congregatione aquarum in locum vnum tertia die.

Sed hoc responsio fuga est. Nam sustentans aliud sub eo est, vt fundamentum sub tecto,& pariete. Si ergo terra sustentat aquam sub ea erit. Secundo, quia non intuetur aquam vt dicit elementum in sua sphera, sed hãc, vel illam,terræ permixtam. Tertio, quia illa congregatio facta est non à natura aquæ declinante sub terra, sed à Deo aquam reducente in mari.

Ad primum in contrarium diximus supra

pra aquam non descendere. Primo quia Deus sic voluit. Secundo quia siccitate terræ, & arenæ coercetur, quasi eam expellat intra se ipsam, ex quadam occulta qualitate ei data à Deo. Tertio. Quia se redigit in figuram orbicularem vnde non fluit, sicut videmus in gutta aquæ supra lapidem cadente. Quarto, quia in sua sphera non est grauis, dum pro termino habet magis graue, remoto autem eo descendit. quia nihil ante se habet ea grauius. Vnde hoc non fuit miraculum nisi quo ad locum, non quo ad superioritatem.

Ad secūdum dicimus, quod dum aqua est conglobata non fluuit, nisi ei superueniat grauius, modo aquis Oceani ingentibus, nil aduenit grauius.

Ad tertium dicitur, quod in aliquibus locis probat aquam esse inferiorem terra, sed non in alto Oceano. Secundo dicitur melius, quod prope terram aqua declinat, & in medio in orbem se eleuat, vnde nihil officit, vt possint in mari esse insulę, &c.

Ad quartum dicendum, quod nauis (vt nautæ mihi dixerunt) maiori impetu si non adsint venti in portum descendit, quam ascendat. At si venti sint, facilius, & promptius exit, quia venti flant è terra.

Ad quintum dicimus ideo nauigantibus in Orientem tardius Solē oriri in mari. Primo, quia vaduntad altum mare magis in medio se erigēs, vnde respectu eius sunt velut in valle habentre ante se mōtem, quod non accidit stantibus in terra, vnde in altiori parte maris hoc eis non eueniet, aliter si per 15. gradus sēper versus Orientem procedendo perderent vnam horam, deuenirent ad minimum diem, quod falsum esse deprehendunt. Secundo prouenit, quia Orientaliores sicut prius viderit solem, & habent diem, ita citius etiam eis apparet nox, vnde Eclipsis, quæ prima hora noctis apud nos est Lunæ, accidit tertia hora noctis nobis Orientalioribus, quia diem per duas horas ante nos habuerunt. Si igitur Lusitani terram incolentes vna hora citius vident Solis ortum nautis in mari eleuatis per 15. gradus, quomodo citius vna hora videbunt etiam occasum, si eis sunt altiores? Nam supra montes stantes citius in mane, & tardius in sero vident Solem. Vnde dicitur, quod videbunt nautæ Orientaliores citius ortum Solis, & occasum.

Ad sextum diximus illam esse vnam vmbram terræ, & aquæ, interiorem terræ, externam aquæ, vnitæ tamen.

Ad septimum dicitur, quod authoritates adductæ valent de aquis subterraneis, non Oceani. Vel huius, & alterius loci, non in Oceano. Vel in littore, non in alto mari, vt explicuimus supra.

Ad octauum dicitur, quod flumina currunt in mari in extremo, vbi est inferius terra, sed redundat, & exit in virtute superioris eius partis orbicularis, in alto mari existentis.

Ad nonum diximus diluuium aquarum è cęlo fuisse necessarium, quia aquæ maris erant in figura circulari in mari coercitæ, non grauitantes, vnde naturaliter non debebant fluere. Fluxerunt autem, & ipsę aquis pluuialibus auctæ.

QVAESTIO XLV.

Vtrum terra sit immobilis.

Videtur quod non. Primo. Nam immobilitas arguit maiorem perfectionem, quam mobilitas, vnde Deus, & Angeli dicuntur immobiles, & stabiles non sic inferiora. Sed sol est nobilior terra, ergo dicēdū venit, quod terra moueatur in epiciclo Lunæ mobili, et Sol stet immobilis in centro mundi, vt tenuit Copernicus.

Secundo. Id quod est melius Soli attribuendum venit, & non terrae. Sed melius est, quod contentum, idest terra moueatur, quam continens.i. cęlum Solis. Ergo Sol est immobilis, terra mobilis.

Tertio Inaequalitas distantiae planetarũ à terra arguit inaequalitatem motus terrae nunc magis, & nunc minus distantis. At experientia docet Planetas in ortu vespertino esse terrae proximiores, quam in ortu matutino, vel occasu vespertino, nam in ortu vespertino soli opponuntur, & terra media est inter Solem, & ipsos planetas, in ortu vero matutino, & occasu vespertino circa Solem feruntur, & ideo minus distant. Ergo dicendum est terram moueri, & Sol starę.

Quarto. Si terra esset immobilis in medio vniuersi, stellae errantes non essent quandoque ei propinquiores, & aliquando remotiores, cum semper esset in medio. At hoc falsum cernitur, quia quandoque magis distant, & aliquando minus. Ergo, &c.

Quinto. Arguitur ex proportione distãtiarum reperta inter nos, & astra, seu ex crassitie spherararum. Nam dicunt Astronomi Lunae crassitiẽ esse 21. Semidiametrorũ. Mercurij 103. Veneris 913. Solis 44. Martis 7. 640. &c. Cum igitur Sol lucis pater sit, & influuentiae praecipuae fons, videtur inconueniens ei attribuendũ esse tam exiguum cęlum, quod inconueniens tollitur eo posito in medio vniuersi, & terram circa ipsum circumuolui, nam sic crassities planetarum bene potest augeri, habita ratione situs, & loci, ita vt Venus, & Mercurius, &c. habeant maiorem crassitiem Sole, minorem vero Luna sumpta simul cum terra, & orbe elementari.

Sexto. Sol creatus fuit vt lumen suũ diffunderet per omnia corpora, & loca. At sic melius hoc peragit stando in medio vniuersi immobilis, diffundendo lumen in omnia prout ad ipsum mouentur. Ergo erit immobilis, & terra mobilis.

Pro resolutione huius quaestionis. Primo notandum venit, quod circa mobilitatem, vel immobilitatem terrae plures fuerunt dicendi modi, vt videre licet apud Plutarchum 3. de placitis c. 13. & 15. Albertum Magnum 2. cęli tract. Conimb. 2. de cęlo c. 14. q. 5. &c. Niceas ergo Syracusanus tenuit terram volui in circulum summa celeritate. Et Philolaus pytagoricus cuius visendi gratia Plato Italiam petijt, terram inter astra errantia connumerauit. Et Aristarcus Lamius Ptolomeo 400. annis antiquior, posuit terram extra cẽtrum mundi mobilem. Thales quoque eam censuit more nauigij supra aquam sustentatam vehi, & aquaiũ mobilitate fluctuare, dum tremit per terraemotum. Heraclides ponticus, & Elephantus pythagoreus dixit volui ab Oriente in Occidentẽ, tamquam rotam circa suum centrũ. Et Democritus autumauit terram prius fuisse raram, & mobilem, & deinde adensatam perstitisse.

Sed, & Copernicus tenuit Solem stare in centro mundi immobilem, & terram in epiciclo Lunae positam in eo moueri, sic enim stando Sol in medio immobilis alijs melius lumen suum impartitur.

Opposita sententia, scilicet, terram esse immobilem, omniaque astra duplici motu moueri, scilicet, motu raptus qui est motus primi mobilis, & proprio, est communiter inter philosophos, & veros Astrologos recepta, vnde in eius fauorem ponimus conclusionem Conclusio est. Terra est immobilis, in centro vniuersi constituta, Sol vero, et alia astra mouẽtur. Probatur primo ex sacris litteris. Nam Ecclesiast. 1. dicitur. Terra autem in aeternum stat, oritur Sol, & occidit, et ad locum suum reuertitur,

tur, ibique renascens girat per meridiem. Et de eodem Sole, dicitur Psal. 12. Exultauit vt gigas ad currendam viam. Et de terra habetur Psal. 74. Ego confirmaui, columnas eius. Iob 26. Qui apprehendit terrā super nihilum, et Psal. 92. Firmauit orbem terræ qui nō commouebitur, et Psal. 103. Fundasti terram supra stabilitatem suam, non inclinabitur in seculum seculi. Et Paralyp. 16. Deus fundauit orbem immobilem.

Sed respondent aduersarij verba scripturæ esse interpretanda non secundum sonum verborum, sed solum secundum captum hominum, qui iudicant cęlos moueri et terram quiescere. Secundo dicunt esse intelligenda comparatiue, idest, quod terra minus mouetur, quam alia elemēta, quæ magis fluunt, et perturbantur. Tertio quod terra dicitur immobilis respectu centri, quia centrū stat immobile, et colligit omnes partes eius per addensationem ad ipsum.

Sed omnes istæ responsiones scripturā extorquēt, et interpretationem. Nā communis consensus patrum facit argumentum de fide, in rebus fidei. At nullus est sāctorum patrum, qui loca allegata non interpretetur de vero motu astrorum, et vera quiete terræ. Ergo non est ab hac sententia nisi temere recedendum. Secundo. Quia dum scripturæ referunt astra moueri, et terram quiescere, adducunt etiam causam .s. ad illuminandum, influendum in astris, et ad repræsentandam Dei stabilitatem in terra, vnde non est se accommodare captui rudium, sed docere de naturis rerum. Tertio, quia verba absoluta non sunt respectiue intelligenda, nisi quando absolute dicerent imperfectionem, vel inuoluerent repugnantiam, quod nō est in præsentij materia. Quarto, quia Iosue orauit vt Sol staret, et Ezechias vt retrocederet, Ezechias autē erat expertus artis Astronomiæ, et Iosue hoc fecit dictāte Spiritu sācto.

Secundo. Si mouetur, vel motu circulari, vel recto mouetur, quia vni simplici corpori conuenit tantum vnus motus simplex, per Arist. primo cęli. At terra non potest moueri motu recto, quia sic ascenderet, et descenderet. Nec circulari. Primo quia sic experiremur singulis horis mutare distantiam ad Polos, si moueretur à Septentrione ad meridiē, & qui in vna hora vident arcticum, in alia viderent antarcticum. Et eadem pars terræ in vna hora esset frigida in arcticum, & alia calida in Antarcticum. Nec motu circulari ab ortu in occasum, vel occasu in ortum. Nam sic singulis noctibus diuerso tēpore eadem stellę orirentur, & occiderēt, nec esset certa hora eclipsis in hoc, vel illo loco, quia planetarum, & sydetum aspectus pro hemisperiorum diuersitate variarētur. vnde si terra moueretur, incolæ eius perennitet eius hemisperia cōmutarent.

Respondent contrarij primo ad maiorem, quod corpus simplex secūdum formam, & qualitates vno tantum motu mouetur, modo & si terra sit corpus simplex secundum formam, non tamen secundum qualitates, vnde vt est grauis mouetur deorsum, & vt circularis in girum. Secundo dicunt ad minorem, quod dum terra mouetur secum rapit aerem, sicut facit cometa dum in circulum mouetur, & ita non variatur situs, qualitas aeris, &c.

Sed ista leuia sunt. Primum, quia motus adæquatus mobili est tantum secundum vnam qualitatem. Talis autem est, vel circularis, vel rectus, vnde alij motus sunt inadæquati, & partiales. Hinc cęli tantum motu circulari mouentur, & si adæquate duplici motu, s. ab ortu, in occasum, & è contra. Terra autem non posse moueri, nec recte, nec circulariter

dua-

diximus. Nec secundum valet, quia data tractione aeris, cum Sol secundum aduersarios stet immobilis, sequeretur nunc accedendo ad meridiem magnopere calere, sicut accidit habitantibus in illa regione, & in alia eiusdem diei maxime frigescere, vt esset terra in Septentrione, & alia plura similia absurda sequerentur.

Tertio: Si moueretur terra concuterentur ędificia, quia non esset adeo motus suauis, vt non faceret aliquam trepidationē, sicut etiam cernimus in cælestibus spheris. Nec sydera nobis semper apparerent in eadem distātia qualibet hora, etiam si per diē viderentur, & multa alia inconueniētia sequerērtur, omnib. fere nota.

Secunda conclusio cōtra aliquos DD. est. Terra nec potest moueri motu trepidationis tota, & regulariter. Probatur. Primo si terra ex seipsa moueretur motu trepidationis; data maiori causa magis hoc motu moueretur. At hoc est falsum. Nam concitata magis per currus, pondera, pluuias, ac grauissima pondera, non quatitur, sed inmota, & inconcussa permanet. Ergo nullo motu potest tota moueri.

Secundo patet experientia terræmotus, in quo etsi videamus aliquas partes concuti, proximæ tamen permanent immotæ.

Ad primum autem in contrarium dicimus, quod duplex est motus. Primus dicitur motus cōmuniter, quia tantū significat rē moueri. Secūdus dicitur effectiuus, i. mouere se, vel mouere aliud. Primus non arguit perfectionem, sed naturam rei mobilis. Secundus vero arguit hoc modo perfectionem, quod perfectius est mouere, quam moueri, & quiescere, idest, non dependere ab alio in motu, quam dependere. Hoc autem modo Sol est immobilis, idest, agit in inferiora, & non suscipit ab eis actionem.

Ad secundum dicitur, quod moueri ad influendum melius est, quam immobiliter stare ad suscipiendum, vt est casus in Sole, & terra.

Ad tertium negatur minor, est enim deceptio sensus orta ex vaporibus, vt in vniuerso cęlesti ostendimus, & per hoc.

Ad quartum patet, quod enim dicimus de fixis, affirmamus etiam de planetis, & econtra.

Ad quintum dicimus, quod proportio, & simetria sępe admittit varietatē, & interpositionem alicuius minoris, quam sint vel præcedentia, vel subsequentia, vt patet in simetria musica, vbi ad constituendam perfectam harmoniam sępe interponuntur semitoni, dieses, & silentia. Vnde ad semetriam vniuersi potest pertinere, quod Sol sit in quarto loco cum crassitie solum 34. semidiametrorū terræ, & tertio loco sit Venus, quæ sit 933. semidiametrorum terræ in crassitie, & primo loco Luna, quę habeat 31. semidiametros, de quibus semidiametris modo non disputamus, sed tantummodo ostendimus non inficere, quod Sol quarto loco sit, & moueatur.

Ad sextum negamus minorē, quia melius Sol illuminat motus inferiora vndequaque, & superiora, cum diuersis aspectibus, & rationibus necessarijs ad vicissitudines rerum.

Si quis autem quærat, vnde oriatur immobilitas terræ, & à quo procedat, respōdendum venit, quod circa causam immobilitatis terræ fuerūt multæ opiniones. Nam in primis Thales Milesius dixit terram non ruere, quia ab aqua sustentatur, sicut aqua sustentat nauem. Sed hoc est falsum, quia minus graue non sustentat magis graue, terra autem est grauior aqua.

Democritus, & Anaxagoras dixerunt prouenire, quia terra est latæ figurę, vnde potest sustentari ab aqua, prout ab ea sustentantur corpora in

latitudinem protensa. Sed & hoc non auditur, quia terra non est lata, sed sphericæ figuræ, & quia cum sit grauissima, super aquam non posset ab ea sustineri.

Xenophones Colophonus dicebat terram in infinitum porrigi, ideo ob id non labi. Sed, & hoc erroneum est. Primo, quia tollit figuram spheri à à terra. Secundo, quia ponit infinitum in actu. Tertio, quia si ex altera parte subtus nos porrigeretur in infinitum, motum cęli impediret. Et quarto, quia compertum est hoc esse falsum, scilicet, quod versus Antipodas habeat infinitatem.

Anaximander Milesius, & nonnulli alij autumabāt causam immobilitatis terræ esse, quia æqualiter pendet in medio vniuersi, vnde cum nō magis declinet ad vnam partem quam ad aliam non se mouet, sed suspensa immobilis permanet.

Sed nec hoc sufficit, quia rationem fundamentalem non assignat, cur terra æque pendeat, nec magis ad vnam partem, quam ad aliam vergat.

Opinio ergo Peripatetica, & vera est, causam huius esse, quia cum terra sit grauis, versus centrum se stringit omni ex parte, & se in rotundum redigit, & in loco maxime a cælo remoto se conducit, quod est medium mundi, In hoc ergo loco constituta non potest moueri nec sursum, nec deorsum, quia sic ascendendo, vel descendendo versus cęlum nō maxime ab eo distaret, & ad medium vniuersi descenderet. Et hoc est quod Psalmes explicuit dicēdo Psal. 103. Fundasti terram super stabilitatem suam, non inclinabitur in seculum seculi. Et Iob dum dixit ca. 26. Qui appendit terram super nihilum, idest, sine alio fundamento.

QVAESTIO XLVI.

Vtrum terra cœlo comparata se habeat vt punctum.

Videtur quod non. Primo. Nam punctum est indiuisibile, & partibus vacat. Terra non, cum sit diuisa in magnas regiones, prouincias, & diœceses. Ergo non se habet vt punctū.

Secundo. Indiuisibile, & diuisibile non habent proportionem adinuicem, cum opponantur. Sed terra habet proportionem ad cęlum. Nā inter illa est proportio quota, interq; ex multiplicatione vnius pōt deueniri ad quantitatem alterius, modo ex repetitione quantitatis terræ possumus deuenire ad quantitatem cęli. Ergo.

Tertio. Luna non comparatur ad cęlum vt pūctum. Ergo nec terra. Antecedens probatur, quia visui exhibet sensibilem quantitatem Consequentia. Quia terra est maior Luna, vnde dicunt Astronomi, quod si quis ex orbe lunæ terram aspiceret, terra videretur ei maior ter, & quater corpore Lunæ.

Quarto. Terra, & aqua vnum globum faciunt. Hoc autem mirum videtur, quod tanta moles comparata cęlo, sit veluti punctum.

Hæc quæstio facilis est, & ideo breuibus explicanda. Nam quod terra se habeat vt punctum respectu cœli, est verum his sub intellectis.

Primum, quod non intelligatur physice, & naturaliter esse punctum indiuisibile, cum vere sit corpus trinā dimensionem habens, longitudinē, latitudinem, & profunditatem. Dicitur aūt veluti punctum nō absolute vt dixi, sed cōparatiue, i. respectu cęli, vnde cessat primum argumētū.

Secundum est, vt non intelligitur esse punctum, sed quasi punctum, per energiam loquendo, idest, est tanta magnitudo cęlorum, vt si comparemus ei terræ magnitudinem, videatur esse veluti punctum, sicut granū arenæ

arenæ est veluti punctum indiuisibile comparatum cum magno ædificio, & sic cessat secundum argumentum. Potest enim fieri repetitio v.g. grani arenæ ad tantum numerũ, vt deueniatur ad magnitudinẽ magni ædificij, sed hoc arduum est facto, & computatione.

Tertium est, vt comparemus terram, cum firmamento, vel cum vnione, & aggregatione omnium corporũ cęlestium, non vero cum planetis inferioribus, quia terra est maior Luna, vnde ruit tertium argumentum.

Quartum est, quod comparando terrã cum Sole, vel alio planeta, vel Stella fixa in singulari, nõ inspiciamus corpus ipsum, sed eius virtutem, quia quamuis per noctem Sol sit sub terra, & Luna sit ea minor, attamen suam virtutem diffundunt non solum per terram, sed in omnia elementa, & corpora cęlestia, vnde etiã de nocte sole non lucente super terram generat cum homine hominẽ, & sic omnia alia astra ad terram pro omni tempore offendunt suos influxus, etsi diuersimode modificentur in inferioribus, secundum diuersas eorum dispositiones, & sic etiam eneruatur quartum argumentum.

Cõclusio ergo est. *Terra toti cęlo comparata, se habet veluti pũctum.* Probatur à Ptolomeo sic. Primo. Si terra nõ compararetur cęlo vt punctum, eadem stella non posset in eodem tẽpore in omni mundi regione videri, dico de stellis firmamenti. Hoc falsum est, quia eadem stella fixa, eodem tempore potest videri ab omnibus terram habitantibus, dummodo suprà Horizontem sit. Ergo necesse est dicere, quod terra comparetur cęlo, vt punctum. Et idem dicimus de planetis respectu ipsorum. Nam quod non videantur sub terra est, quia ex impedimento terræ non videmus totum cęlum, sed tantum medietatem supra nos existentem.

Secundo. Si quælibet stella videtur, cum hęc sit veluti punctus in firmamento, merito concluditur, quod terra sit veluti punctum à fortiori respectu firmamenti.

Hinc ergo cum terra sit veluti pũctum respectu cęli, deridenda est insania hominum, qui pro puncto cęlum perdunt. Quam rẽ etiam Plinius gentilis considerauit, dum lib. 2. nat. hist. cap. 68. dixit. Mundi punctus, (neque è enim aliud terra in vniuerso.) Est materia gloriæ nostrę, hęc sedes, hic honores gerimus, hic imperia exercemus, hic opes cupimus. Hic tumultuatur humanum genus, hic bella etiam ciuilia instauramus, mutuisque cędibus laxiorem terram facimus. Et vt publicos gentium furores transeam, hoc in qua conterminos pellimus, furtoque vicini cespitem nostro solo affodimus, vt qui latissime rura mercatus fuerit, vltraque fines exegerit accolas, quota terrarum parte gaudeat? Vel cum ad mensuram auaritiæ suæ propagauerit, quam tandem portionem eius defunctus obtineat?

Reddit autem rationem D. Tho. p. p. q. 50. cur corpora cęlestia sint quasi improportionabiliter terra, & inferioribus maiora in magnitudine, quia scilicet quanto entia sunt perfectiora, tanto magis multiplicantur, vnde concludit, quod sicut cęlum improportionaliter est terra maius in quantitate, ita etiam Angeli excedant inferiora in multitudine.

QVAESTIO XLVII.

Vtrum possit sciri magnitudo terræ, ambitus, diuisio, & habitatio.

Videtur quod non. Nam vbi diuersæ sunt opiniones, & omnes suis rationibus fulcitæ, nulla certitudo haberi potest. At circa magnitudinem terræ diuersæ sunt opiniones, vt licet videre apud Plinium lib. 2. nat. hist.

hist. c. 108. Macrobium lib. 1. in somnum Scipionis. Bedam de rat. temp. & recentiores plures. Ergo de magnitudine terræ nil enunciare possumus.

Confirmatur. Quia ambitus terræ continet.

Secūdum Aristotilem. Stadia 400000. quæ sunt milliaria 5000.

Secūdū Eratosthenem stadia 252000, idest milliaria 315000.

Secundum *Hipparchum* 277000. stadia, idest milliaria 34625.

Secūdum Ptolomeum stadia 180000. idest milliaria 22500.

Secūdum Alphraganū stadia 163200. idest milliaria 20400.

Secundum Recentiores stadia 152640. idest milliaria 19080.

Diameter terræ continet.

Secundum Arist. stadia 127972. idest milliaria 15909.

Secundum Erathostenem stadia 80181. idest milliaria 10022.

Secūdum *Hipparchum* stadia 88136. milliaria 11017.

Secundum Ptolomeum stadia 57272. milliaria 7159.

Secūdum Alphraganum stadia 51927. milliaria 6490.

Secundum recentiores stadia 48567. milliaria 6070.

Pro explicatione huius quæstionis. Primo notandum venit, quod Astronomi cū Mathematicis assignāt quasdam mensuras, tamquam canones infallibiles ad mensurandum, vnde sciendæ sunt. Dicunt ergo sic.

Granum ordei omnium mensurarum est minima.

Digitus constat 4 granis, palmus 4. digitis. Pes 4 palmis. Cubitus paruus 6. palmis, Cubitus communis 4. pedibus. Cubitus magnus 9. pedibus.

Item dicunt passum esse triplicem. Scilicet, primæ, secundæ, & tertię differentię, & vnusquisque illorum diuidi in duplicem, & simplicem.

Passus simplex primę differentię est duobus pedibus. Duplex primæ 4. Simplex secundæ 10. palmis. Duplex secundę 5. pedibus. Simplex tertiæ 3. pedibus. Duplex tertię 6. pedibus.

Vlna communis 4. pedibus. Vlna agrestis 6. pedibus.

Pertica 10. pedibus.

Stadium 125. Passibus.

Milliare Italicum 12. stadijs, seu mille quingentis passibus Mathematicis.

Leuca, Germanica 32. stadijs, seu milliaribus 4.

Leuca Gallica 12. stadijs, seu vno milliari cum dimidio.

Assignant etiam alias mensuras, & dicunt, quod. Vncia est duodecima pars assis. Sextans 2. pars. Quadrans 3. Triens 4. Quincunx 5. Semisses 6. Septunx 7. Bissex 8. Dodrans 9. Dextans 10. Deunx 11.

Secundo. Notandum venit, quod diameter dicit totam longitudinem terræ in profundum, vnde si diameter terrę secūdum Ptolomeū est 57272. stadiorum, idest milliariorum 7159. semidiameter terræ, idest medietas diametri erit milliariorum 3579. & tanta erit distantia ad inferos, quoniam infernus tenetur communiter in centro terræ, idest in eius medio. Semidiameter vero terrę cognitus fuit ex cognitione maximi circuli. Circūferentia autem cognita est ex correspondentia milliariorum vni gradui cęlesti. Nam gradus celestes sunt 360. cum cęlum constet ex 12. signis Zodiaci, & quodlibet signum includat 30. gradus. Numerus ergo correspōdens vni gradui cęlesti multiplicatus per 360. dat circunferentiam maximi circuli. Et quia proportio circunferentię ad diametrum ex Archimede est fere tripla sesquiseptima, qualis nempe est 22. ad 7. diuisa circunferētia 22. partes septem ex illis dabunt fere diametrū. Quia igitur supradicti diuersimode mensurauerunt circunferentiam, ideo varia-

variauerunt in assignandis diametris, & semidiametris terrę, & sic in assignanda eius longitudine, & latitudine.

Tertio. Notandum est etiam, quod ex diametro potest cognosci circunferentia, area, superficies connexa, soliditas, & alia huiusmodi cuiuscunque corporis circularis. Nam multiplicato diametro per 22 & diuiso numero producto in multiplicatione per 7. quotiens habebis circunferentiam. Multiplicata circumferentia per 7. & diuiso numero producto per 22. quotiens, dabit diametrum.

Secundo. Multiplicata semidiametro circuli cuius quæritur area per illius dimidiatam partem, productũ areã dabit.

Tertio. Area autem multiplicata circuli maximi per 4, tota superficies connexa habebitur.

Quarto. Multiplicata semidiametro per tertiam partem superficiei conuexæ, id quod resultabit, totam soliditatem sphere dabit.

Quinto. Area maximi circuli tot quadrata continet mensurę per numerum expressę, quorum vnumquodque in singulis lateribus vnam ex eijsdem mensuris cõplectitur, quot vnitates sunt in dicto numero expressiuo areæ. V.g. si area sit 5555. milliariorum Italicorum, sequitur posse esse in illo circulo tot milliaria quadrata nempe 5555. Causa est. Quia areæ figurarum planarum mẽsurantur per quadrata illarum linearum, per quas latera earum figurarum solent mensurari.

Sexto superficies etiam conuexa mensuratur per quadrata v. gr. si ponatur superficies conuexa esse alicuius 5555 milliariorum Italicorum, sequitur, quod in illa superficie possunt esse 5555. milliaria quadrata. Notandum est tamen, quod stadia quadrata non eadem modo reducuntur ad milliaria, quo reducuntur stadia super lineam rectam posita. Nam stadia in longum octies sumpta, vnum miliare simplex constituunt, sed octo quadrata non faciũt miliare quadratum, quia numerus quadratus oritur ex defectu numeri in seipsum, vnde numerus quadratus resultans ex octonario erit 64.

Quarto ergo accedendo ad rem nostram sciendum est, quod communiter tota terra diuiditur in quatuor partes principales, scilicet in Asiam, Affricam, Europam, & Americam, idest nouum orbem, de quibus modo aliqua dicenda veniunt, sed prius soluenda sunt argumenta. Scorsum enim de his dicemus.

Ad argumentum dicimus, quod diuersitas opinionum in duobus potest considerari. Primo in semidiametris, & diametris terræ, & sic in his multa varietas, & incertitudo reperitur quo ad numerum. Aliqui dixerunt hoc euenisse, quia multi errauerunt dimetiendo etiam cliuosa, & obliqua, & non dirigendo mẽsuram per rectum. Alij quia non seruauerunt eandem mensuram. Sed melius dicitur prouenisse, quia non inspexerunt sydera, sed terram ipsam, quæ adhuc non est tota nota, vt Magalanica, quæ tendit ad Austrum, & Septentrionalis sub arctico. Secundo ista diuersitas potest considerari in semidiametris, & diametris in ordine ad sydera, & sic nullus est, qui dissentiat. V. g. quod eleuatio sub tali gradu ad polum dicit tot milliaria, & quod tot graduum varietas æquinoctialis secundum ascensum, & descensum arguat tantam distantiam, vnde si totus orbis in Orientem, Occidẽtem, Austrum, & Septentrionem posset vagari vsque ad fines, bene, & certe possemus pronunciase de magnitudine terræ, & distantia cęlestium spherarum.

De Asia.

Asia ponitur quidem quarta pars orbis,& tertia antiqui, sed censetur maior pars terræ, & quasi media, quoniam multa, ac ingentia regna colligit, & comprehendit. Dicta est Asia à quadam muliere dicit Isidorus, quæ imperium tenuit Orientale. Continens eius superat totam Affricam, & Europam simul, & solum eius insulæ excedit totam Europam. In hac plantauit Deus paradisum voluptatis, constituit proprium imperium, & iecit fundamenta prima nostrę Ecclesię. In hac Christus natus est, vixit, mortuus est, ad cęlos ascendit, & venturus est iudicare viuos,& mortuos. Est promissionis terra, Euangelij tuba, totius mundi parens, quoniam ex ista primi homines exierunt, primi ciuitatū, & habitationū,& artiū Magistri consurrexerunt. Prima imperia, & regna in ea inceperunt, primæ scientiæ emanauerunt,& primi terræ cultores processerunt. Ab hac sūt mirra, incensum, piper, canella, garofanum,& alia aromatica, gemmę pretiosiores,& innumera alia bona.

Veteres ei pro terminis dederunt à parte Europę versus Septentrionem fluuium Tanaim, paludem meotidem.

A parte Affricę Nilum, separantem Affricam ab Asia. A parte, vt diximus versus Arcticum habet ergo Tanaim,& Meotidem. Ab Oriente ortum Solis, à Meridie Oceanum, ab Occidente mare nostrum. Alij dicunt Asiam in tribus partibus Oceano circundari. Ab Oriente Oceano dicto Coo, à Meridie Oceano Indico, & à Septentrione Scithico. Ab Occidentali plaga ab Europa separatur, & Affrica per sinum Arabicū,& mare rubrum, à Mediterraneo,& ab Eusino. Alij latiores terminos ei concedunt, de qua re modo non est nobis agendum, qui ex incidenti fere terram modo describimus.

Diuiditur fere per mediū monte Tauro secūdum Strabonē, incipiendo à littore Rhodi, & tendendo vsque ad extremas partes Orientales Chinæ,& Tartariæ, quod est spatium longitudinis milliariorum Italicorum 5625.& hic mons in latitudine sæpe patet ad 375. milliaria. Greci illam partem Asiæ vltra montem Taurum Septentrionem versus vocauerunt Asiam interiorem, illam versus Meridiem exteriorem.

Secundum Ptolomeū omnes istę prouincię ad Asiam pertinent, Ponthū, Bittinia.(quæ duę regiones proprie dicuntur Asia) magna Phrysia, Licia, Galatia, Phlafagonia, Porsilia, Cappadocia, Armenia minor, Cilitia, Sarmatia Asiatica, Colchida, Iberia, Albania, Armenia maior, Ciprum, Siria caua, Phenicia, Palestina Iudeæ, Arabia Petrea, Mesopotamia, Arabia deserta, Babilonia, Assiria, Susiana, Media, Persia, Parthia, Caramania deserta, Caramania altera, Arabia fęlix, Hircania, Marciana, Battarnia, Sugdiana, Regio Sacorum, Schitia, Serica, Aria, Paroponasia, Dragiana, Siracosia, Gedrosia, India vltra,& intra Gangē, regiones Sinorū, Insula & Trapbana cum adiacentibus.

Facilitatis autem causa moderni Cosmographi eam diuidunt in septem partes principales.

Primam nominant Sarmatiam Asiaticam; & est sub magno Duca Moscouię. Terminatur ad Europam intra mare glaciale, fluuium Obiū, lacum Kitaiam, cum linea deducta ad mare Caspium, & Isthmum inter Caspium, & Eusinum: Versus Septentrionem (colligendo hic iurisdictionem magni Ducis Moscouię) attingit Oceanum Septentrionalem, A meridie tendit imperium eius iuxta currentem Volgę, neque ad

ad mare Caspium. Ab Occidente, conterminatur cum Liuonia,& veluti pro termino est ei Boristhenes, & versus Orientem, Volga. Est imperium longum milliaria 3000. & latum 1500. in quo spatio sunt Duces 15. Prouinciç 16. Regna 2. multis in locis magnis siluis interciditur, & præcipua est Ercinia, in qua sunt immensç arbores distillantes picem resinamque. Colligitur in ea mel in magna quantitate, & in ea sunt innumera animalia, Vrsi, Martori, Zibellini, & Lupi. Moscouia habet aerem frigidum, hyemem nouem mensium, magnam quantitatem fluminum, vt sunt Duina, Boristhenes, Volga, Desna, Onega, Mosa, Volisca, Tanaim. In ea parua sunt animalia, & viç lubricç, & limosç. Magnus Dux Moscouię non permittit proprios subditos habere proprium, nec adiscere literas, nec exire Moscouiã, nec cũ alia natione sine eius expressa licẽtia stare, vnde eos regit dominio dispotico, & in virga ferrea. Habet multas diuitias, & multos equites armatos ad numerum 150. millium secundum veriorem. Est ritus Greci, & hodie à Polonis multum eneruatus, vnde speramus Moscouiam sub ditione Regis videre. Principes cum eo confinantes sunt Procopus princeps Tartarorũ, à quo multa damna recipit, Circassi populi qui per septem Duces reguntur, & seruiunt omnibus illos vocantibus. Tartari dicti Nogai apti ad depopulãdas prouincias tantum, more Arabum. Rex Suetię à parte Filandię, & Rex Polonię Moscouia est inter 8. & 10. clima, inter Tropicum cancri, & Arcticum.

Secunda pars Asię est illa, quæ obedit magno Cam Imperatori Tartarorum, quæ ad Meridiem habet Mare Caspium, fluuium Iasartẽ, & Montem Imaum. Ad Orientẽ, & Septentrionem Oceanũ, & ad occidentẽ Moscouiam. Tertiam partem Asię occupat. Ad Septentrionẽ tenet Oceanum Scithycum. Ad Orientem Mare vulgariter dictum de Cin & stretto Anian, & partem Chinæ. Ad Meridiẽ progreditur vsq; in Indiã, & regiones Persię apud Caucassum montem, & Ircanum Mare.

Ad occidentem habet Moscouiam, & Sarmatiam Europeam.

Diuiditur in quinque partes principales.

Prima dicitur Tartaria minor, que pertinet ad Europam, inter Boristhenẽ, & Tanaim, comprehendendo Tauricam chersonessum, vbi sunt Tartari Præcopitæ.

Secunda dicitur Tartaria deserta, ab antiqs vocata Sarmatia Asiatica diuisa in ordas, in prouincias, vel regiones, sicut fuerũt diuisæ tribus Israel.

Tertia dicitur Zagateia, & hodie communiter eius populi nominãtur Hesellas, quia deferunt turbantes virides, sicut Persę rubeos, & Cataini nigros, & Turcæ albos. Prælianiur cum Persis, & sequũtur sectã Maumethi. Metropolis istorum est Samarcandia, patria magni Tamerlani. His temporibus dilatauerunt Imperium suum vsque in Indiã, & occupauerunt magna regna vt dicit' cõmuniter di Cambaia, & Bengala.

Quarta pars est prouincia dicta del Cataio, & Tangut. Hoc imperium fortissimum est. Ab vna parte cingitur ab altissimis rupibus montis Imaui, ab alia à deserto Loppo, quod per mensem non transitur, & est fere sine aquis, ab alijs partibus circundatur à China, & Arsaret. Idola adorant, etsi ibidem sint aliqui Maumethani, & hæretici Nestoriani. Metropolis est ciuitas Cambalubi, sedet in ea magnus Cam Catai, & circuit milliaria Italica 28. plena diuitijs, & mercibus. Hæc pars dicebatur Scithya extra Iman, & regionem Sericanam.

Quinta, & vltima pars nominata est

apit

De Asia.

ASia ponitur quidem quarta pars orbis, & tertia antiqui, sed censetur maior pars terræ, & quasi media, quoniam multa, ac ingentia regna colligit, & comprehendit. Dicta est Asia à quadam muliere dicit Isidorus, quæ imperium tenuit Orientale. Continens eius superat totam Affricam, & Europam simul, & solum eius insulæ excedūt totam Europam. In hac plantauit Deus paradisum voluptatis, constituit proprium imperium, & fecit fundamenta prima nostrę Ecclesię. In hac Christus natus est, vixit, mortuus est, ad cęlos ascendit, & venturus est iudicare viuos, & mortuos. Est promissionis terra, Euangelij tuba, totius mundi parens, quoniam ex ista primi homines exierunt, primi ciuitatū, & habitationū, & artiū Magistri consurrexerunt. Prima imperia, & regna in ea inceperunt, primæ scientiæ emanauerunt, & primi terræ cultores processerunt. Ab hac sūt mirra, incensum, piper, canella, garofanum, & alia aromatica, gemmę prętiosiores, & innumera alia bona.

Veteres ei pro terminis dederunt à parte Europę versus Septentrionem fluuium Tanaim, paludem meotidem. A parte Affricę Nilum, separantem Affricam ab Asia. A parte, vt diximus versus Arcticum habet ergo Tanaim, & Meotidem. Ab Oriente ortum Solis, à Meridie Oceanum, ab Occidente mare nostrum. Alij dicunt Asiam in tribus partibus Oceano circundari. Ab Oriente Oceano dicto Coo, à Meridie Oceano Indico, & à Septentrione Scithico. Ab Occidentali plaga ab Europa separatur, & Affrica per sinum Arabicū, & mare rubrum, à Mediterraneo, & ab Eusino. Alij latiores terminos ei concedunt, de qua re modo non est nobis agendum, qui ex incidenti fere terram modo describimus.

Diuiditur fere per mediū monte Tauro secū dum Strabonē, incipiendo à littore Rhodi, & tendendo vsque ad extremas partes Orientales Chinæ, & Tartariæ, quod est spatium longitudinis milliariorum Italicorum 5625. & hic mons in latitudine sæpe patet ad 375. milliaria. Greci illam partem Asiæ vltra montem Taurum Septentrionem versus vocauerunt Asiam interiorem, illam versus Meridiem exteriorem.

Secundum Ptolomeū omnes istę prouincię ad Asiam pertinent, Ponthū, Bittinia. (quæ duę regiones proprie dicuntur Asia) magna Phrysia, Licia, Galatia, Phlafagonia, Persilia, Cappadocia, Armenia minor, Cilitia, Sarmatia Asiatica, Colchida, Iberia, Albania. Armenia maior, Ciprum, Siria caua, Phenicia, Palestina Iudeæ, Arabia Petrea, Mesopotamia, Arabia deserta, Babilonia, Assiria, Susiana, Media. Persia, Parthia, Caramania deserta, Caramania altera, Arabia fęlix, Hircania, Marciana, Bastarnia. Sugdiana, Regio Sacorum, Schitia, Serica, Aria, Paroponasia, Dragiana, Stracosia, Gedrosia, India vltra, & intra Gangē, regiones Sinotū. Insula & Trapbana cum adiacentibus.

Facilitatis autem causa moderni Cosmographi eam diuidunt in septem partes principales.

Primam nominant Sarmatiam Asiaticam; & est sub magno Duce Moscouię. Terminatur ad Europam intra mare glaciale, fluuium Obiū, lacum Kitaiam, cum linea deducta ad mare Caspium, & Isthmum inter Caspium, & Eusinum: Versus Septentrionem (colligendo hic iurisdictionem magni Ducis Moscouię) attingit Oceanum Septentrionalem, A meridie tendit imperium eius iuxta currentem Volgę, neque ad

ad mare Caspium. Ab Occidente, conterminatur cum Liuonia,& veluti pro termino est ei Boristhenes, & versus Orientem, Volga. Est imperium longum milliaria 3000.& latum 1500. in quo spatio sunt Duces 15. Prouinciç 16.Regna 2. multis in locis magnis siluis interciditur, & pręcipua est Ercinia, in qua sunt immensę arbores distillantes picem resinamque. Colligitur in ea mel in magna quantitate, & in ea sunt innumera animalia, Vrsi, Martori, Zibellini,& Lupi. Moscouia habet aerem frigidum,hyemem nouem mensium, magnam quantitatem fluminum, vt sunt Duina, Boristhenes, Volga, Desna, Onega, Mosa, Volisca, Tanaim. In ea parua sunt animalia, & vię lubricę, & limosę. Magnus Dux Moscouię non permittit proprios subditos habere proprium, nec adiscere literas, nec exire Moscouiā, nec cū alia natione sine eius expressa licētia stare, vnde eos regit dominio dispotico,& in virga ferrea. Habet multas diuitias, & multos equites armatos ad numerum 150. millium secundum veriorem. Est ritus Greci, & hodie à Polonis multum eneruatus, vnde speramus Moscouiam sub ditione Regis videre. Principes cum eo confinantes sunt Procopus princeps Tartarorū, à quo multa damna recipit, Circassi populi qui per septem Duces reguntur, & seruiunt omnibus illos vocantibus. Tartari dicti Nogai apti ad depopulādas prouincias tantum, more Arabum. Rex Suetię à parte Filandię, & Rex Polonię Moscouia est inter 8.& 10.clima,inter Tropicum cancri,& Arcticum.

Secunda pars Asię est illa, quæ obedit magno Cam Imperatori Tartarorum,quæ ad Meridiem habet Mare Caspium, fluuium Iasartē,& Montem Imaum. Ad Orientē,& Septentrionem Oceanū, & ad occidentē Moscouiam. Tertiam partem Asię occupat. Ad Septentrionē tenet Oceanum Scithycum. Ad Orientem Mare vulgariter dictum de Cin & stretto Anian,& partem Chinæ. Ad Meridiē progreditur vsq; in Indiā, & regiones Persię apud Caucassum montem, & Ircanum Mare.

Ad occidentem habet Moscouiam, & Sarmatiam Europeam.

Diuiditur in quinque partes principales.

Prima dicitur Tartaria minor, que pertinet ad Europam,inter Boristhenē, & Tanaim,comprehendendo Tauricam chersonessum,vbi sunt Tartari Præcopitæ.

Secunda dicitur Tartaria deserta, ab antiqs vocata Sarmatia Asiatica diuisa in ordas,in prouincias,vel regiones,sicut fuerūt diuisæ tribus Israel.

Tertia dicitur Zagateia,& hodie communiter eius populi nominātur Hesellas,quia deferunt turbantes virides, sicut Persę rubeos,& Cataini nigros, & Turcæ albos. Præliantur cum Persis,& sequūtur sectā Maumethi. Metropolis istorum est Samarcandia,patria magni Tamerlani. His temporibus dilatauerunt Imperium suum vsque in Indiā,& occupauerunt magna regna vt dicit cōmuniter di Cambaia,& Bengala.

Quarta pars est prouincia dicta del Cataio,& Tangut. Hoc imperium fortissimum est. Ab vna parte cingitur ab altissimis rupibus montis Imaui, ab alia à deserto Loppo, quod per mensem non transitur, & est fere sine aquis,ab alijs partibus circundatur à China, & Arsatet. Idola adorant, etsi ibidem sint aliqui Maumethani,& hæretici Nestoriani. Metropolis est ciuitas Cambalubi, sedet in ea magnus Cam Catai, & circuit milliaria Italica 28. plena diuitijs, & mercibus Hæc pars dicebatur Scithya extra Iman,& regionem Sericanam.

Quinta, & vltima pars nominata est

apu

antiqua Tartaria, quoniam ab ista parte originem duxerunt Tartari. Volunt multi, quod isti duxerint eorum à tribus Israel captæ à Salmanasar, & in Syriam ductæ, & deinde translatæ ad hanc Tartariam. Habet duo promontoria. Primum dicitur Scithycum, in quo sunt prouinciæ in quibus sunt populi dicti, Chiesaue, Vsuzucaui, Çiremisti, Daniti, Nestaliti, Turbi, Mecriti, & Burgesi. Secundum dicitur à Plinio di Tabin. Hoc incolunt prouinciales, di Belgiam, Arsaret, Argou, & Ania. Seruant nomen Hebreorum, & circumcisionem, sed nil aliud.

Tartaria occupat fere 40. gradus celestes, à Septentrione ad meridiem, & ab ortu ad occasum 195 cum meridianus istorum occidentalis sit 50. graduum, & orientalissimus 195. Sunt staturæ mediocris, in pectore ampli, in humeris, & facie, naso simi, oculis cócaui, colore tetri, in barba horridi, in loquela strepitosi, vnde canendo vlant vt Lupi. Animo sunt audaces, intrepidi, & corpore robusti, vnde sustinent inediam cibi, duobus, & tribus diebus. Carnes equorum comedunt, & eorum sanguinem bibunt, & solum primates capita equorum, vt delicatissimum cibum sumunt. Sunt vagi, & instabiles, & omni libidini indiscriminatim etiam cum viris, & bestijs operam dantes. Sunt sine artibus, ac politia, vnde sordide viuunt, induunt, dormiunt, & vadunt. In anno domini 1246. legem Maumethi receperunt, & tamen Pentateuco Moysi obediunt, sunt fures, rapaces, & sine fide.

Terriá parté Asiæ Turcicá vocabimus quia dominatur à Turcis. Iacet inter mare Eusinű, Egeű, & Mediterraneum, Ægiptum, Sinű Arabicű, & Persicum, & inter flumina Tigris, & mare Caspium, & Isthmum inter Caspium, & Eusinum. De hac plura essent dicenda, quæ videri poterunt apud Ptolomeum, Maginum, Ruscellium, &c. Pro nunc ei dabimus aliquas prouincias de quibus fienda est breuis mentio, quoniam in Asia sunt, & sub ditione Turcę, & hæc pars vocatur Asia minor, in qua sunt, Pontum, Birtinia, Licia, Galatia, Pamphilia, Cappadocia, Cilicia, et minor Armenia. Ad orientem terminatur ab Euphrate, ad meridiem a Mediterraneo, quod hodie dicitur mare Caramaniæ, ad occasum à mare Egeo, seu Arcipelago Greciæ. Ad Septentrionem à mari Eusino, seu maiori. Hæc minor Asia clauditur inter 36 grad. cum dimidio, & 43. i. in medio climatis quarti, & 11. parallelo, & inter mediceratẽ sexti climatis, & 15 parallelum, inter quæ est varietas vnius horę, vnde anstralis pars tenet diem maiorẽ 14. horarum cum dimidia, et pars Borealis 15. cum dimidia.

Alias in hac minori Asia floruerũt Grecæ literæ, Ionica, Ionica, Eolica. Genuit regna, & imperia Troianorum, Mithridatis, Cresi, Antiochi, & aliorum, hodie fere desolata manet à Turcis, vnde tradũt historici modo in ea deprehendi ruinæ 4000. locorum insignium. Turcæ in hac nati naturales Turcæ vocantur, & à Turcarum Imperatore ad gubernandũ assumuntur. In Pontho, & Bithinia huius minoris Asiæ Prouinciæ olim fuerunt magnæ ciuitates Calcedonia, Nicomedia, Apamea, Prusia, Nicea, & Eraclea Ponthi. Hodie Calcedonia dicitur Galatha, seu secundũ alios Scutaris. Prusia, Bursia, Nicea, Nichia. In Asia impropriẽ dicta sũt prouincię Phrisiæ, Cariæ, vtriusque Misiæ, Eolidis, Ioniæ, Doridis, et Lidiæ.

In Prusia maiori ciuitates sunt Midarum regia phrysiæ, Apamea non longe a flumine Meandro. Sinnada ex qua erant magnæ, et pulcherrimę columnæ Romæ delatæ. In Phrisia minori, quæ etiam vocatur Tro-

iades

iades extabat Troia, Pergamũ Galeni patria, & inuentrix cartæ pergamenæ, & Ierapolim iuxta Meandrum posita.

In Caria sunt ex ciuitatibus Miletum, Magnesia, apud quam reperitur lapis Calamitæ. In Caria sunt montes ex quibus lapides albi, et perpoliti deducuntur, ad magna, & nobilissima ædificia accommodati.

Misia secundum Ptolomeum in maiorem, & minorem diuiditur. In hac est Lampsacum Grecorum colonia. Abidum pariter Milesiorũ colonia, ad cuius oppositum est Sextum castrum Chersonessi Traciæ. In hac parte Helesponti angustiæ sunt, vbi Xerses pontem ædificauit, vt in Europam transiret, & modo Abidum, & Sextum inseruiũt Turcæ pro fortelitijs, non permittendo aliquam Nauẽ transire, nisi de consensu Turcæ. In hac prouincia extat etiam ciuitas Adramitij hodie Landormiti, alias Pendosum.

Eloides seder in littore Maris Ægei cũ ciuitatibus Mirinæ, Cumæ, hodie Castri Focæ.

Ionia respicit mare Icarium, & insulam Chij, & ab hac prouincia ortũ traxit Philosophia Ionica. Hodie à Turcis dicitur Quiscon In hac erat Ephesum Asiæ lumen, in quo erat Dianæ permagnificum templum, inter septem miracula mundi connumeratum.

Dorica regio in mare porrigitur ad modum Chersonessi, continebat Gnidum ciuitatem famosam, ob simulacrum Veneris. Et in Isthmo suo Alicarnassium Dionisij, & Herodoti patriam, & Artemisię Reginę domicilium, in qua erexit marito defuncto Mausoleum, inter septem mundi miracula computatum.

Lidia etiam dicta Meonia ditissimum obtinuit regnum, sub Creso Rege. Eius Metropolis erat Sardis per Element.

quam Spatolus fluuius auratam arenam defererens transibat, & in eius territorio reperitur Sardonica gemma.

Licia à mari tãgitur Licio ad occasum, Borream, & meridiem, ad ortum habet Pamphiliam. In ea est Mons Chimeræ, qui de nocte ardet. Ciuitates Xantum, Patara patria S. Nicolai, Pinara, Olimpum, Mirra, & Limira, et Telmesum, in qua cepit superstitio interpretandi somnia.

Galacia seu Gallo Grecia, hodie. Cidagare, ab Occidẽte habet Bithiniam, & Phrisiam, ab Oriente Cappadociam, à Meridie Pamphiliam, & à Septentrione mare Eusinum. Terra est hic fertilis, & productiua lapidis Ametisti. Pro ciuitatibus tenet Anciram, hodie Angier. Pamplagonia ad hanc pertinet; hodie dicitur Reui, a qua fuerunt populi Heneti, hodie Veneti.

Pamphilia hodie ponitur pars Carmaniæ, quoniam cum Cilicia totam Carmaniam constituit, in qua Carmania sunt septem Gubernatores Turcæ, dicti Sangiacci. Pamphilia conterminatur ab occasu cum Licia & parte Asiæ, proprie à Septentrione cum Galathia, ab Ortu cum Cilicia, & parte Cappadociæ & à meridie cum mari Pamphiliæ, quod semper est procellosum, & inquietum. In hac sunt ciuitates Perga ad flumen Cattaraticum, & Sida, & Asthalia hodie Sattalia ad mare. In hac sunt nundinæ magnæ, & frequentes, capræ pilos habent subtiles ad modum fili serici, & hic fiunt Tapeti excellentes, & tati.

In Asia quoque est Cappadocia, hodie Amasia. Diffunditur vsque ad Eusinum, à Septentrione, à meridio terminatur cum Pamphilia, ab oriẽte cum Antitauro apud minorem Armeniam, & ab occidente cum Pamphilia. In ea sunt flumina magna

bus præcipue ab occidente,& ſeptẽtrione,multis torrentibus irrigatur, & tantum abundabat frumento,vt merito diceretur Horreum, & Granarium populi Romani. Naſcitur in ea optimum vinum, præcipue in Aruiſio, & ficus eius ſunt excellentiſſimi Sunt in ea populationes muris ſeptæ 36. Metropolis eſt Chyum apud montem ſita, in littore maris, reſpiciens ad orientem verſus Natoliam. Alias habebat Arſenale 80. Nauiũ,& dominabatur mari. Hæc inſula dono data fuit Ianuenſibus ab Andronico Paleologo, & à nobiliſſima familia Iuſtiniana Ianuenſi fæliciter, & ſancte recta fuit vſque ad annum 1565. in quo Turca dolo, & fraude eã cæpit. Habet adhuc multos Italos optimis moribus præditos,& in ea adhuc eſt quidam Conuentus Ordinis mei Præd. ſpectans ad prouinciam vtriuſque Lombardiæ,vnde & ſocius Prouincialis Prouinciæ dicitur Prior Chienſis, & accidit hoc anno 1618. in quo hæc ſcribo, quod Prouincialis Prouinciæ meæ ſit admodum R.P. Magiſter F. Vincentius Iuſtinianus Genuenſis, ſed origine Chienſis, vir litteris, & moribus ornatus. Olim laudabantur inter Grecos mulieres Chienſes, vt pudicæ,& pulchræ. Hodie vero omni laude præferendus eſt, & extollendus Illuſtriſſimus, & Reuerendiſſimus Cardinalis Benedictus Iuſtinianus Genuenſis, ſed ex antiquis principibus Chienſibus, vir omni ſplendore fulgidus, in fauendis ſtudioſis indefeſſus, ſanctitate conſpicuus, & doctrina admirandus, cui quoniam multum debeo, licuit mihi hic de eo feciſſe mentionem, ad perpetuam,& immortalem tanti Cardinalis memoriam.

Sequuntur multæ aliæ inſulæ, vt inſula Sami,& Icaria in mari Icario, Pathmos, in qua relegatus fuit D. Ioann. Euangeliſta, quam adhuc incolunt Chriſtiani Greci, & aliæ, de quibus non cenſeo neceſſarium facere ſermonem.

Non iudico tamen præterire me poſſe, dum de Aſia ſub ditione Turcæ diſſero duo regna.ſ.Cipri,& Paleſtinę, ideo quædam breuiter de his dico, colligendo multa.

Inſula,& regnũ Cipri in ſcriptutis dicitur Cethim, à quodã filio Iouan, nepote Iaphet vt dicit Iſidor. Ab alijs etiam dicta eſt Cripra, Cripton.i. Subterranea, quia videtur iacere ſub mari, & Ceraſtis ab multitudinẽ mõtium. Amatuſa ab vna eius ciuitate, Paphia à Deo Paphio, Salamina ab inſigni eius ciuitate. Macaria, ideſt beata, Citherea, & Venerea, ob eius magnam luxuriam. Acamantis, Amperia, Cellinia,& Acroſa ob multitudinem æris eius, vnde ſecundum Iſidorum ipſa fuit origo, mater, & præceptor æris, & vſus eius. A meridie reſpicit mare Aegypti, ab oriente clauditur mari Siriaco, & ſinu Iſſico, ab occidente habet mare Pamphiliæ, & à ſeptentrione tenet mare Ciliciæ, & eſt proximа Carmaniæ. Pars eius ab oriente non diſtat à Soria centum milliariabus, quæ ſunt iter vnius noctis. Quæ inſpicit meridiẽ eſt remota ab Aegypto itenere trium dierum per mare,& ab occidente tantum diſtat à Rhodos inſula. Sed à Cilicia, hodie Carmania ſolum diſtat per 60. milliaria, vnde facile fuit Turcis ex Carmania exercitum ducere in Ciprum. Iacet in principio quatti climatis, ſub decimo parallelo, diem maiorem æſtatis habet 14. horarum cum dimidia, & comprehendit tres gradus cęleſtes, in circuitu eſt ſecundum aliquos milliar: 550, in longitudine 220,& in latitudine 230.

Pomponius, Diodorus, & Plinius dederunt ei nouem regna, & quindecim magnæ ciuitates. 850. communitates, cum 200. millibus habitantibus,

bus. Dominis Venetis dabat ex annuo redditu vnũ millionem (vt dicitur aureorum) nempe 1000000. Promõtoria eius dicuntur Acamãte, hodie capo S. Pifano. Drepano, hodie Trapano, & Melechia. Zefirio, hodie punta Malota, aut Melonta, aut Chelidone. A meridie Promontorium Santrio, hodie capo bianco, Curia hodie capo delle Gatte. Dade hodie capo Chiti, Trono hodie capo pila. Ab oriente. Pendalio, aut Pedasio, hodie capo di Greco, aut di Grao, & in acumine insulæ est promontorium Clido, hodie di S. Andrea. Ad septentrionem tenet premontorium, montis, in mari prominentis. Cromico hodie di Cornachiettő, & alia. At inter promõtorium di Cornachietto, seu Cor maschito, & caput. S. Epiplauij, capo di S. Epiffanio, est mare Pamphilicum hodie Golfo (latine sinus) di Settelia, multum nauigantibus per 200. milliaria periculosus.

Diuiditur in duodecim regiones, quæ hodie dicuntur Nicosia, Famagosta Baffia, Andima, Limissò, Pafoto, Saline, Messaria, Crafoco, Pẽtalia, Cerine, & Carpasso. Montes eius sunt Olympus à Grecis dictus Trobodos altissimus, ĩ circuitu 50. milliar: Grecis Calogeris ordinis S. Basilij habitatur.

Fertilissima est insula, in vino generoso, oleo optimo, frumento electo, zibibo, Cedris, Aranceis, Limonibus, Carobbis, Zaccaro, Zaphrano, Summachio, Lentisco, Dateris, Coriandro, & melle ex triplici gradu. Ex ista sunt multa medicinalia, vt Terebintus, Colloquintida, Reubarbatum, & Scammonea, & quædam herba dicta soda, ex cuius cineribus fit sapo. In hac sunt multæ minere auri, borasi, & vitriuoli, marchesetę albæ, & rubeæ, Auricalchi, ferri, et æris. Producit Smeraldum, diamantem, crysthallum, corallum, album, & rubeum, & Hmiantem lapidem; ex quo fit tela, quæ in igne non comburitur, sed purificatur. Abundat sale, cotione, latine dicitur Sossipium, Xilon, Xilinũ, optima, iera, vnguentis prętiosis. Solum vnum portum habet apud Famagostam. Ante tempora magni Constantini insula non vidit per 36. annos pluuiam, vnde derelicta fuit ab habitatoribus. Olim Ciprij homines, & mulieres Veneri sacrificabant nudi, & secũdum Trogum prostituebant filias Virgines, vt ex actu meretricio sibi acquirerent dotem. Modo eliminata est omnis ista spurcitia, Nobiles fidẽ catholicam Romanam amplexantur, alij inferioris conditionis sunt ritus Greci. Rõ est, quia nobiles descendũt ex equitibus Germanis, Anglis, & Gallis, qui currebant ad pręliundum pro terra sancta, alij fuerunt collecti à Magno Constantino ex Ægypto, Soria, Cilicia, Tracia, & Cappadocia, vt eam incolerent, cum ob magnam siccitatem destituta fuerit à proprijs.

Adnoto ergo vnum hic, Ciprios nobiles magna ex parte ortum duxisse à Capitaneis, ducibusque Italis, Gallis, Anglis, ac Germanis militum Christianorum, qui in subsidium terræ sanctæ transibant (vt mihi ostendit Excellentissimus Doctor Ioãnes Sozomenus, origine Ciprius, vir literis, moribus, ac nobilitate conspicuus, & inter primos mihi charus,) & ideo plurimum æstimandi sunt.

Procedamus modo cum lachrymis ad terram sanctam, hæreditatem nostram, datam modo in obrobrium gentibus infidelibus. Terra igitur modo dicta sãcta tempore Abraam, Isaac, & Iacob dicta est terra Canaam, à Cam filio Noe, deinde dicta est terra. Israel, quia occupata fuit à filijs Israel, vocata est etiam Palestina, seu Philistijm, quia habitabatur à Philisteis, qui multa bella fecerũt

contra

cõtra populum Israel. Modo sub ea colliguntur Idumea, Iudea, Samaria, & Galilea.

A Septentrione habet Pheniciam, ab Oriente æstiuo montem Libanũ, à meridie, & in partem ab ortu, Arabiam, ab Occidente mediterraneum Pheniciũ, seu Siricũ. A Septentrione ad Austrum tendit à 31. gradu cęlesti, vsque ad 33. i. stat inter medietatem tertij, & quarti climatis. occupando nouem, in decem paralellos, quare maior dies in æstate est 14. horarum, Deducitur in longum à meridiano 63. grad: vsque ad Meridianum 67. grad: Dicunt longitudinem eius à Borea in Austrum esse milliar: 1600. & latitudinem 60.

Est terra fęcundissima, & ditissima bonitate, & fęlicitate aeris, & vbertate agrorum, & omni abundantia fructuum, prout de Cipro diximus, & vlterius scatet balsamo, & varietate auium, & ferarum.

Capta fuit à Cruce signatis de anno 1097. & eam seruauerunt vsque ad annum 1185. in quo anno capta fuit à Saladino Rege Persarum, qui eam Saracenis subijecit. Recuperata fuit à Christianis, sed iterum anno 1217. occupata iterum fuit à Saracenis. Sed anno 1229. iterum recuperata est à Christianis, sed iterũ perdidimus Hierusalem anno 1248. & totam terram sanctam 1290, à quo tempore vsque ad 1517. fuit sub Sultanis Ægipti, & ab illo anno vsque ad istum 1618. sub ditione Turcæ.

Inter prouincias Palestinæ annumeratur Galilea. Ad Septentrionem, tenet iuga montis Libani, & ante Libani. Ad Occidentem habet in proximo Pheniciam, ad orientem coniungitur Celisiriæ, ad meridiem clauditur per loca deserta Samariæ, & Arabiæ. Ager est vndique fertilissimus, per medium transit fluuius Iordanis. Diuiditur Galilea in superiorem, & inferiorem. Superior quæ dicebatur Galilea gentium terminat cum Tiro, ciuitate Pheniciæ. Inferior dicitur Galilea Tiberiadis à ciuitate huius nominis, vel à lacu, qui est ei à Meridie. In hac parte est ciuitas Nazaret, in qua conceptus est Christus dominus noster, & mons Tabor altissimus, cuius pars Septentrionalis est inaccessibilis.

Samaria, iacet inter Iudeam, & Galileam. Ab occasu æstiuo habet mare mortuum, à Septentrione, & ortu Galileam, apud lacum Tiberiadis. Erat ditissima omni genere rerum necessariarum ad victum, & vestitum, sed modo deuorata est in furore hostili.

Iudea iacet inter Mediterraneum, & lacum, seu mare mortuum, & inter Samariã, & Idumeam. In hac fundata est Hierusalem, Iudeę metropolis, hæreditas mundi, mater patriarcharum, phophetarum, & Apostolorum, initium fidei nostræ, gloria totius populi Christiani. Sita est in loco alto, seu monte. Ab Austro posita est ad latus montis Sion, ab Occidente tenet montem Sion, Torrens Cedron à parte Orientis tangit muros eius. Distat à Cairo Ægipti per nouem dies itineris. D. Hieronym. censuit eam stare in medio mundi. Habet Asiam ab ortu, Europam ab occasu, Libiam, & Africam à meridie. Sed ab Austro in singulari tenet, Scithas, Armenos, Persianos, & alias nationes Ponti.

In medio ciuitatis est modo Sanctissimum Christi domini sepulcrum, & Ecclesia, occupans totum Caluariũ, hodie in plano positum. Ecclesia est figuræ rotundæ, alta, & eminens, superiori parte aperta, à qua parte lumen recipit. Sepulcrum clausum est in vna capella sub custodia Christianorum Italorum. Mons autem Caluariæ in quo fuit Christus crucifixus distat ab hoc loco per centum, & octo pedes. Quilibet, qui intrare vult in sepulcro soluit Turcis nouem

facta sit ciuitas Casbin. Inter Casbin autem, et Tauris sunt aliæ ciuitates, vt Turcoman, Sarum, Sultania, Nasiuan, alias Artassata, et Ardouin, quæ fuit prima sedes sectæ Sophi.

Pars Septentrionalis Persiæ dicitur Atripatia apud mare Hircanum cuius regia est Sumachia, inter Berbent, et Eres.

Assiria iacet inter maiorem Armeniã, à septentrione Mesopothamiam, ab occasu tenet Tigrim, diuidẽtẽ eã per medium. Susianam à meridie cum desertis, & asprissimis locis, & Mediam ab ortu. Hodie dicitur Atzerun. Est plana, & fertilis, multis fluuijs irrigua. In hac fuit antiqua Niniue, ciuitas trium dierum apud Tigrim.

Susiana est alia prouincia Persiæ hodie dicta la Cuseiã, & Sus à nobilissima ciuitate Susis, supra fluuium Hennetum, hodie Tirtirum fabricata, in spatio 15. millium passuum. Pro confinijs versus Septentrionem habet Assiriam, ab oriente partem Persidis, à meridie sinum Persicum, & ab occidente Babiloniam apud fluuium Tigridem. Aestuat multũ, sed est fertilis, & diues in necessarijs ad victum.

Mesopotamia quasi inter duo flumina sequitur, hodie Diarbeca seu pars dell' Azamia, quæ in sacris literis vocatur Aram, & Charam, A meridie & occasu habet Siriam inter Eufratem, & Tigrim, à septentrione maiorem Armeniam apud montem Taurum, ab oriente Assiriam diuisã à Tigri, & à meridie Arabiam desertam. In hyeme tam profundum limum habet, vt per eam iter fiat difficile. In ęstate adeo ęstus feruet, vt animalia suffocet in quibusdam locis, in alijs vero fertilis est, & apta ad pascua animalium, sed in ea rari sunt fontes aquarum. Præcipuę eius ciuitates sunt Orfa, Amida hodie Caraemit, i. terra nigra in regione Alech alias Metropolis totius Mesopatamiæ. Feracissima est, & in ea fiunt panni cum auro, & serico. In hac sedet Patriarcha Nestorianorum cuius anctoritas se extendit vsque in Indiam, & Cataium.

Persides à Grecis dicta Cesena, hodie Farsistan, & secundum alios Corasan. A septentrione tenet Mediam, ab occasu Susianam, ab ortu Caramaniã, à Meridie sinum Persicum Pars septentrionalis eius est frigida, & fructibus inapta, sed Smaraldi generatiua. Meridiana versus Persicũ est multum calida, ventosa, paludosa, & importuosa, sed media pars est felicissima, & fructifera multum. Sira ciuitas est eius Metropolis, (alias dicebatur Persepolis) circuit 20. milliaria, & continet 60. millia, vt dicitur contradas.

Parthia hodie Arach nominatur, & secundum alios Charassen, à sua Metropoli, quæ est Charas, sub qua etiã comprehenditur Tartaria Zagatea. Ab oriente pro confinijs. Ariam, à meridie Carmaniam, ab occidente Mediã, & à septentrione Ircaniã tenet. Est syluis plena & iugis montiũ, generat homines bellicosos, & fortes, & quamuis magnum sentiant calorem, tamen omnia necessaria ad vitam humanam producit, præter Oliuas. Ciuitates eius præcipue sunt Cassan, Sembram, Terasan, Amadan, Imammadulasi, Malara, Misfiat, Sagnar, Coran, Cubbat, Cur, Ciera, Turbat, & Tursi. Hispaham, est caput Persiæ.

Hircania hodie Straua, seu Diargument, & Gorgiana, & Mesandran. Confinia eius ab occasu sunt Media, ab ortu Margiana, à meridie Parthia, cũ monte Coronoo, & à septentrione mare Hircanum. Est plana, fertilis, & fęcunda, producit frumentum, vinum, ficcus, mel, sericum, & fructus multos. Pars septentrionalis est obsita magnis syluis, in qua sunt Pantheræ, Tigres, & Pardi,

di, Hircania est ciuitas Metropolis, & fortissima.

Margiana, olim Media, & hodie Tremigan. Ab occidente habet Hircaniam, ad orientem Battrianos, ad septentrionem fluuium Oſſia, & ad meridiem partem Asiæ. Apud Atiū, & Margum fluuios est fęcunda, alibi sterilis, & arenosa, & vocatur desertum Bigul. Antiochia est huius prouinciæ Metropolis, hodie dicitur Iudion.

Battriania hodie Catassan, ad occidentem tenet Margianam, apud montes, ab oriente, & septentrione Sogdianam apud fluuium Oſſiā, à meridie Asiam, in qua est mons Poropamissus. In partem est fertilis apud Oſſium, & partim arenosa per quam partem non est iter nisi de nocte per stellas, quoniam venti occidentales omnem viam dirimunt. Hæc regio producit Metalla, & Gemmas, Smeraldum, Iacintum, Crisolitum. Ciuitas regalis erat Battra, hodie Boccata, patria Auicennæ Medici, & Zoroastis maghi. Alij dant principatum alteri ciuitati dictæ Istigia.

Paropamissia Prouincia est veluti insula, vndequaque aquis circundata flu minum. Hodie apud quosdam dicitur Candabar, et apud alios Dacha.

Aria hodie Corassan est inter Murgianam à Septentrione, et partem Battrianæ, ab occidente inter Parthiam et Carmaniam, à meridie inter Brāgianam, et ab ortu Solis inter Poropamisliam. Ardet calore, circundatur desertis, obsidetur syluis, et montibus. In quibusdam tamen locis nascitur optimum frumentum, et generosum vinum, et ex saxis deducitur lapis pretiosus Zaphiri, nigri, et flaui. Ciuitas Eri est Metropolis, in circuitu spatij 13. milliar: et rosis abundat.

Drāgiana hodie Sigesta diuiditur per medium a flunio Drangio, hodie ... flmeut.

Gedusia hodie Circan est fere tota deserta, et ita Carmania ...

Ormuz regnum iacet in confinibus regni Persarum, et abluitur à Tabo, Tisside, et Druto fluuijs magnis. Caput huius est insula Ormuz à continente distans 12. milliaribus, et circuit montem in qua est ciuitas Ormuz insignis ob quantitatem mercium, et perlarum, sed pauperrima rerum necessariarum. Habet singularem regem Saracenum, qui quotannis soluit Portughesijs 15. mill: Seraphinos. Portughesij hic habent arcem fortissimam, Lusitanos enim vocamus communi nomine Portughesios.

Quinta pars Asiæ ambit Indias Orientales intra, & extra Gangem, sub ditione multorum Regum, de quibus longum esset dicere.

Sexta est Chem amplissima prouincia in confinibus Tartarorum, sub potentissimo Rege, de quo multa traduntur.

Vltima comprehendit omnes insulas in mari Oceano indico, & orientali collocatas, quæ videri possunt apud Maginum, Ruscel. &c. multa enim etiam omisi, quoniam de his ex incidenti potius egi ad ostendendam amplitudinem terræ.

De Affrica, & eius partibus.

Affrica à Grecis Libia vocata, vna est ex tribus antiquis partibus vniuersi, à Lusitanis nostris magis cognita quam ab antiquis. Ab Europa separatur per mediterraneum, et ab Asia per Nilum, et mare rubrum. Greci volunt quod dicatur Affrica, quasi sine honore, et frigore, quoniam est vasta, arenosa, et sicca. At Ioseph Iudeus censet esse vocatam Affricam ab Affro vno ex posteris Abraam. Forma eius est quasi peninsulæ Isthmo (loco quodam arcto) Asiæ coniunctæ, inter mediterraneum, et sinum Arabicum, seu mare Rubrum. Est bis maior Europa, (sed

(sed non habet habitatores pro medietate Europæ.) Nam in meridie multum dilatatur, adeo vt in latitudine teneat 70. gradus cælestes, & Europa 35.

Circulus æquinoctialis eam fere per mediū secat, & inter duos tropicos clauditur, immo vltra eos progredi tur fere per decem gradus, adeo vt comprehendat tria climata integra borealia, & tria australia, quoniam sita est inter vndecimum paralellū borealem, & vndecimum australē, qui ab vtraque parte æqualiter diuiduntur ab Æquatore. Sed circa extremum vtriusque, maiorem diem habet horarum 14 m. 15. sed sub æquatore 12. tantum.

A Septentrione terminatur ad Mediterraneum, (vt dicitur stretto di Hercole) ad orientem cum sinu Arabico, vel mari rubro, & cum Isthmo Asiæ iuncto, inter Mediterraneum, & dictum sinum. A meridie vbi est caput di Bona speranza, finitur mari vasto Oceano Aetiopico, ob proximam prouinciam Aetiopię sic dicto, sed ab occidente supra lineam æquinoctialem Athlanticum Oceanum eam tangit, à Ptolomeo vocatum Oceanum Occidentale, et à Dionisio Hesperiū, cuius vna pars dicitur mare del Nort, & sub linea æquinoctiali exponitur mari Aetiopico.

In Affrica sunt altissimi montes, vt mons Athlantis, & illi qui à Lusitanis dicuntur Pici fongosi, monti del la Luna, & Cantaberi, qui supra altitudinem suam fere semper habent nubes, & niues. Diximus etiam in ea esse lacus, & flumina maxima, vt Nilum, Zaire, Cuam. Animalia habet multa, & fere dissimilia cum nostris. Sunt enim in ea Elephantes, Giraffe, Cameli, Equus barbarus, & syluathicus, Dantes, Buffali, Bues syluestres, & Asini, Admaini, qui sunt veluti Arietes staturæ Asini, cū auribus longis, & pendentibus. Videntur in ea Leones ferocissimi, Leompardi, Dabub, quæ habent pedes quasi humanos, ex sepelientes corpora hominum, & deuorantes, & multa altera animalia nociua, Simiæ, & Catti purgantes corpus per Muschium, Coniculi, & similia animalia, Ippotami bestiæ ad modum Equi, magnitudinis Asini, viuentes in terra, & mari, & dorso suo euertentes naues. Bos marinus, Tartaruca, Testudo, Crocodillus, Serpentes, mortiferi, Cerastes, Aspidi, Basilischi, Idræ, Dib, formæ Tarantulæ, & Locustæ numerosissimæ.

Affri multis infirmitatibus subijciuntur, & pęstilentiæ omni anno 20, vel omni decēnio fere, morbo Gallico in Barberia, qui tamē sanantur in Numidia, ob perfectionem illius aeris.

Inter primas prouincias Affricæ ponitur illa, quæ cōmuniter dicitur Barberia, comprehēdens Mauritaniam Cesariensem, & Tingitanam, Affricam proprie dictam, Cirinem, Marmaricam, & Libiam exteriorem. Incipit in longitudine ab Oceano Athlantico, & distenditur vsque ad Aegiptum, & in latitudine diffunditur à monte Athlantico, & vsque ad Mediterraneum porrigitur. Quare confinia eius ab Oriente sunt in monte Meies extremo puncto Athlantis, distantis ab Alexādria quasi per 300. milliar: A septentrione tenet mare Mediterraneum, & strictum Herculis, & ita ab Occidente transeundo Mediterraneum. A meridie tenet Athlantem.

Populi Barbariæ censentur ambitiosi, astuti, infideles, zelantes, & suspiciosi, faciles in Equo ad pugnam, sed cito fuggitiui. Sub anno Domini 430. fuerunt Christiani, sed sub Gothis euaserunt Ariani, sed victi ab Arabis receperunt Maumethismū. Prius fuit sub Imperatoribus, deinde sub Vandalis, postea sub Arabis, & modo multæ partes sub Turcis, & etiam sub Catholico Rege

Hispaniarum.

Diuiditur Barberia in quatuor regna. .i. di Marocco, di Fessa, di Teleusin ò di Tremissen; di Tunisi, quibus Sanutus addit terram di Barca.

Marochi regnum iacet inter montem Athlanticum, & Oceanum Athlanticum. Diuiditur in plures regiones, quæ dicuntur di Eà, Susà, Grozuli, terra di Marocco, Duccalà, Ascorà, & Tedlete.

Eà est aspera, montuosa, siluestris, & aquatilis. Abundat Capris, Bobus, Asinis, Ceruis, Capriolis, Ordeo, Panico, Millio, & Equis velocissimis sine ferris in pedibus. Indiget frumento, artibus, & virtutibus, vnde solum viri docti possunt pileum deferre. Est sine ciuitatibus muratis, sed cum multis populationibus, & gentes harum seuiunt in perpetuis bellis inter seipsas.

Susà ab Occidente terminat cum Mediterraneo, à meridie cum deserto arenoso, à Septentrione cum Athlãte, & vltimo loco murato prouinciç Eà, & ab Oriente clauditur flumine Sus. Fertilis est furmento, ordeo, leguminibus, & Zaccaro, sed indiget oleo. In monte Ilalemo tenet venas auri, & in littore maris ambram. Tarodanta est eius prçcipua ciuitas in quadam valle posita, in longum, & latum patet milliaria 16.

Marocco est regio triangularis formç, cuius fines ab Occidente sunt in monte Nisila, ab ortu in monte Adimeo, à Septentrione vbi iunguntur duo maxima flumina Teuristo, & Asisiuual. Est regio amenissima, feracissima, herbosa, & animalibus domesticis, & syluestribus plena, similis prouinciæ Lombardiæ. Marocco ciuitas alias continebat centum mille familias, longe ab Athlante 14. milliar: modo ob incursiones Arabum, et Lusitanorum reducta est ad tertiam partem.

Guzzula regio ad occasum habet montem Ilda, ad Septentrionem Athlãtem, ad ortum Eà. Abundat ordeo, bestijs omnium generum, mineris æris, & ferri, & hominibus feris, cõtinuam pugnam cum vicinis habentibus, prçterquam in duobus mensibus anni, in quibus apud eos sunt nundinæ, & treguæ.

Duccalà regio incipit ab Occidente à fluuio Teusisto, & patet in Septentrionem vsque ad Oceanum. A meridie clauditur fluuio Abiel, & terminatur in Oriente ad fluuium Omirabib. Lata est itinere duorũ dierum, & longa trium. Habet multos habitatores, sed aggrestes, & rudes.

Ascorà à Septentrione finitur ad Duccalà, ab Occidente cum fluuio Fersisco, & ab Oriente cum regione di Tedles. Floret abundantia olei, capris, & pellibus, ex quibus fiunt Marochini, fructibus orti pulcherrimis, & melle.

Tedles minor est regio, sed perspicua in populis ciuilibus, & domesticis. Est regio fertilis, & amabilis.

Secunda pars prçcipua Barbariæ est regni Fessæ, diuisa in septem regiones.

Prima dicitur Temesnç, quæ incipit à fluuio Omirabib versus occasum, & dilatatur in ortum ad fluuium Buagrago. In meridie terminatur ad Athalantem, & ad Septentrionem ad Oceanum. Fuit caput Affricç, in qua numerabãtur terræ muratæ 40. & castra 300. sed ex bellis desolata fere fuit, sed modo creuit ad 200. terras muris septas, & tenet numerum æquorum 6000. &c.

Fessa patet à fluuio Buragrago versus ortum, vsque ad fluuium Imane spaclo 100. milliar: A septentrione clauditur flumine Subum, & à meridie radicibus Athlantis. Admodum fertilis est in agris, armentis, locis muratis, populis, templis, scholis, Hospitalibus, & Oratorijs. Vnde in ciuitate Fessæ videtur templum magnum per medietatem milliaris, cum 30. portis magnificis, cum 900. lucernis perpetuis. Item ibi sunt duo maxi-

ma collegia pro studiosis.

Sub regno etiam Fessæ continentur multæ præcipuę prouinciæ,vt di Argarà,Elabat,Erifa, Gareti, & Cau, fertiles, et abundantes.

Tertia pars Barberiæ dicitur regnum Teleusinum, seu Tremissenum,habens ab occasu flumina Zà, et Maluia, à meridie desertum Numidiæ, ab Oriente fluuium dictum Magiore,et à Septētrione mediterraneum. Hæc est antiqua Mauritania Cesarea,patens in longitudine ab Oriente,in Occidentem 380. milliaribus, et in latitudine 25. Infestatur à Numidis, quamuis in parte meridiana sit arida,et sterilis. Versus mare magis est fertilis. Metropolis regni est ciuitas Teleusina,in qua alias erant 16. mille familiæ. Habet duos portus Orami cum arce fortissima, et Marse Eltabeu capti à Rege catholico. Ad hanc regionem, et regnum pertinebat olim ciuitas Gezair,ed Alghieri,sed (à Barbarossa, vt dicitur)capta,facta est Turcę tributaria, & habet Proregem Ottomanum. Modo est munita,et fortis,vt durum sit eam obtinere, quod sanctum esset, cum sit sintina piratarum nostra maria infestantium, ita vt quandoque sint numerati quindecim millia homines captiui Christiani in ciuitate illa.

Quarta pars Barberiæ vocatur regnũ Tunetanum,quod diuiditur in quinque regiones.

Prima dicitur regio Bugię, longa 150. milliar: & lata 40. Incipit à fluuio magiore. In aliquibus locis est sterilis,& in alijs fertilis. Anno Domini 1508. fuit capta à Petro Nauarro Duce classis Regis Catholici.

Secunda Regio dicitur Constantina, olim Cirta,regale solium Massinissæ, à Ptolomeo vocata Iulia. His tēporibus habet 8. millie familias, & menia alta, ex lapidibus artificiose elaboratis. Agrum habet feracem, In hac parte est ciuitas Bonę,à Romanis ædificatę, longe à mediterraneo 100. milliar: sedes Episcopalis. Sancti Patris nostri Augustini. Eius diæcesis est lata.14. milliar:& longa 40. amenissima,& fertilissima.

In territorio autem Tunetano est Tunedum,hodie Tunes, seu Tunigi, quæ creuit ex ruinis Cartaginis, ita vt modo contineat decem mille familias, cum circuitu quinque milliar: Habet magna Olиueta circa ciuitatē,sed parum frumenti,& ad angustiam lacunæ 10. milliar: iacet la Goletta, olim magnum fortelitium.

Ad hanc partem pertinet antiqua Cartago,a Phenicis ædificata, quæ erat in circuitu 22. milliar: domina maris, et destructa à Scipione Affricano,anno 602. ab vrbe condita.

Biserta quoque ad hanc partem attinet,est ad mediterraneum, olim Vtica secundum plures.

Est quoque Tripolis. Est domicilium cum Tunesi, & Biserta Cursariorum, et sunt ciuitates maledictæ.

Territorium di Barca diffunditur à Mestruta vsque in Ægiptum, et cōtinet regionem Cerenis, olim Pētapolis idest quinque ciuitatum, nam in ea erant Cirene, Berenice, Arsinoo,Tolemaide,& Appollonia. Incolæ sunt latrones.

Secunda pars Affricæ est Numidia,hodie Biledul gerid, idest regio Dacthylis,quoniam hæc regio sola abũdat in his arboribus. Ab occidente habet mare Athlanticum, à Septentrione montem Athlanticum, ab Oriente porrigitur quasi in Aegiptum, sed à meridie habet deserta arenosa Libiæ. Est multum depopulata ob suam sterilitatem, vnde pauperrima est, ex quo Numidæ sunt latrones, depredatores, viles, ignorantes, & mali, & si aliqui ex his operam dent poeticę,ac legibus. Viuũt multum ob bonitatem aeris, sed dentes perdunt ob vsum dacthyliorum.

Diuiditur in multas regiones, quæ dicuntur Teffet, Segelmezazob, Biledulgerid, Dara, Fezzen, quæ omnes inopia consumuntur, præter Dara, quæ à quodam fluuio eiusdem nominis irrigatur, & hic in hyeme tantum crescit, vt mare videatur, & in æstate tantum atrenuatur, vt pedester possit pertransiri.

Tertia pars Affricæ dicitur Libia sic dicta, quia Lybs, idest ventus Affricus inde spirat, & si alij dicant Epaphum filium Iouis, qui etiam in Aegipto condidit Memphim, ex Casone vxore sua filiam nomine Libiam procreasse, quæ postea Libiam obtinuit, & regnum à suo nomine vocauit. In lingua tamen antiqua dicitur Sarra, quod idê sonat, quod deserta, quoniam hęc regio arida est, sicca, deserta, & arenosa. Nam eius deserta quinque sunt, quæ constituunt quinque prouincias Libiæ. Primum dicitur Zanagæ in quo omni centennario tantum milliari reperitur puteus, sed salsas habens aquas. Secundum dicitur Zuenzigæ, in qua regione mercatores illud transeuntes si non tulerunt secum aquam sufficientem ad bibendum, siti & ardore interficiuntur. Tertiũ dicitur Targæminũ asprius superioribus, & omnibus herbis orbatum, aeris tamen sani, & salubris. Quartum dicitur Lepræ aridissimum, & periculosum. Quintum nominatur Bardoę non melioris cõditionis superiori.

In extremitatibus tamen horum desertorum sunt populationes multæ, & in aliquibus partibus abundãt frumento, vino, et oleo, et in eis reperiuntur geminę pretiosæ, sedet bestiæ feroces, serpentes, et Dracones, qui procreant Basiliscos.

Primam originem ei dant à Phut filio Cam, vnde fluuius currens per Libiam vocatur Phut, et omnis regio Phutemia nominatur, vt dicit Glossa super Genesim cap. 11. Libiæ ab Oriente est Aegiptus apud Nilum, vbi est regnum dictum di Goaga. Ab Occidente Sirij maiores, et Trogloditiæ. A Septentrione mare Libicum. A meridie Aetiopia, et variæ nationes barbarę. A Septentrione mare Lybicum.

Quarta pars Affricæ dicitur terra de Negri, quæ à Septentrione habet de serra Libię. Ab Occidẽte Oceanum Occidentale. A meridie partem Oceani Aetiopici, et partem regni di Manincongo, et ab Oriente vsque ad Nilum deuenit. Dicitur terra nigrorum, quia incolæ sunt nigri, vel secundum alios à flumine dicto Nigro huius partis. Est sub torrida, sed habitabilis, vnde sunt in ea multi coloni, quoniam Niger eam aquis suis irrigat, ac fecundat. Crescit vt Nilus incipidẽo à medietate Iunij, et continuando per 40. dies, et per tot decrescit.

Originem duxerunt à Cusi filio Cam, filio Noe. Primo adorauerũt Deum cęli, quem vocabant Guighimo, postea susceperũt legem Hebreorum, deinde Christianam vsque ad Maumethum, in quo tempore cum Libiæ facti sunt Maumethani, sed adhuc in ea sunt reliquiæ Christianorum. Incolæ tamen partis versus Oceanũ gentiles sunt. In hac parte maxima est fęlicitas aeris, ita vt morbum gallicum sanet, numquam contagium sentiat, diu viuunt, et semper dentes robustos habent. Sunt rudes, sine moribus, in luxuriam procliues, vnde apud eos sunt innumeræ meretrices.

Regna illius iam fuerunt 25, sed pręcipua sunt hodie tria, scilicet di Tambuto, di Borno, et di Gaoga. Nam Reges hi aliorum dominia susceperunt. Dicebantur Gualata, Ghinea Melli, Tombuto, Gago, Guber, Agades, Canochasena, Zegreg, Zanfara, Gumagara, et alia.

Quintam partem Affricæ dabimus superiori, et inferiori Aetiopiæ, quæ

olim tota erat sub Preste Gianni, seu Pretegiani, sed modo à Turca, & re ge di Adel eius imperium multum imminurum est. Hæc tamen regio Abissinorum, à Septentrione populos di Nuba, & di Bugia confinantes cum Aegipto habet, ab Oriente patet vsque ad mare rubrum, & ad sinum Barbariæ, & ad terram Aianæ, et regnum di Dancali, quæ pertinent ad exteriorem Aetiopiam. A meridie tangit montes Lunæ. Ab Occidente tenet regnum di Manin congo, flumen nigrum, regnum di Nuba, et fluuium Nili. Hoc imperium, et regio fuit dicta Abissinorū, idest sparsim habitantium, et si Ioseph eam vocet Cuseam à filio Cam Cus. Abundat omni re necessaria ad victum, et vestitum, pręter frumentum, producit multa metalla, et mineralia, sed caret artificibus ad ea elaboranda. Habent duas æstates, et duas hyemes, non à rigore, et calore, sed à serenitate, et pluuijs appellatæ.

Incolæ nigri sunt, inciuiles, sordidi, abiecti, ignorantes, & duri. Solum sunt Christiani baptismate, in ceteris differunt, quia mares, & fæminæ circunciduntur, & quodlibet die Epiphaniæ se iterum rebaptizant, & eo die quo baptizati sunt communicant. Habent Sacerdotes vxoratos, præter Moniales, & Monachos, in quorum Conuentibus nulli fæminę datur aditus, nec animali fæminei sexus. Plebei duas vxores, & plures etiā aliquando ducunt; sed hi Ecclesiam non intrant. In magna reuerētia tenent. S. Thomam Apostolum. Eius Imperator ducit originē à Dauide, (vt ipse in suis titulis asserit) & Io. Boterus asserit illum duxisse ortum à quodam filio Salomonis, quem habuit ex Regina Sabea: Innumeræ prouinciæ in hac parte numerantur, quæ ampliorem locum ex postulant.

Sexta pars Affricæ assignatur Aetiopiæ inferiori, seu exteriori, ignotæ apud veteres, cognitæ à nostris Lusitanis. Hæc incipit à ponente supra fluuium Zaire, non longe ab æquatore, & totam partem Sinoralem Affricæ amplexatur vltra ęquatorem, ex qua parte tendit vsque ad partem Abissinorum, vsque ad arabicum sinum. Diuiditur in quinque partes principales.

Prima dicitur Ainna, hæc duo regna continet, Adel, & Ardea. Primum est potentius secundo, in festum pręste, secundum ei tributarium.

Secunda dicitur Zanguebar, quæ tendit vsque ad terminos regni di Menomotapa. Habet habitatores idolatras, nigros, venereos, superstitiosos, & multis in locis nudos. Ad hoc regnum pertinent regna di Melinda, Motalazza, & Quiloa tributaria Catholici Regis, & ita regio di Mozameique in qua Lusitani arcem fortem tenent, & ita pariter in Regno di Cefala.

Tertia dicitur regni di Benomotana, seu Bonemotana, vel secūdum alios di Monopotapa sub Rege potentissimo huius Nominis, qui latine sonat Imperator. Hoc regnum secundum relationem plurium est in circuitu milliar. 3000. fertilissimum, & fęcundissimum, cum multis mineris auri. Incolæ sunt nigri coloris, capillis hirsuti, staturæ mediocris, fortes, bellicosi, Idolatræ. Pascuntur oriza, millio, carnibus, piscibus.

Quarta pars dicitur terra di Cafri. Sūt & aliæ partes, vt regni di Cōgo 600. miliar. abundantis omni re desiderabili, cuius incolę susceperunt Christi fidem in multis partibus. Et regni di Angolà, di Loango, & populorum dictorum di Anzichi, de quibus apud Scriptores diligentes harum rerum multa videre poteris.

Vltimā partem Affricæ assignabimus quibusdam insulis circumstantibus.

Prima dicitur di Porto santo, ex opposito regni di Marochono. In ea sunt frumen-

frumentum, Cingiales, & alia animalia. In eaque colligitur gemma, quæ dicitur sanguis Draconis.

Secunda dicitur Madera fertilis tritico, vino, fructibus, melle, cera, Zaccaro, aere, & pascuis pro animalibus. Anno 1420. combusta, cæpit habitari.

Tertia dicitur Canaria, seu Insulæ fortunatę. Abundant ordeo, melle, cera, Zaccaro, Camelis, Capris, &c. & herba communiter dicta Oricello, apta ad colorandum pannos. Multæ ex his insulis pertinent ad regnũ Lusitaniæ. Sunt & aliæ, vt insulæ di capo Verde, olim Gorgone, & Esperide inuentæ anno 1440. in quibus sunt valles abundantes, & fertiles, sub dictione Regis Catholici, sicut & insula principis, & D. Thomę. Hęc est præcise sub æquatore, & in ea mense Martio, & Septembri pluuiæ abundant. In ista non sunt, nec frumentum, nec vinum, nec arbores fructiferę cum ossibus. Sed tanta est copia canarum Zaccari, vt quodlibet annoex eis onerentur 40. Naues. In ea est ciuitas Pascoasan colonia Lusitanorum; cum optimo portu.

Insula S. Laurentij pariter cernitur in his partibus vltra æquatorem. 17. gradus, feracissima omni re desiderabili.

Non omittemus Aegyptum, relinquẽdo ipsum extra Affricam, quoniam fere omnes ipsam in Affricam esse consentiunt. Alias dicebatur Aerea, sed ab Aegypto Danai Patre, postea ibi regnante nomen accepit. Sed Isidorus lib. 9. tenet quod primitus vocabatur Meppbayna à filio Cam huius nominis, sed et multis alijs nominibus decorata est. Hæc ab oriente Syriæ rubro mari iuncta est. Ab occasu Libiam habet. A septentrione mare Aegyptiacum. A meridie introrsus procedit protendens se vsque in Aethiopes. Alij dicunt habere ab ortu deserta Arabiæ. Inter ipsam, & mare rubrũ, iter est inuium, & sine aquis, spacio octo dierũ. A Meridie habet cataractas Nili. i. rupes à quibus præcipitat Nilus. Ab Aquilone tenet mare Aegyptiacum. Terminatur ab occidente cum desertis Barcæ, Lidiæ, & Numidiæ, & cum regno Nubę. A meridie cum territorio Bugiensi, & Nilo, quę ipsam claudunt, conuertendo se de occidente in ortum.

Sanutus dat ei in longitudinem 560. milliaria, & in latitudine 80.

Diuiditur in superiorem & inferiorẽ. Superior est quæ incipit apud caractas supra Siene in confinibus Aethiopum, & terminatur ad Cairũ. Inferior est illa, quæ intercedit inter Cairum, & Mediterraneum.

Est regio plana, sine montibus, calida, & æstuans, septentrionalibus ventis in ea regione calidis & humidis afflata. In ea non sunt imbres, terręmotus vtique, & si cadant in ea pluuię, quę rarę sunt febres generant, catharros, inflationes testiculorum, & multa alia mala. A Nilo enim optime irrigatur, vt supra ostendimus. De fertilitate agri eius dixit Lucanus. Terra suis contenta bonis non indiga mercis. Aut Iouis, in solo tanta est fiducia Nilo. In ea fuerunt multa mirabilia, apud Scriptores nota. Sub Octauio Augusto cessit Romano Imperio, sub Constantino fidei Christianę, & post Maumetho sub Saracenis, & anno 1516. Turcis.

Aegyptij fuerunt multarum artium inuentores, vt Geometrię, Arismeticę, Astrologię, Medicinę, & Magię. Tempore Amasis regis numerabantur in ea viginti millie ciuitates, sed tempore Diodori fuerunt ter mille, & apud Ortellium 300.

Siene est ciuitas Aegypti pręcise sub Tropico cãcri cõstituta, Mẽphis fuit per multa tempora regia, sed huic successit magna ciuitas Cairi, apud quam conspiciuntur ruinę Babiloniæ.

niç. Tempore Romanorum permultos annos Alexandria obtinuit principatum, & modo etiam est ciuitas insignis, sed de his satis.

De Europa, & eius partibus.

Tertia pars præcipua Orbis est Europa nostra quam incolimus, & habitamus. Hęc autem multis nominibus vocata fuit, vt Europa, Tiria Impetia, & Franca. Europa ab Europa filia Agenoris Regis Lidię, quam Iupiter rapiens de Affrica duxit ad insulam Cretę, & tertiam partem orbis ab eius nomine vocauit dicit Isidorus lib. 15. Tiria propter figuram Metalessim, à Tiria matre talis filię, Impetia, seu potius imperia, quoniam imperia maiora, & diuturniora fuerunt, & sunt Europę, vt Grecum, Romanum, & Turcicum. Franca, propterea quod Franchi armis susceptis terram Sanctam recuperauerunt, & insignia S. Crucis per Asiam portauerunt, ex quo Aliatici omnes Europeos Francos appellant, & si Turcę solum vocent Francos illos qui filij Sanctę Romanę Ecclesię, ex fide Catholica sunt.

Confinia Europæ ab Oriente sunt mare Egeum, quod dicitur Helesphonticum, et Arcipelagus. Item mare Eusinū, hodie mare Maggiore tenet paludē meotidem, hodie mare delle Zabacce, fluuium Tanai. A meridie tenet mare mediterraneum, quod et dicitur mare nostrum, et stretto di Hercole, latine Gaditanum fretum. Ab Occidente tangit mare magnū Oceanum, quod vocatur mare Athlanticum, et Occidentale. A Septentrione clauditur Oceano Iperboreo, quod et dicitur mare Septentrionale, et glaciale. Ab Affrica ergo secernitur per Gaditanum fretum. Ab Asia per Meotidem, et Tanaim. Ab America vero per alias partes diuiditur.

Cadit secundum Ptolomęū inter quartum, & nonum clima, id est inter decimum, & vigesimum parallelum, & extenditur in longitudine à flumine magno Tanai ad fretum Gaditanū p 3000 milliaria Italica. Leucas Germanicas 750. Sed alijà Vu'is bona incipientes, & vsque ad Constantinopolim currentes, ei dant 2400. milliaria Italica. At in latitudine in nullo loco patet vltra 900. milliaria Italica, excipiendo dimensionem à Sicilia vsque ad Schrictiniam in extremis partibus Septentrionis, nam hic habet in latitudino 2400. milliaria. Dicit enim Strabo formam Europæ esse veluti Draconis, cuius caput Orientem respicit; extendens alas ad austrum, & Septentrionem.

Europa autem quamuis in dimensione Asiæ, & Affricę cedat, in ceteris vero pręstantioribus has superat. Primo in fertilitate, & fęlicitate agrorum, quoniam est tota fere fertilis, & fęcunda, floridaque amenitate, fructificatione, aeris temperie, ciuitatibus, magnis, plenis, pulchris, & munitissimis. Fluuijs, fontibus, lacubus, & maribus priuilegiata. Regnis, & Imperijs toti vniuerso cospicua, quoniam in ea sunt 42. regna Religioni Christianæ obedientia. Absque hoc, quod Christus sedem sui Vicarij in vrbe Romæ constituit, & consequenter eam portam cęli fecit, & omnia regna, & imperia in fide reuerentia, & deuote obedientia ei subiecit. In Europa artes pręcipuæ suum ortum acceperunt, & in ea florent, & floruerunt. Non sunt homines in toto orbe, vt Europei sunt, ingeniosi, fortes, intrepidi, robusti, sani, prudentes, sapientes, stabiles, & fideles. Nec est aliqua pars in qua splendeat vniuersalitas, & bonitas omnium rerum ad victum, & vestitum spectantium, vt in Europa. Solum indiget gēmis, animalibus feris, & venenosis, aromatibusque

tibusque. Sed ista potius ad ornatum, & libidinem faciunt, quam ad téperamentũ intrinsecum. In descriptione autem breui Europæ, amplexabimur ordinem tabularum Ptolomei.

De insulis Brittanicis. Prima tabula Europæ, Claudij Ptolomei.

INsulas Brittanicas duas præcipuas facimus, idest Hyberniam, & Albionicam, comprehendentem regna Angliæ, Scotiæ, & quarundam insularum adiacentium.

Hybernia est īsula Oceani sic dicta ab Hibero Hispano, qui congregata multitudine gentium se contulit ad hanc insulam, & eam habitare cum suis cepit. Alij ab Ibero fluuio Hispaniæ. Sed forsitan melius est dicere hoc nomine vocari, quia in ea parte gelu cuncta quibusdam temporibus rigent, vnde dicta est Hibernia, quasi Hyems sit, seu hybernum.

Verum est tamen, quod Hyberni in vestitu, & moribus multum redolent de Hispanico.

Iacet inter tropicum Cancri, & Arcticum cui magis appropinquat, vnde longissimum diem tenet 18. horarum, & continetur inter 20. & 25. parallelum. Ab Oriente mare turbidum, dictum Hybernicum eam separat à maiori Brittania, itinere vnius diei per mare. Ab Occidente est ei immersum mare Oceani. A Septentrione mare idem Oceanum dictum Deucaledonium, terribile, in aspectu insulæ Islandiæ. A meridie Hispaniam respicit, cum distantia itineris trium dierum per mare. Est longa ab Austro in Boream mil liar: Italica circiter 300. & lata ab Oriente in Occidente 100. circiter Multi hanc insulam faciunt temperatam, sanam, prolificam, & fecundam, sed cum magis sit subdita frigori, quam temperiei nō tãtum eam laudo. Est tamen in multis laudabilis, vt in Equis non ad cursum, sed ad onera aptis, in alijs quoque animalibus & frumento, sed non in vino, ob suam frigiditatem. Habet nemora multa, flumina, & montes, feras, animalia domestica, & pisces.

Incolæ alias erant impij, feri, lasciui, ita vt cum maribus, & sororibus copulabantur, comedebantq; carnes humanas, ex sententia D. Hieronymi testis oculati. Sed hodie sunt bellicosi, ingeniosi, pulchri, agiles, & in magna parte catholici. Ad huc tamen sunt in ea aliqui qui dicuntur Hybernici syluatici, incolentes quandam eius partem, quæ vocatur Connacia: Hi sunt duri, agrestes, & ita inertes, vt potius velint fame consumi, quam agros colere. superstitionibusque vacant, & libidini. Sunt tamen in ea quidam, qui si fiant Religiosi, euadunt optimi. Anno 322. suscepit Christi Fidem, & anno 1175. subdita facta est Regi Angliæ. Habet 50. Episcopatus, & vnum Archiepiscopatum in Armacano Metropoli totius insulæ. Diuiditur in quatuor partes, vna dicitur Lagonia. Alia Momonia. Tertia Connacia, & quarta Vltronia.

Albiona sic dicta ab albis rupibus circa litiora maris apparentibus à longe, hodie magna Brittania nominatur. Sic vocata, quia Brittani olim pingebant faciem suam colore azuro, idest cęlesti. Iacet in forma triangulari, cum tribus promontorijs. Primum dicitur Belerium ad Occidentem. Secundum Cantium ad Orientem. Tertium Orcadicum ad Septentrionem. Ab Occidente abluitur ab ea parte in qua est Hybernia à mari Deucaledonico, & Iberico, quoniam hoc mare inter Hyberniam, et Brittaniam situm, tali nomine vocatur. A Septentrione tenet mare vastum. Iperboreum, et Deucaledonicum. Ab Oriēte mari Germanico clauditur, et à meridie ad oppositum Galliæ Oceano Brittanico.

tico. Non distat à Gallia nisi per 40 milliaria, & ab Hybernia itinere vnius diei. Peritiores dãt ei circuitũ milliar: 1836. Est sub 8. 9. et 10. climate inter 17, et 27 parallelũ, vnde in regione australi dies eius magnus est 16. horarum, & in extremitate Boreali 18.

Dicunt etiam originẽ traxisse à Gomo ro maiori filio Iapheth. Cæsar eam debellauit. Sed anno à Christo nato 446. sub Theodosio iuniore relicta fuit, abductis Legionibus militum ad defensionem Galliæ, et tunc in parte Septentrionali deuastata fuit à Pictis, et Scotis. Cõtra hos Britanni vocauerunt Saxonos, qui capti dulcedine regionis pace facta cum Pictis, fixerunt pedem in ea expulsis Brittannis in Vuallia. Hodie diuisa est in duo regna, Scotiæ, et Angliæ.

Anglia continet multas prouincias opulentas, et diuites, in tritico, lana, animalibus, arboribus, piscibus, et metallis.

Habet duo magna flumina Tamisiũ, et Sabrinam. Portus etiã multos in Cantio.

Habitantes Angliam sunt pulchrę, et formosæ staturæ, moribus præditi armigeri, bellicosi, intrepidi, sani, fortes, diu viuentes. Hæc insula inter primas filias fuit fidei Christianę, vnde in ea resplenduit fides Catholica, amplitudo Prȩlatorum, et multitudo, pietas, et religio. Reges illius fuerunt Ecclesiæ Catholicæ prȩdilecti, et defensores fidei appellati. Quare Religiosissimi Reges Ina, et Edelphus, anno Domini 840 fecerunt Angliam Ecclesiæ Romanæ Catholicæ tributariam, sub Leone quarto Pontifice maximo. Et idẽ fecit Ioannes Rex, ab Innocentio tertio excommunicatus, ob direptionem bonorum Ecclesiasticorum, ob magna flagella passa, Papæ obediendo tandem, et bona que Ecclesiarum restituendo, vt historici narrant. Et Deum oro, vt suo efficaci, ac prȩpotenti auxilio iterum fidem Catholicam huic regno restituat, et obedientiã erga Christi Vicariũ, quod nec difficile fiet Dei manu omnipotenti, moderatoris studio, et pietate.

Scotiæ regnum sedet ad partem Septẽtrionalem Brittaniæ, et duobus fluuijs ab Anglia separatur. s. Dueda, et Soluto. Est in longitudine milliaria Italica 480. secundum plures à fluuio Tueda, vsque ad vltimum terminum Borealem. Est prouincia, aspera, montuosa, & fortis, vnde dum Scotti non possunt in campestribus bellare, in montibus se muniunt, & insuperabiles fiunt.

Diuiditur in australem, & septentrionalem. Australis est altior Boreali, & dotata habitatoribus ciuilioribus & magis domesticis. Omnes tamen Scotti solent in prȩlio esse fortes, inuiti, & intrepidi, & ingeniosi. Habet duos Archiepiscopatus, & 13. Episcopatus. Regia solet esse in Edimburgo, sed & in Scotia sunt multæ aliæ ciuitates. Sed Rex nõ est multum diues, cum eius redditus parum trãscendant 100000. aureorum.

Circa Brittaniam multæ sunt insulæ, vt Esperidæ, & aliæ multæ ad oppositum Vuallię, de quibus longum esset dicere.

Hispaniæ regna pertinent ad secundã tabulam Europeam Ptolomei, & ideo de eis modo est dicendum.

Sunt igitur aliqui in sententia, quod Hispania denominetur ab Ispalo Rege suo, aut ab Hispali ciuitate sua maxima, latine dicta Sibilla, & vulgariter Siuiglia. Alij eam vocauerunt Iberiam, ab Ibero flumine suo nobilissimo. Alij eam appellauerunt Esperiam ab Espero, patre Athlantis, aut ab Espero stella Tramontana, cui supposita est.

Ab ortu habet montes Pirineos. A septẽtrione Oceanum Cantabricum. Ab occasu Oceanum mare Espericum, seu Athlanticum. At à meridie clauditur freto Gaditano, & mari

Iberico Balearicoque. Est in circuitu milliaria 1893. sed secundum Io: Boterum à Pirineis, qui eam diuididunt à Gallia in circulum deducta per Oceanum, & mediterraneum intra quæ concluditur, comprehendit in circuitu milliaria 25008. Italica. Sed quamuis tam vastum spacium comprehendat, non tamen est multum populata, tum quia in multis locis est montuosa, & aquis penuriosa, tum etiam, quia Rex Catholicus tot Hispanos extra mittit, & in nouo orbe, & in alijs suis prouincijs Europeis, vt fere maneant mulieres sine viris, & eo magis defecerunt ab ea habitantes, quando expulsi sunt his nostris annis Mauri, parũ suo Regi, & viuo Deo fideles. De cetero fertilis est, aerem frigidum seruat versus Septentrionem, & Pirineos, temperatum versus Oceanum, & mare nostrum. Diues est in vino, oleo, tritico, cera, melle, Zaccaro, Zafferano, oliuis, piscibus, & carnibus delicatis. Lanæ Hispaniæ sunt raræ, & equi dicti (Giannati di Spagna) excellentes.

Hispani natura sunt graues, resoluti in sententijs, diu tamen consiliatis, in apprehendendis negotijs arduis tardi, vehementes, ciuiles, politi, & iactabundi. Sunt patientes in bello, apti ad sustinenda onera militiæ, & melius pugnant pedestres cum sclopo, quem Equestres cum lancea. Defendunt se mirabiliter extra Hispaniam, ardentes sunt in negotijs amicorum, liberi, & non sustinentes iniurias. Sed hæc minima sunt in respectu firmitatis fidei Catholicæ, quam tuentur, & defendunt vsque ad mortẽ, & pro ea opes, personas, & thesauros libenter exponunt. Erga Ecclesiam, & eius caput sunt fideles, & suis iuribus contenti, Deuoti, & Religiosi, propter quas virtutes Deus hanc magnam Europæ partem gloriosam fecit in nostro antiquo, & nouo orbe, & quousque in Hispania fides Catholica, & obedientia erga caput Ecclesiæ durabit, tantum stabit, & de bono in melius proficiet. Quod si Deo, & Ecclesiæ aduersaretur, rueret & ipsa, sicut etiam in ruinam abierunt maiora imperia.

Berosus, & Iosephus contendunt primum Regem Hispaniarum fuisse Tubal nepotem Noe, cui Iberus successit, & alij, vsque ad Esperum duo decimum Regem. Post hos Reges dominati sunt Hispanis Cartaginenses, & deinde Romani, vsque ad annum 400. a Christi natiuitate. Ab hoc autem tempore vsque ad annũ 720. fuit deuastata sæpe modo à Vandalis, modo ab Alanis, & Sueuis, & deinde à Gothis. Sed in anno 720. irruerunt in Hispaniam Saraceni venientes ex Affrica, & spatio duorum annorum eam subiugauerunt, preter Asturiam, & Galliciam, in quibus prouincijs se munierunt Christiani, & continuo bellando cum Saracenis, tandem eos omni dominio in Hispanias expoliauerunt de anno 1492. Et eo anno expulsæ sunt etiam ab Hispania 124000. familiæ Iudeorum, & his proximis annis omnes illi qui nomine etiã Christiani, sed corde Maumethani. Non est quoque tacendum Hispanos esse natura calidos, & siccos, colore obscuros. Membris duri, & fortes, in renibus stricti, taciti, ad dissimulandum vsque ad opportunum tempus apti, affabiles sunt, sed graues, literis, & virtutibus dediti, & ingenio prediti.

Romani diuiserunt Hispaniam in citeriorem, & vlteriorem primo, deinde in Beticam, Terraconensem, & Lusitaniam. Sed hodie diuiditur in tria precipua regna, scilicet Aragoniæ, Castiliæ, & Lusitaniæ seu Portugaliæ. Sunt in his regnis 7. Archiepiscopi, & 40. Episcopi ditissimi 23. Duces, 36. Marchiones, & 50. Comites diuites. Sed sub regno Aragonę

ragonę sunt aliæ etiam prouinciæ, & regiones additæ, vnde hoc regnū colligit Aragoniam, Cataloniam, & Valentiam. Insulam Maioricæ, & Minoricæ, Sardiniæ, Siciliæ, & Regnū Neapolitanū, portum Herculis in Etrutia, Orbitellium, cum prouincijs Belgicis, & fortelitijs di Oran, Velez, & Melilibia in Barberia Affricæ. Cum regno Castiliæ veniunt Biscalia, Leon, Asturia, Gallitia, Estramadura, Andalusia, Granata, Murcia, vtraque Castilia, cum insulis Canarijs, & alijs occidentalibus Philippinis, Ducatus Mediolani, & regnum Nauariæ in partem. Sub regno Portugalliæ cadunt Algharbia, Ghinea, Æthiopia, Brasil, & Insulę Orientales noui orbis, de quibus longum esset nimis velle differere in particulari.

Non est silendum Regem Hispaniarum potentissimum esse, cum sit Monarcha omnium Hispaniarum, etiā Lusitaniæ, vnde tria magna regna, in Hispania tenet, Germaniam inferiorem (paesi bassi) quæ girant in circuitu 1000. Milliaria. Regnum Neapolitanum 1400. Ducatum Mediolanensem 300. Maioricam 300. Minoricam 150. Eusam 80. Siciliam 700. Sardiniam 562. In Affrica meliorem portum totius Affricæ dictum Mazal Cabir, idest magnus portus. Fortellitia d'Oran, Melilla, & Pegnon. Extra Gaditanum fretum Canarias insulas numero septem, milliar: quælibet ad minus 90. & prolixum multum foret, omnia enumerare quæ regit, & vt Rex Catholicæ, & vt Rex Lusitaniæ, de qua re legendus est Io. Boterus in relationibus suis lib. 4. Hoc tantum considerandum venit, quod ex tot regnis, & prouincijs sibi subditis omni anno nouum exercitum potest formare, & cum thesauris suis ex locis sibi subditis, in Europa, & nouo orbe eum conseruare, & augere, etiam ex Germanis, Austriacis affectis. Sed memor esset debet consilij Augusti, quod termini Imperij sunt coercendi, quia multa regit, qui bene regit, & in pace gubernat. Nec corpus vltra debitam proportionem vastum multū viuit, et bene se habet. Sed o vtinam etiam fidem Catholicam in Affrica, et Asia portaret. Faciamus finem dicēdi de Hispania, dicendo solum de regno Lusitano, quod à Septentrione habet Galliciam ad minium. A meridie Oceanum occidētalem. Ab ortu regnum Castellæ, Andalusiæ, et Estramaduræ. In circuitu est milliar: 880. in longitudine 320. in latitudine 60 et Regi tribuit annuo censu duo milliona aureorum.

Ad tertiam tabulam Ptolomei pertinet opulentissimum, ac fortissimum Galliarum regnum Christianissimum, quod secūdum suos antiquos terminos etiam Lombardiam in Italia comprehendit, quoniam hæc pars Gallia Cisalpina nominatur, de qua modo non est fienda mētio, sed tantum de Transalpina, quæ modo sub nomine Galliæ venit. Hæc iacet inter Rhenum, Pirineos, mediterraneum, ex Alpes. Habet ergo ab Aquilone Oceanum Brittanicū. Ab occidente Oceanum Aquitanicum. A meridie Mediterraneum. Seu dicamus ab oriente habet Germaniam, ab occidente Hispaniam, à meridie Italiam, et à Septentrione Brittaniam.

Vocata fuit à Grecis lactea, quia homines albos procreat, vnde et Sibilla cecinit. Tunc lactea colla auro innectuntur. Sed Diodorus censet Galatham filiam Herculis huic regioni nomen dedisse. Modo dicitur Francia à Franchis, seu Franconibus populis Germaniæ, quæ eam obtinuerunt.

Cadit inter medietatem quinti climatis, vbi maximus dies est in ęstate horarum 15. et octauam medietatem, & etiā magnus dies est 16. horarum,

cum dimidia. Longitudo eius est 520. milliariorum, ab alpibus ad Oceanum Occidentalem, & latitudo 584. milliar. à ciuitate Marsiliæ ad Oceanum Brittanicum.

Merito potest connumerari inter fertiliores prouincias totius Europæ. Nam etsi multis ventis sit exposita, ac pluuijs, et tamen aer sanus est, et abundat tanta quantitate frumēti, vt etiam possit illud extra regnū mittere in Hispaniam pro necessitatibus victus. Prata eius innumeram multitudinem animalium nutriunt, vnde caro, pisces, et laticinia in ea vili pręcio venduntur. Generat vinum generosum, et optimum, prȩterquam in partibus Brittannię, Normandiæ, et Piccardiæ, ad quas partes, et etiam ad Germaniam inferiorem, et superiorem, ex eo quod nascitur in aliis partibus transmittitur. Magnum frumentum facit, et lino, lana, sale, lignis, oleo, fructibus diuersis abundat.

Galli autem sunt corpore delicati, frigidi, et humidi, mentis velocis, et impatientis moræ. In loquela sunt dulces, affabiles, familiares, eloquentes, Credunt de facili, et subito impetu mouentur. Sunt bellicosi, apti ad obtinendum, sed inepti ad conseruandum. Impatientes enim sunt, terribiles, et ardentes in principio, remissi, et debiles in fine. Libenter litigant, nec difficiles sunt ad apprehendenda bella. Habet Gallia multos nobiles, liberales, splendidos, bellicosos. In ea sunt Archiepiscopatus 17. et 108. Episcopatus. Dicunt Io: Boterus, et quidam alii, quod ex Gallia quodlibet anno habentur 15 milliona aureorum. Sex sunt Ecclesiarum, duo Regis, et alia particularium. Est vbique habitata, adeo vt faciat 30. millia populationes, & 36. millia feuda.

Diuiditur in tres partes. Prima dicitur Aquitania, inter Pirineos, et Garonam fluuium constituta. Et ad hanc partem pertinent duæ prouinciæ nobiles, Ghienna, sub quo nomine Quasconia venit, et Linguadocca. Secunda dicitur Celtica, et hæc posita est inter Garonam, et Sonnam, Tertia dicitur Belgica, et hæc constituta est inter Sonnam, et Schaldam. His additur Gallia Narbonensis, et populi Allobrogi. i. Delphinatus, et Sabaudię, in quibus omnibus prouinciis bona sūt magna, & fertiles, et magnis bonis refertę. Pręcipuę eius prouinciæ sunt Picardia, Normandia, Brittania, Francia, Campania, Burgundia, Aluernia, Delphinatus, Prouincia, Linguadoca, idest prouincia Occitana. Bria, Beossa, Turena, Andegauia, Poitù, Santogia, et Beri.

Ex his nutrire potest multos exercitus annona, et magnis suis fortelitiis, ac munitissimis ciuitatibus, cuilibet inuadenti resistere. Rex Ludouicus XII. ex regno quodlibet anno habebat millionem cum dimidio. Franciscus primus tria, Henricus secundus sex. Carolus IX. septem, et Henricus tertius decem. Pręteritis annis fuit multum propriis, et extraneis armis vlcerata, in capitibus, et membris, sed modo quiescit cum spe magna, quod Rex pręsentis temporis ut ea debeat reintegrare fidem Catholicam in totum, et victoriosa arma contra infideles conuertere, more suorum antiquorum, quæ ad huc infideles timent.

Sub eadem tertia tabula Europæ colligit Ptolomeus Galliam Belgicam, (Hodie Germania bassa) de qua dicenda sunt aliqua. Hæc enim regio dicitur inferior Germania, quia nimis ima est versus Oceanum. Hęc ab Aquilone tenet mare Oceanum. A meridie Lotenam, Campaniam, et Piccardiam. Ab ortu Rhenum, et Mosam. Ab occasu mare, et partem vnam, Picardiam respicientem. Guiciardinus ei dat circuitū 1000. milliar: quæ amplitudo stringit septem

gradus

gradus cęlestes cum dimidio in longitudine, & quinque gradus in latitudine, vnde collocatur in medio se ptimi climatis,& principio noni, in qua est varietas maximi diei in æsta te vnius horę, quoniam in medietate septimi climatis maior dies est ho rarum 16. & in initio noui 16. cum tribus partibus horæ.

Hæc regio habet aerem multum humi dum, sed complexioni inhabitantium accommodatum,æstatem suauem sentit, sed hyemem magis molestum,& eo magis si eo tempore spi rent Borea,Grecus, Subsolanus, & Siroccus. Est sine montibus,& collibus,lata,spaciosa, pręterquā in Lucemburgo,Annonia, Namurro, & Leodio. Producit abundanter triticum, millium nequaquam. Habet arbores multas fructiferas, sed non ficus,amigdalas, oliuas, cedros, & similes, nec vites producunt vinum bonum. Hęc superat multas prouin cias in magnitudine Bouum, & Equorum fortium, & multa sunt in hac regione animalia venenosa prę terquam in Olandia, & Zelandia, vbi reperiuntur quidam serpentes veluti Aspides, à conterraneis dicti Adre.

Incolæ sunt figuræ potius magnæ, quā paruæ, fortes, robusti, non venerei, nec inuidi, sed bibaces, cantores, musici,nautæ periti, & intrepidi,& in bello fortes,& generosi. Et quam uis mulieres huius regionis familiariter conuersentur cum hominibus, sunt tamen honestę,& sobrię.

Continet 17. prouincias,Ducatus qua tuor, scilicet Brabantiæ, Limburgi Luzemburgi, & Gheldriæ. Comitatus septem,scilicet Flandriæ, Artesiæ,Annoniæ, Ollandiæ, Zelandię, Namurri, & Zutfanniæ. Quinque dominationes scilicet Frisiæ occidentalis, Meclinie, Oltraiestesiæ, Transiluaniæ,& Groengiæ. In quibus prouincijs sunt 208. ciuitates, 6368. populationes, & pręter has multa,ac multa oppida,arces,& fortelitia. Habet quatuor Episcopatus.

Modo necessarium est intrare magnam Germaniam superiorem,quæ à Septentrione clauditur immenso Oceano. Ab Oriente comprehendit Prussiā. Ab occasu extenditur mo do vltra Rhenum, vsque ad Piccardiam, & Burgundiam. Et à meridie colligit totum spatium terræ, quod est vltra Danubium vsque ad Alpes, in confinibus Italiæ,comprehenden do Heluetios, Rhetios, Vindelichos. Noricum, superiorem Pannoniam. Tirolum, Isthriam, & Illirij partem. Est figuræ quadratæ quasi, vnde in longitudine, & latitudine habet fere 650. milliaria Italica. Iacet inter medium sexti climatis, & decimi, vnde in longitudine occupat meridianum 23. grad:, vsque ad Meridianum 46. grad. Et in latitud. ne extenditur ad decem gradus circumcirca, eo quia parallelus australior est grad:45. & parallelus Borealior 55. grad:

Tempore Taciti erat syluis, & nemoribus plena, modo est ciuitatibus magnis,oppulentis & populatis mirifice conspicua. Et omni ex parte fertilis est, & fęcunda. Et quamuis vbique non habeat vites, tamen sup plet pro his exuberantia magna fru menti. Et etiam sub sylua Nigra, et vbi Danubius cum Norico copulatur optimum vinum colligit, et in Pannonia generosum gignit, nec illaudabile in Austria, Alsatia,in ripa Rheni producit. Oleo tamen priuatur.

Germani sunt homines pulchri, et robusti, fortes, et intrepidi, multumque valent cum asta, et pica in acie, sed minus cum sclopo,et in Equo,et in aggressione expedita. Non viuunt vltra quingennatium, pręterquam in Sueuia, et vbi cessant à vino,et crapula sunt ingeniosi, et artifices admirabiles, vnde ab eis habui mus vsum bombardę, typographię,

et

et Horologij. Præcipites sunt in ira, et fere bestiales, sed cito placantur, et ex bono animo reconciliantur. Non sunt fraudolenti, astuti, versipelles, sed sinceri, et liberi.

Inter præcipua insignia, & magnifica encomia Germaniæ vnum præcipuũ est, quod apud eã est sacrũ imperiũ Romanum, priuilegium concessum à Gregorio quinto Archiepiscopis Maguntię, Treueris, & Colonię, Duci Saxonię, Marchioni Brandeburg, & Comiti Palatino Rheni, et in dissensione pro septimo Regi Bohemię. Pręter supradictos sunt & alij magni Duces, & Principes, Episcopi, & Archiepiscopi in Germania, inter quos Archiduces Austrię, & Duces Bauarię pręclari sunt, & omni laude digni, quoniam numquam à fide apostatauerunt, sed semper fidei Catholicę defensores fuerunt.

Prouincię Germanię sunt.

Prima Alsatia fertilis, frumento, vino, fructibus, syluis, & fructibus. Ciuitates eius dicũtur Rubengo, Inglostadio, Friburgo, & Argentina. Est in confinijs Heluetię.

Secunda est Vuittenberga, quę ab oriente, & meridie habet Sueuiã, à septentrione Franconiam & ab occidente Palatinatum Rheni. Est sine vino, cum tritico multo, & ciuitatibus Disturga Metropoli, Tubinga & Vuittenberga.

Tertia est Franconia, quæ etiam dicitur Francia orientalis, quæ à meridie tenet Sueuiam, & Bauariam, ab occidente tangit Rhenum, ab oriente Boemiam, & Turingiam, & à septentrione Turingiam, & Ashiam. Est prouincia celebris, fertilis, cuius incolæ sunt laboriosi, patientes, sed turbidi. In ea sunt duo Episcopatus, præcipui, & catholici. Herbipolis, & Bambergę. Apud eam sunt Spira camera Imperialis. Vormatia in qua sæpe dietę congregantur, Maguntia cuius Archiepiscopus est elector sacri Imperij, & Francfurt in qua eligitur Imperator, & bis in anno congregantur magnificæ nundinæ.

Sequitur Sueuia habens ab ortu Boemiam, à septentrione Franconiam, ab occasu Alsatiam, & Rhenũ, & à meridie Bauariam, & iuga alpium. Est fertilis rebus ad victum necessarijs, & insuper mineris ferri, & argenti, fluuijs, ciuitatibus, & populis bellicolis, audacibus, & pulchris, & ingeniosis. Ciuitates eius dicuntur Hasburgho, seu Augusta oppulenta ciuitas, Vlma, & Sterlinga.

Non est transeũdũ Bohemiæ regnum, quod ab oriente tangit Misniam, & partem Slesiæ, à meridie Austriam, & Bauariam, ab occidente Noricum, & à septentrione Sassoniam, & Misniam; sed sylua Ercinia eam totam circundat, & protegit. Indiget bono vino, & oleo, sed abũdat tritico, ordeoq;, immo in ea sunt venæ apertę auri, & argenti, stamni, æris, & ferri, & in ea reperitur etiam Amethistus, & Carboncius. Populi eius nisi essent multis hæresibus infecti, celebrandi essent in pulchritudine, nobilitateque. Carolus Imperat. diuisit regnum in decem regiones. Et inter magnas ciuitates totius Europæ celebratur Praga eius Metropolis, tres ciuitates comprehendens. Sub ea constituuntur Slesia, Morauia, & Lusatia.

Morauia est antiqua Marcomania, ab oriente habet Polonos, & Vngharos, ab occidente Boemos, à septentrione Slesios, à meridie Austriam: Sunt in ea incensum, & mirra, & ciuitates præcipue Olmutiũ, & Bruna.

Bauaria olim Boiaria, & Auaria; a septentrione attingit Franconiam, ab oriente Sueuiam, à meridie alpes, & ab oriente Austriam, & Boemiam. Diuiditur à Danubio in superiorem & inferiorem, & inferior est feracior superiori. Continet 34. ciuitates, inter quas primatum obtinent, Monachum, Inglosthadium, & Frisinga,

finga, Nuremberga, Ratisbona, Patauium, Lansutum, & Salburgum.

Austria, quæ & dicitur superior Pannonia, ab oriente tenet Vngheriam, à meridie montes Stiriç, ab occidente Bauariam, & à septentrione Morauiam. Gaudet in oppulentia frumenti, vini, aeris sani, & venarum argenti. Vienna olim Flauiana, est eius Metropolis. In Germania etiam ponuntur regiones Tiroli, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Vuesfaliæ, Cliuiæ, Giuliacæ, Hassiæ, Turingiæ, Sassoniæ, Brādeburgicç, Masfeldiç, Lusatiæ, Slesiæ, Misniæ, Leodij, Treueris, & Olsatiæ, quarum descriptionem omitto breuitatis causa.

De Heluetia tamen est aliquid dicendum. Hæc enim regio inter omnes puincias. Europç est altior. Ab oriēte habet comitatū Tiroli, à meridie alpes Cottias, et Ducatum Mediolan: et Pedemont: ab occasu Sabaudiam, et Burgundiam, et à septentrione Rhenus eam separat à Germania superiori. Est aspera in montibus, fertilis in vallibus, indiget vino, abundat gregibus pecudum, butiro, caseo, et bestijs silueſtribus. Diuiditur vt dicunt in vndecim cantoni Tigurino, Derua, Lucerna, Vriori, Suitiori, Siluania, Glarona, Basilea. Friburgo, Salodori, Scafusia Abbarisella. Heluetij sunt milites fortes, et intrepidi, fideles, et solidi, qui si non superantur anro, non cedunt ferro. Cum Heluetijs fçderati sunt Vallesani, olim Seduni, diuisi in superiores, et inferiores, bellicosi, fortes. Inter hos sunt minerç chrystalli, argenti, plumbi, et ferri.

Sub Germania comprehenduntur etiā Rhetij, hodie Grisoni Cisalpini, et Transalpini.

In quarta tabula Europæ Ptolomei ponuntur insulæ septentrionales, vt Scandia, Noruegia, Suetia, Dania, seu Danimarca, Insule Hellesphonti Danoi, Scetlandiæ, Frislandia, Islandia, Engrouelandia, et Traria. de quibus multa dicunt Scriptores, quæ videri in ipsis poterunt.

Modo procedimus ad regnum Poloniç, nobilissimum, et amplissimum regnum, vt plurimum Catholicum, Iacet in sua amplitudine sumptum inter Tartaros ab oriente, Moschos, et Balticum mare ab occidente, partem Moscouiæ, et montes Vngharíæ à meridie, et Valachos. Est amplum regnum, et quasi tam latum, et longū, vt Hispanicū. Pauperrimū est in oleo, et vino, sed ditissimum in frumento, hordeo, leguminibus, bobus, Equis, melle, cera, auro, argēto, plumbo, ferro, & ære. Incolç sunt humanissimi, dulces, & amici boni. In ea non sunt fures, traditores, nec duplices. Sunt in ea multi nobiles, & titulati, equites generosi, & victores. Nobiles non sustinent iniurias, nec auaritiam, sed sunt splendidi, & prodighi. Diuiditur in maiori, & minori Polonia. In minori Polonia sunt tres ciuitates insignes. dictç Cracouia, Sandomira, & Lublin. In maiori sunt Postnania, Calis, Scadia, Lancicia, Cuiauia, Raua, PlociKo, Dobrinia, sub quibus sunt multç aliç ciuitates. Prouinciç eius, & quidam magnç sunt Liuonia, Lituania, Samogitia, Moscouia, Volinia, Podolia, Ruscia, Meridionalis, Podlassia, Pometania. Prussia. Poloni eligunt sibi regem, & catholicum, & in casu necessitatis armant 200. millia millitum ferocium, & fortium.

Modo dicendum venit de Vngharia, (olim interior Pānonia,) et Transiluania pars antiquç Daciç Vngharia ergo à meridie includendo in ea Transiluaniam habet fluuium Sano, separantem eam à Cornatia, et Seruia; quç sunt in ea parte Illirij, quç ex opposito respicit mare Adriaticum, à septētrione Poloniam, Rusciam diuisas à monte Carpato. Ab occidente Austriam, Morauiam, et Stiriam, et ab oriente flumen Tebisco,

sco, sed vt diximus includendo Trãsiluaniam habebit ab oriente vtranque Valachiam. i. Subalpinam, et Moldauiam. Posita est inter medietatem sexti, et septimi climatis, colligendo 16. et 17. parallelos, cuius magnus dies in ęstate est horarum 15. cum dimidia. Paucę sunt prouincię quę in fęlicitate Agrorum possint Vngharię comparari, quia ipsa abũdanter producit triticum, vinum, oues, boues, capras, et equos generosos, et feras multas, ac varias, sed insuper abundat mineris auri, argenti, ęris, et ferri, sed non plumbi, et stamni. Vnghari vtuntur lingua Scytica, quoniam ab Vnnis populis Scythię originem, et nomen vltimum acceperunt, Qui tñ habitant inter Danubium, et Tebiscum propriam linguam habent. Sunt feroces, bellicosi, inquieti, seditiosi, et turbolenti, et seditiones ipsorum meliorem partem dederunt Turcę.

Diuiditur in citeriorem. i. citra Danubium, et Vlteriorem, idest vltra Danubium, et habet 50. comitatus. In citeriori est Buda regia. Alię ciuitates insignes sunt Alba regalis, Strigonia, Cinquechiese, Sotronio, Tauruno, aut Belgrado, seu Alba Greca. Sabaria patria D. Martini, Vesprino, Sigheto, Giauarino, Komar. Turca debellauit Belgradũ anno 1521. et anno 1541. dolo, et fraude obtinuit Budam, et deinde armis Strigoniam, Albam regalem, cum destructione ciuitatis quinque ecclesiarum. Regi Vnghanię obedit pars septentrionalis Vngherię, in confinibus Polonię, et Casouię.

Transiluania olim Dacia meridionalis, et Ripensis ab occidente tenet Pannoniam, à septentrione Poloniam, à meridie Valachiam cisalpinam, ab oriẽte Moldauiam. Ciuitates eius, sũt Ermanopoli, aut Cibino Stefanopoli, hodie Corona, et Brassouia, Bistriccio, Modieso, Schiespurgo, Claudiopoli, et Alba Giulia.

Aggrediamur modo breuem descriptionem Grecię. Huic regioni dant terminos communiter mare Ioniũ ab occidente, Libicum, à meridie, Egeum ab oriente, à septentrione vero montes Macedonię eam diuidunt à Traccia, Dalmatia, et superiori Missia. Includitur inter meridianos 44. grad. et 55. sub paralello 34 grad. latitudinis seu decimo, vnde maior dies ęstatis est 14. horarũ. cum quarta parte, et in paralello 43. grad. 15. horarum, cum quarto. Olim Grecia primatum tenuit inter omnes gentes Europę, in temperie aeris, amenitate terrę, abundantia agrorum, subtilitate litterarum, ferocitate militum, et oppulentia ciuitatum. Ab ea ortum duxerunt Scientię, artes, et virtutes, sed modo iacet plurimum squalida, et desolata, sub impetio crudeli Turcarum.

Tracia connumeratur inter prouincias Greciæ, et hodie dicitur Romania, cuius regia est Constantinopolis, solium Imperatoris Turcarum. Ab ortu habet mare Eusinum, Bosphorum Tracium, seu Stretto di Constantinopoli, Propontidem, et Ellesphontum hodie Stretto di Galipoli. A septentrione, montem Emũ et Argentatium. Ab occidente Missiam superiorem, et partem Macedonię, et per iter 20. dierum diffunditur vsque ad Eusinum. A meridie tenet mare Egeum, hodie l'Arcipelago. Est regio frigida, populata, fęcunda, habitatores sunt feri, crudeles, et barbari. Ciuitates eius dicuntur Abdera, alias Clezomenia, Nicopoli, Filippo, Filipoli, Andrianopoli, Traianopoli, Salembria, Perinto, hodie Eraclia, Triopoli, Apolonia, Constantinopoli. Hęc est in circuitu 13. milliaria, sed per suburbia diffunditur per 50. milliaria.

Alię prouincię Grecię sunt Chersonesus Tracię Macedonia. Epirus horus hodie pars Albanię, Acaia, hodie Liuadia, Morea, olim Peloponesus,

Insulę

Insulę Arcipelagi, Dalmatia, Liburnia. olim Illirium &c. *Hic* solum dicemus aliqua de Dalmatia, & Candia, quæ Dominis nostris Venetis subijciuntur hodie.

Dicendum est ergo, quod Illirium vocatur ea regio, quæ Italiæ ex opposito manet, apud littus Adriaticũ. Diuiditur autem à quibusdam Illirium in Dalmatiam, Schlauoniam, & Albaniam, ponendo Sclauoniam à parte occidentali, Albaniam in oriẽtali, & Dalmatiam in medio vtriusque, Longitudo Illirij, & Schlauoniæ à fluuio Drino vsque ad Arssam est mill. 480. & latitudo à montibus Croatiæ, vsque ad mare milliar. 120.

Est fertilis vt plurimum quasi Italia, & multos portus habet ad differentiam Italię, quæ paucos tenet, floretque ea pars, quæ sub pio regimine. D. D. Venetorum sedet, & destructa apparet illa pars quæ sub *T*urcis iugum portat. Et quoniam Veneti fuerunt solliciti de salute, & quiete suorum populorum, immo dicam totius Italiæ, ideo eam partem multis fortelitijs, & præsidijs munierunt, nam si hanc partem *T*urca inuasisset, non esset Italia tuta, quoniam breuissimo tempore ex littore Schlauoniæ, & Dalmatiæ posset applicare, & Italiam, præcipue Romandiolam & Marcham combutere, & occupare, vnde tota Italia multum debet prudentiæ istorum.

In hac ergo parte inspicimus primo Seniam, communiter Segna, in littore maris posita, horribili tempestate à Borea percussa.

Secũda est Iadera, hodie Iadria, aut Zara, metropolis, & fortissima, i humili Chersoneso sita, cũ portu optimo.

*T*ertia est Sebenicum apud pedes montis in sinu seu gulfo Sardonico, exposita terribili vento, cum agro fertili, & fortellitio munito.

Quarta est Salona hodie Spalatro, Arsenale Dalmatiæ. Aliæ sunt *T*ragurium, seu Traù separata à continenti per canalẽ. Epidaurum, apud cuius ruinas est Ragusia fortis, & munita. Castrum nouum, Castel nouo hodie golfo di Cattaro. Cattarum, ciuitas fortissima, vndique muris validis, Bombardis, ac fortibus septa contra *T*urcas. Scodra, hodie Scurari, longe à mari 18. milliar. capta à Turcis, cum *B*udua, Antiuari, & Dolcigno. Apud Illiricũ multæ sunt insulæ, præcipuę dicuntur Cherso, Osero, Vegia, Arbe, Gissa, Cutzola, Lagusta, Meleda, & aliæ.

Creta autem insula est Greciæ famosissima, vnde alias colligebat in se centum magnas ciuitates. Sita est in principio quarti climatis sub nono paralello, & magnus eius dies in æstate est 14. horarum circum circa. A septentrione abluitur mari Egeo, & Critico, ab austro mari Libico, seu Affricano, ab occidente tenet mare Adriaticum, & respicit insulas Agilæ, & Citharæ, & ab oriente tangitur mari Carphatio. Est formæ longæ, ab ortu in occasum se extendit, formando tria promontoria. Primum respicit orientẽ, & dicitur Samouium, hodie capo Salomone. Secundum respicit austrum ex opposito Cirenis, olim nominabatur capo di Montone, hodie Ermea, & capo Gabusse. *T*ertium respicit Peloponesum à Strabon. dicitur Cimarus, hodie capo Chestin. In circuitu est millia. 525. in longitudine 215. & in latitudine 43. Distat à Soria milliar. 500. totidem ab Aegypto, totidem à Carmania, à Cipro, & Albania 300. Situ est aspera, & montuosa, quia diuiditur à montibus per transuersum in longitudinem. Altior eius mons dicitur Ida.

Creta abũdat arietibus, capris, vinis generosis, oliuis, melis granatis, ficubus, & alijs fructibus, limonibus, arancis, cedris grandæ molis, & pomis Adami, granis ex quibus fit color rubeus, melle, cera, caseo, landano odorifero, Dittamo tollente fa-

mem. Sed non producit triticum nisi pro octo mensibus, nec in ea est flumen nauigabile. Non habet Lupos, nec alias bestias mortiferas, nec Serpentes.

Cretenses alias fuerunt in mala opinione hominum, & tenebantur ventre pigri, mendaces, libidinosi, auari, rapaces, fraudolenti. Hodie tamen ex vsu cum nostris, viria domuerunt, & multis virtutibus clarere incipiunt. Præcipue in iaculando è arcu, in qua arte Turcas vincūt.

Præcipuæ eius vrbes omnes in Boream conuersæ sunt Sittia, Candia, Rettimo, & Canea, cum 13. oppidis muratis. Bellonius censet hanc insulam inespugnabilem, & verum est, præcipue modo, quod Domini Veneti tot fortalitijs eam munierunt. Viuit sub eorum pio imperio hinc ab anno 1194. Tandem, vt omnia alia omittamus, quæ dici possunt à Geographis, & Cosmographis de multis alijs locis Europę, ad Italiam accedimus.

Italia ergo merito potest vocari regina orbis, quoniam hæc est mater Imperatorum, sedes Pontificum, gimnasium omnium virtutum, omni ex parte fortis est, innumeris populis dotata, & omni fęlicitate cęli, & terrę priuilegiata. Fuit ab antiquis multis nominibus decorata, & dicta Ausonia, Enotria, Ianicula, Saturnia, Tyrsenia, Hesperia, Chaonia, & Bretia, sed vlgaritur dr̄ Italia ab Italo Rege Siciliæ, qui Italios culturā camporum docuit, & legeseis dedit.

Ab Oriente tenet Adriaticum, & Ionicum mare. Ab Occidente fluuium Varum, & iuga alpium, quæ eam separant à Gallia. A meridie mare Liguisticum, & Tyrrenum. A Septentrione Adriaticum, & Alpes separantes eam à Germania.

Plinius, & Solinus dant ei formam foglij querciæ, ita vt sit longior, quam latior. Eusthatius eam assimilat folio hederæ, alij comparauerunt eam tibiæ humanæ. In summa clarum est, quod est longior, quam latior, quia in longitudinem ab Augusta Pretoria vsque ad Rhegium Calabriæ est secundum aliquos milliar. 1020. secundum alios 720, & latitudo maxima inter flumina Varū, & Arsiam 420. & minima 175. In circuitu tenet milliaria secundum quosdam 2250. secūdum alios 2350. Claudit octo gradus cęlestes in latitudine, quoniam parallelus australior distat ab æquatore 38. grad. & Borealior 46. vnde occupat totum quintum, & sextum clima, & omnes parallelos intercedentes inter vndecimum, & sextumdecimum. in qua distanria cadit differentia diei vnius horæ, quare in suo parallelo australiori maior dies æstatis erit. H. 14. cum tribus quintis, & in Borealiori est H. 15. cum quinque quintis. In longitudine amplexatur 14. meridianos, quorum occidentalior, qui conspicitur à Nicia Prouinciæ transit per 27. grad. & orientalior ductus per Otrantum trāsit per grad: 42. In summa est in tanta fęlicitate cęli constituta, vt merito Ethius eam vocet Reginam mundi, Mamertinus dominam gentium, Rutulius patronam vniuersi, Dio Prussius, Beatissimam prouinciam omnium Europæ prouinciarum, Plinius matrem, & nutricem totius vniuersi, asilum oppressorum, secūdam genitricē mūdi, & paradisū terrenū.

Fęlicissima est in frumento, hordeo, millio, panico, vino, oleo, animalibus, pratis, viridarijs, fluuijs, lacubus, maribus, mōtibus, fructibus, ingenijs, artibus, & virtutibus, vnde iure potest vocari compendium omnium bonorum, ad vitam humanā pertinentium. Elianus tradit in Italia fuisse ciuitates 1166. Guido Rauenates 700. hodie habet, 300. ciuitates Episcopales, & innumera oppida, castra, & terras muratas, vt solet dici, pręter cōes populationes.

Itali

Itali sunt corpore pulchri, formosi, ciuiles, hospitales, ingenio prediti, litteris, & armis inclinati, artibus, & mercimonijs propensi, subtiles in negotiando, mirabiles in tractando, & inueniendo miras subtilitates, propter quam causam non bene audiunt apud simpliciores nationes.

D. Augustus eam diuisit in vndecim regiones apud Plinium, Strabo in octo, Antoninus in Itinerario in 16. prouincias. Leander Albertus in 19 regiones, & Ptolomeus in 45. populos. Nos autem summariam moder norũ descriptionẽ amplexabimur.

Corsicã ergo primo inspicimus, Sardiniã, & Siciliã, quæ sunt Italiæ maximæ insulæ, & de his primo dicemus.

Corsica (apud Grecos Cirnos) sic vocata est secũdum Eusthatium à Corsa muliere Ligurica, quç hanc insulam detexit, & Ligures ad eius occupationem impulit. Ab occidente, & Septentrione tenet mare Ligusticũ, ab Oriente Thyrrenum, & Ionium. A meridie quodam sinu diuiditur in tercedẽte inter ipsam, et Sardiniam. Est sub quinto climate.

Strabo vocat populos huius prouinciç feros, & bestiales, eligentes potius mori, quam seruire. Et Iulius Cçsar della Schala affirmat nullum hominem esse crudeliorem Corso. Ho die tamẽ familiariores cõspiciuntur, & fideles, intrepidique in bello. Ciuitates eius sunt Mariana, & Aleria, Nebio, Aiaces. Sagonia, Et si Insula non sit multum fçcunda, tamen in ea abundant Equi fortes, Canes feroces, mineræ aluminis, ferri, salis, & coralli. Mel, apes, oleum, ficus, & vinum optimum. Ianuenses domini, profligatis Saracenis, qui eam occupauerant sub iurisdictione sua insulam redigerunt.

Sardinia circundat milliaribus 560. à Corsica distat per 10, & ab Affrica 130. Est aspera, & montuosa, & mali aeris, prçcipue in æstate. Abundat tritico, animalibus, & vinis albis delicatis, & quibusdam feris comestibilibus. Multos producit Equos, & habet multas mineras argenti. Caret oleo. Sunt in ea duo Archiepiscopatus Cagliari, & Oristano, Aliæ ciuitates dicuntur Sassari, Algher, quæ sola habet aerem salubrem.

Sardi sunt coloris fuschi, cõplexionis fortis. Eã in feudũ à Romana Ecclesia obtinuit Petrus Rex Aragoniæ.

Sicilia magna est insula, vnde in circuitu tenet milliaria 780. quare ob tantam magnitudinem, & fertilitatem merito appellari potest Regina omnium insularum maris Mediterranei, & distat ab Italia firma 1500. passus tantum. Adeo est fecunda rebus ad victum spectantibus, vt dicatur hordeum Italiæ. Est figuræ triangularis, cum tribus promontorijs. Plena est hominibus, & sine magno incõmodo valet in exercitu formare tria millia Equitum, & 12. peditum. Tempore autem Dionisij Siracusani tyrrani tantũ vnius partis insulç, tenebat pro tutela Dionisij 10000. Equites, & 20000 pedites, & 400. triremes armatas. Siciliani sunt ingenio acuti, eloquentes, & faceti, sed otiosi, & gloria cupidi. Multæ sunt in Sicilia magnæ, & prçclaræ ciuitates, quæ dicuntur Messina, Catania, Melazzo, Tauromina, Cifalo, & Mongibello versus Promõtorium Pelori in valle Valdimona. Versus Lilibeum in valle Mazara sunt Termine, Palermo, Monreale, Erice, Trapani, Mazara, Martala, Girgenti. Versus caput Passeruin in valle di Noto sunt Siracosa, Lentini, Augusta, Castro Gioanni. In totum sunt 12. ciuitates Episcopales. Hæc Insula occisis Gallis ad sonitum Vesperarum se subiecit Regi Aragoniæ.

Primo autem loco post insulas ponere mihi placet regionem Pedemontis, olim Taurinorum, posita ad pedes montium, qui diuidunt Italiam à Francia. Ab oriente habet Padum flu-

fluuium, alpes Liguriæ à meridie, ab Occidente alpes Galliæ, & flumen Duriæ Ripariæ à Septentrione. Alii terminant Pedemõtem, ab ortu cum fluuio Secia, ab occasu cũ monte Teuda, & Corna, à meridie cum Marchionatu montis ferrati, & à Septentrione cum Alpibus Galliæ.

Pedemontani sunt bellicosi, ciuiles, humani, sinceri, morigerati, hospitales, et beneuoli. Abundant frumento, carnibus, et vino suaui, et optimo. Magis diligunt Agriculturam, quam negociationem. Habet ciuitates Taurini, Vercellarum, Ireę, Augustæ pretoriæ, Osta communiter, cum quibus adiungemus Salutiarum, Montis regalis, et Eporedię, quæ omnes obediunt generoso Duci Sabaudiæ, et Pedemontis, claui-geri Italię.

Monsferratus Marchionatus est sub Duce Mantuæ constitutus. Diues est, oppulentus, et sanus, et quot dies in anno sunt, tot castra continet, numero 365. cum tribus ciuitatibus. Casalis, Aquis, et Albę. Eius populi sunt feroces, et bellicosi, sed et litteris, et moribus prediti.

Liguria, opinione Leandri Alberti dicenda est prima regio Italiæ. Iacet inter Varum, et Macram. Ab Oriente tenet Ethruriam, à Meridie mare Ligusticum, longum milliar: 160. circumcirca, à Septentrione Apenninũ, et partem Emilię. Diuiditur in partem Orientalem, idest à portu Lunæ, vsque Genuam, et in Occidentalem, à Genua, vsque Monachum. Est petrosa, montuosa, syluis plena, et alias eius incolę erant fures, et latrones, et deripiebant, infestabantque omnes nauigantes mare, vsque ad Gaditanum fretum. Hodie sunt ciuiles, industriosi, ingeniosi, in negotiis cauti, et mercaturę dediti. Sunt in victu parci, et in gubernando multum experti. Portant staturam altam, aspectum pulchrum, et delectantur in politia. Quę in Genuensibus pręcipue reperiuntur. Strabo sentit quod ortum ducant à Grecis; Tucidides à Siculis. Mirabilia fecerunt in mari, obtinuerunt armis Theodosiam hodie Caffa, insulas Cipri, Lesbi, Chii, et Perę. Habuit tres Pontifices maximos, et insignes, Gregorium VII. Sixtum IIII. et Iulium II. ex nobilissima familia della Rouere, à qua veniebat Illustrissimus Dominus Simon à Ruuere, à duobus mensibus defunctus, cui multum debebam.

Tuscia hodie Toscana, vocata etiam fuit Comara à Comero Gallo primogenito Iaphet. Vmbria ab Vmbris, qui eam occupauerunt. Ianicula à Iano, qui eam habitauit. Rasena à Duce Razenno, qui ad eam venit, Pelasgia à Pelasgis, qui domicilia in ea fixerunt, & Tyrrhenia à Rege Tyrrheno, et Tuscia à Tusco Rege filio Herculis. Habet ab Oriente Latium, separatum ab ea per fluuium Tiberim. A Meridie Thyrrenum, et ab hac parte Sardiniam respicit. A Septentrione Apenninum, et ab Occidente Liguriam, diuisam per fluuium Macrę.

Est regio nobilis, fecunda, inter omnes prouincias Italię, omnibus spectantibus ad victum, et vestitum, ad mirabilis, et desiderabilis.

Tusci sunt felicissimo ingenio prediti, & pauci sunt, qui eos superare in subtilitate, et artificio valeant.

Ponuntur in ea insignes ciuitates, Florentia, Pisa, Lucca, Perusia, Volterra, Siena, & alię multę, apud omnes famosę, & notę. Habet magnum Ducem.

Latium modo intremus, in quo est Roma caput mundi, & domina vniuersi, propter fidem, & Religionem Christianam, & Catholicam, quæ in omnem terram exire debet, vt fiat vnum ouile, & vnus pastor. Dionisius Affricanus vocat Latinos ge-

nera-

nerationem gloriosam, ingenijs, et agris fęlicem. Fertilis vtique est modo frumento, & vino, sed malum ae rem fert ab Ostia vsq; Terracinam in littore maris. Sed Roma omnium oculos in se conuertit, & desiderabilem se facit. Hęc ædificata fuit à Romulo ante Christum natum annis 751. & tempore Plinii circuitus Romę fine suburbiis erat mil. 20. hodie 15 est. Sedet in ea Vicarius Christi, et potest dici Academia omnium nationum vniuersi, In latio ponebantur Roma, Ostia, Ardea, Neptunus, Terracina, Gaeta, Velletris, Tiburis, Petra Tiburtina, Preneftis, Anagna, Verulum, et alię.

Vmbria à Meridie habet Etruriam, ab Oriente Vilombrã, à Septentrione Senones, ab Occidente Galliam togatã. Hodie dicitur Ducatus Spoleti, continens Burgum sancti Sepulcri; Ciuitatem castelli, Tudertũ, Augubium, Noceram, Fulignum, Assisium. Spoletum, Norsiam, & Ameliam. Est fertilis, & plena populis bellicosis.

Sabina clauditur hodie inter lacum Velinum, & ciuitatem Riethi, Tiberim, & Annienem, & est veluti Vmbria in proprietatibus agri, & qualitatibus populi. Loca eius pręcipua sunt Rietium, Narnia, Otriculum. Marianum, & Palumbaria.

Multa essent dicenda si singillatim de regno Neapolitano, & eius prouincijs esset disserendum. Breuibus autem perstringemus, quę fuse dicere possemus.

Regnum ergo Neapolitanum fere mediam partem Italiæ amplexatur, & merito posset dici Italia Orientalis, Venit autem sub nomine regni Siciliæ citra Pharum, nam Sicilia vltra est insula Siciliæ. Ab Occidente terminatur fluuijs Auxufeno, & Truẽto, hodie Tronto. A Septentrione mari Adriatico. A meridie Tyrreno, & Siculo, & ab Oriente Ionio. Circuitus totius regni est milliar: 1464. Concludit in se octo regiones amenissimas, ac fęlices Italię, quæ communiter dicuntur. Terra di Lauoro, olim fęlix Campania, Lucania, hodie Basilicata, Brutia, hodie inferior Calabria. Magna Grecia, hodie superior Calabria, Salentina, hodie Terra di Ottranto, Puglia, Peucetia, hodie Terra di Bari, Puglia Daunia, hodie Puglia piana, Sannitia hodie l'Abruzzo, in quibus prouincijs mira sunt, quæ videntur, & in fertilitate agrorum, abundantia animalium, & fęlicitate ingeniorum.

Habet hoc Regnum portum Caietanum, Tarentinum, Brandisinum, Boianum, et Neapolitanum. Flumina Truenti, Fiterni, Sati, Aterni, Aufidi, & Vulturni. Illustre est sex magnis officijs, magni Contestabilis, magni Iustitiarii, magni Ammiraglii, magni Thesauratii, magni Protonotarii, magni Sinaschalchi. Habet viginti, & vnum principes, Ascolani, Amelini, Bisignani, Capistrani, Cariati, Casertæ, Cõchæ, Frãcauillæ, Melphi, Meliti, Molphetæ, Salerni, Sancti Buoni, Sancti Seueri, Scaleæ, Schillæ, Squilacis, Stigliani, Sulmonæ, Terami, & Venosæ. Vlterius sunt in eo triginta, & tres Duces, quinquanta & tres Marchiones, 58. Comites, 15. Domini, & quatuor chortes, hodie Seggi.

Status Ecclesiasticus in eo tenet 22. Archiepiscopos, & 140. Episcopos circumcirca.

Picenum hodie Marca di Ancona, ab Oriente habet fluuium Truentum limitẽ regni Neapolitani. Ab Occidẽte Isaurum, hodie la Foglia apud Pisaurum. A meridie Appenninum, & à Septentrione Adriaticum.

Multum laudatur à Strabone hæc regio, & in singulari in fructibus, & oliuis, sed digna est maiori laude, quoniam in ea Deipara posuit propriam domum, & Christus eius filius

lius regimen etiam temporale eius Vicarii.

Habitatores agrestes sunt in conuersatione, sed bellicosi, fortes, intrepidi, & magis diligunt arma, & agriculturam, quam mercaturam, & artes. Solent connumerari inter ciuitates Marchæ Anconitanæ. Ancona, Elia Ricinia, hodie Recanati, Lauretum, Camerinum, Tolentinum, Macerata, Asculum, Vrbinum, Pisaurum. Forum Sempronij.

Flaminia hodie Romagna secũdũ Leãdrum Albertum est 14. regio Italiæ, & ab Oriente habet Marcham Anconitanam apud Isaurum hodie Foglia. A meridie Appeninum, diuidẽtem eam ab Ethruria. Ab Occidẽte Lombardiam apud Scultennam hodie Panara, & à Septentrione paludes Veronæ, & Paduæ, & partem Adriatici. Aliqui tamen Bononiam excludunt à Romandiola, eam vocantes Felsinam, volentes, quod tantum Romandiola vocetur ille tractus, qui à Bononia vsque ad Rubiconem tendit.

Paucæ sunt regiones in Italia, & extra Italiam, quæ sint fertiles vt Romandiola, vnde in ea magna exuberantia frumenti cernitur, & ex ea suaue, ac generosum vinum degustatur. Videntur in ea lati agri, colles ameni, salinæ bonæ, aquæ sanæ, flumina, & mineræ metallorum, quare indicatur opulentissima prouincia, quæ in duplum maiorem hominum multitudinem pasceret, quam faciat.

Incolæ solebant esse factiosi, & diuisi in Ghelffi, & Gibellini, vt dicitur, sed modo in pace viuunt, & in quiete sub obedientia Sedis Apostolicę. Sunt ingenio perspicaces, armis dediti, virtutibus inclinati, corpore firmi, animo constantes, voluntate stabiles, et fidelitate laudabiles, vnde Romandiola dicta est à Carolo Magno, ob fidelitatem, quam semper seruauit Vicario Christi.

Ciuitates eius pręcipue sunt Ferraria, (commoditatis enim gratia descriptionem Leandri amplexabimur) pulchra, delitiosa, et benigna ciuitas fortis, et conspicua. Bononia mater Studiorum, nobilitate plena, palatijs, ac ędificiis insignis, pinguis, et diues, vt paucæ sint ciuitates, quę ei in pręstantia multorum ęquiparari possint. Alię Ciuitates sunt Imola, Fauẽtia. Forũ Iulij, Ceruia, Arriminum, Cesena, Sarsina, et Rauenna, sedes olim Essarchi Imperatoris, et pręcipuum fundamentum libertatis Italię, contra Gothos, ac alias barberas nationes.

Marca Triuisana antiqua descriptione comprehendebat id totum quod est à flumine Liuenzę, et ab intimiori angulo Adriatici, vsque ad Mincium, et lacum Gardę, et secundum alios patebat ad fluuium Aduę. Sed hodie comprehenditur communiter sub nomine Lombardię, ob magnam similitudinem motum, et agrorum inter hos.

Pro confinijs ergo dabimus ei ab oriente Liuentiam, terminantemque Friule, vt dicitur. A septentrione Alpes diuidentes Italiam à Germania. Ab occidente Lombardiam apud Lacum Gardæ, et fluuium Mincii. A meridie Athesim (Adige) et paludes Melatianas, vel Padum.

Leander laudat hanc prouinciam in nobilitate habitantium, affluuentia camporum, splendore oppidorum, muris septorum, et munificentia ciuitatum. In procreandis hominibus artibus, scientiis, consiliis, ac administrationibus aptis, in cumulandis etiam diuitiis idoneis, et in exercitandis armis excellentibus. In fertilitate agrorum, bonitate fructuum, et temperie aeris. In fluminibus, fontibus, lacubus, mõtibus, vnde potest dici fœlix, & illustris Italiæ prouincia.

Flumina eius dicuntur la Piaue, Brenta, Bachilione, et Adise.

Padua, Vincentia, Verona, Treuisum, Tren-

Trētū sūt huius prouinciç illustrissimæ ciuitates, omni laude dignæ.

In sinu autem intimo Adriatici conspicitur admiranda Ciuitas Venetiarum, oculus libertatis Italiæ, & residuum gloriæ antiquorum Romanorum, in duabus his ciuitatibus Roma, & Venetijs adhuc fulgidū. Habet hæc ciuitas circuitum milliariorum octo, diuisa quasi corpus humanum per canales, quasi per venas. In hac præter publica ædificia, quæ admiranda sunt, trahunt intuentium animos in stuporem. Tot magnifica, splendida, & ornatissima palatia, & in tanta quantitate, quod qui nōn videt ista, non credit. Tota potest vagari, & per solidum, & per aquas. Nā in ea communiter dicitur, Cimbas, (gondole) supra octo mille excedere. Admirandum habet Arsenale, in quo perpetuis temporibus ferialibus fiunt triremes, naues, et alia nauigia ad nauigandum, et bellandum optima. Et quāuis in eo sint 200. triremes completæ, tamen nouæ semper fabricantur, vnde nulla est potentia in mari in Italia, quæ valeat isti de facili comparari. Inenarrabilis est prudentia, et sapientia tot, et tantorum Senatorum, qui in gubernanda Republica Romanis Senatoribus çquiparantur. Et quamuis ciuitas sit plena nobilibus, tamen in vno habitu, vna moderatione, et affabilitate cum ceteris conueniunt, et conuersantur, ac si essent vnus ex illis. Et in hoc eos supra alios extollo, quod in fauendis subditis, et amicis non prçtermittunt omne arduum, et difficile, voluntque omnem lapidem, æmulantes facilitatem Cesaris, magnanimitatem Augusti, et clementiam Titi. Sed alia diceremus, si explicare possemus.

Murianum est insula pulchra, amabilis, et chara, et ita Clugia.

Lombardia autem diuiditur in Lombardiam vltra Padum, et citra Padum, in Cispadanam, et Transpanam.

Cispadana terminatur ad orientem cum Romandiola, ad Meridiem cum Apennino, et parte Ethruriæ, et parte Liguriç Transpadanæ. Ad septentrione cum Pado. Ad occidente cum Pado, et Alpis diuidentibus Galliam vlteriorem, à citeriori. Primo fuit vocata Doria, à familia Doria, prima inter Tuscos. Emilia ab Emilio, qui fecit viam Emiliam. Et Aurelia, ab Aurelio Duce Romano, Sed et fuit vocata Felsina à Pado vsque Rauenam, vnde et in hac parte fuit Essarcatus. Est regio tota delectabilis, et fertilis, Habet incolas nobiles, fortes, et apertos, animososque. In hac prouincia sunt Parma, Placentia, Reggium, Mutina, Mirandula, et si placet etiam Bononia, secundum opinionem plurium.

Lombardia autem Transpadana ad ortum habet Mincium, et dexteram ripam Laci Gardæ. Ad meridem Alpes diuidentes Italiam ab Heluetijs. Ad meridiem Padum, et ad occasum Alpes, quæ separant Italiam à Gallia, vsque ad Varum.

Si est aliqua prouincia in Italia laude digna ista est, quoniā in se colligit Cinomanos, Insubres, Libicos, Salassos, Taurinos, Retthios, et tot populos, qui eam habitauerunt, et pro ea obtinenda vsque ad mortem bellauerunt. In ista sunt agri fertiles, vineæ abundantes, lacus insignes, flumina magna, et pinguia, montes mineralibus fçcundi.

In ista nascuntur homines ingeniosi, generosi, cordati, sapientes, astuti, fortes, bellicosi, intrepidi, fideles, sinceri, et amici veri. Et nisi inimicitijs, cladibus, iniuriis, ac armis se impeterent, paucæ essent nationes, quç isti comparari valerent.

Prima Ciuitas huius prouinciç est Mātua, Roma antiquior annis 671. ante excidium Troiæ 60. annis ædificata, muris, ac lacu mirabiliter fortificata,

ficata, magnificis ædificiis, picturis, & vijs decorata viuit fęlix, & quieta sub proprio Duce.

Brixia succedit (tendendo ab ortu in occasum) alias metropolis Cinnomarum populorum. Eius diœcesis longa est milliar. 50. currendo à Limone loco laci Gardę, vsque Vrceas & lata milliar. 100. à Moso vsque ad Diu longum, in qua nutriuntur homines 300. millia, & in Ciuitate Brixia 50. millia. Vbique præterquam in quibusdam montibus est fertilis, & tantum, vt etiam alat multa alia loca suo frumento, & vino, & ditet ferro. Sunt in ea nobilissimæ familiæ, & generosi Comites, Equites, & domini, & nisi essent multum vindicatiui, & factiosi, nescirent quid de suis diuitijs facere possent. Sunt multa & multa oppida in ea, quæ in amplitudine, & multitudine gentium multas, ac multas ciuitates Italiæ excedunt.

Bergamum post Brixiam à qua per 30. milliaria distat, & totidem à Mediolano sequitur. Hæc cum sit mea patria, eius encomia præterire non debeo. Sita est ciuitas in monte fere per milliare alto, sed facilis ascensionis, cum tanta aeris temperie, & bonitate, vt in ea multi, ac multi sint senes, fortes, robusti, ac floridi, ac si essent iuuines. Mirum est, quod in tanta altitudine sint palatia stupore ædificata, & ciuitas tanto ordine sit diuisa, vt in plano loco non videatur in multis ciuitatibus, quid simile. Maior eius pars est montibus obsita, sed non desunt valles fructiferæ, & abundantes, & loca plana tantam fertilitatem redolent, vt bis in anno fructum reddant. Longe à ciuitate milliaribus septem est Vrgnanum Castrum, muris, ac fossis septum, ac arce munitum. Domicilium nobilium Comitum Albanorum, & multarum aliarum familiarum proprijs redditibus, sine arte mechanica viuentium, inter quos est familia Patris mei, qui in hoc loco me ad lucē misit de anno 1570. die 18. Iulij, Hora 10. M. 45. Licuit mihi hoc dicere, quia Dijs, Patriæ, parentibus, & Magistris numquam satisfecimus. Non est natio sub Sole, quod tantum sit per orbem sparsa, diffusa, ceteris paribus, quantum Bergomensis, & vbique opibus abūbat, effectus subtilitatis ingenij eorum, & parsimoniæ. Si quis desiderat scire quot illustres personas produxerit hæc ciuitas, legat Vineam Bergomensem D. Bartholomei de Peregrinis, ciuis Bergomensis.

Sunt in hac prouincia aliæ ciuitates nobiles in numero quarum, & si Crema sit parua circuitu murorum, est tamen ampla nobilitate, & fidelitate ciuium.

Cremona nobilis est ciuitas etiam huius prouinciæ, cum territorio opulento, & locis amplis, gente bellicosa, & forti plenia. Laudo auiē pietatem, ac deuotionem Cremonensium erga Deum & Patriam, vt per tres annos expertus sum.

Adest Mediolanum, in hac prouincia primatum tenens. Illustrissima ciuitas, mater quatuor Pontificum, & multorum Cardinalium, & Archiepiscoporum. Est plena populo, ita vt ciues proprios det ad numerum 200. millium, & cum extraneis ad 250. Dotata est mirifice affluentia camporum, & iucunditate aquarum currentium, Atce, & castro inexpugnabili, Hospitali magno, & tot Conuentibus Religiosorum, vt magnum quid sit. Inter hos est Monasterium S. Mariæ Gratiarum apud Portam Vercellinam, mirificū structura, paramentis, vinea, & loco Sanctæ Inquisitionis. In hoc Conuentu professionem solennem in ordine D. Patris mei Dominici emissi & in eo spero ossa mea relinquere. Omittimus alias ciuitates illustres, & notas, Comū, Papiā, & Nouariā, qa historiæ de his pro me loquūtur.

Conclu-

Concludimus hanc descriptionem Italiæ cum foro Iulij (Friuli) alias Liburnia. *H*æc habet *H*istriam ab ortu, ab hac regione separata flumine Lisontio, vel secundum alios Formicone. Alpes Iulias, à septentrione. Ab occidente Alpes Noricum, & Vindelicum, à qua parte etiam Liuentia eam separat à Marca *T*reuisana. Ab austro abluitur Adriatico. *T*erritorium esset fertile, si esset arte impinguatum, & bene cultum, elaboratum, sed rustici in multis partibus eius potius malunt fame perire, quam culturæ agrorum intendere. Vbi autem ipsum colunt, optima vina, et frumenta præstat. In hac parte erat Aquilea, iam clauis Italiæ loco cuius Domini Veneti ædificauerunt Palmam, & ita sit Palma victoriæ contra omnes nationes barbaras, quæ vellent Italiam comburere, vt tot nationes fecerunt, quę ex illa parte in Italiam irruerunt.

De Istria nil dicendum occurrit nisi, quod abundat oleo, frumento, piscibus bonis, et vino generoso.

QVÆSTIO XXXXVIII.

An antiqui nostri notitiam habuerint Orbis. Et an sub Aequinoctiali & torrida sit habitatio.

Videtur quod sic. Nam Seneca iam multis annis antequam nouus orbis ab *H*ispanis detegeretur hoc explicuit hic versibus.

Venient annis
Secula seris, quibus Oceanus,
Vincula rerum laxet, & ingens
Pateat tellus. Typis qua nouos
Detegat Orbes.
Nec sit terris vltima Thule.

Et Ouidius.

Quid tibi si calida, prosit, laudare Syene,
Aut vbi Traprobanen Indica tingit aqua?

Quæ Taprobana est sub æquinoctiali. Et Plinius scribit *H*annonem Cartaginensem nauigasse Oceanũ à Fretu Gaditano, vsque ad rubrum mare, in qua nauigatione necessarium fuit bis transire sub æquinoctiali, et transire totam torridam.

Certum quoque est antiquos nostros notitiam habuisse Aetiopię, Aurea Chersoneso, et Indiæ, prouincię omnes intra torridam constitutæ.

Quæstio hæc duo petit. Primũ an antiqui habuerint cognitionem Antipodum. Secundum, an sit possibilis habitatio sub Aquinoctiali, et torrida.

Quoad primum dico quod Lactantius lib. 3. diuinarum instit. cap. 24. D. Augustinus lib. 16. de ciuitate Dei c. 9. Beda lib. de ratione Temporum c. 32. (et si videatur retractasse sententiam lib. 4. de elementis philosophiæ.) Et Lucretius lib. 1. sui poematis putauerunt fabulosum Antichtones, seu Antipodes esse è contraria parte terrę, pedes suos cõtra nostros tenentes. Mouebantur autem istis rationibus.

Primo. Quia sic pedes tenuissent supra capita, et quæ apud nos iacent, apud illos pendebunt, fruges, et arbores deorsum crescent, et pluuię, niues, et grandines sursum versus, in terram cadent.

Secundo. Quia quamuis terra sit figuræ rotundæ, non tamen pars nobis opposita potest esse sine aquis, quod foret, si ex aduerso contra nos staret conglobata.

*T*ertio. Cum homines ex Adam descẽderint in Mesopotamia, et nostro orbe, quomodo potuerunt ad illas partes transire? Nam ante inuentionem vsus calamitæ Oceanus erat inauigabilis, quia et si tempore sereno potuissent nauigare ad signa stellarum, tamen tempore nebuloso omnino necessarium erat eos ignorare quo irent, eo modo quo Virgilius describit loquendo de nauigatione *T*roianorum his versibus.

Postquam altum tenuere rates: nec iã amplius vlla
Apparent terræ, Cęlum vndique, & vndique pontus.
Continuo venti voluunt mare, magnaque surgunt
Aequora: dispersi iactamur gurgite vasto.
Inuoluere diem nimbi, & nox humida Cœlum
Abstulit, ingeminant abruptis nubibus ignes.
Excutimur cursu: & cecis erramus in vndis:
Ipse diem, noctemque negat discernere Cœlo:
Nec meminisse via media Palinurus in vnda.
Tres adeo incertos ceca caligine Soles.
Erramus pelago, totidem sine sidere noctes.

Addamus magnum furorem Oceani, longamque eius nauigationem sufficientem omnes concutere timore, præter disperatos. Vnde antiqui Geographi columnas Herculis vltimum terræ terminum constituerunt.

Quarto. Quia D. Paulus Roman. 10. ostendit in omnem terram exijsse sonum Euangelij, et pręddicationis his verbis: Sed dico numquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exiuit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum. Nullum autem Apostolorum pertransisse circulum ęquinoctialem legitur.

Quinto. Quia cum Sol ex directo feriat radiis suis stantes sub ęquinoctiali, et terram maxime siccam, et aridam reddat, videtur impossibile sub eo, esse habitationem Antipodum.

Sexto. Quia fuit communis opinio Philosoforum torridam esse inhabilem, quę tamen in nouo orbe constituitur.

In contrarium habemus experientiam claram. Nam Lusitani, & Castilliani totam vastitatem Oceani perlustrarunt, & regna, prouinciasque sub Æquinoctiali, & torrida optime cognouerunt, & notitiam illarum nobis, voce, rebus, ac alijs miris tradiderunt. Compereruntque sub æquinoctiali, & torrida in multis locis aerem temperatum, flumina, fontes, & imbres abundare; vnde contra experientiam tam claram, & tot comprobatam nulla est amplius dubitatio. Si igitur ostenderimus causas quibus illæ regiones non solum redduntur habitabiles, verumetiam temperatæ, tolletur omnis ambiguitas. Causæ ergo sunt.

Prima est, quod sub æquinoctiali dies sunt noctibus æquales, vnde, & si diem longiorem nostro hyemali habeant, eum tamen breuiorem æstiuali vident, vnde temperies noctis, calorem diei attemperat.

Secunda est, quod in his partibus imbres sunt frequentes, vnde terram humectant, & infrigidant, nec sinũt vt Sol exsiccando terram, illam adurat.

Tertia est conditio regionis, quæ ex positione sub tali aspectu cęli, & influxu particulari sideruum, non sentit calorem extremum. Nam situs montium eminentium, vicinitas maior ad secundam aeris regionem frigidam, percussio radiorum solis non in concauis locis, sed planis, eius furorem reprimit.

Quarta est vicinitas Oceani pręcipue in media Zona noui orbis. Aqua autem marina proprietatem habet refrigerandi, & calefaciendi temperate. Addimus quod in his partibus venti supra immensas aquas transeuntes perflant, & sic frigiditatem aquæ suscipiunt, & eam in regionibus illis sub æquinoctiali, & torrida diffundunt.

Notandum est ergo, quod loca ipsa ex extrinsecis possunt multum immutari,

tari, vnde locus magis distans à Sole, sed sine ventis, & concauus, qui consequenter patitur reflexionem magnam in se radiorum Solis, vt ap patet in vallibus) erit calidior, quam alter altior, & eminentior percussus radijs obliquis, & ventis afflatus. Hinc est quod Zona media, (vt referunt ad Indias Occidentales nauigantes) in aliquibus locis est frigida, in alijs temperata, & in alijs feruida. Nam apud Monomotapam, apud Molucchas, & Pretegiani feruida est, & apud Peruenses multum temperata. Nam etiam in his regionibus sunt diuersitates colorum, nigri, fuschi, & albi, ingeniorum ferocium, & mitium, capillorum rectorum, & intortorum, vnde videmus manifeste cęlestes constellationes, & diuersa accidentia variare naturam eiusdem regionis. Si enim calor ceram liquefacit, & terram indurat, quia vnumquodque recipitur per modum recipientis, quare etiam non poterunt diuersa subiecta, diuersimode disposita, varijs modis recipere irradiationem Solis.

Tenendum est ergo, quod cum terra sit facta propter hominem, et Deus, & natura nihil operentur frustra, nullam esse terrę regionem, sub qua non possit dari habitatio, non dico cum facilitate, & temperie, & respectu extraneorum illi regioni, sed absolute, cum passione, & respectu contarreneorum illi terræ, & regioni. Vnde Olaus magnus lib. 1. de partibus Septentrionalibus commemorat sub polo etiam Arctico per aliquem tractum esse habitationē. Nam consuetudo frigoris illis gentibus facta est altera natura, vltra quod pellibus animaliū vestiuntur, loca cauernosa habitant, vbi per antiperistasim calor reducitur, abundant lignis, & igne, vnde se defendunt à maximo frigore.

Ad primum ergo argumentum respondendo dicimus, quod aliud est quærere, an antiqui cognouerint diuersas Zonas, & regiones terræ, & aliud an penetrauerint modum deueniendi ad eas. In primo nulla est difficultas, quia cognouerunt quasdam partes terræ esse sub æquinoctiali, quasdam intra tropicos, & quasdam extra, hoc enim omnes cō cesserunt. In secundo ergo fuit difficultas, quia existimauerunt ob terribilitatem, & vastitatem Oceani, & ob multa incommoda, quæ ipsi deducebant ex suis principijs non esse modum nauigandi ad has partes terræ, & si fuisset, illas esse inhabitabiles ob nimium calorem, vel frigus. Hæc autem difficultas superata fuit anno 1300. à Flauio Amalfita, qui noscendo virtutem calamitæ, quæ facit ferrum semper respicere Polum, si ab ea tangatur. In quo tamen negotio sciendum est, quod nauigantes in partibus ab æquinoctiali versus Arcticum vtuntur ferro cū calamita, (latine magnes dicitur) respiciendo semper stellam tramontanæ stantem inter tertium, & quartum gradum Arctici poli, & si in aliquibus locis ferrum hanc stellam ex directo respiciat, & in alijs cum aliqua declinatione modo ad ortum, modo ad occasum, quam nautæ dicunt (Maestreggiare, e Grecheggiare) vt optime ipsi sciunt. Nauigando autem versus Antarcticum in qua nauigatione nō vident amplius Tramōtanam, inspiciunt Crocigerum, idest quatuor stellas, quæ stant in modum crucis, quasi forment figuram crucis, quia hæ ex directo respiciunt antarcticum, à quo distant 30. gradibus. His igitur inspectis optime deducunt vbi nam sit oriens, occidens, meridies, & Septentrio, & sic secure nauigant, vbi volunt.

Responsio ergo est, quod habuerunt notitiam æquinoctialis, & torridæ, & aliarum partium, sed imperfectā, & cum opinione, quod non daretur habitatio permanens sub eis pro

prie, & stricte sumptis.

Ad primum autem contra alterum statutum, quod dentur Antipodæ, dicimus male ex hoc Lactantium negasse Antipodas, quoniam cum terra sit figuræ orbicularis, cum vno tantum centro, inspiendū est an terra pedibus calcata tendat ad suum cētrum, vel non, nam vtraque tendit, & consequenter nos, et ipsi contra cētrum pedes tenemus, & caput versus cęlum, vnde non est, quod aliquis cadere debeat, sic enim nec aqua ibi potuisset consistere.

Ad secundum ergo patet, quod cum aqua vnum globum cum terra faciat versus cētrum terræ, ibi stare potest.

Ad tertiū primo possum⁹ dicere, quod sicut D. Pater Augustinus lib. 16. de ciuitate Dei, censet post diluuium ministerio Angelorum, vel alio Dei Imperio fuisse transportatos in illis partibus Leones, Pantheras, & alia animalia, ita potuisse fieri de hominibus, illas regiones incolentibus. Secūdo possent alij dicere, illas partes non esse vndequaque separatas per mare vastum Oceani, sed in aliquibus coniungi, vel non multum disiungi, & ideo potuerunt à nostris partibus ad illas transmeare. Alij dicunt, quod & si hæc nauigatio apud Europeos fuerit noua, non tamen apud antiquos Asiaticos, & Affricanos, vt patet apud Plinium lib. 2. histor. naturalis cap. 67. Et multi sunt in sententia, quod aurum quod singulis annis in magna quantitate afferrebatur Salomoni ex India, & Ophir fuisse ex nouo orbe; & ex regione, quæ nūc dicitur Perù, vel vt alij dicunt ex insula Hispaniola. Vel non est difficile credere, quod aliqui nauigantes Oceanum tempestate fuerint ibi transportati, & ibi figentes domicilium procreauerint tot alios. Ad motiuum autem de obscuritate dictum est, quod hoc concludit de Europeis, & non facientibus naufragium, & ante visum calamitę.

Ad quartum aliqui dicunt, quod per omnem terram intelligimus pręcipuas partes terræ, Asiam, Affricam, & Europam. Alij sumunt ly exiuit, pro exibit. Alij dicunt exiuit actualiter, vel virtualiter. Et alij potuisse aliquem Apostolum ibi penetrare, vnde de D. Thoma Apostolo habemus, quod Indis pręedicauit, & est in magna veneratione apud eos.

Ad quintum pariter dictum est, quod quamuis Sol magis ex directo feriat existentes sub æquinoctiali, quam nos, tamen æquiparat diem cum nocte, & calorem cum frigore, vltra hoc, quod illa regio est exposita ventis maris, magis plana, & pluuiosa.

Ad sextum similiter dicitur) petit enim fere eandem difficultatem, cum Zona torrida) ꝙ id omne habitatur, ꝙ cadit inter duos Tropicos, Cancri, & Capricorni, idest in 46. gradibus 23. æquinoctialis versus Arcticum (North) & 23. versus Antarcticum (Sur.) Dicimus ergo cum Io. Botero in suis relationibus noui orbis p.p. lib. 4 quod torrida est temperata. Primo quia dum sol eam ferit ex directo, cęlum incipit pluuere, & ningere quandoque, incipiendo à meridie, vnde est regio admodum humida Secundo, quia abundat amplissimis, ac magnis fluuijs. Tertio, quia ibi sunt multi montes perpetuis niuibus cooperti. Quarto, quia habet maiorem ęqualitatem noctis, & diei. Quinto, quia talis est ratio illius situs. Vnde experientia stat contra antiquos.

QVÆSTIO XLIX.

Vtrum possit fieri terramotus.

Videtur quod non. Quod alicui per se conuenit, semper ei cōuenit per Arist. 1. post. c. 4. Sed terræ per se conuenit immobilitas ad differentiam cęli. Ergo semper erit immobilis, & non faciet motum.

In

In explicationẽ huius quæstionis multa animaduertenda veniunt, vt notitiam terræmotus exactè habeamus.

Primo ergo notandum est varios fuisse apud veteres sententias de causis terræmotus, prout licet legere apud Arist. 2. Meteor. cap. 7. Plutarchum lib 3. de placitis, cap. 15. Senecam lib. 6. nat: quæst. 1. cap. 4 Plinium lib. 2. cap. 79. Mirandulanum lib. 1. de Exam. uanit. cap. 12. & alios.

Primi ergo q dẽ stulte loquẽtes dixerũt

Opiniones.

Terrã esse animalã, & dũ bona valetudine fruebať quiescere, & nõ perturbari, prout contingit corporibus sanis, at vbi infirmatur, in aliquaque parte perturbatur, impetum facit, & aggitationem huc, illucque se vergit, & malum à se amouere satagit.

Sed hęc opinio stulta est, quia terra nec sentit, nec, viuit, nec nobilior est superioribus elementis, quæ vita carent.

Thales Milesius, cum senserit terram quasi nauem in medio aquarum stare, & in eis innatare, asseruit etiam concussionem, & tempestatem sibire, vnde quasi nauis dum ventis in vnam partem impellitur ad eam declinat, & magnam copiam aquarum in se recipit, et inde est, quod in terrę motibus nouæ scaturigines aquarũ consurgunt.

Sed & ista opinio ridicula est. Nam magis graue non stat supra minus graue, & consequenter terra super aquas, cum sit ea grauior, & si tempestate maris terra concuteretur, sæpe faceret motum, quia multæ sunt tempestates marium.

Non minus irridenda est opinio Democriti dicentis, quod dum terra multis pluuijs repletur, & in omnibusque eius venis, & meatibus aqua concluditur, terra impetum facit, ne ab aqua suffocetur, & strangule tur, vnde terræmotus est veluti euomitio superflui potus.

Hoc enim reijciendum est pariter, vt vanum, quia terra nec viuit, nec suffocatur, nec caret remedio sine motu, vbi ex vna parte reciperet grandem multitudinem aquarum, nã ex alia scaturiginem, & fontem faceret. Et si tempestates Oceani non eã mouent, quamuis magno impetu in eam inuehant, nec aqua in eius viscenbus conclusa id causare poterit.

Anaximenes Milesius, Seneca lib. 6. nat. quæst. cap. 10. Et Lucretius lib. 6. sui poematis videntur esse in sententia, quod quædam partes sub ter ra existentes, vel pluuijs solutæ, vel ventis impulsæ cadant, & sic terræ partes superiores tunc contremiscant, sicut dum fundamentum domus maiori põdere grauatur, quam vires habeat, decidit, & domum rue re cogit.

Sed hæc opinio rationem fundamentalem concussionis, & terræmotus terræ subtus, vel supra non attigit, vnde ad Arist. recurrendum est.

Materia terremotus.

SEcundo ergo notandum venit hic etiam id, quod in superioribus diximus, scilicet Solem è terra duplicem halitum in altum euehere. Primus est subtilis, & humidus, & hic ductus ad secundam aeris regionem in pluuias, niues, & grandines secundum diuersas rationes conuertitur, vt supra explicuimus. Secundus est crassus, frigidus, & densus, & hic quandoque ex profundioribus locis terræ extrahitur, sed cum ex profun dis veniat, inuenit terrę ora, meatus, & vias per quas solet expirare clausas, & oppilatas, vnde cũ terra sit in se cauernosa, & spongiosa, hinc inde discurrit, & nõ inueniendo exitum, fortiter latera terræ solida percutit, huc illucque, sursum, & deorsum quærendo exitum, & terra sic exagitata tremit, ac fluctuat, quasi nauis à ven-

à ventis contrarijs in vnam, & alteram partem inflexa.

Nec mirum est, quod aer qui est subtilis, & tenuis tantam virtutem habeat, & tantam efficaciā ostendat, vt vastissimam terræ quantitatem excutiat, quia videmus ventum in aere saxa ingentia ab vno loco ad alium gestare, arbusta, & syluas conuellere, turres, ædificiaque deijcere. Et ita in mari vastissimam aquarum cō geriem commouet, concitat, exagitat, in altum tollit, in imum deijcit, in littus impingit, anchoras, cordas ferreasque cattenas infringit, vt non possit negari magnum impetum nō facere, & motum ingentem causare. Ita in homine, vel alio animali data concitatione spirituum in eo, vel retentionem venti, vel flatus in visceribus vincula manibus infringit, quæ multi frangere nequiuissent, & non potest quoquo modo à pluribus sisti.

Causa effectiua terræmotus.

TErtio considerandum vlterius venit, non esse mirū, quod in interioribus terræ visceribus à calore dicātur excitati hi venti, & spiritus, nam terra multis modis excalefieri potest, in interioribus suis partibus; & sic per calorem commouere spiritus, & ventos. Primo quidem calefit à calore Solis, & sydetum, quæ & si non videantur posse multum terram penetrare, tamen res aliter se habet, nam nulla res generatur sine virtute causæ vniuersalis, vt sunt cœli, & sydera, quæ agunt motu, & lumine, vnde omnia, quæ fiunt in inferioribus, in superioribus reducenda veniunt, nec in hoc sequendus est sensus, sed preferendus est ei ratio intellectus. Secundo sunt in inferioribus terræ partibus multi ignes subterranei, & multæ mineræ sulphuræ, & bituminosæ, quæ suam caliditatem, pro quanto possunt, in alias partes diffundunt, & sic ex hoc calore exhalationes preparantur, & deducuntur, quæ liberum exitum quærendo exagitant terram, dum sua soliditate eis negat iter in altum. Tertio. Id fit Antiperistasi, quia calor dum frigus sentit, in terræ visceribus se abscondit, & ibi se munit, & suum effectum concitandi terræ halitus facit. Vnde videmus terræmotus fieri, quando anteperistasis vrget, vt Verno, & Autumnali tempore.

Species terræmotus.

QVarto vlterius progrediēdum est cogitatione, & pensandum, quod tres sunt species terræmotus. Prima est quasi tremoris, & natationis, vnde terra modo à situ suo recedit, & deinde ad eum reuertitur reiteratis vicibus, sine strepitu, et fractura aliqua. Et hic terræmotus causatur à paucitate humoris crassi, sicci, & frigidi in visceribus terræ conclusi, et ibi per violentiam detenti. Dum igitur exitum quærit, modo hic, modo illic vrget, et vrgendo terram quassat, et dum vnam partem percutit illam eleuat, sed recedendo ab ea ipsa suum locum petit, et quia iterum redit, ideo de nouo saltat, et tremit. Et quia locus cauernosus potest esse magnus, et paruus, ideo si est paruus parum temporis interponit in noua concussione, si multus, tardius reuertitur, nec cessat, quonsque exitum inueniat. Secunda est terræmotus sonantis, et frangentis, quia facit sonum quasi multorum corporum se confricantium, et scindit in aliquo loco terram, et sic ab ea parte ventus exit. Causa est, quia multus vapor crassus concluditur in visceribus terræ solidæ ex parte, et cauernosæ ex alia, vnde has, et illas confricat, et concutit, et exeundo magnum strepitum facit.

Tertia est terræmotus sonantis, et ignem, lapides ardentes, et cineres

per

per aerem portantis cum magno sono, et strepitu, et hic causatur ab igne subterraneo quærente exitum, et contingit, vbi sunt mineræ, et venæ sulphureæ, vt in monte Ethna, et aliis similibus. Vnde terræmotus potest esse à vento subterraneo, igne, et exhalatione.

Modi, & effectus terræmoti.

QVinto, non est tamen prætereundũ, ex supradictis speciebus DD. multa discrimina terræmotuum excerpisse. Arist. enim solum duos modos terræmotus assignauit, scilicet illius, qui est similis tremori, causatus ex hoc, quod spiritus terram non vrget in profundum, sed in latera, modo impellendo hanc partem, et modo illam. Et illius, qui est similis pulsui salienti, et descendenti, vel aquæ calidæ ebullenti in cacabo, vnde hic terræmotus terram eleuat, et deiicit, quia in schenam terræ impetum facit, et in eius imum. Has duas species terræmotus Posidonius expressit sub nomine concussionis, et inclinationis. At Georgius Agricola quatuor modos terræmotus constituit, scilicet tremorem, cum terra tremit, concussionem cum eam extollit, et deprimit, arietationem cum contrariis ictibus quatitur, et inclinationem, cum veluti fluctus volutatur, vel nauigii more natat.

At clarius, et fusius B. M. Albertus differentias expressit dicẽdo, quod effectus terræmotus possunt esse.

Primo in terra solida.

Secundo in terra aquis cooperta.

Tertio in insulis maris.

Addamus quarto nos, & in montibus altis.

Quo ad terræ motuum in terra solida dicimus cum Magno Alberto, quod potest habere multos motus.

Primus horũ dicitur aggiratiuus, qui fit dum terra in dexteram, & sinistram mouetur. Hic causatur à vapore subterraneo multo percurrente sub terra de latere, in latus, & percutiente fortiter latera eius, tunc enim declinat terra modo ad hanc partem, modo ad illam, & sic agitatur.

Secundus dicitur subuersiuus. Solet enim aliquãdo vapor subterraneus imum terræ vbi reperitur æqualiter impellere, & non cessat donec ipsum eleuet, & tunc partes superiores terræ fiunt inferiores, & inferiores superiores, quia vapor ille postquam fundum eleuauit, ab vna parte cum impetu exit, & sic impetum facit, ita vt voluat inferiorem partem, idest superficiem in superiori loco respicientẽ cælum, & superior voluitur & fit inferior.

Tertius dicitur perforatiuus, quia ille vapor conclusus sub terra, non æqualiter in omnibus suis partibus densa, sed in aliquibus densa, in alijs mollis, vbi mollitudinem terræ inuenit eam perforat, & exit, si in vno loco, in vno tantum loco, si in pluribus, in pluribus.

Quartus dicitur diuisiuus, quia diuidit terram solum in vna parte, & hic modus causatur a vapore calido, sicco, qui calefacit, & corrodit, & sic partes diuidit, eo modo quo videmus in æstate ex magna siccitate terram cõstringi, & scissuras ostẽdere.

Quintus dicitur titubationis, quia modo vapor terram mouet, & modo quiescere finit, ad modum tremoris, vt supra diximus, & prouenit, ex debilitate vaporis, qui non potest totam terram mouere, vnde eam tantum tremere facit.

Sextus dicitur ruinosus, quia terra in imum descendit, & amplius non consurgit. Hoc autem prouenire potest, vel quia aqua corrodit subtus radices cauernosæ terræ superiores, quæ se habẽt sicut tectum supra domum, vnde corrosæ sinunt terram cadere deorsum, & tunc corrumpũt lacus, & fontes, quia aqua quæ erat

sub

dantia supra terram proijciatur, terra in multis partibus inundatur, & submergitur, & sic appareat Diluuium particulare, sicut tradit Iauellus factum esse in Gallia, expansione Sequanæ fluminis; nam nec niuibus, nec pluuijs inundauit, sed terræ motu, & sic plura ædificia submersit.

De terræmotu Insularum.

IN insulis vero tres effectus principales facit. Primo facit totã Insulam tremere, vt Callisthenes descripsit de insula Delos, Paphos, & Cipri, quæ aliquando terribilem tremorem fecerunt. Ratio autem est, quia venti penetrant in locis cauernosis Insulæ magno furore, & quantitate, & dum redire volunt, si inueniunt vndas obsistentes, vel alios fortiores vẽtos contradicentes, se congregant, & adensant in illis cauernis, & exitum per aliquam partem quærunt. Sic terram concutiendo, & quassando.

Secundo eleuat montem, & insulas supra aquas, vt docet Albertus Magnus Meteor. lib. 3. tract. 2. cap. 19. Nam si contingit vaporem, & ventum coadiunari sub terra solida, & tenaci, eam impellit, & in altum eleuat, & sic eam in modum montis cõstituit. Si autem sub fundo maris iste ventus concipiatur, quoniam sub eo sunt loca cauernosa, eleuat terram, & eam coadunat, & circum circa aqua apparente subterranea eam cingit, & ita insulas efformat. Et hoc modo tradunt Historici multas insulas apparuisse, vt modo dicemus.

Tertio quandoque transfert insulam de loco ad locum, & aliquando eam totam submergit aquis. Nam si impellit terram, eam vehit. Si inferiorem partem mouet, superiorem cadere facit.

Ne igitur quis nos somnia narrare existimet, aliqua ad hoc propositum commemorata ab antiquis appono.

Quod enim multæ insulæ ex mari prodierint. Tradiderunt Liuius dec. 4 lib. 9. de quadam insula prope Siciliam. Strabo lib. 6. de insulis Capreę, Leucotiæ, Sirenis, & Oenotriæ. Et Seneca nat. lib. 6. c. 21. memorat se spectante insulam in Ægeo mari natam, sicut antea Tera, & Therea iam pridem etiam emerserant. Et de altera insula idem testatur, qui post fumum, & ignem surrexit in montẽ. Et tradit lib. 2. c. 87. Rhodos sic con surrexisse, & vltra Melon Amphe, inter Lemnium, & Hellespontum. Nea inter Lebedum, & Theon Alone, inter Cycladas, Thera, et Therasia Et inter easdem post annos 130. alteram. Nã primum (ait) flammas e mari toto quatriduo, quasi arderet mare, postea sensim emersit insula, quædam patens ad stadia 12, tota constans ex lapidibus ignitis. Diximus enim supra, et vento, et igni fieri posse. Idem de alijs tradunt Orosius lib. 7. c. 6. Anastasius Bibliotecarius anno Domini 716. Fulgosus lib. 1. de miraculis, et alii.

Immo tradit in confirmationem modorum terręmotus Plinius lib. 2. c. 88. terręmotum abripuisse Siciliam ab Italia, Cyprum à Siria, Eubeam à Beotia, Athalantem, et Marchin ab Eubea, Berbium à Bithinia, Leucatiam à Sirenum promontorio. Et idem confirmat Strabo lib. 9. et 10.

Et quod multæ insulæ sint ab aquis terremotibus absortæ habet Seneca nat. lib. 6. c. 24. de Athalantica insula circa Peloponnesum. Et Niceph. lib. 14. c. 46. de alijs Asię insulis, cum omnibus suis incolis, durante terręmotu per sex menses. Et Tertullianus in Apologetico c. 39. dicit Hierapolim, Delon, Rhodõ, et Coos insulas, multis cum millibus hominũ pessum abijsse. Et idem recensuit Plato in Thimeo, Ficinus in Compendio c. 4. Amm. Marcellin. lib. 17. Petrus Hispa. in sylua p. 4. c. 3. Et de insulis fluctuantibus, (.i. terræmotu

Tertio: Loca spongiosa, et cauernosa his multum conflictantur, vt Phrisia, Italia, Caria, Lidia, et multæ aliç regiones cauæ subtus. Quia in cauernis occlusis concipitur spiritus terram excutiens, quod si cauernæ illç essent patentes, illico spiraret.

Quarto, Loca montium, potius periculo exponuntur terrçmotus, quam loca plana. Patet, quia in his sunt specus crebriores. Quod si non essent in montibus, sed in planis, econtra accideret.

Quinto Insulæ magis patiuntur terrçmotũ, quam arida. Patet hoc in Sicilia, Eubea, Tyro, Lipari, Moluchis, et alijs. Et ratio est, quia magis vẽtis impregnantur, et per antiperistasim vndarum in eas irrumpentium, quæ sunt caldç, et siccç sulphuream materiam in ipsis aggenerant, quç sunt materia terrçmotus.

Sexto. Arenosa, dẽsa, et dura, & terra cõpacta rarius terrçmotu quatiunt. Nam concretio, et stabilitas non dat aditum vento, vt in ipsa generetur.

Ad hoc ergo vt locus sit aptus ad terrç motum debet habere has conditiones. Prima, quod sit cauernosus, et cauus, nam sic ista loca, et recipiunt ventum, à superiori venientem, et generant in se, vnde sentimus semper ex cauernis prodire ventum. Secunda est, quod locus sit mollis, et non lapideus, vel multum compactus, quia sic non cederet spiritui, et si sub tali loco conceptus esset, et non inueniret exitum, illum in altũ attolleret, vt facit in montibus. Tertia est, quod meatus eius sint clausi, quia vbi habet iter liberum, et expeditum non quassat, sed in pace exit. Ille autem locus, qui has omnes conditiones habet, multum de terrçmotu timere debet.

Tempus terremotus.

Octauo considerandum venit tempus terrçmotus, et hoc dupliciter. Primo quo ad generationem. Secundo quo ad durationem.

Quo ad generationem ergo dicimus, quod et si terremotus possint generari omni tempore, tamen frequentiores fiunt in Vere, & in Autumno, In Vere quidem, quia tunc pluuiæ abundant, niues liquescunt, venti impetuosius flant, et terra adhuc frigida est frigiditate hyemis, & si minus. Cum igitur omnia ista subministrent magnam copiam exhalationum, si pori terrç, & eius meatus obturẽtur, tanta multitudo exhalationum, & spirituum non inueniendo aditum apertum se conglobat in cauernis terræ, & excitat terrçmotum. Clarum est enim, quod tempore Veris terra fumat, nubes in aere multæ congregantur, & arbores, prataque florent, & hoc ex abundantia vaporum à terra ascendentium.

In Autumno etiam, quoniam intensus calor æstatis per antiperistasim ad inferiores partes eiecit terræ humiditatem, & crassos vapores, hinc fit, quod deficiente calore, & aduenien te frigore, quod per repercussionem caliditatem aeris ad inferas partes mittit, tunc vapores iam congregati in æstate incipiunt calefieri, & in crassari magis, & deinde calore successiue adueniente subtilitari, & ita quærendo exhalationem, si eã apertam inueniunt fiunt magni venti au tumnales, si vero eam clausam reperiunt, fortiter latera terrç percutiũt, nec cessant, quousque in apertum procedant.

Fiunt etiam crebrius noctu, quam per diẽ, quia per antiperistasim frigoris noctis calorem diei ad subterranea expellentis, in angustum traducit vapores, & ex cale faciendo disrumpit, vel huc, illucque eos diffugere compellit, & sic percutiunt latera terræ, causando eius tremorem.

Sed et in meridie magis, quam in sero sentitur terrçmotus, quia tunc Sol suo magno calore spiritus exsuscitat,

& in maiorem raritatem distrahendo eos commouet, & cum eis terram.

Sed omni tempore tamen terræmotus audiuntur. Vere, in Sicilia anno 16. Caroli V. 10. Cal. Aprilis. Aestate in Milena anno 20. eiusdem Caroli V. 5. Cal. Iulij. Autumno, Puteolis anno 18. eiusdem prope Calen. Octob. Hyeme Bononiæ 3. Cal. Ianuarij, & Venetijs, in conuersione sancti Pauli Apostoli. In æstate tamē sunt rari, quia terra magno calore subtiliatur, & fere puluerizatur, vnde vapor habet exitum liberum. Sed si in æstate essent pluuiæ multæ, & generaretur humor crassus sub terra, periculum esset de terræmotu, quia pluuiæ solent constipare meatus sua humiditate, & compactione, vnde non datur exitus liber vaporibus. Ita in hyeme non sunt frequentes, quia frigus obturat meatus, nec dat Soli aditum penetrandi fortiter ad loca inferiora, & ibidem generandi vaporem crassum, & si generaret, sua debilitate non subtiliaret, & ideo non esset tantum periculum terręmotus. At si hyems esset calida, & humida, periculum foret dum Sol ascendere incipit ad nos.

Duratio Terræmotus.

Quo ad durationem vero terræmotus, certam regulam non habemus, quoniam aliquando per annū, & plus durat, aliquando per menses, mensem, dies, vel tantum horas. Diuturnitas enim eius à tribus pendet.

Primo à copia vaporum, & spirituum, quia pauci citius resoluuntur, quam multi, & minus concutiunt terram.

Secundo à crassitudine eorum, quia vbi adest abundantia vaporum multum crassorum, non possunt tam cito resolui, vnde tempore indigent, quod si essent subtiliores, citius consumerentur. Nec potest vapor crassus tam expedite exhalare, sicut minus crassus. Vapor subtilis & acutus, cito perforat terram, nō sic crassus, et densus. Item si humor sit frigidus sit tardior eius resolutio, quā si sit calidior, nam frigida sunt tardi motus, nec ita frequenter quassat terram, sicut calidior, qui vrget, vt exeat. Quare assimillatur teremotus, ex humore frigidiori febri quartanæ, quæ venit solum de quarto in quartum, propter frigiditatem, et terrestreitatem humoris melancolici. Alter vero velocior proportionatur tertianæ, et quotidianæ, secūdum quod vrget.

Tertio pendet à dispositione loci, et hoc dupliciter. Primo ab eius frigitate, nam locus frigidior est magis compactus, et densus, vnde difficilius rumpitur, et sic in loco frigidiori durabit magis. Secundo ab eius duritie, vel mollitie, quia mollior etiam frigidior dabit locum vapori citius.

Est etiam considetanda diffusio terræmotus. Dicit enim Seneca non fuisse inuentum terræmotum, qui occupauerit locum vltra 200. milliaria, sed hoc non est certum. Secundum enim quod terra est subtus cauernosa per breuem, vel magnam distantiam, ita etiam fiunt terręmotus, per breue, vel longum spatium. Nam quando Ferraria quatiebatur, Bononia etiam, & Mutina quassabantur, & si minus. Et ego audiui terræmotum Bononiæ, & eodem die, & hora auditus fuit Mediolani, & Fauentiæ, vel cum pauca distantia temporis. Et si possint hi terręmotus esse diuersi numero, & non idem per continuationem, nōm sic necessaria est aliqua differentia temporis spiritibus danda in percutiendo cauernas subterraneas, & concutiendo eius latera solida.

Immo habemus ab Orosio lib. 7. cap. 32. sub Valentiano terręmotum per totum orbem editum, qui etiam turbatum

bâtim pelagus, ita excussit, vt per vicinas terrarum campestrium partes refuso mari, plurimae vrbes subruptae periisse annumerarentur.

Negant hoc Conimbr. hoc singulare attribuentes terraemotui facto in morte Christi ex Dydimo. Sed etiã habemus alios terraemotus totam terram quatientes: Nam S. Hieronym. in vita S. Hilationis, & Ammianus Marcellinus lib. 26. referũt Iuliano Apost. a mortuo, totius orbis terraemotum fuisse, vnde maria egressa sunt terminos suos, & quasi rursum Deus diluuium minaretur; naues ad prorupta dilapsae mõtium pependerunt. *T*erraemotus autem, qui fuit in morte Christi, vt tradit, D. Matteus cap. 27. his verbis. Terramota est, & petrę scissę sunt, totam terram concussit, sicut etiam tenebrę tunc factae sunt super vniuersam terram, sed vtrumque, scilicet eclipsis, & terraemotus miraculose.

Quod autem hic terręmotus fuerit magnus tradunt scriptores. Nam Plinius lib. 2. cap. 84. sic dicit. Maximus terrae memoria mortalium extitit motus *T*iberij Cęsaris principatu, duodecim vrbibus Asiae prostratis.

Et Flegon Grecus, origine Asiaticus, et Ethnicus (de quo Suidas meminit) scribit 15. lib. 14. tract. pręter eclipsim incredibilem, fuisse tam ingentem terraemotum, vt infinita aedificia Asiae, & Bithyniae prosternerentur. Nomina autem harum ciuitatum refert Niceph. lib. 1. cap. 17. dicendo fuisse 14. videlicet. Ephesus, Magnesia, Sardis, Mosthene, Hiero Caesarea, Philadelphia, *T*molus, *T*emnus, Mytina, Cyme, Apollonia, *H*yrtiana, Dia, Cybara. Et de dirutione multarum ciuitatum in morte Christi domini scribunt Petrus Hispal. Sil. p. 2. cap. 21. S. Antoninus tit. 6. cap. 21. 92. D. Augustinus lib. de mirabilibus Diuinae Scripturę. Sixtus *B*ibliot. Sanct. lib. 6. annot. 124.

Quarto addimus syderum influxus maximam esse causam terraemotuũ, vnde videmus statutis horis euenire, secundum quod talem locum in cęlo occupant, ex quo apte ad excitandum terraemotum influunt, & tunc hi terręmotus solent esse magni, qualis fuit de quo memorat Niceph. lib. 14. cap. 46. qui per sex menses durauit, & motu cõtinuo concussit Chersonesum, Alexandriam, Anthiochiam, Bithyniam, *H*ellespontum, vtramque Phrygiam, Orientis partem maximam, & Occidentis regiones plures, & in singulari Constantinopolim. Et alter sub Iustiniano Imperatore, qui inuasit Grecia, Beotiam, Achaiam, sinũ Crisseum, Pompeopolim, Ciliciã, & alias innumeras vrbes solo aequauit, vt scribit idem Niceph. lib. 17. cap. 13.

De praesagijs terremotuum.

ANtequam de signis terremotuum dicamus, vnum tantum dicere volo, quod Cometę, & terremotus sunt signa data hominibus à Deo, vt conuertantur à via sua mala, & à pessimis cogitationibus suis, vt fugiant à facie arcus, & ne simus veluti alteri Pharaones, qui quanto plura videbat signa, tanto magis corde indurabatur, vnde quotidie clamare ad Dominum debemus, & ei dicere. A cecitate cordis libera nos domine, & ab ira tua salua nos Deus piisime. Nam terraemotum esse irę Dei nunciũ, & eo magis quãdo libertas eius Ecclesiae laeditur, tradit Maiolus col loq. 1. multis exemplis. Ozias enim Rex templum ingressus, & incensum ad altare offerre ausus, Sacerdotibus repugnantibus, percussus est pestilenti lepra 2. Paralip. 26. & terremotus factus est. Amos capite 1. quod, & ex alijs traditionibus *H*ebreorum memorat D. Hieronym. super Esaiam cap. 7. Et Sephorinus Prato spirituali cap. 50. tradit, quod cum Abbas Georgius preuideret terraemo-

ræmotū Dei reuelatione, ob violatas quorūdā leges, neque posset errātes ad viam iustitiæ reducere, stente ipso tantā cecitatē, sequenti die Parasceue, hora diei nona, repentino, magnoque terræmotu corruerunt vrbes maritimę Phenicię. Et Nicephor. lib. 13. cap. 36. tradit, quod capta vrbe ab Alarico, magni terręmotus auditi sunt, ob violationem sacrorum. Et ita ob iniuriam illatā Chrisost. ab Eudoxia Imperatrice. Et Plinius lib. 2. ca. 84. testatur numquam Romam tremuisse, quin aliquid mali futuri portenderet. Notat tamen Maiolus postquam sedes Petri in ea fixa est, raro sensisse terræmotum. Nam circa Romam omnes fere Italiæ regiones concussæ sunt, & deformatę vna Roma exempta, vt accidit Honorio III. sedente, apud Platinam. Vide Maiolum multa dicentem ad hoc propositum.

Accedentes autem ad pręsagia terræmotuum, communiter Philosophi tradunt ista signa.

Primū est. Si aqua in puteis turbidior fiat, nulla alia existente causa, & tetrium odorē contrahat. Oritur enim ex spiritu conante exire, & perturbante aquas, & dando odorem subterraneorum. Sic Pherecides Magister Pythagorę haustu aquę è puteo, futurum terręmotum prędixit.

Secūdū est. Si aqua in puteis, mare, vel fluminibus ebulliat, vel ascendat, signum est etiam spiritum in altum conari. Et ita ante terræmotum Ferrariæ anno 1570. qui incepit die 17. Nouembris, & fere per annum durauit, quassata ciuitate, & multis locis dirutis visę sunt aquæ turbidę, & Eridanus turbidus, & ampullis in aerem exsiliens fluxit.

Tertium est. Si mare sine flatu, & vento repente intumescat, crescit enim vehemētia spirituum sub ipso, & in imo eius conclusorum. Ita enim euenit anno 261. & in multis alijs temporibus.

Quartum est. Si fit tranquillitas aeris intempestiua. Cessant enim ante terremotum omnes venti in infima aeris regione, eo etiam tempore quo solent multum spirare. Signum est enim materiam ventorum in imum descendere, & quod materia ventorum adunatur in materiam terręmotus. Sic narrat Seneca lib. 5. nat. qu. cap. 12. ante illum terręmotum, qui tempore Neronis accidit in Campania, multis diebus serenitatem pręcessisse, sine ventis.

Quintum est. Quod dum prope est terremotus, aer fit frigidior solito. Nam illa frigiditate materia terręmotus cōpellitur stare in subterraneis per violentiam, & illa, scilicet vapor, & spiritus ibidem per violentiam detenti, exire contēdunt, & sic terram quassāt. Insuper exhalationes ex calore progenitę in cauernis terræ ex frigiditate perantiperistasim sese colligunt, & terràm contundunt.

Sextum est. Quod paulo post Solis occasum sereno cęlo apparet tenuis linea, vel dicamus nubes nigrę, longhę, & strictę, in oppositū Solis existentes, vt tradit Aristot. 2. Meteor. cap. 7. & Plinius lib. 2. cap. 82. Indicant enim hæ nubeculę, omnia esse tranquilla in aere superiori, nec auram spirare, sed omnem exhalationem, & ventum in subterraneis esse reductum, vnde cum videmus has nubeculas diu sic stare, timendum est de terræmotu.

Septimū. Dicūt Astronomi regionem illam ad quam vmbra Eclipsis conuertitur esse obnoxiam terręmotui, & certius si in cauda Draconis accidat, qui quanto maior erit, tanto terręmotus erit validior.

Octauum. Sol ante terręmotum sine nube apparet obscurus, & magna in Aurora oritur tranquillitas, et frigus.

Nonum. Calisthenes Philosophus pro signo certo trepidationis terrę dixit, esse ignitam nubem, columnæ speciem

dem in aere præseferentem.

Decimum. Futuros terremotus nauigantes animaduertere possunt, si cum flatibus intumescente fluctu subito, aut quatiente ictu, contremiscunt, et in nauibus posita æque quã in ædificijs crepitant.

Vndecimum. Aues, et quadrupedes sępe reliquisse loca terręmotui supponenda, et in securiora loca se reduxisse, tradunt multi experti.

Duodecimum. Sol, et Luna obscuriores fiunt.

Tertiumdecimum. Solet pręcedere, vel comitari ipsum sonus terribilis, murmuri, mugitibus, aut clamori humano, armorumue pulsantium fragori persimilis, vt diximus supra.

Quartumdecimum est. Cometa prius apparens siccus, & exustus.

Quintumdecimum. Dixit Euagrius Historicus lib. 2. cap. 12. sub Imperatore Leone ingẽtem terręmotum Antiochiam concussisse, & ante eius initium quosdam de populo insanijsse, & infremuisse, quoniam materia, terręmotuum est inconcocta, & venenosa, vnde in sanis furorem, et in iam stultis rabiem conciat.

Signa autem sequentia terręmotum sunt. Primum obscurus Sol, & cęlum, quia illa materia ascendit, quæ cum sit crassa, et terrestris, cęlum offuscat.

Secundum est pestis, quia ille vapor exhalatus venenosus inficit aerem, necessarium ad respirationem.

Tertium est penuria segetum, ex eadem causa.

Argumentum solutum apparet.

QVÆSTIO L.

Vtrum sub terra possint generari ignes.

Videtur quod non. Nam quæ ex opposito distant, in proprijs non conueniunt. At ignis, & terra distinguunt in caliditate, & frigiditate proprie. Ergo in terra quæ est imum elementum, & sua natura frigidũ non potest generari ignis, qui superum locum, & caliditatem sibi appropriat.

Respondeo indubium esse, quod in intestinis terrę generantur ignes, ex sulphure fossili, idest sponte genito, nam de factitio arte non loquimur. Nam sulphur calore, & siccitate ignea pollet, vnde ex eo fit puluis tormentaria, & Plinius lib. 35. cap. 15. narrat Anaxilaum eius artificio in conuiuio luxisse. Nam sulphur in calice nouo pruna subdita circumferens, exardescentis repercussu pallorem velut defunctorum conuiuis effudit, colorem enim ceruleum ardendo ostendit. Habet etiam odorem grauem, saporem subpinguem & acerbum. Sulphur ergo, & etiam bitumen, vbi reperiuntur, de facili ignem concipiunt, vnde similia loca odorẽ sulphuris, & bituminis redolent. Bitumen autem, quia est magis crassum, & pingue, ideo diutius durat, quam sulphur ignitum, immo bitumen aquis alitur, & siccis tantum extinguitur, vbi sulphur humidis tollitur, & siccis nutritur. Et hinc est, quod ea quæ diu ardere debent, vel sub aquis, non sulphure, sed bitumine fiunt.

Secundo notandum venit, quod cum sulphur, & bitumen sint materia ignis subterranei, consequenter non erunt huius causa effectiua. Prima ergo eius causa effectiua erit calor Solis ac syderum, qui pręporente sua virtute ima terræ penetrant, & mira bilia in ea efficiunt. Proxima vero erit exhalatio, & spiritus conclusus in cauernis terræ calidus per antiperistasim, qui dum mouetur, accenditur, si participat de exhalatione ignibili, vt facit in similibus locis, & sic ignitus ignit sulphur, & bitumen, & his mediantibus saxa etiam, & omnia alia adiacentia.

Me-

Magna autem diuersitas in his apparet, vt supra etiam diximus, quia si materia est debilis intra cauernas terræ se colligit; at vbi fortis, & potens est saxa ardentia, cineres, & multa alia eructat. Sed de his diximus satis supra in tractatu de ignitis.

Ad argumentum dicitur, quod terra in multis locis est mixta, & participat de elementis, in aliquibus magis de aqua, & in alijs magis de igne, &c.

QVÆSTIO LI.

Soluens aliqua problemata de terra, & metallis.

ANtequam ad quædam singularia terrea descendam, censui iocundum, & vtile esse quædam problemata de terra dirimere.

Primo ergo quæritur. An terra sit purum elementum.

Respondetur, quod tripliciter possumus intelligere elementa esse pura. Primo in sua substantia, quia, scilicet constant ex sua materia, & forma elementari, & non mixta, & sic terra, & omnia elementa sunt pura, quia non constant ex priori materia, vel forma, & omnia mixta ex his constant.

Secundo in sua substantia, pro quanto secum non admittunt aliud corpus, et sic tria inferiora elementa non dicuntur pura, quia in terra generantur multa mineralia, in aqua pisces, & in aere ignes, & multa alia.

Tertio in suis qualitatibus, & sic etiam dicimus, vt plurimum elementa inferiora non esse sincera, quæ cum pugnent ad inuicem, & in compositionem veniant, necesse est, vt vnum aliud alterando, ei misceatur. In quibusdam tamen locis possunt habere suas qualitates sinceras, vt supra docuimus.

Secundo, Quæritur. An terra semper quiescat, obstando eius quieti, quod melius, & prestantius est quiescere, quam moueri. Celum autem semper mouetur. Igitur ne terra ei æquiparetur in nobilitate; immo ne ipsum in prestantia superet debet semper moueri.

Respondetur, vt diximus etiam supra, quod nobilius est quiescere in termino nobilitatis, & perfectionis suæ, quam ad eam moueri, non tamen est verum absolute, quando motus localis est causa aliorum motuum, & quietis, vt est celi motus.

Tertio. Quæritur. Cur terrea grauia non ferunt in centrum secundum lineas parallelas, idest æque distantes, sed quo longius abeunt, eo magis sibi appropinquant.

Respondetur, quia conuenit omni graui tendere ad centrum, quod non potest facere nisi semper teneat versus ipsum se reducere.

Quarto. Cur ergo parietes erecti æqualiter intense distant.

Respondetur in hoc sensum decipi, quia Mathematici docent omne ædificium versus terram debere coangustari, ita vt sit latius, & magis expansum in parte superiori, vt si puteus excauetur de ore ad fundum debet tendere quasi in figuram pyramidis. Et si turris in altum trahatur in duplo debet esse maior, quam ad fundamentum, idest latior. Et ita omne ædificium in superiori parte latius patet, quam in ima, nam eo magis quo fundamenta versus terram se accomodant respiciendo centrum, eo magis solidantur.

Quinto. Quæritur. An possit dignosci corpus terreum magis, & minus graue, & ita in omni alio solido.

Respondetur affirmatiue, & inter alia est illud Archimedis scilicet, quod datis duobus corporibus eiusdem ponderis, illud quod maiorem habet quantitatem, de sua natura est leuius. V. g. damus coronam vnam ex plumbo, & aliam ex argento libræ vnius, videbimus, quod hæ duæ

co-

coronæ, & si sint æquales in pondere, non tamen erunt æquales in magnitudine, quia leuius corpus maiorem occupat dimensionem, quam grauius, cum hoc sit magis densum, & compactum, magisque de terreo participet, & aliud de aereo.

Quinto. Quæritur. Quomodo cum terra sua natura sit sicca, tantam congeriem aquarum in se contineat.

Respondetur hoc esse. Primo, quia cū aqua sit terra superior, nisi Dei virtute fuisset in mari, & visceribus terræ coarctata, terra esset īhabitabilis. Secundo, quia partes terræ non ita bene coherent adinuicem, si esset sine humore, sua enim siccitate in puluerem redigeretur. Tertio, quia sic humectata aptior fit ad productionem arborum, segetum, herbarum, & temperiei aeris. Vnde loca illa quæ sub se tenent in suis cauernis aquas magis virent, & fructificant, & temperatiora redduntur.

Sexto quæritur. An terra ex se possit producere herbas, plantas, & stirpes.

Respondetur cum S.D. p.p.q.69.ar.2. ad 2. quod non potest nisi passiue, & dispositiue, vnde necessaria est virtus actiua syderum. Quare mater istorum est terra, & pater cœlum.

Septimo. Quætitur. An terra ante peccatum primum parentum generasset rosas cum spinis, aut sine.

Respondetur, quod & si D. Basilius hom. 5. *Hexam.* D. Ambrosius lib. 3. *Hexam.* cap. 10. & 11. *Beda*, & Rabanus in Genesim, & alij multi tenuerint rosas ante peccatum non habuisse spinas, nec debere habere nisi primi parentes peccassent, cum dixerit Deus Adam post peccatum. Spinas, & tribulos germinabit tibi. Oppositum tamen verisimilius iudicatur, quia de ratione plantæ spineæ est habere spinas, id autē quod erat de ratione alicuius non fuit ei ante peccatum negatum, sicut etiam fuissent herbæ nociuæ, & animalia venenosa, non tamen læsissent hominem. Vnde ly spinas, & tribulos germinabit tibi habet sesum in labore, & nocumento, & non absolute. Et hæc est sententia D. Augustini lib. 3. de Genesi ad literam c. 18. retractando oppositum huius, quod tenuerat lib. 1. de Genesi contra Manicheos cap. 13. Estque Magni Alberti in summa p. 2. tract. 11. q. 57. Memb. 3. & D. Thomæ p.p.q. 69. ar. 2. ad. 2. & 22. q. 164. ar. 2. ad. 1.

Octauo. Quæritur, Cur eadem regio terræ non sit omnibus accommodata, & sana.

Respondetur id factum est, vt tota terra diuersis cœli aspectibus subiecta habitaretur, & ex diuersis negotijs societas humana iungeretur, & propter diuersitatem complexionum, morum, &c.

Nono. Quæritur. An sub terra possint generari metalla, et ex qua materia.

Respondetur experientiam nos docere metalla sub terra gigni, sed cuius virtute, et materia non esse vniuersaliter bene ab omnibus exploratū. Aliqui igitur dixerunt materiam metallorum esse argentum viuum, et sulphur, quia in venis metallorū ista reperiuntur, et ad argentum, et aurum conficiendum chimici his vtuntur. Albertus Magnus existimauit esse humorem pinguem, nam res ex eisdem cōponitur, in quibus per resolutionem redigitur. Modo metalla dum igne liquescunt, in humorem pinguem fluuidū abeunt. Georgius Agricola censuit esse terram, et aquam, quia ista in locis gignentibus metalla reperiuntur, ita vt soliditas sit ex terra, liquatio ab aqua. At Arist. sententia est, vaporem humidum intra viscera terræ, et præcipue inter lapides conclusum esse materiam Metallorum, ibique frigiditate, et siccitate lapidum concretum. Sic enim damus vnam materiam superiorum, et inferiorum, i. eorum, quæ in aere fiunt, ex terra, i.

vaporem, et halitum. Nam experiẽtia eſt teſtis, quod etiam in aere ex exhalationibus, et vaporibus concretis generantur lapides, ferrum, calibs, et multa alia ſimilia. Nam teſtatur Auicenna æ nea corpora in Perſide in aerem eſſe genita, et quandoque cecidiſſe molem ferream 50. librarũ, e cœlo. Et Conimb. teſtantur ſua ætate in Hiſpania, in ciuitate Valentia cecidiſſe ex altis nubibus maſſam lapideam, metallicis venis infectam. Tenet ergo Ariſt. halitum ex vapore, et exhalatione compoſitum, magiſque accedentem ad humiditatem fieri Metallum. Et ſic tenet de ſicco inquantum igniuntur, et humido inquantum liqueſcunt. Vnde aliud eſt, quod in locis vbi generantur ſint aqua, et terra, et aliud quod ex his fiant. Secundum negamus, Primum affirmamus, quia ex terra, et aqua conſurgit ille halitus, medius inter vaporem, et exhalationẽ. Verum eſt tamen, quod opinio prima arridet D. Thomæ, et veritati, quia metallum ex halitu fit remote, ex ſuphure, et argento viuo ſaltem virtualiter, vt ex materia proxima.

Cauſam autem effectiuam metallorũ diximus in vniuerſo cœleſti eſſe ſolem, et planetas dominantes tali metallo, cauſam vero proximam, et inſtrumentalem eſſe calorem gignentem illam materiam, et coquentem, et frigus congregantem, et condenſantem.

Decimo Quęritur, An metalla poſſint proprie generari in aquis. Nam tradunt Hiſtorici quod auritamenta in multis fluuijs ſunt. Vt in Tmolo Lidię, et qui ex eo defluit Pactolo, et Hermo. In Oxo Bactrorum. In Gange Indię. In Hyramne Caramanię. In Thermodoonte Cappadocię. In Pado Italię. In Tago Hiſpanię, et in Hebro Tracię.

Reſpondetur, quod in aqua ſimplici non generantur metalla, ſed in terra, vnde fluuij ſupradicti dicuntur generare aurum, pro quanto eum currendo ſeparant, & effodiunt à terra & ſecum trahunt. Montes ergo, & præcipuæ quædam Siluæ, & loca prope fluuios sũt loca Metallorum, & in ſingulari montes Dalmatiæ, Tranſiluaniæ, Germaniæ, & quidã Italiæ.

Vndecimo, Quæritur, Quis fuerit primus, qui extraxit metalla à terra, & arte confecit.

Reſpondetur ex Geneſi 4. quod fuit Tubalcaim, nam de eo ibi ſic dicitur Malleator, & Faber, in cuncta opera æris, & ferri.

Duodecimo: Quæritur, An poſſit ſciri diſtantia, quæ cadit inter cęlum, & terram.

Reſpondetur, quod Aſtronomi, & Mathematici reſpondent affirmatiue, idque conantur multis rationibus probare, quas omitto. Vnde non adducendo propter quid, ſed quia dico, quod diſtinguendo diſtantiam hãc per iter 60. milliariorum, quodlibet die fiendorum. A terra ad orbẽ Lunæ eſt diſtantia itineris annorum quinque, menſium duorum, & amplius. Vſque ad ſpheram Mercurij annorum 10. & amplius. Ad Spheram Veneris ann. 20. & amplius. Ad Spheram Solis 69. menſibus tribus. Martis. A. 185. M. 5. & amplius. Ad Speram Iouis A 1290. M. 3. & amplius. Ad Spheram Saturni 20065. M. 11. & amplius. Ad Firmamentum 2754. M. 6. & amplius. Ad nonam 2982. & amplius.

Decimotertio: Quæritur, quomodo fieri poſſit, quod pila vitrea aqua repleta ſolique obiecta, reuerberatione ſolis comburat veſtem, & omne aliud incendio aptum, vt tradit Plinius lib. 30. c. 26. Lactantius lib. de ira Dei. c. 10. & alij.

Reſpondetur prouenire, quia vas plenum aqua fortiter remittit radios, & eo magis quanto inuenit corpus ſibi contradicens. Hinc eſt, quod per vitrum ſiue ſit ſpeculum, ſiue ſit

quid

quid aliud transeunt radij Solis, sine repercussione, at si vas est aqua plenū, vel speculū sit à tergo stāno oblinitū repcutit radios, & ita accēdit aerē, & eo accēso, oē q̄ ille aer tangit, vt de Speculis Archimedis cōcauis tradidit Zonoras tō. 2. Diō, & Pet. Hisp. in vita Anastasij, & Plin. li. 2. c. 107.

Decimoquarto: Quæritur, an sit verum quod Olaus tradit lib. 6. c. 9. & Martinus Crom. descript. Polon. lib. 1. scilicet, quod in fodinis septentrionalibus, & præcipue Berchniensibus demones negotijs excauantium, & fodentium se ingerunt, excauando, saxa dissecādo, sursum ea trahēdo, se opificibus ostendēdo, irridēdo, voces humanas, caninas, galinaceas, & alias efformādo, & tāto magis, quanto in fodinis potest esse lucrū maius.

Respondetur id possibile esse, quia Demones damnati sūt ad subterranea, & quasi propria ea custodiunt, vnde quicquid videtur pro fodientibus facere, in fraudem conuertūt. Nam eos ad auaritiam stimulant, & ad magis æstimandum aurum, quam anima, & ad ineundum pro hoc cū eis fædus, & deinde vt dicunt supradicti. D. D. schalas subducunt, funes abscindunt, quibus operarij herent, lapides in illos iactitant, ruinas commouent, vt obruantur, atrum odorem excitant, vt illi miseri cadāt stupefacti, et sic fiūt eorū præda.

Decimoquinto Quæritur, An Metalla crescere, et augeri possint, stando quod carent anima vegetante, cuius est per augmentatiuam augere.

Respondetur, quod Arist. de admiran. lib. c. 45 id concedit in auro, et Petrus Mart. Sum. Ind. id certum affirmat esse in Hispaniola Insula. Ouer. *Hist.* lib. 6. c. 8. & Fulgosus lib. 1. c. 6. Immo Arist. seu melius *Theophrastus* eius discipulus cap. 41. dixit. In Cipro iuxta *Tirrhiam* æs esse, quod in parua frusta dissecatum, & seminatum, aquis irrigatum augetur, & deinde colligitur. At apud nos istæ sunt fabulæ, cōcedēdo tamen, quod per virtutem solis ex additione noui halitus, aut eius extensione possit Metallum quodlibet augeri, concurrentibus caliditate, & instrumentalibus causis, sicut supradictū est, sed hoc non est proprie augmentum, sed aggregatio, & extensio, vel aggeneratio noua.

QVÆSTIO LII.

Soluens multa dubia de Montibus.

PRimo: Quæritur circa montes, An Deus creauerit mundum cum montibus, aut non.

D. Damasc. lib. 2. fidei orthod. c. 9. & 10. & Conimb. in problem. de terra tenent terram totam globosam perfecte esse creatam, & sine montibus. Oppositum docuit D. Basilius hom. 4. Exam. Iansenius, & Eugub. Psal. 103. & id videtur esse asserendum, At distinguendum est tamen clarius & dicendum quod aliqui montes fuerunt à Deo creati tertia die, qua Deus aquas in locum vnū reduxit. Patet enim quod Gen. 7. supponuntur esse montes dum dicitur aquas diluuii supra altissimos montes excreuisse, vnde remanet exclusa opinio illorum, qui dixerunt eos esse factos aquis diluuij. Sed multi alii montes consurrexerunt, vel ex terræ motibus, vel ex aquis excauantibus terram, circumcirca locū emiuentē. Vel à vētis flantibus, & magnam cōgeriem arenarum, lapidum, & terræ simul portantibus, vel alia ex causa, Mirabilia enim sunt, quæ natura fecit, nō à nobis omnia penetrata, vnde non est metienda eius vis, oculis nostris rerum præsentium.

Secundo: Quæritur, quomodo montes prope mare possint niuibus abundare, stando quod aqua maris salsa causet calorem, et virorem in plantis, et herbis circa littora adiacentib. Ita tradit Petrus *Hispal.* p. 5. c. 17.

Respondetur id non esse proprium omnibus montibus, circa littora maris adiacentibus, cum multi sint, qui florent fere semper, & germinant, sed est singulare in quibusdam montibus, vel multũ altis, vel ventis Aquilonaribus expositis, vel per antiperistasim multum infrigidatis, vt patet in mõte Ethna, qui feruet in medio, & niuibus alget in summo.

Tertio: Quæritur, An sint montes excelsi, & sũmi, qui secundam aeris regionem transcendant.

Respondetur, id affirmasse Isidorum lib. 14. c. 4. & D. August. 1. de Genesi contra Manicheos cap. 15. de monte Olympo, in cuius summitate dicunt nec nubes videri, nec ventos sentiri. Et de Monte Athos idem affirmat Mela lib. 2. c. 1. dicendo, quod in summitate illius erat oppidum Acrolhaton, in quo (ait) ferunt, dimidio longior, quam in alijs terris ætas habitantium erat. Et Solinus tradit cap. 37. In Seleucia esse montem Casium Antiochiæ proximum, e cuius vertice vigilia adhac quarta conspicitur Sol. Et Olaus lib. 2. c. 2. dicit in Nouergia esse montes tam eminentes, vt solum quatriduo possint ascendi, & alio quatriduo descendi. Item dicunt Scriptores, de monte Pelioro alto 50. milliar. Et de monte Tenerissa alto 60. & de alijs multis similia dicunt. Non enim incongruit aliquos montes, qui sunt ex elemento terræ attingere supremam regionem aeris, excedere tamen non dabitur.

Quarto: *Quæritur*, Cur ignes potius irrumpant ex montibus, quam ex vallibus, & locis planis.

Respondetur id prouenire, quia montes solent magis esse cauernosi, quã ima, vnde in cauernis illis recluduntur spiritus crassi, & pingues, qui sunt pabulum ignis. Secundo etiam, quia ventis sunt magis expositi, venti autem impellunt calorem ad intra, vnde fiunt ignes, quare montes quasi semper magnũ ventum spirant ex imo. Tertio, quia in his aptius generantur metalla, quæ tenent multum de bitumine, & sulphure, ex quibus sunt hi ignes, Patet enim quod Ethna qui cadit in Sicilia. Vesuuius, & Gaurus in Campania, Chymera in Licia, sunt pleni sulphureis venis, & bituminosis.

Quinto: Quæritur quomodo à tanto tempore hi montes ardeant, & non sint consumpti.

Respondetur esse, quia continui halitus in eis semper nouam materiam subministrant. Sed quosdam ignes defecisse, vel in tot annis tantum exire asseruit Xenophanes, & Trogus, & ratio est, quia si vorago in multis locis aperiatur, & halitus expiret libere, cessat ignis. Et si in tanto tempore solum adensetur ad hoc, et possit exire, in illo solum tempore exit, recuperatis sufficientibus viribus.

Sexto. *Quæritur* an montes possint aperiri, cadere, in altum euehi, &c.

Respondetur affirmatiue. Nam Vuernerg: in fasciculo tradit montem ingentem in Burgundia dehiscentem, idest se aperientem, & diuidentem multa millia agricolarum oppressisse, & deinde se diffundendo per multa milliaria quinque hominum millia suffocauit, & tandem mirabili modo alijs montibus accessit. Et Matheus Palmerius tradit quod anno Domini 1457. apud Lacum Benacum non longe à Salodio mons quidam se aperuit, & vsque ad terram descendere ex vtraque parte visus est. Et quod mirabilius est anno Domini 724. plures montes ex suis locis se mouentes in heremo Sabæ in vnum conuenerunt, auctore Theofane in Sabã, apud Anastasium Bibliotecarium. Et ita Seneca natur. lib. 6. cap. 25. memorat aliquando Ossam mõtem Olympo cohesisse, deinde terrę motu recessisse. Hæc autem proueniunt, à magno flatu sub montibus

concepto, qui eos mouet, vehit, diuidit, vnit, & distinguit. Patet enim si aliquod spiraculum, vel cauerna est in monte, quod perpetuum ex ea spirat ventus multus, & frigidus. Vnde si contingit meatus montis oppilari, vel concludi, vel in eius finibus, cauernis, & specubus magnam vltra solitum abundantiam spirituum cōcipi, hi quærentes exitum quassant montem, in altum eleuāt, deferunt, cadere faciunt, vel alteri monti adhærere, &c. Vnde nō est nouum aliquod, quod hoc anno accidit in valle Telina apud Piurium, monte ex terræmotu moto oppressum, cum oppidanis, ac rebus eorum. Et ita potuit esse verum, quod tradit Plinius lib. 2. cap. 83. quod in agro Mutinensi duo montes inter se cucurrerunt, crepitu maximo assultantes, ac dentesque, spectante vt (ait, è via Æmilia magna Equitum Romanorū, familiarumque, & viatorum multitudine. Et subdit. Eo concursu villæ omnes elisæ, animalia etiam permulta, quæ intra fuerant exanimata sūt. Nam si vento addatur ignis maior fit motus, & vehementior. Ita tradit Plinius lib. 2. cap. 88. montē in Campano sinu Epopon cum repente ex eo flamma emicuisset, campestri æquatus est planicie, & absortus à terra. Et cap. 91. scribit Cyborum altissimum montem, & Sipylum in Magnesia, & in Aetiopia Phegium esse à terra absortos, ac deuoratos. Vide similes casus apud Euagrium lib. 2. cap. 14. Niceph. lib. 15. cap. 20. & lib. 14. cap. 46. Fulg. lib. 1. & Leandrum in Campania.

Septimo. Quæritur quomodo possit esse verum, quod refert de visu Fulgosus in quodam monte plurima terra è monte excauata vidisse nauem, cum omnibus instrumentis, suis ferreis, & cum 40. cadaueribus hominum, ossibus exsiccatis, anno Domini 1460. & hic mons distabat à mari centum cubitis.

Respondetur, quod hoc factum est, vel ex aliquo diluuio, quod transtulit, & deiecit illam nauem in illo monte, vel quod per aliquam voraginem ad eam transierit. Vel in magna altitudine aquarum maris influxu, vel defluxu eius in illum locum impegerit.

Octauo. Quæritur, an alia memoranda scribantur de montibus.

Respondetur affirmatiue.

Primum autem sciendum est, quod vt tradit Olaus lib. 2. c. 4. in Tartarorum regione mons est, non multum altus, e cuius antro hyeme exit ventus tam validus, vt nauigantes proponat in aperto discrimine submersionis, non tantum vero in æstate. Ratio est, quia per antiperistasim ibi multus calor congregatur, resoluens multos eius halitus, non sic in æstate, cum in eo succedat minor calor.

Secundum est, quod tradit Clemens Alexandrinus lib. 6. Stromat. in Perside esse tres mōtes non multum distantes, ad quos qui accedunt, ex primo audiunt vocem confusam multorum millium hominum quasi stātium in acie, ex secundo maiorem, & clariorem talem strepitum percipiunt, & cum accedunt ad tertium audiunt vocem canentium, ac letantium quasi de victoria. Causa huius est ventus exiens per meatus humidiores, & reflexos, qui causat illum primum sonum, qui vero exit à secundo exit à minus retortis, & latioribus, & qui à tertio à locis multos meatus habentibus, quorum aliqui alijs dant spiritum, & vocem.

Tertium est, quod tradit Crom: Pol: descript. lib. 1. quod in maiori Polonia prope Suenum oppidū est mōs, vbi sponte ollę, amphoræ, cacabi, & aliarum figurarum vasa fictilia nascuntur, & sub terra effodiuntur mollia, sed mox in aerem prolata durescunt. Dicendum est huic, quod ex illo monte debeāt de facili ista fieri,

& in

& in aerem durescere, ex antiperistasi aeris cum illa materia.

Quartum est, quod mõs Cariæ Laternus scorpiones habet, qui indigenas perimunt, & hospites non ledunt. Ratio erit aliqua contrarietas cum illis, & non istis, vel aliqua dispositio in his, & non in alijs.

QVÆSTIO LIII.

Soluens multas dubitationes de lapidibus.

PRimo circa lapides quæritur. An sit lapis ex quo possit fieri tela.

Respondet Strabo, quod sic in Cipro nomine Amiathon Hic malleis conteritur, vt linum, inde capillamenta quædam manant, quæ nentur, & in telam texuntur, fiuntque mappæ quarum sordes neque aquis, neque pigmentis purgantur, sed igne, in eum enim iniectæ absterguntur, salua, & illesa mappa. Nec hoc incredibile est censendum, quoniam Vives testatur se id vidisse Louanij, & Plinius tradit lib. 10. ca. 3. Ac idem lapidẽ in ignem missum nihil amittere. Et idem affirmat Isidorus lib. 16. cap. 13. de lapide Ceraunio, qui creditur etiam aduersus vim fulgurum opitulari. Et idem tradit Plinius lib. 37. cap. 7. de Carbunculo, qui mittit flammas, non vt ardeat, sed vt luceat. Et lapis Galatias candidus, vt grando, & eiusdem figuræ proprium frigus in igne retinere, vult Plinius lib. 37. cap. 11. & D. Isidor. lib. 16. cap. 10. & 13. Potest enim esse, quod sua innata qualitate sic fortiter igni resistat, vt ei non cedat. Hac etiam ratione potest esse verũ, quod dicit Solinus cap. 24. de Gagate lapide, qui ardet aqua, & oleo restinguitur, quia est dispositus ad accensionem ex aqua congregãte eius partes calidas ad intra per antiperistasim, & calore olei deducendo ad partes externas, ex quo in suo statu reponitur. Et idem dicitur de Thracio lapide à Plinio lib. 33. cap. 5. & de Nimpheo lib. 2. cap. 107.

Secundo. Quæritur quomodo quidem lapides percussi flammulas ignis emittant, vt de Silice, & Pyriteo communiter dicitur.

Respondetur, quod hi lapides cum sint corpora mixta, & de igneo retineant, vehementi attritu, & percussione ignem emittunt. Droselitus vero igni appositus sudorem, (vt faciunt oua igni admota) emittit, quia tenet de humido subtili, qui per calorem ad extra extrahitur. Lapis autem in orientali India, in regno Bisnaga in Ecclesia D. Tho. Apost. qui quotannis ipsa eius festiuitatis die dum Euangelium intra missarum solemnia pronunciatur, exudat, miraculum est, quia hic lapis sanguinẽ martirij eius suscepit, apud Reb: Sinar. p. 4. cap. 19.

Tertio. Quæritur quomodo aliqui lapides de se ignem emittant, vt de quadam petra iuxta Atitaniam in locis montanis Apolloniatidis dixit Aristot. & Plinius lib. 2. cap. 107. de alio in agro Sabino, qui vnctus flagrat. Et de Ephestide testatur Isido. lib. 16. cap. 14. Soli opposito. Et de quadam terra Belgica, quæ carbonum vicem domesticis necessitatibus præbet, (dicitur Turbe) & de similibus.

Respondetur istos lapides, vel ex sua natura retinere de sulphureo, & bituminoso pabulo ignis. Vel ex sua densitate, & frigiditate fortiter repercutere radios Solis, & ignem ciere. Vel ex contradictione contrarij in se se, virtutem suam cohibere, & sic ignem facere.

Quarto. Quæritur quomodo Asbestus lapis semel accensus, nullo vnquam tempore extinguatur. Solinus cap. 12. Et Absictus semel ignitus diebus septem calorem seruet, Aristot. anim. lib. 5. cap. 19.

Respondemus naturam horum esse mul-

multum concretam, & densam, & ideo receptum calorem de difficili restituere, maxime cum magnam proportionem cum calore habeant, quæ enim similia sunt, diutius simul durăt. Sed de hac re diximus etiam supra, & quomodo seruet ignem sub terraneum fere perpetuum Asbestus lapis.

Quinto. Quæritur, quomodo Magnes lapis (Calamita) ferrum ad se trahat, ipsum suspensum in aerem teneat, & versus polum Arcticum aculeum dirigat, & multa alia mirabilia faciat.

Respondet. S. D. quod: 12. articu. 15. id obtinere secreta virtute cœlesti. Et ita à cęlo non accepit, vt allium superaret, vel adamantem, linitus enim allio ferrum non rapit, nec iuxta adamantem, & si rapuit, Adamas illud ad se trahit.

Sexto. Quæritur an sit verum, quod dixerunt D. Isid. lib 12. cap. 1. Plinius lib. 37. c. 4. & 5. quod Adamas non possit malleis frangi, & sanguine hircino rumpatur.

Respondetur, quod quamuis multi teneant hanc esse fabulam, tamen omnibus inspectis vera erit Historia. Dicunt enim supradicti D. D. quod Adamas hircino rumpitur săguine, sed recenti, calido, & in eo maceratus, & malleis deinde percussus, vnde fit in eo mollitudo quædă, facta in eo sanguine sua natura calidissimo. Nam quod malleis possit frangi tradidit Solinus cap. 53. & clarum est, quod arte elaboratur.

Septimo. Quæritur. An possint dari lapides, qui metallorum, animalium, siderumque referant figuram. Nam Selenites figuram Lunæ refert Solinus cap. 38. Astrion stellæ Isid. lib. 16. cap. 13. *H*iacynthus colorem suum serenum, & turbidum cũ cœlo facit Solinus cap. 33. Chrysopassus de die reddit colorem aureum, & de nocte igneum. Isid. lib. 16. cap. 13. & 14. Et *T*opazius, de die non videtur fere, & de nocte perlucet.

Respondetur, omnia ista esse vera, & & ex diuersa eorum diaplaneitate, & correspondentia cum luce ista subire.

Octauo. Quæritur ex quibus generentur lapides pretiosi in singulari.

Respondetur, quod Chrystallus communi consensu generatur ex aqua niueque congelata, quæ cum omne calidum excluserit, in lapidem concrescit in locis frigidissimis septentrionalibus, & montibus altis.

Specularius lapis pellucidus, & transparentissimus more crysthalli. sub terra generatur, & secundum Plinium lib. 36. capite. 22. ex medulla bellnę in puteum iniectę post vnam hyemem.

Obsidianus lapis etiam ipse lucidus est & magnus, vnde in eo excauato Macrobij eorum cadauera includunt. *H*erodotus lib. 3. *H*i autem lapides clari, & transparentes secundum Arist. lib. de vegetabilibus generantur ex spuma, orta ex collisione aquarum. Primum enim spuma coagulatur, vt lac vnctuosum, & dum vndę arenę illidũtur, arena congregat vnctuositatem spumæ, & maris siccitas illam siccat cum sua superflua salsedine, partes autem arenæ congregantur, & per temporis longitudinem lapides fiunt. Et idem Arist. in Meteor: sic dicit. De aquis fiunt lapides quatuor modis. Vnus est, quădo congelatus guttatim cadẽs aqua, Alius quando de aqua currente descendit quidam residuus insuperficie fundi ipsius, fitque lapis. Sunt etiam certa loca superquæ aquæ effusæ vertuntur in lapides diuersorum colorum. Sunt etiam aquæ quæ seorsum acceptæ non gelantur, sed si prope alueum suum fundantur, congelantur, fiuntque lapides. Vide etiam de hoc Vincẽnt. lib. 5. cap. 80. Vitruuium archit. lib. 8. Strabonem lib. 13. Diximus etiam nos supra esse quasdam aquas in quas iniecta induunt

duunt

dunt naturam lapideam ex frigiditate aquæ, vel ex propria virtute concretiua, & expulsiua caloris, & humiditatis. Diximus etiam quomodo Sal generetur ex aquis, succinum vero siue electrum generatur ex succo arboris. Ligurius ex vrina Lincis bestiæ. Et in summa omnes ex humido exsiccato, & infrigidato fiunt lapides, cum lapidis natura sit sicca, & frigida.

QVÆSTIO LIV.

Soluens aliqua dubia de antris, & Hiatibus.

PRimo. Quæritur, an ex guttis aquæ cadẽtibus guttatim in frigidissimis antris, possint fieri columnæ.

Respondetur affirmatiue secundum Plinium lib. 31. ca. 2. Hoc enim modo tradit fieri columnas in Phausia Chersonesi Rhodiorum in antro magno, & Ortellius in Scotia, in Slanis antro. Nec est incredibile, quia frigidissima natura antri, & qualitas aquæ lapidicinæ potest aquas gelare in lapides. Vide etiam similes antros apud Strabonem lib. 14. Aelianum histor. animal. lib. 16. cap. 16.

Secundo. Quæritur, an in profundis antribus possint videri aquæ, flumina, & similia.

Respondet affirmatiue Seneca lib. 5. cap. 15. vt de re explorata per Philippi Macedoni imperium. Nam demissis per multas dies hominibus, quidam euocati renunciauerunt se vidisse ingentia flumina, & conceptus aquarum vastissimos. Et nos diximus supra, terram esse cauernosam, & in se recludere flumina, scaturigines, et maria. Vide Strabonem lib. 6. et lib. 13. et recordare, quod Nilus, Ganges, et alij plures fluuij per vastissima terrarum spacia subterranea meant, et deinde in altum consurgunt. Et quod quædam spirant ventum validum.

Tertio. Quæritur. An ex antris possint exire voces, strepitus, et clamores magni.

Respondet ita Diaz ex Malacca 1556. quod in Malucco in quadam antro audiuntur soni ingẽtes, et strepitus, quales sunt tonitrua nubium. Vide similia antra apud eundem. Clem. Alexandrinum Stromatum libr. 6. Diximus hoc supra prouenire ab igne ibi concepto, vento, fumo, & exhalatione, secundum quod transeunt per diuersos canales, & meatus. Echo vero prouenit ex repercussione vocis, vt diximus in lib. de Anima.

Quarto. Quæritur, vnde veniant Hiatus, & Vorragines terræ.

Respondetur prouenire ex casu terræ subtus cauernosæ. Vel ex impetu ignis subterranei mittentis in altum materiam terream, & lapideam, excauando eam sub terra.

Quinto. Quæritur. Cur soleat Deus punire impios, & inimicos suos sæpæ hiatibus terræ, vt de Datan, & Abiron habetur Num. 16. Et de Saracenis inuadentibus quendam Antonium Heremitam Sophron. prat. spirit. cap. 99. Et de multis militibus Alarici post captam Romam, Niceph. lib. 13. cap. 36. & 46. Et de homine illo fœlicissimo, qui parauerat hospitium Sancto Ambrosio in Hetruria, à terra cum domo sua absorto Bongrarius Cacciaguerra in vita D. Amb.

Respondetur id merito fieri, quod qui sua voluntate per peccatum sibi imimum locum parant, terram quoque ipsam in hoc vindicem Dei agnoscant.

QVÆSTIO LV.

Soluens quasdam difficultates de herbis.

PRimo ergo quæritur. An in herbis sint miræ virtutes.

Re-

Respõdetur affirmatiue vnde quidam experti mihi narrant, se occidisse vermes in auribus existentes paruo succo Absinthij, in aurem instillati. Verbana alio nomine herba sacra collecta in diebus canicularibus affirmant se sanasse laborantes morbo caduco, eam secum deferendo. Quod tollit dolorem capitis facta corona ex ea, & supra caput posita. Quod tollit venenum scorpionis. Quod Arthemia posita sub capite infirmi hoc ignorantis, si dormit, sanitatem recuperabit, si non, morietur. Quod Celidonia iuuat mirabiliter defectibus, & malis oculorum, vnde Arundines restituunt videre pullis suis orbatis hac herba. Quod Aconides sumptus in ore à venenato sanatur. Quod Ipericon, aliter fugat demonem, apud personam seruatus impedit incantationes. Quod Oliua plantata à Virgine mirabiliter fructificat. Quod nucleus Nespoli in puluerem redactus, & tribus diebus in mane in potum Aquę Anonidis ad pondus dracmæ laboranti calculo in renibus datus, rumpit calculos mirabiliter. Quod dentibus conterrendo summitates Rosmarini virides dentes stringunt, & dolorem mandibularum aufetunt. Quod radix panis porcini comminuta, & super vmbelicum collocata ventrem mirabiliter soluit. Quod ponendo ramos Canepis madefactos aqua circa lectum Zenzalæ nõ nocent. Quod cauda pastinacæ marinæ tangens dentem dolentem, illico ab eo aufert dolorem. Et ita Iridis syluaticha dentibus rupta, & masticata. Quod vsus Iberidis, Lepidij Grece, remouet sciaticas. Quod ante horam vnam solitæ febris bibendo quatuor grana in vino albo Elitropij quartana recedit, & cum tribus tertiana. Et quod idem faciat quinque folium contusum, & supra pulsos per horã ante febrem positũ. Quod Centaurea minor recens implastrata omnia vulnera sanat. Ista enim habui ab expertis, quæ an sint vera relinquo iudicio peritorum.

Plinius autem tradit lib. 8. cap. 17. Dictamum herbam extrahere ferrum ab vulnere. Et Bubulam contra morsum serpentum valere. cap. 27.

Secundo. Quæritur. An in herbis possit esse sensus.

Respondent quidem esse probabile, quia in Brasilia (ex Ioseph Iesuita anno 1560. ex Brasilia) est quædam herba, quæ ab incolis vina nuncupatur, nam dum quis ad eam accedit, se se sponte colligit, et constringitur, & ita si forte contingatur, at recedendo ab ea se dilatat. Et Plinius lib. 13. cap. 25. scribit in insula Troglodytica esse herbam Charitoplepharon nomine, quæ si sentit se capi durescit, vt cornu. Et Odericus lib. 1. in fine commemorat in montibus Caspijs deprehensam esse herbã Agnus nomine, quæ edit, famescit, sanguinem habet, sed radicibus fixa consistit. Et idem testatur Surius comment. anno Domini 1504. Et de marinis spongijs trita est sententia herere radicibus, sensum tamen, & sanguinem habere. Et Ioseph cum Zonara tom. 1. de excidio Hierosolomytano dicit in Iudea iuxta Macheruntem castellum esse herbã in valle Baar, quę fugit eam excauare conantem, nisi effundat quis vrinam, vel menstruum mulieris, tũc enim consistit, sed capienti mortem indubitatam infert, nisi eam manu suspensam teneat. Sed citra periculum eã colligunt, tollentes ab ea circumcirca terram, & deinde ligando canem ad eam, cum fune, tunc recedendo, & canem vocando, canis eam euellit, sed statim moritur, euulsa vero sine periculo tollitur, & admota Demoniaco liberatur.

Sed nos dicimus non esse mediam naturam inter animantia vegetatiua anima, & sensitiua, sicut non datur media anima, vnde vel est plãta, vel

est animal imperfectum, vt de spongijs tenetur, habent enim motum constrictionis, & dilatationis animalem. Quare supradicta, vel sunt animalia imperfectissimam formam herbæ habentia. Vel (quod verius credo) sunt veræ herbæ non habentes sanguinem, sed humorem similem sanguini. Quæ nec mouentur (realiter motu perfecto, sed quodã motu potius dilatatiuo, & constrictiuo, orto ex antipatia quadam naturali cum homine. Vel ex compressione terræ facta pedibus in accessu, vnde radices cadendo truncum intra terram aduocant, & recedendo surgunt cum tronco. Nec proprie famescũt, aut edũt, sed similitudinario quodam modo, sicut etiam dicimus Simiam non esse hominem, sed magnam cum eo tenere similitudinem. Ista enim magnam possunt habere latitudinem, propinquitatem, & elongationem.

*T*ertio. Quæritur. An reperiantur herbæ, quæ hominibus, mortem, vel ægritudinem afferant.

Respondetur affirmatiue. Vnde Diodorus lib. 2. tradit in australi insula ab Iambolo repertam esse herbam, in qua quisquis iacet, mox leui somno opprimitur, & deinde morit. Et Leander dicit, quod herba dicta Ranunculum in Sardinia, quam qui quis ederit, risu soluitur, & mox repenitna neruorum contractione moritur. Et Plinius lib. 2. cap. 69. dicit Crustuminum fęnum vbi nascitur esse noxium multum, extra vero illatum est salubre. Et lib. 16. cap. 20. & lib. 24 cap. 11. asserit. Rododophinem homini esse contra omnia venena antitodum, & iumentis venenum. Et econtra Napellum homini est pręsentaneum venenum, passeribus vero ac turdis salubertima esca, ex Alberto de animal. lib. 25. cap. 2. *H*oc autem euenit ex antipatia inferrente malum, & simpatia conferente bonum.

QVAESTIO LVI.

Respondens multis dubijs circa plantas.

PRimo. Quæritur circa plantas. An sit quædam illarum, quæ mirabiles effectus habeat.

Respõdetur ista nos accepisse ab expertis. *Q*uod Carolus V. tempore pestis nullum efficacius remedium vidit, quam singulis dieb. mane stomacho ieiuno comedere duos ficus siccas, nucem vnam, tres summitates rutæ, cum pauco salis. *Q*uod vua sumpta ieiuno cum rore soluit ventrem, melius quam faciat Cassia. *Q*uod malum Cottoneum sub carbonibus coctum, post cenam comestum, stomacho laborantibus multum proficit. *Q*uod ebrietatem impediunt oliua sumptæ ante alios cibos, & ita amigdalę. Et quod comestio Cedri impedit omne venenum, post eius sumptionem.

Secundo. *Q*uæritur. An reperiantur arbores miræ magnitudinis.

Respondet Plinius lib. 16. cap. 4. in Germania esse arbores, quæ à prędonibus excauatæ, ipsis pro cymbis seruiant, quarum quædam 30 homines ferunt. Et Aloysius Cadamastius dicit apud Nigritas (vulgo Gambeæ) sunt arbores tantæ proceritatis, vt ad dimensionem passuum 20 longitudine extendantur, at trunci crassitie ambitu ipso pedes circiter 40. capiat. Vide multa de his apud Antonium Pigafettam, Ludou. Barth: de rebus indicis lib. 2. cap. 11. Petrus Mart: Ouet: hist. lib. 9. cap. 11. Inuenies enim arbores, quas nec 14. homines protensis brachijs valent circum ambire. Nec est difficile, quia sunt antiquissimæ. & in loco proportionato, & eis accommodato natæ.

*T*ertio. *Q*uæritur. An sit credibile, id quod legitur Num: 13. quod duo ex missis ad explorandam terram Canaan

naam attulerint botrum vuæ tam ingentem, vt vix illum deferre possent.

Respondetur hoc non esse mirum. Nã & Plinius tradit lib.4.cap.1. se conspexisse in vrbe Pompeiozonia, ex vnius vitis stipite esse confectum Iouis simulacrum. Et de Botro vuę dicit Strabo lib.2.in Margiana esse solere ad duo cubita in longum'. Et Aloysius Cadamus tradit in insula Madera inter Canarias, vuas longiores esse quatuor palmis,& acinos esse grossos, vt sunt oua Gallinacea. Non erit ergo mirum, quod terra illa fertilissima Canaan in tempore quo Deus eius fertilitatem ostendere voluit, vt ad eam libentius occupandam mouerentur filij Israel, habuerit Botrum vnum ita ingentem, vt vix duo homines illum deferrent.

Quarto. Quæritur, quæ admiranda dicantur de plantis.

Respondetur multa. Primum, quod sint arbores in mari indico, quorum folia in aquis sunt virentia, vt extra aquas sole tacta vertuntur in salem, idque experimento didicisse Alexandrum Magnum, narrat Plinius lib.13.cap.25. Hoc autem potest esse, quia aqua illa salsa sentiens siccitatem, & caliditatem Solis exsiccatur circa folia, sicut etiam facit in canalibus, & sic fit sal, cooperiens folia illa.

Secundum est, quod quædam sunt vites in Arcadia, quorum vina feminis fęcunditatem importent, & viris rabiem. Causam huius esse censeo caliditatem magnam illius vini, quæ tollit à matrice mulieris frigiditatem eam constringentem,& calidam naturam hominis magnopere excalefacit, ita vt illum ducat in furorem, sicut ignis aquam in cacabo frigidam ebullire facit, sed ebullientem extra vas saltare cogit.

Tertium est, apud Thasios esse duo vina, quorum vnum somnum conciliat,& aliud fugat.

Respondetur id non esse mirum, quia vnum temperat cerebrum, & aliud intemperat, & ita non est mirum diuersa reperiri vina, quæ diuersa causent, sicut etiam reperitur in plantis.

Quartum est, quod vas ex Hedera confectum vinum non tenet, sed illud effluit. Dicitur autem hoc forsitan prouenire ex potentia vini, quæ superat porositatem hæderæ, non sic aqua, quæ est frigida, est enim magna antipatia inter vinum, & hederam, ita vt vitis non fructificet vbi est hædera. Et si hædera stringit vitem eam exsiccat, quia vitis est multum porosa, & hædera innumeris radicibus tota septa, vnde ebibit humidum radicale vitis.

Quintum est, quod est quædam arbor de qua Plinius lib.12.capite. 8. quæ Equos ad se rapiat, idque experimẽto Alexandro Magno contigit, equo suo insidenti. Iudicamus in illa arbore esse talem virtutem, sicut est in Calamita attrahendi ferrum. Et ita sunt quædam arbores, quæ habent virtutem fugandi serpentes, ex contrarijs qualitatibus. Sicut enim quædam gustu necant, ita etiam vmbra, tactu, visum etiam offendũt,& proficiunt, vel omnibus, vel aliquibus pro ratione antipatiæ, & simpatiæ cum istis. Si enim noscemus virtutes herbarum, plantarum, & lapidum non ita miraremur.

Sexto. Quæritur. An reperiantur arbores, quæ elementorum vicem teneant.

Respondetur affirmatiue, nam quædam sunt in nouo orbe, quæ attritæ ignem excutiunt Ouet. summ.c.79. Et quædam sunt ad hominis potum, extinguendumque sitim, cum ex eis aqua exprimatur in Ombrio insula Petr. Mart. Et multa sunt quæ mel producunt. Vide Pet. Hisp. Silua p. 5.cap. 17. Lud. Barth. & alios apud Maiolum colloqu. 21. & videbis multa ad hoc propositum.

QVAESTIO LVII.

Dirimens multa dubia de serpentibus.

Circa naturam serpentum. Primo occurrit quærendum. An verum sit ex medulla hominis mortui putrescente generari serpentes.

Respondetur affirmatiue secũdum Pithagoram, Isidorum lib.12.capite 4. Plinium lib.10.cap.66. Et Aelianum lib.1.cap.53. Hoc autem ego non intelligo in omnibus currere, aliter essent plena sepulchra serpentibus, sed in possibilitate, quia illa materia cum sit de facili putrescibilis, fętida, & venenosa, est apta, vt ex ea fiant serpentes. Vnde forsitan naturale fuit quod in sepulchris quorundam post suam mortem, sint reperti Serpentes.

Secundo. Quæritur. Cur Deus voluerit creare venenosa animalia, & herbas.

Respondebant Stoici ista non esse à Deo. Sed hoc falsum est, cum Deus sit causa vniuersalis omnium. Academici ergo dixerunt Deum fecisse omnia aliqua bonitate predita, vnde vipera ipsa contra venenum suũ est medicina, & oleum scorpij contra morsum scorpionis. Et dominus noster dicebat nos debere esse prudentes sicut serpentes. At Cęsariensis Eusebius prępar: Euangel: lib. 8. ca.5. aliam annuit rationem, scilicet Deum voluisse in vniuerso proficuum, et nociuum, vt sciremus apud Deum esse misericordiam, & iustitiam punitiuam. Vide etiam D. Io: Chrisosto. homil. 34. in Mattheum tom. 2.

Tertio. Quæritur. An serpentes vere possint incantari, & ligari ne ledãt.

Respondet affirmatiue D. Augustinus de Genesi ad litteram lib. 11. ca. 18. dicendo integros populos esse repertos, quos serpentes fugiunt, & si sunt Ophiogenes, Psylli, ac Marsi. Hoc autem attribuit Augustinus Diabolico arti. Plinius lib. 8. cap. 25. teterrimo eorum odori, quem sustinere nõ possunt serpentes. Nam, & fugiunt ab odore cornuum ceruorum, igni crematorũ. Et ab odore rutę adustę, & vmbra frascini, & lapide Gangite. Sed & legimus apud Leontium p.3. in Numidia, in monte Ziz serpentes in domos intrare, de eorum mensis cibum capere, prout apud nos faciunt Catti, & Canes, neminique nocere. Et Balthassar Diaz Iesuita ex Malucca anno 1556. scribit in insula Molucco esse serpẽtes tam ingentes, vt capram, & suem deglutiant, homini vero sunt mites, & innoxij. Itaque aduersa qualitate pelluntur serpentes.

Sed & incãtationibus virtute Diaboli, (hoc enim non est opus supranaturale) sed non licet nobis vti his incantationibus, sed tantum in nomine Dei omnipotentis eis pręcipere imperatiue, in virtute illius, qui dixit. Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes, & scorpiones, & super omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit Lucę 10. (vt in multis fide plenis innotuit,) ne vobis, vel alteri lædant. Nam postponẽdo Deum, & aliud adiutorium pẽtendo, Deo iniuriam facimus, & implicite virtutem Demonis superiorem facimus.

Quarto. Quæritur, quæ sint proprietates serpentum.

Respondetur summarie ex dictis aliorum. Aspis dicitur prudens, quia ne audiat voces incantantium vnam autem cauda claudit, & aliam supra terram ponit. Dixit Albertus lib. 25 animal esse gratum homini, nisi offendatur, odit lucem, & habet oculos acutos veluti Aquila.

Basiliscus omnia quæ inspicit, inficit, claram lucem sustinere non potest. Si quis illi occurrat cum speculo magno ante seipsum, dum in speculo suam

suam figuram videt, moritur. Habet caput diademate, & corona ornatum. *H*erbas extinguit, arbores necat, terram polluit, & exurit, auras corrumpit, media corporis parte serpit, alia media excelsus manet. Fuso sibilo alios serpētes terret, sed vincitur à mustellis. Vide Solinum lib. *6*. cap. *29*. Aelianum lib. 2. cap. 5.

Regulus easdem fere proprietates habet, quas tenet Basiliscus.

Est alius qui dicitur Amphisbona habens in extremis partibus corporis singula capita, & in cauda aliud. Solinus, & Plinius lib. 8. cap. 23. Non timet frigus, vt alij serpentes, sed in medio etiam hyeme è cauerna egreditur. Ista tamen duo capita negauit Albertus animal: lib. 25. in Amphisbena. Sed Diodorus Siculus hoc non putat inconueniēs, cum affirmet in insula *T*aprobana reperiri quodam genus serpentis, quadrangulari forma, cum quatuor capitibus, quatuor cęli angulos respicientibus. Sed hic serpens nō habet venenum, immo omnia diuisa, & diserta membra, eius sanguine consolidantur, etiam in homine. Si autem nos cogimur admittere duo capita in serpētibus animalibus imperfectis, non concedemus hoc in perfectis, qúia duo capita videntur duo corda expostulare, & duo corda duo subiecta, nisi recurramus ad monstra.

Quinto. *Q*uæritur. An dentur serpentes alati.

Respondetur affirmatiue cum Aristo. animal. lib. 1. cap. 5. de quibusdam serpentibus Aetiopiæ Et de alijs tradunt Strabo. lib. 15. & Ramusius in ratiocinatione de Iambeli nauigatione tom: 1. dicentes eos habere alas Vespertilionis, & volando dimittere lotium mortiferum. Et ita dicunt alij de quibusdam alijs serpentibus Aegipti. Nec tamen serpentes hos in specie auium ponemus, sed terrestrium animalium, stantium in cauernis terræ, vnde alas non habent per se ad volandum, sed per accidens, pro quanto contingit eis maiorem conuenientiam, & similitudinem habere cum auibus in alis, non tamen pennatis, vt sunt alæ auium. Vide Solinum cap. 34. D. August. de Genesi ad litteram lib. *3*. cap. *9*. Odoardum Barbozam apud Ramus: tom: 1. & Iouium hist: lib. 18. Et in his inuenies quanti sint serpentes alas habentes, & pedes diuersos, & linguas, ac caudas, &c.

Sexto. Quæritur, an reperiantur serpentes miræ magnitudinis, & multitudinis.

Respondetur quoque affirmatiue ex communi sententia, vnde eorum multitudo interfecta sæpe luuem ex fetore attulit, & quandoque in contrarios exercitus coadunantur, & se inuadunt. Et aliquando ab aliquibus auibus occiduntur, & comedun tur. De quibus poteris videre Strabonem lib. 2. Io: Diaconum lib. 1. cap. *36*. *S*egebertum anno Domini 1059. Et Plinium lib. 31: cap. 2. in quibus etiam leges magnitudinem quorundam serpentum 20 pedum, cubitorum *46*. *16*. 40. 200. pedum. Et Posidonius narrat se vidisse serpentem longum pedes 240, qui prope Damascum, hominem a quo sedentem deuorauit.

Inuenies etiam de Crocodilis tantam multitudinem, vt incolæ vrbibus fuerint pulsi, alioque migrare coacti fuerint apud Leonium par. 8. Et Aelianus scribit lib. 12. cap. 38. Crocodilos solo visu oua fouere, & fuisse repertos in magnitudine 40. cubitorum. Deuorat carnes hominum, & cū ad ossa deuenit lachrymas effundit, quorum vi defecto osse, medullam quoque depascitur. Vnguibus enim necat, dentibus conterit, lachrymis etiam ossa durissima dissi pat. Et tamen Solinus cap. 34. Aelianus, & Strabo, cum Plinio lib. 8. cap. 25. dicunt, quod à parua aue occiditur

tur hoc modo. Dum dormit Crocodilus carnibus satiatur, ore hiante Enchydrus auis os illius ingreditur, & vsque ad viscera decurrit, & penetrat, & his corrosis bestiam exanimat, & deinde erosa etiam aluo, securus egreditur. Tradunt Herodotus lib. 2. cap. 5. & Plinius lib. 8. cap. 25. Crocodillum 60 diebus sine cibo in latibulis quiescere, & viuere vsque ad annos 60. sed mirabilius est, quod de eo dicit Strabo lib. 17. c. 5. Tentirides Nili insulæ incolas, non aliter atque Equos Crocodilos domare, inequitare, mareque, et flumina transire illis insidentes. Vnde fugiunt si possunt hos homines.

Septimo. Quæritur. An venenum omnium serpētum sit eiusdem speciei.

Respondetur affirmatiue, quia habet eandem virtutem interfectiuā. Magna est tamen in venenis differentia, quia aliqua sunt potentissima, alia minus fortia. Alia calida, & alia frigida. Sed nos hanc non facimus nisi differentiam accidentalē, sicut in auibus habere diuersas, & diuersas alas, rostra, & pedes, & ita in animalibus quædam cornua, et quædā non, nisi quis dicat ista esse eiusdem speciei subalternæ, sed non specialissimæ.

QVÆSTIO LVIII.

Respondens multis dubijs de Quadrupedibus.

MVlta sunt, quæ traduntur de animalibus in particulari, quæ videri poterunt apud Arist. Albertum Magnum, & alios, ad nos enim hic nō pertinet nisi soluere quasdam generales quæstiones de animalibus.

Primo ergo quæritur, An ex animalibus possint deduci remedia, & præsidia contra mala, & coadiutatiua ad bona.

Respondetur affirmatiue. Et aliqui dicunt. Quod caput Viperę ad collum ligatum iuuat multūm patientibus morbum caducum, & vertiginem. Quod stercus Lupi exsiccatus, & in puluerem redactus, et ad pondus dramę sumptum in potum vini mali uatici, cum pipere, & sale efficacissimum est remedium contra cholicos dolores, ex Galeno. Ceterum fabulosum puto, quod qui habet apud se oculum Lupi non potest dormire, & quod si primum viderit hominē, demit ei vocem. Sicut quod obturando aures lana Ouis, ipsa vbique te sequitur, sicut nec quod canis cesset à latratu videndo illum qui secum portat caudam Donullæ.

Secundo: Quæritur, quæ dicantur de proprietatibus quorundam insigniorum animalium.

Respondetur quod de Leone dicitur, quod parcit humiliatis, etiam ipsum prius persequentibus, superbos vero deijcit, & occidit, memor est beneficiorum, & protegit suum benefactorem, illi si cognoscit, & ei inseruit. Si inuenit infantes nō deuorat, vt facit Lupus, sed eos custodit.

Canes quidam sunt feroces, & fortes, fideles, & comites dominorum suorum, pro quibus quandoque se morti exponunt. Custodiunt domos, & res dominorum suorum, & dum vbique latronem, & percussorem suum vident, contra eum latrant. Sunt dociles, & memores. In Hellesponto diuersæ sunt formæ, & in nouo orbe reperiūtur etiam quidam cum cornibus, et alij sine pilis.

Vulpis versuta est, quæ vt rapiat, et comedat Gallinas, et aues fingit se exanimem, sed cum propius accedunt, eas rapit. Vespas carpit, occidit, ac consumit, Herinaceis est inimica. Dum pulicibus vexatur, leuissimam stipulam ore tenet, et in aquam se mergit, tunc pulices ad stipulam currunt, et ipsa ea relicta exit libera ab aqua. Aegrota Lachryma Pini sanitatem recipit. Apud Tartaros sunt Vulpes nigræ.

Simia

Simia astuta est, & vafra, et aurigæ munus obijsse, habenasque rexisse, ac remisisse, flagellisq; equos percusisse scribit Ælianus Hist. animal. lib.5.ca.26. In Brasilia habent caudas, suntque solertiores nostris, & fortiores, & quædam erecto corpore incedunt, ad staturam hominis.

Vrsi nimia bili præcipites redduntur, & sæpe rabie afficiuntur. In aquilonari plaga reperiuntur Vrsi albi, ad magnitudinem pedum 15. ferocissimi. Industriam piscandi habent, docilitateque magna sunt præditi, ita vt deiniti modulatione tibiarũ, erectique corpore choreas ducunt, ab astantibus munuscula petunt, oblato vase, aut pileo, Vbi infirmatur, herba ab ipso cognita sanatur.

Tigres Hircanæ præcipuæ velocissimę sunt ad cursum, natant in aquis, etiã si viderint à nauigantibus captos esse suos catulos, & Scythæ Tigres duplo sunt maiores Leone.

Rhinoceros in summa nare cornu gerit, cuius mucro acutus existit, illudque saxis acuit, & limat, pugnaturus cum Elephante, quam sub aluo trãsfigit, pellis eius est tantæ firmitatis, vel ægre incubo penetrari queat. Sed Elephantus dentibus suis maximis, & fortissimis cutem Rhenocerotis, quantumlibet duram, validissimo ictu lacerat dentibusque dilaniat.

Elephantes autem videntur habere hominis ingenium, cognoscunt enim dominos, ac rectores suos, arandi, pugnandi, & vehendi artes perdiscunt, in terra, & aquis. Arist. tenet ipsos viuere annos 120. Innumera essent, quæ de animalibus, & auibus dici possent, quæ cum non videãtur nostro ꝓposito inseruire, missa facio.

QVÆSTIO LIX.

Multa scitu digna resoluentia de homine, & ingenio eius.

PRrimo: Scissitaturus de homine quæro. An legamus aliqua, quæ eius animæ immortalitatem denotent.

Respõdetur, quod sic. Nam S. Gregor. Dialog. lib.2.c.35. & lib.4. c.7. tradit D. Benedictum cum non longe esset à Capua, vidisse ascẽdere ad cęlum in globo igneo animam Germani eiusdem vrbis Episcopi: Et non procul à Nursia visa est anima Sancti Viri à corpore exire in figuram Columbæ, & ad cęlum ascendere. Et ita legimus de anima D. Benedicti, Dominici, &c.

Secundo: Quæritur, an in Islandia insula sit quidam mons Heola dictus, in quo videntur animæ purgandorum. Respondent Olaus lib. 2.ca. 3. & Surius sub anno Domini 1537. Affirmatiue. Sed & Plinius lib.7.ca. 2. in fine, dicit in Affricæ solitudinibus hominum species obuiam fiũt, momentoque euanescunt. Et Nicolaus de comitibus in principio dicit, in Arabia petrea spiritus forma quadam visibili obambulare. Et Marcus Polus lib.5. c.50. testatur in prouincia Campion passim spiritus audiri, illudereque turmatim viatoribus. Eosdem accidere in vrbe Lepr sub magni Cam ditione. Et Ioseph Iesuita ex nouo orbe scribit anno 1560. Corupita spiritus quosdam itinera facientes per syluas inuadere, percutere, & aliquando occidere. Et alios dictos Igniepiaca in aquis degere, & obuios occidere, Et quosdã alios circa littora maris discurrere, & quos inueniunt inuadere, & dum se hominibus vidẽdos ostendunt, ignem præseferrunt, qui huc, atque illuc excurrat.

Sed dicimus nos cũ D. Thoma p.p. q. 89. art.8. quod animæ regnãtium cũ Christo, nec purgandorum sine miraculo apparere posse, vt tamen factum est aliquando. Vnde tenendũ est tales spiritus, esse demones, & non animas hominum.

Tertio: Quæritur, An præter purgatorium commune dentur particulares in

in superficie terræ, vel eius cauernis montibus, turribus, palatijs, balneis, fluminibus, & similibus.

Respondetur affirmatiue cũ D. Greg. 4 Dialog. D. Thoma 4. d. 12. D. Bonauentura, & alijs. Et in confirmationem huius Nauclerus anno Domini 1123. narrat in pago Vormaciensi per aliquot noctes videbatur armata multitudo Equitum euntiũ, & redeuntium, colloquentium in aerem se reducentium &c. & in horam nonam ad montem quendam in quo venerant redibant. Adiurati per Deum omnipotentem dixerunt se purgari igne, & cruciari flammis, quamuis non viderentur, & quod poterant orationibus, & eleemosinis subleuari. Et Monopolita dec. 1. c. 4. q. 1. tradit de quodam Gulielmo Cornio Gallo mortuo qui octo dierum internallo flebili voce, anxia, & quærulosa in consueto suo iã cubiculo audiebatur. Adiuratus à Patribus mei ordinis, dixit se damnatum ad purgatoriũ communem per diem, & per noctem in illo cubiculo, propterea, quod in eo indigne se habuerit cũ matre, & petijt liberari sacrificijs ipsorum, & pijs aliorum preçibus, quod & factum est. Immo idem Monopolita se inter fuisse narrat.

Accidit enim quod dũ erat in visitatione Apuliæ in quadam arce Andrani oppidi audire strepitmũ agnum, & catenarum ingentium strepitum horribilem, confringi mira facilitate fores cubiculi, & fenestras aperiri, & tunc didicit ibi oberrare quandam animam, mille annis ibi torquẽdam. Sed innumera essent exempla adducenda ad hoc propositum. Vide D. Gregor. lib. 4. cap. 54. & alios multos de hoc proposito tractantes, & quantæ sint efficaciæ 30. Missæ pro defuncto aliquo à D. Gregorio approbatæ. Solum noto, quod illi qui dicuntur damnati ad particulare, vel commune purgatorium per tot annos, hoc intelligitur ex decreto diuino conditionali, scilicet, nisi subleuentur prius sacrificijs, orationibus, eleemosynis, & alijs pijs operibus fidelium permodum suffragij. Sed quis objiciet mihi Plinium lib. 7. similia narrasse de Ethnicis, qui non possunt nisi ad inferos esse damnati.

Respondetur quod numquam illi qui apparuerunt dixerunt se posse iuuari pijs operibus viuorum, vt dixerũt supradicti, vnde nostri sunt tenendi vt purgandi, & illi vt perpetuis cruciatibus inferni addicti. Sed & erant illusiones Demonum.

Quarto: Quæritur, quomodo anima Traiani ab inferorum pœnis æternis potuerit eximi à D. Gregorio, cũ in inferno nulla sit redẽptio. Quod enim D. Gregorius eam liberauerit, tradunt Io. Diaconus. S. Thomas 4. sentent. citatus etiam à Tabiena V. Traianus. Sed dicitur, quod D. Gregorius potuit lachrymis suis impetrare à Deo suspensionum sententiæ æternę Traiani, & illum à mortuis resuscitare, ipsumque baptizare, & diuino miraculo, iterum in locum suum obdormuisse. Cum enim de diuina potentia agimus, dicere debemus, Apud Deum non est impossibile omne verbum.

Quinto: Quæritur, An animæ defunctorum possint nobis apparere, vel in phantasia nostra aliquas imagines excitare, aut imprimere, quasi nobis sua desideria exponentes, an vero id fiat ministerio Angelorum. Respondetur cum D. August. lib. de cura pro mortuis habenda c. 11. & 16. Monopol. dec. 1. c. 8. q. 3. particula 3. Cassiod. Tripart. Hist. lib. 1. c. 10. Sozom. Hist. lib. 1. c. 11. & vitis SS. Patrum p. 2. c. 37. Greg. Turonẽsi in glor.. eccle. 55. c. 32. quod mortui possunt Dei dispensatione hominibus apparere per somnum, & vigiliam, eos alloqui, eis persuadere aliqua bona facienda, & similia. Lege

ge vitam Sancti Stanislaui, & videbis eum à mortuis reuocasse quendam qui ei vendiderat agrum, vt testaretur de agro vendito in iudicio, & vitam S. Nicolai de Tolentino in qua reperies animam cuiusdam pelegrini Auximani ei apparuisse, & illum rogasse, vt pro eo, ac multis alijs socijs faceret sacrum, vt liberarentur à pœnis purgatorijs. Credibile est etiam animas illas per sanctos Angelos admoneri de bonis factis à viuentibus, amicis, ac consanguineis, vt aliqualiter subleuentur.

Sexto: Sed quid dicendum venit de somnijs illorum, qui per somnum instruuntur de agendis ignotis, vt de Galeno testatur Monopolita dec. 1. c. 8. q. 3. quæsitione 2. Et D. Augustinus de quodam ab eo per somnum docto, de quodam puncto Rhetoricæ obscuro, dum hic esset in Affrica, & D. August. Mediolani.

Respondet D. Augustinus se nescire quomodo hoc fiat; quod intelligitur naturali ratione. Nā ex Theologia habemus Deum superna reuelatione posse similia facere, vel per se, vel per Angelos, vel per Demones, vel per influxum corporum cœlestium, imprimentium in phantasiā talem speciem, vel alio modo. Mirabilia enim, & ego in hac parte expertus sum in me ipso, & per somnium didici, quæ in vigilia multocies ignoraui.

Septimo: Quæritur, An dentur pigmei, non altiores cubito, qui insidentes Arietum, Caprarumque dorsis, armati sagittis, veris tempore vniuerso agmine ad mare descendant, & oua, pullosque Gruum perimant.

Hoc affirmant D. Augustinus de Ciuitate Dei lib. 16. c. 8. Arist. animal. Hist. lib. 8. c. 12. Mela lib. 3. c. 4. Plinius lib. 4. c. 11. lib. 6. c. 19. & 30. & lib. 1. c. 2. Et Antonius Pigaffetta, & alij multi Scriptores noui orbis. Censentur autem viuere anima intellectiua, & vigere intellectu.

Sed nisi tot auctorum mihi obstaret sententia, hoc fabulosum dicerem, quoniam nullus ex illis partibus ad nos venit, nec aliquis ad eis concionandum viam veritatis ad eos missus est, nec certa pars orbis, eis est assignata. Non negamus tamen in aliquibus partibus orbis esse homines paruæ staturæ, cum tales videamus, quos nanos dicimus.

Octauo: Quæritur, An vere reperti sint Gigantes vastæ staturæ.

Respondetur hoc vt indubium esse tenendum, cum hoc perspicue, ex sacris litteris teneamus, ex Genesi. Numer. libris Regum &c. Et quamuis Solinus neget Gigantes extra mensuram 7. pedum, qualis staturæ fuit Hercules, tamen Roma vidit Gigātes sub Augusto, & Claudio, 9. pedum. Et quamuis Strabo irrideat Gabinium Romanum Historicum, qui de visu proprio testatur se vidisse ossa Antei gigātis in Mauritania longa 60. cubitos, nō tamen irridendus erat, quia pro se habuit testimoniū Sertorij ciuis Romani, & Plutarchus id affirmat, Sertorioque consentit, vt Fulgosus habet lib. 1. ca. 6. Vide de magnitudine diuersorum corporum Isid. Ethymo. lib. 11. ca. 3. & lib. de natura rerum admirand. Vinc. Hist. nat. lib. 31. c. 125. Plinium lib. 7. c. 16. & c. 2. & lib. 6. c. 30. &c.

Nono: Quæritur, An vera sint de incubis, & sicubis quæ dicuntur. Vt quod Demones fiant viris sicubi, & mulieribus incubi, & quod concipiant, coeant, & gignant, vere, & realiter. Respondet D. Augustinus de Ciuitate Dei lib. 15. c. 23. D. Thom. 2. d. 8. & p. p. q. 53. Franciscus Picus lib. 3. de Strigimagis, Siluestr: de strigim. lib. 2. c. 3. puncto 2. Sixtus Senensis Biblior. sācta lib. 5. annot. 75. & alij, quod vere, & realiter, quidam demones fiunt mulieribus concubitores, & alii viris mulieres, & re vera ex hoc semine impregnati mulieres, & parere veros, & reales ho-

mines, & potuisse gignere gigantes, & alios feros viros, expectando configurationem syderum, ad hoc facientium. Conueniunt tamen omnes, quod Dæmones non generant, nec coeunt proprio semine, vel membro, sed semine accepto ab homine, vel per somnium, vel per vigiliam, & eo seruato per fomenta ne euaporet, vtendo membro virili ac corpore assumpto, ex aere, & quodam terrestri formato, in quo corpore solet etiam Angelus apparere. Et ita multę Lamiæ fuerunt igni damnatę propter concubitum cum Dæmonijs in Germania, vt licet videre in lib. cuius titulus est, Malleus maleficarum.

Decimo quæritur. An reperiantur homines diuersæ figuræ membrorum, à nostris.

Respondet Mela lib. 1. cap. 4. quod sic, & quod Blemij sunt absque capite, & vultum, & alias partes faciei esse illis in pectore, & idem confirmat Plinius lib. 5. cap. 8. & lib. 7. cap. 2. Et Solinus capite 53. dicit alios esse, qui ceruicibus carent, et in humeris habent oculos. Et D. Augustinus ad patres in heremo serm. 37. testatur se vidisse, in Æthiopia ad quam iuerat ad prędicandum illis gentibus sanctum Dei Euangelium quosdam viros, ac mulieres, capita non habentes, sed oculos grossos in pectore, cetera membra nobis æqualia.

Et hoc possibile est, quia si mulier habet testes intra, (vt aliqui dicunt, & viri extra, possunt & aliqui ex diuerso climate, & diuersa dispositione quantitatis, caput habere in pectore, & ibi intellectum, & sẽsus, distinctis locis à corde. Nec isti in illa regione possunt dici mõstra, quia non de raro fiunt, & habent causas determinatas sub tali aspectu syderum, & dispositione causarum, ad generationem concurrentium.

Monstra autem apud nos sunt habere duo pectora, & duo capita cum diuisione horum ab vmbelico sursum, vt natus est puer talis ĩ castello Emaus Iudeę, qui dum vno capite ederet, loqueretur, dormiret, &c. altero non edebat, nec dormiebat, nec os aperiebat, & vixit fere duobus annis apud Vinc. hist. nat. spec. lib. 31. cap. 118. Et de altero simili scripsit S. Aug. lib. 16. de ciuitate Dei, cap. 8. Et alio bimembre non tantum capite, sed reliquis omnib. partibus corporis, coherens solum lateribus. Zonoras. Et aliud est mõstrũ natũ quadrupede, quadrimanum, oculis quatuor, auribus totidem, natura virili duplex. Orosius hist. lib. 5. cap. 6. Vide de alijs multis monstris Amian. Marcellum lib. 19. & nostra cõment. & quæst. in 2. Phy: Arist.

Sed vndecimo, quæritur. An homines in omnibus alijs partibus, vel quibusdam habentes caput belluinum possint dici homines, an vero dicendi sint bestiæ. Nam esse compertos homines equino capite testatur Arrianus apud Ramus: tom. 1. Et capite Elephantino. Liuius dec. 3. lib. 7. Et Canino. Solinus c. 52. & 53. Et Marcus Polus lib. 3. c. 18. Et parte anteriori homo, posteriori canis Vincen. hist. lib. 26. cap. 46.

Huic difficultati respondet S. August. lib. 16. de ciuit. Dei, cap. 8. his verbis. Quisquis nascitur vspiam homo, id est animal rationale, mortale, quamlibet insuetam nostris sensibus gerat corporis formam, seu colorẽ, seu motum, siue sonum, siue quamlibet vim, qualibet parte, qualibet qualitate naturæ, ex illo protoplasto vno originem ducere nullus fideliũ dubitauerit. Ego autem in hac parte inspicerem primo, an nati sint ex muliere, & viro, nam si ex coitu hominum nati sunt, homines sunt, & baptizari possunt, quia cõcludunt Philosophi ab homine esse hominẽ, et à Leone, Leonem, & sic de alijs. Et certũ est accidẽtia, quantitatem, & figuram non variare substantiam. Si autem

tem geniti sint ex bestijs, bestias illos tenere, et baptismo incapaces. Quod autem ex coitu cum bestijs possit gigni bestia habemus pro teste Aelianum hist:animal.lib.6 cap.41. referentem, Hircum occidisse ob riualitatem in vrbe Sisari adolescentē pastorem, quod capram adamaret, & ei coiret, & ex ea habuit Siluanum humana facie, sed caprinis crurib. Et Plinium lib.7.c.2. dicentem, homines feris coire, atque monstra gignere. Et Petrum Damianum Archiepiscopum Rauenatem, & Cardinalem lib. de miraculis, quamuis eius casus sit aliqualiter differēs. Et Raphaelem Volaterranum testantem se vidisse diploma Alexādri VI. dispensantis supra bestialitate cuiusdam mulieris, quæ canem secum ad misit, & ex eo caninam progeniem edidit, sic dicit lib. 24. tit. de Vrsicca. Et ita legimus apud alios historicos, quasdam mulieres peperisse Vrsos, Equos, et Leones. Nā quamuis mulier concurrat passiue ad generationem, & ita etiam fœmina bestia, tamen ipsa subministrat materiam, & alit fœtum, vnde sicut producit fœminas humanas, potest etiam producere bestias masculos, & fœminas.

Secundo etiam considerarem multum caput, & super eo iudicarem habita ratione ad alias partes. Cęterū Monoculos ratione capitis, ac alios in alijs mēbris monstruosos, sed discurrētes, pro veris hominibus tenerem.

At duodecimo vlterius quæritur, quid dicendum sit de his, qui nascuntur muti, vbique idiomate, commercio, lege, aut ciuilitate, de quibus tradidit Petrus Martir in *Hispaniola* occidentali insula.

Dicendum venit, quod si instrui possunt de fide, possunt & baptizari, sicut baptizātur apud nos muti, & surdi, si autem deprehendantur omnino cognitionis Dei, & Diuinorum Sacramentorum incapaces, sunt vt bestiæ reputandi. *T*ales etiam cēseo Satiros, cū nihil hominis præseferāt nisi figuram. Vt testantur Solinus cap.26.& 33. Plinius lib.5.ca.8. lib. 7.cap.2. Et Aelianus lib.16. de eis sic dicit. Ad Indiæ montes Coruda locus est opacacissimus, vbi bestiæ Satyrorum formam, toto corpore hirsutæ, Equi caudam habent, & à summis montium saxa deuoluunt venatoribus.

De Antropofagis vero, et his qui in septentrionali plaga nudi incedunt, vbique locorum, mulieribus commiscentur, nihil adorant, & homines extraneos, immo etiam, & seipsos aliquando deuorant, aliud censeo scilicet esse homines veros natura, sed bestiales moribus, & ideo posse instrui, & baptizari. Androginos vero sine dubio dico homines, sed potius monstruosos, quam veros, propriosque.

*T*ertiodecimo, autem transeundo ad mulieres quæro, an ex muliere successu tēporis possit vir fieri, & ecōtra.

Plinius lib.7.cap.4. id affirmat de quadam muliere nomine Atescuca, quæ in masculum euasit, & vxorem duxit. Et testatur se vidisse Smyrnę puerum è puella immutatum. Et in Affrica L. Cossicium ciuem Irisditanum, ipso nuptiarum die è puellam marem conuersum. Cui rei subscribit Aul:Gell:lib.9.ca.4.& Perottus, Fulgosus, & Eborensis, & D. Augu. de ciuitate Dei lib.3.cap.31. asserendo id etiam accidisse in gallinis. Et Vollateranus testatur quandā puellam cum ad nuptias iret, in virum euasit, & ideo obtinuisse declarationem ab Alexandro VI. vt matrimonium nullum esset. Et Fulgosus idē tradit accidisse duab. filijs, Ludouici Guarnæ Salernitani, Franciscę, & Carolæ, quæ facti sunt mares.

Dicendum est autem huic difficultati, quod illi, qui ex mulieribus facti sūt masculi, vere ab ortu masculi fuerūt, sed ex imbecillitate naturæ sexum extra non prodiderunt, natura autē

successu temporis magis roborata sexum virilem extra misit. Vnde nõ legimus ex viro factam esse mulierem. Et huic meę sententiæ adstipulatur. Albertus Magnus de animalibus lib. 18. tract. 2. cap. 3. vbi narrat suis temporibus apparentibus ab intra in quadam puella genitalibus, ex cisa membrana, in ea apparuerunt virilia. Si autem vulua non clauditur, pro Androgino erit habẽdus, et ex sexu in quo prçualuerit iudicandus vir, vel fęmina.

Quartodecimo, est ne vera illa narratio quod fuerit quidam Pontifex sũmus, qui erat fęmina, & impregnatus à cubiculario quodã suo, crepuit. Dicebatur Ioannes octauus.

Respondeo istam esse lenitatem Hereticorum, à Platina dubio stilo conscriptam, sine aliquo fundamento. Commentitium enim hoc fuisse deprehẽditur. Primo quia Deus si non deficit in necessarijs corpori, nec etiã deficit in necessarijs animæ. Mirum autem esset, quod voluisset permittere responsam suam sine vero sponso. Mulier etenim est incapax ordinis actiue, & passiue.

Secundo. Quia Anastasius Bibliothecarius vixit illis diebus, & nullam mentionem fecit de hac fęmina, cũ tamen egerit de vitis pontificum, & ita Ademerius. Aunonius, Regino, Contractus, Libertus, Otho, Chonradus omnes diligentissimi scriptores vitę Pontificum, illorũ temporũ.

Tertio. Quia narratio Platinæ continet apertissima mendacia. Dicit.n. Primo illam fuisse origine Anglam, in Magũtia vrbe Angliæ natam. Et quis ignorat Maguntiam non Angliæ, sed Germaniæ esse vrbem? Secundo quod studuit Athenis, & legit Romæ, & iam Athenæ erant destructæ. Tertio, quod erat senio confecta, & quod peperit, quod senectuti non correspondet. Quarto, quod regnauit biennio inter Leonem IV. et Benedictum III. & tamen constat ex historicis à Leone IIII. non vacasse sedem nisi dies 15. nam in 15. die electus est Benedictus. Causa autem mendacij potuit esse, quod Benedictus III. fuit pijssimus, ita vt irrumperet de facili in lachrymas ex quacunque visa, vel audita miseria, ita vt vulgus illum diceret fęminam, exploratu, & non virum. Segebertus etiam dicit eo tempore apud Magũtiam fuisse quandam mulierem, quę Papissa nuncupabatur, quandoque prędicabat, & ei plurimi clerici adherebãt, vnde potuit fama nominis volare, quod mulier esset Papissa. Alij dicunt potuisse hanc fabulam habuisse ortũ, à Benedicto XII. qui cum vi, & potentia Alberici patris sui ad Pontificatum peruenisset, non aliter quam prius impuram, ac impudicam vitã amplexus est, adeo vt mulierem apertissime in lecto, & in mensa pro concubina haberet, vnde, qui aliquam gratiã obtinere voluisset, media concubina donarijs seducta illam habebat; vnde vox erat, quod Ioanna erat Papa, (forsitan illa pellix sic vocabatur.) It..n. Deus permittebat in probationẽ bonorũ malum regnare. Alij dicunt, cum Luitprando Ticinensi illorum temporũ scriptore, quod Theodora Socrus Alberti. Ethruriæ Principis, cuius nutu Rauenna, Bononia, & Roma regebantur. Io: 13. ad omnes dignitates promouendum curauit. Cũ igitur totus hic Pontifex à Theodora penderet, in vulgus irrepsit fabula Theodoram imperiosam virum esse, & Io: 13 quia erat mitis fęmina. Vnde error potuit esse in numero Pontificum, vt pro 13. sit positus 8.

Quintodecimo quæritur. An mulier possit plures natos eodem partu parere.

Respondetur affirmatiue. Nam Solinus cap. 2. tradit Faustam quandam quatuor geminos, mares duos, fęminas todẽ vno partu genuisse. Et Aulus Gellius idem dicit multocies acci-

accidisse in Græcia, & Aegipto, usq; ad septenos filios. Et Arist. hist. lib. 7. ca. 4. dicit quandam mulierem 20. edidisse fętus. Et Auicenna (vt notat qui scholia ad Tertullianum conscripsit) lib. de anima ca. 2. ait, mulierem fecisse abortum 22. fętuum. Et aliam 70, vt recolit Albert. Magnus animal: li. 9. tract. 1. c. 5. Et Andreas Eborensis tale factum his verbis refert. Margarita Hollandiæ Comes, qua parte Rhenus Oceanum illabitur 364. filios viuos, ita vt baptismi characterem acciperent, vno partu edidit anno 1276. ætatis suæ anno 40. die parasceues hora nona ante meridiem, sed & mater, & filij omnes simul eo die obierunt.

Sextodecimo. An verum sit Mandrorũ mulieres parere in anno octauo.

Respondetur id affirmare Solinum c. 53. & Plin. lib. 7. cap. 2.

Decimoseptimo. Quæritur, an vna mulier duobus fętibus possit impregnari à duobus viris.

Respondet Arist. hist. animal. lib. 7. ca. 4. adulteram quandam geminos peperisse, alterum marito, alterũ adultero persimilem, idq; accidisse Proconosiæ ancillę. Sed in hoc potuit imaginatio vni dare imaginem, non coeuntis secum, sicut diximus in 2. parte imaginationem multũ facere ad formationem fętus, in similitudine imaginati tunc.

Decimooctauo. Quæritur. An possint haberi signa ad dignoscendum, an mulier sit grauida masculi, vel fęminæ.

Respondent experti affirmatiue, & dicunt. Primum signum esse, si mulier à partu impregnatur in primis octo diebus erit masculus. Secundũ, si sentit motum fętus in 40, vel 46. die erit masculus, fęmina enim non sentitur nisi in 90. die. Tertium si mutat multum colorem in deterius erit fęmina, si non, masculus. Quartum, si lac quod oriri incipit in mamis est spissum, & viscosum erit masculus. Si aqueum fęmina. Quintum, si corpus prægnantis est rotundum in ventre, plenum, durum, & boni coloris erit masculus, at si venter erit longus, & lassus fęmina.

Sextum est, si mulier ex improuiso vocata surgit in latus dexterum est masculus, & si sentit magis illud latus percutere, si vero surgit in sinistrũ, & in ipsam magis patitur erit fęmina. Quando fętus est maturus mulier ipsum parturiendo non admodum patitur, sicut facit quando adhuc est acerbus. Periculum etiam facit paritura, si fętus non exeat cum capite primum, sed vel cum manibus, vel cum pedibus, vt fecit Nero, vel in latus, vt fecit Faustina vxor Marci Aurelij Imperat.

Decimooctauo quæritur. An naturæ possit feri auxiliũ, vt masculũ pariat.

Respondent affirmatiue, vnde secundum Democritum folia Mercorellę masculi post menstruum à muliere ebibitæ tritæ faciunt ad sexum virilem. Obseruatum est etiam, quod habentes solum testiculum dexterum generãt masculum, & habentes solum sinistrum fęminas. Plinius dicit lumbos Leporis sumptos in cibũ facere ad masculum. Et ita, si mulier in coitum declinat ad dexteram partem, & ita potens imaginatio, & desiderium masculi in congressu.

Decimonono. Quæritur an sint aliqua adnotanda à mulieribus grauidis, ne aborum faciãt, cum periculo proprio, & fętus morientis sine baptismo.

Respondent affirmatiue. Vt quod non ascendat schalas altas, & inflexas, quod non saltet, nec choreas ducat, nec stricte se cingat, nec superflue comedat, vel bibat; lac à lactente subducant. Abstinendum est loqui cum his de illis rebus qui haberi nõ possunt, vt eas appetendo, & non habendo abortiant. Melancholiam fugiant, luctum, planctum, labores, & onera.

Vige-

Vigesimo sunt ne & memorialia pro nutricibus, vt sano lacte puerum nutriant?

Respondetur, quod sic, & dicunt nullo salubriori lacte posse infantem nutriri, quam lacte matris, à qua nutritus est in vtero. At si necessitas sumēdi nutricem compellat, animaduertendum erit, ne sit ante 40. saltē diem fęta, nec post 18. menses, quia lac ante 40. diem venenosum est, nisi sit matris, & post 18. menses est extenuatū. Non bibant nutrices vinū saltem generosum, nec edant cibos calidæ naturæ, sed dulces, leues, & suaues. Sint morigeratæ, & caueant à melancholia, ira, & furore, quia cum lacte ista effundent in lactente.

Vigesimoprimo quæritur, an dentur remedia naturalia pro maleficiatis, & fatuatis.

Respondent ita, vnde si non potest coire cum vxore, vngat totum corpus cum felle Corui, & Oleo Gelsamino. Semper habeat radicem Brioniæ siccam. Ceterum quod Appolonius Thianeus dixit de stercore mulieris &c. fabulosum puto, & tacendum. Quod vero auis Pici comesta elixa, vel assata liberet à facturis potest esse naturale.

Vigesimosecundo: Quæritur, An dentur remedia contra multa mala mulierum.

Respondent ita. Et pro ea, quæ nō pōt parere dicunt mirabiliter iuuare pelles serpis supra carnem, & bibere cū lacte mulieris medietatem scrupuli sauinæ pulueris, & Boracis minoris. Vel Zapherani, & illico pariet. Sed ista non sunt sumenda nisi instante partu, quia aliter faceret abortum. Item oua mixta cum oleo rosato, posita supra vbera dolentia, tollunt ab eis inflammationes, et alleuiant dolorem. Item lac coagulatum dissoluit formentatio fogliorum Ebolis, Et pars telæ lotæ in succo mentæ posita supra vbera lac desiccat. Et ebullitio Raphani cum furfure in vino, collata per sedacium, & ebibita coagmentat in abundantia lac. Cimices odoratæ tollunt suffocationem matricis, & ventositati eius multum proficit. Radix Geranij sumpta in vino albo. Et suffumigatio facta ex ramis Bussi matricem ad locum suū reducit. Prouocant menstrua decocta pulegij, & Valerianæ in Brodio ciceris rubei, & radix percedanij, & nux Cipressi, æquis portionibus sumpta in vino. Stipant, & reprimunt ipsa. Sed & lini fila in lixiuio decocta & ab eo decolata, adhuc fumantia mirabiliter prouocant menstrua, si mulier demissis pannis supra fumū ipsorum se ponat, accipiendo odorem, & fumum illorum. Sed quæso omittamus ista, ne nimis dicamus.

Vigesimotertio: Quæritur altius, quænam mirabilia legantur de hominibus, & mulieribus.

Respondetur ex dictis diuersorū, quos videre poteris apud Maiolum Colloquio. 4. Puerum esse natum cum duobus cornibus in Rascat, cuius ploratus 14. diebus ante auditus, quā nasceretur. Forsitan trahente terrestritatem cornu ex vtero, vel semine. Multi nati sunt cum dentibus, ex superabūdantia materię. Iulius Viator eques Romanus numquam bibit, ex humiditate connaturali trahēdo humidum necessarium à cibo. Zoroastes in ortu risit, ex vehementi motu, vt credo splenis, vel influxu cęlesti, fuit enim magnus magus. Aliqui numquam riserunt, vt de Domino nostro, ac multis Sanctis viris, quoniam risus leuitatē mentis ostendit. Multi ex risu mortui sunt, quia risus multū dissoluit vires, & potest cor occupare. In India sunt quidam Pandori dicti qui iuuentute sunt cani, & i senectute nigri capillis, quod esse debet ex phlegmate abundante in eis in iuuentute, & siccitate terrestri superueniente in senectute. Vel erit, quia phlegma iuuentutis transit in sanguinem nigrum, & terrestrem

ſtrem conuenientem ſenectuti eorum.

Item in Salamina Euthimenæ cuiuſdam filius in tria cubita triēnio adoleuit. Ob magnam caloris tunc vigentis,cum humidi affluentia. Fuit enim conatus tunc, vnde deinde factuseſt hebes,in motu tardus,et poſt modicum tempus contractione mēbrorum abſumptus eſt. Et idem conatus naturæ dat fęminis quibuſdā apud Nilum, vt in anno quinto pariant, nam in octauo ſenectute moriuntur. Itē magna abundantia caloris, & virtutis matricis potuit facere, vt quædam puella in nono anno in Germania infantile corpus ref ferret, vt dicit Albertus, & altera apud Moſellā in nono pareret,apud Genebrardum. Et ita ex virtute forti potuit quidam in anno decimo impregnare nutricem apud D. Hieronymum.

Nec mirum iudico quod Taprobanæ gentes viuant ad annos 150. ſpeciali dono Dei, & ex temperię complexionis,& aeris. Quod & dicimus de gigantibus Cyrnijs, & de Dauid Epiſcopo Scoto, qui vitam ſeruauit vſque ad annos 170. apud Olaum, ſed de hoc ſupradiximus. Ex eadem fortitudine complexionis, & caloris potuit eſſe quod aliquis piram marmoream trium pedum ambitu, & vnius craſſitie in altum ſępius iecerit,& manibus exceperit, & quod Radamas Mantuanus ex nobiliſſima proſapia Gongazorum manibus ferrū,quod pedibus Equorū adhibetur contorqueret, funem quātum ſit hominis brachiū craſsā frangeret et Equos duos vni inſidēdo, & alterū fune ducendo, vtrūq;in impetu curſus certa conſtituta linea ſiſtire vi cogeret. Et quod Fuſius Saluius duo centenaria pondera pedibus, totidē manibus,& ducētenaria duo humeris cōtra Schalas ferret. Et quod Milo Crotionates ictu nudæ manus tā tum occideret,& ramos ingentes ab arboribus detraheret.

Et ita Dauid puer Leonem, & Vrſum curſu ante vertebat, ſuffocabatque, & Trogloditæ equis traduntur velociores. Et noſter Bergomos Bartholomeus Coleo exercitus Veneti ductor,& alij plures.

Vigeſimoquarto, pro complimento huius partis quæritur,quæ nam ſint hominis attributa,elogia, & encomia.

Reſpōdetur,quod innumera fere, pręcipua iſta ſunt. Homo eſt animal dei formæ, gratiæ, & gloriæ capax, & diuinæ naturæ per vnionem hypoſtaticam verbi particeps, natura manſuetū,ſcientiarum omnium ſuſceptiuum, diuinam proferrens ſimilitudinem in potentia cognoſcendi, & in potētia diligēdi,Homo eſt paruus mūdus,mixtum,& vniuerſum. Habet enim eſſe cū lapidibus, viuere cum plantis,ſentire cum animalibus,intelligere cum angelis. Eſt miraculum naturæ, & decor omnium mixtorum.

Quomodo autem hic homo poſſit diu ſeruari,& vſque ad ſenium ſanus,lætus, & alacris cuſtodiri, dicemus in ſequenti libro, qui eſt de vniuerſo mixto.

Laus Deo, Dei paræ, āc ſanctis omnibus. Venetijs de Anno 1618. in Conuentu S. Dominici.

Finis Vniuerſi Elmentaris.

DISPVTATIONES DE VNIVERSO PARVO MIXTO HOMINE.

VSQVE IN SENIVM CONSERVANDO.

Ventilantes, & concludentes causas longitudinis, & breuitatis vitæ; Temperamenta eiusdemq;. Cognoscenda per signa, rationes naturales, & Physiognomiam, quoad totum, & singulas partes.

Definientes insuper.

Quomodo possit homo diù viuere, & mortem in secundis causis retardare. Per Cibum, Potum, Somnum, Vigiliam, Exercitationem, Ocium, Venerem, Balneum, Euacuationes, fugiendoque animi passiones, & excedentes Elementorum qualitates.

Opus.

F. MICHAELIS ZANARDI BERGOMENSIS EX VRGNANO,
Sacræ Theologiæ Lectoris, Sacri Ord: Præd:

SVPERIORVM PERMISSV.



VENETIIS, Apud Ambrosium Dei. M. D. C. XIX.

Ad Signum Sancti Marci.

D. O. M.

ILLVSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO

SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ,

Orbisq; Cardinali amplissimo. D.D. BENEDICTO IVSTINIANO, inprimis domino suo Collendissimo.

F. MICHAEL ZANARDVS SACRÆ THEOLOGIÆ Lector, Sacri Ordinis Prad: S. P. D.



IAM per Commentaria, & Quæstiones Arist. Logicam, Physicam, Animam, & Metaphysicam per extensum, Libros de Cælo, & Mundo, de generatione, & corruptione, de Metheorologicis impressionibus, de Physiognom. De admirandis naturæ. De lapidibus, plantis, & animalibus summarie, item & parua naturalia collustraueram, & iam Orbi, & luci exposueram, quando cogitare cepi me nihil ferè fecisse, nisi etiam de ratione conseruandæ diu vitæ hominis (propter quem facta sunt omnia, & sub eius pedibus subiecta) agerem, breuemque, sed multis bonis prægnantem tractatum ederem, quo tamquam certa regula posset valetudo conseruari, temperamentum corporis tueri, & virtus omnium sensuum, potentiarumque vsque in senium, à debilitantibus corrumpentibusque defendi. Rem breui tempore fæliciter perfeci, & sub hoc titulo impressioni in commune præsidium tradidi. Disputationes de Vniuerso paruo, mixto, homine, vsque in senium conseruando. Tunc autem tu Cardin. honoribus amplissime, virtutibus sapientissime, regulis gubernandi recte prudentissime, Familia nobilissimeue animum meum ad te tamquam ad singularem patronum traxisti, vt sicut me totum tibi dicaui, ita omnia mea sub tua tutissima protectione collocare decreui. Me enim ad id allexit, ac impulit personæ dignitas, ac amplitudo, in tot arduis, strenuisque negotijs, legationibus, ac officijs fama celebris, laudibus, titulis, ac memorijs perpetuis singularis. Accessit perpetua in te obseruantia Reuerendiss. P. Mag. Fr. Desiderij Scagliæ, in Vrbe Sanctissimæ Inquisitionis Generalis Commissarij, mihi Religione frater, beneficijs, ac fauoribus pater. Debitum affluit. Nam te annuente Illuustriss. Abbas, ac Apostolicæ Cameræ clericus Cornelius, D. D. Federicus litteras commendatitias Illustriss. D. D. Ioanni Cornelio patri suo, Sancti Marci Procura-

curatori, studij Patauini Reformatori, ac Patriæ Patri, in personæ meæ fauorem, & ornamentum transmisit. Eodemque tuo fauore Illustris. ac Reuerendissimus D. D. Franciscus Iustinianus Taruisij Episcopus vigilantissimus, ac animarum sibi in Christo creditarum Zelantissimus Pastor, me inter primos suos Concionatores posuit. Non me transit quanta sint beneficia in Religionem meam à te collata, quanta in eam signa beneuolentiæ, ac protectionis ostenderis, quod si eius filius fuisses, parum ampliora præstare potuisses.

In gratitudinis ergo, & seruitutis meæ argumentum, Illustrissimæ, ac Reuerendissimæ Dominationi tuæ (Card. amplifs.) hunc meum libellum, meorum laborum, & vigiliarum in Philosophia finem transmitto, ac sub firmissima tua protectione constituo. Altitudini ergo tuæ mea humilia appendo, luci tui splendoris mea obscura obijcio, infirmaq; mea fortitudini tuæ protectionis committo.

Certe enim, & si munusculum exiguum sit hoc meum, humile, obscurum, & infirmum, tamen scias illud à magno animo proficisci, qui maiora donaret, si maiora haberet.

Neque parum erit in eo contenta seruare, & ita in bonam senectutem vitam ducere in publicum beneficium, & ornamentum. Nullum enim laborem salubriorem iudicaui, quam vitam tanti Mecenatis, & Heroici viri quibusdam regulis præsidiari, ne sub pondere tot grauissimorum negotiorum in commune damnum caderet. Zelus ergo tuæ incolumitatis, ac diuturnitatis me ab ordinarijs studijs deflexit, & vtinam non in cassum. Faueat dator vitæ, ac conseruator eiusdem his meis votis, & ita me exaudiat, sicut supplicem pro tua salute, & fælicitate vtraque, me semper habebit.

Dat: Venetijs ex Conuentu S. Dominici die 10. Iulij 1619.

LICENTIA REVERENDI P. MAGISTRI GENERALIS TOTIVS Ordinis Prædicatorum,

Habes in initio aliarum partium Philosophiæ.

ATTESTATIONES.

Opus cuius titulus est. Disputationes de triplici vniuerso R. P. F. Michalis Zanardi Sacr. Theolog. Lectoris Ordin. Præd. Ego Frater Io. Petrus Astorius Sacr. Theol. Magister eiusdem Ordin. diligenter examinaui, & maturo iudicio, magnoque labore concinnatum hoc opus deprahendi, nihilque sanæ fidei, aut moribus salutaribus aduersum continere inueni, sed varia, ardua, & difficilia mira claritate, & breuitate explicare cognoui, nec non scitu digna in apertum prodere in studiosorum vtilitatem, ac iocunditatem reperi, qua propter impressione dignum, ac ab omnibus studiosis legendum & amplexandum iure merito censui.

Dat. Venetijs Die 4. Iulij 1619.

Frater Ioannes Petrus Astorius S. Theol. Magister, qui supra.

Nos F. Raimundus Zanellus. S. T. Lector, ac Conuentus. S. Dominici Venetiarum Prior, vidimus disputationes de triplici vniuerso. R. P. F. Michaelis Zanardi. S. T. Lectoris moralis in supradicto nostro Conuentu, nihilq; in eis fidei, vel bonis moribus dissonum reperimus, & ideo eas approbamus, & pro quanto in nobis est facultatem eas imprimendi facimus.

F. Raymundus. qui supra, manu propria.

Attestationibus suprascriptis hærens, idem Opus Typis concessit: Fr. Ioannes Dominicus Vignutius, Ordinis Prædicatorum, Sacr. Theolog. Doctor, & Generalis Inquisitor &c.

INDEX QVÆSTIONVM VNIVERSI MIXTI.



IN-

INDEX ALIQVARVM RERVM NOTABILIVM VNIVERSI MIXTI.

Man-

Corrigebat F. Io. Petrus Astorius Mag.

ERRATA.

Hic non sunt minutiora Errata notata, quia alia ratione irrepserunt, quam auctoris, & correctoris incuria. Vbi in accusatiuo, in quibusdam paucis tamen locis inueneris Verem, & roburem, lege Ver, & robur. Cetera poteris tu prudens Lector corrigere, tibi enim etiam relinquitur aliquis labor, & ratio exercitij.

DE VNIVERSO MIXTO PARVO HOMINE

F. MICHAELIS ZANARDI BERGOMENSIS.

ORDINIS PRÆDICAT.

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrum vita, & mors singulares habeant causas, & in hominibus præcipue.



Idetur quod non. Primo. Nam secundum Aristot. de longitudine, & breuitate vitæ caloris naturalis efficacia, & humidi radicalis consistentia, sunt causæ per positionem, vitæ, & per priuationem, mortis. At hoc falsum videtur. Nam senes, & morti propinqui magnis humiditatibus scatent, & excrementis abundant, hasmateque infestantur. Ergo humidum non poterit assignari pro causa diuturnæ vitæ.

Secundo. Omne humidum per nutrimentum resarcitur, & per ciborum bonitatē augetur. Ergo si est radix vitæ, poterunt diuites, & commodi, qui sibi de optimis cibis prouidere valent, eos eligendo vitam perhennem ducere, quod tamen experientiæ contrariatur, cū cito senescant, & immature sæpe moriantur.

Tertio. Calor, qui cum humido ponitur pabulū vitæ, aut est elementaris, aut cælestis. Non elementaris, quia hic est calor ignis, qui vrit, & consumit. Non cælestis, quia sic solus homo eo potiretur, quod est falsum. Ergo venit dicēdum, nec humidum, nec calidum esse initia vitæ hominis, & eius conseruatiua:

In contrarium est Arist. lib. de longitudine, & breuitate vitę, & in problemat. sect. 14. quæst. 10. vbi docet calorem esse ministrū vitæ, & humidum papulum, & nutrimentum caloris, sicut oleum est nutrimentum flammæ lucernæ.

Pro explicatione huius quæstionis tria facienda erunt. Primo enim quibusdam fundamentis veritatem rei hauriemus. Secundo loco conclusionem nostram probabimus. Tertio, tandem argumenta diluuemus.

Primo ergo notandum venit, quod vita primo generaliter bifariam sumi potest. Primo communiter, prout absolute importat esse cum operatione propria, & vitali, prout etiam angelos ab omni corporeitate semotos viuere dicimus, & nō à viuentibus distingui. Secundo, minus communiter, prout ab Arist. lib. de respiratione sic definitur. Vita est permansio animæ vegetatricis cum calore, quia in omni viuente corporeo necesse est reperiri gradum vitæ vegetatiuæ, quia ista primo viuimus, nutrimur, augemur, & generamus nobis simile, vnde quædam viuentia sunt sine sensibus, vt arbores, & quædam naturæ sensitiuæ, sine intellectu, vt bruta, & tamen esse non possunt sine nutrimento, & augmento pro tempore suo, & ideo recte definiuit vitam pro eius initio, & primo gradu. s. animæ vegetatiuæ, sic amplexando omnem viuentem.

Secundo tamen adnotandum venit, quod vita trifariam sumitur. Primo, pro principio vitæ, imò pro vita ipsa, idest, pro anima, quæ viuit, & viuere facit, quo pacto fuit ab Arist. in 2. de Anima definita sic. Anima est actus corporis Physici, orga-

 nici,

nici, potentia vitam habentis, & dictum, quod viuere, viuentibus est esse. Secundo, pro existentia animæ in corpore, eo modo quo solemus dicere corpus viuum à mortuo differre, quia viuum anima est prædítum, & mortuum ea priuatum. In quo etiam sensu D. Iacobus affirmauit fidem sine charitate esse sicut corpus extinctum sine anima, dum dixit. Fides sine operibus mortua est, quia charitas est viuificatio, & anima fidei. Ex hoc enim iudicamus corpus viuere, si se moueat, vel mouere possit, quod si non se moueat, censemus illud vita destitutum. Et ita si fides operatur, viuere dicimus, si opera charitatis negligit, eam mortuam tenemus. Tertio, sumitur pro operationibus vitæ, quæ sunt pro anima vegetatiua, nutrire, augere, & generare. Pro anima sensitiua, videre, audire, odorare, gustare, & tangere, & pro anima intellectiua intelligere, velle, & memorari. In præsenti quæstione præcipue vita consideratur in 2. & 3. sensu. i. pro existentia animæ in corpore, & prout dat operationes vitales.

Tertio tamen vlterius progrediendum venit, & pensandum; quod quamuis anima humana non dependeat in esse à corpore, cum à Deo creetur, & corpori infundatur, vt illud viuificet, & proportionatis operationibus moueat, tamen in operari necessario vtitur corpore, vt instrumento sibi coniuncto. At in corpore humano duplex est genus operationum. Primum est liberarum, vt sunt intelligere, & velle. Secundum est corporalium, vt sunt actiones animæ vegetatiuæ, & sensitiuæ. Respectu primarum anima non dependet à corpore, vt ab organo, quasi sit ei alligata, sic vt separari ab eo sine interitu non possit, est enim immortalis, & sua propria existentia suffulta, quo iure diximus, & probauimus in 3. de Anima, animam intellectiuam non solum esse, quo viuimus, mouemur, sentimus, & intelligimus, sed etiam esse secundum se, quod est, subsistit, intelligit, & vult. Quare dicimus animam intellectiuam, inquantum intellectiua est à corpore non pendere, vt ab organo, sed tantum vt ab obiecto, quia pro hoc Statu non intelligit nisi se conuertendo ad fantasmata, vt affirmauit Phil. 3. de Anima. At respectu secundarum operationum anima à corpore dependet, non vt à principio, cum ipsa sit omnium operationū corporalium, primum in corpore principium, sed vt à materia, & dispositione, necessario requisita ad viuificandum, & operandum. Non enim introducitur in corpore, nisi prius disposito, nec illud ad operandum mouet, nisi sit debite præparatum. Istæ autem dispositiones sunt in corpore mixto, per contemperamentum primarum qualitatum, quæ sunt caliditas, humiditas, frigiditas, & siccitas, quarum duæ sunt actiuæ, scilicet caliditas, & frigiditas, caliditas ad vitam, frigiditas ad mortem inferendam, & aliæ duæ sunt passiuæ, scilicet humiditas, in quam agit calor, & siccitas, quam aduehit frigiditas. Cum igitur calor sit virtus actiua, vitæ conseruatiua, pro quanto agit in humidum, eo nutriendo, & deperditum reparando, merito dicimus vitam in calido, & humido esse repositam, & mortem in frigido, & sicco esse constitutam, vt modo amplius videbimus.

Quarto ergo pensandum venit, magnam esse necessitatem caloris in viuente, adeo vt Heraclitus omnia dixerit ex calore orta fuisse, annuendo nullam rem posse sine calore viuere, & alij affirmauerunt à meridie, quæ est pars calida vitam venire, & à Septentrione, qui est frigidus mortem procedere, quo pacto etiam Arist. lib. de iuuent. & senect. cap. 2. dixit mortem esse caloris extinctionem, quia tunc vita concidit, dum calor extinguitur. Ex calore autem vitali, qui primarum in corde tenet, & ex eo omnia corporis membra per spiritus vitales gubernat, corpus vita viuificat, fulcit, ac præsidiat. A calore ergo spiritus vitales proficiscuntur. Hi autem spiritus vitales nil aliud sunt nisi quędam substantia tenuissima, & in motu velocissima, & vt dixit Galenus de naturalibus facultat. est quid leuissimum, & tenuissimum. Quapropter Plato ista corpuscula, ex puro, & defecato sanguine orta, sæpe spiritus vocauit, quandoque ignem, & quandoque proprium calorem, quia caliditatem pro causa tenent, qui cum sint subtilissimi ad modum aeris, obtutumque nostrum fugiant, & ad instar auræ suauissimæ, à corde proficiscentes, vitam, & aptas operationes omnibus corporis membris impertiant, & inuehant, indeque mulceant, pulsent, & spirent, merito spiritus

ritus vitales nuncupantur.

Distinguunt autem DD. spiritum, in insitum, seu ingenitum, seu complantatum, quia generans in generatione hunc vnicuique membro prout ei conuenit communicat, iuxta illud dictum Arist. 2. de generat. animalium cap. 3. Inest (ait) in semine omnium, quod facit, vt fœcunda sint semina, quod calor vocatur, idque non ignis non talis aliqua facultas est, sed spiritus, qui in eo continetur. Et in spiritum influuentem, quia ab aliquo membro principali in alia influuitur. Quapropter hic spiritus triplex erit secundum Medicos. Primus dicetur vitalis, quia à fonte vitæ, scilicet à corde procedit, & ad omnia alia membra progreditur, iuxta ista verba Galeni lib. de Anatomia viuorum. Cor habet tres distinctiones, siue folliculos, ad modum quarundam bursarum, in quarum parte suprema recipitur aer, in infima recipitur sanguis, & in media, quæ fouea appellatur fit aeris, & sanguinis commixtio, & spirituum generatio, vnde ille locus in corde dicitur minera spirituum. Hic autem spiritus per arterias diffunditur, & in eis perficitur, & attennuatur, vt dixit idem Galenus lib. 7. de placitis Hippocratis, & Platonis cap. 3.

Secundus dicitur animalis, quia manat à principio animalium operationum, idest sensitiuarum operationum, & hic generatur per Galenum 7. de vsu partium, vel 7. de decretis Hippocratis, & Platonis c. 3. in ventriculis cerebri, & in toto cerebro continetur, & ab eo ad omnes sensus trāsfunditur.

Tertius dicitur naturalis ab hepate deductus, & per venas diffusus, concoctionem singularum corporis partium iuuans. Omnes igitur hi spiritus in quibus vita hominis, operationes vitales, & facultates insident, cum pro causa calorem teneant, merito diximus calorem esse initium vitæ, & nisi a teratur, conseruationis eiusdē, & sanitatis animalis.

Quarto notandum est, quod calori naturali, per spiritus operanti humidum adiungimus, vt eius pabulum, & nutrimentum. Humidum autem multiplex est. Primum enim dicimus humidum radicale, seu primogeneum, quia virtute, & actione conseruat vitam viuentis, ne per calorem absumatur, & ad siccitatem mortis nunciam deducatur, & in hoc humidum calor semper habet actionem, sed nō eodem modo, quiavsque ad quoddā tēpus in ipsum agit, ad augendum viuentem, & non solum nutriendum, deinde in ipsum operatur ad conseruandum ipsum per alios duos humores, ab hoc radicali, & primogeneo dependentes. Vnde secundum humidum dicitur nutrimentale, tum quia est caloris naturalis pabulum, tum quia nutrit, & pascit viuentem, vnde etiam dicitur humidum influens. Tertium appellamus aqueū, prout correspondet aquæ, ex qua sicut ex alijs elementis mixtum componitur. At vita in duobus primis humidis collocata est, vt etiam ad longum ostendi supra in secunda parte vniuersi elementaris.

Quinto. Igitur pensandum venit, quod sicut calidum, & humidum ponuntur initia vitæ, & eius conseruatiua, ita frigiditas, & siccitas constituuntur causæ, & principia mortis. Quare in lib. de vita, & morte mors sic definitur. Mors est separatio animæ à corpore, ob defectum innati caloris, & secundum Galenum lib. 2. de temperam. cap. 2. Mors non est nisi extinctio caloris naturalis. Dicitur autem separatio animæ à corpore non secundum situm, vel vbi, quia hæc definitio conuenit omnibus viuentibus, plantis, & brutis, & hominibus, in solis autem hominibus anima subsistens alium locum occupat. Intelligitur ergo secundum actum informandi, quia anima, q̄ corpus prius informabat, in morte ab informatione cessat, per ipsiusmet corruptionem si est mortalis, & si immortalis, per actualem separationem.

Dicitur quoque ob defectum innati caloris, & hoc ob triplicem causam. Prima est, vt sciamus solū calorem per se ad vitæ præsidium facere, frigus vero nequaquam nisi per accidens, vt docuerunt Galenus 3. de causis Sympt. cap. 3. Auicenna Fen. 1. primi doctri. 6. cap. 5. Vallesius lib. 5. con. Med. & Phil. cap. 11. & alij multi. Aduersatur enim frigus omnibus vitæ actionibus, si enim nimium crescit, omnem operationem aut ledit, aut ex toto impedit, membra stupefacit, paralysiā inducit, proinde sensum, & motum adimit. Per accidens autem ad vitales actiones facere potest, inquantum calorem excedentem attemperat, & modificat. Quare si posset dari moderatus calor, nulla esset frigoris

necessitas. Neque verum est famem per se à frigore iuuari, & effici per appulsum atræ bilis frigidæ in stomachum, est enim hoc per accidens, pro quanto vi frigoris partes ventriculi corrugantur, & stringuntur, & sic sequitur appetitio cibi, per cuius ingressum,& impletionem illa corrugatio, & strictio cessat, & sic fames deficit.

Secunda causa est, quia si in animali defecerint omnes calores præter complātatum, & primogeneum, adhuc vita viuet animal,& si non sit aptum ad hanc, vel illam operationem à calore animali proficiscentem, vnde quis poterit brachio, vel alio membro impediri obstrictione, & tamen illa pars non corrumpetur, quia & si sit calore animali priuata, non est tamen calore insito, & naturali omnino destituta.

Tertia est,quia duplex est mors, scilicet violenta, quæ ab extrinseco prouenit, & naturalis,quæ ab intrinseco procedit. Prima innumeras potest habere causas, at secunda nullam aliam tenet,nisi defectum caloris naturalis, extinctio enim eius mors est,sicut extinctio luminis lucernę,est extinctio ipsius lucernæ.

Sexto notādū venit, quod quamuis hic calor naturalis sit per totum corpus diffusus, attamen præcipuam sedē in corde collocauit, ex qua totum corpus fouet, viuificat, & conseruat. Hoc docuit Arist. 3. de partibus anim. cap.7. Galenus lib. de formatione fœtus, vbi veluti ignem omnia calefacientem, & veluti arcem vndique tutam ipsum esse dixerunt. Insuper sanguinis formationem, ac coctionem in hepate factam perficit,& ipsius subtiliorem substantiam in spiritus vitales resoluit, & per hos quasi per vehiculū in omnes corporis partes transmittit,& sic omnia membra fouet, & seruat.

Cerebrum pro quanto est ei necessarium calefacit, eiusque magnam frigiditatem remittit, & ad animales operationes prōptum,& paratum constituit. Quare merito cor dicitur ab Arist.2. de gener. animal.cap.4. fons vitæ, quod primo viuit, postremo interit, & illico quod læditur, mortem subito affert.

Quo ad secundum ergo conclusio est. Causæ vitæ sunt calor naturalis, & humidum radicale. Mortis vero frigiditas,& siccitas.

Probatur. Illæ dicuntur causæ vitæ,quibus positis vita ponitur, & illis demptis ipsa tollitur, & mors subsequitur. At posito calore naturali,agente in humidum radicale vita ponitur, & calore extincto per frigiditatem, & humido per siccitatem mors sequitur. Ergo in istis dicendum est esse repositam vitam, & collocatam mortem. Maior est nota, & recte procedit de causa ad effectum. Minor probatur experientia ipsa, nam calore naturali posito, cor spiritus vitales gignit,omnem corporis partem nutrit, membra ad suas operationes mouet,& totum compositum conseruat. Fouetur autem calor, ac nutritur humido,cum proprium sit caloris consumare, ac resoluere. Patetque omne corpus absescu caloris, & humidi, torpere, & examen fieri. Et quoniam conclusio ipsa vsum habet proteste indubitato, ideo alias probationes omitto.

Ad primum negatur minor. Ad probationem dicitur, quod triplex est humidum, vt vidimus, s. radicale, nutrimentale, & aqueum. Duo priora ad vitæ conseruationem faciunt, vltimum ad eius interitum, cum sit excrementium,& caloris naturalis suffocatiuum.

Ad secundum dicendum, quod quamuis humidum nutrimentale plurimum ad vitæ præsidium conferat, tamen per accidens multum obest. Primo, quia si superabundet, calorem non nutrit, sed deprimit,& suffocat, vt videbimus, vnde abundantia ciborum, & eorum multitudo ad longitudinem vitæ non facit,sed ad eius breuitatem efficaciter operatur. Secundo, quia cibi non sunt tam boni, quin etiam suam malitiam retineant, & cum alijs contrarietatem teneant, vnde vnus alium destruit,& eius succum de se bonum, ex admixtione aduersum constituit.

Secundo dicitur, quod omne humidum alimentale, naturali computatum deterius est, vnde & si illud aliqualiter reficiat, ne deficiat,tamen in virtute, & stabilitate ipsum in pristinum reddere non valet, vnde est veluti aqua vino addita, quæ ipsum suo robore priuat, decolorat, & debilitat respectiue, & ideo semper degenerat, & tandem deficere necesse est,quia tanta nō est reparatio, quanta est iactura.

Tertio dicitur, quod restauratiuum sæpe est naturæ nostræ inimicum,& humido radicali

cali improportionatum, qua de causa tandem illud interimit, & necat.

Ad tertium quamuis aliqui hunc calorem cælestem faciant,& alij elementarem esse autement, tamen nos dicimus esse,& cælestem,& elementarem, quia vt dixit Ariflot.2.Phyſ.Sol,& homo generant hominem.ſ.calore cęlesti,& ſeminali.Ergo erit cælestis vt primæ causæ in ordine corporaliū,& elementaris,vt proximæ, quia natus est à calore, & eius qualitate reperta in ſemine, ex quibus dicitur complantatus, naturalis, & insitus,vim, & qualitatem ducendo.

Ad id autem, quod obijciebatur, quod non esset elementaris, quia hic vrit, dicito in suo elemento .ſ. igne, non autem in elementato, & mixto in quo cum alijs qualitatibus elementorum venit ad temperamentum. Ad id, quod dicebatur non esse calorem cælestem,quia sic esset in solo homine,negatur,quia calor cali est causa vniuerſalis, & prima in ordine corporaliū, agens, & operans ad generationem, & conſeruationem omnium corporum.

DIGRESSIO.

Quoniam diximus cum Arist. cor esse fontem vitæ, & primum principium instrumentale animæ in animali vitalium operationum, non erit abs re, quasdam difficultates circa ipsum emergentes,quas Doctores expositores Arist. in libris de longitudine, & breuitate vitæ, de vita, & morte,& de iuuentute,& ſenectute adducunt,proponere,examinare,& resoluere, vt non solum ſciamus quia est dicendorum, verum etiam propterquid penetremus eorundem.

QVÆSTIO II.

An cor habeat multa singularia.

Videtur quod non. Et primo videtur falſum id,quod de corde aſſeruit Arist.5. Metaphyſ. cap. 1. & de iuuent. & ſenect. cap.1. & alijs in locis,ſcilicet quod cor sit primum membrum in animali formatum. Huic enim obstare videtur, quod incrementum fætus est à ſanguine. Hic autem in hepate gignitur. Ergo hepar, & non cor erit primum membrum in fætu formatum. Quod ſentit Hippocrates lib. de natura pueri, & Galenus lib. de fætuum formatione cap.3.

Quoniam hanc difficultatem exacte in secunda parte vniuerſi nostri elementaris examinaui,& resolui,neceſſarium non est profundiora fundamenta repetere, ſed tantum ad argumentum dicere duo.

Primum,quod ſangu nem generari in hepate stat dupliciter. Primo,propria,& independenti virtute hepatis,& hoc non,quia cor est fons vitæ, & omnium operationū vitalium,inter quas vna est generare ſanguinem, quod non fit nisi mediante calore,ex corde in omnia membra proficiſcente. Secundo, virtute cordis, sicut etiam eiusdem virtute cerebrum est principiū operationum ſenſitiuarum, & hoc est verum, ſed non concludit propositum, ſed oppositum, ſcilicet cor esse primum formatum in animali.

Secundum est,quod duplex est ſanguis,ſcilicet purus, a quo sunt spiritus vitales, & nondum defecatus, nec bene purgatus, qui tandem ex calore cordis perficitur,& per omnes partes corporis transmittitur, vt ex eo fiant caro,oſſa,nerui, & alia omnia, iuxta naturam eorum quibus adiungitur.Primus est à corde,ſecundus ab hepate. Quamuis autem primus sit parum in quantitate,est tamen multum in virtute, vnde est veluti radix ſanguinis hepatis, & eius ſemen, vnde est neceſſe prius formari cor, vt per suos spiritus vitales tribuat hepati, generare alium ſanguinem.

Secundo. Videtur falſum cor esse principium vitæ,cum plantæ viuant sine corde.

Reſpondetur in plantis,& si non sit cor ſenſu præditum, est tamen in eis quoddam cordi æquiualenter correſpondens. Non enim fuit in eis neceſſarium nec cor, nec hepar, nec cerebrum, nec potentia aliqua ſenſitiua,quia non ad ſentiendum,vel ſanguinem efformandum creatæ sunt,ſed tantum ad vegetandum. Quare ſolum eis fuit neceſſaria nutritiua, vt ſucco à terra ebibito nutrirentur,augmentatiua, vt per calorem insitum ſemini, vel tronco eorum augerentur, & generatiua, vt per ſemen aliam plantam sibi in ſpecie similem producerent.

Tertio. Dubitationem habet aſſertum Arist. lib. 3. de partibus animalium cap. 4. Galeni

leni lib. 7. de Placitis cap. 9. & lib. 1. de locis affectis cap. 7. & Auicennæ prima primi doct. 6. cap. 4. 5. Facultatem vitalem in corde residere. Nam vbi est facultas vitalis, ibi debet esse naturalis, & animalis, quia ista non sunt independentia, & triplicem principatum in vno homine principe tenentia. At facultas naturalis sanguinis generatiua est in iecure, seu hepate, & animalis in cerebro, vt docuerunt. Plato in Thimeo, Galenus lib. de Placitis cap. 7. & D. Gregor. Nissenus 4. Phil. cap. 16. Ergo facultas vitalis non erit in corde.

Respondetur, quod & si Galenus, & Plato posuerint tantum facultatem vitalem in corde, naturalem vero in hepate, & animalem in cerebro, tamen nos cum Arist. omnes has tres facultates in corde collocamus, vt in secunda parte vniuersi elementaris ad longum ostendi. Cor enim principatum tenet in animali, in quo Monarchia Aristrocratię cernitur, & non simplex Aristocratia. Aliud est ergo, quod cor non sit principium primum instrumentale animæ ad omnes operationes animalis, & aliud, quod non sit principium immediatum, & formale omnium eius act onũ. Primum tenemus, sed secundum non negamus, vnde volumus per cerebrum operari ad operationes animalis, & per hepar ad operationes naturales.

Sed quarto. Dubitatur, quomodo possit esse verum cor esse fontem vitæ, & esse primum, quod in animali viuit, & vltimũ qđ occumbit, & quod cor solum viscerum, atque omnino partium corporis, nullum graue vitium, aut noxam patitur, quia læsum illico mortem affert. Vt docuerunt Arist. 2. de generat. animalium cap. 4. & 3. de partibus animalium cap. 4. & lib. 4. cap. 2. Galenus lib. 5 de loc. affect. cap 1. & D. Thomas 3. dist. 3. quæst. 4. art. 1. ad 4. & tamen. Primo, legamus Galenum lib. 5. de locis affectis c. 1. & Antonium Beneuentum 1. Admir. cap. 81. 83. & 89. referre inuentam fuisse Ceruam, quæ sagittæ aculeum ex longo tempore cordi affixum gerebat. Et secundo asserat Arist. lib. de morte, & vita, insecta, & testudines auulso corde viuere.

Respondetur doctrinam Arist. vt verissimã acceptantes, exemplum Ceruæ non esse credendum, neque pro vna cerua omnia alia exempla, & experientiæ esse reijcienda. Experti enim sunt homines illico, quod quis vulnus in corde recepit, expirasse, & in hostijs antiquorum numquam fuit aliquo vulnere, vel malore sauciatum vbi in iecure, cerebro, renibus, liene, & pulmone multa sunt deprehensa nocumenta. Potuit ergo sagitta illa inter costas Ceruæ esse non tamen cor tetigisse. Potest etiam esse, vt qui vulnus in corde suscepit, per aliquod paruum tempus palpitauerit, at hoc erit, quia cum spiritus eius vitales per corpus sint diffusi quousque euaporent, motum causant. Ad illud de insectis, & testudine dicimus, cum eodemmet Arist. 4. de partibus animalium, cap. 6. ista animalia esse imperfecta, & ad naturam plantarum potius accedere, vnde secta viuunt. Si sectio fiat per transuersum, at non si fiat per longum, quia spina eis pro corde correspondet, sicut & medulla plantis. Testudinem vero non habere cor docent multi.

Quinto. Quæritur, cur animalia, quæ pro suorum corporum magnitudine, cor grandius habent, vt Lepores, Cerui, Mures, Hienæ, Asini, Pantheræ, & Mustellæ timidiora sint, alijs non tam vastum cor portantibus.

Respondetur cum Arist. 3. de partibus animalium cap. 4. quod ista animalia frigidiora sunt alijs in caloreque deficientia, calor autem animositatis, & audaciæ est origo, & fons. Quare sicut paruus ignis in magna domo paruum calorem excitat, ita debilis istorum calor, parum sanguinem accendit, ac ad audaciam, & vindictam impellit, & ideo solum illa animalia, quę magno calore sunt prædita, præ ceteris sunt audaciora, & generosiora.

Sexto quæritur. Cur hi qui cor pilosũ, & pilis absitum habuerunt, audacissimi fuerunt, vt de Leonida tradit Plutar. nam facto in hostes impetu, & multis telis confossus, ad Xersem Persarum Imperatorẽ, Greciam deuastantem peruenit, & ei à capite coronam detraxit, quo tandem extincto, cum cor eius dissectum fuisset, pilosum inuentum est.

Respondetur. Tales esse naturæ calidissimæ, & ideo fuliginosa recrementa à corde emittere, quæ in pilos concrescunt.

Septimo. Quæritur. An sit verisimile, quod literis tradidit Censorinus lib. de natali die. Roman. & Plinius lib. 11. Nat. Hist.

cap. 37.

cap. 37. ex Aegiptijs, scilicet cor augeri in homine per singulos annos, ac binas drachmas ponderis ad quinquagesimum annum accedere, & deinde tantumdem ab eo detrahi, & ideo non viuere hominem vltra centesimum annum defectu cordis.

Respondetur, id vanum esse, cum neque ex anatomicis obseruationibus sit deprehensum, nec Physica ratione sit deductum, nec canonica Philosophantium auctoritate comprobatum, & aliquos viderem vltra centesimum annum vixisse.

Octauo. Quæritur quomodo sit verum enunciatum ab Arist. 3. de partibus anim. cap. 4. & 1. de hist. animal. cap. 17. cor in alijs animalibus ab homine in medio pectore esse, at in homine ad sinistram declinare, cum tamen eandem vim fontis vitæ in omnibus animalibus retineat, & initij omnium operationum, vnde censenda est omnium vna conditio.

Respondetur, quod quamuis Galenus lib. 6. de vsu partium cap. 7. & nonnulli alij teneant cor in homine etiam stare in medio Thoracis secundum omnes dimensiones ad æquilibrium, vt affirmant ex anathomia constare. Tamen cum Arist. sentimus vt supra.

Primo, quia homo inter cetera animalia leuam frigidiorem tenet, quare necessum fuit, vt ei subueniretur inclinatione cordis, quod est calidissimum. Fecit autem natura partem dexteram in homine calidiorem, quia ista est pars deputata ad motum, & ad agendum opera manualia, quæ alijs animalibus non conueniunt.

Secundo. Quia pulsatio cordis, quæ infra sinistram papillam deprehenditur, hoc testatur. Quod enim vis pulsatrix à corde sit, manifesta eius agitatio, & perpetua suadet, & arteriæ, quæ ab ipso emanant confirmãt, vnde ex his Medici quid de infirmo dicendum sit, desumunt. Tertio. Quia spiritus vitales in leuo cordis ventriculo generantur secundum Medicos, dicentes quandam partem sanguinis puriorem in iecore confectam, per venam cauam, & quosdam communes aditus, in cor inuehi, ac primum dextero, deinde leuo sinu exceptam, ibi recalescere, & vitalem quandam vim ab ipso fonte vitæ haurire, & ex hac nancisci nomen, & virtutem spiritus vitalis. Huius vero spiritus pars quædam per arterias per totum corpus diffunditur, & altera per anfractus, & flexuasam (vt dicunt) ambagem sursum viam capit, ac tandem in cerebri ventriculos euadit, & proprietate cerebri magis attenuatur, & quasi aereus spiritus redditur, & recipiendo temperamentum quoddam animale ad motum, sensum, & ad omnes animalis functiones administrandas, sic aptus cõstituitur. Tum vero in particulas diuisus per neruos dispensatur. Ex quo deducitur quod spiritus innati sũt stabiles, & influuentes errantes.

Nono. Quæritur, quomodo possit dignosci spiritus vitales esse à corde.

Respondetur hoc deprehendi. Primo, ratione, quia cum vita consistat in calido, & humido, calidumque in humidum agat, opus est, vt fons caloris, sit etiam fons vitæ, & consequenter spirituum vitalium, quibus vita conseruatur. Secundo ex anatomia, quia si quis animali mortuo in ventriculis cordis, & cerebri eius introspiciat, eos sine fere vllo humore inueniet, quia efflarunt ex morte, vt aura. Tertio, ex eo, quod si arteriæ crasso humore oppletæ fuerint, pulsu, & neruo priuantur, quia illa oppletio impedit expeditam traductionem spirituum.

Decimo quæritur, quæ nam sint signa temperamenti cordis. Respondetur ex Galeno, quod cordis calidi sunt signia. Magnitudo respirationis, celeritas venæ pulsatilis, & frequentia, audacia, follicitudo, & impatientia in negotijs. Et si caliditas excesserit. Erit in ira præceps, furibundus, temerarius, in thorace hispidus, & pectore. Latus in eo. In dando tenax, obstinatus, probus, & luxuriosus.

Signa frigidę complexionis cordis sunt. Pulsus minores, & ita respiratio minor, pectus parum pilosum. Timidus est, & piger.

Siccæ signa sunt. Pulsus asperi, promptus ad iram, agrestis, impacatus.

Humidioris signa sunt, pulsus molles, facilis ad iram, & ad pacem. Timidus, hębes, & laboribus inhabilis.

Calidi, & sicci cordis signa sunt. Pulsus asperi, magni, celeres, frequentes, & ita respirationes. Pilosissimus erit in pectore, & in hypochondrijs. Promptus ad negotia, furiosus, & impudẽs. Moribus tyrannicis, furens in ira, implacabilis.

Calidi, & humidi signa. Pronus ad iram, aliquan-

quantulum pilosus, expeditus in negotijs, barbarus, pulsus molles, magni, celeres, & frequentes, & ita respiratio.

Frigidi, & humidi signa. Pulsus molles, timidus, iners, tenues pilis in pectore. Tardus ad iram ostendendam, sed velox ad eam concipiendam.

QVÆSTIO III.

Vtrum temperamentum, seu complexio sanguinea, sit diuturnioris vitæ.

Videtur quod non. Primo. Nam complexio sanguinea calida est super alias, vt communiter tenent naturales. At nimia caliditas absumit humidum radicale, quod est pabulum vitæ, vnde sicut magnũ lumen lucernæ, cito oleum eius cõsumit, ita nimia acrimonia caloris, cito humidũ radicale corrodit, & sic vitam tollit.

Secundo. Videmus arbores, quæ sanguine carent, longissimo tempore viuere. Ergo sanguis non erit causa longitudinis vitæ.

Tertio. Bibones se vino ingurgitantes sanguine abundant, humiditateque, cum vinum calefaciat, & vt humidum humectet, & tamen hi breuioris sunt vitæ. Ergo cõplexio sanguinea, calida, & humida non est vitæ longioris.

In contrarium stant Aristot. lib. de longit. & breuit. vitæ, cap. 3. & Galenus 1. Aphoris. com. 15. dantes complexioni sanguineæ, quæ calida est, & humida vitam diuturniorem.

Ad claritatem quæstionis. Primo notandum venit hic breuiter, quod in secunda parte nostri Vniuersi Elementaris longius discussimus, s. quatuor esse temperamenta. Primum dicitur sanguineum, & hoc stat in temperata caliditate, & humiditate. Secundum dicitur cholericum, & biliosũ, & hoc est calidum, & siccum, & magis calidum, quam sanguineum. Tertium dicitur phlegmaticum, & hoc est humidum, & frigidum. Quartum dicitur melancholicum, quod solet esse frigidum, & siccũ. Ista enim quatuor temperamẽta, quatuor elementis correspondent. Cholericum igni, qui est calidus, & siccus, sanguineum aeri, qui est calidus, & humidus. Phlegmaticum, aquæ humidæ, & frigidæ. Melancholicum, terræ siccæ, & frigidæ. Ista autem quatuor temperamenta in suo genere possunt reduci ad temperamentum vniforme, & difforme, quia possunt deficere, & in medio suo stare.

Verum est tamen, quod Galenus lib. 1. de temperam. cap. 9. & lib. 2. c. 1. & Auicenna fen. 1. doctrina 3. cap. 1. temperamentum vniforme vocant, illud quod diximus esse ad pondus, seu ad maximã æqualitatem, & difforme id appellãt, quod ab æqualitate, & maxima temperie decidit, quod dicunt esse simplex, & compositum. Simplex dicentes, quando in eo vna tantum qualitas dominatur, & cum quatruplex sit qualitas, sic etiã erit quadruplex temperamentum difforme simplex. Compositum vero appellantes, in quo duę qualitates intẽperiem faciunt, quod & quatrupliciter fieri potest, & ita dant nouem temperamenta. Vnum vniforme, & æquale, quod solum proprie potest dici temperamentum, quatuor difformia simplicia, & quatuor composita difformia.

Quærimus ergo inter tot temperamenta, si sanguineum præstet, super omnia alia, an non.

Secundo ergo notãdum venit, quod ea quæ faciunt ad rem, ad eius quoque modum, & accidẽtia propria facere oportet. Cum igitur visum sit, calidum, & humidum esse principia vitæ, & siccitatem, & frigiditatem esse initia mortis, deducendum erit, quod quanto aliquod temperamentũ magis accidit ad calidum, & humidum, & recedit à frigido, & sicco, quod tanto amplius ad longitudinem vitæ faciet. Diximus autem complexionem sanguineam inter ceteras magis accedere ad calidum, & humidum, & recedere à frigido, & sicco, & etiam à calido, & sicco, quale est temperamentum cholerici, & ideo fatendum venit complexionem sanguineam optime esse dispositam ad congruos annos.

Sed tertio notandum est, quod non ob hoc solum, quod complexio sanguinea est calida, & humida dicitur esse initium longioris vitæ, sed etiam quia temperatior est in calido, & humido. Ad hoc igitur, vt calidum, & humidum causent longiorem vitam debent ista habere. Primum, quod illud humidum non sit aqueum, & excrementium, quale cernitur in senibus, ac frigidis, sed ad naturam humidi aerei accedat, quod humidum est cum caliditate mix-

mixtum, neque multum excremẽtitium. Patet enim, quod quando calor pascitur humido turbido, & exerementitio, reddit etiam depasta, obscura, liuida, morbida, & imperfecta in suis operationibus.

Secundum est, quod illud humidum non sit multum in quantitate, sed lentum, & magnum in virtute, aereum, non aqueum quale inest piscibus, & mulieribus, tenax, & solidum, quale est humidum olei, & arborum oleosarum, & renisosarum. Sic enim cito non fluuit, nec subito consumitur à calore naturali.

Tertium est, quod secum non admittat alienam materiam, nec multa excremẽta, sed se seruet purum, quia constat oleum fęcibus plenum malum lumen facere, & male lucernam conseruare.

Quartum est, quod calor sit temperatus, qualis calor solet esse sanguinis puri, & non qualis est calor bilis, nam nimius calor cito depascit, & consumat humidum radicale, vnde breuiter extinguit lucernam vitæ, ob defectum humidi radicalis. Cum igitur hæ conditiones in sanguinea complexione magis reperiantur, quam in biliosa, phlegmatica, vel melancholica, merito concludimus hanc temperaturam magis esse aptam, & accommodatam ad diuturnitatem vitę, ceteris tamen paribus semper, & externis corruptiuis seclusis, in imparitate.

Quarto tamen notandum, quod præter proportionem, temperamentum, & symmetriam humidi, & calidi, ad huc dantur alię causæ, quæ faciunt ad longitudinem vitæ, de quibus singulis infra habebo sermonem. Pro nunc sufficiat dicere ad hanc multum facere.

Primo, cæleſtes influxus fęlices, & ab infortunijs remoti, ſyderum fortunatorum, & non infelicium, beneficorum, & non malignorum, in bono situ, & fortitudine constitutorum, quo ad Horoscopium præcipue, ex quo vitam nati iudicamus, &c. Necesse est enim (ait Arist. 1. Meteoror. cap.2.) mundum hunc inferiorem, supernis lationibus esse contiguum, & inferiora per superiora regi, & gubernari.

Secundo. Ad hoc faciunt patriæ bonitas, & aeris salubritas.

Tertio. Ratio victus, & ciborum bonitas, & multa alia, suo loco dicenda.

Conclusio ergo est. Complexio sanguinea aptior est ad diuturnitatem vitæ, alia quacunque. Probatur primo, auctoritate expressa Arist. & Galeni, vt supra. Et Isidori dicentis, sanguinem a Greco nomine deriuationem sumpsisse, quasi sit sustentatio vitæ, quoniam vitam confirmat, sancire enim confirmare est. Et secundum Constantinum. Sanguis inter quatuor humores laudabilior est, & naturæ amicabilior, propter eius perfectam concoctionem. Et in summa scriptura etiam ei vitam attribuit, quia in eo posita est. Complexio autem sanguinea illa dicitur, in qua sanguis supra alios humores est. Secundo. Causa mortis est defectus calidi, & humidi, vnde senes ad mortem properãt, quia in eis semper calor naturalis remittitur, & frigiditas, siccitasque augetur. Ergo causa vitæ erit calor, cum humido, quod in sanguineis præ alijs reperitur. Tertio. Quando qualitates actiuæ, ad temperamentum reductæ, vigent, animal viuit, quando passiuæ superant, occumbit. Sed caliditas, & humiditas, quæ sunt in sanguine sunt qualitates actiuæ, siccitas, & frigiditas aliarum complexionum passiuæ. Ergo &c.

Ad primum patet, per ea quæ diximus. Primo, quod complexio sanguinea non est immoderate calida, sed biliosa, & cholerica. Secundo, quod loquimur de natura sanguinea ad temperamentum.

Ad secundum dicimus cetera non esse paria, quia hic loquimur solum de sanguinem habentibus. Secundo dicitur, quod arbores diutius viuunt propter magnum temperamentum, & solidum humidi, cum calido, est enim eorum humidum tenax, & solidum, & aptum resistere calido, neque eis deficit continuum alimentum, illis à natura per terram subministratum, & solum necessarium, & opportunum, in quo casu libertas ciborum, eis non adimit longitudinem dierum, sicut homini facit.

Ad tertium dicendum, quod bibones, & se varijs cibis ingurgitantes cito moriuntur. Primo, quia ex nimio calore aduentitio vini, & ciborum calidorum, calidum primogeneum, & naturale suffocãt, est enim lentum, & moderatum de se. Secundo, quia non potest calor naturalis temperatus tantam materiam concoquere, vnde necesse est, vt multa maneant excrementa, & multæ relinquantur cruditates, quæ

pessimos, & lætales humores generent. Vnde vt videbimus, vita sobria, est fomes vitæ, & inordinata, eius destructio. Et merito Plato 2. de legibus omnino vetuit adolescentibus, ne vinum biberent vsque ad 22. annum, ne ignis igni addatur, & certe obseruandum esset in locis calidis, & complexionibus, vt erant Græci.

QVÆSTIO IIII.

An dentur signa temperamentorum in singulis partibus humani corporis.

Videtur quod nō dentur quædam signa, per quæ Medici possint cognoscere hunc, vel illum esse huius, vel illius temperamenti, s. sanguinei, cholerici &c. Primo. Nam totum æterogeneum sicut est dissimilium partium, ita est diuersi temperamenti, siccitatem enim petit in ossibus, humiditatem in cerebro, & caliditatem in corde &c. Ergo male potest cognosci temperamentū hominis. Est enim totum æterogeneum.

Secundo. Ad cognoscendum hoc temperamentum, vel vtimur sensu tactus, vel ratione discurrente. Si primum, idest si per tactum volumus iudicare, iudicabit omnia dura esse sicca, & tamen hoc est falsum, quia etiam glacies est dura, & tamen est humida. Et ita iudicabit mollia esse humida, & tamen errabit, quia caro elixa nimis est mollis, & humida ad extra, & intus sicca. Si secundum, ratio de facili decipietur, quia necessario sensu vtetur, at sensus fallax est. Ergo non possumus scire naturam temperamenti alicuius.

Tertio. Innumeræ fere sunt partes in humano corpore, & hæ omnes variæ, imò aliquæ ex præcipuis adinuicem pugnantes, nam qui hepatis caliditate abundant, caliditate ventriculi deficiunt. Ergo male possumus dijudicare temperamentum hominum.

In contrarium tamen sunt omnes Medici, per partes, per sensus, & per rationem iudicantes de temperamentis hominum. Non errit igitur incongruum, vt de singulis partibus præcipuis humani corporis breuiter dilleramus, & ex ipsis iudicium temperamenti desumamus, vt in iudicijs omnia recte aptemus.

Sciendum est ergo primo generaliter, quod pars est ad aliquid, dicitur enim totius pars, vnde semper comparanda est ad totum, sicut plures voces in vna armonia ad armoniam totam referuntur, vnde & si plures voces inter se dessideant, tamen in vnum vnitæ, dulcem cantum portant. Ita & si plura sint membra in humano corpore, & quidem secundum se diuersarum qualitatum, tamen vt ad vnum totum referuntur, inueniuntur, vnam aliam attemperare, & sic ex omnibus vnum temperamentum profluere.

Secundo. Notandum venit, quod partes humani corporis multæ sunt, & quædam dicuntur membra, & quędam partes. Membrum proprie est illud, quod est solidum, & firmum, & ad aliquod officium deputatum, vt pedes, manus, caput, & sensus. Pars vero est id omne, quod ad integritatem totius humani corporis facit, sit solida, vel non, vt sunt spiritus, vel homogenea, vt caro, sanguis, &c. vel æterogenea, vt partes in quibus mixtio aliarum concurrit.

Distinguunt etiam Doctores membra in officialia, quia sunt instrumenta animæ ad aliquam singularem operationem, vt manus ad operādum, pedes ad ambulandum, oculi ad videndum &c. Et non officialia, sed simplicia, vt sanguis, & humores. Sed his omnibus generalibus distinctionibus relictis, breuiter principales, & non principales partes describimus incipiendo à capite.

DE CAPITE.

Caput à capiendo dicitur secundum Isidorum, eo quia omnes sensus, & nerui ab eo initium sumunt, & capiunt, & omnia, quę ad facultatem animalem faciunt ab eo originem desumunt.

Primo ergo habet caput maximam dignitatem, vnde inter externa membra sursum stat, quasi principatum, & gubernationem totius corporis suscipiens. Est enim sedes sensuum, principium, & origo omnium sensitiuarum operationum, animalis virtutis proprium domicilium, diffundens, & transmittens ad omnia membra inferiora sensum, & motum. Et secundum Galenum 12. de vsu partium, caput habet musculos ipsum mouentes 28. octo in parte anteriori, & 14. in posteriori ex diametro

-tro sibi opponuntur, alij vero sunt ad partes. Tenet septem foramina, septem planetis correspondentia, & sensuum instrumenta.

Secundo. Signum eius bonitatis est, quod non sit paruum, quia vt dicit Galenus 6. de moribus vulg. aphor.3.& in libro artis medicinalis, deficiet in imaginatiua, & cogitatiua, signat enim defectum materiæ, & virtutis informatiuæ.

Nec debet esse admodum magnum, quia ex superabundantia materiæ ad stoliditatem, & tarditatem faciet. Optima ergo figura capitis est, vt sit mediocre, & quando in similitudinē est orbis vtrinque compressi, seu globi terrei, inter manus, vel ligna duo compressi. Talis enim globus est rotundus, & tamen in vtroque latere aliqualiter erit planus. In parte enim anteriori est aliquantulum acutum, & eleuatum, & hoc ad retinendum ventriculū cerebri in prora capitis, ex qua procedunt nerui, quinque sensus facientes. Et simili modo eleuatur parum in parte posteriori. Propter receptionem ventriculi in puppi, ex quo procedunt medullæ spondybiles, & nerui facientes motum voluntarij. Deducunt etiam alij bonitatem capitis ex collo forti, & mediocriter grosso, & ex capillis de quibus alibi.

Tertio. Habet caput, quod sentiat dolorem, & hoc dupliciter. Primo, ex causa intrinseca, idest ex passionibus cerebri, vt patet in cephaticis, phreneticis, epilepticis &c. Secundo ex alijs partibus sibi correspondentibus, vt ex humoribus corruptis stomaci &c.

DE CEREBRO.

Cerebrum natura est corpus molle, & magis in parte anteriori, quam in posteriori, quę cerebellum appellatur. Qualitatibus.

Primo est album, vt facilius omnium rerum similitudines suscipiat.

Secundo habet multum de spiritu, vt multus esset in eo motus, & hoc dupliciter. Primo in se, quia semper mouetur secundum Galenum 6. de vsu partium cap.13. motu dilatationis, & constrictionis, quo motu etiam cor semper mouetur, licet aliquo modo differant. Secundo causaliter, quia regit, & mouet omnia membra corporis inferiora, singulis sensum largiens, & motus, vnde eo impedito, omnia in corpore impediuntur, & eo bene disposito, quæ sunt in corpore melius disponuntur.

Tertio tenet multum de medulla. Primo, vt temperaret calorem generatum ex motu, & secundo, vt etiam temperaret calorem cordis, vnde est frigidum, & humidū substantialiter, ad hoc vt refrigeret calorem magnum cordis, & humectet siccitatem arteriarum, quæ ex corde procedunt.

Quarto est sine sanguine, vel parum de eo retinet, ne eius calore inficeretur, & sic omne apprehensum rubeum esse videretur.

Quinto. Caret sensu tactus, sicut & sanguis, & aliæ superfluitates animales, & tamen est principium omnium sensuum.

Sexto est rotundum, vt capacius esset spirituum, & stabilius.

Secundo. Quo ad eius compositionem, & structuram dicimus illud esse tribus cellulis distinctum, quia tres habet concauitates, quæ à Physicis ventriculi nominātur. In anteriori ventriculo est imaginatiua, & fantasia, nam forma à sensibus apprehensa in fantasia recolligitur. In media sedet ratio, & cogitatiua, quæ dicitur ratio particularis, quia forma fantasiata ibi iudicatur, & discernitur. In posteriori est memoria, & recordatio, quia per rationē iudicatum ad memoriam transmittitur. Pars anterior, quæ etiam dicitur prora, est maior alijs, calidior, & liquidior. Maior vt nerui sensibiles ab ea procedant. Mollis, vt nerui sensibiles ad susceptionē sensus facilius disponantur. Calidior, vt ad susceptionem formæ imaginatiuæ aptior redderetur. Liquidior, & humidior, vt neruus sensibilis facilius moueretur.

Pars posterior dicitur puppis, quia ab ea partui nerui procedunt. Est dura, vt nerui motiui, motum facilius patiantur. Est frigida, & sicca, vt in ea melius fieret retentio. Est quieta, quia est cum pauco spiritu, nā ad eam pertinet quies, & status rerū memoriæ commendatarum.

Media pars inter proram, & puppim vbi sedet ratio, est calida, & humida; plus ceteris habens de spiritu, & medulla, vt per multitudinem spirituum possit fortius iudicare, & per abundantiam medullæ temperaretur motus animę, & melius discerneret iam fantasiata.

A cerebro ait Galenus lib. de compagine membrorum sunt voluptates. Dum (ait) per animales quinque sensus corpus fruitur, nouem voluptatibus sibi à cerebro illatis.s.dilectione, odio, tristitia, gaudio, audacia, timore, verecũdia, ira, & furore. Nam per quinque sensus supradicta peragit. In amore autem cor concutitur, & ex eius concussione duo spiritus calidi, & sicci prodeunt. Horum vnus, qui tenuior est cerebrũ petit, alter qui densior est per neruos diffunditur, & ad virgam ducitur, & sic erigit eam. At melius secundum Arist. dicendum venit passiones supradictas collocatas esse in irascibili, & concupiscibili, & originari, commouerique in corde, & perfici à cerebro per motus animales.

Tertio. Quo ad eius temperamentum dicimus hoc duplex esse. Primum malum, quod dicitur temperamentum abusiue. Secundum bonum, quod est proprie temperamentum.

Malum ergo temperamentum est, si nimis exsiccetur, vel humectetur, tũc enim corpus infrigidat, spiritus liquefacit, vnde infirmitates accidunt, & amissio intellectus visus, & tandem mors.

Cerebrum autem bene temperatum secundum Galenum debet habere quatuor conditiones.

Prima, quod sit bene temperatũ in quatuor qualitatibus, & si oporteat ipsum magis declinare ad frigiditatem, & humiditaté, quam ad caliditatem, & siccitatem ratione supra tacta.

Et in homine hoc præcipue necessariũ fuit, vnde & natura ei de maiori cerebro prouidit, qa in eo magis cordis calor feruet, & ebullit.

Secunda est, quod substantia cerebri debet esse mollis, clara, & peruia, quia sic facilius species recipiet, & clarius, quod si fuerit densior, & turbidior, difficilior quoque disciplinarum reddetur susceptio, sed firmior retentio, quia durities est cum siccitate, & mollitudo cum fluxibilitate, vnde in duris, & siccis difficilius formæ imprimuntur, sed diutius conseruantur, in mollibus vero promptius scribuntur, vel efformantur, sed cito corrumpuntur. Hinc est, quod solliciti, diligentes, mobiles, instabiles, audaces, iracundi, & inflati calidius habent quam par sit cerebrum, & obliuiosi, somnolenti, pigri, multum dormientes, & rudes, multum humidum.

Vnde tertia conditio est, vt non sit alteratum per aliquam qualitatem excedentem, minus suæ naturæ competẽtem. Si ergo siccitas excedit, causabit vigilãtiam, quia hic parum dormiet, firmiter in sua sententia stabit, & magnæ memoriæ erit. Si abundabit humiditas cum caliditate, erit multis superfluitatibus ex cerebro prodeuntibus subiectus. Cerebrum autem expurgatur per palatum, aures, & nares. Si excesserit cum caliditate siccitas, hic erit in caluaria, quæ est anterior pars cranei caluus, propter capillorum defectum. Habebit tamen sensus claros, & à superfluuitatibus purgatos, quia tale cerebrum paucas superfluuitates generat. Erit vigilans, animosus, vaniloquus, & sæpe instabilis. Si excesserit frigiditas cum siccitate, hic etiã habebit sensus claros, & meatus mundos à superfluis in iuuentute, & sine infirmitate, sed in posteriori ætate de facili debilitatur, & velociter senescit, & canescit, sed caluitium non patitur. Si vero frigiditas excedat cum humiditate, hic qui tale tenet cerebrum, multi, & profundi somni erit, sensus eius sunt obtusi, & multis superfluuitatibus pleni, & si frigiditas intendatur, & humiditas patiatur, incidet in apoplexiam, vel cadet in paralysiam, vel in mortem, & huic non erit caluitium.

DE OCVLIS.

Oculi dicuntur quasi occulti secundum Isidorum, quia tegmina ciliorum eos occultant, & quia secretum lumen intus habent. Ista sunt veluti duo luminaria magna cæli, quia lumen accipiunt, & refundunt, sunt instrumenta visus, & duo, vt si vnus deficeret, alius suppleret. Sunt animæ ad cognitionem necessarij, quia nulla est scientia per inuentionem acquisita, nisi ministerio oculorum, vnde plus alijs sensibus diliguntur, vt dicit Aristot. 1. Metaphys.

Primo ergo dico, quod oculi componuntur ex septem tunicis, & tribus humoribus. Tunicę tres stant à parte anteriori, scilicet retina, secundina, & sclirotica, idest dura. Quatuor sunt à parte anteriori, & externa.s.aranea, vuea, cornea, & coniunctiua. Primus humororum dicitur albugineus, secundus

secundus Cryſtallinus, & tertius Vitreus. Humor autem Cryſtallinus eſt ille, qui eſt viſus inſtrumentum, & hic eſt albus, lucidus, clarus, & diaphanus, vt citius in oppoſitos colores transferreretur, & ad ſpecies omnes colorum immutareṙur. Eſt in ſuperficie planus, ſed rotundus, vt per rotunditatem melius à nociuis ſe defenderet, & per planiciem, eius velocitas ad moderantiam duceretur. Oritur autem humor cryſtallinus per quem fit viſio à partibus cerebri ſuperioribus, puris, peruijs, & diaphanis, & inter humorem vitreum, & albagineum collocatur, à vitreo ſuſcipit ſanguinem nutrimentalem dealbatum, & depuratum, & ab albugineo eius ſiccitas temperatur.

Compoſitio autem oculi ſic habetur, & multis à naturalibus explicatur, quæ non ſunt hic ponenda.

Secundo, oculus redditur laudabilis. Primo, ex figura, vnde prominens, & erectus, ſignificat iudicij, & diſcretionis perturbationem, & multum profundus, defectum virtutis, & naturæ annuit.

Secundo. Item clauſura oculi debet eſſe mediocriter feſtina, quia ſi fuerit multæ aperitionis, & paucæ clauſuræ, inuerecundia, & ſtultitia denotatur ſecundum Ariſt.

Tertio, oculus cito mobilis, & multum, admodum calidus eſt, & mentis inſtabilitatem demonſtrat, & affectionum mutabilitatem. Oculus vero tarde mobilis, multum eſt frigidus, & pertinaciam annuit affectus, & voluntatis. Vnde oculus moderate mobilis ille eſt, qui laudatur.

Quarto, oculus niger eſt multi humoris, & pauci ſpiritus, bene de die videt propter luminis, & humoris in organo viſus aggregationem, de nocte eſt debilis, & obtuſus, quia lumen eſt debile, & humor nocturnus eſt grauioris motus. Oculus autem glaucus eſt pauci humoris, & ſpiritus, vnde de die eſt debilis, & de nocte fortis, quia materia glaucilitatis de ſe lucida eſt, & parua luce coadiuuatur. Oculi autem varij habent mediocrem humorē, & ſpiritum temperatum, vnde laudabiles ſunt.

Quinto, oculi magni ſecundum Aſtrologos naturales ſunt Iouiales maxime, ſi pupilla ſit magna, & ideo denotant perſonam beneficio Iouis eſſe decoratam. Et ſi Iupiter in natiuitate fuerit Lunæ coniunctus oculi potius ad albedinē declinabũt, quam ad nigredinem, cum aliquo defectu, & ſæpe vnus illorum erit altero grandior. Oculi Venerei erunt gratioſi, lucidi, ſed aliqualiter rubei, & ſunt iuſti, ſcintillant, lucent, & quaſi ludunt, & cum gratia ſe mouent. Oculi capræ denotant Mercurialem, vt ſuo loco diximus.

Tertio. In oculo conſideranda eſt pupilla, ſic dicta, quia in ea paruæ imagines videntur, nam paruuli pupilli appellantur. Vel dicitur pupilla, quaſi pura, & impolluta, vt puella. Circa ſe quendam circulum ducit, qui corona nominatur. In pupilla imagines eorum, quæ videntur ab oculo formantur, diſtinguit figuras, formas, & colores omnium rerum viſibilium, & omnia ſub angulo comprehendit, quia dum ſpecies viſibiles recipit, hæ in medio eius vniuntur, tamquam in tono angulariter.

De eo hoc mirabile dicitur, quod per triduum ante mortem non videntur illæ paruæ imagines, quæ in homine ſano, vel qui debeat viuere conſpiciuntur, vnde cum illæ diſparent, vita deſperata eſt.

Phyſionomi autem multa tradunt de moribus dignoſcendis hominum ex oculis.

Primo enim dicunt quo ad quantitatem, quod habens oculos magnos, & liuidos. Eſt inuidus, inuerecundus, piger, & inobediens, vt ſcribit Ariſt. ad Alexandrum. Et ſi multū ſint groſſi, indicium eſt pigritiæ, & complexionis phlegmaticæ, frigidæ, & humidæ, quæ complexio ſolet eſſe tarda, & in operationibus irreſoluta. Ita Ariſt. de animalibus, & Galenus libro. Quod animi mores ſequuntur temperamentum corporis. Oppianus addit talem eſſe timidum, & imbecille. Boues enim, Piſces Melanurus, & Hepetus maiores habent oculos, quam ſua natura expoſtulet Verum eſt tamen, quod ſi ſint magni, & continui, & rotūdi laudantur, quales oculos dicunt tenuiſſe Homerum, Socratem Neoptolemum, & Tiberium Cæſarem Quare Plato hos oculos habentes dicit in Theeteto eſſe iuſtos, prudentes, ſtudioſos, & amore plenos.

Oculos habens paruos eſt, naturæ cholericę, & aduſtæ, & ideo ad iram, perfidiam, & tradimenta inclinatum, & ſecundum multos eſt auarus, & libidinoſus.

Eos tenens eminentes, humiditate cerebri abundat, quæ organa ſenſuum exteriorum

rum

rum obtundit, motum corporis tardat, vias spirituum opilat, & ideo sic eos habens est stolidus, & stupidus, & ad negotia ineptus.

Oculi ergo medij, nec multum magni, nec admodum parui laude sunt digni, apud Arist. & Galenum. Sunt enim temperatæ naturæ, & animum ad sapientiam, prudentiam, fidelitatem, & honestatem disponunt.

Quibus autem quædam versiculæ sunt in palpebris superioribus, & inferioribus tumentes, secundum Arist. in Physiognomonicis, Suessanum, & Portam in sua Physionomia sunt somnolenti, vino dediti, & cerebro humidi.

Si autem palpebræ sint sanguineę, & crassæ, indicabunt secundum Aristot. inuerecundiam. Et si inferior palpebra fuerit retracta, ita vt oculum non cooperiat, per Albertum annuit talem hanc tenentem sic, ex nimia siccitate esse interiturum, & si fit ex infirmitate, mortem imminere.

Quando pupilla oculi lata est, vt tenent Oues, Boues, & animalia stulta, signum est hominis prauorum morũ, quod frequenti experientia testatur Porta se nouisse. Si est parua, vt habent Serpentes, Hyenæ, Simiæ, Vulpes, & testudines, indicat animum malignum, & secũdum Portam turpis Veneris amatorem. Si est mediocris, per Albertum sunt amicis affecti, & fortes in suis operationibus. Ex Polemone vero, qui impares habent pupillarum orbes, sunt stolidi, & ex Adamantio nefarij, & ex Alberto iniqui. Qui eos seruant æquales, amici sunt iustitiæ. Qui eos circumuolunt, nepharij. Et si præter inequales pupillarum rotationes nubes cerulea, viridis, vel discolor eorum fronti insederit, & supra supercilia apparuerit, dicunt Polemon, & Adamantius, hi à Dæmonijs omni genere nocumentorum lęduntur, & irruentes in eorum bona, varijs ærumnis vexant. Et quoniam multa sunt, quæ dicũtur à Physonomistis, quæ prolixa sunt, ideo summarie tangam, quæ de ipsis oculis, ac alijs hominis partibus iudicari possunt. Dicamus ergo. Oculi magni, & grossi pigrum significant. Eminentes, stultum, & stolidum. Concaui, & parui, malignum. Mediocres, & bene formati, naturam bonam. Pupilla nigra, aptum ad speculationes. Grandę, immorigeratum. Lacti, vitam diuturnam, Lucidi, & humidi hilarem, & bene morigeratum. Intus concaui, magnanimum.

Si cito se mouent, timidum. Si semper in motu hinc, inde. Instabilem.

Oculi multum prominẽtes, Asinum fatuum, duræ ceruicis, inuerecundum, & vociferantem. Prominentes tumidi, & foueati. Dolosum. Prominentes sursum, ferocem, vanum, insanum, & ingluuiantem. Prominentes deorsum, imitem, & implacabilem. Sanguinei prominentes ebriosum, gulosum, timidum, & instabilem. Prominentes cæsij, incompositum, & iniquum. Prominentes cum grauedinosis superciliis, certam dementiam. Prominentes, & sicci. Patricidam, homicidam, puericidam, & veneni propinatorem, & facinorosum, sed acute videntem.

Concaui, & parui oculi, dolosum moribus, insidiosum, & inuidum, quales oculos tradit Porta, tenuit Cæsar Borgia Dux, Valẽtinus, & magnus Tarmerlanes. Concaui, parui, & sicci, idest caui. Infidelem, sacrilegum, & perfidum. Magni, & concaui, mitem; Concaui, & vt aqua in vase sese mouentes. Prauæ naturæ virum. Concaui intenti, & firmi in quem aspiciunt. Virum moribus probum. Concaui, intenti, & fluidi. Dolosiorem. Concaui, intensi, & fluidi cum mollitie. Dementem. Neque prominẽtes, neque caui. Magnanimos vt Leones. In longitudinem vultus positi, idest, extensi cum vultu. Calidum, malitiosum, deceptorem, & nequam.

Oculi quo ad colorem. Si sunt coloris cæsij albicantes, significant hominem timidum. Cæsei Crocei. Siluestrem, & ferum; agrestemque crudelem, & deceptorem secundum Adamantinum. Tales oculos habent noctuæ, & habuit Sylla secundum Plutarchum, & Sfortia secundum Iouium. Cesij cum paruis pupillis. Illiberalem, versipellem, auarum; Cæsij, & ficciores. Iniustum, ferum, & agrestem. Cæsij viridantes. Fortem. Cærulei. Seuum, auarum, & dolosum, vt Galba fuit. Cærulei, magni, stantes, & splendẽtes. Virum optimis moribus præditum, & animosum. Si declinẽt ad cælestem, vel nigrum colorem, acutũ, & fidelem. Tales oculos habuit Homerus, & alij Poetæ insignes apud Portam, imò Minerua, &c. Oculi nigri. Timidum. Valde nigri. Calidum, & dolosum, & timidũ,

&

& deceptorem, vt sunt Aetiopes, & Arabes. Aquilinus color, idest aquæ, non Aquilæ, qui sunt coloris fuschi, & sub nigri, vt patet in Ouibus, & Capris. Stolidum, & indocilem. Flaui, animosum, robustum, & magnanimũ, vt fuit Iulius Cæsar, ex Suetonio. Fului. ad nigredinem declinantes, vt sunt in Aquila, Leone, Vulture, Cane, & Ariete. Animosum, acutum, & ingeniosum. Caprini secundum aliquos stolidum, & secundum alios optimum virum, dicentes Arist. 1. Animalium, dum oculos Capri nos detestatur, de oculis ouium esse locutum. Subrubi oculi. Valde iracundum, & in iram præcipitem, & bestialem, & impudentem. Subrubi, & sicci oculi. Valde iracundum. Subrubi, & humidi. Ebriosum, & vino deditum. Igniti, & canini. Impudentem. Maculosi orbiculi nigri rubricantes circũquaque. Hominem omnium detestabiliorem, proditorem, homicidam, infidum, & irreligiosum. Parui, & varij. Seruilem, quæstuarium, & adulatorem, & imbecillem. Calculi æquales in oculis fuluis. Agrestem, iracundum, iniuriosum, & adulterum. Inæquales in fuluis oculis. Si maiores, seuerum. Si minores, mitem. Calculi sanguinei in nigris oculis. Venenorũ ministrum. Pallidi in nigris oculis. Maugonem, & venenorum propinatorẽ. Calculi cerulei, & flaui æquedistantes, circa pupillam ordinate currentes in oculis varij, idest, quando in oculis cesijs, circa pupillam cerulea grana magnitudine milij, & alia flaua ordinate inter se æque distantia, sicut monile circa pupillam currunt. Ingenium denotant furtiuum, & dolosum, & secundum Adamantinum. Solertem, & intelligentem, sed mendacem. Calculi ignei, albi, subalbicantes, pallidi, igneis admisti, sanguinei, in nigris oculis, vel circa rotæ circumferentiam nigredo igni admista, subalbicãs, non valde ignea, vt eminus nigrum repræsentet. Generosum, prudentem, taciturnum, iustum, bonæ indolis, & magnanimum. Calculi pallidi, igneis admisti, & cesij, & oculi magni commoti micantes, & aspicientes, vt irati solent, & quasi palpebras referent, & subluceant veluti ignis, vt habent Lupi siluestres, & apri. Crudelem, agrestem, & rapacẽ. Calculi quadrangulari forma ignei, instar ignis sublucentes, & præter hoc alij pallidi, igneis permisti, & si circuli cesij, & cerulei pupillam ambiant. Pessimũ, & atrocissimum virum, nulli parcentem, qualis fuit Ezellinus de Romano, & Ioan. Maria Vicecomes.

Oculi tenebricosi. Annuunt impudentẽ. Tenebrosi, & aridi oculi. Superbum, & inuidum. Tenebricosi, & parui. Dolosum, malorum artificem, mutabilem, & malitiosum. Tenebrosi, & caliginosi. Dolosum, perfidum, & intemperatum. Oculi discolorati, vt habent conualescentes. Timidũ. Truces, & minaces, vt habuit Mahometes secundus Turcarum Imperator. Crudelem, immanem, armis deditum, ingenio perfidum, asperum, immitem, atrocem, fœderis violatorẽ. Fœdi oculi, idest obscuri, turbati, squalidi, nebulosi, & subliuidi, vt tenent carnifices, & siccarij. Semper machinantem neces, insidias, adulteria, sacrilegia, infidelitates, & scelera, vt fecerunt Catilina, & Nero, qui apud Suetonium fœdos habuerunt oculos. Obscuri, humidi, & iustæ magnitudinis. Constantem, disciplinis habilem, ingeniosum, verecundum, timidum, & parcum. Lucidi oculi, & clari. Optimos mores. Splendentes, ad modum Iaspidis, & aliorum politorum lapidum, vt apparet in capris. Stolidum, & secundum alios Mercurialem, & ingeniosum. Splendentes cum lumine magno. Furem, & stolidum in furto. Splendentes cesij, & sanguinei. Audacem, calidum in negotijs, & impatientem, omnia audentem. Splendentes fului, cum lumine. Pauidum, & ad omne negotium trementem. Splendentes, & nigri. Astutum, meticulosum tamen, & malignum. Splendentes nigri, & subridentes. Ad omnes turpitudines paratum. Splendentes, & torue aspicientes. Animosum, fortem, furiosum, iracũdum, in actionibus properum, temerarium, timidum ad dicendũ, & nequissimũ. Splendentes, & sicci. Prauum, & scelestẽ. Splendentes, parui, & concaui. Prudentem, sed simulantem, & insidiantẽ, crudelem. Splendentes, quibus funiculus imminet, supercilia aspera, & palpebræ erectæ. Fortem, audacem sine consilio, & secundum Adamantinum fortem, cum cõsilio. Splendentes, quibus funiculus supereminet, aspera super cilia, & palpebræ erectæ, & aspectus trux, & amarus. Pessimũ omnibus. Splendidi oculi ad modum Galli, & Corui. Venereum. Fulgentes, & humidi, ad modum aquæ.

aquæ. Bonis moribus præditum.

Quo ad motum vero oculorum. Stantes oculi demonstrant humiditatem, & frigiditatem cerebri. Stantes, & humidi. Pauidum. Stantes, & pallidi. Insanum, & stupidum. Stantes cesij, & obscuri. Dolosum, & omnino fugiendum. Stantes, & super cilia eleuantes, & superantes. Prauũ consilio, seuum, iniquum, decipere cupientẽ. Subintuitus oculorum. Amorem latentem, & excrucîantem. Stantes subrubri, ingentes, & infra spectantes. Impudentẽ, iniustũ, cogitantem vana. Stantes, & parui. Auarum. Stantes, parui, prominentes, qui frontem, & super cilia cõtrahunt. Intentum ad negotium. Et si etiam sursum corpus trahunt. Iracundum, & violentũ. Stantes, parui, frons exporecta, & palpebræ mobiles. Curiosum, disciplinarum amatorem, & adiscendi cupidum.

Oculi se mouentes, sicut turbati. Suspiciosum, & fidei expertem. Se mouentes cum palpebris. Animo impotentem. Se mouentes, cum palpebris immotis. Confidentẽ, & in arduis audacem. Circum se mouentes, & obscuri. Vesanum, & libidinosum. Se mouentes tarde. Segnem, tardum, inertem, & male sensatum. Tarde incipientẽ, & tarde finientem. Se mouentes mediocriter. Optime temperatum.

Oculi parui, & vibrantes. Dolosum ostendunt. Vibrantes, & magni. Stolidum, & libidinosum Vibrantes, & salientes. Malum. Vibrantes tãquã salientes, grandes, splendidi, & lucidi, humidius contuentes. Admodum spiritosum, & excelsum, magnorum operum magistrum, & ducẽ. Iracundum tamen, ebriosum, celerem, Epilepsiæ vicinum, & super alios gloriosum, qualis fuit Magnus Alexander Macedo. Vibrantes, circumtuentes oculi. Inamabilem, crudelem, gulosum, cithara, fistulaque, & musica gaudentem. Vibrantes, & turbidi. Infidum, iniustum, & audacissimum.

Oculi clausi, sursum abeuntes, & stantes. Commonstrant, intemperatum, vanum, insanientem, libidonosum, & gulosum. Tales oculos tradunt aliqui habuisse Torquatum Tassum Poetam celeberrimum. Clausi, recti, humidi, iustæ magnitudinis, splendentes, cum leui fronte. Verecundum. Optimi consilij virum, dulcem, amabilem. Claudentes recti, iustæ magnitudinis, cum leui, seu leuigata fronte, & sicci. Temerarium, malignum, & iniustum. Claudentes sese oculi cum fronte aspera, supercilijs obliquis, & palpebris duris, & concretis. Siluestrem animum præferentem, temerarium, laudibus se inflantem, & muneribus se corrumpi permitentem. Claudentes cum palpebris non rectis, nec supercilijs immotis, sed trementibus, & quando oculi, & aspectus submouentur. Effeminatum.

Aperti semper, & valde stabiles oculi, vt aliquid meditantis, obscuri, & humidi. Significant accuratum hominem. Obscuri, humidi, & mitis aspectus. Probum hominem. Aperti, sicci, splendentes, puro lumine relucentes. Impudentem, & audacissimum. Apertis oculis dormientes. Timidos, vt Lepores. Claudentes, sese, & aperientes. Insidiosum, inconsultum, & deceptorem. Et si fuerint pallidi, & trementes. Insanum, & amentem futurum.

Oculi nictantes, idest sæpe se aperientes, & claudentes, & palpebrizantes. Timidum, & eum qui de recenti coiuit. Et si fuerint sicci. Insidiosum, fraudolentum, & malum ordientem. Et si fuerint distorti, & subpallidi. Fatuum. Non conniuentes, idest de raro oculos aperientem, & claudentem. Audacem, fortem. Et si grauiter intueantur. Non cogitantem bonum. Sed si placide intueantur, & sint humidi. Curiosum, multa animo spectantem, amori deditum, & facilem. Pallidi vero sub rubri, & sicci, non conniuentes. Malitiosum, iniquum, iracundum, vt demonem malignũ, & stolidum. Tales habuit Christernus Rex Daciæ. Et si in se circumuoluantur. Magnopere amentem.

Mobiles oculi, annunt raptorem argumento accipitrum. Mobiles, & acuti visus. Latronem, fraudolentum, & infidelem. Mobiles, & rubei. Animosum, fortem, & potentem. Lusciosi oculi. Seu subcecutientes, & ad lucernam minus videntes. Luscũ in moribus, & suis operibus. Alteram palpebram iuxta medium, visum stantem cõgruentem, sursum attollens, placide intuens. Mechum. Palpebras comprimens, & molliter intuens luscus. Mechum, & deliciantem.

Oculi ridentes, & iubilantes. Dolosum, sua secreta celantem, & malignantem. Tales habuit Aeneas Phrygius, & Tammasus Ismaelis Sophi Regis Persarum filius. Hilares,

lares, & subaspicientes. In summo virum nequam. Hilares, & caui. Malum meditantem. Ridibundi, frons, genæ, supercilia, & labia commota. Decipere volentem, Ridibundi, & minaci aspectu intuentes. Iniusta meditantem. Hilares, patuli, & sicci. Insidiosum, & malum. Hilares, & humidi. Vanum, rudem, imprudentem, amore carentem, & intemperatum. Et si palpebræ eius sint remissæ, frons longa, tempora; vtrinque producta. Moribus decorum, humanum, pium, hospitalem, prudentem optime consulentem, beneuolum, & charitate plenum.

Oculi tristes, tristitiam præseferentes, & humidi. Prudentem, & disciplinarum amatorem. Tristes, & aridi. Malum. Tristes, supercilia compressa, frons demissa, & austera. Fidum, pium, probum, bene consilantem, & prudentem. Tristes, & aridi, frons aspera, obtusus intentus, palpebræ recta. Rusticissimum consilium, ad omne malum paratum, præcipitemque.

Oculi sursum euntes. Indicia sunt stoliditatis, & stupiditatis, sacri morbi, fallacitatis, ingluuiei, & vinolentiæ. Et si tremor aderit. Non longe erit à sacro morbo. Et si pallidi fuerint. Crudum, inhumanum, timidum, inuidentem, & homicidam significant. Et si fuerint subrubri, & magni, Bibacem, & aleatorem, immunda loquentem, canibus se delectantem, intemperatum, & stupidum. Deorsum vero euntes, & supplices. Rusticum, iracundum, & crudelem. Et si vnus sursum, & alter deorsum tendat trementes, cum halitu, aspero, & denso. Hunc futurum Epilepticum dixit Adamantius.

Strabi oculi oblique aspicientes. Inuidum denotant, peruersam mente, terribilem. Et si sint retorti ad dexteram. Stultum, & luxuriosum, vt Hircum. Et si ad sinistram Luxuriosum itidem. Si ad nasum introrsum. Gratiosum. Venereum, amicabilem, & amori deditum. Si fuerint Strabi, aridi, & patentes, non tremuli. Verecundum, & iustum. Si vero aridi sint, strabi, patentes, & tremuli Maleficum, & audacissimum. Hæc quæ de Physionomia oculorum diximus, & aliarum partium dicemus ex Polemone, Adamantio. Io. Baptista Porta, & Episcopo Iustinopolitano Io. Ingenerio, ac alijs accepimus, & inclinationes ex tēperamento annuere intendimus, supra quas omnes sedet libera voluntas, nec astris, nec temperamēto corporis subiecta.

De cilijs, & supercilijs.

Cilia sunt oculorum tegmina à celando oculos sic dicta, secundum Isidorum. Dicuntur etiam palpebræ, quia palpitando mouentur, vt assiduo motu obtusum reficiant.

Officium ipsorum est. Primum celare, & tegere oculos, ne varietate obiectorū mentem distrahant, vel superflue occupent. Secundum est mediocriter intercidendo aerem, ipsum subtiliare, & sic visum serenum custodire, & conseruare. Tertium est ornare oculos, & eos confortare, vnde dicit Arist. lib. 4. de animalibus, animalia palpebris carentia esse debilis visus, vt sunt pisces, & lepores. Animal autē quadrupex oculum claudit per palpebram superiorem, & auis per inferiorem, quę potius vocanda est quoddam coopertorium, & tela, quam palpebra.

Natura ipsarum est in substantia neruosa, & tenuis, propter facilitatem motus, suo enim motu continuo aerem intercidunt, & sic à lesione aeris oculos custodiunt. Sunt vilis, & pilis in extremitatibus sepæ vt si quid oculis apertis aliquid contrarij aduenerit, ipsum repellant, & dormiendo ne lædantur, custodiant. Sunt in extremitatibus pili ipsarum mediocriter reflexi, vt palpebræ facilius, & fortius se claudant. Habent determinatum augmentum ipsæ, & eorum pili, qui non crescunt sicut alij, & scissura non indigent.

Supercilia vero sunt super palpebras, quæ etiam cilia dicuntur, & multitudine pilorum sunt vestita. Honestant oculos, nocium, quod ex superioribus oculis esse potest impediunt.

Ex physionomia autem ciliorum, & superciliorum ista habemus.

Defluentia cilia. Luxuriosum ostendunt. Inferius arcuata. Natura mendacem calidū, & stultum. Solida, & nigra. Perfectum animum, & constantem.

Supercilia vero non explanata, sed veluti curua. Annuunt animum virilem, iracundum, audacem, ambitiosum, æternitatis cupidum, bellatorem egregium, inuictū, & crudelem, vt fuit Mahumetes secundus Bizātij expugnator. Superius insistentia.

Acerbum, & austerum, stolidum. Iuxta tempora inflexa. Derisorem, simulatorẽ, & subsanatorem. Iuxta nasum diuulsa, ad tempora extensa. Fatuum, vt sunt Sues. Expansa Tristem. In totum demissa. Inuidum. Coniuncta. Tristem, & mestum. Sed si arcus videatur ad nasum contingere, (dicit Albertus) significabit leuem, subtilem, & studiosum in operibus suis. Coniuncta, & densa, idest capillorum longorum, & multorum. Ineptum ad loquendum, multa cogitantem, & multum tristantem. Et si fuerint multum pilosa, & coniuncta. Impium, furem, deceptorem, homicidam, & semper mala molientem. Arcuata, & quæ frequenter eleuentur. Animosum, stultum, & iracundum. Gloriosum, & minacem. Inclinata deorsum, ita vt dum alteri loquitur, & eum intuetur, ostendit quasi se velle sub eis latere. Valde malitiosum, mendacem, proditorem, tenacem, pigrum, & paruiloquem. Oblonga. Arrogantiam, & inuerecundiã. Longa, & multorum pilorum, & magna. Feritatem, & meditationem. Rara. Naturæ imbecillitatem, & remissionem. Rara, magna, & commensurata secundum longitudinem, & breuitatem. Facilem ad apprehendendum, & intelligendum.

DE FRONTE.

FRons dicitur quasi foraminibus oculorũ decorata. Est sua natura os semicirculare, nec multum durum, nec multũ molle, vt esset temperamentum, ne læderetur vicinitas oculorum. Pelle autem extrinseca induta est ad sui defensionẽ. Infra eius concauitatem descendunt nerui ad omnia instrumenta sensuum inferiorum.

Dicẽdum est ergo, quod frons est speculum & sedes verecundiæ, & hominis, turris omnium neruorum, ad sensuum operationes necessariorum, & character Christiani, quia in fronte fit signum Sanctæ Crucis, quod est signum iustitiæ, & salutis, vt dicit D. Gregorius.

Quo ad animi mores, & temperamentum corporis per ipsa iudicata tradunt communiter Physionomi.

Frons magna secundum Aristotel. Galenum, Polemonem, Adamantium, Portam, ac alios est bouina, & ideo denotat ignauiam, segnitiem, & timiditatem, & ingenij obtusitatem, propter materiæ vbertatem, operationi inobedientem. Virtus enim minus restricta debilior redditur. Parua vero multum, significat mobilitatẽ, & stoliditatem. Lata, idest à capillorum radicibus vsque ad supercilia protensam, vt habuit Caligula. Stultitiam, & fatuitatem. Angusta, vt tenent sues. Imperitiã, inquietudinem, & inquinamentum. Longa, vt fuit Platoni, & Danti. Vigorem, docilitatem, intelligendo per longam frontem ab aure ad aurem distensam. Quadrata, & pro ratione faciei mediocris ad modum frontis Leonis. Annuit magnanimũ, fortem, prudentem, ingeniosum, & ad dicendum propensum. Circularis, & rotunda. Iracundum, & pusillanimem. Rotunda, & connexa ad modum Asini. Stupidũ, & imprudentem. Depressa. Effeminatum. Minus plana ad modum canum. Sagacem. Aspera cum fossiculis, & monticulis. Perfidum, furentem, & mente captũ in fine.

Caporata frons quo ad pellem, scilicet crispata, rugosa ad modum cornium crispocum caprarum. Cogitabundum. Et si semper contractas rugas frontis teneat, Cogitantem multa, & melancholicum, & seuerum. Rugosa ad sui medium declinans. Iracundum. Rugosa in altum. Admirantem. Valde explanata. A curis semotum. Erugata, & porrectior Fallacem, quales male dixit Conciliator esse Bononienses, cum multis annis nouerim eos ingenuos, ac magna animi magnanimitate præditos. Talẽ enim frontem habuit Epicurus, vt Sidonius Apolinaris ad Faustum tradit. Lenis, idest sine rugis Litigiosum. Frons recta, non magna, macra, neque lenis, neque rugosa. Medium virum. Tranquilla, & exporecta ad modum canum blandientium. Assentatorem, blandum, palam blandientem, & clam detrahentem. Nebulosa frons ad instar frontis Leonis, & Tauri, idest frons, quæ circa supercilia ad modũ numi prominet. Audacem, magnanimũ, & iracundum. Obducta, & feralis, idest supra oculos curua, nubilosa, qualem habuerunt Selymus decimus Turcarum Imperator, & Carolus Burgundiæ Dux. Indomitum, bellicosum, & hominum terrorem. Media inter tranquillam, & nebulosam, vt fuit Francisco primo Galliarum Regi. Impauidum semper, in prospera, & aduersa fortuna eiusdem constantiæ, & pro-

bitatis. Alta. Pertinacem, & audacem. Austera, & tetrica ad modum lugentium Ferum, & immanem.

DE TEMPORIBVS.

Tempora dicit Isidorus dicuntur illa capitis membra, ad dexteram, sinistramque capitis adiacentia, quæ sua mobilitate continua, quasi interuallis temporum immutantur. Sunt enim ossa vtrimque posita, in lateribus oculorum constituta, quæ aliquantulum sunt mollia, & neruosa, quod fuit necessarium propter motum sensuum, & oculorum perficiendum. Nam spiritus animales per tempora ad instrumenta sensuum mediantibus neruis deferuntur, & spiritus vitalis per quasdam arterias à corde ad cerebrum per tempora demandatur, & ideo semper pulsant, & si ledantur, quia in eis sunt viæ, & colligationes arteriarum, & spirituum animalium, & vitalium, inferunt mortem. Quare percussio, quæ cadit super ossa temporum mortalis est. Humor enim, qui in temporibus est, cito exit propter ossium tenuitatem.

Physionomi autem de temporibus ista dicunt. Caua tempora, vt fuerunt Caligulæ. Denotant trucem, dolosum. Pilosa, & pilorum rectorum. Luxuriosum. Sed Albertus dixit. Pili densi, & vasti circa tempora, & aures, demonstrant libidinosum, & calidum. Sed tenues, & rari iuxta tempora frigidum, & sine viribus hominem.

DE AVRIBVS.

Avris dicitur à vocibus hauriendis, quia est instrumentum auditus, vnde aures dicuntur, quasi audes, vox enim per eorum anfractus repercussa, & ad meringã delata, sonum facit significatiuum, & non. Est natura sua quædam substantia cartilagenea, continens duo foramina, in petroso osse constituta, in quibus nerui à cerebro descendentes sunt infixi, sensum, & motum auribus deferentes, & vocis immutationem à foraminibus receptam, animæ iudicio portantes. Et ista foramina sunt sicut torcular transuersa, ne frigidus aer, nimis cito intret, & interiores panniculos seu neruos lædat, & ne aliquid nociuum incidat, quod auditus instrumentum impediat.

Necessaria est autem auris. Primo, ad custodiendum auditum sub ipsis latitantem, nam sicut supercilia visum defendunt, ne ab aliquo offendatur, sic & aures auditum ab omni cadente aduerso protegunt. Secundo, quia in ipsis sonus vox, & non vox adunatur, & ad cartilaginem, & meringam vnititius demandatur, & sic melius percipitur. Hinc dixit Arist. instrumentum auditus plenum esse spiritibus naturalibus, quia sicut spiritus facit in venis motum pulsatilem. Sic in aure facit virtutem auditiuam.

Debilitatur autem auditus. Primo, ex humiditate, & frigiditate relaxante pellem me ringhæ, vnde senes deficiunt auditu. Secundo, ex nimia libidine secundum Arist. propter perturbationem spirituum, qui auditum perficiunt.

Leditur etiam primo, ex apostemate nato in aure, ex quo sanies egreditur. Secundo, ex vermibus foramen auris intrantibus, ab externo. Tertio, ex putridis humoribus intrinsecus nascentibus, vnde oritur intra auriculas prurigo, & titillatio. Quarto, ex superflua carne, atque veruca, quando mali humores in ea adunantur. Quinto, ex indispositione nerui aurem ingredientis, nam si in panniculis cerebri ventositas claudatur, idest in parte nerui auricularis, sentitur motio, sonitus, & tinnitus. Sexto, ex grossis humoribus illic se mouentibus, & tunc sentitur grauitas capitis, cum sonitu, & tinnitu. Septimo, ex contractione (vt diximus) nerui sensibilis, vt in senibus. Octauo, ex acuta ægritudine, quia humores cholerici ad cerebrum ascendentes auditum impediunt, vnde necessarium est tunc choleram purgare.

Puer vero naturaliter nascitur surdus, cum natura instrumentũ auditus negligit perforare, vel ex defectus virtutis, vel ex indispositione materiæ.

In hominibus vero aures positæ sunt in medio capite, minus mobiles, & secundum dimensionem breuiores, propter excellentiam auditus eius, & ad hoc, vt vndequaque posset sonos percipere. In quadrupedibus vero, vt in Equis, Asinis Bobus &c. sunt in superiori parte corporis collocatæ, cum multo motu, quia cum caput ad terram inclinatum teneant, ex alto percipere voces debebant. Aues vero, & pisces, quamuis non habeant aures paten-

tes, tamen à natura quasdam vias occultas receperunt, per quas sonum, & vocem percipiunt.

Physionomi vero de auribus ista pronunciant. Magnæ aures. Indicia sunt magnæ fatuitatis, & maximæ stoliditatis Asininæ, imprudentiæ, sed longhæ vitæ. Magnæ, & subflaccidæ. Fatuum. Magnæ, & erectæ vltramodum. Stultum admodum, & loquacem. Valde paruæ, vt Simiæ. Latronem, luxuriosum, malignum, & malorum morum. Paruæ, & protensæ sicut in canibus ædium custodibus. Fatuum. Longæ, & angustæ. Inuidum, & prauum. Rotundæ nimium. Indocilem. Exsculptæ. Docilem. Non exsculptæ rotundæ valde. Rudem. Decenter magnæ, & quadratæ. Virilem, & optimorum morum. Rubidæ aures, vt habent pudefacti. Verecundum.

DE NASO.

Nasus secundum Isidorum à naribus dicitur. Nares autem sunt per quæ odorifera odoramus, & inter fœtida, & odorifera discernimus.

Secundum suam naturam nasus habet duo foramina, quæ per quandam substantiam cartaginosam sunt distincta. Vnum horum ad concauitatem palati tendit, alterum superius ad pelliculas cerebri vadit; vt cerebro aerem attrahat, & naribus spiritum animalem deferat, & ad sensum odoratus perficiendum adducat. Primum foramen est necessarium ad ejiciendas superfluitates, à cerebro venientes, aliud ad spirandum, attrahendum, & odoratum perficiendum.

Sunt tamen propria instrumenta odoratus duæ carunculæ, quæ à naribus dependent per modum mammillarum, quę primo aerem attractum in se recipiant, & deinde ad interiorem partem cerebri transmittunt. Neruus enim à cerebro veniens, illa duo vbera nasi subintrat, & eis animalem spiritum subministrat. Dicimus ergo nasum esse membrum, & organum officiale, aeris attractiuum, & emissiuum, inter odores discretiuum, grossarum superfluitatum cerebri purgatiuum, spiritui animali administratiuum, & per attractionem aeris pulmonis dilatatiuum, e constrictiuum. Est faciei magnum ornamentum, & multarum rerum indicium, vt dicemus.

Læditur autem nasus, & in suo effectu impeditur secundum Galenum, & alios. Primo ex mala cerebri dispositione. Secundo, ex opilatione nerui odorabilis. Tertio, ex fetidorum humorum, & corruptorum in carunculis narium repletione. Quarto, ex generatione carnis superfluæ corruptæ in foraminibus nasi, vt in leprosis, quæ læsio etiam vocem offendit, minorando eam. Quinto, ex fluxu nimio humoris, in ventriculis cerebri defluentis, & hoc ex dissolutione caloris, vel ex nimia constrictione frigoris, vt in catharro. Sexto, ex nimia repletione, & acumine sanguinis, ora venarum nasi aperientis, vnde de naribus sanguis fluuit. In acutis autem febribus fluxus sanguinis ex naribus, causa est dissolutionis morbi, & mulieribus menstrua non habentibus vtilis est sanguis ex naribus. At quando in acuta febri nares constringuntur, & nasus acuitur, signum est mortale, quoniam ob frigus mortis ista sunt. Dicunt naturales nasum preputio correspondere, cum quibus longus est, & crassus, eadem mittonis forma; sic si acutus, vel crassus, vel breuis. Narium vero qualitas testiculis correspondet.

Physionomi autem de naso ista tradunt.

Magnus nasus. Denotat probum hominem. Valde magnus. Hominem aliena iudicantem, & ea reprobantem, sua extollentem. Valde paruus. Instabilem, furem, & tergiuersantem. Rectus. Linguæ intemperatum. Obliquus, seu intortus. Obliquum mente. Ad faciem bene articulatus, & discretus. Probum, fortem, ac prudentem. Ad faciem male discretus. Effeminatum, & rudem. Longus ad os protensus. Probum, & audacem. Crassus. Impudentem. Mediocriter longus, latus, & apertus. Optimum. Incuruus à fronte instar coruorum. Impudentem, furem, rapacem. Aduncus instar aquilæ. Magnanimum, & animo regium. Talem habuerunt Cirus ex Plutarcho. Magnus Artaxerses. Demetrius. Neoptolomeus. Scanderbeccus, Magnus Sfortia, & alij inuiti animi Heroes. In medio latus declinans ad simitatem. Mendacem, & verbosum. Extremo crassus, scilicet qui habeat extremum nasi crassum, vt Boues. Iniquum, & segnem. A summo crassus. Insensatum.

Extremum nasi acutum, significat si fuerit subtile. Valde iracundum, vt canem. Si sit

tentiæ iracundum etiam.

Extremum nasi gracile ad modum auium. Leuem, & festinum. Nasus rotundus, cũ extremo obtuso, ad modum Leonum. Magnanimum. Simus, luxuriosum, ad instar Ceruorum, & Caprorum, vel melius Simiarum. Patulæ nares, & duræ, vt sunt in irato, iracundum, agrestem, & pertinacẽ. Obstructæ nares. Vesanum. Sursum distantes nares. Misericordem.

DE GENIS.

PArtes illæ quæ dicuntur communiter maxillæ dicuntur etiam genæ, & malæ, & sunt compositæ ex neruis, & ossibus, & horum ossa cranio cerebri sunt coniuncta. Et ponuntur sub oculis ad eorum protectionem, & in his magna hominis pulchritudo collocatur.

Ipsæ autem complexionem, & temperamentum hominis ostendunt. Nam multum rubicundæ, cum temperata albedine, & in substantia nõ nimis crassæ, sed mediocriter carnosæ, indicant calidam, & humidam complexionem. Si vero fuerint albæ multum, sine alicuius rubedinis admixtione, & in substantia, pingues, molles, & fluuidæ, temperamentum frigidum, & humidum nimis annuunt. Si vero fuerint, fuscæ, aut citrinæ, & in substantia tenues, & macilentæ, manifestant temperamentũ cholericum, siccum, & calidum. Si autem fuerint liuidæ in colore, & in substantia à carnibus depauperatæ, dicito illas demonstrare temperamentum melancholicum, siccum, & frigidum.

Physionomi vero dicunt carnosas genas significare inertiam, & vinolentiam. Graciles ad modum Simiæ, malignitatem, & vafritiem, & inuidiam. Crassæ ab oculis distantes. Inuidum. Rotundæ. Dolosum. Oblongæ. Nugacem, & vaniloquum. Rubræ. Ebriosum. Crudelem, & libidinosũ. Pilosæ. Stupidum, & feralem. Cõrractiones faciei, & genarum in tristi facie. Stultum. In hilari facie. Adulterum, & Cinedum.

Et quoniam cum genis facies ipsa refulget, ideo de physionomia etiam faciei, agemus.

Dicunt ergo Physio. Facie pulcherrimi. Solent quibusdam virtutibus pollere, & quibusdam etiam vitijs coinquinari, vt de Alcibiade, Demetrio, Alexandro Priami filio, Ismaele Sophi, Helena, Faustina, & alijs tradunt historiæ. Proportio autem membrorum faciei, quæ dicitur concinnitas, & animum aliorum in se rapit, vt de pluribus tradit Io. Baptista Porta de Hum. Physiog. cap. 13. Significant virum omni splendore virtutum admirandum. Deformes facie. Deformem moribus.

Valde niger color faciei. Denotat. Versutũ, timidum, & furem. Valde albus. Timidum, & effeminatum, mulique feminis, & luxuriosum. Squallidus, seu fuscus, inter album, & rubeum, vt est habitantibus in sexto climate. Fortem, & animosum. Pallidus. Timidum, & amantem. Subliuidus, illiuidus, flauus, seu subflauus. Pauidum, & improbum. Si pallidus. Dolosum, & malignum. Si plumbeus. Breuem vitam. Mellinus. Timidum, tardum, epulonem, iracundum, & nugigerulum. Ruffus. Fraudolentum, perniciosum, ac varijs moribus præditum. Flammeus. Furiosum. Rubeus. Acutum, & subtilem. Candirubet optimum ingenio, & complexione.

De barba, & capillis capitis, &c.

BArba est viri ornamentum, & maxillarum cooperimentum, & adiutorium, quoniam tuetur sua villositate neruos maxillares, ne à nimia aeris frigiditate noceantur.

Est autẽ barba caloris, & vigoris indicium. Hinc homo barbescit, & non mulier, quia masculi feminis sunt calidiores, & pueri quamuis sint calidi, & humidi non tamen barbam emittunt, eo quia materia pilorũ, quæ est fumus, seu superfluitas fumosa in eis transit in nutrimentum, & augmentũ. Illi ergo qui sunt fortis, & calidæ complexionis, bene barbescunt, quæ vero debiles sunt siccæ, & humidæ, raros habent pilos in barba.

Tradit autem Aristot. capillos representare qualitatem vaporis, ex quo generantur. Quare qui habent capillos capitis, & barbæ crispos, reflexos, & inuolutos, sunt subiecti fumositati calidæ, & siccæ. Calor enim illos distendit, & siccitas eos inuoluit, & retinendo de terrestri ad partes inferiores ducit. Corrugatio autem, & inuolutio ipsorum ex intenso calore proficiscitur, qui siccitatem terrestrem corrugat. Qui

vero

vero habent capillos lenes, & molles, erunt multum humidi, quia humiditas est illa quæ lubricando defluit.

Capilli etiam capitis iuxta dictum Aristot. sunt ad necessitatem, quia cum cerebrum fit multum humidum opus fuit, vt suas humidas fumositates per capillorum multitudinem purgaret. Et sunt etiam ad adiumentum contra frigus, & aeris intemperiem. Adde quod sunt ad ornatum, vnde Ambrosius 6. Hexam. dixit. Cesaries reuerenda est in senibus, veneranda in Sacerdotibus, terribilis in bellatoribus, decora in adolescentulis, corrupta in mulieribus, dulcis in pueris. Tolle arboris Comam, tota arbor ingrata est, humani corporis capillos, tota pulchritudo flaccessit.

Tradit autem Arist. libro de coloribus, quod capilli fiunt nigri ex adusta fuligine, & nigra. Flaui, cum vapor minus tenetur, & superfluum flauæ bilis in eos transit. Albi, cum pituita quæ est frigida, & humida abundat, vnde senes canescunt, quia talis humor in eis abundat.

Variantur tamen secundum eundem 5. de animalium generat. cap. 3. & Gal. lib. 2. de temperam. pro varietate regionum. Nam qui calidam, & siccam plagam incolunt, vt Aethiopes, & Arabes, siccos, & crispos habent capillos, ac breues. Qui vero humidam, & frigidam regionem habitant, vt Illirij, Germani, Sarmatæ, graciles, rectos, & ruffos obtinent. Inter hos medij. Modice nigros, mediocriter crassos, robustos, & venustos eos deferunt.

Docent insuper Medici, quod si cerebrum sit debite temperatum, in puerili ętate faciet capillum cæsium. In adolescentia rubescentem, cum declinatione ad nigredinē. At vbi cerebrum fuerit calidius, capillum reddet omnino nigrum.

Caluitium autem vt supra diximus oritur ex inopia humoris calidi, quod & est in causa vt frondes ex arboribus decidant, & pennæ ab auibus recedant.

Circa autem capillos sunt quædam dubia. Primum est. Cur aquæ calidæ capillum faciunt album, & frigidæ nigrum. Respondetur, quia calidæ plus aeris in se colligunt, aer autem pellucens gignit candorem, vt apparet in spuma.

Secundum est. Cur canescimus magis in temporibus, & caluescimus supra frontē in syncipite. Respondetur, quia in anteriori parte capitis cerebrum proeminet, quod solet reddi vltra suum modum siccum, ex quo est caluitium. Iuxta autem tēpora abundat humiditas frigida, ex qua procedit canities.

Tertium est. Cur homo inter omnia animalia magis canescit.

Respondetur hoc euenire. Primo, quia alia animalia ab homine sæpe mutāt pila, non sic homo. Secundo, quia homo diutius durat, quam faciant multa animalia. Et tertio, quia capilli eius aptiores sunt ad ostendendam veram canitiem, quam aliorum animalium, vnde illa eorum mutatio coloris pilorum, non est proprie canities, sed aliquid canitiei simile.

Quartum est. Quomodo canities oriatur ex abundantia humoris frigidi, & humidi, & tamen abundet in senibus, qui sunt natura sicci, & frigidi.

Respondetur duplex esse humidum. Primū dicitur naturale, quod stat cum calido, & tale reperitur in iuuenibus. Aliud dicitur excrementitium, & aduenticium, quod stat cum frigido, & præsefert siccitatem, idest priuationem prioris humidi, & tale est senum, & fit materia canitiei.

Quintum est. Cur capilli detecti posterius canescant, quam operti.

Respondetur, quod canities est à putredine, flatus autem putredinem prohibet, & operimentum flatum arcet.

Sextum est. Quomodo quidam metu mortis perciti, in vna nocte potuerunt canescere, vt narrat Scaliger exerc. 312. in Card. de quadam sub Francisco Gonzaga Mantuæ Principe. Respondetur canitiem ex defectu caloris procedere, potuit autem esse, vt timor mortis totum calorem præcipuum naturalem ad cor traxerit, & sic caput calore destitutum, senuerit.

Septimum. Cur in equo præ alijs brutis animalibus canities compareat.

Respondetur, cum Aristot. 5. de generat. anim. ca. 5. Equum os quo eius cerebrum continetur, tenuius pro magnitudine, quam bruta alia animalia obtinet, ex quo humor de facili effluit, & per ætatem calor deficit, vnde canities oritur.

Quo ad capillos vero, vt sunt indicia temperaturæ corporis, & consequenter inclinationis hominis dicunt Physionom. Quod qui capilli recti in capite ostendunt, animum timidum, & secundum Polemonem

&

& Adamantium. Agrestem, & stolidum, sed & malitiosum. Capilli crispi. Timidum, & odiosum. Subditum, lucri cupidum, & asperū. Crispi in extremitatibus tantum. Animosum, vt Leonem. Rari. Dolosum, & malignum, & cum caluitio libidinosum. Densi, & asperi. Ferum. Et secundum Albertum, vltra modum densitas capillorum, & grossities in iuuentute, temporis processu, maniam denunciat. Capilli medij inter raros, & densos. Bonū temperamentum, & bonos mores. Molles, & suaues. Cerebro frigidum, & mansuetum, timidum. Duri. Fortem, & agrestem. Medij inter molles, & duros. Ingeniosum.

Descendentes à fronte, idest. Qui frontis id, quod ante caput est eleuatum habent. Liberales annunciat, & magnanimos.

Hoc autem intellige secundum veriorem opinionem de his, qui versus nasum habent quendam descensum capillorum, ad modum Leonum. Sic enim significāt magnanimum, sed iracundum. Capillorum cursus sursum vergens, & vt verbis Alberti vtar. Capilli resupinati, supra mediam frontem cerebrum respicientes. Calidum quidem in nequitijs, sed minus sapientem pronunciant. Et Paulo post. Si recta linea, ad quam capillorum generatio terminatur à fronte exaltatur, calidæ complexionis hominem, facile caluescentem, & pauci intellectus, arguit, & hoc in quibusdam expertus sum, quos audiui laqueo se suspendisse ex insania. Si vero vltima linea post sinciput, ad quam capillorum generatio terminatur, descendat versus ceruicem, indicat calidum in nequitia, insipientem in bonis, & libidinosum. Capilli vero nimium depressi, & fronti imminentes. Ferum declarant animum. Hæc Albertus Magnus. Capilli coruati apud Sinesium significant Cinedum, vnde ait, adagium est. Nullus coruatus, qui non sit Cinedus. Homo imberbis, & pauci coloris. Pessimus est. Et mulier barbata pessimorum morum, & vt adagium est lapidibus salutanda, nisi sit ob senectutem.

Vltra ea vero, q̄ diximus de coloribus capillorū addimus cū Physion. qđ nigri capilli indicant timiditatem, & vafritiem. Non valde nigri, sed bruni. Cholericum, & melancholicum, & violentum secundum Albertum. Nigri, & recti crines. Melancholicum. Nigri, recti, & crassi. Luxuriosum. Non valde nigri, ne que duri. Rectum, & iustitiæ amatorē. Leuiter sub flaui. Promptum ad scientias, animo subtilem, & pacem diligentem. Valde flaui, & subalbicantes, vt est in Scythis. Ruditatem, malignitatem, & rusticitatem, & efferitatem. Flaui. Magnanimum, ac intrepidum, vt Leonem. Aurei, vel coloris mellis. Bellatorem, & ingeniosum. Flaui, & rubei. Calore iracundiæ exagitatum. Valde ruffi. Insipientem, iracundum, & insidiosum, vt Vulpem. Sub ruffi. Iracundum. Subrubri. Auarum. Albi. Frigidum complexione.

DE MANDIBVLIS.

Mandibulę secundum Isidorum à manducando dictæ sunt. Sunt duæ, superior, & inferior, & in his dentes infiguntur. Superior, & inferior diuersis ossibus sunt compositæ, & neruis, ac lacertis varijs connexæ. Sunt quasi duæ molæ continuæ, ad molendum, & conterendum cibū se mouentes. Mandibulæ autem quibusdam particulis, carnosis, & neruosis circundantur, quæ gingiuæ dicuntur, & hoc propter maiorem radicationem dentium in fundamentis maxillarum. Gingiuæ autem dicuntur à dentibus gignendis, quia in eis dentes gigniuntur, & nutriuntur. Gingiuæ autem quandoque ex negligentia corrumpuntur, & quandoque ex putridis humoribus inficiuntur, & tunc diuersas inferunt molestias, & passiones, vt fetorem dentium, ipsorum casum, vel relaxationem.

DE LABIIS.

Labia à labendo sunt dicta, & duo sunt, superius proprie labium dicitur, & inferius labrum nuncupatur. Officia istorū. Primum est custodire dentes, nam cum dentes, & eorum nerui sint frigidi, multum lederentur si essent aeri frigido expositi, & nisi custodia labiorum tuerētur. Secundum est sua mollitudine duritiem dentium temperare. Sunt enim tenuia, & flexibilia, vt aptiora redderentur ad motum, & habiliora ad aerem immitendum, & intercidendum. Frangunt enim eum, & vocem inter dentes refractam distinguūt, & aerem attrahendum ad interiora purgant. Hinc tertium eorum officium est

voces formare, quia inter alia necessaria ad formationem vocis perfectæ, sunt duo labia necessaria. Quartum est exprimere etiam passiones animi, vnde dicitur, quod tremor labiorum in Phrenesi, & acutis morbis mortem protendit. Labia autem rubea denotat bonitatem complexionis, & liuida defectum virtutis. Physion. autem sic per ea diuinant. Labia crassa, & grossa, seu magna. Insipientem ostendūt, & hebetem, vt Asinum. Crassa, ita vt superius, supra inferius emineat. Stultum, & insipientem. Et si inferius fuerit superiori maius. Timidum. Labia tenuia in ore magno, ita vt partes superiores superi niectæ sint, seu vt superiora inferioribus superponantur, & iuxta angulos sint laxa, vt in Leone, & Cane molosso. Magnanimum, fortem, & inuincibilem. Exilia labia in paruo ore, timidum, impotentem, & dolosum. Gracilia, dura, & iuxta caninos dentes tumentia, vt in sue. Ignobilem. Labia suprema, & gingiuę prominentes, vt in canibus. Iniuriosum, maledicum, & mordacem. Labrum superius prominens. Prudentem. Inferius prominens. Crassum in cogitatione, & impudentem, seu melius imprudentem. Tumentia ad incisorios dentes. Cinedum. Tumentia inferiora ad caninos dentes. Veneno plenum. Labia vultum deformantia. Insanum, & stultum. Labia inferiora pendentia. Inertem. Pilosa. Luxuriosum.

DE MENTO.

MEntum dicitur, quasi mandibularum fundamentū, quia mandibulę à mento oriuntur. Ipsę sunt duo ossa, in medio iuncta, vbi dentes subtiliores firmantur quadrupli, atque pares. Extremitas horū ossium duas habet furculas. Vna est acuta, cuius acumen quoddam ligamen inserit, & hoc ligamen à latere temporū protenditur, per quod etiam bucca clauditur, & aperitur. Altera vero furcula grossa est, & rotunda, cuius rotūditate mentum fit mobile. Hæc autem est differentia in animalibus, & homine, quod in mento animalium consistit magna eorum fortitudo propter ossis duritiem, & neruorum compaginationem, & propter fortem dē tium radicationem, & ideo bruta nō permittunt se tangi per mentum, nam mento cōfracto tota eorum ferocitas eneruatur. Hominis vero mentum pertractari amoris, & fidei indicium est.

DE ORE.

OS quasi ciborū ostium appellatur, quia per ipsum cibos immittimus, & sputū foris eijcimus, & sermones mittimus. Quare dicitur etiā animæ custos, ac nuncius, quia per ipsum mentis conceptus exprimimus. Et vt dicit D. Gregorius. Os munitus est septum custodijs, dētibus, & labijs, vt tot intermedijs mens prius discernat, quam proferat, siue dicat, vt prius verbum transeat per limam, quam per linguam.

Officia eius sunt. Primum cibum suscipere, & ad ventriculum demandare. Secundum, aerem ad refrigerandum cor attrahere. Tertium est vocem formare. Quartum est expellere, & proijcere, quia per os mali humores excrementitij à cerebro, & pulmone venientes eijciuntur, & proijciuntur.

Natura vero sua est neruosum, vt saporitas ciborum facilius sentiretur. Durum, ne cibi asperitate lederetur. Concauum autem, & rotundum est interius, vt cibus assumptus hinc inde facilius moueretur, & per dentes sine impedimento spiritus traduceretur.

Infirmatur per pusculas, & vlcera ex corruptis humoribus ad buccam descendentia. Si rubeat, ita quod nigredini arrideat, & caleat, doleat, aut ardeat, materia est sanguinea, & cholerica. Si vero multum nigrescat, tanto molestius est, & timidius, ne forsitan ad cancrum deueniatur. In ore autem lactentium vulnera accidunt, propter acumen lactis, vel eius corruptionem.

Physion. de ore ista dicunt. Magnum os ad modum Leonis. Ostendit virum bellicosum, & audacem. Paruum. Effeminatum. Paruum, & proeminens. Insidiosum. Exertum, siue prominens. Dementem. Stultiloquum. Quibus os protenditur, labiaque sunt præpinguidiora rotunda, & extrinsecus inuersa ad modum porcorū. Sunt immundi, voraces, stulti, & forte fient Epileptici. Os humile. Timiditatis, & mutabilitatis est signum. Os neque e- sertum, neque depressum, sed me dium

Laude

Laude dignum. Vasta oris distectio. Stolidi, crudi, & impij hominis notas præbet. Manduconis, & insipientis Polemon dicit. Apertum os. Stultum, & stultitiam designat, & stupiditatem. Cauum os veluti infossum. Inuidentem, intemperatum, & scelestem.

DE DENTIBVS.

Dentes dicuntur, quasi omnia apposita incidentes, & diuidentes. Quantum ad suum numerum sunt 32. 16. in superiori Mandibula, & totidem in inferiori. Horum autem quidam dicuntur incisiui, & hi sunt quatuor, duo superiores, & duo inferiores. A latere sunt quatuor dentes canini, sic dicti, quia ad similitudinem caninorum consistunt, & canes per ipsos ossa rodunt. Hi sunt incisoribus fortiores, ita vt quod priores præcidere non possunt, istis tamquam fortioribus ad confringendum tradunt. Alij sunt molares, & hi sunt viginti. In masculis tamen plures sunt, quam in fœminis.

Sed circa naturam dentium, plura veniunt notanda. Primum est, quod materia dentium est eadem cum materia ossium, per Arist. 2. de generat. animalium cap. 4. quæ materia est magis sicca, & frigida, quam materia neruorum, & cartilaginum.

Incipiunt autem è Mandibulis emergi ordinarie post septem menses, & post septimum annum, qui prius nati erant, decidunt, & alij fortiores in eorum locum subrogantur ad cibum conterendum. Sed verum est de dentibus anterioribus, quia nullum animal mutat maxillares. Semper autem dentes crescunt, secundum Arist. vt supra, quia nisi crescerent, continuo attritu consumarentur.

Secundo. Notandum venit, quod aliqui dentes circa 20. annum gigniuntur, & illi, qui genuini vocantur. Omnes enim dentes, vt diximus sunt numero 32. Incisores 8. quatuor supra, & quatuor subtus. Quatuor canini, vtrinque duo. Octo maxillares vtrinque quaderni, asperi, lati, & superiori parte magni, & lati. In summa sexdecim dentes sunt in superiori mandibula, & totidem in inferiori. Canini vna radice nituntur, maxillares binis, ternis, quaternisve, & genuini quandoque etiam in 8. anno nascuntur, vt refert Arist. 2. de histor. animal. cap. 4.

Tertio. Notandum, quod officium dentium commune bestijs, ac hominibus est ad conterendum cibum, quia vt dicitur prima digestio debet fieri in ore. Homini vero dati etiam sunt ad formandas voces, dum quodam commeatu ictum linguæ suscipiunt. Bestijs vero præcipue ferocibus, vt sunt Apri, Lupi, Canes, & Elephantes ad pugnam inseruiunt, vt docuit Arist. 3. de partibus animalium cap. 1.

Sed circa dentes secundo loco principali accidunt quædam dubia. Primum est. Cur dentes canini, inter primiores, & maxillares sunt constituti.

Respondetur, quia participant in acumine de primoribus, & de latitudine cum maxillaribus.

Secundo. Quæritur. Cur Leones, Canes, Lupi, & Vrsi vtrinque habeant multos caninos dentes, & homo tantum binos.

Respondetur, cum Galeno 11. de vsu part. cap. 9. quod homo est animal ciuile, qui non indiget caninis dentibus, nisi ad conterendum cibum. Leones vero &c. sunt animalia fera, quæ in dentibus ponunt virtutem suam, & non in intellectu, vt homo, & ideo armata sunt tot acutis armis.

Tertio. Quæritur. Cur in extrema ætate rariores fiant dentes.

Respondetur euenire. Primo, quia caro collocata in radice consumitur, & corrugatur, vnde apparet maior raritas dentium. Secundo, quia in superiori parte sunt latiores, & in inferiori strictiores. Continuo autem attritu in superiori parte consumantur, & ideo deuenitur ad rariores.

Quarto. Quæritur. Cur dentes cadant in senectute.

Respondetur hoc prouenire, quia humidum calido iunctum, quod ætatem floridam facit, extenuatur in senibus, & humidum excrementitium succrescit, & siccitas aduenit, ex quibus relaxatur mandibula, & eius virtus debilitatur, & sic dentes cadunt. Secundo, etiam decidunt excessu frigoris cōtrahentis neruum, in quo sunt implantati.

Quinto. Quæritur, quæ sint mala dentium.

Respondetur multa. Primum est casus, de quo diximus modo. Secundum est malum apparens, & manifestum, vt putredo, fetor, ruptura, perforatio, motio, limosicas,

& similia mala. Tertium est interius, & non apparens, in dentibus dolorem magnum causans, qui tamen exterius sani apparent. Triplex autem potest esse causa doloris dentium. Prima prouenit à stomacho, qui multas fumositates ad caput mittit, & tunc in stomacho sentitur indispositio, & ex eo continua est eructatio. Secunda, nascitur à capite, quando ab eo humores descendunt, & tunc grauitas, & dolor sentitur in capite, & in facie apparet rubor, ex sanguine, vel cholera descendente ad radices dentium. Et si humores acuti recludantur in gingiuis, tunc magnos causant dolores, cum perceptione motus, & saltus in eis. Potest autem esse ex vtraque causa, quod quandoque ex pessimis humoribus nascantur vermes citrini, vel nigri coloris, qui maximum causant dolorem, quia neruum sensibilem corrodendo penetrant. Mouentur autem ex humoribus in radicibus dentium existentibus, qui si sunt acuti, perforant dentes, & in eis generant fetores. Tertia causa potest esse naturalis, vt patet in pueris qui dum priores dentes perdunt, & alij succedunt, male se habent.

Sexto. Quæritur quomodo dentes, qui solidiores sunt carne, tamen magis à frigore offenduntur, quam caro ipsa.

Respondet Arist. in problem. sect. 34. quæst. 1. quod dentes figuntur in quibusdam tenuibus meatibus, & neruulis, qui parum habent de caliditate, vnde de facili vinciũtur à quocunque frigore, & sic faciũt dolorem.

Septimo. Ex qua causa procedit stupor dentium.

Respondetur prouenire ex humore nimis frigido, vel acido, vt patet in comestione fructuum acerborum. Si enim ad intra ad eos humor acidus descendat, vel ad extra humor frigidus, vel inconcoctus eos tangat, dormitare videntur, quia nerui eorum constringuuntur.

Octauo. Quæritur. Cur dentes iuuenum sunt albi fere semper, & cum senes fiunt nigri euadunt.

Respondetur, quod dentes iuuenum fortiores sunt ad resistendum contrarijs, quia calore maiori fortificantur, at dum calor deficit, rugæ eos inficere possunt, & nigredines siccitatem, & frigiditatem denotantes, & qui tamen secundum Arist. hoc habent singulare, quod eorum dentes fiunt albiores, quanto magis senescunt, sed nimis atteruntur.

Nono. Quæritur. Cur nullum cornigerum vtrinque dentatum est, sed omnia saltem primoribus dentibus superioris mandibulæ carent.

Respondetur, quia alimentum, quod in eorum dentibus dispensandum erat, in cornua mutatum est. Cameli tamen, & cornibus, & dentibus primoribus in superiori mandibula orbati sunt.

Decimo. Quæritur. Cur dentes Aetiopum sunt albi.

Respondetur, cum Arist. lib. 3. de hist. animalium cap. 9. & in problem. sect. 10. q. 65. & 66. quod nigredo cutis magna, nata ex magno calore, excoctum humorem à dentibus detrahit, quo detracto ille candor remanet, sicut etiam cera albescit, Soli exposita.

Vndecimo. Quæritur. Cur raritas dentium, breuitatis vitæ sit indicium.

Respondetur, cum Arist. in probl. sect. 10. q. 47. quod raritas dentium arguit os capitis esse densum, vt pote in cuius substantiam dentes abierint, ex quo cerebrum inualidum redditur, & minus aptum ad respirationem, & sic facilius putrefieri, cum sit sua natura humidum. Nam quæ non mouentur, & exhalant, facile vitium contrahunt, & tabescunt. Secundo, quia raritas dentium arguit imbecillitatem, & paucitatem materiæ, & sic ostendit debilitatem naturæ.

Duodecimo. Quæritur, quomodo aliqui potuerint nasci dentati. M. enim Curio, qui ob id. Dentatus dictus est, & Gn. Papirio Carboni id accidisse narrat Plinius lib. 7. cap. 16. & Solinus cap. 3. Imo vno continuo osse loco dentium tenuit Prusias Rex Bithynorum, & Pyrrhus Epirotarũ Rex, apud Fulgosum lib. 1.

Respondetur, hoc quidem monstruosum, & insolitum fuisse, & validæ complexionis signum. Vnde de dente cuiusdam magni gigantis dicit S. Pater Augustinus lib. 15. de ciuitate Dei cap. 9. se Vticæ vidisse vnum ex molaribus illius adeo magnum, vt centum ex nostris facere potuisset, & Viues ibi refert in templo D. Christophori Valentiæ se vidisse vnum ex eius dentibus pugno maiorem. In magno enim corpore, & forti, fortes sunt dentes.

Quo

Quo ad ea autem, quæ ex Physionom. pronunciari possunt de propensionibus hominum ad virtutes, vel vitia ex dentibus, communi consensu affirmant. Raros dentes significare. Hominem debilem, & vitæ breuis. Si tamen sint rari, scabri, & fortes longeuam vitam annunciare possunt, vt euenit Augusto habenti tales dentes, qui vixit annos 76. Magni, firmi, & spissi. Ostendunt. Hominem longæ vitæ, comedonem, audacem, & fortem. Continuati. Virum fortem. Canini, longi, exerti, & firmi. Gulosum, insatiabilem, & malum. Longi, acuti, & fortes, & rari. Inuidum, impium, gulosum, audacem, falsum, infidelem, & suspiciosum. Acuti, & recti. Iracundum multum. Mixti, idest sine ordine dentes, quoniam alij stricti, alij lati, quidam rari, & alij spissi. Sagacem. Ingeniosum, audacem, inuidum, facilè ad bonum, & ad malum conuertibilem.

DE LINGVA.

Lingua à cibo lingendo est dicta, vel quia per eam sonus articularis verba ligat, sicut enim plectrum cordæ, sic allidìtur lingua dentibus, vt dicit Isidorus. Est instrumentum gustus, & locutionis, & componitur ex substantia molli, carne porosa, & spongiosa. Est neruosa propter sensum, & motum. Porosa, vt facilius sapor cibi penetret ad neruum facientem gustum, ad quem veniunt multæ venæ sanguine plenæ, vnde est rubicunda in colore.

Lingua multas patitur infirmitates. Primo enim perdit motum voluntarium ex defectu virtutis motiuæ, ex cerebro veniente, vel ex neruo oplato, per quem virtus transit animalis. Vide Medicos.

In summa dic quod lingua est substãtia carnosa, sanguinea, & porosa, influentiæ spiritus receptiua, in complexione calida, & humida, in dispositione tenuis, & oblonga, anteriori parte similis gladio in cono, in colore rubicunda, in loco concauo, & humido sita, ad motum facillima, vocum informatiua, saporum discretiua, per emissionem saliuæ oris humectatiua, conceptionum animæ interpretatiua, dentibus, & labijs, quasi muris circumsepta.

Lingua autem in diuersis habet diuersam figuram. Nam in quibusdam est breuis, & grossa, & hæc causat vocem grauiorem. In habentibus eam magis subtilem est etiam vox subtilior. Item lingua canum est salutifera. Serpentis vero, & rabidi canis venenosa, &c.

Physion sic dicunt de lingua Blesi, Balbi, & lingua hæsitantes. Significat. Horribilem, iracundum, fortem, & bellicosum, vt fuerunt Aleibiades, Neoptolemus. Subtilis lingua. Sagacem, ingeniosum, & fallacem. Velox cum repentina verborum corruptione. Stultum, impetuosum, & iracundum. Tarda. Pigrum notat.

De Saliuæ proprietatibus.

Saliua est humor flegmaticus, ex naturalibus venis linguæ generatus. Est naturaliter humida, in colore alba, ex continuitate motus, & instrumentorum spiritualium fit spumosa, in sapore insipida, inter gustum, & eius obiectum media, superfluitatum cerebri, & stomachi euacuatiua, digestionis præparatiua, vulneris animalis infectiua, hominis ieiuni serpentum interfectiua, per eius cessationẽ in phtisicis mortis annunciatiua, & in acutis febribus, si sit sine vehementi tussi, & cum signis digestionis, sanitatis pronũciatiua.

In saliua autem tria generaliter considerantur. Primum est color, quia si eius color fuerit liuidus, significat læsionem cordis, & spirituum. Si vero cum sanguine admixta, & sanie, designat pulmonis alterationem, & rupturam. Secundum est odor, vnde si fuerit fetida, interiorem significat corruptionem. Tertium est sapor, nam si fuerit amara, vel acida, humoris corrupti in stomacho, & pulmone, vel in substantia linguæ signat dominationem. Abundare autem in sputo significat complexionem phlegmaticã, vnde in senibus abundant sputa crassa, & viscosa, per abundantiam frigiditatis, & resolutionem humiditatis substantialis.

DE VOCE.

Vox est quidam sonus, ab ore animalis prolatus, & naturalibus instrumentis formatus. Ista autem instrumenta sunt. Guttur, palatum, pulmo, lingua, duo labia, & quatuor dentes anteriores, & vnula. Ad formandam ergo vocem primo aer in

folliculo pulmonis recipitur, deinde per canales pulmonis, & arterias foras emittitur, vnde si fuerint lenes, mundæ, & temperatæ, dulcem, ac temperatam vocẽ formabunt, & si fuerint asperæ, vel improportionabiliter latæ, vel strictæ, vel distortæ, nimis exilem, vel grauem, vel dissonam vocem causabunt. Vnula autem est illa quæ est vocis ordinatiua, quoniam pulchram, & fortem reddit vocem, quando ad alia proportionaliter se habet. Ipsa enim est, quæ aerem introeuntem temperat, & ne nimis impetuose exeat, cohibet, & rafrenat.

Mutatio vocis quæ est post secundum septennium denotat motum ad libidinem, cũ emissione spermatis. Et multiplicatio vocum ranarum, non est nisi vocare se ad coitum, & tunc aues (ait Aristot.) fortius vociferant, dum se ad coitum, & amorem inuitant. Omne autem animal carens pulmone caret voce, & si caret lingua, caret loquela. In auibus autem masculus est qui dat vocem, & non fęmina. In animalibus, & mares, & fęminæ, sed vox fęminæ subtilior est, quàm masculi præterquam in Vaccha. Et dum Equi incipiunt coire, tunc maiorem edunt vocem, & ita fęminæ, sed illæ clariorem eam formant. Vox alteratur secundum ætates pro quanto etiam arteriæ, & alia necessaria laxantur, vnde voces senum, sunt grauiores, & obscuriores, quam iuuenum.

Vox acuta denotat debilitatem virtutis, vt patet in fęminis, & castratis. Perdulces voces, harmoniæ, & cantilenæ infirmos, maniacos, & phreneticos possunt ad sensum mentis, & sanitatem corporis reuocare.

At secundum physionomos. Vox grauis, qualem habent. Leo, Taurus, Molossus canis, & Gallus. Significant magnanimum, stabilem, & fortem. Grauis vero, & intensa, seua, & magna. Fortem, impatientẽ, & audacem. Grauis, & magna. Conuiciatorem, & indiscretum ad modum Asini. Grauis, magna, & perplexa. Iracundum. Morigeratum tamen, & æquitatis amatorem. Grauis, & mollis, i. grauiter, & molliter loqui. Annuit probos mores, & mansuetos. Grauis, i. grossa, & sonora. Fortẽ, & eloquentem. Vox grossa in principio, sed in fine acuta. Quærulum, & indignabundum, iracundum, & tristem. Grauis, concaua, & flexibilis. Generosum, magnanimum, & iustum. Vox acuta significat timiditatem fęmininam. Acuta, & remissa, idest mollis. Timidum animum. Acuta, & intensa. Indignantis, & iracundi est. Acuta cum clangore. Stultum, vanum, & sublimia cogitantem ostendit, & secundũ Conciliatorem. Qui in vocem prorumpunt aniculарem. Venerei sunt, & inanes. Acuta, mollis, & rupta. Cinedum. Acuta, & clamosa. Stupidum, & morbo comitiali feriendum. Ad balatum vergens, vox deprauata. Stolidum. Media inter grauem, & acutam. Sapientem, prouidum, veracem, & iustum. Media inter intensam, & remissã. Temperatum in cõplexione, & moribus. Aspera. Luxuriosum ad modum Hirci, animalia enim tempore coitus raucescunt. Clara. Agrestem, & atrocem in hostes. Blanda. Iocundum, blandum, & moribus decoratum. Submissa. Simulatorem. Debilis, & flebilis. Lucri, cupidum, tristem, & suspiciosum. Gracilis, vt fuit Arist. & Platoni, ex auctoritate Timothei Atheniensis lib. de Vitijs. Pacatum, & modestũ animum denotat. Tremula. Trepidantem, & metuentem.

Ex loquela etiam magnum argumentum sumunt cognoscendi temperamentum corporis, & mentis. Dicunt ergo, quod loquela stabilis, grauis vox, & motus tardus. Denotat magnanimum, Contenta, & festina loquela. Pusillanimem, & festinãtem. Si vero fuerit in verbis velox, & in sono gracilis vocis. Improbum, stolidum, importunum, & mendacem, consilij inexpertem. Remissa, & grauis in loquendo. Animum paratum. Tarda. Verecundum. Vehemens. Amarum. Breuis. Pauidum. Grauis, & debilis. Stolidum, iniuriosum, & gulosum. Acuta, & squalida. Varium. Acuta, & debilis. Inuidum, & timidum. E naribus loqui. Mendacem, improbum. Malignum, inuidum, & de aliorum malis gaudẽtem. Vox vehementius strepens, velut sonus indecenter permixtus. Signum est hominis violenti, iniusti, & odientis. Difficilis loquela. Improbum annuit, & insipiẽtem. Placida, & collecta, idest, qui loquuntur placide, & collecto sermone. Modestum.

DE GVTTVRE.

Gvttur est prior pars colli, & extremitas canalium pulmonis. Aerem attrahit, & emit-

emittit, cibos interius traijcit, & vocem facit. Eius substantia est cartaliginosa, & dura, vt cum ventus exit, vox emissa clarior fit, nam raucitas vocis, fit ex humiditate canalis pulmonis. Vnula autem data est pro obstaculo, quia guttur patitur ab humoribus à capite descendentibus, ex quibus generatur tussis, & raucitas vocis, & ab attractione corrupti, & sicci aeris, & aliquãdo ab iniectu pulueris, ideo pro impedimento stat eis vnula, ne aliquid supra dictorum valeat pulmonem subintrare. Guttur autē patitur per lesionem extrinsecam, si ei inferatur. Secundo per incautam cibi, vel potus sumptionem, quia si cibus intrauerit meatum, per quem aer contrahitur, via spiritus de facili intercluditur, & animal suffocatur. Tertio per humorum fluxum, & rheumatisationē. Contingit enim humores à capite ad canales gutturis confluere, & ibidem aposthema facere, quod si materia cholerica fuerit, & furiosa, cito animal suffocat, quia coangustat flatum. Si autem materia fuerit sanguinea, infirmus apparet plenus in corpore, rubeus in facie, venæ sunt plenæ, pulsus plenus, tumor calidus, & dulcis. Si autem fuerit ex cholera rubea, dolor est fortis, angustia nimia, calor cum siti maxima, & vigilia, & amaritudo est in gustu. Si autem sit ex phlegmate, non tantum dolet, sed lingua tumet, & mollescit. Si sit ex salso phlegmate, omnia salsa reddit in gutture, & vox efficitur sicut paruulorum catulorum, quia ex siccitate salsi phlegmatis, trachea arteria coarctatur. Et si materia mala tota recolligatur in pellicula, quæ diuidit viam aeris, à via per quam transit cibus, vno die interficit. Non enim potest homo per vigesimam partem horæ vnius, à respiratione, & noui aeris attractione viuere.

Secundum physiognomos guttur asperum denotat leuitatē, prolificationem, linguæ proteruitatem, & loquacitatem. Nodus gutturis prominens. Sapientem hominem notat. Et si nodus intus extiterit solidus sub gutture. Difficilem, molestum, & bibacem. Si vero prominebit gulæ nodus. Vanam mentem, sublimia meditantem, bibacem, quærulum, molestum, & male suspicantem. Singularis nodus velut vertex extra apparens. Tristem in se, & erga alios suspiciosum.

DE COLLO.

Collum dicitur, eo quod sit rigidum, & rotundum, caput baiulans, & sustentans, cuius pars anterior gula, & posterior ceruix vocatur, secundum Isidorum. Ceruix autem est illa pars per quam ad medullam spinæ cerebrum dirigitur. vnde ceruix est, quasi via cerebri. Collum est osseum, vt fortius sit ad caput sustentandum, neruosum autem ad motum voluntarium faciendum, & ad deferendum sensum ad partes inferiores. In quadrupedibus spissi corporis, & crurum mediocrium, vt sunt Boues. Bubali, Vrsi, & Lupi, collum curuum est, & grossum, & in collo illorū est plurima fortitudo, & ideo Boues per colla iugorum solent vinculis alligari. Animalia autem longi cruris, & grossioris corporis, vt Equi, Cameli, Cerui, & huiusmodi, habent etiam collum longum. Item dicit Arist. quod aues habentes curuum rostrum, habent etiam curuum collum, vt patet in Accipitribus, Aquilis, & Nisis. Quæ vero rostrum longum, & rectum, habent etiam collum longum, quia accipiunt cibum de profundo, vt apparet in gruibus, ardeis, auseribus, & similibus. Et omnes aues pedum longorum tenent collum grossum, & spissum, & collo extenso volant, & omne animal longi cruris, est etiam longi colli, & si curti cruris, curti colli. Omne animal habens collum, habet etiam pulmonem.

Physion. de collo sic dicunt. Collum crassum, non pingue, sed magnum magnitudine ossium, & neruorum. Denotat virum fortem. Crassum, & carnosum, & plenum ad modum Tauri. Iracundum, ictabundum, contumacēm, animosum. Pingue ad modum porci. Stolidum, & magnum comestorem, iracundum, indisciplinabilem. Gracile ad modum fœminæ. Imbecilem. Gracile, & longum ad modum Struthionis. Timidum, garrulum, & stolidum. Noui tamen multos tales subtilis ingenij. Medium inter longum, & crassum collū, non valde carnosum, ad modum Leonū, qui habent collum oblongum, crassum, & moderatum. Magnanimum, & intuitum. Breue. Calidum, detractorem, astutum, & dolosum. Neruis intensum collum. Prauum, fatuum, sensu deficientem. Vacuum, &

& imbecille. Versi pellem. Malignum,& astutum. Mutilum Verbis audacem,factis pauidum. Durum. Rudem,& indocilem. Molle. Ignarum. Asperum,& pingue. Pauidum. Qui magna vasa circa collum com plexa habent, & manifesta. Rudes sunt. Firmum, & immobile collum. Ignarum, pertinacem,& rudem significat. Rigidum vero tamquam defixum. Indoctum,insolentem, & superbum. Collum valde fractum. Cinedum,& effeminatum. Sursum erectum. Insipientem,stultum,indocilem, & contumacem. Ante inclinatum. Curiosum,parcum,peruersum,mollem,non rectum animum habentem. Collum inclinatum ad dexteram. Pudentem, & studiosum. Ad sinistram inclinatum. Adulterũ, & nullius pudicitiæ. Collum in neutram partem inclinatum. Læsi animi signũ est. Collum sanguineis venis refertum, ita & tempora. Multum iracundum.

DE HVMERIS.

HVmeri dicti sunt quasi armi, quia pecudes armos, & nos pro armis humeros habemus. Horum officia sunt. Primum est esse in concatenationem, brachiorum,costarum, pectoris, & vitalium ossium. Secundum ad ossium, & spondyllum colli suportationem. Tertium ad diuersum ponderum sustentationem, quia ratione suæ osseositatis, & neruositatis, maximam habent fortitudinem, & vigorem.

Patiuntur lesionem. Primo ab extrinseco. Propter onera ipsos grauantia. Secundo, ex fluxu humorum ab intrinseco,concurrentium ad iuncturas in neruis humerorum: Tertio, ex repletione malorum humorum,& superfluiorum,facta in iuncturis humerorum.

Humeris adiungendæ veniunt clauiculæ, quæ sunt ossa, quæ humeros pectori adiungunt, & claudunt, & ob id claues dictæ sunt. Quibus ergo clauiculæ male solutæ sunt. Insensibiles sunt. Apertæ claues. Effeminatum hominem ostendunt. Claues bene solutæ. Hominem prudentem, & virtute insignem ostendunt.

Hu meris adiungimus ceruicem,quę est pars vbi caput flectitur. Crassa ergo supra collum. Ignarum facit cum iniuria. Aspera, & spatularum vertebra supereminens. Asperum moribus denotat. Ceruix, & collum rotundum. Fatuum. Ceruix pilosa. Liberales,vt Leones.

DE BRACHIIS.

BRachia à fortitudine sunt dicta. Barim enim Grece, idem sonat Latine, quod forte, vt dicit Isidorus. In brachijs enim est maxima hominis fortitudo, ad portandum, ad eleuandum, ad constringendum, ad repellendum, ad pugnandum,ad operandum Brachium autem ex duobus ossibus constat, vnum supra, & cubitus superior appellatur, alterum infra,& cubitus inferior dicitur. Brachium cum armo superiori concatenatur, & neruis fortissimis connectitur, & his mediantibus motum recipit, & ad manus transmittit. Habent magnam correspondentiam cum corde, quia maxime spiritum, & pulsum per arterias recipiunt, & variam cordis mutationem, & consistentiã, profectum,& defectum,in venis,& arterijs pulsantibus manifestant. Et quia sunt vicina cerebro, ab eo recipiunt latentis virtutis influentiam. In brachijs quoque venæ totius corporis, & maxime de regione capitis,cordis, & hepatis cōueniũt, ad manus transeunt, & digitis nutrimentum tribuunt. Hinc est, quod venæ brachiorum feriuntur, & ex eis sanguis deducitur, quia in eis sunt correspondentiæ maximę cordis,cerebri, hepatis, & aliarũ partium corporis. Notant autem Medici, quod qui infirmantur in vna parte, ex altera debent venam aperire, nisi materia sit venenosa, vel alias furiosa, tunc enim non est ad aliam partē trahenda, ne transeundo per cor, illud ledat. Denudatio,& inquietatio brachiorum,in acutis, mortiferum est signum.

DE MANIBVS.

MAnus dicitur quasi totius corporis munus. Ipsa enim ori cibum administrat, omnia operatur,& dispensat. Est acceptionis, & dationis administratiua, fęderis,& pacis significatiua. Quo ad exteriorem sui partem ex nouem paruis ossibus medulla carentibus,diuersis,& solidis est cōpacta. Horum quædam sunt gibbosa, alia concaua,alia recta. Dextera in homine,sinistra,

nistra est fortior, quia est fortioris caloris, & maioris siccitatis quam sinistra. Pes autem dexter correspondet animalibus loco manus dexteræ, & elephas loco manus vtitur naso longo, & forti, & per ipsum cibum accipit, & ori suo apponit.

Manus autem multipliciter patitur. Primo patitur contractionem per humores calidos, & siccos, & frigidos, & humidos, neruos dissecantes, vel inficientes, & spiritibus viam recludentes, vt patet in paraliticis, & leprosis. Secundo patitur arefactionem, per debiti, & necessarij alimenti subtractationem, vt apparet in decrepitis, & squalidis, fame laborantibus, & confractis. Tertio patitur postulationem. Postulæ autem, & vessicæ turgentes generantur ex corruptis, & malis humoribus extrema petentibus. Quarto patitur scissionem, pruritum, & titillationem, quæ proueniunt ex humoribus calidis, & acutis, fumis intercutaneis, qui cutem scindunt, & suo acumine carnis superficiem diuidunt, & incidunt, & pruritum, & titillationem faciunt, & quandoque postea dolorem grandem inducūt. Quinto patitur discolationem, item & chiragram, quæ generatur ex humoribus grossis, & crudis in iuncturis coadunatis, & conglobatis, vnde iuncturæ, & articuli conglobantur, & quasi nodosa efficiuntur. Palma, digiti, nodus, & brachiale sunt eius partes. Pars interior dicitur rota, exterior neruosa, & carnosa. Apud physiognomos autem talis est prognosticatio de manibus.

Manus magnæ, articulatæ, & neruosæ. Robustum ostendunt, & fortem. Tales habuit Sforcia. Selimus Baiazeti filius. Manus paruæ, graciles, & inarticulatæ, potius visu delectabiles, quam robustæ, & molles, & longhæ. Imbecillem, vt fœminam. Manus delicatæ, & molles. Ingeniosum significāt Duræ, & plus iusto carnosæ. Rudem. Magnæ, & duræ. Fortem, & scientijs inhabilem. Valde breues. Stultum. Crassæ. Nequam. Pleniores, cum digitis longis. Furē. Cum breuibus digitis vltra mensurā. Tergiuersorem, furem, & insidiosum. Angustæ, & graciles. Insidissimum, & rapacissimum. Valde paruæ. Furem, & deceptorem. Graciles, & obtortæ. Nugantem, & vorantem. Longæ, cum digitis longis. Ad multas artes habilem, in operibus sapientem, & in regimine aptum. Articuli manuum generosi. Ingeniosum. Longi, crassi, & asperi, Fatuum.

Motus manuum languidi, & dissoluti. Cinedum. Collisio, & fricatio manuum. Auarum, & fureutem.

Qui corpus, & manus mouet, dum loquitur. Est immundus, eloquens, & deceptor, & loquax. Loquentes immotis manibus. Sunt perfecti intellectus, bonæ dispositionis, & sani consilij. Pilosæ manus. Indicium sunt luxuriæ. Ille qui est ambidexter, idest vtitur sinistra, vt dextera, quod numquam accidisse narratur fœminis. Significat iracundum, calidum, iniuriosum, & deceptorem, & malum.

DE DIGITIS.

Digiti nuncupantur, vel quia sunt decem, vel quia decenter iuncti sunt, quoniam habent inter se numerum, & ordinem decentissimum, vt dicit Isidorus. Primus digitus pollex vocatur, eo quod inter ceteros virtute polleat, & potestate præualeat. Secundus dicitur index, & salutaris, quia eo omnia demonstrantur, & eo salutantur. Tertius dicitur medius, & impudicus. Quartus est annularis, quia eo sponsi annulum gerunt. Dicitur etiam medicinalis, quia Medici eo colligunt trita collyria. Quintus est auricularis, sic dictus, quia eo aures scalpimus.

Digiti ex tribus ossibus singuli componūtur, & sibi inuicem concatenantur. Pollex ex concatenatione brachio interiori iungitur, alij quatuor cum pectine colligantur. Sunt autem digiti in longitudine distincti, graciles, inter se diuisi, in extremitatibus vnguibus muniti, & quanto sunt erectiores, & flexibiliores, tanto sunt ad operationes varias aptiores. Nihil inter obiecta sensus tactus facilius discernit, quam extremitas digitorum. Et hoc forsan propter vicinitatem neruorum, qui in digitorum sumitatibus reflectuntur, & propter leuitatem cutis in extremitatibus digitorum. Ante cibum sunt grossiores, quam post.

Habet Arist. quod Aues aquaticæ habent intra digitos quasi corium, & eorum mansio est in aqua, & aues habentes digitos diuisos manent proprie secus aquam, & cibantur ex eo, quod crescit in aqua. Et istæ carnes non comedunt, nec de rapina viuunt,

uunt, ſicut aues habentes curuos vngues in digitis,quæ comedunt omnia animalia, quæ poſſunt venari, & viuunt ſanguine, ſed ſibi inuicem parcunt, quod non faciũt piſces, qui ſe adinuicem comedunt.

Digiti autem groſſi, & breues apud Phyſ. ſignificat inſipientiam, & ſtoliditatem. Breues,& tenues. Stultitiam. Longi cum manibus longis. Hominem mechanicum, ſapientem, & boni regiminis ſignificat, ſed breuem vitam.Longi,molles,& inuicem diſtantes. Ingenioſum. Si autem digiti ſint retro conuerſi, quia ſurſum curuantur. Liberalem. Officioſum,ingenioſum. Qui vero habent digitos curuos,vt Aſtur, Aquila. Falco,Accipiter,& ſimiles ſolent eſſe rapaces. Digiti ſuperflui in manibus ſuſpecti ſunt de prauitate. Iactare digitos,ſignat vehementiam.

DE VNGVIBVS.

Vngula eſt extrema pars digiti, in ſuperiori parte digitorum collocata, cum carne, & cute ſibi vicina coniuncta, eius ligamenta ſunt cordora,vt veniunt ad vnguias venæ, nerui, & arteriæ, vt eis dent ſenſum. Ipſæ tamen non ſentiunt,nec viuunt, niſi vita animæ vegetatiuæ, vnde nutriuntur,creſcunt,& augentur. Generantur ex quibuſdam fumoſitatibus a corde prouenientibus,vnde vnguis ſolet eſſe indicium viuacitatis,vel defectionis caloris cordis.Calore enim cordis deficiente, vnques palleſcunt, & nigreſcunt, & malum annunciant.Ita etiam Aquilarum vnques, quando ſupra oua ſua cubant, & pullos ſuos nutriunt, incuruantur, & hebetantur,& ita alæ earum albeſcunt,& debilitantur. Sæpe autem Aquila vnques ſuas reſpicit, & ſupra petram ſtare fugit, ne vnques hebetentur, habet enim eas pro mucrone, vnde etiam quando quieſcit eas claudit, & reflectit, vt ſic illeſi conſeruentur. Et hoc idem facit Leo, & alia animalia curui vnquis.

Dicit Ariſt. de animalibus,quod aues vncorum vnquium,præter paucas non potant, & curuum habent roſtrum, & breue ,ac groſſum collum, venantur, & carne cibantur. Aues tamen ſui generis, nec inuadunt, niſi propter fœminas, ſed ſeſe non comedunt. Curui autem vnques iuxta placitum Phyſion. maxime in pedibus. Significant Impudentem, & furem, & ſi hi ſint macilenti, ſient Phtiſici. Anguſti, prolixi,& curui vnques. Male ſenſatum, & ferinum. Rotundi valde. Libidinoſum. Carnoſi, ideſt, qui carni inheſerint ſenſibus hebetem,& ferinum. Breues pallidi, nigri, & aſpri. Malignum. Lati, albi,& ſubflaui. Virum compoſitum. Et Albertus ait. Vnques albi,plani,molles,tenues, ſubrubentes, & bene perlucidi, optimi hominis ingenium indicant, & hoc eſt vnum, quod raro fallit.

De Latere, & coſtis.

Latus dicitur, quia in iacentibus latet, & duo ſunt latera, dexterum, quod eſt habilius ad motum,& ſiniſtrum, quod eſt accomodatius ad ferendum, vnde pars ſiniſtra dicitur leua, à leuando, eo quia reperitur aptior ad leuandum, & portandum. Ipſa enim geſtat clypeum enſem, & pharetram.

Latera autem oſſibus coſtarum potiſſime fulciuntur,& dicuntur coſtæ, quia interiora ab eis cuſtodiuntur, vt tota ventris mollities munimine coſtarum cuſtodiatur, ac ſeruetur. Ex Ariſt. lib. de animalibus ex vtroque latere collocantur in numero quotuordecim, ſeptena, & ſeptena ex vtraque parte. Sed accipiendo totam compoſitionem pectoris,& coſtarum, in vniuerſo trigintaduo oſſa concurrunt, quotuordecim in lateribus, & in compoſitione pectoris, & decem poſteriores in dorſi compoſitione,& octo oſſa cartaliginoſa omnia prædicta coniungentia conueniunt.

Patiuntur primo latera ex ſeparatione, vel à cauſa exrrinſeca,vel ab intrinſeca,vt ex fluxu humorum, & concurſu hypochondriorum ad locum, & concauitatem coſtarum. Secundo à teneritudine coſtarum generatur quandoque Apoſtema, vt patet in pleureſi,cuius ſigna ſunt dolor lateris (vnde infirmus non poteſt ſuper illud ſtare) tuſſis, & febris acuta. Si illud apoſtema eſt ex ſanguine ſputum erit ſanguineum, ſi ex cholera, cetrinum, ſi ex phlegmate album,ſi ex melãcholia,(quod rarum eſt) erit liuidum. Tertio in hypochondrijs in regione vacua ſub coſtis contingit flatus aggregari, & in coſtarũ pelliculis includi, ex quarum diſtenſione pun-

punctura, & dolor generatur. Quarto. Contingit etiam ex concursu humorum grossorum locum opilari, & indurari nimis, & ita loca lateralia patiuntur. Bonum autem indicium est infirmum in latera stare, & praecipue in dextero, sic homo melius spirat, & respirat, & spiritualia non suffocat. In acutis autem non posse iacere in latus, & habere visum oculorum horribilem, & inordinatum malum est. Apud Physion. Bene costati. Fortis animi sunt, & iracundi. Male costati. Molles sunt, & referuntur ad foeminas, suntque imbecilles, & formidolosi. Exiles, & vacuae. Pusillanimitatem, malignitatem, & voracitatem arguunt. Tumidae, & inflatae. Loquaces, & stultiloqui habentur. Carnosae, & durae. Indisciplinatum demonstrant, & non carnosae. Ingeniosum.

DE DORSO.

DOrsum à duritie est dictum, eo quod sit superficies corporis durior ad modum saxi, fortis ad portandum, & durabilis ad patiendum, vt dicit Isidorus. Dicitur etiã tergum, eo quod in ea parte supini, in terra iacemus, quod solus homo potest. Nam bruta animalia, aut in latere, aut in ventre iacent. Potest etiam dici tergum, quia varijs flagellis territur, & in hominibus, & in animalibus brutis. Incipit à puppi capitis, & vsque ad renum vicinitatem protenditur.

Patitur exterius per verberationem, excoriationem, & multiplicem. Lesionem. Interius patitur neruorum contractionem, humorum nimiam repletionem, viarum, & meatuum spirituum opilationem, puncturam, & horripilationem, & multiplicis guttae infestationem.

Physion. sic de dorso loquuntur. Magnum, & robustum dorsum, ingens, ac robustum Significat. Animum fortem, generosum, & intrepidum. Angustum, & imbecille. Mollem. Timidum. Macilentum. Ingeniosum. Pilosum. Asperum.

Spatulae vero latae, magnae, & distantes. Animosum. Sursum elatae. Inuerecundum.

DE PECTORE.

PEctus est ossea pars inferior, inter mammillas, & pulpas, & ideo pectus est dictum, quia est proximum inter partes eminentes mamillarum ex Isidoro. Fundamentum pectoris est infra dorsum positum, cuius magis est concauitas, vt intra posita custodiat, & cor, ac pulmonem cũ alijs membris spiritualibus protegat, & defendat. Est itaque pectus mamillarum fundamentum, sedes est cordis, domiciliũ caloris vitalis, quo bene disposito cum suis contentis atque sano, corporis totius vigor in suis actionibus confortatur.

Magnum autem pectus denotat virum fortem. Gracile, & imbecille. Animum pusillanimem, & timidum. Latum, & humeri magni. Probum, audacem, & rectum. Angustum pectus, & mediocris venter. Intellectum altum, & bonum consilium. Carnosum pectus. Rudem, & timidum. Mediocritas pectoris, & tergi aequalitas. Optimum. Pectus erubescens, quia est flammeus color circa pectus. Feruidum in ira. Pectus pilosum. Magnanimum, & astutum, animo duplicem. Pilosum pectus, & venter. Inconstantem, leuem, instabilem, & imbecillem. Qui pectus valde leue habent. Inuerecundi sunt. Mediocriter pectus pilosum. Optimum.

DE MAMILLIS.

MAmilla à rotunditate est dicta. Papilla vero dicitur caput mamillae, quam infans labijs sugit, & apprehendit. Sunt compositae de carne molli, & alba. Et venae, & arteriae sunt in mamillis, per quas sanguis lac efficitur. Mulier, quae factura est abortiuũ, prius percipit, quod eius mamilla dextera si est masculus, vel sinistra si est foemina emolescat, quia gracillitas mamillae paucitatem lactis significat, vnde cum infans debitum nõ habeat nutrimentum, necesse est vt foetus abortiat. Secundo, secundum Hippocratem mulieribus in quibus sanguis calidus superfluus ad mamillas conuertitur, insaniam futuram signat, quia si propter abundantiam, & caloris excessum non poterit in lac conuerti, in fumositatem acutam resoluetur, & sic petet caput, & cerebrum perturbabit. Tertio. Idem dicit. Si mulier voluerit retinere menstrua, ventosam debet apponere ad mamillam, idest sub mamillarum venis de matrice venientibus, quia sic sanguinem deorsum fluentem superius trahet.

het. Quarto. Mamillæ ante parum nimis duræ significant fætum futurum debilem, quia non accipit necessarium nutrimentū, si fuerint nimis relaxatę annuūt aborsum, vt supra. Si autem fuerint mediocriter duræ, sanus erit fætus. Quinto. Idem dicit, quod si quando fætus incipit in vtero se mouere, mamilla dextera apparuerit maior sinistra, fętus erit masculus, & si sinistra, fęmina.

Patiuntur multum propter abundantiam lactis, vnde tunc indurescunt, & si superuenerit pilus aliquis tempore indurationis, erit infirmitas magna dicta pilosa. Animalia quæ habent multa vbera, habent multos natos. Dicamus ergo mamillam esse membrum necessarium nutrimento fętus, sanguinis menstrualis ad generationem lactis susceptiuum, & suscepti sanguinis impuri depuratiuum, digestiuum, immutatiuum, dealbatiuum, dulcoratiuū, & inspisatiuum, pectoris, & cordis defensiuum, sexus, & ętatis discretiuum, corruptionis monstratiuum, rotundum, oblongum, neruosum, carnosum, cauernosum, & porosum.

Apud Physion. mamillæ dependentes, pectore amplo, & macilento. Scortatores, & ebriosi sunt. Paruæ extenuatæ. Imbecillem notant. Mediocres, plenæ, & molles. Perfectam complexionem, ostendunt.

DE PVLMONE.

PVlmo est cordis flabellum, ipse enim aerem recipit ad refrigerandum cor, vnde se aperiendo aerē recipit, & se restringendo emittit. Est de carne molli, & aerea creatus, spumæ coagulatæ simillimus.

Dicimus ergo, quod pulmo est propriū cordis instrumentum, quia cor refrigerat subtilitate suæ substātiæ, & per aerem quem attrahit, alterat, & immutat, vocem format, à motu nequaquam cessat, quia se mutuo constringit, & aerē dilatat ad supplementum caloris, & in suis folliculis, & poris reseruat. Sui motus continuitate aerem admouet, deponit, & depurat. Spiritui vitali continuum alimentum administrat, cor ab instrumentis sensibilibus separat, humorem spumosum generat, cordis substantiam localiter circundat, quando aliqua occasione patitur, mortem accelerat, actionem virtutis vitalis impedit, & perturbat.

DE ANHELITV.

ANhelitus est cordis, & pulmonis motus, vnde motus habet cōtrarios, quia dilatando pulmonem aerem trahit, & constringendo expellit. Plus tamen de aere attrahit, quam expellat, quia non modica pars transit in nutrimentum spiritus vitalis. Anhelitus ergo est caloris cordis per aeris attractionem temperatiuus, & per expulsionem vaporis fumosi eiusdem purgatiuus, spiritus animalis, & vitalis nutritiuus. Fortitudine, vel debilitate suę consistentiæ spiritualium ostensiuus, (quia in acutis febribus, si tactus fuerit calidus, & sitis, ac linguæ dissecatio sequatur, anhelitus vero paruus, & frigidus, signū mortis est. Et quando est velox, & paruus, calorem alienum signat, qui virtutem suffocat, & potissime vincit.) Patitur primo, ex defectu virtutis mouentis neruos, & regentis. Secundo, ex constipatione, vel opilatione instrumentorum spiritus, quæ prouenit ex grossis humoribus, vel ex grossa ventositate, viam anhelitus opilante. Tertio, ex aliquo apostemate pulmonis, panniculos cordis aggrauante, & ex nimio calore cordis in substantiā pulmonis dominante, ex quibus omnibus anhelitus redditur debilis, & rarus. Quarto, ex corruptione membrorum interiorum, vt patet in leprosis, & ideo eorum anhelitus aerem inficit, sicut sibilus. Reguli-flādo aerem corrumpit, & aues volantes inficit, vt dicit Auicenna.

Physion. autem de anhelitu sic dicunt. Fortis, velox, & spissus anhelitus. Cordis calorem arguit, & ideo talis erit audax, & animosus. Sed quando aliquis ex profundo, & vehementer respirat, rusticitatem, & ebrietatem arguit. Et si cum anhelitu veloci, spisso, pectoris, & corporis concurrerit macies, & cordis complexio erit calida, & sicca, hi erunt iracundi, & tardi ad pacem. Paruus autem, rarus, & tardus anhelitus. Frigidam complexionē, & timidam arguit. Et si cum prædicto anhelitu pectoris paruitas, & glabrities erit. In extremo erunt timidi hi. Temperatus vero anhelitus. Temperatam cordis complexionem arguit, & mentem. Facilis, & sine strepitu. Cogitationibus plenum denotat. Has cogitationes ex oculis depre-

deprehendes. Anhelitus qui est tamquam faticati à cursu. Indicat hominem sine consilio,& omnia, quę facit propalantem. Altus, densus,& facilis spiritus. Pauidum, denotat.

Huic addimus suspiria, quę non sunt nisi anhelitus species, nam cum cor necessarium aerem non sentit, quo ventilari, & refrigerari possit, ne strangulctur, per anhelitum se magis dilatantem vnica respiratione aerem sibi opportunum ad se adducere tentat, quod suspirijs fit. Arist. autem scribens ad Alexandrum sic de suspirijs ait. Cum videris hominem, qui frequenter in te oculos defigit, & cum respicis eum terretur, & erubescit, & maxime si inuitus suspiciat, & lachrymæ apparêt in oculis eius, hic diligit,& timet te. Si vero contrarium fecerit, erit inuidus, & contemnet te. Suspirantes autem cum capitis agitatione. Indicant animum pænitentem. Et si id fiat oculis fixis, satagit, vt patrata, vel dicta mala potius consilio vitet, quam pæniteat. Addamus etiam anhelitu,& suspirijs risum. Qui multum rident,& quandoq. ex impetu, ita vt & si sint viri Sapientēs non possint tamen illum coercere, vt de se dixit Cæsar apud Tullium. Puri sunt sanguinis,& defecati, nec malum machinant, sed ad iuuandum alijs cum proprio honore se aptant. Multus risus. Significat stultum, maxime si rideat cum chacinno. Scotus vero dicit. Talem esse simplicem, vanum, instabilem, cito credentem, non secretum. Risus altus. Denotat Inuerecundum. Altus cum tussi. Inuerecundum, & tyrranum. Distorguendo buccam cum irrisione. Arrogantem, falacem, tenacem, iracundum, mendacem, & proditorem. Qui blande ridet, cum vultu læto. Effeminatus est, & malitiosus. Paucus risus. Moderatum. Nullus risus. Seuerum.

DE STOMACHO.

Stomachus grece, latine dicitur os, eo quod ostium sit ventris, cum ipse cibum recipiat, atque ad intestina transmittat. Est rotundus, oblongus, interius concauus, in fundo asper, & carnosus, duo habens orificia, vnum superius, & aliud inferius. In parte superiori strictus, in inferiori latus. Est totius corporis pater familias, omnium membrorū nutrimentum recipiens, & singulorum membrorum, prout expedit eorum necessitati administrans.

Si fuerit substantialiter calidus cibos grossos digerit, delicatos consumit,& plus digerit, quam appetat, & propter similitudinem cibos calidos maxime quærit, nec famem sustinet. Frigidus vero stomachus cibos grossos non digerit, sed ab eis grauare se sentit,& eos in humores acidos,& corruptos conuertit. Stomachus autem siccus, cito sitit, nec parū aquæ ei sufficit, quæ si superflua fuerit, rugitum in ventre facit. Stomachus vero humidus, non sitit, humidum cibum appetit, sed parum digerit.

Stomacho accidunt diuersæ passiones, scilicet mala digestio, fumositas, diarrhea, vomitus, singultus, inflatio, ructatio, & similes.

DE HEPATE.

Hepar, quod & iecur dicitur, vna est ex præcipuis corporis partibus,& quoniā multa de eo in 2. parte nostri vniuersi elementaris diximus, ideo sufficiat hic solum ponere signa complexionis eius, iuxta dicta Galeni. Signum ergo hepatis calidi est amplitudo venarum non pulsatilium. Et strictura venarum indicium est frigiditatis hepatis,& eius siccitatis. Humiditatem autem eius indicant multitudo sanguinis, & venarum mollicies.

DE FELLE.

Fel est dictum, eo quod sit felliculus gestans humorem ex dominio choleræ rubeæ amarissimum, vt dicit Isidorus. De hoc etiam diximus multa supra. Est membrum calidum, & siccum, gibbo hepatis superpositum, choleræ rubeæ proprium receptaculum. Eius ope sanguis à cholera rubea mundificatur, & sua caliditate concoctio efficitur. Est sua subtilitate penetratiuum, sua mordicatione, & acumine pungitiuum, intestinorum corrosiuum, ad eijcienda fætida, & superflua excitatiuū, & ex nimia caloris intensione amarissimum,& per sui admixtionem, dulcedinis sanguinis immutatiuum. Est grossorum humorum incissiuum, & sua siccitate consumptiuum, vnde in collyrijs oculorū est ne-

necessarium ad visum clarificandum, & acuendum.

Passionis eius signa sunt. Totius corporis infectio, vnde facies fit citrina. Sitis adest, & oris amaritudo, dolor frontis, aurium tinnitus, & vrina est crocea, cum consimili spuma continua, & vomitus croceus.

DE SPLENE.

Splen dictum est à supplendo, quia partem sinistram iecori contrariam supplet, ne vacua existeret, quem quidam causam risus existimant, nam splene ridemus, felle irascimur, corde sapimus, cerebro sentimus, iecore amamus, quibus constantibus animal est sanum, & integrum, vt dicit Isidorus. Collocatur in sinistra parte. Eius forma est oblonga, parum versus stomachum concaua, & versus costas gibbosa, & in his duobus locis panniculis colligata. Eius ergo adiumentum est, vt in sinistra parte defectum suppleat, & ex opposito ad conseruationem stomachi iecori respondeat, vt propter mundificationē sanguinis, fæces ad se retrahat, & quantum ad appetitum sufficit, & ad conforrationem stomachi transmittat.

DE VISCERIBVS.

Viscera secundum Isidorum dicuntur intestina, membris vitalibus subdita, & subiecta, & dicuntur intestina, quasi quodam interiori nexu, quadam familiariq. riuerentia sint superiorum membrorū culcitra. Intestina sunt principalia numero sex, de quibus multa dicunt Medici, & non est nostrum hic ponere.

Patiuntur autem quandoque ex cholerico humore, vel ex melancholico, substantiam intestinorum corrodente, & fluxum dysenteriæ inducente, quæ passio pessima est, & mortifera, & si in initio fluxus cholera, quæ exit nigra apparuerit, mors timetur. Item quandoque ipsa met viscera vulcerãtur ab interiori apostemate. Quandoque ex interclusione vnctuositatis panniculos, & neruos offendentis, & tunc tantum dolor acuitur, quod penetrari videntur. Quandoque etiam patiuntur ex humore grosso, & phlegmatico inferiores partes intestinorum obturante, & stercorum excrementa prohibente, & illiacam passionem, vel cholericam inducente. Et morbus hic pestilentialis est, & mortalis secundo, vel tertio die, nisi cito succurratur.

DE RENIBVS.

Renes dicuntur, quia ab his obsceni humores nascuntur. Nam venę, & medullæ tenuem humorem in renibus desudat, qui liquor rursus à renibus à calore venereo resolutus recurrit, & ad loca genitalia se diffundit, vt dicit Isidorus. Renes natura sunt calidi, naturalis caloris conseruatiui, frigiditatis, & spondilium dor si temperatiui, à cōcauitate hepatis aquosi humoris, idest vrinæ attractiui, sanguinis colatiui, virtutis naturalis confortatiui, humoris seminalis generatiui, porosi, rotundi, pinguedine cooperti. Ab apostemate, ventositate, nimio frigore, vel calore passiui.

DE VESICA.

Vesica à venti capacitate est dicta, quia per venti contractionem aperitur, & dilatatur, & per venti emissionem contrahitur, & arctatur. Est panniculus durus, rotundus, concauus sicut saccus, in omni parte clausus, excepto orificio superiori. In animalibus habentibus plumas, aut squamas, aut testas est vesica, præter torrucam marinam, aut syluestrem, quia superfluitas in huiusmodi animalibus, transit in nutrimentum plumarum, vel squamarum. Animal generās secundum Arist. tenet vesicam, non autem ouans, præterquam genus lacertarū. In omni autem animali carente vesica est vna via appare(n)s, exitus siccioris, & superfluæ humiditatis.

DE VRINA.

Vrina non est nisi colamentum sanguinis, & aliorum humorum, ex actione naturæ generatum. Ab hepate enim initium sumit, sed in renibus substantiam, & colorem recipit. Substantia enim aquosa sanguinis per quasdam venas subtiles ad renes nutriendos deportatur, vbi colatur, & ad modum seri eliquata depuratur, & vi caloris hepatis, & renum tingitur, & colo-

coloratur, & sic desudans per poros vritidos in concauitate vesicæ adunatur. Est vritiua, & mortificatiua ex quo dicitur vrina. Nam quod tagit, mordet, desiccat, & vrit. Hinc valet contra scabiē, serpiginē, impertiginē, contra pustulas, & vesiicas, si patiens inde se abluerit. In potu splenecticis confert, & mundat loca putrida, & saniosa, & cum felle accipitris colyriata, & oculis caute linitis immissa, pannū corodit, & delet maculas oculorum.

Dicitur etiam vrina à greco quasi demonstratiua, quia ostendit dispositionem hominis. Hæc autem à duobus cognoscitur. Primo, per eius sedimen, quod Medici hypostasim vocant. Nam si illa residentia in fundo vasis fuerit alba, pinea, coadunata, non diuisa, designat fortitudinem virtutis, & completam actionē caloris naturalis in membris ipsis. Per mediam autem regionem vrinæ, quam Medici enormiam dicunt, de media regione corporis idest de corde, & adiacentibus iudicant. Nam si in medio fuerit obumbrata, non liuida, nec obscura, nec volubilis, indicat spiritualia membra esse sana. Ita per superiorem partem, quam Nephilem vocāt de fortitudine capitis sententiant. Nam si circulus non fuerit multum grossus, non igneus, non liuidus, non viridis, non granulosus, sed in colore, & substantia temperatus, denotat cerebrum, & omnia alia membra capitalia esse tuta.

Ita ex colore indicatur. Nam color vrinæ glaucus, lacteus, & huiusmodi indicant calorem naturalem esse remissum. Si fuerit niger, liuidus, viridis, designant mortificationem. Palidus vero, & subpalidus indigestionem, & eo magis calor lacteus, albus, & glaucus. Subcitrinus vero, & subrufus, mediocritatem. Citrinus autem, & rufus perfectam digestionem.

DE VENTRE.

Isidorus ponit discrimen inter ventrem, vterum, & aluum dicendo, quod venter est ille, qui acceptos cibos digerit, & extrinsecus apparet. Aluus est qui cibum recipit, & purgari consueuit. Vterum sola mulieres habent in quo concipiunt, & interius impletur. Vēter est infra pectus, in parte priore, & eius radix est vmbilicus.

Physion. autem de ventre ista dicunt. Amplus, & concauus venter, in se contractus. Designat fortem. Magnus, carnosus, mollis, & dependens. Stolidum, superbum, & luxuriosum. Macilentus. Mollem. Durus. Gulosum, & rudem. Mollis, & depressus. Animi magnitudinem, & virtutem. Mediocris, cum strictura pectoris decenti. Altitudinem intellectus, & bonum consilium.

DE VMBELICO.

Vmbelicus medius est corporis locus sic dictus, quasi iliorum vmbo, sicut vmbo in medio clipeorum locus est dictus. Componitur ex neruis, venis, & arterijs, quo mediante fætus sanguinem subtilem attrahit, & sugit, & per ipsas arterias spiritum recipit. Circa matricem rumpitur dum fætus exit, & cū fætu exit, quem obstetrices ligant quatuor digitorum longitudine. In vmbelico dicunt esse sita genitalia mulierum, sicut in lumbis genitalia virorum.

Aristot. autem in probl'emat. ait. Qui partem vmbilico subiectam habent maiorē, quam superiorem ad pectus pertinētem, vita breui, imbecillesque sunt. Quicunque autēm maius habent, quod ab vmbilico vsque ad extremū pectoris, eo quod est ab extremitate pectoris vsque ad collum. Voraces sunt, & insensibiles.

De genitalibus, & matrice.

Genitalia sunt ea membra quibus generatio fit, veretrum, & testes. Sine his enim non est generatio. Testes enim semen calamo administrant, quod à spinæ medulla, & à renibus suscipiunt. Eorum substantia composita est de carne glandulosa, alba, molli, & rara, & in ipsis per magnum eorum calorem sanguis transmutatur in album semen. Matrix est singulare membrum in fæmina existens, ad modum vessicæ dispositum, ad suscipiendum semen deputatum, & ad hanc tamquam ad muliebris corporis sentinam confluit superfluitas humoris mēstrualis, quę propter menstrualem fluxum, & refluxum dicta est menstruum, quia quodlibet mense Lunæ accidit mulieribus secundum Isid. Matrix habet duas cellulas, dexteram in qua

qua masculus generatur, & sinistram in qua fœmina procreatur. Sed Anotomici dicũt mulierem ad dexteram habere tres cellulas, & tres ad sinistram, dexteras pro masculis, & sinistras pro fœminis, & nascens in medio istarum fit hermaphroditus. In matrice fætus concipitur, & quadam pellicula dicta secundina circumdatur, & hæc cum infante nascitur. Patitur retentionem superfluorum humorum, relaxationemq. & fluxum menstruorum, suffocationem, quia matrix ex nimia humorum repletione extenditur, & sic repleta, & extensa superius eleuata comprimit spiritualia, & fere mulierem patientem suffocat. Patitur etiam præcipitatio nem, quando ad dexteram, vel ad sinistrã plus debito inclinatur, vel de loco suo exterius egreditur, ex relaxatione neruorũ, & ex superfluis humoribus ipsam aggrauante. Item patitur dolorem, quando post impregnationem fætus extenditur, vel se mouet, & alijs multis modis læditur, de quibus non ad nos.

Physion. (ne etiam hanc partem taceamus) dicunt magnam esse conuenientiam inter nasum hominis, & membrum eius virile, & inter os mulieris, & labia eius crassa, vel tenuia, & eius scissuram. Magnum pectorẽ fortes demõstrat. Pingue, & molle. Imbecilles. Valde densum pilis, ijsque vibratis. Luxuriosum, & fœcundum. Sic raris, gracilibus, & extensis pilis obseptum. Neque luxuriosum, neque fœcundũ ostendit. Magnum pecten, & durum, stolidum ingenium ostendit. Parui testes. Malorum morum. Magni. Fortem.

DE NATIBVS.

NAtes appellantur, eo quod ipsis innitimur dum sedemus, & in eis caro conglobatur, ne præmentis carnis mole doleant, & in ipsis fertur truncus corporis, qui à collo incipit, & vsque ad nates se extendit, vt dicit Isid. Qui eas pingues habent ad modum fœminarum sunt molles. Osseæ, & acutæ sunt fortium. Graciles, & quasi dissecatæ malignos arguunt, & versipelles. Neque rugosæ, neque lenes, temperatum præseferunt.

DE FAEMORIBVS.

FAemora sunt mẽbra illa quæ extenduntur ab inquinibus vsque ad genua, & mouentur in coxis, quorum concaua vertebra dicuntur, coxæ vero quasi coniunctæ axi vocantur. Hæc homini sunt carnulenta, neruosa, ossulenta, & rigida, aliæ vero animantes illa vacua carne habent. Huius causa est, quod solus homo est erectus, & versus cælum fuit directus, & ideo vt possit superiora sustinere, & regere, ei natura tribuit fæmora carnea, & ossea.

Fæmora autem ossea, & neruosa ostendunt virum fortẽ. Mollia, & inarticulata. Mollem, & imbecillem. Mediocriter carnosa. Ingeniosum. Pilosa, cum lumbis. Luxuriosum. Breuia. Maleuolum, & inuidum.

DE GENIBVS.

FAemori genua annectuntur, & ibi est vertebra, quæ sedendo, vel ambulando se flectit. A gigno genua dicuntur, quia cum quis gignitur, ita formatur, vt genua sursum sint, & coniunctione oculorũ formantur, vt concaui, aut reconditi efficiantur. Sunt ossa rotunda, cartilaginosa, & concaua.

Carnosa autem genua. Significãt debilitatem virtutis, & mollitiem. Genua stridorem facientia. Cinedum. Intus innuentia, & se se collidentia. Effeminatum.

De cruribus, siue tibijs.

CRura enim genu subiacent, & à curren do sunt dicta, quia his currimus, & ambulamus. Dicuntur tibiæ, quia ex ossibus tibiarum quidam conficiebant musica instrumenta, & sunt similes tubæ in longitudine, & specie. Iacent inter fæmora, & pedes, quibusdam neruis, & lacertis cũ inferioribus concatenata.

Articulatæ autem, neruosæ, & robustæ tibiæ. Fortes, & audaces annuunt. Inarticulatæ, & molles. Timidum, & imbecillem. Valde exiles. Timidum, & improbũ, & ignorantem. Graciles, & neruosæ. Luxuriosum. Tibiæ, & calcanea crassa. Rudẽ, & maleuolum. Circa talos carnosæ. Fortẽ. Pilosæ. Libidinosum. Cruribus claudi. Falaces

laces dixit Arist. Hieronymus ad Iouinianum scribit Socratem talem fuisse, & ornatissimum moribus. Ita Androclites Lacon animo fortissimus, & Romanus Cocles. Patriæ propugnator, fuerunt claudi, & quosdam ego in hanc Venetiarum Ciuitate claudos noui, morib⁹ preditissimos, pietate excellentissimos, & omni genere virtutum, Eccellentissimos.

Valde autem crassæ furæ, idest partes, quæ dicuntur communiter (polpe della gamba) quæ ante sunt fine carnæ, & retro carnosæ Indicant odibilem, & inuerecundũ, & luxuriosum, & secundũ Albertum Sordidum, & seruilium morũ. Deorsum contractæ. Fortem virum innuunt. Sursum du ctæ. Timidum. Molles. Effeminatum. Moderatæ. Optimum ingenium.

De pedibus, digitis, & incessu.

PEs est extrema pars hominis, sustentans totum pondus corporis. Componitur ex 44. offibus, quorum duo sunt calcaneorum, duo manicularum. Rastæ pedum decem, digitorum 30. Subtus est carnosus, in extremitatibus planus, in medio aliquantulum concauus.

Neruosi autem, & articulari tali. Demonstrãt fortem. Inarticulati, & carnosi. Mollem. Valde graciles. Timidum. Pars ima pedum, & calcanea si longa, & carnosa sint. Stultum, & insanum indicabunt.

Pedes autem bene formati, magni, articulati, & neruosi. Significant fortem. Parui, graciles, & inarticulati. Mollem. Carnosi, & grossi. Fatuum, & iniuriosum. Parui, & graciles. Audacem, & fortem. Articuli pedum generosi, idest bene nutriti. Generosum. Curti, & pingues pedes. Immanem. Oblongi pedes. Mala mollientem. Curui, & infra concaui, quasi gibbosi. Prauum. Planta pedis plana totum solum attingẽs. Versutum, & fraudolentum. Pedes mediocris cauitatis. Honestum, & circumspectum.

Digiti pedum curui. Inuunt inuerecundum. Conspepti. Timidum. Compacti, siue copulati. Luxuriosum. Contracti. Vafrum, & perditissimorum morum. Mediocriter distantes. Leuem, & loquacem, Breues, & valde exiles. Ingenio priuatum. Breues, & crassi digiti. Temerarium, improuidũ, & ferinum. Longi, & graciles. Rudem. Moderari. Moderatum.

Ambulantes vero longo gressu. Sunt magnanimi, & negotiorum perfectiui. Tarde. Cogitabundi, magnanimi, & modesti. Sed si gressum suspendant. Molles, & pigri. Longo, & tardo gressu ambulantes. Fortunati erunt, consiliarij, & prudentes. Celeri motu ambulantes. Animo calidi sunt, & inuerecundi. Breui gressu. Inefficaces, & tristes. Breui, & celeri gressu. Molesti, & non perfectiui. Inæqualis incessus, modo cito, & modo tarde. Varij animi, & simulatores. Breui, & tardo gressu. Segnitie molesti. Longo, & celeri gressu ambulantes. Molesti, & non perfectiui sunt. Celeri gressu ambulantes, si qui deprehendantur, formidant, & totam effigiem deorsum trahunt, & seipsos contrahunt. Auari, pusillanimes, mali consilij, & illebarilitatis, & ingratudinis sunt viri. Celeri gressu ambulantes, cum oculis perturbatis, capitis inconstantia, & anhelatione. Mali sunt, & fugiendi. Tardo gressu incedentes, sponte morantes, & manentes in vijs, & circumcirca aspicientes. Gloriosi sunt, & iniuriosi, superbi, & adulteri. Pedibus, & cruribus concussis ambulantes. Sunt effeminati. Corporibus se circumtorquentes, & inclinantes. Adulatores sunt, & blandi. Corpore toto se mouentes, humeris, & singulis membris. Effeminati. Corpore erecto incedentes. Fortes, iracundi, audaces. Corpore inclinati. Timidi, verecundi, & mansueti. Ambulantes inclinati ad dexteram. Cinedi. Ad sinistram. Insipientes. Suspenso corpore, & sublimi vultu ambulantes. Imprudentes. Rectus, & alta ceruice ambulans, & humeris sese commouens. Sibiipsi se placet, & iniuriosus est. Superbus, & insolens. Humeri curui ad singulos passus se submouentes. Elati sunt animi, & similes Leonibus.

De magnitudine, & paruitate corporis.

BReues, & parui corpore secũdum Arist. in Physio. præcipites sunt, ardentes, & scientes. Secundum Alexandrum Aphrodiseum sunt longis corpore prudentiores, ingeniosiores. Talis staturæ fuit Agesilaus. Alexander Magnus. Vlysses. Tideus minor. Antonius Caracalla. Nicolaus Piccinus. Coruilius. Licinius. Caluus. Horatius.

ratius. Ficinus, & alij. Parui autem corpore, ficcis carnibus, & colore indicante caliditatem. Mutabilis sunt animi, & celeris. Corpore parui, carnibus humidis, & colore humido annuente. Tardi sunt. Corpore incommensurati. Astuti. Valde magni. Tardi. Corpore magni, carne humida, & colore humidum annuente. Ineruditi. Magni, duris carnibus, & colore calidum innuente. Animosi. Tales fuerunt Theseus, Palamedes, Hector, Neoptolomeus, Troilus. Romulus. Flauius. Domitianus. Tiberius. Cæsar. Scanderbechus. Gottifredus Bulionius. Carolus Magnus. Magnus Sfortia. Consaluus magnus. Tamerlanes, & alij plures viri insignes. Mediocri corpore, carne, & colore. Spiritosi sunt, & virtuosi. Commensurati. Astuti. Iusti, & fortes. Pilosi. Libidinosi. Pigri, & inertes. Glabri sine pilis. Effeminati.

Ad primum autem argumentum in contrarium dicitur, quod totum æterogeneum bifariam considerari potest. Primo, ratione partium, vt vna ab alia distinguitur, & sic sunt diuersorum temperamentorum. Secundo, vt quodam ordine, & quadam proportione vnum totum mixtum componunt, & sic in vno temperamento consentiunt.

Ad secundum dicendum, quod ad dignoscendum temperamentum vtimur sensu, & ducimur ratione, quia ratio etrotem sensus corrigit, vnde non format ratio iudicium de re per primum aspectũ, sed post diligens examen singulorum, & sic non errat, per se.

Ad tertium dicendum, vt supra, quod omnes illæ diuersitates partium in vno temperamento consentiunt, sed hoc tempetamentum in omnibus non est ad pondus, sed patitur latitudinem, & diuersitatem, vnde dicimus quatuor esse temperamenta, considerando ea secundum qualitatem, & humorem prædominantem.

QVÆSTIO V.

Vtrum per physiognomiam possint cognosci temperamenta corporum.

Videtur quod non. Primo. Iudicium supra re certa, & infallibili firmandum est, quia per Aristot. de contingentibus non est determinata veritas. At aspectus, & dispositio lineamentorũ corporis omnino incetta sunt, vnde non videmus in toto vniuerso tres, aut quatuor homines omnino similes. Ergo male per partes, & dispositiones corporis possumus iudicare temperamenta hominum.

Secundo. Illud quod potest transire de contrario in contrarium non habet certũ, & definitum temperamentum. At homines de vno contrario ad aliud sæpe transeunt, & vt vno exemplo tantũ hoc comprobem inuenio sapientissimos viros, insipientes, & stultos effectos. Nam Hecuba filijs amissis, & viro, instar canis latrauit. Diagoras Rhodius magna letitia ob victoriam trium suorum filiorum in ludis Olympicis, nesciēs se moderare in manibus filiorum animã efflauit. Imò Arist. in Physiogn. probat animam mutare habitum, corpus formam, complexionem, & mores. Ergo &c.

Tertio. Quot fuerunt similes Imperatoribus, in statura, forma corporis, delineamentis partium eiusdem, & tamen hi fuerunt pauperes, infortunati, & miseri? Ergo ex his non est diuinatio.

In contrarium sunt omnes Physiognomi, & Medici, qui talia signa temperamentorum dederunt, ex quibus morum inclinationes, & propensiones deduxerunt. Dixerunt itaque.

Calidum temperamentum habet pro signis, ista ex quibus dignoscitur. Signa enim sunt. Caro tangentibus est calida, hirsuta, minus pinguedinis habens, color rubeus, capilli nigri, cito crescentes, venæ apparentes, anhelitus manifestus. Vox firma, fortis, & agrestis. Cito sudant, bene comedunt, & digerunt, pilis crassi, & crispi, & natura luxuriosi.

Frigidæ autem naturæ signa sunt. Carentia pilorum, pinguedo, & frigiditas, quæ tangentibus obuiat. Color vna cum capillis ruffior, & si multa frigiditas adfuerit liuidus. Anhelitus tardus, & immanifestus. Vox subtilis, & acuta. Debiles in coitum. Parum comedunt, & minus digerunt. Capilli sunt extensi, longi, & subtiles, colore albi, raro sudant, timidi sunt, & imbecilles.

Humidæ temperaturæ signa sunt. Corpus carnosum, molle, leue, iuncturæ occultæ, vigilantes, consuetæ partes pilis nudæ, oculi illachrymantes, capilli colore flaui,

imbe-

imbecilles, boni ingenij, pauidi, & luxuriosi.

Siccæ temperaturæ. Caro tactu aspera, corpore gracili, & duro, iuncturæ manifestæ, capilli, & pili crassi, & asperi, color rubei. Moderate comedunt, & digerunt, & in laboribus durant.

Temperamentorum autem non simplicium, qualia sunt supradicta, sed mixtorum ista sunt signa.

Calidæ, & siccæ temperaturæ. Caro calidior, & siccior, hirsutior, & durior, pinguedine carens. Gracilis est, & capillos nigros habet.

Calidæ vero, & humidæ. Caro mollior est, calidior, & carnosior. Si calidior erit, erit hirsutior, & tangentibus non parum calidior, capilli nigri, & corpus sine pinguedine. Si multo humidior. Caro mollis, & multa, color ex albo, & rubro permixtus, & tangentibus paulo calidior.

Frigidæ vero, & humidæ. Caro priuata capillis, alba, mollis, crassa, pinguis. Color vna cum capillis ruffus.

Frigidæ vero, & siccæ. Corpus durum, gracile, glabrum, tangentibus frigidum, pinguedo si graciles sunt, per carnem dispersa.

Moderatæ temperaturæ. Color ex rubro, & albo commixtus, capilli flaui, & mediocriter crispi. Carnositatis mediocritas, in qualitate, & quantitate. Corpus neque molle, neque durum, neque frigidum, neque calidum, neque hirsutum, neque glabrũ, neque crassum, neque tenue. At ista temperamenta tamen multas latitudines sortiuntur.

Ex humoribus etiam, & eorum temperatura cognoscitur dispositio hominis, de qua re vide, quæ diximus in nostro vniuerso elementari præcipue p.p. in quæstione de quatuor humoribus, & in secunda de temperamẽtis. Solum noto Platonem dicere, quod qui ingenio pollent, solere corripi, & excitari a furore.

Tertio. Per animalium etiam partes temperamenta hominis, & propensiones ad mores deprehenduntur. Homo enim ratione corporis cũ animalibus conuenit, & ideo mirum non est, illum quasdam animalis inclinationes retinere, vnde Arist. ad Alexandrum scribens dixit, quod homo est audax, vt Leo, formidolosus vt lepus, largus, vt gallus, amarus, vt canis, durus, & austerus, vt coruus, pius, vt turtur, malitiosus, vt Leena, domesticus, vt columba, versipellis, vt Vulpe, mitis, vt Agnus, velox, vt Capreolus, humilis, vt pardus, piger, vt Vrsus, carus, vt Elephas, vilis, & stolidus, vt Asinus, obediens, vt Pauo, garrulus, vt passer, vtilis, vt Apis, vagus, vt Caper, indomitus, vt Taurus, recalcitrans vt Mulus, mutus, vt piscis, rationalis, vt angelus, sordidus, vt Porcus, malitiosus, vt Bubo, vtilis, vt Equus, noxius, vt mus. Ista autẽ omnia, cũ inter se desideant, vni conuenire non possunt, vnde diuersis ratione diuersorum temperamentorum adscribuntur.

Quarto. Hoc idem deducunt ex planetis, eorum aspectibus &c. prout in nostro vniuerso cælesti ostendimus. Vnde Hippocrates lib. de aere, àquis, & locis, ad regionis habitum qualitatemque hominum mores refert. Et Plato dixit. Ex varijs cæli locis, varios mores ingenerari.

Quinto. Hoc temperamentum corporis, & compositionem mentis docuit Aristot. in suis Physiognomicis deducere ex colligatione passionum, quia vna alteram infert, istam, & non illam. Verbi gratia. Si quis est iracundus, erit etiam rixosus, contumeliosus, superbus. Non vero licet deducere erit humilis, paratus, &c. nam primæ passiones habent necessariam fere connexionem, secundæ repugnantiam. Ex notioribus igitur passionibus de facili ad iudicandas magis reconditas, & celatas deuenire poterimus.

Sexto. Ex natalibus parentum deducitur etiam iudicium, vnde videmus quasdam infirmitates à patribus trãsire ad filios in corpore, & mores in anima. Sed obseruarunt alij etiam ex lacte, & nutrice hoc esse arguendum, vnde Phauorinus Phil. apud Gellium solebat dicere. Sicut valet ad fingendos animi, corporisque similitudinem vis, & natura seminis, non secus lactis ingenia, & proprietates. Et Auicenna asserebat lac posse complexionem, & naturæ statum inuertere. Vnde refert Scotus puerum fuisse, qui diu porcæ lacte alitus, adultus etiam pannis indutus limum intrabat, & porcorum more vorabat. Alterum, qui Capræ lac cum suxisset, saltando succedebat, arborumque cortices erodebat. Hinc Virgilius Aeneidos 4.

Non tibi diua parens, generis nec Dardanus auctor,
Perfide, sed duris genuit te cautibus horrens
Caucasus, Hircanaque ad morunt vbera tigres.

Et de his legimus alia multa exempla.

His consideratis in particulari descendo ad ponendum signa virorum virtute præditorum, vel vitio infectorum, quæ ex maiori parte desumpsi à Io. Baptista Porta lib.4. suæ Physiogn. & stabunt pro septimo argumento temperamenti.

De Figura viri iusti, & iniusti.

IVsti assimilantur Leonibus. Sunt corpore commensurati. Color capillorum est obscurus. Vox grauis, concaua, & inflexibilis, vel media inter grauem, & acutam. Oculi magni, sublimes, prominentes, fulgidi, & humidi, cum æqualibus orbibus pupillarum, vel inferior orbis, qui pupillam amplectitur angustus est, & niger. Superior vero igneus, inhumidis oculis. In risu hilares, & humidi, palpebræ remissæ. Frons longa ad tempora vtrimque porrecta.

Iniusti vero figura est. In inferiori orbe pupillæ ambitus est viridis, & in superiori niger, vel glaucus. Stantes, subrussi, ingentes, vibrantes, turbidi. Quæ extra oculos sunt, vt frons, genæ, supercilia, & labia mouentur in risu. Sunt vel ridibundi aperti, & aspectu minaci fixi.

De Figura viri probi, & improbi.

VIr probus, bonorum morum habet nasum magnum, ad faciem bene discretum. Vel longum ad os protensum. Vel mediocriter longum, latum, & apertum. Faciem pulchram, spiritum temperatum, pectus latum, humeros magnos, mamillas mediocres. Oculos cauos, & magnos, vt aqua in vase se mouentes, defixu obtutu herentes. Circulos oculorum mediocres. Oculos semper apertos, obscuros, humidos, & mites. Vel tristes, & supercilia comprimentes, & frons est austera, & demissa. Media inter tranquillam, & nebulosam. Aures decenter sunt magnæ, & quadratæ. Facies mediocris. Vox media inter intensam, & remissam, vel gracilis. Risus paucus. Vngues lati, albi, subflaui. Oculi concaui, intenti, & rubei, magni, stantes, splendentes. Vel lucidi, splendidi, & aqua humidi. Pedes bene formati, articulati, & neruosi.

Improbi sunt facie deformi. Aures habent longas, & angustas, os paruum, exterius protensum, Dentes caninos, longos, exertos, & firmos. Loquelam velocem, vocem gracilem, vel è naribus resonãtem. Tibias valde graciles. Collum incuruum. Pedes gibbosos. Oculos positos in longitudine vultus, vel circa pupillam conuersos coniunctim se mouentes, splendentes, vt marmor, aridos, vel splendentes nigros. Vibrantes tamquam salientes. Non conniuentes, palidos, subrubros, siccos.

Venenorum propinatores.

TEnẽt oculos prominentes, & siccos. Orbes pupillarum inæquales, & circa pupillam currentes. Calculos sanguineos, vel palidos, in oculis nigris.

VENENO PLENI.

Labia habent exilia inferiora, ad caninos dentes tumentia.

Fidelis, & Infidelis.

OCuli sunt mediocres, declinantes ad colorem ceruleum, magni, stantes, & splendentes. Vel tristes, & supercilia compressa, frons austera, & demissa.

Infidelis vero. Caput est valde paruum, cũ in concinna figura, & dorsi imbecillitate. Frons aspera, monticulis, & fossiculis plena. Humeri sursum eleuati. Manus angustæ, & graciles. Oculi caui, exiqui, sicci, vel obscuri, & aridi, vel obscuri, exquales. Vel se mouentes sicut turbati. Vel obscuri, & aridi. Vel mobiles, & acuti visus.

De figura prudentis, & imprudentis.

PRudentes solent esse corpore parui. Caput paulo maius paruo, in sinciput, & occiput protẽsum. Capilli in pueritia albi. Frõs quadrata, iustæ magnitudinis. Faciès mediocris, pinguiscula. Lingua subtilis. Vox media inter grauem, & acutam. Labia oris superiora prominentia. Collum ad dexteram inclinatum. Pectus latum, cum latitudine humerorum. Ventris medietas, cum pectoris angustia. Manus longæ,

gæ, cum digitis longis. Oculi magni, sublimes, fulgentes, humidi obtutus, vel lucidi, vel calculi subalbidiores, pallidi, igne is admixti, & sanguinei in nigris oculis, vel extra rotæ circumferentiam nigredo igni admixta, vt à longe nigros repræsentet. Ad risum hilares, & humidi, palpebræ remissæ, frons longa, vsque ad tempora producta.

Imprudentis. Frons connexa, alta. Anhelitus vt currentis. Digiti manuum præmutili, & crassi. Velociter incedunt, & si deprehendantur, formidant, & totam effigiem deorsum trahunt. Suspenso corpore, & vultu sublimi incedunt. Corpore magni, vel parui, sicci carnibus, & colore calidum innuente. Oculi prominentes manici, & igniti, vel tenebricosi, rubri, sanguinei, supercilia eleuantes, & suspirantes, vel se claudentes, & aperientes.

Insipientis. Facies carnosa, labia crassa, loquela difficilis, collum erectum. Corpus inclinatum ad sinistram.

De Figura ingeniosi.

INgeniosi sunt carne molles, & humidi inter asperitatem, & lenitatem. Natura mediocri. Colore albi cum rubedine. Aspectu mites. Capillis planis, & medioctibus. Magnis oculis, ad rotunditatem declinantibus. Capitis mediocris, cum magnitudine colli. Est æqualis, & bene dispositus, cuius humeri parum declinant. Caret carnositate in cruribus, & genibus. Claræ vocis, & temperatæ inter subtilitatem, & grossitiem. Longarum palmarum, longorum digitorum, ad subtilitatem declinantium. Modici risus, fletus, & derisionis. Aspectus est quasi commistus lætitiæ, & iocunditati.

SENSITIVI.

CAput plusquam mediocre, in sinciput protensum. Frons longa. Aures, decenter magnæ, & quadratæ. Corpore magni, siccis carnibus, & colore siccam temperiem innuente. Vel mediocri corpore, carne, & colore. Claues mediocriter solutæ.

Mechanici. Manus longa, cum digitis longis. Oculi se claudentes, & aperientes, humidi. Capillorum color leniter subflauescens.

Cogitabundi. Frons caperata, vel in medio sui eleuata. Spiritus facilis, & sine strepitu progrediens. Collum incuruum. Incessus tardus.

Dociles. Capilli placide subflauescentes. Frons in longum porrecta. Supercilia rara, magna, & commensurata. Aures exculptæ. Facies macilenta. Risus paucus. Collum ad dexteram inclinatum. Humeri magni, & pectus latum. Vel pectus angustum, & venter mediocris. Manus in mouendo immobiles. Digiti retro conuersi. Oculi mediocres declinãtes ad ceruleum colorem, vel nigrum. Constantes. Risus paucus. Cilia nigra, solida. Oculi obscuri, humidi, iustæ magnitudinis.

De Figura non ingeniosi.

HEbetes ingenio sicut ingeniosis contrariantur in acumine intellectus, ita etiam eis in signis opponuntnr. Sunt igitur sine eminentia capitis, ipsum enim rotundum habent. Frontem magnam, carnosam, rotundam. Oculos pallidos, stupidos, languentes, coloris oculorum caprarum. Maxillas magnas, & carnosas. Lumbos carnosos. Crura breuia. Pingue collum, & breue. Colorem nimis album, vel valde nigrum. Ventrem porrectum. Articulos pusillos, & colligatos.

Insensati signa sunt. Caput valde paruum, sinciput cauum. Frons alta, rotũda. Nasus simus à summo crassus. Facies carnosa longa. Genæ carnosæ. Mamillæ magnæ, & carnosæ. Vngues curui, angusti. Oculi tardi se mouentes. Vlnæ carnosæ.

Rudes sunt. Qui habent caput exuperans ordinariam magnitudinem. Colorem capillorum flauum albicantem. Frontem carnosam, vel angustam. Aures rotundas, non exculptas, vel paruas, & erectas. Os valde exsertum. Labia crassa, & rotunda, vel inferius labrum prominens. Collum crassum, pingue, vel durum, vel firmum, & immobile. Ceruicem crassam. Humeros eleuatos. Costas carnosas. Pectus valde carnosum. Magnas, & duras manus.

Indocilis. Caput exuperans ordinariam magnitudinem, vel valde paruum. Facies magna. Collum molle.

Insipientis. Nares obstructæ. Oculi se claudentes, & aperientes, pallidi, & trementes. Vel cum se claudunt sursum abeunt,

ipsique stantes, & subsluidi. Vel non conniuentes. Vel in seipsos circumuoluti. Vel obscuri se circumcirca mouentes.

Stulti. Frons lata, & magna. Aures magnæ, & erectæ. Calor flammeus. Genæ contractæ in tristi vultu. Superius labrum crassius, inferiori propendens. Lingua velox. Risus multus. Vox cum clangore acuta. Collum sursum erectum, vel inclinatum, ante, vel in aliam partem, vel neruis intensum. Manus valde breues. Humeri pilosi. Oculi ad dexteram retorti, latæ oculorum pupillæ.

Dementis. Os exsertum. Pupillæ oculi cum toto oculo prominentes. Vel sursum. Vel concaui, cum mollitie fluuidi, mobiles. Frons parua, & lata. Nasus valde paruus. Vel longus, & subtilis. Vel imum gracile. Os planum. Aluus, & pectus nimis pilosum. Oculi obscuri, parui.

De Figura memoris, & immemoris.

Memores habēt superiora minora, bene formata. Carnosa. Non pinguia. Aures magnas.

Obliuiosi. Superiora maiora &c.

De Figura audacis.

Audaces. Habent vultum austerum, frontem nebulosam, supercilia oblonga. Nasum longū ad os protēsum. Os magnū. Dētes lōgos, raros, acuto, & fortes. Collū mutilū. Pectus latum. Humeros magnos, oculos splendentes, cesios, sanguineos, se mouentes cū palpebris immotis. Apertos, siccos, splendentes, & puro lumine relucentes, vel vibrantes turbidos.

Temerarij. Os magnum, & exsertum. Digiti breues, & crassi. Oculi splendentes, torue aspicientes. Se cum fronte aspera claudentes, superciliis obliquis, palpebris duris, & concreris. Vel se claudentes, recti, humidi, iustæ magnitudinis, splendentes cum leui fronte, sicci.

Superbi. Supercilia arcuata, & quæ frequenter eleuentur. Venter magnus, carnosus, & propendens. Gressu tardo ambulantes, sponte morantes, manentes in vijs, & circumcirca adspiciētes, oculi obscuri, aridi.

Timidi. Comparantur ad ceruos, lepores, cuniculos, coturnices. Color timidorum est subpallidus, oculi imbecilles, palpebrizantes. Extrema corporis imbecillia, crura gracilia, & manus subtiles, & longæ. Corpore inclinatus non erectus. Oblongus. Languidus, & stupefactibilis. Collum lōgum, respiratio debilis, vel tumultuosa, pectus debile. Vox acuta, & mollis. Occiput caluum. Capilli recti, vel crispi, molles, & plani. Colore nigri, vel albi. Frons magna. Facies carnosa, vel ossea. Colore nigro, vel albo, vel subliuido, vel mellino. Labia exilia in ore paruo. Spiritus paruus, rarus, tardus. Corpus, & pectus macrum, & glabrum. Vel spiritus altus, densus, & agilis. Pectus carnosum. Vox remissa, vel tremula. Loquela breuis, vel acuta, & debilis. Vel è naribus efflata. Collum gracile, longum, vel asperum, & pingue. Brachia breuia.

Cinedi, idest delicati. Ad mulieres comparantur. Oculi confracti, humidi, impudenter aspicientes. Inclinatio capitis ad dexteram. Collum inclinatum. Motus manuū languidi, & dissoluti. Membra trementia.

Molles. Nates propinques, genua carnosa, supercilia recte extensa. Collum ante inclinatum. Humeri inarticulati, & imbecilles. Dorsū angustū, imbecille. Costæ male solutæ. Venter macilentus. Pedes parui.

Effeminati. Frons demissa. Nasus ad faciem male discretus. Os paruum, mentum rotundum, & glabrum. Corpore se mouentes humeris, & singulis membris. Oculi valde parui, & igniti, vel parui, & varij.

Imbecilles. Supercilia rara, extensa. Lingua balbi, vel blesi. Collum gracile. Vlnæ, brachia, & cubiti exiles. Manus paruę, graciles, & inarticulatæ. Mamillæ paruæ, & extenuatæ. Oculi se mouentes, cum palpebris mobilibus. Vel eius circuli candidi, & imbecilles.

De Figura viri fortis. Ad Leonem. Taurum, & robustum canem.

Habet pilos duros. Figuram corporis erectam, ossa, & costas, & extrema corporis fortia, & magna. Pectus amplum, & carnosum, & robustum. Oculos charopos, non valde expansos, nec omnino clausos. Colorem corporis squalidum, & acutum. Frontem rectam, non magnam, neque leuem, neque asperam, macram. Humeros robustos, spatulas, & latera in latitudinē distenta. Collum est firmum, non valde carnosum. Nates contractæ, sed duræ.

Crura

Crura carnosa circa talos robusta. Acies humida, & terribilis. Supercilia non extensa. Vox minax, intenta, & magna. Capillos tenent flauos, & aures decenter magnas, & quadratas. Nares patulas. Labia exilia in ore magno.

Animosi. Habent capillos medios inter crispos, & rectos, descendentes à fronte versus nasum, colore flauos. Supercilia arcuata, & quæ frequenter eleuentur, mentum acutum, collum crassum, dorsum magnū, & robustum. Pectus magnū, articulatū. Manus sunt magnæ, articulatę, & neruosæ. Incedens humeros ad singulos passus commouet. Oculi colore flaui, vel fului, vel splendentes, firme adspicientes. Vel circuli coloris iridis in humidis oculis, vel mobiles, rubei.

Virilis. Supercilia non recte extensa, sed tortuosa. Spatulæ latæ, magnæ, & distantes. Mentum quadratum, claues mediocriter solutæ. Densa barba, & mulier barbata, virilis.

Bellicosi. Os magnum. Vox canora.

De Figura inflati viri, & pusillanimis.

GLoriosi figura est. Supercilia arcuata, & quæ frequenter eleuantur. Tarde graditur, sponte in vijs moratur, & circumcirca aspicit. Incedens alta ceruice erectus. Humeros submouens. Oculi se mouentes, turbati, vel vibrantes, tamquam salientes, grandes, lucidi. Digiti longi, graciles.

Pusillanimis. Facies parua, membra parua, articuli parui, oculi exigui, corpus macrū. Frons circularis, loquela intenta, & vehemens. Velociter incedit, & si deprehendatur formidat, & contrahit seipsum.

Quæruli. Vox in principio grauis, in fine acuta. Guttur asperum, & vertebra prominens.

De Figura magnanimi viri, & auari.

MAgnanimi. Habent caput moderatæ magnitudinis, & modice compressum. Capillos descendunt à fronte versus nasum, leuiter subflauescentes. Frontem quadratam iustæ magnitudinis. Nasum à fronte aduncum bene discretum, vel rotundum, & in imo obtusum. Labia tenuia sunt in ore magno. Vox grauis, concaua, & inflexibilis. Vel grauis, & loquutio stabilis. Incessus tardus. Collum medium inter longum, & crassum. Longo incessu ambulat. Oculi sunt colore flaui, neque prominentes, neque concaui, nigri, in quibus calculi non insunt, sed extra circuli circumferentiam ferunt nigredinem igni admixtam. Vel calculos habēt subalbidiores, non valde igneos, vt a longe nigros representent.

Lucri cupidi. Membris, & oculis paruis, facie parua. Veloci incessu. Dorso recuruo. Acuta voce. Colore parum rubro perfuso. Vox debilis, & flebilis. Breuis, & celeris gressus.

Quæstuosiores. Oculi stantes, parui, qui frontem, & supercilia contrahunt. Vel oculi parui, varij.

Illiberalis. Humeri male soluti. Celeri gressu. Digiti contracti. Oculi valde parui. Vel albicantes, cesij.

Parci. Collum ante incuruum. Humeri ad pectus contracti. Oculi obscuri, humidi, iustæ magnitudinis.

Liberalis. Capilli e regione nasi à fronte descendentes. Ceruix hirsuta. Humeri bene soluti. Manuum digiti retro conuersi.

Generosi. Dorsum magnum, & robustum. Pedes bene formati, magni, articulati, neruosi. Vox concaua.

De Figura iracundi.

IRacundi. Frons circularis, vel caporata, ad medium sui declinans. Supercilia tortuose extensa. Tempora tumentia, venosa. Nasi imum acutum. Color carnis mellinus. Dentes recti, acuti. Vox magna, grauis, & perplexa, vel acuta, & intensa. Vel in principio grauis, in fine acuta. Collum, crassum, & longum. Vel crassum, & pingue, sanguineis venis refertum. Pectus flammei coloris. Ambidexter. Lingua velox. Guttur asperum. Digitos iactant inter loquendum. Oculi sanguinei. Vel circuli varij coloris in oculis asperis, vel stantes supercilia eleuantes, & suspirantes. Vel subruffi, ingentes, infra spectantes, vel vibrantes, grandes, splendidi, acuti.

Acerbi, & implacabilis. Caput valde paruum, cum inconcinna figura, & dorsi imbecillitate. Supercilia ad nasum inflexa. Nares

Nares patulæ. Spiritus fortis, velox, & spissus. Corpus, & pectus macrum. Loquela subflacida. Oculi sanguinei, & sicci. Calculi æquales in fuluis oculis. Splendentes, torue aspicientes. Vel stantes parui, prominentes, & qui frontem, & supercilia contrahant, & corpus sursum trahant.

Vecordes. Vox acuta, & intensa. Vel in principio grauis, in fine intensa.

Stolidi. Capilli recti, frons parua, supercilia ad nasum inflexa, facies magna, Aures valde paruæ, labia crassa. Os valde differtũ. Dentes continuati. Vox balans, & deprauata, vel aspera, vel acuta, & clamosa. Loquela velox, & gracilis, vel grauis, & debilis. Collum crassum, & pingue. Venter carnosus, magnus, mollis, & pendens. Oculi caprini coloris, vel aquili, vel splendentes. Luminosi. Vel sursum euntes.

Seruiles. Vox gracilis, & magna. Tibiæ, & calcanea crassa. Oculi parui, varij.

De mansueti, & mitis figura.

MAnsueti. Tota figura fortis, bene carnosus, carne humida, & multa, bonaque. Bonæ magnitudinis, & commensuratæ. Figura curua. Capillorum circuitus sursum vulsus. Constans intuitu. Tardus motus. Vox grauis, & mollis, & tarda.

Mitis. Capilli plani, & suaues, colore flaui, auei. Supercilia in rectum porrecta. Loquela remissa. Vox grauis, & mollis. Oculi nigri. Calculi inæquales in fuluis oculis.

De Figura intemperati, & luxuriosi.

INtemperati. Os cauum. Lumbi acuti. Venter magnus, mollis, & propendens. Tali valde graciles. Oculi obscuri, & caliginosi, qui dũ se claudũt, sursum abeunt, ipsique stantes, & subfluidi sunt. Vel ridentes humidi. Vel sursum euntes, magni, & subrubri.

Luxuriosi. Capilli rari, vel calui. Pili palpebrarum defluentes. Aures valde paruæ. Nasus incauus, ante frontem rotundus, & supereminens, rotundus, vel simus. Venter, & pectus pilosum. Mamillæ dependentes Pectus amplum, & macilentũ. Manus pilosæ. Lumbi, & femora absque alijs partibus pilosa. Tibiæ pilosæ. Digiti pedum copulati. Vngues valde rotundi. Genarum contractio in hilari vultu. Claudi. Oculi splendidi, vel cum circulis, quorum inferior viridis, superior niger. Vel sicci, aut asperiores cum circulis varij coloris, iridis colorem referentibus. Vel obscuri circumse mouentes. Vel vibrantes, magni. Vel sursum euntes. Vel subrubri, & magni, sursum euntes. Vel ad sinistram retorti.

Mulieris luxuriosæ signa. Colore pallida, vel fusca, gracilis, & macilenta. Statura erecta. Mammas habet paruas, conuenienter plenas, & duras. Pilosa in locis consuetis, cruribus, pectine, alis, mento. Et pili grossi, & asperi. Capilli crispi, & curti. Vox subtilis, & alta. In lingua audax, animo superba, & crudelis. Valde omnibus inseruiens, ebriosa, paruo abundat menstruo, & lacte, cum est effecta.

Adulteri. Tarde incedunt, & sponte in vias morantur, circumcirca aspicientes. Collum ad sinistram inclinatum. Oculi fului cum æqualibus calculis, *vel fedi*.

Viri sodomitæ. Inæquales orbes, in *oculis* circumcurrentes.

Venerei gratiosi. Mentum mediocriter scissum. Oculi ad nasum retorti. Vel vibrantes.

Amantis. Facie mediocris, in genis, & temporibus ad pinguedinem vergens. Suspirans, & inuitus illachrymans, & cum eum respicis terretur, & erubescit. Oculi prominentes, sublimes, magni, lucidi, & fulgidi. Vel non conniuentes, humidi, placide intuentes. Vel stantes subintuentes.

Absque amore. Oculi ridentes, humidi.

Edacis. Color mellinus in facie. Os valde differtum. Dentes acuti, longi, efferti, & firmi. Loquela grauis, & debilis. Collum pingue. Costæ exiles, & vacuæ. Manus graciles, & tortuosæ. Oculi obscuri circumcirca se mouentes. Vel vibrantes. Vel magni stantes, & subrubri.

Bibacis. Facies parua, crocea. Genæ carnosæ, vel semper erubescentes. Spiritus fortis, velox, & spissus. Manullæ dependentes à pectore, amplo, & macilento. Oculorum palpebræ infra prominentes. Oculi subrubri, humidi, vel vibrantes, tamquam salientes, magni, splendentes, humidi. Vel sursum euntes subrubri, & magni.

Edacis, & Bibacis. Præeminentes oculi, sangui-

guinei, vel sursum euntes.

Somnolenti. Caput plus nimio tumens. Oculorum vesiculæ supra eminentes. Venæ in brachijs ita graciles, & angustæ, vt vix visu deprehendi possint.

Segnis. Frons magna. Faciei color mellinus. Nasi imum crassum. Facies magna, & carnosa. Genæ crassæ, loquela breuis, lingua tarda. Longus, & tardus incessus, vel breuis, & tardus. Oculi valde magni. Vel tarde mobiles. Sine cutis. Frons erugata.

De Figura temperati, & impudentis.

MEdij capilli inter raros, & densos. Anhelitus temperatus. Frons media inter tranquillam, & nebulosam. Os neque extensum, neque planum. Collum ad dexteram inclinatum. Oculorum anguli breues. Oculorum pupillæ mediocres. Oculi magni, & splendidi. Circulus angustus, niger, supra igneus in humidis oculis. Vel calculi ignei albi, subalbicantes, pallidi, igneis admixti, & sanguinei in nigris oculis.

Impudentis. Oculus apertus, splendidus. Palpebræ sanguineæ, & crassæ. Spatulæ sursum eleuatę. Figura non rectus, sed parum pronus. In motibus præceps. Corpore subrubrus. Colore sanguineus, facie rotundus. Pectore sursum eleuatus. Crasso naso. Procaci intuitu, id est, qui in tuos oculos suos infigat. Voce acuta. Risus altus cum tussi, vel cum spirandi difficultate. Celer in gressu.

Verecundi. In motibus, & loquela tardus. Vox grauis, & spiritus plena. Oculus hilaris, non splendidus, niger, non valde apertus, nec omnino clausus, conuiuens tarde. Palpebras mediocriter mouet, est rubore plenus.

Tristes. Facies rugosa, & frons, macer, facie gracilis. Oculi confracti. In motibus remissus. Palpebræ extensæ. Capilli obscuri. Frons tristis, supercilia coniuncta. Vox flexibilis, & debilis.

Rustici. Capilli flaui, subalbicantes. Vox clara. Spiritus fortis, velox, & spissus, nares patulæ. Oculi cesij, crocei. Calculi æquales in fuluis oculis. Oculi magni, & commoti, micantes, quales solent esse iratis. Frons aspera, cum supercilijs obliquis, & palpebris duris, & concretis.

Amari. Facie remissus, nigri coloris, vel sub pallidi. Facies, & frons rugosa. Non carnosus. Recti crines, & nigri. Aspere, & sicce intuetur. Loquela, & anhelatio vehemens. Manus sape concutit, & fricat, & pedes velociter insilijt.

Suspiciosi. Vox dulcis, vel debilis, & flebilis. Oculi splendentes, fului. Vel se mouentes turbati.

Iocundi. Frons magna, carnosa, & leuis, vel plana. Quæ circa oculos humiliora, vt facies videatur somniculosa, neque intense aspiciens, neque remisse. In motibus tardus. Vox blanda. Frons hilaris. Vultus iocundus.

Arogantes. Guttur asperum, risus cum irrisione.

Iactabundi. Collum crassum, & longum. Pedum digiti longi, & graciles.

Vani, & sublimia cogitantes. Acuta vox cum clangore. Guttur asperum. Oculi claudentes, sursum abeuntes, & stantes subfluidi.

Simulatoris. Quę circa faciem pinguia. Quę circa oculos rugosa. Facies somniculosa.

Adspectu eleganti, voce remissa, incessu bene versatili. Supercilia ad tempora inflexa. Ambulantes modo cito, modo tarde. Oculi splendentes, concaui, & parui.

Mendaces. Facies carnosa. Nasus in medio latus, declinans ad summitatē. Bucca risibilis, vel risus cum derisione. Loquela velox, & gracilis. Vel e naribus efflata. Gibbosus. Supercilia deorsum inclinata, vel ad vnam partem. Oculi ridentes, hilares.

Veracis. Facies mediocris, in genis, & temporibus ad pinguedinem vergens. Vox media inter gracilem, & acutam.

Adulatoris. Facies parua. Frons serena exporecta. Ambulantes corporibus circumtorquentes se, & inclinantes. Oculi varij parui.

Obsequiosi. Oculi se claudentes, recti, iustę magnitudinis, splendentes in leui fronte, humidi. Vel non conuiuentes. Placide intuentes, humidi.

Molesti. Frons tetra. Oculi deorsum versi, supplices, breui, ac celeri passu ambulantes.

Pertinaces. Caput satis protensum. Frons alta, nares patulæ. Collum firmum, & immobile, vel crassum, & longum.

Litigiosi. Frons lenis, facies plana.

Importuni. Facies carnosa. Lingua velox.

Inuidi. Qui sinistra dexteris maiora habuerint,

rint. Quibus ſupercilia ad genas dimittuntur. Facies plana. Aures oblongæ, & anguſtæ. Genæ graciles, vel craſſæ, ab oculis diſtantes. Faciei color ſubliuidus. Os cauum. Dentes longi, acuti, rari, fortes. Vox dulcis. Loquela acuta, & debilis. Oculi caui, exigui. Vel ſurſum euntes pallidi.

Impij. Tempora caua, ſupercilia coniuncta, & piloſa. Oris vaſta diſſectio. Dentes longi, acuti, rari, fortes. Oculi concaui, parui. Vel magni, & commoti micantes, iracundis ſimiles. Palpebris apertis, patuli. Vel ſurſum euntes pallidi, vel deorſum euntes, ſupplices. Vel vibrantes circumturgentes. Vel ſplendentes, parui, cócaui.

Maleuoli. Vlnæ breuiores, quæ ad genua non perueniant. Celeri, & breui greſſu ambulantes.

Miſericordis. Pulchri ſunt. Albi coloris. Habentes oculos pingues, & nares ſurſum diſtantes, & ſemper plorant. Amatores mulierum. Genitores fœminarum. Et circa mores, in amorem propenſi. Semper memores. Ingenioſi, & calidi. Supercilia in rectum extenſa. Oculi ridibundi, humidi, palpebræ remiſſæ. Frons longa ad tempora vtrimque producta, vel triſtis. Vel frons demiſſa, & auſtera.

Indignabundi. Vox in principio grauis, in fine acuta. Vel acuta, & intenſa. Dentes mixti, lati, ſtricti, rari, ſpiſſi.

Iniurij. Superius labrum eleuatum. Forma præceps. Collum erectum. Ceruix craſſa, vel aſpera. Facies oblonga. Loquela grauis, & debilis. Tardo greſſu ambulantes, manentes in vijs, & circumcirca aſpicientes.

Loquacis. Forma pulchri. Piloſi circa ventrem. Aures magnæ, & erectæ. Naſus rectus, vel in medio latus. Declinans ad ſumitatem. Genæ oblongæ. Color faciei mellinus. Mentum oblongum. Manus graciles, & tortuoſæ.

Stultiloqui. Genæ oblongæ. Os exſertum. Coſtæ prætumidæ. Oculi ſurſum euntes, ſubrubri, magni.

Sonori. Collum gracile, & longum.

Clamoſi. Superius labrum, & gingiuæ prominentes.

Eloquentis. Vox grauis, & ſonora.

Inefficacis. Corpore parui, ſiccis carnibus, & colore calidum annuente præditi. Vel magni corpore, carne humida, & colore humidum annuente. Vel breui greſſu ambulantes, vel breui, & tardo, vel breui, & celeri.

Efficaces. Corpore parui, humidis carnibus, & colore humidum innuente præditi. Vel corpore magni, & duris carnibus, & colore ſiccum annuente. Vel mediocri corpore, carne, & colore temperaturam bonam ſignificante. Vel ambulantes longo greſſu, vel longo, & tardo, vel longo, & celeri. Oculi tardi.

Præcipites. Corpore parui. Caput valde paruum. Capillorum color flauus rubeus. Lingua velox. Carnis color rubeus. Ambulantes celeri greſſu. Oculi ſplendentes cæſij, ſanguinei, vel ſplendentes, torue aſpicientes.

Circumſpecti. Facies macilenta.

Solliciti. Facies macilenta. Oculi aperti, obſcuri, humidi, vel non conniuentes, humidi, placidi.

Laborioſi. Facies oſſea.

Fatui improbi. Caput durum, & acuminatum. Vel anguſtum, & acutum. Aures magnæ, & ſubflacidæ.

Ceruix, & collum rotundum. Frons dura, & aſpera. Oculi obſcuri, parui, ſicci, concaui, profluentes, intente aciem dirigentes. Manus anguſtæ, & oblongæ. Mentum longum. Os loquax, longum, apertum. Colore ſubpallidus, vt excitatus à ſomno, & à crapula videatur. Vox balans, turpis, puſilla, & ferox.

Ferini. Capilli denſi. Rufus plus nimio capillorum color. Genæ piloſæ. Dorſum piloſum. Humeri eleuati. Pedes breues, & pingues. Vngues curui, anguſti, longi, vel carnoſi. Digiti breues, & craſſi. Oculi ciſeij, crocei. Supercilia concreta, & coniuncta.

Peſſimi. Naſus ad faciem obliquus. Facies deformis, vel parua, & crocea. Imberbis. Loquela ſubflacida. Humeri extenuati, & acuti verticis. Oculi magni, & commoti micantes, aſpicienteſque ad modum irati. Palpebris reſeratis ſubalbicantes, & circa hos calculi crocei, igneis admixti, cum alijs ceſeis. Vel oculi ſplendentes, nigri, ſubridentes, vel ſplendentes, & his funiculus imminet. Cilia aſpera, palpebræ erectæ, & adſpectus trux, & amarus. Vel oculi ſe mouẽtes, parui, cum palpebris mobilibus. Vel ridentes, ſicci, ſubadſpiciẽtes.

Nefarij. Pupillarum orbes inæquales, vel pupillarum orbes eodem modo circumcur-

currẽtes. Vel conuersi coniunctim se mouentes. Vel orbes maculosi, nigris maculis, & rubidis.

De Neuis, & signis in partibus corporis existentibus.

Considerant etiam pro octauo argumento naturalis, quosdam neuos, seu signa in corpore apparentia, ex quibus propensiones hominum diuinare cōtendunt, quę tamen omnia cōiecturalia sunt, & quo ad naturalia currunt. Sciendum est ergo Astrologos dicere planetas maculas in corpore apparentes causare. Nigras esse à Saturno. Albas à Ioue, & Luna. Rubeas à Marte. Aureas, seu flauas à Sole. Rubescentes à Venere, Varias à Mercurio. Sed rectius dicitur, quod atra bilis est illa quæ dat maculas nigras, flaua bilis flauas, sanguis rubeas. Phlegma albas. Sed isti humores concitari possunt à planetis, & ideo vt in superiores causas reduci.

Ioan. Baptista Porta talis est opinionis, quod maculæ in natis apparentes non tantum ab imaginatione vehementi mulieris concipientis veniant, sed magis ab humoribus in vtero grauidæ præualentibus. Quare dicit se esse sæpius expertum, quod illa signa in corpore indicant nati propensiones ad illud tale. Vnde maculę vini in corpore indicabunt illum esse vini potatorē magnum. Porci syluestris, feritatem, & leporis, timiditatē, & sic discurrẽdo per alia animalia. Nam qui referunt similitudinē cum Leone, habebunt inclinationes Leonis, qui cum Cane, Canis. Cum Boue, Bouis. Cum Apro, Apri, & sic discurrendo, vnde multum valet bene considerare partes corporis, & illas contemplari cū qua animalis figura consentiant, & sic pronunciare.

Dicunt vlterius ex neuis desumi coniectura futurorum. Vnde qui neuum in fronte habet si est vir. Dicunt Haly, Melampus, & alij, erit multum diues, si mulier potestatem habens super alias, & hoc si in dextera parte frontis fuerint, nam si in sinistra starent, oppositum annunciarent, & hi alium neuum in pectore gerent.

Neuus in aure dextera promittit hereditates, & diuitias. In sinistra odia, & contrarietates. Neo aurium correspondet alter in renibus.

In cilio, seu inter cilium, & palpebram, & in abscondito in pectine si erit vir erit multum luxuriosus, & inhonestus, & violator violentus mulierum. Si mulier adultera, & infidelis. Et ita si fuerit extra cilia supra, vel subtus, & si fuerit rubeus, erit minus malum.

In naso si erit neuus splendens in sinistro, erit alter in masculo in membro virili, & in fœmina prope vuluam. Si erit ad transuersum nasi, vir erit vagabundus, & mulier patietur in pedibus.

In ventre denotat voracitatem.

In genibus viro promittit vxorem diuitem, mulieri in sinistro bonitatem, & fæcunditatem.

In labijs, & etiā testibus in viro, in muliere, in labio naturę denotat gulā, & ingluuiē. Et si erit niger, loquacem oratorem, hystrionem circulatorem, & in summa in dicendi arte occupatum. Maculæ in dentibus annunt virum officiosum, & potentē, si Iouem dominum geniture tenuerit.

Neuus in mento, & alter in splene. Diuitem auro, & argento, sed infirmum.

In mandibula inferiori, seu in collo, & in costis etiam à parte dextera. Diuitem, & sunt natura magnanimi, liberales, & magnorum virorum amici.

In collo, & ventre. Admodum diuitem, sed voracem.

In humeris Sagacem, litibus deditum.

Sub asellis prope pectus. Diuitem, & amatum, & bene vxoratum.

Maculæ in vnguibus multa bona, & mala dicunt Astrologi significare adnotantes prius, quod polex est digitus Veneris. Index Iouis. Medius Saturni, annularis Solis, & paruus Mercurij. Dicunt ergo, quod si macula alba apparuerit in indice, promittit lucrum in ludo, & donaria. Si nigra, luctus, & dolores. Alba enim est à phlegmate, nigra à melancholia. Si in iudice alba, vel albæ. Lucra, vtilitates non cogitatæ, & numos. Si nigræ, amissiones bonorum, & infelicitates. Si in medio albæ à parte media versus indicem, quæ datur Saturno fęcũditates, donationes, ædificia. Si nigræ, iudicia, passiones, afflictiones, & infortunia. Si in altera medietate versus annularē, q. est Lunæ apparuerint maculæ alba, vel maculæ albæ. Vtilitates, honores, negotia aliorum, & itinera. Si nigræ, opposita supradictis. Si in annulari

videbitur punctum album, rotundum, & clarum, annunciat dignitates, & augmenta bonorum, & honorum. Et si erit magnum, magnorum, & si paruum minorũ. Si vero fuerit macula nigra, infortunia. In paruo digito punctum albũ dicit Mercatores, Scribas, Senatores. Si nigrum, afflictiones. Sed si fuerint ibi lineæ albæ, dubia de mutatione vitæ, iuxta planetarum significata. In parte pollicis, quę vergit ad extra, quæ conceditur Marti, sicut illa, quæ indici proxima est Veneri, maculæ albæ sunt coniecturæ peregrinationum, & in milite cum gloria, & honore. Si nigræ, nocuna protendit, lites, & iurgia.

Dicunt vlterius, quod dum macula incipit, effectus etiam incipit, dum est in medio, mediat, dum deficit, iam effectus terminatus est. Ratio autem fundamentalis naturalis est, quod istæ maculæ sunt excrementa, & purgationes cordis. Si igitur cor atra bili affligitur, maculas nigras emittit, si phlegmate, & humiditate, albas. Si bili, rubeas, vel alio suo colore.

Maculæ autem oculorum in albo apparentes ex melancholia sunt, prout in morituris comparent, & maculæ ad instar grani milij, seu quadranguli parui diuersorum colorum ardentes, rubeæ, cælestes, vel iridis coloris. Horribilia annunciant, & mortes pessimas.

Neuus autem in manibus, cui correspondet alter in bursa, vel in pedibus, promittunt in masculo, & fœmina magnam filiorum, & filiarum fæcunditatem. Et Mars in ascendente in dextero pede signum ponit, & in occidente in sinistro.

Neuus in lumbis, tam in masculo, quam in fœmina minatur paupertatem, infelicitatem in filijs, & rebus venereis.

In pectore, & cilijs (sibi enim correspondēt) Oppressionem ex paupertate denotat.

Si supra locum cordis in sinistra. Præcipitem in ira, vulnerãdum, carcerandum, vel in exilium mittendum, & ab omnibus odiendum.

In ventre. Deuoratorem.

In genibus. Vxorem diuitem in viro. In muliere, in dextero fæcunditatem, in sinistro bonitatem. In talo pedis. Si vir, tollet vsũ vestiũ vxori. Si fœmina, dominabit̃ viro.

Nono deducunt naturales, & Astronomi temperamentum, tum corporis, tum mentis ex apparentijs hominum.

Dicunt ergo primo, quod pulchri corpore, sunt etiam mente pulchri. Sed notant duplicem esse pulchritudinem. Primam muliebrem, qualem dicunt prætulisse Alcibiadem, & Pseudomantem. Alteram virilem, cum quodam splendore, & venustate fulgentem, vt dicunt habuisse Dioclem, Scipionem affricanum, & alios insignes viros. Prima indicium est luxuriæ, ambitionis, & mali animi. Secunda vero compositos mores præfefert. Hi autem sunt in fronte splendidi, in intuitu, bonis dulces, malis terribiles. Caput tenent castigatæ magnitudinis, ante, & post prominens, in figura rotunda compressa. Frontem quadratam, mediam inter tranquillam, & nebulosam, moderatæ magnitudinis. Oculos magnos, splendentes, lucidos, sublimes, cerulei coloris, acuti visus, quos longus aliorum intuitus fixus non potest sustinere. Aures exculptas, quadratas, mediocriter magnas, auditũ acutũ. Labia delicata, colorata, in ore aliquantulum maiori, moderata vocis, modici risus, grauis sermonis. Colorem capillorum subflauum. Carnis candidum, rubore perfusum. Manus amplas, semper patulas. Digitos longos, graciles, retro conuersos. Latitudinem humoris, & pectore. Incessunt tardi, & graues.

Dicunt secundo deformes, & in aliquo membro defectuosos esse malos, vnde Pythagoras eos non admittebat in scholis, nec Romani in sacrificijs, nec Moyses in administratione sacrorum. Sed ego dicerem duplex esse genus horum. Primum est illorum, qui sunt distorti, & in omnibus fere partibus, vel saltem in pręcipuis signati, nec secum venustatem trahunt, sed sorditatem ostendunt, & de his multum est timendũ de veritate illius adagij. Caue à signatis. Secundũ est eorũ qui, & si in aliquo membro sint signati, tamen hoc cum alijs computatum fere nihil est, quia in compositione, & dispositione aliarum partium multis pulchris, pulchriores ipsi sunt, & hi quãuis in aliquo singulari sint infelices, tamen in moribus, & fortunis multis præstant.

Tertio. Laudant paruos in prudentia, & scientia, sed eos inhonorant in superbia. Sicut efferunt magnos in constantia, & deprimunt in sapientia, & sanitate. Sed dicito contemplanda in his, & illis esse mem-

membra, & dispositio illorum, & sic pronunciandum, quia magnitudo ab his recipit modificationem.

Ad primum primo dicimus ad maiorem, quod procedit de iudicio certo, nos loquimur de coniecturali, scilicet, quod per supradicta Philosophice possumus temperamenta coniecturari. Secundo dicitur ad minorem, quod & si pauci sint homines, qui sint similes in omnibus, plures tamen sunt, qui assimilantur in communibus, vt in colore, magnitudine, motu, & similibus, ex quibus diuinamus.

Ad secundum dicunt aliqui, quod temperamentum bifariam considerari potest. Primo, per se, & sic semper idem erit. Secundo, per accidens, vt per diuersa ab intrinseco, vel extrinseco concurrentia alteratur, & mutatur, & sic per accidens in eo admittunt contrarietatem. Sed ego dico semper idem temperamentum manere, quoniam hoc à semine trahitur, sed tamen pati multas varietates. Primo. Considerando ipsum non in tota sua latitudine, sed quo ad aliquam partem. Certum est enim puerũ secundũ se esse calidiorẽ seipso sene, & melius se habere in sanitate, quam in ægritudine. Pensandum est ergo temperamentum secundum suos diuersos status, & prout in ipsis aptum natum est diuersa, & contraria primis suscipere, & sic dicemus non temperamentum in contraria transire, sed se se conseruare, prout ei conuenit mutari in diuersos status.

Ad tertium negatur assumptum. Tales enim in suo statu, & gradu debuerunt esse fælices, quo ad naturalia, & si sua libertate potuerint sibi præiudicate, vt alibi ostensum est.

QVÆSTIO VI.

Vtrum morbi habeant certas, & definitas causas, & signa.

Videtur quod non. Nam Galenus 2. de causis morborum calidi morbi quinque causas assignat s. Motum. Putredinẽ. Calidioris alicuius corporis vicinitatẽ. Stipationem, & calidorum ciborũ, potuũve, & medicamentorum vsum. Sed istæ sunt falsæ causæ morborum calidorum. Nam moderatus motus calefacit, & non infirmat, & si commestio mandragoræ, & cicutæ, olera, quæ sunt perniciosissima, facta in modica quantitate non faciũt morbum, ita nec comestio, & potatio. Et calor excedens etiam generatur æstu, labore, somno, motu, & sollicitudine. Ergo dicendum venit, quod vel istæ non sunt veræ causæ, vel non sufficientes.

Secundo. Vidimus sanissimos iuuenes, optimæq. complexionis, ex paruo errore in potu, vel cibo, vel lotione occubuisse, quibus naturales longissimam vitam ex bono temperamento promittebant. Ergo non sunt tantum pensandæ causæ morborum, quãtum voluntas inordinata, ex qua prouenire potest mors.

Tertio. Signa etiam sanitatis, & infirmitatis sunt fallacia, quia in his etiam vidi sæpe Medicos deceptos.

Antequam ad ea quæ faciunt ad vitam tuendam, & sanitatem conseruandam transeamus, operepretium duxi summarie colligere causas morborũ, & quid de eis possit dici, quia fere ad singula in sequentibus erit descendendum, quo ad propria, vnde hic ponentur quo ad communia.

Morbi igitur calidi quinque ponuntur causæ, vt diximus in primo argumento. s. motus intellige inordinatus. Putredo intellige non euacuata. Calidioris vicinitas, nisi temperetur. Stipatio nisi relaxetur. Calidi cibi, & potus, & medicamenti vsus nisi moderetur.

Causę frigidi morbi sunt quatuor pręcipuę. Vicinitas frigidi, quia ex propinquitate frigiditas contrahitur. Quantitas cibi, & potus non sufficiens. Qualitas frigidæ naturæ. Constipatio, otium, & immodica exercitatio.

Causæ sicci morbi pendẽtes ab animo sunt. Sollicitudo, metus, vigiliæ, meror animi. A corpore plurima transpiratio, parca nutritio, & ex alimento sicco, aeris sicci circundatio, balneatio in his quæ sapiunt naturam nitri, vel sulphuris, vel aluminis, vel bituminis, vel similis, & vsus medicamentorum exsiccantium.

Morbi humidi sunt. Alimenta humidiora, magna eorum quantitas, potus immoderatus, educatio mollis, quies animi, & immotio corporis, balnea frequentia post cibum, pluuiæ plurimæ, temporum constitutio humida, & medicamentorum humectantium vsus.

Isti autem morbi componuntur adinuicem, & causæ.

Celsus autem primo suæ artis medicæ quasi dans remedia, tradit quæ calefaciant contra infrigidantia, & quæ humectant contra exficcantia, & dicit, quod calefacientia sunt. Vnctio aquæ salsæ, & magis si est calida, omnia salsa, amara, & carnosa. Balneū post cibum. Somnus post cibum moderatus, omnia acida, aqua frigidissima, & oleū aquæ mixtum.

Humectantia. Paruus labor, & minor, quam fit ex consuetudine. Balneum frequens. Cibus plenior. Potio multa. Et post istam ambulatio, & vigiliæ. Ambulatio multa, & vehemens, matutina exercitatio, & nō protinus cibus adiectus Genera escæ, quæ veniunt ex locis frigidis, & pluuijs, & irriguis.

Exficcantia. Multa exercitatio, fames, vnctio fine aqua, calor, Sol ardens, & multus. Aqua frigida. Cibus post exercitationem subito sumptus, ex locis siccis, & æstuosis veniens. Contraria autem contrarijs purgantur.

Secundo. Notandum Medicos etiam assignare diuersas differentias Symptomatum, idest eorum, quæ morbos sequuntur, de qua re legendus est Galenus de Symptomatum causis. Neque enim nostrum est ista tractare.

Tertio tamen pro curiosioribus dico cū Medicis, quod signa euentus, & status morborum sunt in triplici genere.

Alia enim dignostica dicuntur, & ista declarant partem læsam, vel male affectam, seu sedem morbi. Ad istam autem cognoscendam faciunt excrementa, positio loci doloris proprietas, & accidentia illi parti propria alterata. Pars autem male affecta per consensum alteram ledere potest, vt stomachus malis humoribus grauatus per consensum etiam inficit cerebrum, quia ad ipsum mittit malas fumositates.

Alia dicuntur signa prognostica, quia quid futurum sit annunciant. Ista autem sunt quædā antecedentia morbū, & alia ipsum comitantia. Quæ illum annūciant futuri sunt. Spontaneæ lassitudines, secundum Hipp. 2. Aphoris. 5. idest sine labore, & motu ortas, vt explicat Galenus. Secundum signum est, quod corpus non possit ad priorē statum se reducere, quia quamuis infirmabundus à nociuis caueat, & salutaria procuret, nihil tamen facit. Signū est enim, quod natura est oppressa, & sub onere malorum humorum est præceps. Tertium signum est superiori oppositum & est tale. Cum quis vltra solitum suum bene se habuerit. Ergo si quis plenior, speciosior, vel coloratior fiat, sua bona suspecta habere debet, quia ille non est suus status naturalis, vnde necesse est illum retrocedere. Quartum signum est contra consuetudinem, colorem, decoremque amittere, si membra sint grauiora, si vlcera nascantur crebra. Si corpus vltra, vel supra consuetudinem incaluit. Si grauior somnus pressit, si tumultuosa somnia sentiantur. Si sæpius expergiscitur, quam assueuit, deinde soporatur iterum. Si corpus dormientis in aliquibus partibus vltra consuetudinem insudat, maxime circa pectus, aut ceruices, aut crura, aut genua, vel coxas. Præterea signa sunt futuri morbi; si animus marcescit, si loqui, aut moueri piget, si corpus torpet, si est dolor præcordiorum, aut totius pectoris, aut in plurimis venis capitis. Si in aure fit tinnitus, si os est plenum saliua. Si oculi cum dolore vertuntur, si tēpora adstricta sunt, si membra inhorrescunt, si spiritus grauior est, si circa frontem intentæ venæ mouentur, si sint frequentes oscitationes, si genua quasi fatigata sint, totumque corpus lassitudinem sentit. Hæc autem signa magis erunt æstimanda ab experto, se nō potuisse ea sine morbo superare, quam ab eo, qui illa superauit, & remedijs opportunis delusit.

Signa morbi actualis.

Signa autem actualis morbi iuxta dicta Celsi sunt quatruplicis rationis. Prima dicuntur bona. Secunda mala. Tertia longæ valitudinis. Quarta mortis indicia.

Bona sunt. Si æger bene in latus dexterum, vel sinistrum cubet, cruribus parum reductis.

Si noctu dormiat. Si interdiu vigilat.

Si facile spirat. Si non conflictatur.

Si præcordia ex vtraque parte mollia, & sine dolore sint.

Si corpus est æqualiter molle, & calidum, & æqualiter totum sudat, & sudor cum febri terminatur.

Si habet sternutamenta.

Si cibum appetit.
Si febris sit intermittens, & ante aliam ex toto finierit.
Si vomitum faciat ex bile, & pituita.
Si in vrina subsideat, album, leue, & æquale, & si quæ sunt nubeculæ, in imum deferantur.
Si eius excrementa sint mollia, consueta, & quasi figurata.
Si tumores in superioribus partibus, & dolorem fecerint, & inflammationes.
Si venter ad inferiores partes euolutus, magisque etiam, si sine difficultate excessit.

DE SIGNIS MALIS.

Mala signa sunt.
Si æger supinus iacet, porrectis manibus, & cruribus, vbi residere vult in ipso acuti morbi impetu, præcipue pulmonibus laborantibus.
Si de nocte non dormiat, quamuis de die parum dormitet.
Si nullo modo dormire possit.
Si non possit ægrotus expergisci à somno, neque vrgeri.
Si vehementer, & crebro respiret.
Si horrescat maxime in sexto die.
Si pus expuet, vel vix ecreet.
Si dolorem continuum sentiat.
Si difficulter morbum tolleret.
Si crura, & brachia nuda iactet.
Si inuoluntarie lachrymet.
Si inter dentes humorē glutinosum sentiat.
Si circa vmbelicum, & pubem cutem macram habeat.
Si habeat præcordia inflammata, dolentia, dura, tumida, intenta, & magis in dextera, quam in sinistra.
Si venæ vehementer agitentur.
Si nimis cito emacrescit.
Si caput, pedes, & manus valde calidas habuerit, ventre, & lateribus frigentibus.
Si faciat singultum, & eo magis si post vomitum.
Si post sudorem inhorrescit.
Si oculi rubent.
Si cibum aliquem cupit, & subito illum fastidit.
Si multum sudet, maxime frigido sudore, vel non per totum corpus ęquale, & febrim non finiat.
Vel si in febri sudor superueniat, febre non cessante.
Si febris eadem hora veniat, & redire soleat.
Si nullam mutationem febris faciat, vel in tertio die leuetur.
Si sit continua, vel per accessiones crescat, nec vnquam integrum corpus relinquat.
Si febri dolor præcordiorum etiā succedat.
Si in somno timeat. Si in prima febre mens turbata est, vel membrū resolutum, quia, & si succedat sanitas, illud tamen membrum manebit debilitatum.
Si vomitus sit sinceræ bilis, vel pituitæ, & peius si sit viridis, vel niger.
Si in vrina subsidentia sint subrubra, vel sub liuida, & peius si in ea compareant quædam fila alba, tenuia, & pessimum si furfuracea fere nubicula repræsentetur.
Si in phrenitide vrina sit alba, & diluta.
Si aluus supprimitur.
Si in febri fluuat, ita vt ægrum in lecto conquiescere non permittat. Maxime si quod fluuit est albidum, liquidum admodum, vel pallidum, vel spumans.
Si quod descendit est exiguum, glutinosum, album, leue, vel subpallidum. Vel est liuidum, aut biliosum, cruentum, vel peioris odoris consueti.
Si post longas febres est sincerum.

De signis longæ valitudinis, idest de difficili recuperandæ.

Signa longæ valitudinis sunt.
Si febris sit mitis, & sudores frigidi.
Si sudor non cesset cum febri.
Si sudor nō inceperit die tertio emanare, vel 5. 7. 9. 11. 14. 17. 21. 27. 31. 34. Si corpus totum mutetur, vt primo, verbi gratia calefiat totum, deinde totum frigescat, vel econtra.
Si color terreus appareat.
Si corpus cito multum macrescit, vel in multis diebus adhuc pingue restat. Si vrina nimis mutetur. Vt si vrina modo sit liquida, & pura, modo habeat subsidentia, leuia, alba, rubraue. Aut si quasi quasdam maculas repræsentat, aut bullulas excitat.

DE SIGNIS MORTIS.

Signa mortis sunt.
Si nares sint acutæ, tempora collapsa, oculi concaui, aures frigidæ, & languidæ. Et imis partibus leuiter versæ. Cutis circa frontem dura, & intenta. Color niger, aut palli-

pallidus,& eo magis si hęc sunt,quod nec vigilia præcesserit,neque ventris ressolutio,neque inedia. Et nisi intra diem naturalem mutetur, signum mortis est. Et si morbo veteri talis figura, per triduum duret, mors proxima est. Maxime si lumen oculorum refugiat, oculi lachrymant, alba eorum rubescunt, venulæ pallent, pituita, quæ in eis innatabat nouissime ad angulos se reducit, nares, labia, & palpebræ pallent,iā nō audit,nō sentit,in sensibus imbecillis fit, signum est mortis, ex Hippocrate libro Prænotionum tex. 2. & 4. Aphorism. 49.

Item dum æger supinus cubat, eique genua cōtracta sunt.Vbi deorsum ad pedes subinde delabitur. Vbi crura,& brachia nudat, & inæqualiter dispergit, neque his calor subest. Vbi hiat,vbi assidue dormit. Vbi extra suum consuetum dentibus stridet.Vbi vulcus,quod ante morbum,vel in ipso narium est, fit aridum, vel pallidum, aut liuidum.

Item si vngues, & digiti fiant pallidi, spiritus frigidus, aut si manibus quis in febribus,in febre,& acuto morbo, vel insania, pulmonisve dolore, vel capitis, in veste floccos legit, fimbriasve deducit, vel in adiuncto pariete,minuta (si quæ eminēt) carpit.

Item si dolores qui erāt circa coxas, & alias inferiores partes ad viscera transierunt, subitoque desierunt.

Si suam saliuam deuorare non potest.Vbi sine nullo tremore frebicitans subito stran gulatur.Vel ceruix conuertitur,ita vt nihil æque deuorare possit.

Si continua sit febris, & exterior pars friget,& interior sic calet,vt sitim faciat.

Si continuante febre, & delirio non potest vix respirare.

Si somnus dolorem auget, & in recenti morbo bilis atra, vel infra, vel supra se ostendit.

Si sputum sit biliosum, & purulentum, siue separatim, siue mixtum proueniat, & si sit tale circa diem septimum, in quartodecimo periculum imminet mortis, nisi alia signa meliora,vel peiora accesserint. Tunc enim variatur dies in celerius, vel diutius.

Si sudor sit frigidus in acuta febri, & si sit continuus actum est.

Si vomitus in omni morbo sit varius, & variorum colorum,& multorum, & in odore,& malus. Et si sanguis etiam vomeatur pessimum est.

Si vrina diutius fiat rubra,tenuis, in magna cruditate. Et pessima est nigra,crassa,& mali odoris. Et ita si sit varia, quæ strigmentum,sanguinem,bilem viridem,modo in diuersis temporibus,modo simul,& in mistura quadam repræsentat. Vltimum adesse indicat vrina liquida,vel nigra,vel pallida,vel pinguis, & ex ore infirmi fœtor sit magnus.

Item mulier grauida acuto morbo facile perit. Si correpta est.

Sed dicit Hippocrates 2.Aphorism. non esse certas mortis, vel salutis pronūciationes, vnde supradictæ sunt coniecturæ, vt plurimum cum effectu.

VARIA PROGNOSTICA.

MVlta etiam alia Prognostica mixta ex varijs alijs dictis Doctorum præcipue Hippocratis hic addimus.

Si mulier grauida sit,& fluxus corporis ei superuenerit, periculum est ne abortiat.

Si mulieris præter ordinem menstrua deficiant,& sanguis à naribus fluuat, bonum est. Malum si mulier grauida adhuc menstruet. Si vna ex mamis extenuetur,& si lac in mamis abundet, adhuc fœtu existente in corpore.

Item ex vomitu desumitur argumentum. Vomere sanguinem bonum est sine febre, malum cum febre. Si sit spontinus soluit longum profluuium alui. Sunt & alia signa, quæ cum ad Medicos proprie pertineant, omitto.

Ad primum argumentum dicitur, quod malitia causæ ex tribus præcipue pensanda est. Primo, ex natura sua, quia de se est mala, & à malo non potest expectari nisi malum, sicut à bono, bonum. Secundo, ex dispositione subiecti, quia homo bene sanus, & fortis, vincet multa malum annuentia, & debilis cito ruuet. Tertio, ex excessu, vel defectu, quia perniciosa in modica quantitate non multum lædunt, in maxima vtique, & moderatus motus, cibus,potus,&c. iuuabit, & immoderatus nocebit. Ex his igitur pensamus causas morborum, & salutem, vnde non est recurrendum ad alia. Tempus autem,& similia generalia non ponuntur causæ, sed vt

vt circumstantiæ generales morbos præcedentes, comitantes, &c.

Ad secundum dicimus, quod necessario in illis iuuenibus præcessit causa morbi, quia sine causa non est effectus, vnde fortes ex forti causa occumbunt. Videtur autē esse parua in se, sed non in ordine ad malos humores, iam in illo corpore congregatos, & excitatos, vel quia illa causa in se parua magnam contrarietatem cum ił a natura habuit, vnde eam debellauit, & vicit.

Ad tertium respōdere videtur Celsus, quod illa signa decipiunt imperitos, & non peritos Medicos. Sed dicitur etiam, quod ista signa sunt coniecturalia, & non certa absolute, & omnino, vnde sufficit, quod vt plurimum saluentur.

QVÆSTIO VII.

Vtrum mors possit retardari.

Videtur quod non. Primo. Illud quod est necessarium ab intrinseco, absolute est necessarium, vnde impediri non potest, vt dicitur 2. Phys. & 5. Metaphy. Sed quod omne compositum ex contrarijs sit corruptibile est necessarium absolute, & extante causa, ex suppositione, necessaria tamen. Ergo dato quod quis debeat ex suo temperamento tali anno, mense, & die obire, morietur vtique. Ergo mors non potest retardari.

Secundo. Auicenna in 3. primi cap. 1. dicit. Ars quidem sanitatem custodiendi, non est quæ à morte securos nos faciat, nec corpus ab extrinsecis nocumentis muniat, neque vnum quodque corpus ad vltimā vitæ longitudinem perducat. At si mors debet retardari oportet vitam nostrā tueri à nocumentis, & ducere vitam vsque ad finem. Ergo mors non potest retardari.

Tertio. Minus forte, non impedit, nec retardat magis forte, & virtuosum. Sed natura est fortior quacunque arte. Ergo si quis sua natura tendit tali tēpore ad mortem, non poterit per artem retardari.

In contrarium est Auicenna loco citato in secundo argumēto, qui dicit, quod quamuis nec senectus, nec mors possint euitari, tamen retardari possunt per duo. s. per conseruationem calidi, & humidi naturalis quærendo, & vtendo illis qui hæc conseruant, & per impedimentum oppositum putrefactioni, & putrefacientibus. Et Conciliator nomine Homeri asserit mortem retardari, per bonum cibum, potum, balneum, mollem lectum, & somnum, his humectando, & conseruando calorem primogenium. Et Ali Rodam in 3. regni, commen. 26. dicit, quod multi vixerunt vsque ad centum annos. Propter vitæ propriæ bonum regimen, & per vsum medicinæ dictæ Triffera, quoniam ista bonam facit digestionem, & colorem bonum. Et videtur esse definitio sapientis dum Eccles. 27. dicit. Honora medicum, propter necessitatem enim creauit illū altissimus. Et post. Non discedat à te, opera eius sunt necessaria.

Pro resolutione huius quæstionis primo obseruandum est, dupliciter nos posse intelligere mortem posse retardari. Primo, vt est prædiffinita à Deo in tali tempore, & sic dicimus non posse retardari, quia in manu eius cuncta sunt posita, mors, & vita, & non est qui possit eius resistere voluntati. Secundo, vt Deus illam disposuit euenire contingenter, & in ordine ad causas suas. Agit enim Deus fortiter pro sua parte, & suauiter pro nostra, quia non inuertit ordinem rerum, sed disponit, vt necessaria per causam necessariam succedāt, contingentia per contingentem, & libera per liberam, quia actio Dei non est destructiua rerum, sed illarum conseruatiua, in suo proprio esse, & agere. Hoc ergo secundo modo considerando vitam, & mortem, quærimus an possit vita elongari, & mors retardari.

Secundo. Considerandum venit, quod duo possunt esse principia, quibus mors retardari potest. Tantum est enim dicere mortem retardare, quantum conseruare pro possibile humidum radicale cū calore naturali, ne à frigiditate, & siccitate suffocetur, ac stranguletur. Ad hoc enim debēt esse omnes conatus, si volumus vitam elongare. Ista autem principia sunt natura, & ars. Oportet enim naturam cecam, arte duci, & adiuuari.

Pro parte ergo naturæ tria sunt inspicienda secundum Galenum, scilicet conseruatiua, reductiua, & resumptiua. Conseruatiua enim debet id quod bonum est, & ad vitam facit, scilicet calorē naturalē, & humidum

midum radicale conseruare, nam hoc humidum non solum à calore innato consumitur, verum etiam ab extrinsecis quibusdam, vt à nimio labore, ab inordinato coitum, à vigilijs immoderatis, ab animi accidentibus, ceterisque rebus non naturalibus, & propterea agendum est, vt contra tot hostes saluetur pro possibile. Reductiua habebit intemperata, ad temperamentum quantum potuerit reducere, debilitando, & eneruando intemperantiæ causas, & adiuuando, fouendoque temperamenti boni præsidia. Resumptiua vero debet, id quod de humido primogeneo consumitur, reparare. Hoc est autem possibile si nō in totum, cū continuo fluat, in partem, quia nō deest causa effectiua, quæ est anima semper eadem, neque absunt alimēta ad hoc opportuna, & accōmodata.

Istæ autem potentiæ, conseruatiua, &c. tria loca corporis debent inspicere, & manutenere, quia ista sunt præcipuæ sedes humanæ vitæ, scilicet cor, hepar, & cerebrū. Quomodo autem hoc fiat, in sequentibus dicetur.

Tertio. Pro causa adiuuante pro nunc tantum consideramus Medicū, de cuius consilio omnia necessaria ad conseruandam vitam facienda erunt, & non proprio appetitui erit remittendum iudicium eligēdorum ad tuendam vitam, quia appetitus de facili nos decipit, vbi delectabile offert. Posset etiam quis proprium iudiciū sequi, quando haberet voluntatem bene moderatam, & intellectum bene practicū de cibis nociuis, & salutaribus, sed non habendo, debet se committere perito Medico, qui has cōditiones habeat. Prima eius conditio est, vt timeat Deum. Deus enim sapientiam præbet his, qui diligunt eum, vt dicitur Eccles. cap. 1 & alibi. In maliuolam animam non intrabit sapientia, neque in corpore subdito peccatis. Quod & affirmauit Galenus in 1. de criticis diebus, & pro hac conditione lege Antonium Gazium Medicum Patauinum in sua Florida Corona cap. 7. Solum memoriæ committo Medicis constitutionem Pij V. ne secunda vice infirmum visitent, nisi prius fuerit visitatus à Medico Spirituali. s. à Confessario, cui sit sua peccata confessus, quia initium nostrum debet esse à domino, qui custodit introitum nostrum, & exitum, vt dicitur in Psal.

Secundum est, vt didicerit logicam. Galenus 1. de diebus Decret. Immo Philosophiam totam. Idem Gal. lib. quod optimus Medicus sit Phil. & Hippocr. de Decenti ornatu. Et noscat Astrologiam Gal. 3. de decr. diebus cap. 3. 5. & Hippocra. lib. de aere, aquis, & locis 4. Aphoris. 5. Ceteras conditiones Medici. s. quod sciat naturam aeris, aquæ, loci in quo medetur, complexionem personarū, cibū, potumve earum, consideret ætates, & temporum constitutiones, ventorumque esufflationes. Vide apud Calistum Procaccinum Medicū Romanum lib. qui dicitur Medicus ad Tyrrones, & Gazium, vt supra.

Conclusio ergo est. Vita potest adiuuari, & mors retardari. Probatur. Si principia, & causæ vitæ adiuuari possunt, & principia, & causæ mortis impediri, vel retardari, vita conseruabitur, & mors retardabitur. At humidum radicale, & calor naturalis pluribus possunt adiuuari, & frigiditas, & siccitas extenuari, & infringi. Ista autem sunt principia, & causæ mortis, & vitæ, vt dictum est superius. Ergo vita potest elongari, & mors retardari.

Ad primum diximus talem esse necessitatē ex suppositione causarum bonarum, & & malarum, vnde si malæ præualebunt, mortem inducent, si bonæ vitam seruabunt. Itaque vita, & mors in istis est constituta, vnde datis sequetur.

Ad secundum dicitur, quod munire, & custodire vitam stat dupliciter. Primo perfecte, & sic intellexit Auicenna nihil esse, quod valeat vitam, & sanitatem sic munire. Secundo aliqualiter, ita vt non sit mortem tollere, sed retardare, & hoc est, quod affirmamus.

Ad tertium dicimus duplicem esse statum naturæ: Primus est omnino necessarius, quia nullum admittit impedimentum, vt quod mors tandem sequatur. Secundus est indifferens. Verbi gratia ad mortem, & vitam, & hic potest arte iuuari, & de hoc fuit nostra disputatio.

QVAESTIO VIII.

Vtrum sobrietas faciat ad vitam longeuam.

Videtur quod non. Primo. Causa in actu semper operans, requirit necessario

rio id in quod agit, aliter actio otiosa esset, & deficeret. Sed calor naturalis semper consumit humidum radicale, quod cibo, & potu conseruatur. Ergo opus est ne vita (quæ posita est in calido, & humido radicali) deficiat, vt semper ei addatur cibus, & non sit dieta.

Secundo. Omne quod defectum dicit, non proficit, sed officit. Sed sobrietas dicit defectum in cibando. Ergo non faciet ad vitam longeuam, sed ad eius breuitatem.

Tertio. Regula debet esse inuariabilis, & certa. At sobrietas non potest esse certa, & inuariabilis regula vitæ. Quia quandoque sobrietas expedit, quandoque repletio ad exonerandum corpus proficit. Et alia ratio victus conuenit iuueni, alia seni, alia ægro, alia sano. Ergo sobrietas male ponitur regula diuturnæ vitæ.

In contrarium est Galenus lib. 5. de tuenda sanitate, qui sic dicit. Arte illa, quæ dietam præscribit eos qui ab ipso ortu imbecillum corpus non sunt sortiti, sensibus illesis, & ab omni morbo, & dolore alienos ad summam senectutem peruenere. Deinde de seipso addit. Ego vero, tam & si nec salubrem corporis statum ab ipso ortu sim nactus, nec vitam plene liberam egerim, hac tamen ipsa arte vsus, post 28. ætatis annum, ne quidem minimo laboraui morbo, nisi forte diaria febri, ob lassitudinem aliquando contracta. Item Arist. in problematibus refert suo tempore fuisse quendam Philosophũ Herodicum nomine, qui quamuis esset debilissimæ naturæ, & tabe laboraret, tamen arte dietæ, & temperantiæ ad 100. annum peruenit.

Item Iosephus lib. 2. de bello iudaico cap. 7. dicit. Essenas longissimæ esse vitæ, ita vt plurimi eorum vsque ad centenariã perueniant ętatẽ, propter simplicitatẽ victus, & vitã bene ordinatã. Solũ.n. panẽ, & vnũ pulmentũ singulis apponi. Imò hoc idem testatur Sapiens Eccles. 37. ibi. Qui abstinens est, adijciet vitam. Et ita vt modernos omittamus legimus Democritum, & Hippocratem vitam duxisse ad annos 105 & Plat. 80. & de quodam alio Philosopho refert Galenus lib. de marasmo, & lib de tuenda sanitate, qui vltra 80. annum vitã traxit, cũ nihil haberet pter cutẽ, & ossa.

Quoniam intendimus in hac quęstione prælibare quædam generalia tantum, quæ faciunt ad longeuam vitam, & in sequentibus postea ad singularia descendere, ideo hic quibusdã generalibus cõtenti erimus.

Primo ergo sciendum est, quod vt determinauimus in 2. parte nostri vniuersi elementaris, nutritio cibi, & potus necessaria est, vt per appositionem horum reficiatur deperditum, per calorem naturalem consumatum, & per aerem, & multa alia deuoratum, sed illa noui cibi appositio esse debet talis, quod sit refectio deperditi, & nõ suffocatio remanentis. Cum igitur hoc sit necessarium indiget regula aliqua, quæ apte, & apposite hoc doceat, quam artem vocabimus regulam vitæ regulatæ, ordinatæ, & temperatę, quę vnico nomine explicabitur dicendo. Est ars vitæ sobriæ, vnde intantum dicimus sobrietatem facere ad sanitatem, inquantũ facit ad sobrietatẽ. i. ad cõmensurationẽ reficiẽdi p cibũ.

Secundo. Tamen notandum venit, quod sicut non est vnum omnium temperamentum, nec vna ratio viuendi, ita vna regula non potest omnibus, & singulis accomodari, vnde pensanda erit cum omnibus circunstantijs, quia alia erit regula cibandi iuuinem, alia senem, alia sanum, alia ægrum, alia biliosum, alia pituitosum, alia multum exercẽtẽ corpus, alia eos qui in quiete viuunt, vnde cum non possit ista regula stare in indiuisibili, apponendæ veniũt quædam regulæ generales, quæ cuilibet complexioni accomodari possunt, quas bene, & optime cõsiderauit Leonardus Lessius, Societatis Iesu, vir in Theologicis, moralibus, & Philosophicis eruditus, in libro suo cuius titulus est. Hygiasticon, seu vera ratio valetudinis bonæ, & vitæ, &c. Regulæ igitur istæ sunt.

Prima est. Ille cibus tunc censebitur sufficiens, non excedens, nec diminutus, qui post eius sumptionem non impedit functiones animi. Datur enim cibus ad confortandam, & subleuandam naturam, & vires refocillandas. Si igitur eas confortauit, & non oppressit, signum erit, quod fuerit sumptus in debito temperamento. Si enim adhuc famesceret cibatus, & vires suas non confortasset, indicium esset deficientię necessarij cibi, sicut etiam si illum aggrauat, signum est, quod excessit. Vide igitur quanto cibo confortaris, & non opprimeris ceteris partibus, & illum teneas tuum conuenientem cibum.

Ita dicimus. Si ante cibum eras agilis, & be-

ne dispositus, & post cibum sentis torporem, grauitatem, & lassitudinem, & sis sanus, iudica te vltra metam comedisse, & tuam debilitatem non ex defectu cibi, sed ex eius abundantia prouenisse, & vide ne in hoc sensus, & voluptas (vt notauit S. Augustinus lib. 4. cōtra Iulianum ca. 14.) te decipiat. Sit enim tibi experiētia testis, quod quando ex praecedenti cena in mane sentis membra languida, & obuoluta, & non comedis vsque ad vesperam, semper vires adaugis, & non eas infirmas. Signū est ergo, quod illa lassitudo, quae non praecessit, sed sequuta est cibum, fuit causata à superfluo cibo.

Secunda. Regula est. Cum te ad sobriam vitam ex intemperata reducere volueris, ne subito ad magnam sobrietatem transeas, sed paulatim, detrahendo parum, & parum, quousque senties te deuenisse ad talem quantitatem cibi, quae tibi nō noceat, sed te perficiat. Subitus enim transitus de extremo ad extremum est violentus, vnde oportet prius accedere ad medium, antequam deueniamus ad alterum extremum. Hoc multum facit pro illis bonis Christifidelibus, qui totam quadragesimā ieiunant. In paschate enim non debent epulari, sed sobrie in primis diebus cibum sumere, & sic ad suum ordinarium transire.

Tertia regula est. In nostris partibus Italiae, senibus, studiosis, & debilibus, non multū laborantibus, nec corpus exercentibus, quodlibet die, per totum diem sufficient quindecim onciae cibi, & totidem potus, dispensando ista in prandio, & cena, vel refectione. Hoc suadet exemplo sui Ludouicus Cornarius, nobilis Venetus in suo opusculo de vita sobria, qui dicit, quod cū magnis infirmitatibus conflictaretur, in anno aetatis suae 36. hanc regulam vitae assumpsit, & sanissimus usque ad longam senectam uitam duxit. Hoc idem elicit Lesius ex Cassiano col. 2. Albatis Moysis cap. 19. & potest ratione comprobari, quia quando calor naturalis non est quantitate cibi suffocatus, illum fere totum in nutrimentum resoluit, & hoc uidetur magnum nutrimentum. Iuuenibus autem, Agricolis, & alijs laborantibus maior potio potest concedi, prout expertum fuerit eis opus esse.

Quarta. Regula est. Cauendum est ab illis cibis, quos experientia testatur nocuisse. Vnde rustici, qui cepis, caseo, fabis, pisis, leguminibusque pascuntur, & illis nō nocent, ex longo vsu, illis vti possunt. Cauendum est igitur pro vniuscuiusque cōplexione ab illis cibis, qui illis mittunt ad caput suffusiones, nebulas, vertigines, illisque causant distillationes, aut tusses, cruditates in ventriculo, inflationes, tormina, morsus, laniationes, & similia. Nihil autem senibus, & debilibus, magis quam panatella cōmendatur, cum vno recenti ouo mixta, & brodio bono. Est enim chylo simillima, qualitatibus temperatissima, putredini, & corruptioni minime obnoxia, vt multi alij cibi, qui in stomacho putrescunt. Et si ei aliquid addatur, qui eā calidiorem reddat, & magis alimentosam constituat, optimus erit cibus, & magis non pituosis. Errant enim qui putant homines sine carnibus non posse viuere, & eas vere Plutarchus lib. de sanitate tuenda non multum laudat. *Sed si tamen stomacho alicuius sunt gratae, illis vtatur.* Conclusio enim nostra est, vt vnusquisque eum cibum sumat, quem sibi salutarem nouit.

Ad hoc facit etiam, quod ciborum varietas sit fugienda, quia cum sint diuersorū temperamentorum se corrumpunt, & malam nutritionem generant, & dum sua voluptate iterum, atque iterum appetitum alliciunt, vitam abreuiant. De qua re legendi sunt. Disarius apud Macrobium lib. 7. Saturnalium cap. 4. & Franciscus Valeriola locorum communium lib. 2. cap. 6. & audiendus est Socrates, qui dicere solebat. Abstinendum ab illis cibis, qui vltra sitim famemque sedendam appetentiam producunt. Pensandus est enim exitus, quod ex his in ventriculo est cruditas, totius concoctionis deprauatio, inflationes, tormina, colicae obstructiones, renum dolores, & calculi, & omnia mala. Fuge igitur conuiuia, & epulas, quia principium ipsorum est delicatum, terminus mortiferus. Secundo loco ponitur ista conclusio.

Dieta cōmendat̄, vt causa diuturnitatis vitae, & aliorum multorum bonorū. Probatur. Quod multa cōmoda affert, & à multis malis cauet, est omni ardore amplexandum. Talis est Dieta. Ergo erit laudanda, & amplexanda. Probatur minor. Primum enim

enim commodum à dieta allatū est, quod hominem liberat fere ab omnibus morbis. Nam morbi euacuatione curantur, vel per sectionem venæ, vel per cucurbitulas, vel dietam, vel medicinas, vel clisteria. Ergo signum est, quod catharri, tusses, asthamata, vertigines, capitis, & stomachi dolores, apoplexia, letargus, Epilepsia, chiragra, & dolores à repletione veniunt. Contraria.n.contrarijs curantur. Et Hippocr.sect.2.Aphor.22.ait. Quicunque morbi ex repletione fiunt, euacuatio sanat, & quicunque ex euacuatione, repletio. Sed hi pauci sunt. Ideo idem Hippoc. lib.6. Epidemior sect.4.dixit. Studium sanitatis est edere citra saturitatem, & impigrum esse ad labores. Cruditates enim sunt à repletione. At Galenus lib.1.de cibis boni, aut mali succi ait. Nemo morbo corripietur, qui accurate cauet, ne in cruditates incidat. Sobrietas autem cruditatem ex multitudine indigestorum ciborū non solum impedit, verum etiam superuacaneos consumit, & magis quam corporis exercitatio, vt ostendit Viringus lib.5. de ieiunio cap. 3. 4. & 5.

Secundum commodum est, quod dieta saluat non solum a cruditatibus stomachi, verū etiam defendit ab externis nocentibus. Nam actiua eo magis, vel minus operantur, prout magis, vel minus inueniunt subiectum dispositum ad suscipiendam eorum bonam, vel malam actionem. Si itaque, venti, æstus, frigus, labor, & similia in uenerint corpus purum, non malis humoribus ex ingluuie natis male dispositum, non poterunt in eo excitare malum, vel excitatum adaugere. Hinc in vulneribus, contusionibus, & fracturis ossiū, dieta mandatur, quia ista seruata nullus, aut paruus malus humor ad locum male affectum currit. Et hac de causa Laertius scribit 2. de vitis Philosoph. Socratem se incolumem Athenis seruasse in vastitate pestis, sæpius eius tempore ciuitatem percurrentis.

Tertio. Etiam morbos incurabiles, si non curat, mitigat, & ad sufferendum eos facilius disponit. Docent enim Medici multos cū vlcere pulmonis, cum Scirrho hepatis, vel lienis, cum calculo in renibus, vel vesica, & cum multis alijs malis irremediabilibus, adhuc vitam traxisse per multos annos, vi tantum, & remedio dietæ, vitæ regulatæ, & moderatæ.

Quarto. Præstat longeuitatem, & suos amatores suauiter ad mortem traducit, vt non moriantur fere cum dolore, sed per resolutionem. Hoc enim tradit nobis sanctorum Heremitarum historia, qui vitam degentes in heremo, solo pane, & aqua contenti, quamuis heremo cubarent, noctes in orationibus insomnes ducerent, duris induerentur, ac iniurijs aeris qualibet hora exponerentur, tamen longissimam vitam duxerunt. Nam S. Paulus Heremita vixit annos 118. vt scribit D. Hieron.in eius vita. S.Antonius 105.teste Athanasio. S. Ranutius 90. ex Cassiano collat.3.cap.1. S.Hilarion 84. apud D.Hierony. Iacobus Heremita Persa 104. apud Theodoretum historia Religiosa in Iuliano. S. Macharius 90. Arsenius præceptor Arcadij Imperatoris 120. transigendo in deserto 55. annos mirabili abstinentia. Simeon Stylites 109. S. Romualdus 120. Vdalricus Episcopus Patauensis vir abstinentissimus apud Paulū Bernriedensem in vita Gregorij VII. 105. S.Franciscus de Paula 90. & amplius. S.Martinus 86. S.Epiphanius 115. S.Hieron.80. S.August.76. S.Remigius 74. Beda 92. Et Lessius refert multos extare sua ætate, qui sobria victus ratione ducti vitam ducunt, in annis 80. 90. 95. Et ego in mea Religione agnosco patres octuogenerios, ieiunantes à ferto S.Crucis mense Sept. vsque ad Pascha, præterquam in dominicis diebus, & à Pascha vsque ad S.Crucem Sept. bis, & ter in hebdomade, & tantum vita sobria ordinaria Conuentus contentos, qui fæliciſsimam vitam, sine dolore, & passione traducunt. Et alios vidi nonagenarios obijsse per resolutionem, quoniam abstinentissimi fuerunt, & tamen Religiosissimi, seruantes leges nostras ad apicē. Itaq; si tu curiose fueris indagatus vitam eorū qui gulæ, & voluptati non indulgerunt, reperies eos diuturnam habuisse vitam. Et non solum patres nostros, sed etiam Religiosos Mahometicæ superstitionis, & apud Indos Brachmanes ob solam victus sobrietatem. Lege etiam vitas Apostolorum, & inuenies S. Io.Euangelistā durasse vsque ad 100.annum. S.Simeon vsque ad 120. S. Iacobum minorem ad 96. S. Dionisium Areopagitam vsque ad 100.& nisi fuissent per mortem violentam subtracti,

adhuc forsitan plures alios annos durassent. Et pro sigillo huius tibi sufficiat verbum Sapient. dicetis Eccles. 37. Qui abstinens est, adijciet vitam.

Quinto. Confert ad agilitatem, leuitatem, & expeditionem corporis, ad omnes eius actiones, reddendo illud vegetum, & expeditum. Nam tarditas, & lassitudo corporis prouenit ex superabundantia humorum, qui vias spirituum obstruunt, iuncturas obsident, nimiumque humectant, & relaxant. Sublata ergo per dietam illa humorum redundantia, concoctio fit bona, & ex bona concoctione sanguis purus, & ex puro sanguine spiritus agilis, & fortis, & ita corpus redditur forte, expeditum, & promptum ad actiones suas.

Sexto. Acuit etiam actiones omnium sensuum, & eos immunes reddit à corrumpentibus, vel ledentibus multum, & plurimum. Nam visus offenditur humoribus superfluis, & vaporibus à stomacho ad cerebrum ascendentibus, & neruos opticos oculorum obsidentibus. Sensus auditus impeditur ex defluxu humoris superuacanei, & crudi descendentis in organum auditus, vel in neruum, qui ei deseruit. Sensus gustus potissime vitiatur prauis humoribus organum ipsius imbuentibus, veniant ex capite, vel ex stomacho. Si ergo causam horum humorum superfluorum ademeris, effectum tolles, & sensus multo expeditiores habebis, quam si gulæ indulgeas. Nam senectute etiam ipsa debilitantur, & infirmantur, sicut etiam calor naturalis extenuatur.

Septimo. Leuat etiam animi passiones, vnde videmus sobrios esse placidos, affabiles, benignos, letos, tractabiles, & in omnibus temperatos. Econtra vero qui ex abundantia cibi bilem nutriunt, sunt iracundi, præcipitosi, veloces, audaces, vehementes, rixosi, morosi, indignabundi ad quælibet, vnde iurant, clamant, blasphemant, & maledicunt. Quive ex eiusdem superfluitate melancholiam formāt; sunt tristes, pusillanimes, meticulosi, solitarij, cogitabundi, desperabundi, ita ut omnia accipiant, ut infesta, inimica, & tristia. Quique ex eadem superfluitate pituitam cumulant; sunt lenti, languidi, somniculosi, meticulosi, obliuiosi, & ad omnia præclara inutiles. Et sicut biliosi somniant ignes, incendia, bella, & cedes. Et melancholici tenebras, funera, sepulchra, spectra, fugas, foueas, & tristia omnia. Ita pituosi somniant pluuias, lacus, flumina, inūdationes, submersiones, & naufragia, unde tollendum est fundamentum horū; & restabit quies.

Octauo. Adiuuat mirabiliter memoriam. Memoria enim ledi solet, ab humore frigido cerebrum occupante. Hic autem in multum potantibus, & immoderate comedentibus abundat. Vinum enim cerebrū suis fumositatibus ascendit, & quamuis sua natura sit calidum, tamen ex cerebri frigiditate adensatur, & sic in eo generat malos humores, ex quibus postea fiunt destillationes, tusses apoplexia, & paralysia.

Nono. Confortat, & acuit intellectum ad apprehendendum, componendum, diuidendum, & ratiocinandum, vnde qui vitā sobriam colunt, de die, & nocte possunt studijs, orationibus, audientijs, & alijs intellectualibus operibus nauare. Quæ enim speculationē difficilem reddunt sunt illa. *Nimia cerebri humiditas. Vaporum, & fuliginum abundantia. Meatuum cerebri obstructio. Nimia sanguinis copia. Spirituum feruor, à sanguine, vel bile prouenient. Vapores biliosi, vel melancholiæ adustæ caput petentes. Humor biliosus, vel melancholicus cerebrum occupans.* Hæc autem omnia dieta, si adsint, tollit, vel eneruat, & si non sunt, præcauet, generatque bonum, purum, & temperatum sanguinem, à quo sunt spiritus puri, subtiles, & efficaces.

Decimo. Domat libidinem. Cum enim natura tantum sumit, quantum pro sui conseruatione esse ei necessarium sentit, semini, & spermati non subministrat materiā, cum illa sint de superfluo alimenti. Quare omnibus Religiosis, & pudicitiæ cultoribus necessaria est vita sobria, quia sine Cerere, & Bacho friget Venus, & libido non turbat, nisi adiuta cibo, & potu immoderato.

Ad primum dicimus ad maiorem, *quod causa operans in actu*, postulat sibi necessaria ad operandum, quantum opus est, & non per excessum, vel defectum, & ita temperatus cibus est necessarius calori naturali, ne superfluo suffocetur, & ne deficiente deficere cogatur.

Ad secundum negamus minorem. Dieta enim, & sobrietas nō dicunt defectum, nec exces-

exceſſum, ſed medium, ideſt temperantiam.

Ad tertium dicimus, quod duplex eſt regula. Prima, quæ conſiſtit in puncto indiuiſibili, & iſta non variatur. Alia quæ latitudinem ſuſcipit, ex proportione quam ſuſcipit, cum eo cui accommodanda eſt, & talis eſt dieta, vnde ſuſcipit modificationem à tempore, à ſtatu perſonæ, &c.

QVÆSTIO IX.

Vtrum natura cibi, tempus illum ſumendi, regulæq. ducant ad multos annos, &c.

Videtur quod non. Illud enim, quod periculum ædificat, & parat, non eſt eligendum, ſed vitandum. Sed delectio ciborum, & ſobrietas viuendi periculum parat. Ergo iſta ſunt fugienda. Probatur minor ratione, & auctoritate. Ratione quidem, quia periti medici dicunt, quod qui ſibi certam præfigit regulam, præſertim in modicum facit, quod ſtomachus cõtrahatur, & illi quantitati conſueſcat, vt ſi eam excedi contingat, notabile grauamẽ, & leſionem ſentiat, dum ſupra cõſuetum diſtẽditur. Vnde ſicut bonus miles eſt omni iniuriæ tempori exponendus, vt ei aſſueſcat, ita & ſtomachus eſt ad omnem cibũ aptandus. Auctoritate deinde Hippocratis Aphoriſm. 5. ſect. 1. vbi ſic dicit. Etiã in ſanis periculoſus eſt valde tenuis, & conſtitutus, & exactus victus, quoniam delicta grauius ferrunt. Ob hoc igitur tenuis, & exactus victus periculoſus eſt magis, quam plenior paulo.

Secundo. Quod non omnibus datur, omnibus non perſuadetur, aliter inutiliter. At electio, & diſcretio ciborum, tempus edẽdi, vitæ ratio non omnibus datur. Qui enim paupertate opprimuntur, omni cibo eos veſci oportet. Et Religioſi, quod eis apponitur comedere tenentur. Ergo his ſaltem inutilia ſunt.

Tertio. Experientia docet multos ad extremam ſenectam peruenire, qui gulæ laxãt habenas, & de omni cibo comedunt, omni hora, ſobrie, & ſuperflue. Ergo electio ciborum; & dieta non erunt regulæ certæ.

Quarto. Quod cum maxima moleſtia perficitur, non videtur tam mirabiliter extollendum, & prædicandum. Sed dieta maxima moleſtia ſuſtinetur. Non enim poteſt homo perpetua fame torqueri, omni cibo delectabili arceri, vnde dictum eſt. Non eſt tanto digna dolore, ſalus. Et melius eſt (plures dicunt) decem annis abbreuiare vitam, quam perpetuo faſtidio appetitui contradicere. Ergo dieta nõ eſt tam commendanda, & ſublimanda.

Quinto. Adagium eſt commune, & vſu cõprobatum, quod illud quod ſapit, nutrit. Ergo ſufficit ſapor in cibo etiam ſi abſit diſcretio ciborum, & adſit mordicata eorum ſumptio.

Sexto. Periculum eſt, quod hi qui tam ſobrie volunt viuere, ne ſtomachus nutrimento neceſſario deſtitutus eis ſuccedat illud, quod tradit Galenus 10. de iuuamentis membrorum cap. 1. dum dicit. Sicut animal quando fameſcit, inducit illud famis neceſſitas, ad comedendum lutum, limũ, & alia multa mala. Ita eſt in quodlibet membro, quando caret cibo ſibi conuenienti, inducit ei cibi neceſſitas naturalis, ad attrahendum humores malos, quibus nutritur, & iſtę ſuperfluitates quę aggregantur in membro putreſiunt, ſecundum ſpacium temporis quouſque adacuentur, & caleſiant, & habent generare ægritudines calidas, & febres acutas, &c.

In contrarium ſunt omnes Medici, & Galenus præcipue lib. de diſſolutione continua in quo notat illos cibos, & enumerat ibi, qui, generant abundantiam phlegmatis, bilis, & melancholiæ.

Deciſio, & reſolutio huius quæſtionis multa examinanda poſtulat, & iſta ſunt per ordinem.

Primum, qui cibi ſint eligendi in communi, & qui reijciendi.

Secundum, qui iudicandi ſint boni, & qui mali ratione qualitatum.

Tertium, quis ordo tenendus ſit in ſumendo cibum.

Quartum, quantitas ciborum quanta eſſe debeat.

Quintum. Tempus obſeruandum in ſumendo cibum.

Sextum. De cibis agendum erit in ſingulari, & particulari, & ſic perfecta erit quæſtio de cibo.

Quo ad primum igitur animaduertendum venit, id quod diximus ſupra, ſcilicet non tam cibum in ſe, quam proportionem cũ ſtomacho eſſe inſpiciendam, quia multi experti

experti sunt delicata alijs, sibi esse nociua, vnde habenda est ratio complexionis, & temperamenti proprij, & iuxta illud cibandum. Generaliter tamen cibus debet esse simplex, & purus, vnde veteres patres, qui solo pane, & aqua viuebant, diutissime vitam conseruabant.

Dicendum est ergo. Primo, quod quidam cibi multum nutriunt, & quidam minus. Cibi bene nutrientes his versibus à Schola Salernitana explicantur.

Oua recentia, vina rubentia, pinguia iura.
Cum simila pura, natura sunt valitura.

Oua igitur sunt multi nutrimenti, sed debent habere has conditiones. Prima, quod sint recentia, vnde Galenus 3. de aliment. facult. dixit oua recentia, veteribus plurimum præstant, quique optima sunt recentissima, vetustissima autem pessima. Et media mediæ bonitatis erunt. Secunda est, quod sint oblonga, ista enim sūt gratioris saporis secundum Horatium Flaccum. Tertia est, quod sint candida, quia oua sunt meliora rotundis, & patet, quia cum gallinarum meliora sunt ouis anserum, & anatum, quæ plus sunt aqueæ naturæ, & ideo pallidiora. Quarta est, quod sint gallinæ, quæ vulgo dicitur polastra, quia sicut iuuenis est calidior sene, ita ouum galline iuuenis, ouis gallinarū antiquarum. Quinta debent esse tremula, vel sorbilia, assata enim, & dura facta non sunt bona.

At quoniam non intendimus modo descendere ad cibos in particulari omitto alia plura; hæc enim sint gratia exempli. Noto solum quod iura, idest brodia multum nutriunt, & laudantur, quia sunt naturæ amica, cito coquuntur, & ventrem purgant.

Secundo. Dico, quod quidam vocantur cibi grossi, idest, qui in pauca quantitate multum corpus nutriunt, vt caro vituli magni, pisces graues solidæ carnis, & caseus recens. Alij dicuntur cibi subtiles, qui in multa quantitate parum nutriunt, vt caro pullorum, pisces parui, lactuca, & similes. Et quidam medij, qui medium tenent.

Modo cibi grossi. Primo, conueniunt exercitatis, & laborantibus, nō vero quiescentibus, quia sunt duræ digestionis, ideo his magis aptantur cibi subtiles, & tenues, qui & si minus nutriant, tamen facilius digeruntur.

Vnde secundo, cibi grossi si sumantur à quiescentibus, in parua quantitate assumantur, & subtiles in maiori, sed proportionata sumenti, vt dicit Isaac in vniuersalibus dietis. Hinc Galenus his qui in quiete permanent suadet cibos medios, quales sunt panes optimi, carnes gallinarum, caponum, fasianorum, perdicum, columbarum, turturum, merularum, & paruarum auium omnium, & paruorum piscium, & marinorum, & ceterorum, nullum fœtorem habentium. Ita dicit lib. de Euchimia, & Cachochimia c. 2. Et in lib. de dissolutione continua dicit. Temperatis, & sanis; sed multum non laborantibus cibaria media inter subtilia, & grossa esse eis optima. Ista sunt. Panis bonus, oua gallinarum, caro hedi, agni, & pecudum, pullorum, columbarum, paruarum auium hepata pullorum, anserum, assellæ ipsorum. Aues multi motus, boni nutrimenti, & mundi aeris. Omnia oua, maxime cocta in aqua, & non facta dura, & sorbilia. Et omnes pisces non duræ carnis, nec multæ viscositatis, nutriti in bonis aquis, qui sunt boni saporis. Et de fructibus. Vuæ, & ficus maturæ supra arborē. Et de oleribus. Latuca, endiuia, sparagi. Et omne vinum clarum, rubrum, granati coloris.

Tertio. Cibi grossi sanguinem grossum generant, & oppilatiuum, vnde ab omnibus sunt fugiendi, & si minus ab exercitatis.

Quarto. Grossi tamen membra confortant, vbi bene digeruntur, sed subtiles sanitatē custodiunt, & medij vtrumque faciunt.

Tradit autem Galenus, quando cibi grossi possint assumi. Primo magis in hyeme, quam in æstate, quia tunc stomachus est calidior. Secundo, quando in sumente est calor magnus, somnus multus, labor præcedens grauis, non econtra. Tertio, in non excedente quantitate, & potius ad excitandum appetitum.

Cibi grossi proprie sunt, lenticulæ, glandes, legumina omnia, castaneæ, lepores, fungi, fabæ assæ. Hepata, oua dura elixa, vel assata, & frictum ex eis, lac pluribus coctionibus coctum, vbera, vinum vuæ coctum, caro ceruī, hyrci, Bouis, vachæ, ventres, intestina, lupini, rapæ, fasioli, panis superfluè decoctus, vel diminute, subcinericius, infermentatus, aut cum lagana. Dactyli, fungi,

fungi, cerebra omnia, pisces duri, & viscosi, carnes duræ omnes, caseus grossus, aures, labia, & extremitates musculorum. Cibi frigidi, vt acidi, & omnes fructus immaturi. Citri, cucumeres, lac acetosum. Et omnes cibi duri, & sicci, quia secundum Auicennam in 3. 1. doctr. 11. cap. 7. Nutrientia sicca assidue comedere, fortitudinem cadere faciunt, & secundum Galenum in 5. de simplici medicina distin. 6 cap. 2. Omnes res, quæ exsiccant, finiunt humiditatem sanguinis, quare ingrossant eum, & minorant ipsum, & si sint in naturis calidis, faciunt eum vehementioris caliditatis, quam fuit &c.

De cibis bonis, & malis.

QVo ad secundum, scilicet, qui cibi sint iudicandi boni, vel mali ratione qualitatum.

Primo dico, quod quidam sunt calidæ qualitatis, vt frumentum coctum (teste Galeno lib. de dissolutione continua) panes frumenti, cicera, dactyli, sisamum, sinapis, vuæ dulces, apium, ruta, rapanus, rapæ, pestinacæ, allia, cepæ, porri, caseus antiquus, vinum dulce calidum, & vinum antiquum citrinum. Et hi omnes cibi non solum virtute calidi, sed etiam ex coctione ignis effecti calidissimi vitari debent, & potius sunt sumendi pro medicina, quã pro cibo, quia vt dicit Galenus 1. de complexionibus cap. 2. Caliditas namque cũ vincit, vt proprio habet ꝓ humiditatẽ destruat, & consumet. Hinc raro sumantur (omne enim calefactiuum, est exsiccatiuum) & dum corpora sunt frigida, vel in locis frigidis.

Quædam vero sunt cibaria frigida, & ista magis veniunt fugienda, quoniam vt dicit Isaac. Frigidum est inimicũ, neruis, & ossibus, vnde, & si in corporibus iuuenum non videantur in iuuentute facere nocumentum, tamen in eis malitia eorum se adunat, & dum ad senectutem vergunt, vires suas ostendunt, vnde fere irremediabiliter viscera penetrant, & in neruis, & articulis dolores, & contractiones generant. Quare omne frigus est fugiendũ etiam in æstate (ait Auicenna in 5. 4. tracta. 3.) quoniam ex eo est timor magnus. Et si ista cibaria sunt administranda, potius ratione medicinæ administrantur, quam cibi, & in temporibus calidis, & per sonis calidæ complexionis, & in locis calidis.

Cibi ergo medij, qui potius declinent ad humiditatem, quam ad excessiuam caliditatem, pro sanis eligatur, quia vt dicit Aris. 1. Metaphys. Calido viuimus, & humido nutrimur. Dum autem cibum sumis non sit frigidus, nec tepidus, nec calidissimus, sed calidus, idest magis accedat ad calidũ, quam ad frigidum. Nam Galenus dicit 2. Terapenticæ cap. 5. Tepida omnia soluunt robur ventris, ideo calida sufficienter, & nõ calidissima, neque tepida sint, quæ manducamus. Sed de cibis infra in quarto principali.

DE DVLCIBVS.

SEcundo. Dico, quod quidam cibi sunt dulces, quidam amari, quidam salsi, quidam acuti saporis, quidam vnctuosi, alij acetosi, alij stiptici, & alij pontici, & de his dicendum venit.

Vtilitates ergo ciborũ dulcium multæ sunt, & ita nocumenta.

Cibi enim dulces sunt viscosi, & grossi, & medij inter caliditatem, & humiditatem, vt docet Isaac in vniuersalibus dietis, & multum nutriunt, & delectationem gustui præbent.

Primo ergo sunt amici humanæ naturæ, quia natura nostra est calida, & humida, & cibaria dulcia sunt calida, & humida, & ideo naturæ humanæ maxime conformia. Quare Auicenna dixit, quod dulce non calefacit calefactione nociua, imò est delectabile, sicut est delectatio aquæ tepidæ, cum effunditur supra corpus.

Secundo multum nutriunt, adeo vt in omni nutritione necessario, cadat dulcedo. Dicit autem Isaac, quod membra omnia auidissime trahunt ad se dulcia, ita vt paucas feces relinquant in intestinis, ad differentiam salsarum rerum, & hinc est, quod dulcia multum saturant, quia membra implent.

Tertio. Dicit Auicenna, quod operationes dulcis sunt, digestio, lenificatio, & multiplicatio nutrimenti, & in 14. tertij ait. Dulcia conueniunt hepati, quare impinguatur eis, & magnificatur, & confortatur. Et ideo non est mirum si tantum dulcia affectamus, cum temperata sint, & nobis

bis conuenientia, plurimumque nutrientia, & Isaac sic dicit. Dulcis sapor, si fuerit pure dulcis, omni carens malitia acuminis, & viscositatis, saporosior omnibus alijs cibis erit, quia naturaliter vicinior est sanguini, mundificans, & quasi lauans nocumentum gustus, & sensus ventrem temperate humectans, sine labore naturę. Et alibi. Dulce secundum nutrimentum multum nutrit, secundum vero medicinā grossos humores dissoluit, & mundificat, diuersas res temperat, dura enim mollificat sua humiditate. Mollia inducat cum caloris sui subtilitate.

Sed ne dulcia offendāt tres conditiones sunt necessariæ. Prima, quod non sint multum dulcia, sed remisse, nam res dulcissimæ cū sint in summo dulcedinis non possunt in stomacho magis fieri dulcia, vnde necesse est, quod redeant ad amaritudinem, sicut si mel igni per longum tempus apponatur, in amarum declinat. Ideo dulcissima apta sunt ad choleram gigniendam, & nutriendam. Secunda est, vt sint substantiæ subtilis, & non grossæ, nec viscosæ. Nam si sunt viscosæ, & grossæ substantiæ, cum natura sit auida ad ea trahendum, euenit, quod dulcia à natura attrahantur, antequam digerantur. Vnde & si in stomacho bene digerantur, in splene tamen, & hepate oppilationes faciūt, & apostemata, & quia mollificant stomachum, ideo etiam ventris fluxum comouent. Tertia est, vt sumantur in modica quantitate, & potius ad lenificandum.

DE AMARIS.

Tertio dico, quo ad cibos amaros, quod vniuersaliter non sunt laudandi, nec vt ita boni vt dulces quærendi, quia omne amarum est valde calidum, & fundatur secundum Hippocratem in substantia spissa, & terrestri, & calidum in tertio gradu, & Galenus in 7. cap. de simplici medicina dist. 2. dixit. Res non fit amara, nisi propter superfluitatē caliditatis, & acuitatis. Cum igitur multum calida sint, & sicca, euenit, quod sanguinē calefaciunt multum], & fortiter desiccant], & ad adustionem traducunt, & ad maliciam, choleramque rubram in sanguinem ipsum conuertant, & secundum Auicennam in 2. canonis cap. 3. exasperant, & vltraquam oporteat corpus desiccant. Et Auerroes ait,] quod amarum adeo est naturæ inimicum, vt etiam infantes occidat, si eo multum vtantur, & ideo non est bonum pro cibo, sed solum pro medicina. Conferunt enim multa amara hepati, eo quia stiptica sunt, & aperitiua, & insuper abstergunt, & lauant, mundificant, & incidunt, quod est in venis de humoribus grossis. Ideo sumes amarum quantum oportuerit pro medicina, non pro cibo.

DE SALSIS.

Quarto dico, quo ad salsa, quod omnia salsa secundum Isaac in vniuersalibus dictis cap. 4. sunt calida, nō vt amara in tertio gradu, sed in secundo, & sunt terrestria, & grossa, & solent esse ex amaris, vt sal ex aqua salsa, & amara. Habent autem salsa calefacere, desiccare, exasperare, resoluere, subtiliare, aggregare, oppilare humiditatem, propter suam caliditatem superfluam, & manifestam, & ideo multum nocent cholericis, & extenuatis corporibus. Et secundum Arist. lib. de sensu, & sensato parum nutriunt. Et Galenus lib. de cholera nigra dicit. Non enim videntur animalia ex salsedine salutari, cum nullum animal viuat ex illa, vt vocatum mare mortuum est coniectura, in quo prę nimia salsedine, & amaritudine, nec pisces nec aliquod aliud animal viuere potest. Ad excitandum ergo tantū appetitum, & impediendam putrefactionem, & pinguedinem salita sumi possunt moderate.

DE ACVTIS.

Quinto, quo ad cibos acuti saporis dicunt omnes Medici, quod sunt in supremo gradu scilicet quarto caliditatis, & sunt igneæ naturæ, vnde Auicenna 2. can. cap. 3. dicit, quod acuta visceribus nocent, & os stomachi ledunt, & visum, & cogitatiuam, quoniam caput replena vaporibus, & fumositatibus. Et ideo abstinendum est ab allio, cepis, porris, Sinapi, & alijs cibis pungitiuis, quia hi cibi generant superfluitates calidas, & humores acutos cholericos, qui exurrūt sanguinem, & corrumpunt, & corpus vltra modum inflammāt, & primo sanguinē in choleram rubeā mutant, & deinde in nigram.

Solum

Solum iuuant phlegmaticis habentibus in corpore phlegmaticos, grossos, & viscosos humores, quoniam illos incidunt, & subtiliant, vt dicunt Galenus 2. de alimentis cap. vltimo. Hippocrates in 2. canonis cap. 3. Haliabas in 5. Theoricæ cap. 14. Sed non erunt ista acuta frequentanda, sed tantum per modum medicinæ sumenda, & solum à patientibus humores phlegmaticos, grossos, & viscosos à longo tempore, cholericis autem, & siccis natura omnino contradicunt, & ideo ab his caueant, & eo magis iuuenes.

De Vnctuosis, & insipidis.

Sexto dico, quo ad vnctuosa, quod nec ista multum commendantur. Sunt enim calida, & humida remisse, quoniam vt dicit Auerroes in 5. colliget. sapor vnctuosus habet, quod in eo pars aerea dominatur, cum modica aquositate, & propterea calor ipsius est minor, quam dulcis. Et hinc dixit Rasis in 3. Almansoris, quod vnctuosum stomachum mollificat, ventrem fluere facit, satietatem affert, antequam homo cibi quātitatem sibi necessariam assumat, & calefacit, maxime febrieitantes, & habentes stomachum, vel hepar calida. Corpus præterea humectat, atque lenit, phlegma adauget, cogitationem reddit hebetē, & somnum augmentat.

Raro igitur his vtendum erit, & potius pro condimento, quam pro cibo.

Insipida etiam fugienda sunt, vt cucurbita, cucumeris, & similia, quia res insipidę, vt dixit Galenus de simplici medicina dist. 8. ingrossant, aggregant, & mortificant, & stupefaciunt, & ideo nec ad sanitatem, nec ad vitam faciunt.

DE ACETOSIS.

Septimo dico de acetosis, quod acetosa sunt in secundo gradu sicca, & frigida secundum Auicennam, & Isaac cap. 4. dietarum vniuersalium. Et ideo secundum Arist. in 22. problem. prob. 3. nutrimentū modicum habēt, superfluitatem multam. Et secundum Galenum in 4. de simplici medicina d. 2. c. 6. corpori plura inferrunt nocumenta. Nam choleræ nigræ adiuuant multiplicationem, neruis nocent, propter subtilitatem substantiæ suæ, cum penetrent totum membrum. Senectutem accelerant, dicente Hippocrate in 31. dect. 2. cap. 7. Ex acetoso cibo, & nutriente fit tenium, & similiter ex acuto, & salso.

Stante autem causa sumendi ea pro medicina faciunt multa adiumenta. Sunt enim aperitiua, & sine calefactione incisiua, subtiliatiua, & refrigeratiua, & mūdificatiua. Choleram rubeam, & sanguinem reprimit, ventrem stringit, si stomachus, & intestina tamen munda fuerint, acetosum. Si autem in stomacho, & intestinis fuerit multitudo phlegmatis, ventris fluxū prouocat, corpus infrigidat, virtutem debilitat, & digestionem precipue in hepate infirmat. Neruis, & neruosis membris nocumenta affert, & corpus desiccat.

Appetitum tamen prouocant acetosa, quia habent motum ad centrum, ex sua frigiditate, & siccitate, & ideo eum deprimant cibum deorsum, os stomachi euacuatum, famescit.

De sapore stiptico, & pontico.

Octauo dico, quod cibi stiptici, & pontici saporis sunt frigidi, & sicci in fine tertij gradus. Distinguuntur autem, quia stipticus est sapor debilior ponticus, vnde stipticus linguam contrahit, & ponticus exasperat. Habent infrigidare, meatus stringere, & coarctare, implere, & ingrossare, & exsiccare.

Vlterius si coniungantur cum sapore delectante magis delectāt, & cū tristante magis contristāt. Firmāt enim saporem, & adunāt; vnde caro ceruina, & bouina sūt dulces, & ponticæ, & sie delectabiles, & econtra Absinthium, & fumus terræ appetitum etiā excitant. Ante prandium tamen constipant, quia constringunt neruos, & meatus oppilant, ex grossicie suæ substantiæ, & ex qualitate suæ frigiditatis, & siccitatis. Post prandium vero laxant, quia cibaria ad inferiora comprimunt, ad instar torcularis. Insuper sua grossitie, hepar, & splenem oppilāt, calculū generant, cholericam, & illiacam passionem excitant, fimum, ac fumum exire non permittunt, spiritalia membra ledunt, & grauāt. Habent tamen, quod exterius apposita vomitum sedant, tumores calidos reprimunt, sanguinis fluxum intercipiūt, ac sistunt dētes percutiūt, dentes exacerbant.

De ordine tenendo in cibis sumendis, & de signis præteritæ concoctionis.

QVo ad ordinem tenendum in comestione ciborum trado has regulas. Prima est Galeni in 1. Terapeuticæ, cap 6. Auicennæ in 3. 1. doctr. 2. cap. 6. Isaac de vniuersalibus dietis cap. 4. & aliorum. s. quod cibi facilis digestionis. i. lubrici, subtiles, & cito penetrabiles, & digestibiles sunt in principio mensæ sumendi, quia si prius grossi, & difficilioris digestionis sumantur, & deinde subtiles, cum sint primi ad digestionem, inueniūt partes transitus à cibis grossis occupatas, vnde non possunt transire, & sic in stomacho supernatant, & corrumpūtur, & fumositates multas ad cerebrum mittunt. Sumpti autem primo loco, meatus, & vias ad alios cibos grossiores lubricant, & parant. Sed nec hoc omnino tutum est, quia vt dicit in 3. 1. potest esse, vt cibus subtilis tantum aperiat vias, & lubricet, vt cibus grossus nondum digestus descendat ad intestina, quod malum est.

Ideo secunda regula erit, quod subtilia, & cito digestibilia in initio mensæ sumpta non debent esse in magna quantitate, ne nimis laxent, sed in tanta, vt temperate possint lubricare, & disponere cibaria grossa ad descendendum.

Sed ad euadenda ista pericula tertia est regula ne secūdus cibus sumatur, nisi prius stomachus, & ventriculus sint puri, & ab humoribus, & priori cibo vacui, quia aliter malum, malo additur, & calor naturalis non potens ad tantam quantitatem ciborum, & humorum resoluendam suffocatur. Priorem autem cibum iam esse concoctum, & stomachum, à malis humoribus purum esse ostendent. Primo. Si ructus odorem prioris cibi ad os non porret. Secundo, si vrina fuerit fulua, & biliosa, nam quæ aquæ speciem tenet, indicat cibum adhuc crudum in venis esse. Quæ vero pallet, secundæ concoctionis finitæ indicium est. Tertio. Si stomachus famescit, & persona sit sana, nam datur in corpore ægro quædam fames mendosa, quæ non indicat concoctionem. Natura enim inuehit in id, quod sibi necessarium esse sentit ad sustentationem, vnde appetentia cibum petit. Quare sanus non deberet comedere sine fame, vel appetentia cibi. Quarto. Si adsit appetentia, & prius paucus cibus sumptus est, oportet enim deducere stomachum tunc petere sibi necessarium, & esse purum ob indigesto adhuc cibo, & malis humoribus.

Quarta regula est, quod exercitium aliquod cibum præcedat. Nam secundum Galenum lib. 3. cap. 1. de causas Sympt. Cibus qui ante exercitationem stomacho ingeritur, intempestiue sumitur, & cruditatis causa existit, vt amplius suo loco dicemus.

Quinta est, quod id, quod manducatur bene dentibus conteratur, & comminuatur, sic enim quasi in ore alteratur, & ad bonam concoctionem disponitur. Sed de his suo loco magis. Ista enim adeo connexa sunt, vt cogant sæpius limites exire recti ordinis.

De quantitate cibi.

DIximus superiori quæstione multa ad quantitatem cibi facientia, vnde paruæ remanent addendæ. Generalis enim regula est, omnium consensu recepta, quod quantitas cibi tanta esse debet, quantum ad calorem nutriendum, & humidum radicale manutenendum, & conseruandum pro possibili facit, sic, quod nec abundantia stranguletur, nec parcitate eneruetur. Ad superabundantiam enim cibi sequuntur inflatio, compunctio, ventris solutio, nausea, defectus appetitus cibi, aut exercitij eius, corporis remissio, mens torpida, negligentia, ponderositas capitis, aurium dolor, stomachi angustia, impeditus intellectus, calamitas, melancholia, colica, vitium splenis, hepatis, & articulorū, corpus laxum, & febris, & finaliter mors. Dicit enim sapiens. Propter crapulam multi obierunt. Qui autem abstinens est adijciet vitam. Videndum igitur est, seu potius erit repetendum, vel melius explicandum, id quod dictum fuit superiori quæstione, de competenti cibo.

Dicimus ergo cum Auicenna in primi doct. 2. cap. 7. quod cibi quantitas existit secundum vsum, & virtutē, & vt mensura eius, in eo qui sanæ est virtutis sit talis, cum ipsum recipit, quod ei grauitatem non afferat, neque natet, & non accidat ex eo nausea, neque caninum desiderium, neque

casus,

casus, neque ingenij pigritia, neque insomnietas, neque ipsius sapor in ructibus, post tẽpus reperiatur. Vnde subdit. Quod si aliqua die superuenerit grauitas, ex cibo præcomesto, vel aliquod supradictorum, sequenti die famelicus maneat, & somno vtatur prolixiore, quod si somnus ei non aduenerit, multo vtatur incessu, suauiter, & continuo, in quo non sit quies. Deinceps autem filij cauere debet, à tanta ciborum quantitate, ne in ægritudines, & nocumenta, ante dicta incidat.

Sed hic quærendum est. An vtilius sit vna tantum refectione in die vti, an bina pran dendo, & cenando. Respondeo, quod circa hanc difficultatem sunt plures modi dicendi. Nam Auerroes in 6. colliget. cap de regimine corporis temperati ex placito Medicorum dixit hominẽ debere in duobus diebus ex consuetudine ter refici. Vna die semel, & altera bis, sequendo semper hunc ordinem, quia vltima concoctio nõ finitur nisi in 18. hora, refectio autẽ post vltimam digestionem videtur inchoanda. Huic opinioni videtur etiam assentire Auicenna. Sed hoc non videtur mihi approbandum, quia si vltimam digestionem expectamus, ventriculum, & hepar exinanita relinquimus, & sic est necessarium, vt malis humoribus satientur, quod malum est.

Alij dicunt, quod qui sunt debiles in digestione bis, & parum pro qualibet vice debent refici; quia sic concedunt tempus calori naturali suauiter digerendi, & commode corpus nutriendi. Qui vero sunt fortioris cõplexionis, & caloris, vno prandio, vel cena poterunt id totum, quod in duabus mensis sumere debebant comedere, vel etiam duabus refectionibus abundantioribus refocilari.

At ego in hoc puto consuetudinem esse seruandam, vt qui semel in die solitus est comedere, bis non comedat, quia consuetudo vim naturæ obtinet, & ideo eius instituta perpetuo seruet, (excepto tempore, quo ad delẽda peccata ieiunare tenetur.) In hoc enim tempore in meridie comedat, & in sero ad bibendum parum cibi capiat, si solitus est bis refici. Hanc etiã consuetudinem seruandam esse in hora comedendi bonum est, corpori.

Secundo quæritur, an prandium debeat esse abundantius, & cena parca, vel econuerso cena opulentior, & prandium tenue. Gal. lib. de dissolutione continua dicit melius esse, vt prandium sit tenue, & cena abundantior, quia calor naturalis per frigiditatem noctis augetur, & ad digerendum sit valentior.

At Schola Salernitana cum suo interprete clamat. Cenato parum, non sit tibi vanũ.) Ratio est, quia qui multum cenant, ventriculum multum grauant, ex qua grauedine dolor, & anxietas stomachi nascitur, somnus fugit. Et ideo dant hanc regulam his duobus versibus.

Ex magna cena, stomacho fit maxima pœna.

Vt sis nocte leuis, sit tibi cæna breuis.

Ego puto in hac parte esse dicendum distinguendo. Quod vel loquimur de immoderata cena, vel de moderata, sed aliqualiter prandio pinguiori. Si primum concedimus, quod multum nocet, & forsitan magis, quam immoderatum prandium, quod per exercitium diei potest melius consumari, quam per noctis quietem. Sed hæc non est nostra difficultas, quoniam loquimur de eo, qui moderate viuit, & metas quantitatis cibi quo ad pondus, & mensuram non excedit, sed solum in tempore variat, quod abundantius in sero, quam in mane comedit.

Censeo igitur in hac parte sibi ipsi esse consulendum, & quod sibi opportunum ex vsu repertũ est, & salutare non omittatur. Absolute tamen si cæna non excedat, & parum exercitij post ipsam sit, iudico posse esse opulentiorem. Primo, quia frigiditas noctis digestionem adiuuat. Secundo, quia somnus, qui non tollitur per moderatam cenam, sed fouetur, opportunum adiungit iuuamen ad digestionem. Tertio, quia plus moræ esse solet inter cenam, & prandium, quam inter prandium, & cenã, & in mane etiam corpora aptius exercentur. Et hoc maxime laudo his, qui in studijs, & negotijs diurnis immorantur. Sed vt dixi cæna sit moderata, & non ad onerandum ventriculum suo pondere grauis.

Sed tertia dubitatio succedit. An quantitas discreta .s. numerus ciborum sit bonus. Huic quæstioni oẽs Doctores Medici vno ore respondent; quod non. Immo hoc testatus est sapiens Ecclesiastici cap 37. dum dixit. Noli auidus esse in omni epulatione, & non te effundas super omnem

escam, in multis enim escis erit infirmitas. Et vere, quia multitudo escarum, & contrarietas ipsarum digestionem nō adiuuat, sed corruptionem, & indigestionem aggenerat. Indigestio autem secundum Auicennam in 14. tertij, tract. 3. cap. 2. & eius corruptio mater est ægritudinis, & origo chronicarum ægritudinum. Cauendum est igitur a duobus. Primo, ne mensa per horas in longū trahatur, quia quando primus cibus iam est in digestione, si nouus ei addatur digestionem impedit, & vterque cibus corrumpitur. Secundo, à multitudine, & varietate ciborum, & eo magis, quando cibi diuersæ, & contrariæ qualitatis sumuntur. Sic enim adinuicem pugnāt, stomachum inquietant, & molestant, corruptiones, & malos humores generant, & sanguinem malum.

Sed vt nociui cibi caueantur, quæritur in generali, qui præcipue sint cauendi in aliqua quantitate, nam diximus iam, quod paucus cibus etiam rei nociuæ non multum lædit.

Respondetur, quod fere comuniter isti sunt cibi subtiles, qui generant bonum sanguinem, pulli gallinacei, bene nutriti, oua recentia, optima frumenta, & etiā caro porcina recens. Crassi qui multum se exercentibus commendantur, Bouinę carnes, vaccinæ, suillæ, leporinę, ceruinę, aliarumque ferarum, quæ in venationibus capiuntur, & domesticis salubriores censentur. Mediocres. Carnes agninæ, arietinæ, veruecinæ, & vitulinæ.

Cibi autem facilis concoctionis sunt vua, ficus, amygdalæ dulces, lactucæ, apium, hordeum bene coctum, caro porcina, pulli gallinacei, perdices, turdi, oua volatiliū, pisces saxatiles, qui in petrosis locis degunt, auiculæ. Difficilis vero concoctionis sunt. Panis azimus, faba, lenticula, cicer, cydon, castaneæ, auellanæ, oliuæ, cucumeres, caules, fungi, rapæ, caro hyrcina, bubula, ceruina, pisces duri, & glutinosi, aues in stagnis, aut paludibus, aut lacustricis locis degentes, anates, anseres, pulli columbini, grues, pauones, cancri. Item partes istæ auium, guttur, hepar, splen, renes, stomachus, intestina, venter, & caseus recens, & vetus. Sed verius, & exactius suis locis ista examinabimus.

Quinto quæritur. An cibi quantitas, & eius qualitas possit aliquo modo temperari, ita vt minus noceat. Respondetur affirmatiue, vnde primo facit ad digestionem, & nutritionem bonam, cibus appetitus, & desideratus etiam, & si in se non sit tam bonus, vnde dixit Hippocrates. Vbi est cibi delectatio, ibi sequitur bonitas digestionis. Stomachus enim illum cibum cū delectatione amplectitur, eum retinet, fouet, & digerit. Quod si cibus fuerit abominabilis, nausea inde, fastidium, inflatio, & vomitus generantur.

Sed in hac parte tria erunt necessario consideranda. Primum, quod cibus ille sit modicus in malitia, quia si magnæ esset, infirmus de quo spes est, non esset audiendus. Sæpe enim appetitus male affectus nititur in perniciosum, vnde non est dandum vinum febricitantibus in principio, vel in magna quantitate, & si illud petāt, considerando quod receptū non delectat. Secundum, quod infirmus non assuescat minus bonis, eligendo cibos non tam bonos, quia quando experientia adest, quod nō multum iuuauerint, tenendum erit inordinatus appetitus. Tertium est, quod si illis sit assuetus, non ei denegentur moderate, quia ex consuetudine, potius stomachus illius est eis accommodatus, quā alijs.

Secundo, ad eandem faciunt cibi temperatiui, idest, quorum vnum alterum ex sua qualitate corripit, vnde vnum horū post aliū sumere debet, vt post acetosum, dulce, post crudum coctum, post frigidum calidum, post humidum siccum, &c. Sed quis dicet mihi non bene constare, cum dixerim supra varietatem, & contrarietatem ciborum esse nociuam. Respondeo, quod non in eadem quantitate cibi sunt sumendi, nec in varia, ac multiplici varietate, nec sine ordine, tunc enim nociui sūt. At quando vnus sumitur pro tanto, quod alterum potest corrigere, & non alij, & non multum differentibus cibis miscetur, & cum ordine hoc fit, vt illico post vnū, suum correctiuum apponatur, faciet tūc ad correctionem, & non ad nocumentū.

Tertio, ad idem faciunt diuersa salsamenta, & condimenta ciborum, quæ consideranda veniunt ex duobus. Primo, vt sint apta cibo, quem saporosum reddunt. Secundo, vt pro diuersitate temporum in vsu ponantur, quia in Aestate quædā, in Hyeme alia opportuna erunt.

Sed

Sed sexto quæritur, qui cibi in singulari censeantur vitandi. Respondetur, quod in hac parte magna est varietas, atque differentia, melancholicis, quidam cibi iudicantur nociui, quia melancholiā nutriunt, & alijs non erunt nociui, quia ad eam dispositionem non habent. Et quidē cibi sunt stomacho apti, alij non. Sunt quidam qui refrigerant, & alij qui calefaciunt. Alij qui aluum mouent, & alij qui eum indurant. Quidam qui somnum excitant, & alij banniunt, vnde pensanda est ratio temperamenti, & instantia causæ præsentis, & sic vtendum cibis.

Apud Celsum tamen, & quosdam alios (liceat mihi referre, omnium principalium Medicorum dicta) cibi qui sunt generaliter boni succi isti sunt. Triticum, seligo, far, oriza, amilum tragum, ptissana, lac, caseus mollis, omnis venatio, omnes aues, quæ ex media materia sunt. Pisces, qui sunt medij inter duros, & tenues, vt mulus, lupus, lactuca inter olera, & verna, vrtica, malua, cucumis, cucurbita, ouum sorbile, portulaca, coclea, palmulæ. Ex pomis, quod est medium inter acidum, & acerbum. Vinum dulce, vel lene, passum, defruttum. Vulvæ, rostra, tronculique. i. cristæ auium, testes, colla, tronculi suum, capita hædorum, & vitulorum, & agnorum, cum omnibus cerebellis, sic dicit Celsus lib. 2. cap. 22.

Cibi mali succi nominat Celsus, millium, panicum, hordeum, legumina, caro domestica permacra, omnis caro salsa, omne salsamentum, garum, caseum vetustem, cicerem, radiculam, rapam, napim, bulbos, brassicam, asparagum, botam, cucumerrē, porrum, nasturcium, erucam, thymum, rutam, hysopum, anetum, cuminum, anisum, fæniculum, synapim, allium, cæpam, lienes, renes, intestina, pomum omne acidum, & acerbum, aceta, omnia acria, acida, acerba, oleum, piscesque saxatiles, omnesque qui ex tenerrimo genere sunt, & multum duri, & virosi, & quæ stagna, lacus, limosique riui generant, vel nimis grandes sunt.

Cibi leues, & aereos Celsus dicit esse sorbitiones, pulticulam, laganum, amylū, ptissanam pinguem, carnem, & omnia glutinosa. Trunculos suum, & idem valet de omnibus vngulis, petiolis, capitulisque hædorum, vitulorum, agnorum, & omnibus cerebellis. Item lac, defrutum, passum, nuclei pinei. Allia, cepa, eruca, vasturtiū, cucumis, bota, brassica, asparagus, sinapis, radicula, ocymum, lactuca, maximaque olerum pars.

Cibi vero, qui faciunt crassiorem, & tenuiorem pituitam. Crassiorem faciunt, oua sorbilia, alica, oriza, amylum, ptissana, lac, bulbi, & omnia fere glutinosa. Extenuant vero pituitam omnia acria, & salsa.

Cibaria autem stomacho apta sunt, quæ laborantibus stomacho iuuant. Hi autem cognoscuntur, quia sunt pallidi, macri, patiuntur dolores præcordiorum, nauseam, vomitum, in ieiunio dolorem capitis. Celsus illis dat ista documenta. Primum, non sumere aquam, sed vinum, non frigidum, sed calidum, binā in die refectionem, sed moderatam. Secundum bene notare qui cibi sint, qui stomacho sint grati, & singulariter suo, & illis vti. Tamen generaliter dicit in 2. libro istos cibos stomacho esse aptos. Austera quæcunque, & acida, & modico sale condita. Panis sine fermento, oriza, ptissana, omnis auis, omnis venatio, assa, vel elixa. Caro bubula, & vaccina non permacra, nec vetusta, nec præpinguis, & salita. Ex sue vngulæ, rostra, aures, vuluæque steriles, lactuca, pastinacea, cucurbita elixa, cicer. Cerasium, morum, sorbum, pirum fragile. Malum orbiculatum. Vuæ ex ollade, quibus vide apud Calixtum Proccacinum ad Tyrones fol. 141. Item cibi stomacho idoneisunt omnes molles, palmulæ, nuclei pinei, oleæ albæ, vinum austerum, & resinatum. Pisces, ostreę, pectines, murices, purpuræ, chocleæ, potiones, vel frigidæ, vel feruentes. Absinthium.

Noxia stomacho sunt, tepida omnia, omnia salsa, omnia iurulenta, prædulcia, pinguia, sorbitio, panis fermentatus, & ex millio, & hordeo, oleum, radices olerum, defrutum, idest vinum coctum, passum, lac, omnis casseus, vua recens, ficus, & viridis, & arida, legumina omnia, & omnia quæ inflant. Chyma, nepeta, Satureia, hysopum, nasturtium, sapatum, lapsano inglandes. Vnde multi cibi boni succi stomachum affligunt, & quidam mali succi ipsum inuitant.

Cibi inflantes sunt. Legumina fere omnia omnia pinguia, omnia dulcia, omnia iurelenta, multum, & vinum nouum. Allium,

lium,cepa,brassica,omnes radices præter quam siseris, pastinacæ. Item bulli, ficus siccæ,& magis virides, vuæ recentes, nuces omnes,exceptis nucleis pineis.Omnis caseus, & omne subcrudum. Discutiunt flatum. Veneratio, aucupatio, pisces, poma, oua mollia, vel sorbilia,vinum vetus, feniculum, & anethum.

Cibi qui calefaciunt sunt piper,sal, caro omnis,iurelenta omnia, allium,cepa,ficus arida,salsamentum vinum, & magis validũ.

Cibi refrigerantes sunt. Olera,caules,lactuca, cucumis,coriandrum, beta,cucurbita elixa,cerasa,mora, mala austera, pira fragilia,caro elixa,acetum,& omnis cibus ex eo, sine eius potio.

Cibi, qui de facili corrumpuntur sunt panis fermentatus, & omnis alius triticeus,lac, mel,& omnia lactaria,pisces teneri,olera, ostrea,caseus recens,& vetus,crassa, & tenera caro, vinum dulce,mulsum defrutũ, seu decoctum, passum, & omne iurulentum,vel nimis dulce, vel nimis tenue.

Cibi mouentes aluum sunt panis fermentatus,hordeaceus, lactuca,anethum,brassica si subcruda est Ocymum, vasturtium,portulaca,capparis,malua,cepa, allium,asparagus,lupathum,beta cucurbita, cerasia, vua,mora,omnia mitia, ficus arida,magis viridis,etiam vuæ recentes, pingues,minutæque aues,cochleæ,garum, salsamenta,ostrea, echini, musculi, pelorides, omnesque fere conchulæ,maximeque ius earum,teneri pisces, saxatiles, caro pinguis vel iurulenta,vel elixa, auesque cantant, lac,mel crudum,lactaria, omnia tepida,vinum dulce,vel salsum, aqua tenera, omnia pinguia,elixa,omnia dulcia,iurulenta salsa, diluta.

Cibi qui ventrem adstringunt Sunt panis ex seligine, vel ex simila, & magis si sit sine fermento, & magis si vilus est, & eo magis si sit bis coctus,pulticula,vel ex alicæ, vel ex panico, vel ex millio. Sorbitio ex his,& magis si ante fricta sunt. Lenticula cui, vel beta, vel intubus, vel plantago, vel ambubaia adiecta est, & magis si antea sit fricta, per se etiam intubus, vel ex plantagine, vel ambubaia fricta. Minuta olera,brassica bis decocta,dura omnia,magisque si sint assa. Minutæ aues, merula, palumbus,magisque si in posca decoctus, omnes aues graues, quæ magis currunt, quam volant,lepus, caprea, iecur ex his, quæ seuum habent,maximeque bubulum, ac seuum ipsum,caseus, qui vehementior vetustate fit, aut si recens est, ex melle, mulsove decoctus. Mel coctum,Sorba,pira immatura.Oleæ,mala cidonia,& punica. Palmulæ,mista,purpuræ, murices, vinum resinatum,vel asperum. Item meracum,acetum,malsum,quod infei buit. Vinum coctum,passum. Aqua vel tepida,vel frigida,dum quæ tarde putrescit ideoque pluuia. Omnia dura, macra, austera,tosta, & in eadem carne assa potius, quã elixa.

Cibi qui vrinam mouent sunt. Quæcunque nascuntur in hortis boni odoris.s.apium, anethum,menta, ruta,ocymum, hysopũ, eruca, nasturtium, anisum, coryandrum, feniculum. Asparagus,thymum,capparis satureia,aspera, pastinaca magis agrestis, lapsana,radicula,sisar,cepa. Lepus,piper rotundum, & longum, vinum tenue, absynthium,sinapi, nuclei pinei.

Cibi qui somnum conciliant sunt. Lactuca maxime æstiua,cuius cauliculus iam lacte repletus est, vnde Galenus in iuuentute continue vtebatur lactura ad bilem contemperandam; & in senectute ad somnum conciliandum. Item papauer.

Porrum, morum, nepeta, hysopum, satureia,thymum, præcipueque pulegium, cepa,& ruta, vigiliam inducunt. Vide diffusius apud Medicos, & infra in singulari de multis.

De tempore sumendi cibos.

QVo ad quintum principale, idest tempus sumendi cibos. Primo,incipiendo a quatuor quartis anni, scilicet vere, æstate, Autumno,& hyeme Schola Salernitana sic scribit:

Temporibus veris modicum prandere iuberis,
Sed calor æstatis dapibus nocet immoderatis,
Autumni fructus caueas, ne sint tibi luctus
De mensa sume, quantum vis tempore bruma.

Dicit ergo in vere modice esse prandendũ. Et ideo institutũ ecclesiæ de ieiunio quadragesimæ nõ solum rationabile est apud Deum, in cuius manu sunt vita, & mors nostra,verum etiam apud Medicos veros, & non occisores corporis, & animæ. Primo

mo enim hoc deducimus ex præterito tempore. Nam hyems præcessit, & in eo ob frigus, & paucitatem exercitij, & abundantiam cibi multæ sunt generatæ superfluitates in corpore, quæ dum incipiunt calorem veris sentire, id faciunt, quod terra, & arbores faciunt, se enim dilatant, & exitum quærendo totum corpus conturbant, vnde ad eos humores reprimendos, & consumandos necessarium est ieiuniū, idest moderatiorem victu. Secundo, hoc idem persuadet tempus veris, quia in eo sanguis crescit; at abundantia sanguinis causa est multarum infirmitatum, vt omnes Medici docent. Quare abstinentia ciborum, & maxime sanguinem generantium occurrendum venit huic malo. Tertio. Hoc idem testantur omnes purgationes, quæ fiunt, & ordinantur à Medicis in principio veris. Ieiunium autem est purgatio.

In Aestate vero magis est abstinendum non in ieiunio, quia ob magnum calorem duplici refectione vtendum est, sed parca, & moderata. Virtus enim concoctrix tunc debilis est, & ideo debiliter, sed sæpe cibanda. Sic dixit Galenus comment. 17. lib. 5. Aphorisf. dum dixit. Aestiuo quidem tempore, quantum ad temporis rationem attinet, sæpius, pauca danda sunt, quoniā & pluri egent adiectione, vt qui sunt dissoluti, & vires habent imbecilles. In potu tamen potest esse maior abundantia, quā in alio tempore, quia magnus calor humidum multum consumit, & ideo est reparandum potu, & cibis elixis, qui sunt humidiores assis.

At in Autumno pariter non est stomachus cibis grauandus, quia in eo sunt multæ superfluitates ex nimio calore Aestatis concretæ, quæ per calorem naturalem suauiter sunt dissoluendæ. Vino quoque moderate vtendum est, sed nec multum aqua diluto, quia potest generare inflationes, & colicos dolores. A fructibus abstinendum venit, excepta vua bene matura, & ficubus maturis, & sapidis, & in modica quantitate, & ante alios cibos, quia post eos corrumpunt illos, & inflant. Vide quæ de seipso ad hoc propositum dicat Galenus lib. de cibis boni, & mali succi cap. 3. Narrat enim quod quando à fructibus abstinuit, incolumis in autumno permansit, & quando his vsus est, in autumno febris eum corripiebat, & erat ei necessaria sectio venæ.

In Hyberno autē tempore gulæ aliquo modo magis indulgemus, quia calor innatus hyeme fit intensior, & quia magis vnitur, & fortificatur, & quia magis per Antiperistasim calor per frigus ad interiora reducitur. Quod tradiderunt etiam Hippocr. Aphoris. 5. lib. 1. & Auicenna 2. 1. doct. 2. cap. 6. Et tūc etiam liberius possumus vti cibis crassioribus, & densioribus, & vino meraciore. Verum est tamen, quod cum tunc phlegma abundet, securius erit vtendum cibis inter solidum, & rarum, vt sunt, caro hædina, vitulina, verrucina, luciorum, pinarum, & cancrorum. Et non multum erit corpus cibandum cibis crassioribus, vt carne bouina, porcina, conchariū, ostrearum carpionum, & similium, adhibitis semper rebus aperitiuis, & diureticis, vt petroselino, vallursio, apio, & exercitio forti.

Notandum est etiam, quod non solū habenda est ratio quantitatis ciborum in singulis anni temporibus, sed etiam & substantiæ, & qualitatis, vt dixit Galenus 1. de alimentis, c. 13. Ideo in Autumno abstinendum est à cibis melancholicis, & exsiccātibus. In Hyeme autem vtendum est calefacientibus, sicut & secundum Aestatem humectantibus, & infrigidantibus. In vere autem mediæ complexionis, media virtutibus alimenta offerrendum. Et in libro de dissolutione continua sic etiam dixit. Et quando somnus post cibum multus fuerit, oportet quod donemus cibos multos grossos, & hoc conuenit fieri in hyeme, propter longitudinem noctis, & multitudinem somni. Et quando somnus est paucus, leuis, subtilibus nutriatur, sicut in æstate propter breuitatem noctis, & somni paucitatem.

Tertio, pensanda est etiam hora sumendi cibum, & in hoc multum existimanda est consuetudo, & præcedens inedia, vel repletio, quia consuetudo vim naturæ obtinuit, vnde excepto tempore ieiuniorum in quo consulendum est animæ magis quā corpori, censerem bonum esse sibi definire consuetudinem horarum in omni tempore, & illam non innouare, nisi vel ratione præcepti, vel præcedentis repletionis, quia tunc protrahenda erit hora vsque ad euacuationem stomachi, vel prioris ine-

diæ,

diæ, quia tunc parum erit accelleranda.

Generaliter tamen dicit Auicenna in 3. primi, doct. 2. c. 7. in æstate comedendum esse in frigidiori hora, & quando non est possibile, saltem in frigidiori loco. Nec per hoc puto Auicennam voluisse dicere comedendum esse sub aere, vel sub dio, quia in æstate pori sunt aperti, & rore cæli terra perfunditur, quę ab homine suscipitur, & sic maximas ei causat infirmitates maxime in capite. Mane ergo, & sero comedendum erit in æstate in horis minus calidis, mane hora ante meridiem, & sero in occasu Solis. Alijs vero temporibus prout magis expediens visum fuerit, solum quod in hyeme prius erit corpus calefaciendum, antequam comedendum.

Quarto. Etiam aliqua quasi corollarie pro tempore cibi deducimus. Primum, quod quando famescis, & stomachum vacuum sentis, tunc debes sumere cibum, & si nõ sit assueta hora, quoniam necessitas nutritionis vrget, & non est sinendum ne stomachus malis humoribus, & phlegmis repleatur. Patet enim quod si famem sustines, à quodam non multo tempore fames cessat, & ratio est, quia stomachus satiatus est malis humoribus, & est sententia Galeni libro de dissolutione continua.

Secundũ est, quod Rasis in 4. Almãsoris, & in 15. Continentis dicit, quod inter prandiũ, & cenam debent esse octo horæ, & inter cenam, & nouum prandiũ 16. & hoc pręcipue seruandum venit, quando cibi quæ comeduntur sunt difficilis digestionis, vt carnes, vel prandium sumptum est plusquam mediocre.

Tertium est, quod quando in mane graue prandium sumptum est, & adhuc stomachus est grauatus, non est comedendum, vel si aliquod, tenue, & liquidum, in quo sensũ puto scholam Salernitanam dixisse. A potu incipe cęnam, idest à cibo liquido, qui habeat quasi rationem potus. Sæpe autem potius in mensa est bibendum, quam raro, & si in modica quantitate, vt cibus habeat suum vehiculum, & liquidatiuum.

Quartum est, quod ante commextionem prius si est possibile curandum est corpus a fecibus, & vrina ex Hippocr. & Galeno 3. de ratione victus in morbis acutis particula, & comm. 32.

Quintũ est, quod etiã ventriculus à primo cibo debet esse purgatus, quod dignoscitur, si vrinæ apparuerint coloratiores, & fames adfuerit.

Sextum est, quod somnus post cibum illico non commendatur apud Hippocr. lib. 6. de morbis vulgaribus dum dicit. Labor, cibus, somnus, potus venus omnia moderate.

Septimum est, quod post cibum parum est deambulandum, non violento aliquo motu, hoc enim omnino à Medicis damnatur, nam sic cibus à ventriculo, ad intestina, & venas trahitur, & in eis multas oppilationes facit, sed motu lento, & moderato, vt dixit Galenus 2. de compositione medicamentorum. Ita post cibum fugiendæ sunt curę, sollicitudines, & speculationes, quæ calorem naturalem à ventriculo auocant, & sic indigestionem causant, à qua sunt innumera mala. Quare consuetudo disputationum post prandium secundum sanitatem non est *laudabilis*, at quia patres nostri antiqui, omnem inutilem locutionem à Religiosis abradere conarũt, ideo eo tempore eas fieri decreuerunt, sed certe si horam excedant, non sunt laudandæ.

Quo ad vltimum dico meum non esse de singulis cibis disserere, sed de principalioribus, & communioribus, non enim scribimus virtutes rerum de directo, sed pro quanto sunt in familiari vsu.

DE PANE.

Initium vitæ hominis panis est, & nullus cibus est eo familiarior, & desiderabilior, quoniam pane deficiente, omnes alij cibi non gustantur. In primis ergo debet habere has conditiones.

Prima, quod sit ex tritico, qa vt dicit Isaac, & cum eo Galenus lib. diætarum. Habet granum tritici proprietatem ab omnibus granis exceptam, quod nutribilius, & laudabilius est propter similitudinem complexionis nostri corporis. Est enim temperatum, & si aliquantulum declinet ad calidum.

Secunda, quod hoc triticum vt colligitur ex Auerroe 5. colliget. Dioscoride, & alijs est, sit nouum, maturum, densum, exterius lene, & lucidum, & interius album, ponderosum, densum, difficile ad frangen-

gendum, cuius farina sit multa, cortex vero, & furfur non in multa quantitate. Tale enim facit ad confortationem membrorum, & ad vires dandas, & magnam nutritionem, & bonam.

Tertia conditio est, quod hoc triticum sit natum in crassa, & pingui terra, quoniam natum in arenosa, nitrosa, vel salinaria terra leue est, & parum nutrit. Debet etiam illa terra esse radijs Solis exposita, & non terra vmbrosa, vel luculenta, quoniam tale erit frigidæ, & humidæ naturæ, & causa consequenter multiplicationis multorum humorum in corpore.

Quarta est, quod sit mundum à Zizania, lolio, & cicerculis omnibusque alijs granis, quia sicut ista ei nocent in campo, ita parum cum eo concordant in stomacho.

Quinta est, vt farina talis tritici antedicti non sit transmolita, vt etiam furfur transeat in farinam, sed sit bene molita. Nam panis qui habet multum de furfure citius transit, sed minus nutrit, & melancholiam coagumentat. Vnde quãto farina est mundior, tanto magis generat humorem meliorem, & si sit tardioris descensus, vt dicit Rasis lib. 22. continentis cap. 28. & ideo debet etiam per sedacium esse bene purgata à furfure.

Sexta est, vt farina non sit nouiter molita, quia ista calefacit corpus, ventréque constipat, igneam enim qualitatem adhuc ex molendino acceptam retinet. Nec debet esse diu molita, qui ista hepar calefacit, & à stomacho cito eijciiur, vnde farina medij temporis laudatur, vt optima.

Septima est, vt duo ingredientia habeat, scilicet fermentum, quia panis azimus, & is qui parum de fermento habet secundum Auicennam multum nutrit, sed cum multo labore, & exercitio. Iecoris meatus obstruit, lienis imbecillitatem auget, & calculos in renibus gignit. Ita non debet esse multum fermentatus, quia propter calorem extraneum multi fermenti in humores putridos transmutatur. Debet tamen bene esse fermentatus, sed non superflue, & ita debet habere. Secundum ingrediens in debita proportione. s. salē, quia vt dicit Galenus lib. 5. de regimine sanitatis. Panis conueniens non debet esse sine sale, imò multum salis, & fermenti habeat, & coctus sit diligenter. Causa enim cur sal admiscetur est, quia sui caliditate, & siccitate habet dissecare illa quibus admiscetur, vnde panes saliti saluãtur imputridi, nam per sal consumitur, & desiccatur humidum aqueum, quod natum erat putrescere. Hinc sequitur, quod panis debebit fieri porosus, & oculatus, & minimi ponderis, quia in eo sic sublata erit omnis viscositas. Verum est, quod secundum Auicennam panis oculatus, & leuis parum nutrit, ventrem excrementis replet, de facili per intestina descendit.

Octaua est vt pasta bene malaxetur, & dometur, quia sic pasta magis cõficitur, & commasatur, viscosiorque redditur, & cum sufficienter decoquitur, ex omni parte humidum consumitur, & aufertur, & sic bene, & optime concoquitur, & sic frangibilior redditur, & in ore, & digeribilior in stomacho.

Nona est, vt panes nec sint multum parui, quia hoc modo ignis clibani humiditatem medullæ exsiccat, vnde parum nutrit, tarde egreditur, & ventrem cõstipat, & præcipue si à duobus, vel tribus diebus sit coctus. Nec multum magni parari debent, quia tales panes multum de medulla habent, & parum de crusta, multa autem medulla cum sit viscosa, humida, & grossa, inflat, & phlegma viscosum generat, parũ nutrit, cum difficultate digeritur, & ventrem soluit. Debent ergo esse moderatæ magnitudinis.

Decima est, vt sit bene coctus in clibano mediocriter calido, panis enim male coctus ventriculum grauat, & obstructionis periculum facit, vt dicit Auicenna. Ita fugiendi sunt omnes illi modi panē coquendi, vt his verbis explicat Galenus in 1. de alimentis cap. de tritico. Panes (ait) super cratem assati, aut per calidum cinerem, aut ignis testa, sicut clibano vtentes, praui omnes sunt, & irregulariter dispositi. Similiter vero, & qui ipsorum superassati sunt, & in profundo sunt crudi, subcinericij nominati, ab eo quod coquuntur sub cineribus sepulti, quibus, & cinis addit prauitatem, omnium panum sunt pessimi. Hic panis post multum tempus dolorem lateris generat, inflationes membrorum, & grauitatem, & visus obscuritates gignit. Debet etiam focus clibani esse moderatus, quia magnus exteriora panis multum desiccat, & calorem non sinit ad interiora penetrare, & sic ex cortice duro

non nutrit, & ex ficcitate sua sanguinem siccissimum facit, & ventrem indurat. Panis ergo debet esse moderate coctus, vt nutritioni sit idoneus, & maxime pro senibus, & quiescentibus.

Vndecima conditio est, vt sit simpliciter coctus, idest, cum cum sale, & fermento modo dicto. Nam panis in patella coctus, est veluti azimus, quia partes eius intimæ nõ bene in ea coquuntur. Et peior panis est coctus cum oleo, nam tempore digestionis oleum cõburitur, & tendit ad sulphureum, testibus Auerroë 5. collig. & Haliabate 5. Ther. c. 15. Cum butiro vero nimis impinguatur, & incrassatur eius substantia, & grossior, vnctuosiorque redditur.

Duodecima conditio est, vt non sit à multo tempore factus, & coctus, & induratus, quia sic perdit humiditatem, vnde humiditatem etiam stomachi carpit, & à stomacho eijcitur, cum nimis laboret circa ipsum concoquendum, ventrẽ constipat, & sitim generat. Vnde panis post secundum diem suam laudem perdit, & magis crusta panis, quia illa succos melancholicos, & choleram adustam generat, cum sit ipsa adusta, & terrestris. Sanis autem admodum, & ventriculum humidiorem habentibus, post alios cibos permittitur, ducit enim alios cibos deorsum, & os ventriculi roborat. A fortiori idem dicitur de pane biscoto, qui pro remigantibus, & malos humores exsiccare volentibus seruatur. Sed per hoc panis adhuc calidus de furno receptus non laudatur, redditur enim in stomacho durus, indigestus, & inflatiuus, sitim facit, & in stomacho propter suam humiditatem, efficitur duræ digestionis. Optimus ergo panis erit eodem die factus, sed postquam fuerit bene refrigeratus.

Tertiadecima conditio est, vt cum fructibus, herbis, & piscibus in bona quantitate sumatur, in minori cum carnibus, & in minima cum ouis mollibus. Sic humiditatem humidorum mortificat, & cum subtilioribus eorum operationes bonas non impedit.

DE ESV CARNIVM.

INter similia dixit Arist. facilior est transmutatio, cum igitur caro carni similis sit, fit etiam vt facilius, & naturalius caro in carnem conuertatur; vnde adagium est, Caro facit carnem, & Rasi in 3. Almansor cap. 9. dicit. Caro omnibus nutrientibus, vehementius nutrit corpus, & præterea impinguat, & corroborat. Et lib. 23. continentis, cap. 73. Caro quoties bene digeritur generat sanguinem bonum, & conferentem. Caro enim est humida, & calida, multi nutrimenti, & multum generans sanguinem. Sed quoniam non omnes carnes ad sanitatem faciant, nec cum natura humana conueniunt, ideo de conditionibus carnium comẽdendarum prius agemus, & postea de principalioribus carnibus in singulari tractabimus.

Prima conditio ergo carnis comedendæ est, quod illa caro sit boni odoris, aliæ enim malum sanguinem generant. Quare dixit Isaac in vniuersalibus dietis cap. 13. Carnes Eritij, Vulpis, & leporis, & similium naturæ humanæ nõ sunt similes, imò earum nutrimenta sunt pessima, quod testatur grauitas odoris, & vicinitas fetoris.

Secunda est, quod caro potius sit animalium domesticorum, quam Syluestrium. Caro enim domesticorum multum nutrit naturaliter, cum sit calida, & ficca temperatius, quã Syluestrium, vnde Galenus lib. de subtiliante dieta cap. 8. Quæ dietantur in montibus animalia omnia ficciora, & calidiora sunt cõplexionibus &c. Venantur enim domestica in humidiori aere, & quietius viuunt. Dicit tamen Isaac in vniuersalibus dietis cap. 13. quod Syluatica animalia ad confortandum membra bona sunt, domestica vero ad sanitatem custodiendam. Ratio est, quia domestica caro facilius digeritur, vt subtilior, sed syluestrium tardius, vt durior, & ideo diutius nutrit. Excipe Capriolos, qui minoris sunt caliditatis, & maioris humiditatis alijs syluaticis.

Tertia conditio est, vt inter domesticas carnes magis eligatur caro animalis exercitati magis, quam miras exercitati, quia caro animalis minus exercitati viscosior est, & grossior, & durior in stomacho, & hepate, & ad digestionem tardior, & in humoribus magis superflua. Vnde Galenus in 2. Terapenticæ cap. 2. ait. Columbæ, quæ in turribus, meliores sunt eis quæ secundum domos. Ita autem, & porci montani sunt meliores domesticis ad esum. Et vniuersaliter omnia quæ exercitantur nõ

exer-

exercitatis, & qui ficcioribus cibis vtuntur eis, quæ humidioribus. Et quæ parum, & subtilem aerem respirant, meliora sunt contrarijs. Et qui melioribus, & eis magis appropriatis vescuntur in campis, quam improportionatis in domibus. Et pro eo tempore quo melioribus vescuntur, vnde carnes sunt meliores in vere, quia tunc melioribus herbis nutriuntur. Hinc ergo deducas carnes columbarum, porcorum, & auium omnium, domi nutritorum non esse tam bonas, vt illorum quando in campis nutriuntur.

Quarta conditio est, quod potius eligatur caro masculi in eadem specie, quam fœminæ, quia illa est calidior, & ficcior, quam caro fœminæ, quæ est humidior, & frigidior, & ad digerendum tardior. Cetera tamen debent esse paria, scilicet, vt considerentur in eadem ætate, alimento, ac alijs circunstantijs. Et est sententia Isaac cap. 14. dietarum vniuersalium, & Auicennæ in 2. canonis cap. de carne, & ratio est, quia masculus est perfectior, calidior, & melior fœmina.

Si quis autem querat an castratorum caro sit laudanda.

Respondet Isaac in lib. part. dietarum affirmatiue, quia participant de vtroque sexu fœminino, & masculino. Castrati autem in auibus multum commendantur, & in singulari capones. Dicit enim Isaac Gallus caponatus plurimum est laudandus, quoniam complexio sua in quatuor qualitatibus est temperata, & inde nutribilior. Hic enim in cibis gratior est, vt pote remoto, Veneris vsu pinguior, atque salubrioris alimenti redditus. Habeas autem, quod caro caprina masculina iudicatur ab Isaac minus bona, quam fœminina, & album quadrupedis, quam nigrum.

Quinta conditio est, quod caro sit animalis iuuenis non minor mense, quia est nimis humida, & viscosa, sed vltra mensem semper, & in singulari hoc maxime fugiendũ est in porcis, & agnis, quia ista animalia lactentia, & ex ætate, & ex natura humiditatem habẽt magnam, & nutrimentum ipsorum est multum viscosum, & digestioni difficile. Caprina autem, & bouina animalia iuuenia apta maxime sunt ad esum, vt dicemus. Sed inueterata, & decrepita omnino sunt fugienda, sicut & morticinia, & magnopere macria, quia melancholiam nutriunt, digestionem malam faciunt, sanguinem corrumpunt, & alia multa mala pariunt.

Sexta conditio est, quod caro non sit ex animali extenuato, & macro, vt dicebamus, quia ait Galenus 4. de alimentis. Carnes animalium macilentorum, & prouectorũ sunt pessimæ. Nec debet esse ex animali magnopere impinguato, & incrassato, quia vt dicit Isaac. Pinguissima compositio est indigestibilis, cito de stomacho descendens, ventrẽ humectat, velociter in corruptionem conuertitur, phlegmatis viscosi est generatiua, & magis si sit de humidis animalibus, & secundum Hipp. parum nutrit, & velocitate suæ conuersionis ad fumositatem, & choleram conuertitur. Caro ergo media inter pinguem multum, & multum macram est eligẽda, quia ista bonum generat sanguinem, bene nutrit, & hoc magis si sit iuuenis animalis. Minus tamen lædit caro animalis crassi, quam macri, dicente Galeno lib. de dissolut. continua. Caro gallinæ duragi, & starnæ, & hepata pullorũ, anserum, & eorum ascellę, & omnium auium pinguium, & iuuenum velocius digeruntur, quam ascellæ macrarum, & antiquarum.

Septima conditio est, vno ore à Medicis recepta, quod carnes macræ sunt elixandę, ad hoc vt aqua eas humectet, & nimis pingues veniunt assandæ, vt focus consumet superfluam illarum humiditatem. Vnde caro porcina, & pecorina sunt assandę, quia sunt multũ humidæ, sicut omnis caro pinguis, & econtra caro bouina, & caprina sunt elixandæ, propter eorum siccitatem. Assa autem humidis cõplexione apta est, & multum laborantibus, est enim difficilioris digestionis, quia non bene ad intra concoquitur. Si tamen bene digeritur exsiccat superfluam humiditatem, bene nutrit, & bene restaurat, & carnem duram generat. Caro autem frixa non laudatur, quia vt dicit Auicenna in 20. tertij, tract. 1. cap. 22. Frixio prohibet confortationem carnis, & multitudinem nutrimenti eius, quod credo euenire propterea, quod in stomacho non digereatur. Tradit autem præceptum Auicenna in 6. 4. tractatu 2. cap. 11. de carne assata his verbis. Quæcunque caro sit assata nõ cooperiatur submergendo, imò dimittatur discooperta, donec euaporet, nam cum submergendo

cooperitur, fit venenum, quod ad plurima perducit accidentia, vno, aut duobus diebus, & etiam quinque interficit. Cum ergo caro assata ab igne remouetur, non est per per horam aliqua obuolutione cooperienda, sed permittendum est, vt bene euaporet, aliter causabit nauseã, fluxum ventris, & vomitũ, & deliquium mentis per vnũ, vel duos dies, & quandoque mortem.

DE CARNE SALITA.

POstquam in vniuersali vidimus circunstantias generales bonæ carnis ad edendum, modo descendendum est ad specialia, tractando de principalioribus carnibus in singulari.

Incipiendo ergo à salita carne, pro quanto possumus deducere ex Galeno 3. de alimentis cap. penultimo debet habere has conditiones. Prima, quod sit ex animali, quod duras, & superfluas habeat carnes, habens in se humiditatem phlegmaticã, quę quanto fuerit grossior, tanto erit melior. Vnde carnes valde molles, vel valde duræ, & quę sine humiditate sunt, ineptæ ad saliendum redduntur.

Secunda est, quod illa caro non sit animalis natura multum sicci, vnde carnes bouinæ antiquę non sunt saliendæ. Nec salitum multum commendatur, nisi ad excitandum in modica quantitate appetitum, & ad abstergendum phlegma in stomacho conceptum. De cetero exsiccat, exsiccatione vehementi, modice nutrit, & ventrem constipat, & maxime cum aceto.

De carne Vitullina.

DVplex est vitulus scilicet lactans, & vbera suggens, & iam ablactatus ab anno. Primus est secundo mollior, & subtilior ad digerendũ, vnde etiam potest concedi his qui ab ægritudine surgunt, non caro vituli ablactati, dicente Isaac in vniuersalibus dietis. Vitulinę carnes, & si sint laudabiles, non tamen conueniunt exeuntes ægritudines, cum membra eorum indigerendo grossum cibum deficiant. Caro enim vituli lactentis à vulua, & ab vbere trahit caliditatem, & humiditatem, dicente eodem Isaac. Bos lactens laudabile generat nutrimentum, facilis est digestionis, quia calor, & humiditas eius in quantitate multa est, propter vuluæ vicinitatem, & lactis bibitionem. Debet tamen esse sex, vel octo hebdomadarum, quia de his loquitur Galenus expresse dum dicit lib. 3. 1. cap. de alim. facult. Carnes vituli lactentis, sex, vel octo hebdomadarum assatas, vt optimas, tum ad coquendum, tum ad succum bonum generandum, tum ad nutriendum. Bonum generat sanguinem, choleram rubeam à stomacho expellit, maxime si comedentibus calor naturalis dominetur. Caro etiam vituli non lactentis bona est, & laudabilis, & si non tantum, quoniam durior est ad digerendum, cum grossior, & siccior existat, est tamen calida, & ideo bonum generat sanguinem.

De carne Hedina.

CAro lactentium caprinorum (dicit Isaac cap. 14. dietarum vniuersalium, est frigida, mediocris tamen in humiditate, & siccitate, & sanguis qui ex ea generatur est inter subtilem, & grossum, ac inter calidum, & frigidum. Cum sua temperie ei detur tamen ad frigidum, & humidum declinare. Confert habenti naturam calidã, & siccam ex humiditate lactis, & generat sanguinem bonum, & melior est mediocris in ætate. Est mirabilis, & bona, nullam in se habens malitiæ admixtionem, sed laborantibus non congruit, conualescentibus vtique, & magis quam vitulina. Laudantur super alia animalia ad sanitatem, & eo magis quando iam sunt viciniad non suggendum amplius lac. Et delicatis nil melius.

De Carne Agnina.

CAro agni lactentis, & pecudis veteris omnino reprobatur, propter abundantiam humiditatis, & viscositatis, vnde in abundantia phlegma generat, & prius quam digestæ sint e stomacho egrediuntur. Caro tamen agni anniculi multum exaltatur, vtpote, quæ multum nutriat, calidis admodum confert, sanguinem laudabilem generat, & in locis calidis eo magis. Sunt enim secundum Isaac, Rasim, & Auerroem 5. Colliget. Agni anniculi calidæ complexionis, temperatæ in siccitate, & humiditate, adeo vt dixerit Rasis in 23. continentis c. 703. Caro annualis annotici

-noscit melior est inter carnes omnium animalium ambulātium, generat enim sanguinem laudabilem, nō humidum, neque siccum, & confert in cholera nigra. Sed obseruandum est, ne in paschate comedantur agni in mense Februario nati, tum quia sunt nouiter nati, tum quia nati sunt in tempore humido, & vt plurimum in tpe magis humido, & quia impinguantur tunc studiose, cum farina seminis lini, vt grandiores, & ponderosiores existant.

De Carne Porcina.

CAro porcina in omnibus carnibus humidior est, & frigidior, difficilis digestionis, sed multæ nutritionis. At cauendum venit à carne porci lactentis, vel nō multæ ætatis, & à carne vetusti, & antiqui, quia hæ malæ sunt, & multum stomachum conturbant, & in plegma, & putredinem conuertuntur, & tanto plus si inuenerint stomachum, malis humoribus præoccupatum. Generant vlterius podagrā, viscerum dolorem, sciaticum morbum, lapidem in renibus, paralisim, & similia mala, apud Isaac in particularibus dietis.
Non debet ergo esse porci lactentis, nec parui, nec veteris, nec fœminæ, quia & ista mala est, maxime si peperit, & ablactauit. Ceterum caro porci iuuenis commendatur. Dicit enim Galenus lib. de attenuante dieta cap. 6. sic. Suum domesticorum caro omnium aliorum ciborum firmissime nutrit. Multum enim in seipsa habet lentorem, tum propter vitam desidiosam, tum propter cibi humidioris affluentiam. Assatam tamen similem carnem desiderat Hippocr. ad hoc vt ignis nimiam eius viscositatē, & crassitiem extenuet, etiā quod comedatūr absque cute, quia cutis est frigidior pars carnis, & non bene concoquitur. Et quod pinguior omittatur, propter suam magnam humiditatem. Alia vero caro teste Galeno lib. de cibis boni, & mali succi cap. 4. si exacte in ventriculo concoquatur, & in sanguinem à Iecinore cōuertatur, probatissimos humores gignit. Agrestes autem sues domesticis præponuntur, quia hi non sunt tam humidi, & sic minus habent excrementi. Est tamen semper caro suum melior multum laborantibus quām delicatis, & volentibus impinguari, quam desiderantibus attenuari.
Sint semper tamen vnius anni, vel duorū ad plus, & hyeme comedantur secundum Medicos.

De carne Castrati, & Arietis.

CAro agni, & hirci castrati antiqui, & veteris mala est, fætida, & horrenda potius quam comedenda, generans cholera nigram, & sanguinem grossum. Iuuenis vero laudabilis est, & bona dicente Rasis lib. 24. continentis, cap. 703. Caro castratorum taurouinorum, quam caprinorū laudabilior, quia humectat, & est dulcis, & modicæ caliditatis. Bonum, & multum sanguinem generant bene digestæ, & mirabiliter iuuant habentibus calidas, & siccas complexiones, & habitantibus in regione calida, & sicca, maxime castrati ouini, hircini etiam.
Caro vero Arietis est illaudabilis, & melius est caro Capræ, carne Arietis non Castrati. Est tamen caro caprina sicca, & difficilioris digestionis.

De carne Bouina, & Vacina.

BOuis veteris caro (de vitulo enim diximus) illaudabilis est, & omnibus Medicis odiosa, maxime si sit multum antiqui Bouis, vel macri. De hac carne sic dicit Isaac in particularibus dietis. Caro bouis sanguinem generat grossum, turbidum, & melancholicum, multumque nutrimentū inobediens digestioni, tardeque de stomacho eijcitur, & a membris difficulter dissoluitur, & ventrem constipat, & si eam vescentes sint melancholicæ complexionis splenetici erunt, quartanam patientur, complexiones eorum corrumpentur, & in hyposarcham incident, & nonnumquam nascentur in eis scabies, impetigo, elefantia, lepra, cancer, & serpigo, secundum complexionem quā his morbis præparatam inuenit. Abstinendum est igitur (si possibilitas datur) ab his carnibus, & iudicādum quod si in cacabo resistit igni, ita vt non possunt à multo igne per horas bene concoqui, nec etiam à stomacho poterint digeri. Et si concedūtur alicui, erit illi qui habet ventriculum calidiorem, & immoderate se exercet. Simeon tamen dicit magnum remedium contra eorum malitiam esse, illas in aceto, allijs, cum

ruta

ruta intingere.

Quod autem dictum est de carne bouina, dicitur, & de vaccina, & à fortiori, si vaccha sit vetus, & macra.

De carne syluestrium, Leporis, Cuniculorum, Vulpis, Cerui, Caprioli, & Damæ.

POst carnes domesticorum, considerandæ veniunt carnes animalium syluestrium. Inter primas sunt carnes Leporinæ, quæ tanta diligentia à nobilibus venatoribus quæruntur, & tamen secundum Isaac in particularibus dietis cum sint calidæ, & siccæ multum, grossum, & siccum sanguinem generant, melancholicum, alluum cohibent, vrinam proritant, obstructionem hepati, ac spleni efficiunt, pulmoni nocēt, & immodicis vigilijs torquent. Quod si quis eas proterue comedere voluerit, sumat pingues tantum, & iuuenes, & eas corrigat humectantibus, & non calefacientibus, cum sua natura sint calidæ, & siccæ.

Cuniculorum caro est naturæ frigidæ, & siccæ, & ideo melancholiæ nutritiua, & ideo omittenda, nisi vt de leporina diximus.

Vulpium caro non est in vsu dixit Galenus 3. de alimentis cap. 1. quia est sicca, vt est pariter caro canis, & ideo nisi in vendemijs, quando impinguantur ex comestione vuuarum conceditur, omnes carnes gustare volenti.

Cerui caro difficilis est digestionis, sanguinem generat melancholicum, malum chymum generat, vnde dixit Galenus lib. de subtiliante dieta cap. 8. Prope Asinos sunt cerui, vnde ab eorum esu abstinēdum est. Rasis tamen 25. continentis cap. 703. dixit de ea. Caro ceruina generat sanguinē melancholicum, & est difficilis digestionis, & iuuat ad digerendum eam labor, & lotio post laborem, & motus moderatus post comestionem eius, & dormire supra latus sinistrum.

Caro capriolina licet aliquo modo sanguinē melancholicum generet, sicut etiam faciūt omnes carnes animalium syluestriū, tamen minus alijs generat melancholiā, & laudatur multum apud Medicos, vnde Isaac ex dicto Galeni sic de ea loquitur. Syluestria animalia non ita saporita sunt, sicut domestica præter Capriolos, qui cū sint syluatici, sunt saporosiores, laudabiliores, & nutribiliores. Ex nimio enim suo motu, & labore subtiliatur eorum sanguis, corpus ratificatur, pori aperiuntur, & humores qui sunt causa grauitatis odoris dissoluuntur. Virtuti digestiuæ adiutorium præbet, vt bene, & cito eorum caro digeratur. Paucas faciunt superfluitates. Rasis tradit, quod ad remouendam eius siccitatem debet cū oleo coqui. Prodest multum paralisi frigidæ. Et est elixanda cum humefacientibus.

Caro Damæ accedit ad naturam carnis Caprioli.

De carnibus Eritij, Cameli, Vrsi, & similium.

CAro Eritij cum non sit similis naturæ humanæ ad esum reprobatur, solum ad medicinam commendatur, quia salita secundum Medicos stomachum confortat, ventrem soluit, vrinam prouocat, & paratis ad elefanticū morbum iuuat, & ad lepram, quia habet magnam virtutem dissoluentem, & dissecantem. Confert etiam paralesi, & spasimo, & egritudinibus neruorum. Dissoluit scrophulas, nodulas, & neruos. Eius cinis valet ad mingentem in lecto, quia frequēs eius comestio vrinam retinet. Et si caro eius dissecatur, & bibitur, confert complexioni corruptæ, spasimo, ægritudinibus renum, habentibus hydropesim carnosam.

Caro autem Cameli, quæ calida est, & sicca melancholicam inducit in cibum. In medicinam vrinam prouocat.

Caro Vrsina viscossima est, indigestibilis, & pessimi nutrimenti. Solum valet pro medicina.

Caro Leonina multum calida est, & grossa, dura, indigestibilis, dolorem, & torsionē in ventre generat, & in ventositatem conuertitur.

De alijs dicit Galenus lib. de subtiliante dieta cap. 8. sic. Equos autem, & Asinos, Leopardos, & Vrsos, & Leones concedimus solum feralibus hominibus.

DE CARNE VOLATILIVM, Gallinarum, Caponum, Anatis, Anseris, Columborum, Pauonum, Perdicum, Starnorum, Fasianorum, Coturnicum, Qualearum, Turturum.

CAro volatium, idest auium alatarum subtilior est carne animalium ambulantium, velocioris digestionis, sed minoris nutrimenti, quia est siccior carne quadrupedium. Constringunt ventrem elixæ, & assatæ, & quia quædam sunt siccæ, & quædam humidæ etiam, ideo si sint humidæ temperaturæ, comedantur potius macræ, & si siccæ, pingues, quia sic quantitas cum qualitate, temperabit bene eorum naturam. Et est sententia Hippocratis apud Isaacum cap. 16. dietarum vniuersalium. Commendantur autem plus aues eiusdem speciei syluestres, quam domesticæ, & si domesticæ magis nutriant. Melioresque sunt dum crescunt, in debita tamen ętate, quam dum ad suum complementum deuenerunt. Et subito occisæ non sunt comedendæ, sed habita ratione temporum expectandū est, vt mollificentur, sed non vt corrumpantur.

Caro autem gallinarum polastrarum, quæ s. nondum pepererunt, & polastri nondum castrati, optima est, & inter ceteras laudabilior, & colligendo, quæ de his dicuntur ab Auerroe, Rasis, Isaac &c. dicimus, quod est caro temperata, inter alias laudabilior, & excellentior, facilioris digestionis, & leuioris. Cōplexionem temperat, brodiū suum mirabiliter leprosis proficit, cerebrum eius, substātiam nostri cerebri coagumentat, & confortat, intellectum subtiliat, visum confortat, sanguinem, & sperma auget. Ad bonitatem pullorum gallinarum accedunt gallinæ ipsæ, vnde, & si sint durioris digestionis, quam eorū pulli, tamen melius brodium faciunt, vnde veniunt elixandæ.

De caponibus diximus supra, esse bonos, optimos, nutrientes, & impinguantes.

Caro galli non admittitur ad esum, quia est humiditate priuata, & nitrositas, quæ in cor existit putredinem generat, apud Rasi 4. lib. suorum Aphorism. Pro medicina cōmendatur ab Isaac ex Galeno his verbis. Galli veteres, & decrepiti, cum sale fortiter cocti, & cimino, & aneto, & porris, & semine croci hortulani, humores phlegmaticos deponunt, cholicę prosunt, & dolorem stomachi de ventositate grossa inflatiua mitigant.

Anas humidior est omnibus auibus domesticis. Eius caro grauis est, in stomacho retardatur, & propter humiditatem superabundantem est grauis digestioni. Calefacit tamen multum. Alæ eius, & collum faciles sunt ad digerendum pro sui laboris, & motus nimietate. Hepar quoq; eius suauis est in cibo, & boni humoris. Priuat fluxum, ex debilitate hepatis accidentem, vt dixit Rasi lib. 4. suorum Aphorism. In veres assatur, & cum sale conditur, vt sua vehemens humiditas exsiccetur.

De Anseribus autem sic dixit Auicenna in 2. canonis. Caro magnarum auium, & anserum, & miluorum est grossa, & propterea tardæ, & difficilis digestionis, & propter humiditatem earum superfluam sunt febris generatiuæ, vt aliqui dicunt ex modernis. Est generatiua multarum superfluitatū. Iuuenes minoris sunt nocumenti, & assatæ, & comedendo alas ex Galeno lib. de Euchymia, & Cachochymia cap. 4.

Quod diximus de anseribus, & anatibus dicunt medici à fortiori de struthione.

Columbas syluestres, idest, quæ nō nidificat apud nos, accipitribus ob suam duritiem relinquimus dixit Galenus lib. de subtiliante dieta cap. 8.

Pulli autem columbini in domo nutriti superfluę sunt humiditatis, grossi, & duri ad digerendū. Calidi etiam sunt, grossum tñ dant nutrimentum, vt difficultas ad volandum ipsorum testatur. Dum autem volare incipiunt (ait Isaac) illam grauitatem amittunt; fitque eorum caro fit leuior, & ad digerendū acceptabilior. Est etiā conueniens phlegmaticam complessionē habentibus, inconueniens vero cholericis natura, calidis, & humidis. Debent comedi cum agreste, aqua, coriandro, & medulla citrulli. Datur in cibo illi, cuius corpus euacuatum fuerat de sanguine, aut infrigidatum ex longo morbo. Est hæc caro bona renibus, sanguinem auget, & sperma. Dicit autem Galenus libro de subtiliante dieta, cap. 8.

Columbæ quæ in turribus, meliores sunt eis, quæ secundum domos. Debent assari, cum frigidis, & siccis temperari, capite priuari, quia ista capita secundum Rasi. generant

rant chronicam infirmitatem capitis, & dolorem eius.

Caro Pauonum est calida, & humida circa secundum gradum, melancholici sanguinis generatiua, & difficilis digestionis, grauis,& dura, vnde non est comedenda, vt dicit Isaac lib. vniuersalium dietarum, cap. 16. nisi Pauo sit domi nutritus, & ab vno die in æstate occisus,& in hyeme per tres dies, vt caro reddatur mollior. Suspendendo pauonem, gruem,& alias aues ei similes, & ad pedes eorum lapides appendendo.

Caro perdicum nutrimentum præbet mediocre, licet aliqualiter subtile, dicente Isaac lib.dietarũ part. In volatilibus Starna est subtilior, pullique perdicis,& pulli gallinacei, post hæc vero perdix, fasianus, & gallina, ex quo subtiliorem esse perdicẽ gallina deducimus, vnde dicit. Starnas,& pullos perdicis esse subtiles in tertio gradu subtilitatis. Turtures vero, annates,& coturnices in secundo. Pauones vero, & grues in primo. Est caro leuis, stringit, impinguat, coitum auget, & multum nutrit, humiditatem stomachi exsiccat, & putredinem extrahit, maxime si cum succo pomorum dulcium excoquatur. Sic enim cocti malitiam euadat, & sua secunda virtute, virtutem retentiuam confortat, sanguinem multum adauget. Masculus est mollior fœmina, durat per 16. annos, & ideo non veteres, sed iuuenes eligendę sunt, & pingues, quæ dicuntur perniciones, & potius sunt elixandæ, quam assandæ, nisi dentur his cui corpus multum lubricum,& humidum esset. Naturam perdicum immitatur gallinæ syluestres, quæ à rusticis dicuntur gallinaciæ.

Coturnices, quæ rostrum habent rubeum,& pedes. Sunt temperatæ complexionis, bonum generant sanguinem, parum retinẽt de superfluitate, & apposite dantur conualescentibus, sicut & perdices. Dicitur starna communiter,& si aliqui velint starnam esse speciem maiorem perdicis. Sed hæc parum ad nos. De starna autem dixit Almansor. Starnæ caro omni carne auium leuior inuenitur, atque his qui subtili volunt regimine custodiri conuenientior. Et post istam caro Coturnicis, quæ est vna species perdicis.

Caro phasiani dicitur communiter temperata, sana, multum nutriens, & maxime conueniens conualescentibus, & extenuatis. Est cibus subtilis, conueniens, laudabilis, pullis affinis, medius inter perdicem, & caponem tenens, ethicos confortat, robur confirmat, virtutes digerentes cõsolidat, & vt quidam dicunt perdices, starnæ, & phasiani solum à conualescentibus deberent comedi, vt superueniente ægritudine aliquid vltra consuetudinem comedendum remaneat.

Qualea (sic communiter dicta) quæ in tanto prætio apud multos est, reijcitur à Medicis, præcipue ab Auicenna 2. canon. cap. 154. qui dicit eam inducere tetanum, & spasimum, quia habet talem substantiam, & quia comedit elleborum. Idem affirmat Rasis cap. 420. lib. 20. Et Isaac cap. 16. dietarum vniuersalium sic ait. Coturnices (loquitur enim de qualeijs, quę etiam dicuntur quaquilæ,& ab alijs quisculæ) ceteris sunt peiores, sicut nec in nutrimento, neque in digestione sunt laudabiles, & propterea non sunt accipiendæ à sanis, neque ab infirmis. Solus Auerroes apud Scholæ Salernitanę interpretem facit carnem eius temperatam, paulo ad caliditatem propensiorem, substantiæ tenuis, & optimi succi, accomodati sanis, & ægris. Et ita censeo in partibus nostris esse, quia in his elloborum non comedunt, & bene nutriunt.

Turtures calidæ sunt, & siccæ, vsque ad secundum gradum, retinentes tamen aliquam humiditatem superfluam, & indigestam. Iuuines tamen vnius anni secundum Galenum bonum dant nutrimẽtum, & viscosum, laudabilem generant sanguinem, mediocrem inter grossum, & subtilem. Leues sunt ad digestionem, bonos humores efficiunt, & etiã sanguinẽ augent. Augent sperma, & coitum,& multum nutriunt. Et secundum Auicennam fin 24. tertij cap. 21. habent mirabilem proprietatem in acuendo ingenium, vt etiam dixit Auerroes in 5. colliget. Veteres tamen non sunt tantum laudabiles, imò redduntur duræ,& difficilis digestionis, & generatiuæ sanguinis melancholici. Debent antequam comedantur saltem per vnum diem ante, suspendi occisæ. In casula incrassari prius, sicut etiam dicimus de omnibus alijs auibus, quę sunt siccæ complexionis, & si fuerint pingues non elixentur, sed assentur, & si macræ elixentur.

Caro

Caro Struthionum mala est, & stomachum fatigat, & ideo relinquenda.

Caro Gruis frigida est, & sicca, ad digerendum dura, & mali sanguinis generatiua, & ob id omittenda.

Caro Cignorum, & Ciconiarum, & similiũ in paludibus habitantium, collum lõgum habentium est vehemẽtis humiditatis accidentalis, & plurimæ siccitatis substãtialis, generat melancholiam, & febres quartanas, multas superfluitates, & tanto magis si est mali odoris. Quod si quis comedere voluerit, solum iuuenes comedat ad annum. Si viuç capiantur prius multum fatigentur, postea occidantur, & secundum tempus suspendantur, vt mollificentur.

Caro Ficedularum, Carduelium, & reliquarum auium minutarum, si pinguis sit, & iuuenis, dummodo non nidificent bona est, præter carnem passeris ob magnam sui caliditatem, quoniam ista male alit, difficulter concoquitur, & libidinem excitat, choleram rubeam adunat, ventrem constipat, & digestionem impedit, & ipsi per annum viuunt.

Turdi, & Merulæ sunt calidæ, & siccç in fine primi gradus, sunt boni succi, boni nutrimenti, si sint pingues, & cum laqueo, vel retibus capti.

De partibus animalium ad esum aptarum.

PArtes animalium comestibiles quædam sunt intrinsecæ, & quædam extrinsecæ. Extrinsecæ in medio corporis sitæ iudicãtur meliores interioribus, quia ex vicinitate pororum corporis, quibus sudor, & fumus dissoluitur, inde alleuiantur, & saporantur, & ad digerendum faciliores efficiuntur, interiores vero è contrario.

Ita partes propinquæ ossibus sunt sapidiores, & digestibiliores propter collisionẽ, quæ fit ex ossibus eas confricantibus.

Ita partes anteriores animalis sunt meliores posterioribus. Primo, quia hæ nutriuntur sanguine magis mũdificato ex corde, ideo pectus, & quæ circumcirca, sunt meliora. Secundo, quia pectus voce, & flatu semper mouetur, & ideo eius caro leuigatur. Tertio, quia in pectore cor fundatur, qđ est sentina caloris naturalis. Mẽbra igitur anteriora leuiora sunt, & calidiora.

Ita partes dexteræ molliores sunt sinistris propter vicinitatem hepatis, quod est secundum fundamentum naturalis caloris.

Ita membra à capite ad cor sunt calidiora, & molliora, & quæ prope caudam frigidiora, & indigestibiliora.

Inter membra animalis, ea quæ sunt sine ossibus, & neruis, cum pinguedine, & simplici carne non sunt ita laudabilia, vt coxæ, lacerti, crura, & similia dicente Isaac lib particularium dietarum. Membra quæ sunt mobilia, & modicum humiditatis habent, sunt saporosiora, & facile digestibilia. Contraria autem sunt contrariæ se habentia, & propter hanc causam lacertosæ partes animalium approbantur, vt coxæ, crura, & huiusmodi. Ista enim membra sunt temperatissima in quatuor qualitatibus, & ideo sunt ad digerendum velociora; & ad penetrandum venas faciliora. Dicit ergo Almansor 3. lib. cap. 10. Talis itaque caro eligatur, quç mobiliũ sit membrorum, & in macie, & pinguedine temperatorum, anterioris, & dexteræ partis, à principalibus membris non remotorũ.

In volatilibus vero primatum omnes dant alis propter eorũ motum, nam Isaac cap. 16. dietarum vniuer. sic dicit. Mobilia semper teneriora sunt, & saporosiora, & ad digerendum velociora, sicut alæ volatiliũ, & ceruices ipsorum. Et infra. Rursus iuuenum volatilium alæ sunt meliores puerilibus, propter fortitudinem motus eorum, pullorum enim alæ licet bene nutriant, paruum tamen dant nutrimentum. Et infra. Colla laudabilis etiam sunt nutrimenti, propter nimium motum quem habent. Sed colla anseris, & gallinæ sunt meliora collis omnium animalium. Cristas autem, & barbas gallorum Galenus 3. de alimentis, nec laudat, nec vituperat. Quod autem diximus de membris aliorũ animalium anterioribus dexteris, à principalioribus non distantibus, dicimus etiã idem in auibus.

Cerebrum autem in particulari, cum sit frigidissimum, humidissimum, & viscosum, ideo generat phlegma, & humores grossos, nauseam facit, stomachum lędit. Si autem cerebrum omnis animalis ista habet, à fortiori ista portabit cerebrum animalis humidi, & viscosi, vt porci, pecudis, agni, & similium, & ideo omnino fugiendum.

Cerebella vero auium, vt pullorum, starno-

rum, perdicum, gallorum, gallinarum, & huiusmodi meliora sunt cerebellis omniũ quadrupediũ. Et si cerebella Arietis, seu hedi, & vitul non omnino damnentur. Si quis ergo cerebella comedere voluerit, primo eligat ea solum, quæ sunt quadrupedis siccæ naturæ, vel auium. Secundo illud comedat in principio mensæ dicente Isaac in particularibus dietis. Cerebrum appetitum corrumpit in stomacho, citoque in putredinem conuertitur, max me si in fine cibi manducetur. Tertio. Debet comedi cum reprimentibus eius maliti.i, idest, cum aceto, pipere, zinzibere, absinthio, menta, & similibus. Quod autem diximus de cerebro, a fortiori dicimus de medulla spondilium, quæ frigidior est. Et idem fere affirmamus de medulla ossium, quæ nimis est vnctuosa, & stomachi mollificatiua.

De oculis dixit Galenus lib. de Euchimia, & cachochimia cap 4. Oculos quidem pauc comedunt, componuntur enim ex dissimilibus substantijs. Sunt enim viscosi, pingues, & ideo indigestibiles. Bene si comedantur cum aceto, sale, apio, pipere, calamento, zinzibere, & similibus, vt dixit Isaac.

Lingua vero dixit Isaac inter lacertos, & teneram carnem est mediocris, idcirco sola comesta bonum dat nutrimentum, inter durum, molle, & mediocr. Porcellinæ sũt primæ. Bouinæ secundæ Ipsis caryophola inserũtur antequam assentur, quia sic eatum humiditas contemperatur.

Nares, nasus, & aures animalium sunt partes cartilaginosæ, frigidæ, & siccæ, maxime animalis sicci; & ideo communi consensu Medicorum reiectæ, vt indigestibiles, & parum nutrientes. Stomachumque inutiliter affligentes.

Cutis dicit Rasis frigidum generat sanguinem, in quo multum est viscositatis, & oppilationem facit, lactentis non.

Cartilagines animalium iuuenum bene concoctæ, & lactentium maxime redduntur digestibiles.

Guttur est frigidum, siccum, & cartilaginosum, indigestibile, & parui nutrimẽti Omnia supradicta mul um, & multum nocẽt phlegmaticis, & melancholicis.

Cor pariter mortuum durum, & solidum efficitur, ita vt positum in igne tardius comburatur. Ideo secundum veriorem est indigestibile, & parui nutrimenti.

Pulmo dixit Galenus 3. de alimentis cap. 11. digestibilior est hepate, & splene quanto est eis rarior. Ad nutrire autem minor. Secundum se tamen est difficilis digestionis, & gignit phlegma.

Neruus, cutis, intestina, venter, matrix, & similia (dixit Isaac in particularibus, dure digerũtur, tardeque de stomacho eijciuntur, & minus ceteris sunt nutritiua, & maxime si fuerint de animalibus siccis naturaliter. Et alibi. Membra à cute, & ossibus remota sũt indigestibilia, & insipida, grosso em habentia carnem, copiam malorum chymorum generantia. Tum quia sunt vicina vijs per quas humorum feces expelluntur, tum quia longe sunt a poris cutis, per quos fiat humiditatis superfluitas nequit egredi. Et propter ossium absentiam, vnde tenera fieri, neque colludi possunt. Galenus tamen ventres auium quorundam excepit, dum 3. de alim. cap. 20. dixit. Ventres delectabiles sunt, & nutritiui, qui anserum, & impinguatarum gallinarum, hi enim tantummodo approbantur. Et Auicenna 2. Canonis 146. sic ait. Ventres anatum, & anserum, & gallinarum sunt suaues. Et cap. 237. Ventres auium quando digeruntur sunt melioris nutrimenti quam aliorum, & præcipue gallinarum, & Anserum.

Hepar esse difficilis digestiones omnes Medici vno ore concludunt, & generare sanguinem grossum. Solum laudantur hepata anserum, & Anatum pinguiũ, Gallinarum similiter saginatarum, porcorum, & omnium animalium lactentium, maxime si cum lacte ista hepata fuerint saginata, & nutritæ gallinæ diu per ficus siccas. Splen est difficilis digestionis, humoris melancholici generatiuus, nec laudatur nisi porci, vt minus malum. Testiculi sunt complexionis calidæ & humidæ vsque ad secundum, sunt difficilis digestionis, & plurimi nutrimenti, quando sunt bene digesti. Galloiũ autem optimi sunt. Vnde dixit Auerroes in 2. p. canticorum com. 91. De testiculis gallorum habetur opinio, quod ex eis tantum pondus sanguinis generetur, quantum ipsi sunt, quia alijs post positis his securissime poterimus vti, si debiles essemus.

Mamillæ animalium iuuenum, & temperatorum, præcipue lacte plenæ difficilis sunt dige-

digestionis, quod si bene digerantur, optime nutriunt. Si male, phlegma generant, ex communi placito Medicorum.

Renes difficilis sunt digestionis, mali nutrimenti, propter eam quæ est in eis vrinæ qualitatem.

Sanguis omnino relinquatur, quia affligit stomachum, parum nutrit, & male, etiam si sit porci.

Pedes sunt facilis digestionis, carentes superfluitatibus, generant humorem viscosum, non grossum, bonum tamen, & laudabilem sanguinem producunt, ex Galeno de dissolutione continua. Sunt igitur sanis & proficui omnibus, maxime cholericis, & sanguinem subtilem habentibus. Anteriores posterioribus sunt meliores; bene coquantur vsque ad dissolutionem, & præparentur cum aceto, & croco, & sic remouebitur omnis eorum nocumentum, quod possent inducere ex grossitie, & viscositate, & si in principio mensæ apponantur mirabilem appetentiam excitabunt dixit Michael Sauonarola.

Cauda est dura, & indigestibilis, tamen propter suum motum, parum generat superfluitatis, bene digesta. Generat tamē choleram rubeam, sic dixit Rasis in 3. Almansoris cap. 11. Et 4. suorum Aphorism. ait. A capitibus sibi præcauere debent homines, & à caudis. Philosophi enim dixerūt, quod carnes pilosæ venena non euadunt naturaliter, & maxime capita eorum, & caudæ.

Pinguedo, quæ communiter dicitur lardo, & adeps seu sonza quoniam sunt crassissima ideo efficiuntur pessima, & quoniam calida sunt, & humida, ideo in stomachis calidis in fumositates, & choleram conuertuntur, cum accendat ea quasi ignis oleū. Fastidium inducunt, supra alios cibos supernatant, chymum grossum, & bonæ digestioni inobedientem pariunt, & falsam saturitatem efficiunt. Appetitum prosternunt, aut debilitant, & orificia venarum corrumpunt. Eis igitur non est vtendum in via cibi, sed tantum condimenti, & parum.

DE OVIS.

Diximus supra aliqua de ouis, vnde parua hic supradictis addemus. Dicimus ergo primo, quod ouum habet albumen, & vitellum ambo humida, sed vitellus tendit ad caliditatem, & albumen ad frigiditatem ex Auicenna. Velociter, & multum nutrit, corpus confortat, coitum iuuat sperma valde augmentat, libidinem excitat, & etiam ethicis, & sanis omnibus prodest. Hoc dicimus de vitello, nam albumen est frigidum, & viscosum, & durum ad digerendum, & non generat bonum sanguinem, maxime si non sit bene concoctum, vt dixit Rasis in 3. Almansoris cap. 14. Vnde debilibus non dantur albumina, sed tantum vitella.

Secundo conditiones bonorum ouorū sunt. Prima, quod sint ex laudabilibus animalibus, perdicis s. & gallinæ, iuuenum, pinguium, masculum cocuntem habentium, ex Isaac de vniuersalibus dietis. Oua anseris sunt dura, & grauia ad digerendum. Peiora his sunt oua struthij, & pessima Pauonis. Calidissima oua passerum, & sanguinem calidissimum generantia. Post ista oua columbarum, & non sunt comedenda nisi medicinæ causa.

Secunda est, vt sint recentia dicente Galeno 3. de alimentis cap. 21. Optima quidem oua sunt, quæ recentissima, pessima vetustissima, quæ autem intermedia horum proportionantur distantia, qua distant ab extremis bonitate, & malitia.

Tertia, vt diximus supra est, quod elixentur, non vt indurentur, quia sic induunt naturam oui assi, quod est difficilis digestionis &c. sed vt tremant, vel sint sorbilia moderate cocta. Verum est tamen, quod Serapio dixit. Ouum sorbile semicoctum est magis nutritiuum, quam alio modo comestum. Et Almansor in 3. can. 14. Oua mollia, ad descendendū velocia, his à quibus sanguinis fluxit multitudo, ac vires fuerunt diminutæ conferunt. Alias conditiones supra habes.

DE LACTE.

Lac est sanguis bis decoctus, & cum sit digestum facit sanguinem abundare, sed quia concoquitur in membro sua natura frigido, vt est mamilla, ideo infrigidatur, & fit naturæ frigidæ, & humidæ. Corpus humectat, & impinguat, ethicis insuper, & ptisicis, nec non siccæ tussi, ac ardori vrinæ confert. Inter phlegma, & sanguinem est in sua caliditate, sed magis

appropinquat sanguini, quam phlegmæ.

Secundo. Dicimus mirabiles esse laudes lactis apud naturales in corpore mundo. Nam quia magnopere conforme est humido radicali, multum humectat, ita vt etiam Ethicis, ac ptisicis detur. Quod ergo deperditum est de humido restaurat, bonum chymum, & nutrimentum generat, ventrem mollit, stomacho confert, laudabilem sanguinem facit, carnem augmentat, totum corpus laudabiliter humectat, chymos æquat, exteriora tenerat, & pulchra facit, corpus confortat, & abluit. Vnde Auicenna in 2. canonis cap. 449. sic de eo dicit. Lac est boni chymi, & facit exuberare sanguinem, augmentum faciens in cerebro. Et in areola decorationis sic ait. Et quando lac bibitur cum Zuccato, colorem efficit valde bonum, & proprie mulierum, & impinguat, & proprie habentes complexiones calidas, & siccas, cum soluuntur potu eius propter suam causam, & nō impinguat eos nisi propterea quod humectat, & extrahit humorem malum, quare rectificat nutrimentum. Et Galenus 5. de regimine sanitatis ait. Boni lactis hęc sunt, moderata subductio ventris, & euchymia, & nutrimentum non paruum.

Tertio dico, quod conditiones boni lactis. s. eius qui est generatus ex bono sanguine sunt istæ.

Prima, per Isaac 17. cap. dietarum vniuersalium debet habere quatuor qualitates. s. colorem albissimum, clarum, & liberum à citrinitate, rubore, & liuiditate. Item odorem odoriferum, ab horrore, & grauitate alienum. Item liquorem inter subtilem, & grossum medium, vt si gutta supra vnguem, aut aliud corpus solidum proijciatur, non fluat, sed remaneat continua, inferius lata, superius acuta. Et insuper saporem acceptabilem, remotum ab amaritudine, salsitate, & acetositate.

Secunda est, vt sit ex animali iuuine, carnoso, sano, & bono pastu nutrito, & à non multo tempore mulsum, ne fiat acre.

Tertia est ex parte temporum quoniam sic scribit Isaac. Lac in initio veris subtilius est, & aquæ assimilatur, in fine autē veris, & initio æstatis, temperatius, & laudabilius erit, in fine autem æstatis, & principio Autumni glossius, & minus aquosum sit. Et infra. Lac veris quia aquosum, est nociuum stomacho, fastidium mouens, & vomitum stomachi, emolliens asperitatem, & lubricans. Et debet esse lac animalis sani &c. quod à 4. saltem diebus peperit, quia ante trahit secum multas superfluitates. In fine ergo tantum veris, & principio æstatis lac multū laudatur. Autumnale enim stomachum grauat, grossam ventositatem, & inflationem generat, & putredini apparatur. Hyemale est pessimum, & grossissimum, & qualitate siccissimum.

Fugiendum est ergo malū lac, quia tale spissum facit lapidem in vesica, si calidissimū, excitat choleram rubeam. Et in summa malum lac, est. Lac liquidum, liuidum, amarum, salsum, non odoriferum, non habens multum serum, genitum ex animali pregnante vltra nouem menses, propinquum partui, vernale, autumnale, & hyemale. Animalis macri, veteris pasti ex malis herbis, Acetosum, à quo extractum est butyrum, quia tale fit nimis frigidum.

In speciebus vero boni lactis muliebre primatum tenet omnium Medicorum consensu. Secundum Asininum, quia tale subtile est, & aquosum, & non caseatur in stomacho. Tertium tenet caprinum. Quartum pecorinum. Quintum vacinum, & vltimum porcinum. At lac muliebre optimum est, quando est mulieris iuuenis, sanæ, pulchræ, & bono cibo cibatæ.

Pueri autem solo lacte cibantur, quousque anteriores dentes faciant, ex Galeno 1. de regimine sanitatis.

Quarta conditio est, quod ille qui cibatur lacte, non habeat stomachum frigidum, nec phlegmis plenum, vnde phlegmaticis, & frigidis multum nocet, calidis autem, & siccis multum prodest, & potius senibus conuenit, quam iuuenibus dicente Auicenna in 2. canonis. cap. 444 Lac nocet phlegmaticis, quoniam caliditas ipsorum, non conuertit ipsum ad sanguinem sicut oportet. Et corpus vtitur ipso ante conuersionem eius, propterea, quod est ei pro portionatum, & propter hoc confert habentibus complexionem calidam, & siccam, cum in ipsorum stomachis non est cholera. Et infra. Lac est magis conueniens consistentibus, quam adolescentibus, calidam habentibus complexionem, nam conuertitur in ipsis ad choleram, & confert senibus etiam propterea, quod humectat,

mectat, & remouet pruritum qui eis est proprius.

Quinta conditio est, vt cum eo misceatur parum salis, & parum mellis, quia sic in stomacho non coagulatur, & cito transit, ex communi Medicorum placito.

Sexta est. Vt stomacho ieiuno bibatur, & nihil aliud post ipsum comedatur quousque digeratur. Et subdit Isaac cap. 17. dietarum vniuersalium. Digesto primo, secundo accipiant, & tertio itidem faciant. Sic enim faciendo solutionem praestat ventris cum aquositate sua, & corpus est nutriens, augens quoque carnem, & sanguinem naturae amicissimum generat. Et non est comedendum cum acetosis, neque cum piscibus, quoniam inde perueniuntur ad aegritudines permanentes, sicut est lepra, & huiusmodi.

Septima est, quod post eius bibitionem quiescendum est, vel leniter ambulãdum, quousque sentiatur descendisse ad fundũ stomachi. Neque post ipsum accipiendus est alius cibus, vsque ad eius penetrationem, & tanto magis vinum, quia ipsum multũ alterat. Sunt tamẽ vino gingiuae post eius bibitionem abluendae, vel cum melle, vel oximelle, quia lac multum gingiuas laedit, & dentes offendit. Nocet etiam intestinis ea humefaciendo nimis, & lubricando. Ita habentibus venas strictas, & patientibus oppilationes, comedẽtibus grossos cibos, & si cum millio, panico, & risis multum nutriat, non male affectos. Offendet habentes infirmitates frigidas neruorum, & phlegmaticos.

Octaua conditio fit, quod non regulariter sumatur, sed potius raro, & in debita, & non excedente quantitate.

Quando Ethicis, & ptisicis datur lac asininũ, vel hydropicis camelinum. Primo datur ad quatuor oncias, deinde ad quinque vsque ad libram successiue, dum modo bene prius fuerit anterioribus diebus digestum. Sed supradictis negatur, si adsit fluxus ventris. Si ventriculus sua natura sit multum biliosus. Si periculum est ne in eo congeletur. Si adsit magnus ardor febris. Si ptisi coiungitur febris putrida. Si in partibus inferioribus sint multae obstructiones. Si ventriculus sit fecibus plenus. Vide Cardanum lib. 2. contradicentium.

Vltima conditio fit, ne detur vllo modo putrida febre correptus, nec capite dolentibus. Nec sitibondis, & non nullis alijs de quibus apud Hippoc. lib. 5. Aphoris. 64.

De Lacticinijs capitis lactis, butyri, casei, & similium.

Generaliter primo habendum est, quod omne lac coagulatum, praecipue si in initio mensae sumatur malum est, & malos producit effectus. Vnde dicit Isaac cap. 17. dietarum vniuersalium. Lac coagulatum grauitatẽ generat in stomacho, fumositatem mittit capiti, vnde suffocatio, & angustia saepe generatur, grossos humores generat, & cito fastidium facit, & causa fit lienteriae. Post cibum putrescit, vel incoctum cibum ad ima trahit.

Capita lactis (sic cõiter appellata) cum sint partes vnctuosiores, & calidiores lactis, calidae, & humidae, & ex parte caseata nutribiliores, dicit Isaac de ipsis in 5. doctr. Quod tale lac est mollificatiuum villorũ stomachi, & quia est aereum natat supra cibum, vt oleum super aquam, quare cibis grossitudinem tribuit, & viscositatem, vnde indigesti manent. Cibos etiam digeri incipientes lubricat, & à stomacho deponit priusquam decoctionis tempus compleatur. Mutatur in fumositatem, & in calido, & in frigido est suspectum.

Recocta (dixit Auicenna in 2. Canonis cap. 128. minus est nociua stomacho, quam caseus nouus. Et secundum Heliabum in 5. Theoricae cap. 26. Corpus opportuno pascit cibo, calidisque stomachis vtilis est, & cholericum habentibus fluxum. Magis autem si ex vaccarum lacte fuerit. Sed stomachus frigidus illam non digerit, & nocet frigidis aegritudinibus, & neruis.

Caseus res notissima, & familiaris est apud omnes gentes, & quidam comeditur recens sine sale, & quidam cum modico sale, & quidam bene salitus, & quidam vetus, quae omnia breuiter sunt videnda.

Caseus recens, idest, eo die factus, & nõdum salitus, frigidis stomachis multum nocet, omnium placito Medicorum, quoniam frigidus est, & humidus. Habentibus vero bonum calorem stomachi laudatur, & dicitur nutribilior salito, humectãs corpus, carnis augmentatiuus, innociuus stomacho, cum non sit cachochymus, idest malos chymos generans, reprimit adustionẽ stomachi. Sed debet comedi eo die quo est

factus

factus ne aceseat.

Caseus vero parum salitus, non vetus laudabilis est, cum non tantum frigiditatis, & humiditatis habeat, vt recens, sine sale, nec tantum caliditatis, & siccitatis quantum salitus, vnde fit mediocris in temperatura, & nutrimento, & vt dicit Isaac in vniuersalibus dietis, cap. 58. Non generat humores malos, est ad digerendum facilior, & ad nutriendum laudabilior.

Caseus autem multum salitus (dicit Isaac in 5. doct. cap. 58.) fit siccus, mordens stomachum, incendens sanguinem, generans melancholiam.

Caseus vetus salitus bene, est acutus, & siccissimus (licet Isaac, vt supra) vnde ad nutriendum est grossus, & corruptibilis, ad exeundum de stomacho difficilis, Cephalicam mouet, oppilationem in hepate facit, & in renibus calculos. Neque nutrit, neque digeritur, neque bonum sanguinem generat, neque ventrem humectat, humiditatem desiccat, vrinam stringit, in fumositates, & cholericos humores conuertitur. Et si cum alijs rebus substantiatiuam, & aperitiuam virtutem habentibus sumatur, lapidem in renibus generat, quia causa generandi lapides in renibus non est nisi acumen grossiorum humorum, cum calore, quod semper in caseo est. Generat etiam sitim, vt dicit Galenus 3. alimen. cap. 16. his verbis: Caseus diu seruatus est sitis factiuus, & prius digestibilis, & peioris chymi quam alius, propter hoc ad eam, quam in renibus lapidum generationem, est nociuus talis chymus. Et scias caseum quanto vetustior est peior redditur, vnde si transit annum excedit mensuram sanitatis. Et ille qui cū odoriferis herbis calidis, vel speciebus cōficitur, corpus exurit.

Sed quoniam multus est vsus casei, ideo scito ipsum non semper nocere, immo iuuare si habeat has conditiones.

Prima, quod sit medius inter recentem, & veterem, quia vt dixit Isaac 5. doct. c. 88. Caseus inter nouum, & veterem medius, multum, & fortiter est nutritiuus.

Secunda est, vt factus sit ex lacte, quod iam non aceserit multum, sed parum, quia lac acetosum, est in via ad corruptionem. Si tamen caseus parum aceseat, dicit Rasis lib. 21. continentis cap. 203. eius acetositas confortat stomachum, & facile digeritur, tollit nauseam ex alijs cibis ortam dulcibus, & pinguibus.

Tertia est, vt sit mollis, quia mollis est melior duro, & spongiosus solido.

Quarta est, vt non detur stomacho frigidis, capitis dolorem patientibus, ab ægritudine surgentibus, frigidos humores patientibus, phlegmaticis, & similibus.

Quarta, quod sumatur in parua quantitate, quia ille caseus est sanus, quem dedit tibi auara manus. Et Rasis in 3. Almansoris sic dicit Caseus post cibum sumptus, in parua quantitate, os stomachi sigillat, & fastidium pinguium eduliorum tollit, & coctione capiti prodesse aiunt.

Quinta. Quod non sumatur cum subtiliantibus, & penetrare facientibus, quia sic oppilationes facit, & lapidem in renibus generat. Vnde non est sumendus cum seminibus penetrare facientibus, vt sunt feniculum, Appium, Petroselinum, piper, & huiusmodi. Quare sibi caueant qui raffiolos ex radice Petroselini, ouis, caseo, & pastillibus confectos comedunt, admiscentes eis passulas, & species odoriferas, penetrare facientes omnia illa viscosa.

Butirum (dicit Rasis in 3. Almansoris cap. 15.) etiam coctum stomachum debilitat, ac eū mollificat. Qui eo vsus fuerit in comestione, phlegmaticas patietur ægritudines, vnde non in cibum, sed tantum in condimentum sumendum est. Habet autem propria.

Primo, quod lenit, cum sit temperate calidum, & pingue, oleosumque. Bubonas igitur, & parotidas iuuat, gingiuas extenuat, & præsertim in infantibus dentes facientibus, & concoquit humores in pectore, ac pulmone fixos.

Secundo humectat, quoniam proprium est lactis humectare, butirum autem est melius lactis.

Tertio, impinguat, quoniam pingue est.

Quarto: Soluit, quoniam humectat, & lubricat.

Non est primō sumendum post alios cibos, quia cum sit vnctuosum alios cibos non penetrat, vnde in stomacho super eos natat, & eos corrumpit. Ante alios vero cibos sic, quia sic alijs cibis sua leuitate viā parat. Secundo non est sumendum in multa quātitate, nec regulariter, quia pinguia de facili in ventriculo accenduntur, & sic in flauam bilem resoluuntur, vnde butyrum febricitantibus, & calidioribus naturis

ris

ris denegatur, in melancholiam enim adustam transfret, ex qua deinceps lepra generatur, & vt dicit Michael Sauonarola, & ex hoc in Germania sunt plures leprosi.

Dicit tamen Auenzoar, quod linitum extra, & per os assumptum efficax est, remediũ contra venena, & quod in pestilenti aeris constitutione quotidie cum pani, panis tribus, aut quatuor bolis mane à ieiunis sumptum, mirifice contra aeris pestilentiam valet.

Ex lacte serum relinquitur, quod mirabiliter commendatur a Mesue lib. 2. dist. 1. cap 9. de Med. Simpl. purg. Dicit enim. Escal facit, & siccat ordine primo completo, & vsque ad secũdum. Attenuat, abluit, abstergit, & nitrosa qua refertum est virtute, aluum absque aliqua mordacitate leniter subducit. Bilem tum flauam, tum atram ab exustis humoribus genitam deijcit, quo fit, vt mirifice conferat maniacis, & melancholicis. Præstat ad viscerum infractus, nimirum aqua inter cute laborantibus, felle suff sis, & lienosis. Datur vtiliter, febricitantibus ex bile, & viscerum, ac valorum obstructionibus. Competit etiam vitijs in cute à bile, & petulis humoribus emergentibus. Quare lichenibus, vitiglinibus, alphis, psoris, leprisque admodum conuenit. Comitialibus quoque, & male se habentibus ob potentis vini largiorem potum auxilium præstat. Vide Dioscoridem lib. 2. cap. 64. Auicennam 2. Cano. cap. 444.

DE PISCIBVS.

Piscium natura frigida est, & humida, & humoris phlegmatici generatiua, communi animi conceptione dicitur, cum pisces sanguine careant, vel parum de sanguine habeant. Infrigidant ergo, & humectãt, sunt duri ad digestionem bonam, & in stomacho longam moram trahunt, sitim creant, & malas superfluitates in corpore adunant. Parum nutriunt. Sed calidis complexionibus, & à cholera rubea dominatis coitum confortant, & sperma augent, neque multum nocent. Frigidis autem naturis dixit Rasi in 22. Continentis cap. 423. non sunt proficui, quia phlegma in eis generant, & hi quibus in neruis est lassitudo euitare illos debent, & propriè in hyeme, & in ciuitatibus frigidis, quia ex proprietatibus suis infrigidant stomachum, & his mali existunt. Ad choleræ tamen rubeæ extinctionem sumpti cum alijs cibis faciunt. Sanguinem cito corruptibilem generant. Omnes autem pisces fætidi, & mortui à quodam tempore reprobantur.

In particulari vero primo dicimus de piscibus maris, quod laudantur ab omnibus, & Isaac in prima doct sic dicit. Marini pisces duplices sunt. Quidam enim nascuntur in pelago, & in altis locis. Quidam vero alij sũt in ripa, planisq; aquis nati. Qui creati sunt in pelago, aut in petrosis, & arenosis habitant, sunt subtiliores, & laudabiliores omnibus piscibus marinis, & ad digerendum faciliores, & ad sanguinem generandum laudabiliores, & nõ ita de stomacho, & intestinis exeunt, propter suæ viscositatis paruitatem. Post hos quidem aliquid bonitatis habent, qui lutosa, & mollia loca maris sunt habitantes, dulcibus aquis vacinantes, non adeo puri, sicut qui in arenosis, & petrosis locis pelagi morantur, propter putredinem, & sorditatem terræ.

Secundo. Dico, quod & si pisces fluuiales non tantum laudentur quantum Marini, quoniam aqua fluminum frigidior est, & humidior aqua maris, & consequenter pisces fluuiales sunt crassiores, & viscosiores marinis, sunt tamen eis nutribiliores, & si ad digerendum duriores, secundum Isaac doct. 5. cap. 49. Inter fluuiales vero illi magis commendantur, qui nascuntur in fluuijs magnis, & currentibus, quia claritas aquæ ab eis deducit malum odorem, & forti motu fluuij eorum carnes tenerantur, & grossities aufertur, & maxime si flumen super petrosa currat. Item si fundus eorum sit petrosus, & lapideus, ne à limo fedentur, & à ciuitatibus longe sint, ne à sordidis in aqua proiectis contaminentur. Et si altitudo aquæ nõ fuerit multa, quia quanto pauciores aquas habuerint, tanto magis à terra percutientur, & aquæ claritate omni horribilitate carebunt, & ideo erunt quasi pisces petrosa pelagi inhabitantes. Item si sint in loco perflato à ventis Septentrionalibus, dicente Isaac. Pisces qui habitant vbi venti semper flant, meliores sunt nutrimenti, & melioris carnis, quam si nullus ventus flauerit, & maxime si Septentrionalia loca sint

eis

eis exposita, sicut pisces vbi venti australes flant, illaudabiles fiunt, cum auster naturaliter humidus sit. Econtrario dic malos esse pisces, qui in locis supradictis oppositis viuunt, vt in aquis immotis, limosis, sordidis &c. Sunt enim mali odoris, saporis, digestionis, & humoris.

Pisces vero habentes bonas conditiones superius positas sunt sani, temperati, cito digestibiles, stomachum non multum grauantes, bonum sanguinem generantes.

Tertio ergo loco ponendæ sunt conditiones bonorum piscium.

Prima ergo sit, quod sint ex mari, vel ex fluminibus claris, currentibus, & petrosis, vt supra, quia pisces lacuum, (in quibus tamen flumina non intrant, & exeunt) paludum, & aquarum immotarũ, dixit Isaac in particularibus dietis, ceteris sunt peiores, grauioris enim sunt odoris, & digestionis, cito in putredinem conuertuntur, malam habent carnem, & peiorem digestionem.

Secunda est, vt sint bene nutriti, quia olera pascentes, aut radices, vel grana, vel herbas bonas, vel radices arborũ laudabiliores sunt illis, qui nutriuntur sordibus ex ciuitatibus proiectis, luto, & similibus malis nutrientibus, quia secundum substantiam cibi, fit substantia depasti.

Tertia est, quod habeant carnem duram, sed frangibilem, & in partes de facili diuisibilem, quasi siccam, & non viscosam. Hinc dixit Rasis 22. continentis 423. Pisces modicæ humiditatis, quorum caro frangitur ex priuatione pinguedinis, & humiditatis, abundantis sunt nutrimenti, quia caro ipsorum solida. Inter hos possumus decem genera piscium respectiue connumerare.

Primus piscis sit Lucius, qui est venator aliorum piscium, & omnium medicorum consensu optimi succi.

Secundus est Perca sic dictus, quia iratus nulli piscium parcit, quin spinis suis eos pungat. Alimentum illius coctu est facile, & gustui gratum, & hominum corporibus saluberrimum, vt quod sanguinem media consistentia generet. Vnde Ausonius in Mosella sic de eo canit.) Non te delicias mensarum Perca Silebo) Amnigenos inter pisces dignandæ marinis.

Tertius est saxatilis. Venetijs dicitur Sfoglia, & ab alijs Solea, & est præstantissimus inter marinos, ita vt à quibusdam vocetur Capo maris, boni est alimenti, & delicati.

Quartus dicitur Albica, quia albas habet carnes, est marinus, sale conditur, & in fumo exsiccatur, est mollis, & humidæ carnis, non spernendæ.

Quintus est Tincha, vel tencha, qui piscis nõ est multum laudandus, quia excremẽtius, & luctuosus est, & secundum Ausonium cibus pauperum. Vnde nec Tincha, nec Regina, nec Anguillæ comparandæ sunt Lucijs, Carpionibus, & similibus, quia sũt pisces vnctuosi, & primi salidi. Alij pisces ponuntur à schola Salernitana sub his versibus.

Lucius & Perca, & Saxatilis, Albica, Tencha.
Gornus, Plagitia, & cum Carpa, Galbio, Truta.

Plagitia enim (Venetijs Passera) satis bona est, & melior si cum Carpa (Carpione Venetijs) in vino albo coquatur, quia sic multum deponit de excrementitia, & mucosa carne. Galbio vero (Venetijs Raia) est duræ carnis, concoctu difficilis, sed alimenti firmi, & sani. Truta vero nobilissimus est cibus, & boni alimenti, vt eius caro rubea, friabilis, & delicata testatur.

Anguillæ vero damnantur, vt pituosæ, limosæ, crassi, & lenti succi, obstructiones facientes, non sine suspicione veneni existẽtes stomacho, & renibus nocentes, colligentes arenulas eorum in calculos, podagram nutrientes, & fugiendæ præcipue circa solstitia. Idem dicimus de Lampretis, & si paruulæ nõ sint tam malæ. Si quis autem anguillas comedere voluerit, necet eas in optimo vino, & cũ iusculo optimarum specierum præparentur, & bis in aquã, & vino præbulliant, & his reiectis ad perfectionem coquantur. Vel gelu inde in patina fiat, vel pastilatura, vel assatura cũ salsamento competenti, in hyeme cum viridi, fortibus speciebus, & vino, in æstate cum debilibus speciebus, omphacio, & aceto. Post ipsas non comedatur caseus, sed bibatur vinum validum, & generosum, non ita penetratiuum. Et ita faciendum est in comestione omnium piscium, scilicet bibendum bonum vinũ, paucum, sed frequenter.

Quarta conditio est, quod pisces sint medij inter magnos, & paruos, quia parui sunt quidem

quidem melioris carnis, & facilioris digestionis, sed velocioris corruptionis. Et magni carne sunt grossiores, ad digerendum difficiliores, & stomacho nocentes; sed non cito corruptibiles. Medij vero, quod in eis laudabile est, participant, & quod vituperabile in minori virtute recipiunt. Ita debent esse medij inter maciẽ, & pinguedinem, quoniã crassi sunt phlegmatici, ad digerendum duri, stomachum emollientes. Sic dicit Isaac, & subdit, quod cum pisces oua facere incipiunt, si incrassantur, sunt illaudabiles propter multitudinem suæ pinguedinis, ita & si macri fiant, vnde medij eligantur.

Quinta conditio est, quod eligantur pisces squamosi, & spinosi, asperam cutem habentes, non mucilaginosi, & naturaliter albi ad modum argenti, nam squamæ significant humorum paruitatem, & expulsionem malorum humorum ad exteriora, vnde pisces spinosi, & squamosi, semper præferantur non habentibus squamas.

Sexta est, vt potius comedantur elixi, ita vt calidis natura sint dandi elixi, (vt dicit Isaac cap. 41. d. 5.) cum iusculis frigidissimis. Frigidis vero cum forti vino, Sinapi, Zinzibere, pipere, & calamento. Elixentur ergo in sola aqua hoc modo, quod dum feruet, & non antea, in ea proijciantur, & quando cum iusculis coquũtur iusculum suum cum aromatibus sit prius excoctũ, & deinde ipso ebulliente, in eo proijciantur. Sic enim fiunt saporosiores, & sanguinem laudabiliorem generantes. Præparati etiam in aceto dum elixantur, viscositas eorum remouetur. Et si manducentur cum sale, menta, Apio, Carui, pipere, Zinzibere, & similibus.

Post elixationem melior modus est assatio, & maxime humidis natura, cõdiendo eos aceto, Sinapi, vino forti, origano, & similibus. Posterior modus, & minus bonus est frixionam non commendatur.

Septima est, vt non frequenter assumantur, sed solum postulante necessitate præcepti Ecclesiæ de Quadragesima, & alijs ieiunijs seruãdis, quod fiendum est alacriter, quia dominus dat vitam bonam omnibus diligentibus eum.

Octaua est, vt ab omni lacte piscium, etiam laudabilium sit abstinendum, cum de facili putrescat in ventriculo, & alios etiam cibos putrefaciat. Et diligentius est animaduertendum, ne pisces comedantur cũ lacte quocunque, quoniam vt dicit Auicenna disponerẽt ad infirmitates permanentes, vt ad lepram, & similes. Et magis curandum est non comedere barbulos cũ ouis, præcipue in mense Maio, quonia in maximas passiones post aliquod tempus mouent, cum magno periculo vitæ, si in quantitate sumantur.

Nona est, quod numquam comedantur pisces assati, iam infrigidati, & præcipue si fuerint in loco humoroso. De his enim dixit Rasi in 8. Almansoris cap. 27. sic. Cum pisces assantur, & infrigidati steterunt in loco humoroso, & sequenti die fuerint comesti, sæua accidentia, quæ ex fungorum comestione solent euenire accidunt, quæ sunt squamantia, colica passio, angustia anhelitus, sincopis, sudor frigidus, & quandoque subito interficiunt. Et ideo pisces sunt semper calidi comedendi, & non frigidi. Hinc sequitur aliud memoriale Almansoris vbi supra dictis. Si quid assatur, (vt caro, vel piscis) & mox cum remouetur ab igne suffocatur, & multis obuolutionibus antequam per horam expiret vaporem eius exire prohibentibus obuoluatur, & comestum fuerit, prouenient ex ipsius comestione fluxus vẽtris, ac vomitus, nec non accidentia cholericæ passionis, & nausea consequenter. Et fortassis plerũque interficit, intellectus quoque per vnum, & quandoque per duos dies inde deficit.

Decima est Auicennæ in 3. 1. doct. 2. cap. 7. dicentis. Pisces, & quæ eis assimilantur post laboriosum exercitium non sunt comedendi, quoniam corrumpuntur, & corrumpunt humores. Hæc de piscibus proprie non salitis.

Pisces autem saliti secundũ Halibiatem sunt calidi, & sicci, sitim excitant, phlegmaticis in modica quãtitate sumptis prosunt, sed melancholicis nocent. Phlegma enim incidunt. Inter hos pisces saliendos solum laudabiles eligantur, & hi de quibus dixit Galenus 3. de alim. cap. 30. cum ait Pretiosissima enim est vtique Sarda salitura verisimiliter delectationis gratia, & molliciei carnis. Post sardas autem, & palamides, & post ipsos coracini &c. Sunt tamen omnes pisces saliti mali nutrimenti, vnde potius in ratione medicinæ sumantur.

De Cancris autem dicunt Medici, eos esse difficilis digestionis,& plurimi nutrimenti. Caro ipsorum, & eorum iura iuuant Ptysicos,& augent actum venereum. Generat humorem grossum, & phlegmaticum, quia sunt frigidæ, & humidæ complexionis, sed marini sunt calidiores.

De ostreis autem,cocleis, & spondilibus, & similibus dixit Galenus lib.de Euchymia. Sufficiẽter autẽ cachochimia sunt ostrea, cocleæ, & spondium, & omnia similiter talia,vocata ab Arist.ostracodemia. Ventrem soluunt,sperma augent,phlegma,& malum humorem.

DE OLERIBVS.

SAnctissima Lex nostra, quæ ieiunia indicit,vt consulat animæ,affligendo corpus ei rebelle,Sacra Quadragesimæ, ac aliorũ temporum ieiunia præcepit, & sic vitia comprimit,mentem eleuat, virtutem largitur, & præmia, vnde & si omnia olera in ordine ad corpus damnentur,quoniam phlegma generant,humores crudos nutriãt, magis humectant, quam opus sit, paucissimum sanguinem formãt, & hunc aquositate plenum, & peius syluestria, quam domestica, in respectu tamen ad animam multũ extolluntur,dicente Esdra. Ieiunauimus,& propter hoc euenit nobis prospere. Et Iudith dixit populo suo,dura Holophernis obsidione angustiato,Scitote, quia Deus exaudiet præces vestras, si permanentes permanseritis in ieiunijs,& orationibus. Et Thobias.Bona est oratio cum ieiunio. Ideo consideranda erunt olera pro tempore ieiuniorum, quo ad effectum præcipuum,scilicet quo ad salutem animæ,quam adiuuant, & non pro quanto animale corpus mancipium carnis, & sanguinis affligunt. Vltra hoc,quod moderate sumpta nõ tãtum lædunt sobrios, quantum optimę carnes gulosos,& luxuriosos, in epulis semper viuentes.

Dicendum ergo primo venit, quod qualitas olerum ex duobus præcipue cognoscitur. Primo,ex odore. Secundo, ex sapore.

Ex odore ergo eorum natura penetratur, nam olera, quæ habent bonum odorem, & acutum, sunt calida, excipiendo tantum cum Auicenna in canticis 3.commen.122. mirtum, salicem, nenufarem, rosas, violas, saudalos,& camphorã,quæ sunt olera odorifera, & tamen frigida. Omnia vero alia sunt calida, quia vt dicit Aristot. 12. probl.prob.3. odor caliditas quædam est, & bene odorabilia sunt calida, & calida leuia.

Secundo. Hoc deprehenditur ex sapore, vt dixit Galenus 4.de simplici medicina d.a. cap. 3. Nam quæ sunt insipida, vt aqua, aquea sunt,humida,& frigida. Quæ dulcia,calida,& humida temperate. Quæ amara,calida,& sicca in tertio gradu. Quæ salsa,calida,& sicca in secundo.Quæ acuti saporis. Calida, & sicca in quarto. Sic acetosa sunt frigida, & sicca in secundo. Pontica, & stiptica in tertio sunt frigida, & sicca.

Secundo. Dicimus, quod adhuc ad cognoscendas qualitates herbarum, & aliorum alimentorum plurimum facit adnotare alterationem, quam faciunt in corpore nostro. Nam quæ comeduntur,& ipsum nõ alterant,dicenda sunt ei temperata. Quæ ipsum aliquo modo alterant, *sed non notabiliter*,sunt ei dicenda contraria *in primo* gradu. Quæ notabiliter,in secundo. Quæ vsque ad ægritudinem,in tertio. Et quæ vsque ad mortem, vel eius periculũ, in quarto.Ex quibus possumus deducere, quæ alterant complexionem alicuius calefaciendo,infrigidando, exsiccando, humectando, esse vitanda. De oleribus autem agendo ordine Alphabetico procedimus,ponendo quæ faciunt ad sanitatem tuendam.

Acetosa. Acetosa frigida est in primo gradu,& sicca in secundo. Ventrem stringit,stomachum exasperat, choleram rubeam, & sitim extinguit. Valet ad dissenteriam, & fluxum ventris chronicum, & excitat appetitum.

Apium. Apium calidum est in principio tertij gradus, & siccum in medio eiusdem gradus. Resoluit per modum medicinæ inflammationes, & eius succus cum decocto Tamarisci splenis, & iecoris obstructiones tollit, vel maxime *splenis* duritiem. Dolores sedat, vrinam prouocat,& sudorem. In cibum non multum commendatur. Est enim difficilis digestionis, ad stomachum trahit humiditates malas acutas, nauseam facit, vapores,& humores ad vuluam,vel viríle membrum,caput, & stomachum trahit, Luxuriam commouet. Epilepsiam

causat.

causat. Ideo cauendum est ab his qui illam timent. Et à prægnantibus ne in fœtu illam traducant. Et à nutricibus, ne in lactentem eã deferant, & lac subtrahat, quia coitum cijt, & lac minuit, ex communi placito medicorum. Solum fœtorem flatus tollit.

Basilicon. Basilicon habet duas species. Primum habet lata folia. Secundum habet ea minuta, & dicitur gariofilatum. Primum ventositatem mouet, lac prouocat, visum obscurat. Est superfluæ humiditatis, ideo stomacho nocet, generat malos humores, & est difficilis digestionis. Et cum duplicatur eius assumptio generat velociter putrefactionem, desiccat pectus, & pulmonem, laxat ventrem, inducit inflationem, prouocat vrinam, multiplicat lac, vt dixit filius Messue. Vlterius generat melancholiam.

Gariofilatum vero est calidum, & siccum in secundo gradu. Oppilationem cerebri aperit, in saltu cordis accidenti ex phlegmate, & cholera nigra confert, choleram auget, ad hemoroidas valet. Dolorem capitis causat, visum turbat, lac, & spherma desiccat. Stomacho tamen cõfert, ipsum enim corroborat, cordi auxiliatur, contra Cardiacam humidam, & contra melancholiam, & cõtra hemoroidas valet, tristitiam aufert, & sollicitudinem, & eructationes reddit odoriferas.

Bleta. Bleta, Blitis, seu Sicla, vt dicitur duas habet species. Prima declinat ad nigredinem. Secunda ad albedinem. Nigra ventrem constipat, & alba laxat. Nocent stomacho præsertim debili, & delicato, & quoniam de salsedine retinẽt, ideo humor generatus ex eis nõ est laudabilis. Humores enim generãt grossos, viscosos, & phlegmaticos, & parũ nutriunt, vnde Galenus 2. Alim. dicit c. 12. quod magis dicenda est medicina, quam cibus.

Borago. Borago calida est, & humida in primo gradu. Confert melancholicis, & cardineis comesta. Valet contra ictericiam cocta cum carnibus. Antiquitus vocabatur Corago, quia cor consolatur. Bonos humores generat, posita etiam in vino cordis lætitiam facit, & tussi confert. Ideo in insalatutijs cum lactuca, & alijs vti possumus.

Buglossa. Idem dicimus de Buglossa, & sufficiat adducere Auicennam in 1.3.cap.4. sic de ea dicentem. Super Buglossam vero sis audax, & non timeas maliciam eius, & vtere ea cum omni, quod in potu tribuis, & in cibum das, &c.

Caules. Caules habent duas species. Prima est similis bliti, & est æstiualis. Altera est hyemalis rotunda, habens albiora, & strictiora folia, & dicitur Caputium. (Venetijs Verzoti) Caules generaliter, potius sunt frigidi, & sicci, quam calidi. Turbidum, & melancholicum sanguinẽ generãt, horribilis odoris, parum nutriunt, somnia tristia pariunt, non bene elixi ventrem laxant, grossum nutrimentum faciũt. Ebrietatem impediũt, & auferũt. Si tamen coquãtur primo in aqua, & deinde ex illa extrahãtur, quæ sit calida, & feruens, & illico in secundam proijciantur, (& melius erit, si hoc sit brodium, vel cum eo coquantur pingues carnes, suis, pecudis, vel gallinæ, & condiantur pipere, coriandro, cimino, & allio) non tantum nocebunt. Et si brodium eorũ post ipsos bibatur, non tantum stomacho nocebunt, est enim medicina contra malitiam ipsorũ.

Endiuia. Cicorea. Endiuia duplex est. Prima dicitur domestica, & ista est frigida, & humida. Secũda appellatur syluestris, seu Cicorea, & hæc est frigida, & sicca in primo gradu. Domestica est amara, pontica, & insipida, malum sanguinem generat, & peiorem lactuca, sed cocta, vel cruda pro robore stomachorũ comesta ab habentibus complexionem calidam, in æstate præcipue confortat stomachum, aperit oppilationes hepatis, & abstergit id quod in eo fuerit, aperit quoque obstructiones venarum, & viscerũ omnium, sedat nauseam, & excitationem choleræ, & syluestris melior est hortulana. Si comedatur, aut succus eius potetur, morsui Scorpionis subuenit.

Eruca. Eruca est calida in tertio, & humida in primo. Capitis dolorem generat, ventositatem, & inflationem facit, cocta spermati tribuit augmentum, propter calorem cum humiditate sua, tarde digeritur, virgam erigit, appetitum coitus excitat, vrinam prorriat, digestionem prouocat, & ventrem laxat. Conuenit frigidis, & repugnat calidis, & si

comedatur cum lactuca, endiuia, & porulaca non tantum facit.

Feniculus. Feniculus calidus est in tertio gradu, & siccus in secundo. Vrinam prouocat, lac, & menstrua auget, oculis confert. Est duræ digestionis, & pauci nutrimẽti. Et Galenus lib. de dissolutione continua sic de eo dicit. Licet eruca, ciminum, fæniculus, & huiusmodi conferát ei, qui indiget aperitione oppilationis splenis, & hepatis, & pectoris, & cerebri, & incidant substantiam, & subtilient, tamen non oportet, quod aliquis multum vtatur eis, nam sanguinem adurunt, & reddunt ipsum subtilem. Hi cibi minuunt corpus, postea ipsum debilitant, & postea calefaciunt sanguinẽ calefactione magna, & reddunt plurimum eius in choleram citrinam, & postea si continuus sit vsus eorum, ex ipsorum continua assumptione dissoluitur sanguis subtilis, & deducitur ad desiccationẽ, & grossitiem, & ex eo plurimum fit cholera nigra, & quandoque ex eis generatur lapis in renibus. Hoc autem est per accidens inquantum impellunt humores viscosos ad renes, & ipsos non eijciendo lapides fiunt.

Lactuca. Lactuca multum inter olera commendatur. Est frigida, & humida in secundo gradu. Generat multum sanguinem, & meliorem alijs oleribus, maxime si non sit abluta, & sit elixata. De facili digeritur, somnum inducit, & vigilias tollit, confert adustioni capitis, & alienationi ex Sole. Cum aceto appetitum acuit, vrinam prouocat, morsionem stomachi colera rubea exortã, extinguit, vnde tussim placans sanguinis ebullitionem refrigerat; dolorẽ capitis amputat. Sed cum induratur, & copiam lactis habet, eius humiditas minuitur. Debilitat tamen visum, infrigidat corpus, ipsum pigrum reddit, & appetitũ coitus remouet.

Maiorana. Maiorana calida est, & sicca in tertio gradu, potius sumenda est in medicinam, quam in cibum. Oppilationes cerebri aperit, hemigraneæ confert, humiditates grossas, & dolores aurium dissoluit. Valet contra difficultatem mingendi, & menstrua inuitat. Doloribus frigidis, & humidis ex phlegmate natis proficit.

Menta. Menta autem calida est, & sicca in secũdo. Vermes stomachi, & ventris necat, si cum oxicrato bibatur recentes sanguinis reiectiones reprimit, facta in decoctum, hepar frigidum, & ventriculum iuuat, stomachum corroborat, concoctionem facit; singultum sedat, & vomitum phlegmaticum. Cordis morsus quietat, appetitionem suscitat, mediocriter venerem excitat, iecinoris, & splenis obstructiones aperit. Cum sale contrita, & morsui canis rabidi imposita, fit salubre medicamentum. Cum vino pota succurrit difficultati parientium. Si folia eius lacti imponantur, non coagulabitur. Comeditur mixta cum alijs cibis. Moderate tamen vescenda est, quoniam sanguinem extenuat, & serosum facit, & ipsum in flauam bilem permutat, & tandem in melancholiam redigit. Vnde potius sumenda est, vt medicina, quam vt cibus.

Nasturgium. Nasturgium calidissimũ est, *idest in quarto* gradu, neque nisi frigidis conuenit, & pro tempore frigido. Pulmonem mundificat, asmati cõfert, stomachum, & hepar calefacit, appetitum cibi prouocat, in coitu augmentum facit. Efficit tamen capitis dolorem, & retardat digestionem, & nimis adurit.

Petroselynũ. Petroselynum calidum, & siccum est in fine tertij gradus. Tenet naturã Apij, mali est chymi, & difficilis digestionis. Tamen incidit malos humores, vrinam inuitat, inflationem dissoluit, hepar, & matricem mundificat, eorum oppilationes aperit; & apostemata ipsorum curat.

Pentaphillon pro medicina sumitur tantum, est enim fortis exsiccationis, sicca autem non nutriunt.

Portulaca. Portulaca frigida est in tertio gradu, & humida in secundo. Conuenit tantum laborantibus cum lux difficilis digestionis, vnde eam cum cepis miscent. Coitum extenuat, corpus infrigidat, visum debilitat, paucum alimentum tribuit. Tamen materias cholericas alterat, & illas refrigerat; sitim tollit, ventrem constipat, & dentium stuporem aufert. Valet ad intensionem stomachi, matricis, renum, & calorem febrium extinguit.

Rosma-

Rosmarinus. Rosmarinus calidus est, & siccus in tertio gradu, per modum medicinæ est optimus, eius conserua habet vim roborandi, dissoluendi, detergendi, emundandi, & consumendi, & sudorem prouocādi. Acuit visū, vinū cū eo decoctū facit ad frigiditatem, cerebrique imbecillitatē, si æger contecto capite fumum recipiat.

Ruta. Ruta duplex est, syluestris, & hortulana. Primam omittimus cum sit calida, & sicca in supremo gradu, hortulana vero calida est in secundo, & sicca in tertio. Visum acuit mirabiliter, confortat stomachum, & splenem, sperma exsiccat, appetitum coitus deijcit, & contra venena valet, folijs eius tritis, & ex vino sumptis. Pugnat enim sic contra Aconitum, ixiam, fungos, morsum Scorpionum, araneorum, apum, vesparum, Cantaridorum, Salamandrarum, & canis rabidi. Item hoc facit si folia eius cum ficubus aridis sumātur. Odor eius Serpentibus est infestus. Dolorem tamen infert capiti, ventrem constipat, menstrua prouocat. Corpus desiccat, extenuat, & inflammat, & plurimum sanguinis in choleram conuertit, vnde calidis complexionibus multum est nociua.

Saluia. Saluia calida est in tertio, & sicca in secundo. Ventositates sedat, oppilationes phlegmaticas aperit, stomachum confortat, humiditatem stomachi exsiccat, & intestina confortat. Paralyticis confert, putrefactionem excludit, & humidum naturale defendit, ne iusto citius consumatur. Neruos roborat, tremorem manuum tollit, & febres putridas necat. Vinum cū ea conficiunt, in principio mensæ sumendum, & valet contra renū, vesicæ, & viscerum dolores, sanguinis reiectiones. Tussim rūpit, & vulsa. Vrinam cijt, & menstrua multū, vnde grauidis non datur, ne abortiant. Cito inebriat, & cibum in stomacho exsiccat.

Sinapis. Sinapis est calida, & sicca in medio quarti gradus. Phlegma incidit, dolori iunctarum, & schiaticæ confert, humiditates quæ sunt in capite mundificat. Si bibatur cum aqua mellis austeritatem antiquam, quæ est in canna pulmonis aufert, sitim facit, splenem extenuat, & coitum prouocat. Semen eius tritum, & dillemperatum cum vino, si ieiuno stomacho sumatur, bonum stomachum facit, & coitum excitat. Lacrymas elicit, caput purgat, sternutamenta vocat. Venena tollit, Quartanam, Podagram, & pituitam eneruat, humiditates linguæ siccat. Officit vero visui, calido capiti, ac iecori.

Spinatia. Spinatiæ sunt in secundo gradu humidæ, & frigidæ. Sunt lenificatiuæ. Valent gutturi, pulmoni, & stomacho, vētrem humectant, choleram vincunt, & pectori, ac iecori calido conferunt, sunt boni nutrimenti, sed paruissicut est natura omnium olerum. Brodium suum non est stomacho gratum, & ideo ab eo extrahantur, & bene condiantur.

Sparagus. Sparagus declinat ex sua parua amaritudine ad caliditatem, tamen temperatus est, & secundum Isaac est calidus, & humidus in primo gradu. Domesticus gratior est, & melior. Mouet, & remouet oppilationes, quæ sunt in renibus. Vrinam prouocat, sperma augmentat, stomacho non iuuat, sed quandoque nauseam facit. Elixantur, cum oleo, & garro, & modicum aceti comeduntur.

DE RADICIBVS.

Radices omnes .i. quæ sub terra morantur, cum ex terra magnam humiditatem trahāt, necesse est, vt etiam secum magnam indigestionem portent. At de principalioribus in singulari dicamus Allium in primis si offert, quod

Allium. calidum est, & siccum secundum plures in fine tertij gradus, vel secūdum alios in principio quarti, & siluestre est fortius domestico. Inflammationes resoluit, decoctum vocem clarificat, tussi antiquæ confert, & doloribus pectoris ex frigore. Vermes extrahit, sperma generat, libidinem fomentat, sitim affert, vrinam auocat, ventositates sedat, humores grossos incidit. Dolorem intestinorum mitigat, si sunt sine febre. Et Sindarasis Indianus dixit Alleum valet contra ventositatem, obliuionē, asma, tussim, splenē, dolorem hypocondriorum, lumbricos, multiplicat sperma; Sed comedendum est in hyeme, & à frigidis, non à calidis, & potius per modum

dum medicinæ, quam cibi. Valet contra aquas noxias, ne sua frigiditate ventriculum offendant, si post ipsarum potum comedatur, Valet etiam contra aeris frigiditatem. Cum vino sumptum, aut in eo tritum valet contra venena. Nocet tamen valde calidis, ipsum frequentantibus, & maxime in temporibus calidis, nocumentum affert potentiæ visiuæ, auribus, capiti, pulmoni, & renibus, & si in aliquo membro est morbus, in eo mouet dolorem. Nocet etiam hemorroidibus, fluxui ventris, scruphulis, habentibus ethicam, prægnantibus, & nutrientibus. Generat ventositatem in ventre, grossiciem in pectore, & grauitatem in capite, & collo, & mouet illum morbum, quem solet ille, qui illud comedit pati.

Scalonea. Scalonea est calida, & acuta, libidinem excitat, linguam calefacit, multum nutrit, sed generat inflationem. Comedantur biscoctæ, cũ aceto, oleo, & sale.

Cepa. Cepæ sunt calidæ, & siccæ in quarto gradu. Coitum prouocant, sperma augent. Grossam substantiam generat. Si ponatur in ano aperit orificia venarum, & prouocat sanguinem hemorodialem. Incidit, subtiliat, cutem rubificat. Coctę faciunt nutrimentum grossum, & non coctæ non faciunt nutrimentum. Sitim faciunt, appetitum acuunt. Humor eius cum aceto, ruta, & melle valet contra morsum canis rabiosi. Venena frangũt. Generant tamen humores grossos, prauum dant alimentum, ac pungentem sanguinem, dolorem capiti dãt. Coctæ vrinã prouocãt, dormire faciunt, & debent comedi raro, & cum aceto, & non à calidis.

Enula. Enula est calida, & sicca in medio tertij gradus, in ea est superflua humiditas. Confert omnibus læsionibus, & doloribus frigidis, & commotionibus ventositatum, & inflationis. Cor lætificat, & confortat pectus, & pulmonem mundificat, hepatis, & splenis oppilationes aperit. Iram, & tristitiam aufert, os stomachi confortat, pectus mundificat, menstrua, & vrinam ejit. Iuuenibus tamen, & calidis est suspecta, pręcipue æstiuo tempore, & quantitas eius multa sanguinem corrumpit, sperma minuit, dolorem capitis infert, Debet bene lauari cum aqua dulci, & cum aceto comedi, tempore frigido, & radix eius melior est.

Radix pastinacæ agrestis, quæ est sicut pastinaga, sed aliquantulum ea nigrior, & magis odorifera dicit Galenus, 6. Simplicium cap. de Dauco, (sic enim etiam dicitur) Radix eius habet aliquid ventositatis, & libidinis. Vlterius accedit ad naturam pastinacæ. *Dauco.*

Napi. Napi calidi sunt, & humidi, pectori iuuãt, nutrimentum grossum dant, visum acuunt, phlegma crudum generant.

Pastinaca. Pastinacæ autem duę sunt species. Vna dicitur domestica. Alia syluestris. Ista est magis calefactiua, & subtiliatiua. Prima, & radix vtriusque coitum mouet, vrinam prouocat, digestioni non obedit, & assuefacta malum sanguinem generat. Est calida, & humida in secundo gradu. Bis est abluenda antequam comedatur, & debet elixari, & eiecta aqua tertio coquatur cum lactuca, coriandro, capa, & condiatur cum oleo onfacino, aceto, pipere, & carne dixit Rases 21. continentis cap. 185. Et Isaac particularibus dietis Mellica est calidior.

Porrũ. Porrum calidum est in tertio, & siccum in secundo, & syluestre calidius est, & siccius. Malæ est digestionis, Vrinam cir, noxium succum facit, sanguinem à naribus manantem stringit, si succus eius cum aceto, oleo rosato, & thure naribus immittatur; & in aurem instilatus, dolorem de frigiditate, & humiditate placat. Nocet stomacho faciendo inflationem, & ventositatem, & cum sui acumine neruos eius mordet, fummum nigrum ad melancholicam facit. Visum obnubilat, timorosa somnia inducit, cholericis, maniacis, & oppilationes in capite habentibus valde est contrarium. Neruos, dentes, & gingiuas sua acrimonia lædit. Temperatur tamen malitia eius si post ipsum portulaca, lactuca, endiuia, & similia sumantur. Elixetur, bis, & ter lauetur. Hepatis enim oppilationem aperit, arterias à grauis humoribus mundificat. Elixum, & conditum cum oleo sisamino, aut cum amagdalino, venerem succitat, & ventrem humectat.

Rapa. Rapa calida est in secundo gradu, & humida

mida in primo. Bene nutrit, gingiuas lædit, & dure digeritur. Ventositatem generat, in venis oppilationes facit, reddit carnem mollem, & inducit coitus appetentiam. Si quis abunde rapis vtatur coagregabit malum chymum, & crassum oppilantem hepar. Stomachum tamen rapa iuuat, sed flatus generat, [impinguat], & semen genitale procreat. Visum mirabiliter clarificat, vrinam prouocat, & fibræ eius siue caudæ aluum fortiter mouent. Semen rapæ tritum, & magna copia haustũ Venerem suscitat. Et cum Calamintha, & Lemnia terra cõmistũ sumptũq., eo die neque veneno, neque morsu venenati animalis lædetur. Debet bene coqui, bina aqua proiecta, & tunc in brodio bonæ, & pinguis carnis cocta, efficitur delectabilis, & additis aromatibus tollitur eius malitia. Sed non est bonum eam supra ignem, & cinerem coquere, quia ignis, & fumus eam penetrant, & sic inducit suffocationem, & anhelitus constrictionem, quod & faciunt castaneæ in perforato frixorio coctæ.

Raphanus est calidus in tertio gradu, & siccus in secundo. A ieiuno sumptus ante omnem cibum per aliquod tempus non lędetur à medicamentis, & est magnum adiutorium sanitatis. Non est autem in initio mensæ sumendus, quia facit supernatare alios cibos in stomacho & incitat vomitum. Post cibum autem in modica quãtitate sumptus digestionem adiuuat, ventrem lenit, & folia eius appetitum generant, phlegma incidit, vocem clarificat. Contra viperarũ ictus auxiliatur, his qui fungis strangulantur, tam cibo, quam potu salutaris est. Si quis eius succum cum aqua bibat, boletis, & venenis resistet, & eius succo manus illiniat, & confricet intrepide, & citra periculum reptilia, ac serpentes apprehendet. Interficit Scorpiones. Nonnulli quoque cum oximelite vomendi gratia sumunt eius succũ, & sic vomunt multam pituitam, & à quartana sæpe, & quotidiana liberantur. Eructationes tamen malas causat, & maxime post cibum, ex quo. Galenus 2. de alim. facult. cap. 70. miratur, quod aliqui dicant. Raphanum post cenam digestionem adiuuare, cum impediat. Vnde ante cenam cum sale, & aceto, in pauca quantitate laudat, sic etiam vrinam inuitat, alij aliud dicunt.

DE LEGVMINIBVS.

Postquam egimus de carnibus, & oleribus, modo agendum venit de Leguminibus, & dicẽdum generaliter, quod grana, & legumina bona tres præcipuas debent habere conditiones.

Prima, quod non sint recentia, ante sex menses collecta tantum, quia noua generant nutrimentum grossum, & viscosum, & ad dissoluendum sunt dura, & si digesta cum difficultate tamen, bonum dent nutrimentum. Nec debent esse inueterata .s. quando habent corruptam suã naturalem humiditatem, quod dignoscitur, quia in aqua posita non redduntur mollia, sed manent dura, & super aquam supernatant. Media igitur illa sunt, quæ laudantur in suo genere, quia facilius digeruntur, & melius nutriunt.

Secunda est, quod elixa mollificentur bene, & inflentur, vnde legumina quę manent dura sunt digestioni inapta.

Tertia est, vt nullum malum odorem, vel saporem retineant, aliter sunt abominanda, vt mala.

A cicere autem incipientes dicimus cum Medicis, quod Cicer album calidum est in primo, & humidum in medio, & nigrum melius est albo. Inflationes causant, sperma generant, vrinam, & menstrua prouocant, lapidem frangunt, bonum calorem faciunt. Melius nutrit fabis, & præcipue pulmonem, pulchram cutem reddit, quia carnem dilatat, & illustrat, & hoc præcipue si cum carnibus comedatur, & cum plurimo cinamomo. Tamen ventositates multas generant, & digestioni non obediunt, & multas in stomacho generant superfluitates. Laxant ventrem, & prouocant vrinam, & incitant ad coitum. *Cicer.*

Faba temperata est inter caliditatem, & frigiditatem, & si parum decliuet ad calorem, cum etiam virtualiter teneat multum humiditatis. Dissoluit apostemata, inflat multum maxime recens, & phlegma generat, sed bene nutrit, efficiendo tamen sanguinem grossum, & fortem, *Faba.*

fortem, & carnem mollem. Cum gallinæ ex eis nutriuntur, eorum oua scinduntur. Faciūt videre somnia, multum perturbantia, & soda efficiunt, & oppilationes accellerant, & decoctæ cum corticibus suis in aceto, prohibent vomitum, & fluxum ventris antiquum. Coctæ tamen sine corticibus, cum sale, pipere, origano, & similibus deponunt multum de sua ventositate. Qui eis sæpe vtuntur, cogitatiuam turbant, & suspiria horribilia faciunt, & phlegma abundant. Bene sunt coquendæ, aliter multum caput, stomachum, grauant, & corpus dissoluunt.

Far. Far medium inter duritiem, & raritatem magnam, pingue, recens, planum, est plus nutritiuum corporis omnibus granis, & sanguis ex eo generatus est temperatior genito ex omnibus alijs granis. Et Dioscorides dicit. Far nutrit magis amido, inflat, & impinguat, & generat chymum grossum, viscosum, & lucidum, & debet decoqui supra carbones, & condiri cum oleo onfacino, aut amigdalino dulci, & pauco salis. Debet apponi oleum in principio, vt melius misceatur, & cum est coctum cōdiatur cum melle, vel zaccaro, vt amoueatur eius viscositas, & cito descendat. Nocet grauidæ, & grauat stomachum, neque bene cum lacte miscetur.

Faseoli. Faseoli rubei sunt calidiores alijs, sunt sicci, & frigidi, vel secundum Isaac calidi in medio secūdi, & humidi in fine. Generant phlegma, faciunt videre somnia mala, inflant multum, fumumq. plurimum ad caput mittunt. Corpus impinguant, vrinam, & menstrua prouocant, ventrem soluunt, maxime rubei, si comedantur cum sale, pipere, & origano. Vel cum sale, oleo, & cimino, cortice reiecta, & super eis bibēdo vinum simplex, & solidum. Sed melius est illos rusticis relinquere, qui multū exercent corpus, & dura etiam digerunt.

Lens. Lentis secundum Galenum est æqualis in caliditate, & siccitate, & si declinet ad caliditatem. Generant sanguinem melancholicum, priuant coitum, offuscant visum, & quando pluries coquuntur in aqua stringunt ventrem. Et si quis his vtatur frequenter, & sit naturæ melancholicæ patietur elephātiam, maniam, cancrum, & similia mala. Facit videre mala somnia, inflat, sanguinem ingrossat, vrinam, & menstrua minorat, cancrum, & apostemata dura generat, neruis nocet, potentiam visiuam obnubilat. Est dura ad digerendum. Si prima eius aqua in qua coquitur, bibatur, ventrem soluit. Et melior est illa quæ est alba, lata, celerius matura, & posita in aqua non eam denigrat. Semper tamen est duræ digestionis etiam bene cocta, Hydropicis valet cocta sine cortice. Et pessima efficitur si coquatur cū carne sicca, & salita. Et solum minus nocet, si coquatur cum bona carne, & comedatur cum aceto, origano, menta, pipere, cimino, & oleo amygdalino.

Lupini. Lupini propter eorum operationes ponuntur in principio tertij gradus in cā liditate, & siccitate, & si multi aliud teneant. Est multum durus lupinus ad digestionē, & generat humores grossos. Stringit ventrem, & solum eius mala natura tēperatur, excoriatione, & mixtione cum speciebus. Occidunt tamen pediculos, & vermes, qui sunt in stomacho, & intestinis, prouocant vrinā, & aperiunt orificia hemoroidarum.

Millium. Millium frigidum est in primo, & siccum in secundo, ventrem constipat, & vt panicū est mali nutrimenti, paruū nutrit, & tamen confortat stomachum, & alia membra. Non impinguat, nec bonum sanguinem generat. Applicatum ventri ad extra, assatum, vel per modum emplastri, mirabiliter infrigidat, & exsiccat.

Panicus autem tenet consimiles proprietates, sed minus nocentes.

Ordeum. Ordeum est frigidum, & siccum in primo gradu. Ceteris granis nutribilius est per se. In æstate est stomachi refrigerium. Hepati confert, sitim extinguit si liquidum sumatur. Contusum, collatū, & eliquatum, prout sciunt Medici, sanitatem custodit, corpus humectat, confert cerebro, visui, & sanguini, & hoc calidis natura, quia frigidis non esset aptum. Ptissana ordei ab omnibus approbatur, & Galenus 2. Terrapenticæ cap. 2. de ea dicit. Optimus quidem est ptissanæ succus, diligentissime decoctę. Et lib. de Euchymia cap. 4. Inculpabilissimum omnium cibariorum ad Euchimiam,

chimiam, & sanitatis custodiam est ptisana, bene præparata. Accipiuntur autem vna vncia hordei, & decem aquæ, & ista coquuntur donec veniant ad proportionem onciarum ordei appositarum. Verbi gratia, pro decem vna, si vna vncia ordei fuit apposita, & deinde colatur, & in potum datur. Et pro frigidis poterit dari cum radicibus feniculi, apij &c.

Papauer. Papauer est frigidum, & siccum in secundo gradu, & nigrum dormire facit, & stuporem inducit, & si multum sumeretur de eo, deduceret lethargiam, & interficeret. Galenus tenet ipsum esse frigidum in quarto gradu, & ideo dicit Medicos debere cum eo miscere mitigantia suam frigiditatem, dum datur per modum Medicinæ, nam per modū cibi reijcitur.

Pisa. Pisa (seu bisi, vt nos dicimus) sunt frigida, & sicca in secundo, parum nutriunt, multum inflant, malum generant sanguinem, & neruis nocent. Cum cortice magnum ventum in ventre generant, & sine eo non tantum. In æstate, & calidis regionibus non omnino damnantur. Ius ex illis valet ad corizam, ad tussim, & ad dolorem in pectore, & modificant coleram rubeam. Coquuntur cū ordeo, & crisolacauna, aut bletis, & dantur febricitantibus ex sanguine, & cholera rubea. Et ius ipsorum potum, valet contra tussim, & dolorem in pectore, sicut ad idem facit ius fabæ. Ordinarie etiā bis debent coqui, vt in prima cocta, in secunda bulliente secundo apponantur, admiscendo ramos portulacæ, & succum malorum punicorum, aciclosorum cum oleo rosarum.

Risi. Risi secundum Isaac sunt calidi in primo gradu, & sicci in secundo. Bene nutriūt, ventrem stringūt, nisi coquuntur cum lacte, & oleo amigdalino. Sic bonum sanguinem efficiunt, & sperma augent, maxime si zuccarum addatur. Est tamē risus difficilis digestionis, & moræ longę in stomacho, & solitis cholicam pati nocet, & macilentis calidæ complexionis. Debes bene illum lauare, & relinquere in aqua, vel lacte mollificari. Habet proprietatem, quod cum ipso, vel aqua ipsius lentiginem laues, aufert ipsam, & cutem mundificat.

Mixtum.

DE FRVCTIBVS.

Fructuum natura valet quidem ad delectandum visum, & alliciendum gustum, nocet vero sanitati, & vitæ hominum. Et si verum est, quod non viuimus, vt comedamus, sed comedimus vt viuamus, fructus saltem multos noxios solum videre deberemus, & non gustare, quia non conferunt vitæ, sed eam abreuiant. Vnde dixit Galenus in 4. cap. de quæstionibus lib. 6. Epidimiæ. Breuis erit vita illius proprie, qui nutritur cum cibarijs modici nutrimenti, ad modum olerum, & fructuum.

Nocumenta ergo fructuum multa sunt.

Primum, quia vt diximus parum nutriūt, & non tantum, quantum est necessarium ad vitam tuendam, & conseruandam.

Secundum est, quod cum sanitas hominis sit posita in temperamento quatuor qualitatum, & præcipue sanguinis, fructus sanguinem aquositate replent, & quamuis pro ea hora qua sumuntur videantur proficere, tamen in cauda mordent, vt colūber, quia humor eorum in eo ebulliendo ipsum corrumpunt, & putrefaciunt, & humore crudo adimplent.

Tertium est, quod mentem multis fumositatibus perturbant, & operationes intellectus confundunt, dicente Auicenna in 23. tertij tract. 1. cap. 16. Nihil est vaporosius fructibus.

Quartum, quod multas pariunt ægritudines in Autumno, vt de seipso testatus est Galenus.

Quoniam tamen insatiabilitas appetitus humani male moderari potest circa delectabilia, vt sunt fructus, ne tantum noceant, quantum sua natura faciunt, nisi eorum comestio bene reguletur, pono hic aliqua consideranda in esu fructuum.

Primum ergo est, vt quantum possibile est ab horarijs abstineamus. Fructus autem horarij secundum Galenum 2. de alimentis cap. 1. sunt, qui tempore caniculæ maturantur, vt cucurbita, cucumer, melones, mora, pepones, persica, & similia. Scias ergo domesticos fructus, vt pote teneriorem corticem

N ha-

habentibus meliores esse ceteris paribus syluestribus, & molles, duris, & lenientes ventrem, vt mora, pruna, cerasa, & ficus, ipsum indurantibus. Et maturos, immaturis, quia crudi sunt pessimi. Et maturi dicuntur, quia Sole calefiunt, & aliqualiter dissecantur, & non qui arte humana, cum paleis, & tempore molles redduntur.

Secundum est, quod pueri omnino abstinere debent à fructibus dicente Auerroe in 6. colliget. cap. de regimine corporis temperati. Ab herbis omnibus, & fructibus humidis pueri debent abstinere. Ita, & studentes, & quiescètes, senes, & frigidi, & humidi, quia fructus sua superflua humiditate, iuncta caliditati generant multos vapores sensus interiores, & exteriores perturbantes.

Tertium est, vt præcipue ab his sit abstinendum tempore Autumni, quod fuit præceptum Rasi in 4. Almansoris cap. 25. & Auicennæ in 3. primi doct. cap. 1. dicentium. In Autumno fructuum comestio minuenda est, quanto plus possibile. Est enim commune medicorum assertum fructus nulli esse comedèdos, nisi multum corpus exercitantibus, vel in opere, vel in itinere ad refrigerandum magnum calorem ex motu causatum, & ad attenuãdum siccum ab exercitio effectum, & hoc æstatis tempore, quando omnia æstuant caliditate, & siccitate.

Quartum est, vt fructus ante alios cibos per modicum tempus sumantur, & non post cibum, quia ante lubricant, & aperiunt viam alio cibo ad descendendum, sed post cibum, simul cum alijs rebus illos corrumpunt. Excipiunt aliqui fructus duros, vt poma, pira, & similia. Vide Galenum 2. Alim. cap. 18.

Quintum est, quod melius est ante mensam comedere fructus, & postea parum ambulare, immo inquit Rasis, velociter ambulare, nullo alio cibo vtendo post ipsos, quousque descendant. Quod etiã fuit dictum Auicennę in 3. primi doct. 2. cap. 7. Conciliator autem differentia 122. docet, post fructus non esse bibendum, ne vinum malam eorum qualitatem deferat ad venas. Sed si sitis sit valida, & fructus frigidi, & humidi, & complexio etiam comedentis fuerit frigida, & humidum non multum, sed parum vini erit sumendum optimi, odoriferi, & aqua immixti. Si vero fructus fuerint calidi, & sicci, & complexio sumentis calida, & sicca, post eos bibenda erit aqua, sed non in multa quantitate. Quod docuit etiam Arist. 22. probl. problemate 8. Et Conciliator testatur quosdam bibentes super ficus obijsse ex hoc. Ideo nisi magna sit sitis, melius erit abstinere ab omni potione cum ipsi sua humiditate, & liquiditate humoris sint potus. Sed transeamus ad fructus in particulari.

Anguria, seu Batecha inter primos fructus ex terra se offert nobis ordine alphabetico. Hæc autem est frigida in principio secundi gradus, & humida in fine eiusdem. Est duræ digestionis, generat cholicam passionem, & prouocat vrinam, & confert lapidi in renibus. Canonicæ datur febricitantibus adurentibus, exsiccatis, & melius datur eis, quam dentur syrupi acetosi, qui constipant, & oppilant, vt docuerunt Isaac in particularibus dietis, & Rasis in 3. Almansoris capite de melone magna viridi, cum Serapione. Comedenda est ante cibum, secundum Galenum lib. de dissolutione continua, & non est frequentanda, & si deprehendatur supra stomachum, vel euomatur, vel fiat dieta, quia aliter corrumpit alium cibum, & fit quasi venenum. *Anguria.*

Capares calidi sunt, & sicci in secundo gradu. Incidunt, dissoluunt, & mundificant stomachum à superfluis. Conferunt patientibus asma, spleni, prouocant vrinam, & menstrua, & interficiũt vermes in intestinis. Coagmentant coitum, & aperiunt emoroidas, & vẽtrem soluunt sumpti ante cibum. Nutriunt choleram nigram, neruos stomachi percutiunt, & stomachum grauant, & sitim generant. Ante salem sunt multi nutrimenti, post pauci. Comeduntur cum aceto, & melle, vel cum aceto, & modico oleo, ante alios cibos. *Capares,*

Citrulli sunt species Cucumeris, sed eo frigidiores. Mali sunt nutrimenti, difficilis digestioni, & si moram fecerint in stomacho, generant humores venenosos. Sunt frigidi in tertio gradu. Sedant tamen caliditatem, & choleram, *Citrulli. Cucumeres*

sed

sed periculum est ne generent in frigidis febres chronicas. Tollunt sitim, sed coadunant phlegma viscosum, & malum in stomacho, & ideo relinquantur solum multum laborantibus.

Cucurbita. Cucurbita est frigida, & humida in secundo gradu. Bona est cholericis, & mala melancholicis, & phlegmaticis. Et si reperiatur nocere intestinis, mala est etiam cholericis. Et si his debet prodesse, coquenda est in coetaneis, cum succo mali granati, aut vuæ agrestis, aut cum succo malorum citronorum, & cum oleo amigdalino, aut oleo onfancino condiatur. Phlegmaticis vero datur elixa in aqua expressa, cum sinapi, pipere, & apio, & menta. Stomachus si laborat ipsum debilitat, appetitum tollit, & si nimium de ea comedatur, tenasmũ generat, sed si aceto, & allijs præparatur, eius malitia minoratur. Humectat, & sitim extinguit. Lenit ventrem ad modum omnium aquosorum. Si moram trahit in stomacho, alios cibos corrumpit, si cito descendit lubricat.

Fungi Fungi frigidi sunt in fine tertij gradus pessimi sunt, & mortiferi. Generant stuporem, & apoplessiam, suffocationẽ, colericam passionem. Difficultant vrinam, male nutriunt, anhelitum tollũt, & sincopim inducunt. Generantur enim ex malo humore terræ, & putredine aquæ. Pessimi autem sunt iuxta oliuam nati, vel in vicinitate ferri eruginosi, & omnium rerum putridarum, aut prope loca animalium reptiliũ venenosorum. Et signum malitiæ eorum est, quod super eos humiditas viscosa putrefacta percipitur, & collecti subito in colore alterantur. Temperatur eorum malitia elixando prius eos, & piris, aut calamento miscendo. Horum iure expresso in alia aqua coquantur, & cum pipere, carni, zinzibere, calamento, origano, & similibus condiantur, & in fine bonum vinum bibatur, sed non in multa quantitate. Boleti minus lædunt, sed nec ipsi boni sunt.

Tartuffula. Tubera, idest tartuffolæ apud nos sic dictę non sunt tantæ malitiæ quantum fungi, sed & ipsæ magnam malitiam non euadunt dicente Rasi in 3. Almansoris, cap. 18. Tubera sunt frigida, phlegma quoque generant crudum. Quæ autem ex eis ruborem habent mala existunt, quarum multa comestio cholerã generat. Elixantur, & condiuntur vt fungi, sed cum ipsis sunt fugiendæ, & maxime à delicatis, & teneræ complexionis.

Melones. Melones sunt frigidi, & humidi in secundo gradu. Vrinam prouocant, renes ab arena purgant, & ventrem leniunt, & saniores sunt oblongi, quam rotundi. Nocent tamen si corrumpantur in stocho, & si non expellantur conuertuntur in humorem venenosum. Phlegma, & choleram nutrit, cum difficultate digeritur, & conuertitur de facili in illũ humorem quem inuenit in stomacho dominari, & qui colicam patiuntur, in discrimen vitæ si frequenter, & immoderate sumantur ponunt. Post ipsos bibendum est modicum vinum purum, & comedendi sunt ante alios cibos, per aliquod tempus.

De fructibus arborum.

Amigdala. Amigdalenæ temperatæ sunt in calore, & humiditate in medio primi gradus, & sunt dulces, & amaræ. Dulces substantiam cerebri augmentant, suauiter dormire faciunt, vias vrinæ aperiunt, & mundificant, macros impinguant, ad visum conferunt, oppilationes hepatis, & splenis aperiunt, & recentes humiditates stomachi mundificant. Excoriatæ, & cum zuccaro, vel melle sumptæ de facili transeunt. Et ita dico si dum sunt teneræ, & racentes comedãtur, vel ante per noctem in aqua relinquantur, & postea excorientur. Leniunt vias gutturis, ardorem vrinæ sedant. Modicum tamen alimentũ dant corpori, & sunt difficilis digestionis, & elixæ, & in humorem liquidum redactę fumum ad caput mittunt, & dormire faciunt.

Auellanæ. Auellanæ calidæ sunt, & siccæ, terreæ, parum habentes de vnctuositate. In cerebro faciunt augmentum, & si comedantur cum aqua mellis tussi conferunt antiquæ, sputum adiuuant, ventositates in ventre inferiori faciunt, vomitum excitant, & tardæ sunt ad digestionem, & ad descendendum de corpore. Pistatæ

& cum melle sumptæ valẽt vt diximus ad antiquam tussim. Amichæ sunt hepatis, aperitiuæ oppilationum, pauci nutrimenti, sed non mali.

Castaneæ. Castaneæ frigidæ sunt, & humidæ in primo gradu, & secundum Isaac calidæ in primo gradu, & siccæ in secundo. Nocent cerebro, & capiti, ventrem inflãt, strictionem pectoris dilatãt, & vrinam prouocant. Cholerici eas cum zuccaro, & phlegmatici cum melle comedãt, & si bene digerantur, bene nutriunt, sunt tamen difficilis digestionis. Prauæ sunt crudæ, nociuæ assatæ super frixorium perforatum, & minus lesiuæ elixatæ.

Cerasa. Cerasa sunt frigida, & humida in primo gradu. Cito putrescunt, & stomacho pleno phlegmate proficiunt dixit Serapion, mollia leniunt ventrem, & sicca retinent. Assimilantur moris, modicum nutriunt, & potius debentur laborantibus ad extinguendam sitim tempore æstatis, quam alijs.

Coctana. Coctana cruda non laudantur, quia sic generant colicam, & dolorem ventris pũgitiuum. Ante cibum comestum stringit, & post laxat. Frigidum est coctoneum], stomachum calidum confortat dicente Rasis in 3. Almansoris, cap. 20. Citonia, dubia, & acetosa stomachum efficiunt robustum, licet acetosa ad hoc sint fortiora. Appetitum insuper excitant, quorum proprietates est ventrem stringere. Hæc autem si post cibum comedantur stercus cito descendere faciunt, atque à ventre expellunt. Ante cibum autem si comedantur, totum illud prohibent. Non cohibẽt tamen fluxum ventris nisi sumatur per horas ante cibum. Sed abundans sumptio eorũ infert cholicam, & dolorem neruorum, & extrahit cibum ante digestionem suam. Vnde sumenda sunt post cibum, & in moderata quantitate, quia sic vltra supradicta tollunt morsionem intestinorum, & fumum salientem ad caput reprimimunt, vomitumque impediũt. Coctum comeditur cum melle, & zuccaro, vel cum melle saltem, & si secundũ se possit etiam multum operari.

Citrũ Citrum habet corticem, carnem, & semina. Cortex calidus est in primo, & siccus in fine secundi. Caro eius est calida in primo, & humida, & si alij velint quod sit frigida, & humida in primo, & eius acetositas frigida, & sicca in tertio. Semen est calidum in primo, & siccum in secundo. Cortex resoluit choleram rubeam, & cum ponitur in pannis prohibet tineas, & eius odor rectificat corruptionem aeris, & pestilentiam, & eius decoctio suauem facit odorem, sedat vomitum, & acuit appetitum, sed cortex non digeritur propter suam duritiem. Folium tamen & cortex habent potestatem remouendi venenum, & confortandi cor, & si apponãtur in cibis adiuuãt digestionem, & confortãt stomachum, & quamuis sint duræ digestionis, tamen cum Almuri sunt facilis.

Caro vero inflat, est tardæ digestionis, grauat stomachum, non sic cum al muri, & similiter cum melle mixta, generat humores grossos, & frigidos.

Acetositas vero eius tremorem cordis sedat, proficit gutturi, & pulmoni, ventrem retinet, & solutioni cholericæ cõfert. Incidit, extenuat, & refrigerat, calorem cordis mitigat, stomachũ confortat, acumen choleræ rubeæ eneruat, sitientibus perfecte subuenit, tristitiã, & cordiacam remouet. Tremori cordis confert, appetitum prouocat, incidit, & diuidit, vt dictum est humorem cholericum, vomitum, & fluxum retinet, & supercalefactionem hepatis extinguit.

Eius semen confert emoroidibus, & pondus ipsius, cum vino, melle, & aqua calida illinitum confert venenis omnibus, & eis resistit, & proprie veneno Scorpionis bibitum. Laxat ventrem, & aqua decoctionis eius facit bonum oris odorem. Sed citrum solum comedendum est, nõ sumendo nec ante, nec post alium cibum ab aliquo tempore. Citrum conditum solet esse difficilis digestionis.

Chrysomila. Chrysomila sunt frigida, & humida in secundo gradu. Solum de bonitate habent, quod extinguunt sitim, & laxant choleram rubeam, At econtrario grossum phlegma generant, & viscosum, in concauitate hepatis, & splenis, diuturnæ febris causæ fiunt, & si post cibum sumantur, omnem cibum quem inueniunt corrumpunt, & si totaliter illum corrumpant, quod frequenter euenit, sunt

sunt sicut venenum perniciosa. Si ergo accipiuntur, ante cibum sumantur, cum masticis.

Dactyli. Dactyli calidi sunt, & humidi in secundo gradu, & solum boni habent, quod sunt dulces, & dant nutrimentum. At generant sanguinem grossum, dentes corrūpunt, gingiuas mollificant, phlegma acrescere faciūt, Inobedientes sunt digestioni, & qui eos frequentauerit, dolorem stomachi patietur, hepatis, & splenis constipationem, duritiem, & tumorem experietur, & dolorem capitis sentiet. Replent corpus crudis humoribus, & oppilant, & multo magis virides.

Pistachij. Pistachij temperati sunt in calido, & humido, & si magis declinent ad caliditatem. Bonum dant odorem, gratum saporem. Aperiunt oppilationes hepatis, & humiditatem emittunt pectoris. Renes, & vesicam purgant, venerem augent, stomachum corroborant, & proprie illi, qui sunt similes granis pini. Humores grossos expellunt, & vitijs pectoris, & pulmonis conferunt. Parū tamen nutrimenti dant, sed bonum, & pro calidis complexionibus non tam boni sunt.

Ficus. Ficus communiter laudantur, vt calidæ in primo gradu, & temperatę. Plus omnibus fructibus tribuit nutrimentum, & impinguat, vel tantum, quantum vuæ. Superfluitates expellit ad cutē, & ideo generat pediculos. Facit sudare, confert renibus, & vesicæ, generat bonum sanguinem. Extinguunt sitim, laxant modicum ventrem. Sed debent esse bene maturæ. Tamen impinguatio earum de facili resoluitur, grossos causāt humores, ventrem inflāt, & stomachum grauāt, lentigines inducunt, & bothor.

Ficus vero siccæ calidæ sunt in secundo gradu, & siccę in medio primi. Si superfluos humores in stomacho inuenisit duræ fiunt ad digerendum, & veloces ad corrupendum, ventositatem generant, & pessimum sanguinem, & in cholericos mutantur humores, & pediculos procreant. Si inueniant stomachum bene ab humoribus purgatum, bene digeruntur, & sanguinem laudabilem faciunt, corpusque ab humoribus malis mundificant, pectus purificant, renes, & vesicam ab humoribus grossis euacuant, non tamen ab inflatione, & ventositate liberant. Bene nutriunt, & eo magis si à ieiuno sumantur, & post ipsas nuces, & amigdalas sumat. Sitim inducunt, ventrem laxant, multum nutriunt, & calefaciunt. Gutturi, & canalibus pulmonis purgationem tribuūt, vnde vocem clarificant. Prosunt vesicæ, renibus, asmati, squinantiæ, hydropesi, & similibus malis. Non sunt comedendæ cum cibis grossis.

Granata. Granatum frigidum est, & humidum in primo gradu. Dulce lenificat naturam, parum nutrit, sed bene. Confortat pectus, confert tremori cordis, & abstergit os stomachi. Prouocat vrinam, sed magis acetosum. Multoties tamen nocet habentibus acutas febres. Inflammant, & sitim generant, & guttur leniunt. Bonos humores procreant, & malos putridos ab orificio stomachi expellunt, & non sunt bona calidis complexionibus.

Acetosum autem choleram reprimit, & cursum superfluitatum ad viscera prohibet, & ita vinum eius. Nocet tamen stomacho, & melius est illum sumere post alium cibum, quia sic impedit eleuationem vaporum. Prouocat vrinam, & febricitanti febre cholerica est gratū, nam resistit putredini, & ne cibus in malas fumositates conuerti possit. Asperitatem pectoris facit, & hepar infrigidat, febrem reprimit, & vomitum, & si stomachus sit inflammatus eū mitigat, & vrinam magis prouocat, quam aliud granatum. Et grana huius granati in cibis posita prohibent ne superfluitates veniant ad stomachum, & intestina.

Mulsum vero bene stomachum lauat, sed pectus exasperat, sed eius inflammationem sedat, & confert etiam febri acutæ. Vomitum sedat, & materias cholericas coercet.

Iuiulæ. Iuiulæ calidæ sunt, & humidæ in primo gradu, parum nutriunt, & sunt difficilis digestionis. Nociuę stomacho, & generatiuæ sanguinis phlegmatici. Immaturę sanguinis acumen extinguunt, & maturæ pectoris, & pulmonis asperitatem humectant. Choleram expellunt, & humiditates temperant.

Limōcellum. Limoncellum est frigidum in secūdo gradu,

da. Eius odor cor confortat. Eius humor humores grossos incidit, appetitũ commouet. Deficcat corpus, & sanguinem minuit, stomachum confortat, & secundum ventrem plurimum constringit, & sanguinem quem generat melancholicus est.

Arancium. Arancium bonum est ponderosum, & nõ multum acetosum, corticẽ grossum habens, reprimit furorem choleræ, & caliditatem stomachi temperat. Stomacho tamen frigido non conuenit. Cortex eius cum zuccaro cõfectus prodest stomacho. Et nisi parum de eo sumatur mordicabit stomachum, & grauabit caput.

Mespilla. Mespilla, seu nespila frigida sunt, & sicca in primo gradu. Confortant stomachum, cholericam egestionem, & vomitum auferunt, vrinam prouocant, & ventrem cõstipãt parũ nutriũt, & grossum faciunt chymum, & meliora sunt ante cibum, quam post.

Morũ. Morum dulce est calidum, & humidum, & vt acetosum ad aliquam frigiditatem declinat. Malum est stomacho, corrumpitur enim velociter in eo, & quando non corrumpitur velociter non nocet. Parum nutrit, appetitum acuit, & comedendum est ante cibum. Vrinam prouocat, ventrem humectat. Sed solum habentibus stomachum purgatum prosunt, non alijs, sed potius nocent mora.

Nuces. Nuces calidæ sunt in secundo, & siccæ in secundo. Comestæ cũ ficubus obstant veneno loco Bezaar. Senibus multum valent. Nutrita cum melle stomacho frigido confert, comesta cum ficubus, & rutha est medicina omnibus venenis. Recens (vetus enim nõ laudatur) ventrem mollit, maxime si cum muri comedatur, multus eius vsus vermes purgat. Conditæ cum melle stomacho conferunt, eius humiditates desiccant.

Econtra vero subditis choleræ, & passionibus cholericis, calidisve multum nocent, paralysim linguæ inducunt. Soda idest dolorem capitis faciunt, difficiliter digeruntur, sitim prouocãt, de facili in choleram mutãtur rubeam, calidæ tussi inimicantur, in oculis vertiginem, & caliginem congregant, ante cibum comestæ de facili vomere faciunt. Solum tempore magni frigoris si nõ sint multum antiquę, (quia tales sunt vnctuosę) vel per noctem in aqua relinquantur, & postea excorientur, non tantum nocebunt. Imò post pisces loco casei bonæ sunt, quia sua caliditate, & siccitate excalefaciunt naturam humidam, & frigidam piscium, & collectionẽ phlegmatis, quam ipsi faciunt, dispergunt.

Oliua. Oliuæ maturæ sunt calidæ, & hæ sunt colore nigræ, immaturæ vero, quæ viridis coloris apparent sunt frigidæ. Salitę appetitum subleuant, & magis in medio prandij stomachum confortant, & humorem stipticum generant, choleræ rubeæ acumen extinguunt, & si bene digerantur stomachum confortant. In aceto ponendæ sunt, & sic sumendæ. Nigræ, quæ sunt maturæ stomachum mollificant, & tarde digeruntur.

Econtra oliuæ parum nutriunt, cum difficultate digeruntur, ventrem constipant, sanguinem incendunt, stomachi neruos mordicãt, nonnumquam etiam in choleram conuertuntur.

Persica. Persica sunt frigida in fine secundi, humida in primo, & de eis dixit Auenzoar, quod nullum habent iuuamentum, nisi quod oris fetorem tollunt. Auicenna tamen dixit in 2. canonis cap. 566. quod matura sunt bona stomacho, & faciunt appetitum cibi comedendo ea ante omnem alium cibum, matura leniunt ventrem, plurimum nutriunt, sed male, immatura vero ventrem stringunt, & ita amara. Condita cum melle conferunt pulmoni. Valent contra sitim, & inflationem stomachi. Quæ intelligo calidis natura proficere, & eo magis, quæ ab anima laxantur, ista enim alijs sunt molliora, & meliora.

Econtra absolute Persica non laudantur, vnde Galenus lib. 2. de alim. facult. cap. 19. dixit Persicorum succus, & veluti caro de facili corrumpitur, prauaque omnino est. Phlegma generant, non facile concoquuntur, cellerime in ventriculo corrumpuntur, genitale semẽ augent, serenosum sanguinem parant, & post mensem vnum, vel duos, qui frequenter eis vsi fuerint expectent febrem chronicam. Acrius nocent, si super eos aqua bibatur, aut à quodam tempore post cenam comedantur, & nullo modo infirmis conceduntur.

Pira

Pira. Pira quædam sunt frigida, & quædam temperata, cruda vero secundum Auerroë 5. Colliget. sunt frigida, & sicca. Sitim remouent, ventrem constipant. Bonæ autem speciei, naturam leniunt, stomachum præparant, tussim abscindunt cholericam, vomitum stringunt, intestina cum stomacho confortant, & digestioni conferunt, & eo magis in stomachis frigidis, & siccis, non humidis.

Econtra frequens vsus ipsorum cholicam generat; & ideo post ipsos est bibendũ hydromel cum speciebus, vt piper, cinamomum, & similia. Cocta cum Zuccaro post prandium, vel cenam cito stercus expellunt, & postea ventrem stringunt dixit Rasis in 3. Almansoris cap. 20.

Pinea Pineæ secundum Auerroë 5. Colliget. calidæ sunt, & siccæ in tertio. Si in aqua calefiant, & cum zuccaro albissimo comeduntur, vel sint frigidi, & cum melle sumantur, augent coitum, & saturati ex eis paruum sentiunt dolorem ventris pũgitiuum, ipsum bene abstergũt, cum renibus, & vesica. Tremorem patientibus, & asmaticis conferunt. Oppilationes venarum aperiunt, & humiditatem antiquam expellunt, & naturalem promouent.

Sunt tamen grossi chymi, & non bene digestibiles, & ideo habentes stomachum debile à frequenti esu ipsarum abstineant, & cum generent humores calidos videant qui Venere indulgere per eos volunt, ne febrem ardentem sibi aduocent.

Poma Poma dulcia sunt temperatę humiditatis, & acetosa sunt frigida, & sicca. Odor ipsorum cerebrum confortat. Generãt phlegma, & putredines, & febres. Grauant stomachum, inflationem faciunt, & neruis nocent, & qui habent cholericam egestionem, habent & vomitum multũ, & patiuntur ex esu ipsorum. Stomachum viscositatibus replent. Et recentia, non matura maxime supradicta causant.

Verum Apiola, Calamãica, & illa quę turpia, & bona dicuntur, & bene matura, & seruata in hyeme animi deliquio conferunt, & cordis debilitati. Parum refrigerant, post cibum dantur, & cocta melius cum zuccaro sumpta.

Prune Pruna sunt frigida, & humida. Mitigant calorem, & laxant ventrem, sed prius per aliquod tempus in aqua frigida relinquuntur, debilitant tamen parum os stomachi. Alba magis sunt grauia, & difficilioris solutionis quam alia nigra, & virida. Damascena cõmendãtur, & ea quæ apud nos Verdaggi vocantur, quæ sunt oblonga. Mollificant stomachum, choleram eijciunt, appetitum auferunt. Phlegmatici post comestionem ipsorum debent bibere vinum bonum vetustum, vel aquam mellis. Post ipsa non oportet subito prandere, quod cõmune est omnibus laxantibus ventrem. Sicca accõmodata sunt ad nutritionem (cũ tñ de se parum nutriant) & vt stomachum corroborent. Et bene in cibis ponuntur, quod & dicimus de cerasis siccis. Condita etiam in initio mensę parantur.

Carruba. Sylique, quos nos Carubias appellamus sunt indigestibiles, ventrẽ constipant, & colicam aduocant, si multum, & frequenter de eis comedatur. Humores noxios nutriunt, & ad sanitatem nihil faciunt. Si tamen ante cibum sumantur, ventrem multis soluunt.

Vua. Vua, & ficus inter fructus principatum tenent. Albæ magis mouent ventrem, turbant, & subducunt quam nigræ. Quando non digeruntur, eorum nutrimentum est crudum. Si sapor vuæ est grossus, & dulcis, est quoque calidior, sitim generat, grossioris est nutrimenti, durioris digestionis, maioris inflationis, & oppilationis splenis, & hepatis, quam si sapor vuæ sit subtilior, & aquosior. Leuius.n.trãsit, & est cõfortatiuus stomachi, & mũdificatiuus à prauis humoribus cholericis, & conuenit magis cum complexionibus temperatis. Ita vua, quæ est pluris carnis, quam humoris, laudabilioris est nutrimenti, quam sit vua plurem carnem habens. Ita alba leuiter nutrit, facile digeritur, venas cito perforat, & vrinã prouocat. Nigra vero durior est ad digestionem, sed stomachum confortat, vrinam non prouocat, & si bene digeritur, nutrimentum multum præstat. Russa vero, & citrina his melior est.

Vuæ autem generaliter inflant, coitum mouent, velociter corpus impinguant, sed

ſed non ſolida pinguedine. Acerbæ frigidæ ſunt, ventrem ſtringunt, choleram rubeam reprimunt, & ſanguinis acumen. Ex his fit agreſta, quæ ſi temperate in vſu cum cibis calefacientibus ſumatur, ſedat ſtomachum, & aluo fluenti bilioſo humore ſuccurrit.

Vua autem, quæ vere ſit laudabilis debet habere has conditiones.

Prima, quod ſit à tribus, vel quatuor diebus collecta, quia eſt melior illa, quæ eadem hora collecta eſt, & ſi minus valeat ad coitum.

Secunda, quod ſit bene matura, quia iſta nec conſtipat, & melius nutrit, & ſi magis calefaciat.

Tertia, quod habeant corticem ſubtilem, quia ſunt digeſtibiliores.

Quarta, quod grana, & cortices expuantur, quia tardant digeſtionem, & magis inflant ventrem.

Quinta, quod in initio, vel ante menſam ſumantur, quia lubricant viam alijs cibis, nam poſt cibum ſi in ſtomacho corrumpantur, alium etiam cibum corrumpunt, & malos humores generant.

Sexta, quod non ſumantur immoderate à ſtudioſis, & quieſcentibus, præcipue acetoſæ, quia eis minuerent calorem ſtomachi, & fumos ad cerebrum mitterent.

Vuæ paſſæ ſiccæ prout in vſu ſunt, & paruæ, & pingues ſeptem drachmarum pondere per ſex dies ſumptæ à ieiuno, purgant phlegma, & ſanguinem abundare faciunt. Hepar nutriunt, & impinguant, ſanguini bonum colorem tribuunt, humores percoquunt, & ſuauiter ventrem ſubducunt. Sed in maiori abundantia ſanguinem accēdunt, & exerunt. Moderare autem ſumptæ amicæ ſunt hepatis, & ſtomachi, & bonæ ſunt doloribus inteſtinorum, renibus, & veſicæ. Aperiunt oppilationes, malos humores temperant, & morſionem ſtomachi ſedant. Valent ad dolorem pectoris, & pulmonis, tuſſim reprimunt, renes purgant. Bene maſticentur tamen, & erunt ficubus ſiccis laudabiliores, & cum amygdalis tempore ieiuniorum bonæ erunt in ſero pro refectione.

De condimentis ciborum.

ACetum pro primo, quod quaſi in condimento ciborum ſolet eſſe in vſu ordine alphabetico ſe repreſentat, & de eo apud Doctores iſta inuenio. Quod tempore peſtilentiæ bonum eſt ipſum habere in vſu, in cibo, & potu. *Acetũ*

Iuuat eos, qui coleram habent amaram, nō autem, qui nigram, amara enim per acetum transfertur ad phlegma, & nigra multiplicatur. Infrigidat vehementer, & penetrat ad omnia membra velociter, & ideo calidum habentibus ſtomachum ſalutare eſt. Prouocat appetitũ, ſtomacho robur tribuit. Humores groſſos ſubtiliat, & incidit, Fugiendum tamen eſt à melancholicis, & habentibus debilitates neruorum. Exſiccat multũ, & pro extenuatis non eſt bonum. Nocet ſtomacho frigido, neruis, & matrici, & ideo mulieres patiētes nocumenta matricis deuitent illud. Maciem efficit, ſperma minuit, ſanguinem debilitat, & cibos quibus admiſcetur ſubtiliat, & ſitim extinguit. Viſum debilitat.

Acreſtæ, ſeu agreſta. De iſta diximus ſupra, quod infrigidat, confert inflationi, & aduſtioni, vnde pro calidis, & aduſtis multis laudibus cōmendatur, vtendo ea ſuper cibos calidos tamen, vt ſupra columbos, & ſimiles, non ſupra piſces, quia ſua natura ſunt frigidi, & humidi.

Mel eſt calidum, & ſiccum in ſecundo gradu, ſi ſit apum. Eſt medicinale, & proprie in ſenibus, & pueris. Mel optimũ debet eſſe dulcis ſaporis, boni odoris, declinantis ad acredinem, & rubedinem, coloris paleæ, non ſubtile, nec viſcoſum, quod non abſcinditur, vernale, vel æſtiuale, nam hyemale malum eſt. Abſtergit, & mundificat, orificia venarum aperit, humiditates reſoluit, & expellit, putrefactionem carnis impedit, plurimum nutrit, & in ſanguinem bonum ſe conuertit. Et ſi cum aqua multa ſit ſufficienter coctum. Nec inflat, nec ad vomitum prouocat, aſperitatem pectoris lenit, & vrinā adducit. Phlegma deſtruit, vnde ſenibus, & phlegmaticis multum proficit, & magis tempore hyemis. *Mel Apũ.*

Cholericis autem, & iuuenibus calidis nocet,

nocet, maxime tempore æstiuo, choleram enim in eis accendit, & acuit, & ideo febricitantibus etiam denegatur. Et mel ordinarie in sua permanens cruditate, manducantibus inflationem, & ventositatem generat, & asperitatem pectoris augmentat, & propter sui acumen vomitum, & egestionē prouocat.

Sapa. Sapa, seu vinum coctum, quod fit per decoctionem vsque ad medietatem, & si amplius ita vt ad spissitudinem mellis deueniat, dicitur Rob. vini, apud nostros Bergomates Sapor vuæ. Duræ est digestionis, inflat, multum nutrit, & patientib⁹ in pectore, pulmone, & vulneratis in renibus, & vesica multum proficit. Si digeratur bonum dat nutrimentum, & cibis condimentum. Et conuenit senibus, non iuuenibus, sicut dictum est de melle. Quia grossum habet humorem, ideo timendum est ne immoderatus eius vsus oppilet, & propterea hepati nocet.

Sal. Sal condimentum est omnium ciborum. Calidus est, & siccus in secundo gradu. Est abstersiuus, resolutiuus, constrictiuus, & exsiccatiuus. Moderate calefacit, & multum desiccat. Dissoluit, & mundificat grossitiem humorum, & putredinem. Conseruat deinde humiditatem corporis porros cutis claudit. Appetitum excitat, & acuit, fastidium tollit. Econtra visum obscurat, sanguinem adurit. Venerem minuit, scabiem generat, pruritum excitat, & aliquando morpheam, serpiginem, & hoc dico si immoderate sumatur.

Pinguedo Pinguedo stomacho, & digestioni est nocua. Cibis enim in stomacho innatat, appetitum cito saturat, alios cibos inflat, & ingrossat. Villos stomachi emollit, & viscositatem, & lubricitatem eis tribuit, vnde virtus contentiua deficit, & expulsiua vigoratur, vnde plurimum lienteeria generatur, & hoc præcipue in stomacho frigido operatur. In calido vero in fumum, & choleram conuertitur. Si accipiatur ex calido animali est calida, si ex frigido frigida. Porcina ceteris plus humectat, & Leonina plus calefacit, & minus humectat. Bouina est mediocris, & siccior est caprina, bouina, & porcina. Porcina syluestris calidior est, & siccior domestica. Lactentis animalis in caliditate est moderata, & in humiditate superabundans, & recens est minus calida, & magis humida. Vetus calidior est, & minus humida, & ita pinguedo masculi in respectu foeminæ. Volatilium subtilior est quadrupedum. Pinguedo ergo quanto erit laudabilioris animalis, tanto erit laudabilior, sed vti ea debemus tantum in condimento, & medicina, & non in cibum, propter malas conditiones dictas.

Butyrum. De Butyro supra diximus, calidum enim est, & humidum, mollificat, lenificat, & in stomacho calido de facili in choleram conuertitur, & inflammatur. Cū amygdalis, & Zuccaro pectus lenit, & eius superfluitates maturat. In condimentum melius est oleo patientibus in stomacho, habentibus autem humidam naturam nocet.

Oleū. Oleum oliuæ nouum, dulce, temperatum est si sit clarum, & positum supra membrum subito expanditur, & bibitur, declinat tamen ad caliditatem. Res quæ cum oleo coquuntur, multum nutriūt. Impinguat hepar, & substantiam eius auget. Auicenna tamen in 2. Canonis cap. 529. sanis magis commendat oleū orefacinum. s. expressum ex immaturis oliuis, quod frigidum, & siccum est in primo gradu, sicut factum ex maturis est calidum temperate, sed plus humidum. Oleum secundum Galenum 2. de simplici medicina d. 3. cap. 1. calefacit temperate corpus temperatum, & in feruidis feruet. Prosternit tamen appetitum, & debilitat ipsum, mollificat, & corrumpit orificia venarum, & virtutem dissoluendi debilitat. Et antiquū nociuum est magis, & in malos humores conuertibile, omne tamen neruos debilitat magis, minusue.

Zuccarū. Zuccarum temperate est complexionis, declinantis ad calidum. Maioris est iuuamenti, quam mel, stomacho, pulmoni, & vesicæ. Quanto est rubius, tanto est calidius, & albū purgatum temperatum. Est lenificatiuum, abstersiuum, lauatiuum, & subtiliatiuum, & quanto plus antiquatur, tanto fit subtilius. Oppilationes aperit, tollit sitim, abstergit phlegma stomachi, choleram extenuat & dissoluit, ventrem abque morsura lenificat, stomachum mundificat, Guttur

clarificat, & vocem sonoram reddit. Ventositates ventris dissoluit. Si bibatur cum oleo amigdalino dulci proficit contra cholicam, & humiditates in stomacho existentes, sed facit sitim. Calidi fugiant Zaccarum rubeum, & eo magis in æstate, & ita sicci, non sic frigidi, senes, & fœminæ tempore hyemis, vel in regionibus frigidis. Et ita dic de confectionibus, calor enim earum ostendit an factæ sint ex Zaccaro albo, vel rubeo. Rubeum enim in stomacho cholerico facile fit cholera.

Anisum. Anisum, (vt etiam dicamus de condimentis seminum) calidum est, & siccum in tertio gradu. Ventositatem pellit, vrinam prouocat, oppilationes aperit, dolores sedat, lac prouocat, sitim extinguit, humiditates splenis, & hepatis oppilantes dissoluit, matricem à fluxu humiditatum albarum purificat, coitum mouet, & venenum depellit. Inflationem dissoluit, ventrem constringit, sudorem, & vrinam cit, superfluitates dissoluit.

Anetum calidum est inter primum, & secundum gradum. Dolorem mitigat, somnum causat, humores frigidos maturat, ventositates dissoluit. Eius frequens comestio visum debilitat, nocet stomacho, & vomitum prouocat, confert tamen dolori ventris pungitiuo. Lac augmentat, & ventrem leuiat. Sed non apte ponitur pro condimento.

Coriandrum Coriandrum est siccum, declinans ad caliditatem. Prohibet vaporem à capite, & propter hoc ponitur in cibis patientis epylepsiam ex vapore stomachi, cōfert vertigini factæ ex vapore cholerico, & phlegmatico. Confert tremori calido cordis, confortat stomachum calefactum, sedat eructationem acidam, post cibum, & semen eius siccum desiccat sperma, & frangit venerem. Post cibum sumptum somnum præstat, serupholas dissoluit secundum Dioscoridem, quod negat tamen Galenus. Multa tamen eius quantitas sumpta, vel frequens vsus generat tenebrositatem visus, est tardæ digestionis.

Canella. Cynamomum apud nos Canella calidum est, & siccum in tertio gradu. Omnia mēbra roborat, subtiliat, attrahit, prohibet putrefactionem, & tollit saniem omnium membrorum, comestum tenebrositati oculorum confert, & cholyrizatum, tussi prodest, & pectus mundificat. Oppilationes hepatis aperit, ipsū confortat, & stomachum, & eius humiditatem desiccat, & venenoso morsui vermium venenosorum prodest. Vrinam prouocat, digestioni adiuuat, ventositatem expellit. Addit in sperma, facit bonum odorem, & saporem, & nulla medicina comparatur ei in calefactione, & desiccatione ex tenuitate partium eius. Et non nimis calidi liberè possunt eo vti, in puluere præcipue supra cibos superflue humidos, & frigidos, stomacho nocentes, & capiti.

Crocus, apud nostros Zaffaranus, calidus est in secundo, & siccus in primo. Digestionem adiuuat, cor confortat, nūquā humorem alterat, immo ipsum conseruat, & rectificat, & viscera custodit. Potus eius calorem bonū efficit, & stomachum corroborat. Coitum prouocat, & vrinam excitat, & bibitus partū mulieris accelerat. Bonum facit colorem, tollit ebrietatem. Bibitus cum vino cocto coitum prouocat, & somnum aduocat. Digestionem adiuuat, difficultatem anhelitus tollit. *Zaffaranus*

Econtra qui sunt calidæ complexionis, & tempore calido, & in multo exercitio, eum sumere non debent nisi temperate, quia aliter dolorem capitis infert, & sensus obtenebrat, nauseam facit, & appetitum deijcit. Costa ait se multoties expertum, quod eadem hora qua illum parienti dedit, eadem hora peperit.

Gariofili calidi sunt, & sicci in secundo gradu, & tertium attingunt. Omnia membra principalia confortant, contra omnes infirmitates frigidas valēt, & ventrem constipant. Virtutem digestiuam adiuuant, & stomachum, bonum odorem oris efficiūt, & nauseam, & vomitum sedant, & in cibis frigidis, & humidis maxime prosunt. Moderatus tamen eorum vsus, propter nimiam suam caliditatem, & maxime tēpore æstiuo, & complexionis calidæ, & exercitij multi. *Gariofili.*

Galanga quæ est vena in grassitudine calami lingnæ, & cortex eius est rubeus, & interius est puluerulenta, calida est, & sicca in secundo gradu. Resoluit ventosita- *Galanga.*

cositates, odorem oris efficit bonũ, confert colicæ, & dolori renum, adiuuat coitum, est bona stomacho, & digestiua cibi. Confert phlegmaticis, & humiditatibus stomachi, & quando tenetur in ore fructum eius, facit erectionem virgæ. Vrinam cit, & vti puluere eius in condimentis cibi bonum est, his qui de venere timere non habent.

Nux muscata. Nux muschata est calida, & sicca in fine secundi gradus. Bonum oris odorem facit, visum confortat, cor, hepar, & stomachũ, & eius os constringit, vrinam prouocat, distillationi vrinæ confert, vomitum prohibet. Meliores sunt rubeę, pingues, graues. Deteriores nigrę, leues, & siccæ. Stringunt ventrem, extenuant splenem, molliunt apostemata dura hepatis. Auferunt fumositates à stomacho, digerunt cibum, expellunt ventositates, & sunt naturæ garoffiliorum. Phlegmatici, & melancholici liberius eis vtantur in cibis, quam calidi, & cholerici, & præcipue in tempore æstatis, & multo labore.

Piper. Piper non maturum est album, & maturum nigrum, sunt in fine tertij gradus caliditatis, & siccitatis, & si album non tantum sit calidum, & siccum. Neruos calefacit, confert dolori ventris, & inflationi quam maxime. Attrahit, resoluit, & abstergit, & melius album, & in partes aliqualiter grossas reductum. Consumit sperma, adiuuat digestionē, & si lõgum, & album adiuuet multum coitum. Humidos, & frigidos stomacho adiuuat, & contra tussim præualet, quando est de grossis humoribus, & etiam febri, quando ex frigidis est. Serpentium morsibus auxiliatur. Angine eo, & melle cõuenienter perunguntur. Cum vua passa manducatum pituitã à capite deijcit. Strumas cum pice discutit. Virtiligines ex nitro emaculat. Frigidis ergo natura, phlegmaticis, & tẽpore frigido abundantius datur, cholericis, calidis, laborantibus, tempore calido minus.

Zinziber. Zinziber calidum est in tertio gradu, cũ multa stipicitate, & humiditate, & ideo tardat in calefaciendo corpus, quod nõ facit piper, longum tamen est ei simile, & faciunt simul diuturniorem calorē. Ventrem soluit, digestioni oppitulatur, stomacho, & oculis proficit. Confert oppilationibus hepatis prouenientibus ex frigiditate, & humiditate. Subuenit coitui, digerit cibum, dissoluit ventositates grossas in stomacho, & intestinis. Consumit sperma, & confert senio, & phlegmati corpori condominanti. Conditum confert ad frigiditatem, & mollificationem stomachi, ad malitiam digestionis, & corruptionem ipsius, & ad eructationem acetosam. Et hæc dicta sint de cibis, & condimentis ipsorum.

Ad primum argumētum negatur minor. Ad probationē rationis dicimus, quod hic loquimur de homine regulato, & non de eo qui certas regulas cibi, & potus excedit, & notabiliter, nisi enim excessus sit notabilis, non est timendum de notabili lesione.

Secundo dicitur, quod dato, quod quis nollet dietam seruare, sed se omni periculo immoderantiæ exponere, bis saltem in anno purgationem debet sumere, (loquendo de his qui magno exercitio malos humores non consumunt, vt Religiosi, studiosi, iudices, & similes) s. in vere, & Autumno, per tres, aut quatuor dies medicamentum assumendo. Nam prima die prima regio (vt Medici dicunt) purgatur, hoc est intestina. Secundo hepar, tertio venæ, in quibus est magna prauorum humorũ colluuies. Qui enim sobrie non viuũt, fere singulis diebus aliquid crudi humoris addũt, quod ad venas attractum, per totum corpus veluti per spongiam distribuitur. In vno igitur anno hi qui immoderate viuunt tantam quantitatem malorum humorum congregant, quantum est vas ducentarum vnciarũ, seu quatuor, vel quinque poculorum. Hi igitur si non purgantur, putrescũt, & letales morbos inferunt. His ergo purgationibus occurrant. Et recordentur, quod milites à fortioribus superantur, & sine armis occiduntur.

Ad Hippocratem dicimus sensum eius esse, quod qui dietæ, & parsimoniæ sunt assueti, non debent aliquando graui pondere naturam grauare, excedendo notabiliter Metas dietæ, quia cum ex ea sibi consuetudinem naturalem fecerint ad tantum cibum, extra progrediendo ruunt sub onere.

Ad secundum dicitur, quod dieta omnibus datur, & si electio ciborum non omnibus concedatur. Dieta autem vigorosior est, adeo vt calor naturalis nō distractus, nec copia ciborum suffocatus, bene digerere poterit omnem cibum prauum, & non consumare tantū etiam bonum. Hinc plus viuet sobrius Religiosus, cum oleribus, leguminibus, & duris cibis, quam immoderatus diues, cum magna quantitate, & varietate ciborum electorum, & optimorum.

Ad tertium dicendum, quod tales sunt rari, & rari roboris, & optimi temperamenti. Argumentum enim deducendū est, quando cetera sunt paria, vt verbi gratia dando duos homines eiusdem temperamenti, vnū sobriū, & alium epulonē, dicimus enim, qđ tunc sobrius diutius viuet. Imò etiam qui multum sunt inferioris temperamenti, parsimonia se incolumes seruabunt, quod non facient gulones, & ventri indulgentes, qui si dietę vacassent, per multos annos amplius, quam durant, vitam traduxissent. Est etiam pro his, quod forsitan magis corpus exercent, vel purgant, quam dietici.

Sed & dicitur, quod parci dies suos ab omni fastidio, & molestia stomachi &c. transeunt, non sic dissoluti, qui semper vel dolore capitis, vel mordicatione stomachi, vel afflictione alicuius membri angustiantur. Tradit enim Arist. in problematibus, fuisse quendam Philosophum Herodicum nomine, qui si & debilissimæ esset naturæ, & tabe laborarer, dieta assumpta ad centum annos deuenit. Et Galenus 5. de tuenda sanitate sic dicit. Arte illa, quæ dietam perscribit, eos qui ab initio ortu imbecillum corpus non sunt sortiti, sensibus illesis, & ab omni morbo, & dolore alienos, ad summam senectutem peruenere. Et de seipso dicit. Ego vero, tam & si nec salubrem corporis statum ab ipso ortu sim nactus, nec vitam plane liberam egerim, hac tamen ipsa arte vsus, post 28. ætatis annum, ne minimo quidem laboraui morbo, nisi forte diaria febri, ob lassitudinem aliquando contracta.

Ad quartum negatur minor in apprehendente sanitatem, & vitam, corrigendus est enim sensus per rationem. Sed & qui gradatim ad dietam accedunt, mirabiles eius operationes, & beneficia experientes, varietatem, & delitias ciborum noxiorum non expectunt. Sobria enim vita morbos pellit, corpus sanum, agile, purum, & à fœditate, & fetore alienum custodit. Somnos quietos, & placidos inducit, cibos ordinarios suos bono appetitu iucundissimos efficit sensibus incolumitatem, memoriæ vigorem, ingenio perspicaciam, claritatem, & ad diuinas reuelationes percipiendas aptitudinem adducit. Libidinis impetum reprimit. Passiones pellit, corpus, & animam maximis bonis repler, vt merito mater sanitatis, hilaritatis, sapientiæ, & omnium virtutum dici possit, & ideo non est paruum, sed magnum bonum, non æquiparandum epulis gulosorū, carnis mancipiorum.

Ad quintum dicimus saporem, & gustum in cibo multum facere, sed cum moderatione, & parsimonia.

Ad sextum dic sicut ad primum. Et addas dietam non importare inediam cibi, & necessitatem, sed sufficientiam, vnde dieta quiescentis non erit dieta laborantis, sed oppressio naturæ, vnde est accomodanda dietantibus, iuxta exigentiam illorum.

QVÆSTIO X.

Vtrum moderatus potus vini prosit vitæ, & inducat sanitatem.

Videtur quod non. Omne.n. simile in suo simili delectatur, & cōseruatur, vt humidum, humido, & calidū, calido. At vita hominis constituta est in calido, & humido, & vinum calidum est, & humidum. Ergo quanto magis quis biberit, tanto aptius vitam conseruabit.

Secundo. Vinum non solum est potus, sed & cibus, vt omnes Medici concedunt. Duplici ergo officio cum fungatur, potus, & cibi, debet in magna quantitate assumi, vt vtrumque valeat explere.

Tertio. Vinum causat somnum. Somnus digestionem, digestio sanitatem. Ergo bene est bibendum, ad bene dormiendum, digerendum, & viuendum.

In contrarium est communis consensus omnium Medicorum.

Dixi-

Diximus in nostro vniuerso elementari, quomodo potus sit necessarius, ad extinguendam sitim, ad humectandum cibum, & ad traducendum eum ad omnes partes, vnde non est opus ista hic repetere. Quare hic antequam transeamus ad species vini dicemus conditiones quas debet habere, & inspicere ille qui bibit, vt in sanitatem, & non in perniciem bibat.

Prima ergo conditio bibitionis est vt sit moderata, ad necessitatem, & non ad ebrietatem, vnde Auicenna 3. 1. doctr. 1. cap. 8. sex mala annuit, quæ ebrietas causat. Primum est, quod calorem naturalem debilitat, vnde non potest cibum in bonum sanguinem conuertere, sed in aquosum humorem illum resoluit. Secundum est, quod hepar sua caliditate adurit, & comburit. Hepar autem est officina sanguinis, vnde id quod sanguinis generatur, adustionem recipit, & sic corpus imoderate excalefaciendo adurit. Tertium, suis multis fumositatibus bonam cerebri dispositionem dissoluit, & destruit, reddendo hominem bibentem calidum, phreneridi, aut maniæ subiectum, & frigidum epilepsię, letargo, apoplexię, & alijs multis malis suppositum. Quartum est neruorum imbecillitas, vnde tales redduntur tremuli in capite, manibus, ac omnibus membris, & sępe sequuntur paralesys. Quintum est apoplexia. Replet enim immoderatus potus vini ventriculos cerebri pituitoso, crasso, lentoque humore, ex quo fit apoplexia. Sextũ est sępe repentina mors, quia loca respirationis fumositatibus, & humoribus replet, & sic spiritus vitales occidit. Vide Galenum 3. de temperamentis.

Vinum autem moderate sumptum. Primo, distribuit bene, & cõmode omnem cibum ad sua membra. Secundo, phlegma incidit, & resoluit, meatuum obstructiones aperit, & naturam ad purgationem incitat. Tertio. Flauam bilem per vrinam, sudorem, excrementa, & transpirationem insensibilem, si vinum sit tenue, & subrubeum, vel albũ non potens, expellit. Quarto, atram bilem, quæ est crassa, & tardi motus, per proprios meatus ab hepate ad splenem, & à splene ad os ventriculi deducit, & vna cum fecibus à corpore expellit. Quinto, melancholiam tollit, vel temperat, quia animum exilarat, lætum, audacem, magnanimum, liberalemque reddit. Sexto, omnes lassitudines tollit, membraque corroborat, & calefaciendo consolidat, & fortificat. Septimo, celerime nutrit, spiritum, & calorem naturalem confortat, totum corpus calefacit, cerebrum purgat, intellectum excitat, cor exhilarat, iram mitigat, tristitiam remouet, actum coniugij inuitat, semicrudos humores concoquit, & totum hominem viriliorem constituit. Appetitum excitat, tuetur, & cõseruat.

Secunda conditio est, vt vinum non bibatur stomacho, ieiuno, exinanito, aut post cibum acutum, aut post balneum, neque post motum fortem, aliter incurret spasmum, & mentis alienationem, vt dixit Auicenna 11. tertij tract. 2. cap. 8. & Galenus in 2. Aphorismorum comm. 21. Et quandoque repentinam mortem, sicut testatur de experientia Antonius Quarnerius Papiensis. Per modum tamen medicinę in modica quantitate poterit sumi à ieiuno vinum merum, & bonum, ad confortandum stomachum, & calefaciendum. Non tamen approbo dictum Scolæ Salernitanæ dicentis. Si nec turna tibi nocet potatio vini. Hoc tu mane bibas iterum, & fuerit medicina. Nam non est addendus ignis, igni, nec indigestum, indigesto. Ad prouocandum vomitum licet, & in assuetis ad sedandum stomachum.

Tertia est, vt non bibatur vinum tempore digestionis, quia eam impedit, & super cibum supernatat, nec cum eo bene copulatur, vt obseruauerunt Auicenna in 1. tertij, doct. 2. cap. 7. & Galenus lib. de dissolutione continua. Sed si sitis mulum vrgeat, pitissando, & parumper bibendo modicum aquæ, erit siti succurrendũ, sed eam sufferendo melius erit, quia cum somno deficiet. Non negant tamen supradicti, quod postquam cibus à stomacho descendit, non possit moderate bibi, nam defert accomodatius cibum ad membra, & multum impinguat. Sed hoc non suadeo nisi assuetis.

Ita

Ita etiam non est bibendum, vt diximus, nec aqua, nec vinũ, post balneum, post magnum motum, vel exercitium, nec comedendum post coitum, quia cum sanguis ebulliat, ignem addimus igni, vel addendo aquam frigidam, violentiam infert sanguini, vnde se colligendo ad cor, trahit secum malas qualitates, & quandoque interficit, vel acutam febrem facit. Ita post cibos, & præcipue fructus, & condimenta calida non est bibendum vinum, sed potius aqua, ne magis accendamus ignem. Post frigida vinum est bonum, vt dixit Arist. in 22. problema problemate 8.

Quarta conditio est, vt tanta quantitas vini sumatur solum, quę non causet rugitum, nec supra cibum natet, vt dixit Auic. in 13. tertij tract. 1. c. 29. & Gal. 1. Terapenticæ cap. 6. Si quis autem bene vult bibere parum comedat, nec rem dulcem sumat, minus enim nocebit. Sed Auicenna dicit. Si ex cibo, aut vino repletio acciderit, ipsum euomat, & hydromel bibat, & postea etiam ipsum euomat, deinde os suum, aceto, & melle abluat, & faciem aqua frigida. Necesse est enim, vt hanc euacuet repletionem, ne forsitan putrescens, ad putridam febrem, vel alteram grauiorem ægritudinem perducat.

Quinta est, vt aqua frigidissima, & vinum glacie, niue, vel frigidissima aqua frigidum effectũ non bibatur. Dicit enim Hippocrates 17. Aphorismo particulæ quintæ, frigidum spasmos, & thetanos facit, & nigriores, & febrium rigores, & 18. Frigidum est inimicum neruis, ossibus, dentibus, cerebro, spinali medullæ, &c. Et 24. Frigida velut nix, aut crystallus sunt inimica pectori, & tusses commouentia. Vnde Isaac cap. 11. dictarum vniuersalium dixit. Et si frigida, vt nix bibita, in corporibus iuuenum lædere non appareant, nocumentum tamen eorum paulatim se adunat, licet ipsi non sentiant, sed exeuntes a iuuentute, & subeuntes senectutem, in multos, & diuersos morbos incidunt, qui incurabiles sunt, & diu in visceribus permanent, & articulis, & neruis, quia frigiditas semper membra percutit debilia, & multum sensibilia. Quare vinum multum frigidum non commendatur, nisi assuetis, frigidum tamen aliquo modo permittitur in æstate carnosis, multum sanguineis, rubeis in facie, & fortem habentibus appetitiuam.

An vero liceat tempore hyemis vinũ excalefacere, vel per ignem, vel per aquã calidam ad extra applicatam, vel cum vino mixtam, vel per panem tostum calefactum, vel per laminam ferream, vel auream immissam.

Respondetur, quod sicut tempore æstatis vinum ex cella vinaria simpliciter acceptum bonum est sumere, quia locus ei proportionatur, ita etiam in hyeme bonum erit illum degustare, prout ex cantina venit de recenti. Aliqua tamen tepiditate illum à magno frigore remouere non censeo inconueniens, quia calidum est amicum naturæ, & frigidum inimicum. Vide si vis aliqua ad hoc propositum apud Ioan. Baptistam Vertuam Medicum, in suo tractatu de morte retardanda, cap. 31.

Sexta est, quod pueri vsque ad 18. annum non debent bibere vinum, ne ignis igni addetur. Hoc fuit præceptum Platonis apud Galenũ 1. de regimine sanitatis, & de virtutibus animalibus cap. 10. Et Arist. de somno, & vigilia. Auerrois 6. Collig. Rasis 25. Continentis cap. 1. & aliorum. Vsque ad 18. ergo annum nullum vinum degustabunt, quia cum sint sua natura calidi, & humidi, non indigent vino nisi ad illorum excessum. A 18. autem vsque ad 30. permittendum est eis vinum sed multa aqua dilutum. Supradicti negant etiam vinum nutricibus, & mulieribus, & certe si in nostris locis permittatur eis, non nisi bene aquatum concedendum est, & potius secunda, vel tertia vina, quæ dicuntur posche, etorchiati, nullo vero modo vinum potens, & validum.

Similiter denegatur debilitatem neruorũ patientibus, quia vt dicit Auicenna in 2. tertij vinum facit penetrare malas materias ad neruos, & sæpe in stomacho debilium acescit. Acetum autem perniciosum est debilitatem neruorum sustinentibus, & est sententia etiam Galeni comm. 5. libri Aphorismorum.

Ita vult Auicenna in 3. primi cap. 8. quod patientes debilitatem cerebri debeant illud degustare in parua quantitate, & mix-

mixtum bene cum aqua, & nullo modo vinum generosum. Et Galenus lib. de subtiliante dieta cap. vltimo sic dicit. Quæcunque vero vinorum sunt odorifera, & calidiora alijs vinis, merito tangunt caput, & hæc oportet vitare eos, qui laborant Cephalea, vel Hemicranea, & alios Cephalagicos, Epilepticos, & maniacos, & in summa dicendo omnes, quibus patitur caput.

Septima conditio est, quod vinum bibitū sit bonum, idest medium inter vetustatem, & nouitatem, clarum, declinans ad rubedinem, bonum habēs odorem, & saporem, non acre, nec dulce, & viuum. Oportet ergo, vt negotium istud facilitetur de speciebus vini dicere in singulari.

De vino aquato.

VInum dupliciter potest dici aquatū. Primo naturaliter, quia est subtile, diaphanum, gustabile sine aliquo forti sapore, quod cum aqua miscetur, eam non tollerat, vnde ab antiquis paucifeorum vocatum est. Secundo, artificialiter, quia in mensa aqua ei apponitur, & diluuitur. Dicimus ergo, quod vinū artificialiter aquatum nō laudatur his, qui sunt imbecillis stomachi, vel cerebri, quia vt dicit Auicenna in 3. primi doct. 2. cap. sic velocius penetrat, ledit, & inebriat. Quod etiam dixit Arist. in 3. problematum particula, probl. 3.

Nec habentibus debilia viscera. Præparat enim ea ad cholicam ventosam secundum Auicennam in 16. 3. tract. 3. cap. 6.

Alijs vero non patientibus debilitatem stomachi, cerebri, vel intestinorum, sed sunt iuuenes, carnosi, laboriosi, calidi, & fortes, multum commendatur eis vinum, aqua dilutum. Facit enim eos melius dormire, quia plus humectat, & mundificat, abluit, & confortat, sudorem cit, præcipue si fuerit album, & subtile, & bene mixtum. Melius sitim sedat, & minorem turbationem facit.

Vinum vero naturaliter aquatum, quod nos dicemus paruum, (seu picciolo) has operationes apud Doctores in summa habet. Facile acescit, parum nutrit, vrinam prouocat, caput non alterat. Cibum penetrare facit, virtutem viuificat, cito digeritur, venas citius perforat, neruis nō nocet, calorē, & sitim melius extinguit, natationē cibi i stomacho impedit, ventositatem resoluit, animū lætificat, & naturā ad expellēdas superfluitates adiuuat, dolores capitis sedat. Et potest secure concedi febricitantibus, non in initio morbi, sed ab aliquibus diebus, si vere sit vinum album, subtile, aquæ vicinum, & teneat colorem, & consistentiam aquæ. Et ne hæc mea videatur opinio, pono Doctores, qui hoc affirmant. Nam Galenus 5. Terapenticæ sic dixit. Meliora vina ad vrinationem sunt, quæ subtilla existunt, & caput minimo tangant, & propter has causas calefactis corporibus, & febricitantibus sunt conueniencia. Et Auicenna in 1. quarti tract. 1. cap 39. Vinum album subtile commixtum est melius febricitantibus, quam aqua, propter illud, quod est in eo de prouocatione, & sudatione. Et infra. Vinum factum per commixtionem confert febricitātibus cholericæ in declinatione præsertim, quoniam infrigidat, & humectat vehementer. Et Isaac in particularibus dietis. Vinum album, & aquosum (potest enim quando ebullit fieri aquosum) securius datur febricitantibus, cum facile fumo, & sudore egrediatur. Et hoc magis habentibus stomachum frigidū, & phlegmaticum.

De Vino Albo.

VInum album omnium Doctorum consensu reliquis est minus calidum, & minus nutrit, & de natura aquæ in colore, & qualitate retinet. Est bonum ad excitandum vrinam, non efficit capitis dolorem, immo ipsum alleuiat, quān do nascitur ex stomachi ardore. Prodest excalefactis, facilius digeritur, velocius venas perforat, & velocius per sudorē, & vrinam expellitur, & magis alijs sitim extinguit.

Illi autem qui multo indigent nutrimento, vel indigent calefieri, quoniam habent stomachum debile, phlegmaticū, & frigidum non debent eo vti, quoniam parum nutrit, multum infrigidat, & laxat.

De

De vino citrino, dicto albo etiam.

Est aliud vinum, quod etiam communiter dicitur album, cum tamen ad colorem Citrinum accedat, & est potens, & generosum, ex vuis montanis, vel multæ caliditatis collectum, bene maturatis. Hoc fortioris est caloris, & robustioris acuminis, citius ad membra transmittitur. Rubeam parit choleram, & cephaleam, & in sanis, & in ægris dixit Habiates in 5. Theoricæ, cap. 30. Et Galenus in 3. regiminis acutorum com ment. 9. sic de eo dixit. Vinum citrinũ vehementius ledit caput, & mentem, quoniam est calidius nigro, & propter hanc causam fit addẽs in febribus, quod est, quoniam conuenientiora in febribus sunt vina aquosa tantum. Facile Inebriat, sed leuissime dissoluitur. Tolerat multam quantitatem aquæ, & si fit purum, & antiquum sanat corpora quę refrigidata sunt præter naturãm, & ab Opio, & huiusmodi, & confert vltimo iuuamento. Nocet tamen cerebro, mentemque percutit, calidisque complexionibus, & hepate non est prficuum, & pro frigidis, senibus, & regionibus frigidis teseruatur magis. Dissoluit tamen grossos humores, vias venarum de putredine mundificat, ac putredinẽ, & sanguinem clarificat. Et ideo vinum maluaticum, grecum, & montanum validum caueatur à calidis, nisi illud in modica quantitate sumant ad dissoluendum grossos humores in stomacho existentes, & hoc in hyeme, & in principio cibi, non post, nec in æstate.

De Vino rubeo, & nigro.

Vinum rubeum, & clarum dicit Haliabates in 5. Theoricæ cap 30. fortis est caloris, & siccitatis. Cito ex stomacho transit. Sanguinem generat, qui ad acumen declinat, naturalem calorem confortat.

Vinum vero nigrum, & grossum. Multũ nutrit, & maxime si sit dulce, parum prouocat vrinam, tarde caput ascendit, soda tamen facit, id est dolorem capitis, & difficilem ad sedandam ebrietatem causat. Grauat stomachum, durum est ad digestionem, difficile ad perforandas venas, vrinam non prouocat, tarde ad caput ascendit, ideo non facit ebrietatem, sed si fecerit, tarde dissoluitur, oppilationes facit.

Vinum autem si grossum fuerit, nigrum, & dulce sanguinem ingrossat, & scabiem producit. Pro iuuenibus melius est, quam pro senibus, nam in eis oppilationes generat, & calculos in renibus, si illo assuescant dixit Galenus. Item ventositatem, & inflationem generat. Sanguinem turbidum, & grossum creat, melancholico pertinens humori, & ideo debemus cõcludere cum Galeno 4. de regimine sanitatis. Fugiendã sunt vina grossa, & nigra, vt cachochima, & tarde incedentia.

DE VINO DVLCI.

Vinum dulce calefactiuum est, & grossum secundum Galenum 3. de regimine acutorum com. 2. membra oppilat, & singulariter hepar, pręcipue si in eo esset apostema, vel durities, post he par spleni etiam nocet. phlegmaticis aduersatur. Ventrem soluit, quia in omni re dulci, vis lassatiua, & colatiua inuenitur. Si inuenit in corpore aliquid sibi contrarium impeditiuum, calefacit illud, ebullit, & ascendit ad partem superiorem stomachi, & conuertitur in cholericos humores. Sitim generat, & ventositatem in superiori parte lateri nociuam. Lapidem generat in renibus, maxime quando in eis inuenit præparationem, vel digestiuam repererit debilem, & periculum facit de hydropesia. Et si post mel bibatur facilius in choleram conuertitur. Nutrit tamen multum, sed si multum dulce fuerit, vt est muscatellum sanguinem corrũpit, & tria omnium dulcium incommoda secum trahit. Primum est, quod fastidium generant. Secundum cito in flauam bilem conuertuntur. Tertium oppilant, & insuper sitim generant. Acida vero oppositum faciunt. Vinum autem dulce minus caput grauat, minusque mentem ferit, minus inebriat, corpus extenuatum magis reficit, & impinguat. Crassis vero minus conuenit. Aperit oppilationẽ pulmonis, & sputũ adiuuat.

De

De Vino Acreſtino, Auſtero, Stiptico, & Pontico.

Vinum ſtipticum, & Acreſtinum alijs vinis comparatum eſt paruæ caliditatis. Confert diariæ, ſed vrinam non prouocat. Conuenit calidis complexionibus, & hepate inflãmatis, & ſtomacho inflatis pariter. Sitim remouet etiam, penetrare facit cibum, viuificat virtutem, & excuſat à potu aquæ frigidæ, facientis triſtari, & iraſci ſuo frigore. Durius tamen, & grauius eſt alijs vinis, & tardius ad digeſtionem, & venas difficilius perforat.

Vinum autem ponticum virtutem cõfortat, & inteſtinã, ſtringit egeſtionem de ſtomacho defectione maxime ſi ſolutio cauſa caloris fiat; cuius ſigna ſunt ratura inteſtinorum. Difficile tamen eſt ad perforandum venas, non prouocat nec vrinam, nec ſudorem, nec bonum ſanguinẽ generat. ex Iſaac in particularibus dietis.

Vinum Ponticum eſt groſſum, illaudabile dat nutrimentum, durum eſt ad digerendum. Vrinam non prouocat, ventrem conſtipat, tarde ad caput aſcendit, ſtomachum, & cerebrum confortat, Iuuat eos, qui malas & frigidas aquas biberunt, vel niuem.

Vinum auſterũ ſtomachum roborat, ſed infrigidat, & eſt relinquendum.

De Vino nouo, ſeu Muſto.

Vinum nouum quod nondum eſt clarificatum, generat ſanguinem vaporoſum, feculentum, & tenebroſum. Sed ſi nouum ſit, & clarificatum dicit Auicenna in 11. tertij trac. 2.c.8. Fortiter ſpiritũ aggregat, ipſum confortat, coitum commouet, & ſperma generat. Vinum tamen nouum periculum facit deſolutione ventris hepatica: Multum nutrit, malos humores generat, inordinata ſomnia repreſentat, ventoſitatem, inflationem, & tormina in ventre congregat. Non habet vim ducẽdi cibum per corpus, neque vrinam prouocandi, cauendum à frigidis & humidis complexionibus, & niſi ventrem ſubducat, nociuum quam maxime eſt, & eo magis ſi adhuc dulce eſſet, & turbidum. Infirmitates etenim generat.

De Vino veteri.

Isaac in particularibus ſuis dietis ex Galeno dixit. Vinum nouum calidum eſt in primo gradu. Vetus ſeptẽ annos tãrſiens in 3. A duobus annis vſque ad quatuor in 2. Hinc eſt quod vinum vetus cum ſit multum calidum non laudatur in via potus ſed tantum Medicinæ. Parũ nutrit, parum confert [illegible]ritudinibus neruorum, imò ſumptũ in multa abundantia eis nocet, & Auicenna in 13. tertij tract. 2. ca. 20. ſic dixit: Multocies moritur homo ex potu vini veteris, inflammatus, & conturbatus, & ſitiens. Et Galenus in 2. interiorum ſic. Seruus grammatici, bibens vinum vetus, inuigil deinceps factus, à febre, & deſipientia captus expirauit. Cito enim caput petit, & mentem percutit. Confert tamen moderate ſumptum his in quorum vaſis multitudo humorum crudorum eſt accumulata ſm̃ Galenum. Et ſi perdidit ob antiquitatem odorẽ proprium, & factum eſt amarum omnino ſpernatur. Nocet coitui, & pelliculis cerebri.

De Vino optimo.

Galenus 13. Interotechni tex. com. 205. deſcribens optimum vinum dixit. Potus quidem aptus vinum eſt ætate medium, forma vero purum, lucidum, in colore vero albũ, aut ſubrubeum, odorem vero ſua-

Mixtum. uem,

uem, in gustu vero nec aquosum, omnino, nec aliquam vehementem cruditatem ostendens, nec sticicũ, nec amarum, neque dulce. De his ergo conditionibus vini modo aliqua breuiter dicemus.

Prima ergo conditio boni, & sani vini est, vt sit medium inter vetus, & nouum, de qua re supra diximus. Censeo autem hoc medium stare in anno, quia in tanto tempore defecatum est ab omnibus fecibus, & non est positum vltra suam naturalem dispositionem.

Secunda est vt bonum teneat odorem, quasi testimonium suæ bonitatis, quia vt dicit Isaac in particularibus dietis. Vinum odoriferum suum liquorem significat esse subtilem, temperatum, & ex omni sorditie mundificatum, penitusque digestum, vnde durum sanguinem generat, ac laudabilem, & mundum, cor confortat, animum lætificat, angustiam expellit, citius digeritur, melius nutrit, vrinam, prouocat: Sed citius offendit suo odore caput, & inebriat, ebrietate tamen presto curabili. Vinum vero mali odoris ob suam frigiditatem, & cruditatẽ minorem noxã capiti suggerit, & vinum nullius odoris nullam. Et in summa si verum est, quod Hippocrates testatur lib. de alimentis 5. quod iocundo odore vires cellerime reficiuntur, & quod malo eo franguntur, bonus odor vini non solum odoratum reficiet, verum etiam omnibus potentijs robur tribuet.

Tertia est, quod sit boni saporis, quia sapidum recte cum voluptate assumitur, auidius à ventriculo attrahitur, & melius nutrit. Diximus autem supra de differentijs vini in sapore, ad quæ te remitto.

Quarta est, vt splendeat, & quasi faciat in ciatho saltũ, quia signum est eius subtilitatis, & viuacitatis.

Quinta erit pro frigidis, & bonum caput habentibus, & sobrie illo vtentibus, vt vinum sit forte, & potens, quia tale plus alijs calefacit, nutrit, corroborat, & spirituum copiã generat. Has et alias conditiones declaratas supra habes a schola Salernitana his verbis.

Vina probantur odore, sapore, vigore, colore.
Si bona vina cupis quinque hæc laudantur in illis.
Fortia, & formosa, & fragrãtia, frigida, & frisca.

Ad primũ dicimus ad maiorem quod simile conseruatur à simili sibi proportionato, non excedente. At vinum in quantitate sumptum excedit caliditatem, & humiditatem naturalem, vnde ista lædit, & suffocat.

Ad secundum pariter dicitur, quod vtrumque officium in proportione obire potest, in excessu minime, vnde moderate, est sumendum, & non ad ebrietatem, & excessum.

Ad tertium dicimus, quod multum vinum non solum causat somnum, sed etiam alienationem omnium actuũ potentiarum animæ. Et si causaret somnum inordinatum non causaret digestionem, sed extinctionem, vt patet in letargicis. Nec omnis digestio extra metam causa est sanitatis.

QVÆSTIO X.

Vtrum aqua bona prosit sanitati.

Videtur quod nõ. Primo. Quod est inimicum conseruantibus vitam, & sanitatem non potest pro eis facere. At aqua frigida est, & frigidum est vitæ inimicũ, & humida est, & humiditas frigida an coniuncta improportionata est vitę, cum ipsa stet in humido calefacto. Ergo non facit nec ad vitam, nec ad sanitatem.

Secundo. Quod comparatur morti aduersatur vitæ. Sed aqua, & mors assimi-

assimilantur adinuicem, vnde habet scriptura. Nos quasi aqua dilabimur. Ergo,&c.

Tertio. Quæ faciunt ad vitam,& sanitatem faciunt etiam ad nutrimentum,cum sine hoc ista corruāt. Sed aqua per Arist. est potus,sed non cibus, quia non nutrit. Ergo inutilis est vitæ,& sanitati.

In cōtrarium est, quod panis, & aqua dicuntur vita hominis.

Antequam ad singularia aquarum descendamus. Notādum,venit quod aqua non solum necessaria est vt elementum prout in vniuerso elementari ostendimus, verum etiam vt dicit D.Basilius in Hexam. Cęlum tēperat,terram fœcundat, aerem suis vaporibus incorporat, & condensat,ascēdit in sublime, & cęlum sibi vendicat. Sed vlterius in ordine ad corpus humanum in singulari duo operatur. Primo enim cibum per totum corpus portat, sua subtilitate,& liquore, cibumque alterat, vt venas penetrare valeat. Secundo sua frigiditate, & humiditate caloris acumen, extranei,& naturalis atēperat, sitim mitigat, fumum circa cor accumulatum dissoluit, & naturam in sua actione confortat. Humidum radicale conseruat,fecum egressum, et superfluitatum causat. Imò de ea dixit Galenus in 1. de regimine sanitatis. Bona aqua omnibus ætatibus congruit,quod non de vino contingit, vel cibarijs, et licet non sit cibus,est tamen cibi compositor, & calidam habentibus complexionem plusquam vinum est conueniens: Ei cui condominatur humor niger confert si sit inflammatus, in quo generatur cholera nigra, vel in quo accidit ayda in principio morbi dixit Rasis. Insuper confert ad faciendam bonam digestionem, & penetrationem nutrimenti,& inductionem ipsius per membra, & facit bonum augmētum,& bonum sensum totius corporis, & leues motus eius. Prouocat menstrua, confert visceribus, capiti, & neruis, laboranti pleuresi, periplemoniæ, dolori gutturis, saltui cordis, exitiuis magnis. Digerit hæc omnia vitia in potu data, aut si balneatio fiat in ea,calefactionem mitigat, & omnia accidentia quæ fiunt ex morsu choleræ.

Sed animaduertendum est cum datur infirmo magno calore æstuanti, vt cum re grossi succi, vel entitatis detur, & graui,vt cum Psilio, vel Pane, & simili re, vt fiat grossior, & grauior, nec calorj obediat extraneo, sed per eam sitis extinguatur, & calor mitigetur,nam quando inuenit fortē caloris quantitatē, adeo vt nequeat ei repugnare mutatur in ipsum patiendo, sicut videmus in exterioribus aquam in ignem transire, mutatur enim in igneam naturam pro sui subtilitate, vnde. ignis confortatur, & augmentatur, & ideo, vt diximus est ingrossanda, & grauanda.

Secundo. Considerandum venit quod ad hoc vt aqua fiat salutaris,& non nociua debet habere quædam. Primū est quod habeat bonum colorē, & bonum odorem, & bonum saporem.

Quoad saporem nullius debet esse saporis, quia sic est in maiori sua puritate,& simplicitate, cū aqua secūdū si sit insipida,& nullo sapore prædita. Vnde solum ab extrinseco alterante saporatur.

Quoad odorem pariter omni eo debet esse priuata, cum secundum se talis sit naturæ. Sed si odorem portet, non debet esse odor putridus, fæculentus,vel malus, sed bonus,& subtilis.

Pariter in colore debet esse albissima, clarissima, nitida, & pura,ita vt lapides, & omnia, quæ sunt in eius fundo clare videamus.

Secunda est, vt sit leuis, & subtilis, vt dixit Hippocrates lib. de aere, & a-

qua, quoniam aqua quæ est leuior in pluribus dispositionibus est melior. Cognoscitur autem pōdus per mensuram cum in duabus aquis diuersis, duo pāni, aut duo cota vnius ponderis madefiant,& postea vehementer exficcentur, deinde ponderatur, quia aqua cuius cotum leuius erit, melior. Vnde dixit Rasis in 3. Almansoris c. 4. Aqua quæ pondere leuior est calorem quæ et frigiditatem velocius suscipit, saporem retinet meliorem. scilicet quæ ad dulcedinem parumper declinat, melior iudicatur. Et Isaac Accipiantur linei panni, tenues, et veteres, eosque medios diuidamus, æqualiter madefaciendo in duabus aquis, et in vno loco suspendantur, et in vno tempore, et qui prius erit siccus, aqua erit leuior, et subtilior, et tali in potu, coctionibus huiusmodi pro quibuscunque oportuerit, vtendum est.

Tertia est ei assignata ab Hippocrate his verbis lib. de aere, et aqua dum dixit. Aqua aliatū optima saporata, quæ in hyeme calida, æstate frigida, et melior est, quam ab ortu solis, et maxime æstiuo tempore decurrit, alba, perspicua, atque proculdubio odorifera est.

Quarta est ne sumatur valde frigida. Nam dicit Isaac in particularibus dietis. Porrò aqua frigidissima plurimum est neruorum, pectoris, et intestinorum percusiua, generatq; dolores in ventre, et omnibus instrumētis spiritus, et etepaturam in suis venis, quam qui assidue biberit, incidet in spasimum, et dormitationem membrorum patietur, et tethanum et epilepsiam, ideo oportet, vt cum vino misceatur, et temperetur. Præcipue autem nocet omnibus humidam naturam habentibus, et senibus, et ieiunis, et calidis ex motu, vel exercitio, nam eos etiam necare potest.

Quinta est, vt nec etiam bibatur aqua calida, nec in actu, nec in potentia sua, quia est salsa, sulphurea, etc. Dicit enim Auicenna in 2. primi doctrina 2. capit. 16. Aqua calida digestionem corrumpit, & facit natare cibum, neque extinquit sitim, & quandoque ad hydropesim, & ad ethicam adducit, & consumat corpus. Tepida nauseam facit, & cum est calidior, si in ieiunio bibita fuerit, multocies stomachum lauabit, & ventrē soluit, vnde nō est frequentanda. Multum calida quandoque cholicam resoluit, & splenis ventositatem frangit.

A salsa autem abstinēdū est, quoniam macrescere facit, & exsiccat, licet primitus ventrem fluuere faciat, deinde enim ventrem stringit, & sanguinem corrumpit, scabiem, & pruritum generat.

Pariter alluminosæ non sunt bibendæ. Nam menstrua impediunt, & sputum sanguinis, Emoroidas stringunt, & apta febribus, febricitare faciunt.

Ita & aquam salsuginem, & nitrositatem habentem cauere oportet, quoniā calefacit, & desiccat, ventremq; accidentaliter constipat, in initio enim dissoluit humores grossos, & pungit intestina, in fine vero ventris humectationem desiccat, vētremq; accidētaliter cōstipat, et ei resistit ne per secessum exeat: Et alibi ratione sulphureę, alluminosæ, æneæ, & ferreæ, & huiusmodi, nisi gratia medicinæ aquis his vtendum est, nisi cum fortiter volumus calefacere, exsiccare, abstergere, & inflāmare. Et propterea errant sani ad balnea accedentes vt per ea purgentur, nescientes, quod post quandam ventris solutionem, constipet, & membra inflammet, vnde facile postea in infirmitates incidunt, & in Ethicā.

Sed per supradicta aquam coctam nolumus damnare pro febricitantibus, & infirmis, & quibusdam sanis quibus potus vini non conuenit. Nam Doctores dicunt quod decoctio

ctio aquam retificat,& efficit,vt minoris fit inflãmationis, & velocioris descensionis. Decoctio enim ab ea tollit spessitudinem frigoris, vnde remanet leuior,& clarior. Non tamen omnis aqua pro supradictis decoquitur, sed solum fontalis, pluuialis, vel cisternæ mundæ, non in longũ in ea retenta, vnde cessandũ est ab aqua puteorum, quia ista stomachum ventositatibus replet, & ipsum debilitat, eructareque facit, & de difficili transit,& vt melius sciatur quæ aqua sit bona, & quæ non,de his in specie agemus.

De Aqua Fontis.

VOlunt omnes Doctores Medici multo esse pensandam originem aquę. Isaac autem in particularibus dietis sic dixit. Origo cursus laudabilis aquæ necesse est vt sit contra Orientem aliquantulum, septentrionali pertingens plagę, & septẽtrionalis. & orientalis ventus eam perflet. Fluxus vero eius necesse est vt sit fixus, & velox, currens super lapides paruos, & arenas clarissimas,nullam habens immunditiam, aut cursus supra cretam sapidam, nimisque munda, colorque eius rubeus, aut niger, huiusmodi enim aqua subtilis est,& leuis &c. Auicẽna autẽ in 2. primi,ca. 56 vult,quod aqua bona sit fontis, sed fontium terræ liberę, & non loci in qua aliqua, mala qualitas abũdet,aut fontis petrosæ ne limo putrescat. Debet igitur esse fontis, terræ liberæ, petrosę, currentis, Soli & ventis discoopertę,& si currat supra lutũ nõ fętidũ, nec feculentũ erit melior, illa quæ currit supra petras, quia istæ non colãt ipsam, & mundificãt, sicut collat illa quæ trãsit supra lutũ solidũ bonum. Debet etiam contra Solem currere, idest contra Orientem,vel saltem contra Borream, & septentrionem, quia hæ aquæ meliores sunt illis, quæ currunt ad meridiem,& occidentem,& quanto magis aqua elungabitur à principio, & plus cucurrerit tanto erit melior, quia plus erit rupta,& fracta. Debet autem quæ bibitur esse de recenti à fonte extracta, ne recipiat à tempore putrefactionem, vel aliquam malam qualitatem. Aquas tamen illorum fontium, qui non currunt, & frigidissimæ sunt,& si claræ, tamen reperi multam cruditatem habere, & infrigidare vehementer, sed hoc secundum loca à quibus surgunt.

De Aqua fluminum.

FLumina sunt in duplici differentia. Quædam enim ciuitates percurrunt,vel prope eas,& in eis sordida, & immũda proijciuntur, Alia vero sunt quæ longe à ciuitatibus currunt,nec aliqua immũditia fædantur. Aquam fluminum huius secundi generis, comendauit Hippocrates, Auerroes, & alij maxime fluuij magni, & lati, quia aquæ tales melius coquuntur à Sole,vnde à Medicis similis aqua cocta datur habentibus debilem stomachum, & hepar. Et tanto erit melior, si supra fundum solidum lutosum currerit, quam supra petras, & melior si supra petras,quam supra arenam, ratione facta in superioribus. Accedit etiam quod ista aqua laudatur, quia pluuialis est, & talis est bona, dũmodo sit clara & purgata. Aqua vero fluminũ immunditijs cõtaminatorum quia vel in eis ponuntur immunda ciuitatũ, vel bestiæ mortuę,vel maceratur linum, vel panni abluuntur, vituperatur, quia a supradictis recipit multas malas qualitates, & sorditates. Aqua autem fluminum ex aqua pluuiali factorũ tãto est minus bona quãto, magis à suo elungatur principio,quia magis perdit de bonitate aquę pluuialis.

Cauea-

Cauendum est autem semper ab aqua turbida, quousque est turbida, quia oppilationé, calculos in renibus, & multos alios morbos facit nã feces relinquit in corpore, quas deponeret, si depurgaretur in vase.

Si quis autem esset in itinere, & sitiret, non inueneretque nisi aquam turbidam, (aquæ enim fluminum fere semper sunt turbidæ) dicit Isaac recipiat in ea puluerem bol ichymoleæ, spodij, & similium. Humidas vero naturas habentibus donetur cum amygdalis dulcibus, & tritici farina. Et mixta cum vino albo claro, & sincero non tantum nocet.

Solet autem clarificari, illam de vno ad aliud vas sæpe transmutando, quod si fieri no poterit per collatorium, quod ex farina torrellarum madefacta sit coopertum coletur. Item allumen tritum eam colat subito, & clarificat. Item eam coquendo, vel sublimando, & distillando, vel ex lana retorta faciendo lichinum, cuius vna extremitas in vas plenum ponitur, & altera in vas vacuum, sic enim guttatim ad vacuum descendit in vas plenum.

De Aquis Puteorum, Cisternarum, Paludum, & alijs non currentibus.

AQua Puteorum (dicit Auicenna in 2. primi, doct. 2. c. 16. & aquæ ductuum sunt malæ comparatione aquarum fontium, sunt enim aquæ constrictæ, terreistreitates longo tempore recipientes, et ideo non potest esse, quod in eis non sit aliqua putrefactio. Et illæ sunt deteriores, quæ per aquæ ductus factos ex plũbo deducuntur, quoniam aliquid de eius qualitate recipiunt, vnde frequenter ad dissenteriam ducunt.

Aquæ similiter Cisternæ non approbantur, præcipue si in ea per longũ tempus steterit, quia sic recipit malam qualitatem à fumositate terræ, et cum non currat non potest laudari, quia non bene purificatur. Quãuis enim sit pluuialis, tamen quia moratur in Cisternis, cõtrahit grossitiem, grauitatem, et aliquando stipicitatem, et conuertitur cito ad calefaciendum, vnde non est danda infirmis, nisi cocta, et si pluuialis, vel fontis haberi possit nullomodo.

Aqua paludalis omnino illaudabilis est. Generat enim pessimos humores, hydropesiã, et oppilationes. Extenuat corpus, debilitat vires, tollit appetitum, et colorem rubeum generat, dolorem in oculis, catarros in pectore, et multa alia mala inducit.

De Aqua pluuiali.

AQuam pluuialem præceteris commendatam inuenio apud Auicennam in 2. primi doct. 2. c. 16. dicentem. Ex aquis quoque laudabiliori- bus sunt aquæ pluuiæ, præcipue quæ veniunt in æstate, et ex nubibus cũ quibus accidunt tonitrua, sed cito corrumpitur, quia est valde subtilis, vnde si bibatur à quibusdam diebus corrumpit humores, et impedit pectus, et vocem. Debet, autem esse munda, et custodiri in cisterna optime lota, quia in ea multo plus conseruabitur; et ista secundum Isaac minus alijs est humida ex quadam sua stipticitate confortat potius, quã lædat stomachum: Valet ait Auicenna, ad digestionem, ad vrinam prouocandam, ad hepar, splen, renes, pulmonem, et neruos, et tamen non habet in se vim infrigidatiuam vehemẽter. Magis humectat, et putrescit cito, et hoc significat super bonitatem ipsius, quia alteratur cito, extenuitate eius, nam sol quod subtilius est ab aquis attrahit, in nubes condensat, et in pluuias resoluit, et ideo aquæ pluuiales, mundæ, claræ, expurgatæ, et in cisterna bene custoditæ sunt alijs meliores. Cauendum est

est tamen ne vt dixi citò putrescant, vel per sordida loca transeant, vel malum odorem concipiant, aliter inferunt nocumentum voci, causãt tussim, et grauem vocem. Et qui cito incurrunt febres, si à multo tempore, debent ab ea abstinere dixit Rasis in 3. Almansoris cap. 4.

Quædam alia consideranda in potu aquæ.

PRo complemento huius quæstionis de potu aquæ, quædam notanda subijcio. Primum est ex Galeno lib. 7. Method. Meden. c. 6. et Auicenna 3. 1 doct. 2. c. 7. quod post cibum. i. antequam cibus sit concoctus in vẽtriculo minus aqua bibatur, quia separationem facit inter cibum, et ventriculi corpus et cibum natare facit, vnde non bene potest concoqui, et digestionem turbat, stomachum infrigidat, et cruditates parit. Si tamen sitis cruciet, parum aquæ, quasi suggendo conceditur, vt ventriculum colligat, sitim extinguendo. Et melius est seu minus malum bibere ptisissando parum vini, quam aquam, quia vinum maiorẽ sympatiam cum calore ventriculi habet, quam aqua, cum sit calidũ, et aqua frigida. Et insuper vinum efficacius cibum ad omnes partes transmittit, nutrit etiam, et confortat.

Secũdum est, quod à stomacho ieiuno nullo modo est bibenda, maxime si sit multum frigida, vt supra diximus, sed ebrijs in mane potest dari, quia adhuc habent stomachum nõ vacuum.

Tertium est, quod sicut post magnum exercitium, iter, vel motum non est potanda, vt supra annotauimus, ita nec post balneum, vel coitum, quia cum pori corporis sint aperti, ac robur infirmatum, et debilitatum a qua in profundum penetrans calorẽ innatũ, aut extinguit, aut debilitat.

Quartum est, quod tẽpore æstiuo si media nocte, aut in mane sitis exoriatur, tolleranda est, quia per somnum minorabitur. Si vero magnopere vrgeat, bibenda erit moderate, quia minus malum est aliqualiter digestionem retardare, quam siti ventriculus accendatur, presertim quando nata est ex vino potenti.

Quintum est, quod multus potus aquę frigidę nocet, vnde ille cecinit.

Vina bibant homines, animantia cetera fontes.
Absit ab humano pectore potus aquæ.

Ad primum autem dicitur, quod aqua bifariam considerari potest. Primo, idẽ n se. in sua simplicitate, et puritate, et sic non facit ad vitam conseruandam directe, & per se, cũ non nutriat, nec proportionem cum calido, et humido radicali habeat. Secundo, vt est potus deferens cibum, temperans calorem innordinatum, etc. prout in initio quæstionis adnotauimus, et sic facit vt causa concomitans, et ad vitam tuendam, et ad sanitatem conseruandam.

Ad secundum dicimus, quod illa similitudo non est propria, et in natura, sed in effectu, et metaphora, quia sicut aqua fluit, et à terra absorbetur, ita in nobis quod mortale est ad mortem properat, et ad resolutionem in terrã, de qua sumptum est.

Ad tertium dicitur, quod non omnia quæ faciunt ad vitam sunt cibus, verum etiam potus, vt est aqua. quæ et si de se non nutriat, tamen digestionem adiuuat, et nutritionẽ, vt ostendimus iam.

QVÆSTIO XII.

An aliqua sint consideranda post cibum, & potum.

VIdetur quod non. primo Adagiũ tritum enim est. Natura saturata nullo indiget. Ergo postquam cibata est cibo, et potu, non indiget alia regula.

Se-

Secundo. Habet Aristot. 2. phys. naturam operari ab intrinseco, artem vero solum ab extrinseco, et solum posse inducere formam accidentalem. At omnes regulæ sanitatis, excepto cibo, et potu, quæ sunt alimẽta, et obiecta animæ nutritiuæ pertinent ad artem. Ergo nihil habent cum vita, et sanitate, quæ consistunt in intrinseca proportione, et temperamento elementorum in mixto.

Tertio: Regulæ debent esse certæ. At regulæ præscriptæ à Medicis seruandæ post cibum, et potum non sunt certæ, quoniam dormire quibusdam proficit, alijs nõn, moueri, etc. Ergo inutiles sunt.

Longum esset velle omnia sigillatim, post cibum, et potum obseruanda recensere, paucis hic enim sumus contenti, de principalioribus ad longum sermonem facturi.

Primum igitur post cibum sumptum considerandum est, vt bona sequaquatur digestio, ac nutritio, omnia ergo quæ digestionem adiuuare poterunt erunt eligenda, et quæ nutritionem impedire valent semouenda, vnde dixit Galenus lib. 1. memiri c.8. De bona digestione super omnia curandum est. Ista autem adiuuatur, non occupando mẽtem in re difficili, vt audiendo res tediosas, longas, morosas, funebres, vel disputando de subtilibus rebus, et quæstionibus, legendo literas, vel libros melancholicos. Immo nec laudo post mensam ludere, in quo fit magna applicatio, quia in omnibus his distrahitur calor naturalis occupatus ad digestionem, et diuertitur ad caput, et mentẽ, vnde eius virtus distracta, infirmior redditur.

Secundum est, vt cum sumus in mensa, vel à mensa recedimus nõ scribamus, vel aliquid tale faciamus maxime in faciem procliues, sed debemus stare erecti, vt cibus bene se colligat in ventriculo, et stomachus nõ debilitetur in scribendo, vel affligatur, vnde roborandus est, et non extenuandus.

Tertiũ est, vt post cibũ, modicũ, et suauiter ambulemus, vt præaccepta ad fundum stomachi descendant. Sic dixit Rasi in 25. continentis c. 1. his verbis. Dixit Tabri post cibum debes ambulare per entum nassus (intellige Mathematicos, et nec in indiuisibili) declinandò in temperie comestionis super latus sinistrum, et euitãdo post cibum lauationem, equitationem, et huiusmodi. Et post multa. Ambulatio moderata laudabilior est, quæ fit post cibum, quia confortat super digestionem, prouocat vrinam, et egestionem, et facit hominem penes cenam in fero fieri boni appetitus cibi, et sumptionis ipsius etiam bonam digestionem cænæ facit, sed motus (intellige immoderatus) post cibum vituperabilior est. Et Auicenna in 3. ptimi, doct. 2. c. 7. ait. Paruus motus post comestionem cibum in stomacho quiescere facit, et proprie cum voluntas dormiendi post ipsum affuerit. Et infra. Incessus hic mihi placet, et proprie post prandium, quoniam bonitatem operationibus cænę pręparat. Et Almansor lib. 4. c. 2.

Post comestionem vero à forti motu ac longi temporis omnino cauendum est, sicut enim motus ante comestionem factus est sanitatis conseruatiuus, ita post comestionem inuenitur ægritudinis generatiuus. Motus enim inordinatus nimis calefacit corpus, nullus autem est cibus qui non putrescat, si fortem patiatur calefactionem dixit Galenus lib. 6. de accidenti, et morbo, et Auicenna vt supra. Accidentia autem animæ horribilia, et motus corporei fortes digestionem fieri prohibent.

Quartum est, quod post suauem deambulationem est quiescendum, et secundum Rasim in 25. continentis c. 1. et Auicen. in 13. tertij tract. 3. c. 1. est

est etiam dormiendum. Dicit enim Rasis Debet sequi somnum, et quietem cessantibus omnibus motibus post cibum, vt condominetur natura, cum bonitate digestionis. Et Auicenna Cibus indiget quiete, et somno, vsque quo bona fiat digestio. In quiete enim, et sõno calor non occupatus in visceribus fortior redditur. Corruptio enim digestionis materia ægritudinum, et origo chronicarum infirmitatum est.

Verum est tamen quod Schola Salernitana illaudat somnum meridianum dum dicit.

Sit breuis, aut nullus somnus meridianus
Febris, pigrities, capitis dolor, atque catharrus,
Hæc tibi proueniunt ex somno meridiano.

Nam calor natiuus ad exteriora per diem progreditur, vnde potest febrem generare, & relinquendo inconcoctum cibum generat pigritiam, dolorem capitis, et implendo etiam fumis cerebrum catharrum facit. Immo dicunt vlterius Medici, quod ægritudines frigidas, & humidas ad articulos reducit, faciei colorẽ corrumpit, in sanguine humiditates aqueas procreat, splen indurat, appetentiam subtrahit. Membra intumidat, hominemque stupidum reddit, vnde non laudant somnum diurnum nisi à prima luce, vsque ad tertiam, maxime quando nocte somnus recessit.

Attamen si ista concurrant non multũ officit somnus post prandium, sicut ego testis dicere possum, nisi enim parum etiam hyberno tempore post prandium dormiam, male me habeo, pigrum me reperio, & non multum aptum ad studia. Prima, vt adsit consuetudo dormiendi post cibum, quia consuetudo efficitur altera natura, Secunda ne statim à prandio somnus incipiatur, sed post horam ad minus, & leuem deambulationẽ, Tertia, vt alto capite fiat, ne cibus ad superiorem ventriculi partem ascendat. Quarta ne horã excedat, sed parum duret, & quinta, vt non statim surgat dormiens, sed prius somnum perdat, & deinde surgat, sed de his magis infra.

Ad primum autem argumentum dicitur ad adagiũ, quod natura saturata nihil indiget vt cibo, est enim sensus quod quando natura bene est saturata quocunque cibo, non est ei superaddendus cibus etiam delicatissimus, quia est eam vltra vires onerare, non vero facit sensum, vt alio non indigeat, vt regula, & ratione faciendi bonam concoctionem, & nutritionem.

Ad secundum dicitur, quod ars naturam adiuuat applicando actiua passiuis, vnde & si actio sit naturæ, conditio tamen habet ortum ab extrinseco, quia non ita ageret, nisi sic adiuuaretur, non enim ignis combureret stuppam, nisi ei per manus applicaretur.

Ad tertium dicitur, quod regulæ sunt certæ iuxta dispositionem subiectorum, nam sicut non est vnum omnium temperamentum, ita nec vna res est omnibus proficua, vnde vnusquisq; prout sentit sibi aliquid prodesse debet illud eligere, & si percepit obesse, debet ab eo cauere: Secundo dicitur sufficere nostras regulas veras esse physice, & vt in pluribus.

QVÆSTIO XIII.

Vtrum ex somno pendeant etiam vita & sanitas hominis.

VIdetur quod non. Vita enim est principium operationum vitaliũ, vegetatiuæ, sensitiuæ, & intellectiuæ animę. Sed istæ, saltem actus animæ sẽsitiuæ, & intellectiuæ in sõno deficiũt; Homo. n. dũ dormit, nec videt, nec audit, nec sentit &c. nec intelligit, aut vult. Ergo somnus est potius

rius priuatio vitæ, quam faciens ad vitam.

Secūdo. Quod oppositum representat vitæ non facit, nec conuenit cum vita. Sed somnus est imago non vitæ, sed mortis. Dicit enim Virgilius 6. Eneidos; Est consanguineus Leti sopor: Et Ouidius. Stulte quid est somnus gelidæ nisi mortis imago? Et Tullius lib. de senectute. Iam vero videtis nihil esse tam morti simile, quam somnum. Ergo non stat cum vita.

Tertio. Quod est necessarium viuentibus ad vitam, nulli hominum denegatur. Sed infantes adhuc in vtero Matris existentes non dormiunt. Nam qui dormit expergisci potest, illi autem non possunt expergisci. Ergo.

Hæc quæstio aliqua digressione ventilanda est, quoniam ea secum trahit, quæ ab Aristot. dicuntur lib. de somno & vigilia.

Somni definitio. Primo ergo notandum venit quid sit somnus, Arist. lib. de somno, & vigilia elicitiue dixit somnum esse ligationem omnium sensuum exteriorum, ad animantium quietem, & salutem institutum. Et aliter. Somnus est cōnetus, & reciprocatio naturalis caloris ad interiora, s. ad cor. Et Auicenna in 1. tertij tract. 4. c. 1. sic eum definiuit. Somnus est redditus spiritus animalis ab instrumentis sensuum, & motuum, ad principium cū quo priuantur ipsorum instrumenta ab exitu operationis in ipsis. Et in canticis Somnus est quies virtutum animalium, motiuarum, & sensitiuarum. Sed & varias somni definitiones tradiderunt apud Tertullianum lib. de anima Stoici, Epicurei, Anaxagoras, Xenophontes, Straton & alij. Prima autem cæteris præeminet, & naturam somni ab imis declarat.

Primo ergo diximus somnum esse ligationem omnium sensuum. Pro explicatione aūt huius sciēdū est, iurgum esse inter Doctores à quo causetur somnus, & de eius causa. Nam Arist. lib. de somno & vigilia, tenet causari ex exhalatione vaporum ex cibo cerebrum petentium, & vias, & ostia communis sensus qui est veluti centrum, & fons aliorum sensuum, claudentium. Ascendunt ergo vapores a ventriculo ad cerebrum, & cum natura cerebri sit frigida, & humida, hinc ingrossantur, & primo ostia sensus communis sua grossitie claudunt, & membranas, viasque circa cerebrum oppilant, & sic spiritus redduntur, pigri, graues tardi, & torpidi, & tandem magis adensata congeries vaporum obturat meatus per quos spiritus animales ad externorum sensuum domicilia effunduntur. Diximus enim à cerebro esse spiritus animales in vniuerso nostro elementari) & sic fit somnus. i. ligatio omnium sensuum exteriorum. *Est ligatio sē suum.*

Hæc tamen sententia nō placuit Auerroi 2. Colle. 25. Galeno 1. de causis sympt. c. vlt. & de causis pulsc. 9. & Auicennæ 1. 3. tract. 41. volentes sōnum non prouenire ex vaporatione alimenti, sed quod anima colligat in cerebrum spiritus animales, & in ipsum reducat à sensibus exterioribus. Probantque nō fieri ex vapore cibi.

Primo quia lassitudo, tenebræ, suauitas cantus, & silentium causant somnum, sine exhalatione cibi.

Secundo quia accidit exinanito stomacho dormire, & pleno vigilare.

Tertio quia cum somnus sit multum necessarius, non debuit committi à natura fortuitæ exhalationi cibi.

Sed sententia Aristot. vera est, & comprobatur.

Primo quia aliqui cibi, & potus dicuntur somniferi, quia maiorem quantitatem vaporum ad cerebrum mittunt, vt papauer, lactuca, buglossa, flores nimpheæ, amigdala dulcia, Diactely, sem. Palmulæ, lac, vinum, & similia.

Secun-

Secundo quia pueri multum dormiũt, quoniam abundant fumis, et vaporibus ad cerebrum eorum ascendẽtibus,& ita in phlegmaticis. At senes parum dormiunt, propterea quod siccitate macerantur.

Tertio. Quia clarum est multos inedia non posse dormire, quod si cibũ capiant, bene dormiunt.

Dicendum est igitur, quod vtraque opinio potest stare, quia de somno bifariam loqui possumus. Primo de causa eius principali, & sic dicimus esse animam colligentem spiritus animales, & reuocantem eos ab operationibus, quorum sunt causę. Hoc autẽ facit anima per virtutem suam attrahentem, sicut efficit operationes animales per virtutem suam diffundentem per expelitricem. Secundo de causa materiali, & instrumentali, & sic dixit verum Aristot. quod somnus generatur, tamquam causa materiali ex vaporibus cerebrũ petentibus, & vt ex instrumentali, inquantum à frigiditate cerebri recipiunt ingrossationem per quam opilant, & claudunt meatus, & percludunt vias sensus communis ad sensus exteriores.

Ad primum autem in contrarium dicitur enumerata in argumento, conciliare somnum vt causas concomitantes, non vt efficientes, patet enim quod post cibum ista faciunt, non in inedia nisi ex ea ascendant vapores, vel iam ascenderint, & cerebrum sit aliqua qualitate eorum prçditum.

Ad secundum similiter dicitur, quod & si stomachus exinanitus cibo causet somnum, et plenus vigiliam est, quia stomachus, & si non est repletus cibo, est repletus vaporibus, vel iam cerebrum impleuit. Quod vero fugiat somnus post cibum per accidens est, quia viæ vaporum sunt impeditæ.

Ad tertium dicitur naturam optimum esse magistrum, vt per necessariam sumptionem cibi, prouideret de necessario somno, plus enim est necessarius volenti viuere cibus, quam somnus.

Secundo. Dictum est esse ligationem sensuum exteriorum; quia actiones animæ vegetatiuæ in somno non impediuntur, nutrit enim, & augmentat, & si esset copula generaret. Actiones enim talis animæ sunt corpori immersæ, vnde naturalitatem eius sequuntur. *Exteriorũ.*

Tertio. Dicitur ad animantium quietem, ex qua parte elicimus causas somni. Hæ igitur plures sunt. Prima est ad robur ferendum omnibus sensibus. Nam per vigiliam sensus in suis operationibus laborant, & fatigantur, vnde indigent quiete, & hęc eis conceditur per somnum, vt iterum reasumptis viribus operentur. Hinc est, quod qui dormire non possunt, debilitantur multum in omnibus operationibus sensuum, quia cum sint nimis fatigati, quietem petunt. Multas autem alias causas Doctores assignant, quas sũmantes dicimus, quod somnus digestionem adiuuat, humores decoquit, corpus spissat, laborem soluit, animum confortat, calorem naturalem augmentat, bonos humores procreat, membra defessa recreat, mentem clarificat, cogitationem ac visum emendat. Omnes operationes fortes reddit, cordis vias humectat, & eas laxat, virtutẽ animalẽ cõfortat lassitudinẽ tollit, fortes euacuationes materię retinet, & eas quæ sunt in cutẽ humores sæpe foras expellit, calorem naturalem refocillat, & nutrimentũ ad omnes partes corporis dispensat, & per sudorem succos malos expellit. Chylum in sanguinem conuertit, & totum corpus interne miro modo calefacit, superfluitatesq; maturat. Senibus multum proficit, quia in eis humidum radicalem conseruat, vnde dicit Galenus, quod cum esset senex, vt dormiret bene comedebat lacturas eum aromanti us *Somni vtilitates.*

Calorem naturalem iam per corpus diffusum ad proprium officium reuocat, corpus impinguat, animamque subtiliorem reddit, fortiorem, & agiliorem. Dolores quoque mitigat, virtuti spirituali subuenit, mēbra extensa per siccitatem emollit, vitia spiritualia dissoluit, mentem deuiantem sanam reddit.

Immoderati nocumēta. Sed sicut moderatus sōnus tot vtilitates affert, ita immoderatus multa incommoda, & mala causat. Nam virtutes animales hebetat, ac infirmat, corpus plurimum refrigerat, & humectat. phlegma augmentat, & calorem naturalem multum resoluit, et debilitat, & precipue si super inanitionem fiat; tunc enim humidum radicale exurit, & consumat, & corpus extenuat, caput grauat, sensus obtundit, ægritudines frigidas inducit, et memoriā confundit. Reddit hominem tardum, pigrum, obtusum, stupidum, sine appetitu cibi, sine colore in facie. Dessicat multum corpus, & tenerum reddit, & alia mala facit.

Si quis autē quærat, quot nam horę possit aliquis dormire sōno moderato.

Respondetur id non posse certa regula prescribi, quia variæ sunt complexiones, & vna longiori somno indiget, quam alia. Septem autem horis videtur somnus Magnus, vnde sex censeo moderatum esse, vt detur quieti quarta pars diei naturalis, et iam cibus à ventriculo adhepar trāsire potuit, & in hepate secundam concoctionem incepisse.

Sicut autem immoderatus somnus tot incommoda secum affert, ita moderata vigilia magna beneficia pręstat. Nam secundum Auicennam sensus valde excitat, & vires bene disponit ad exercendas operationes suas, corpus à fecibus mundificat, Desiderium augent, famē efficiunt, dum cibum resoluunt, & defferunt, & animum hilarem, & promptum reddunt simul.

Sed immoderatæ vigiliæ plusquam multum nocent, complexionē enim corrumpunt, cerebrum exsiccant, & debilitant, humores corrumpunt; & acutas ægritudines adducunt. Spiritum resoluunt, & eneruant, & cor cum resolutione infirmant. Famem inordinatam commouent, animum angustiant, ac pręmunt, corpora fędant, splendorem corporis, & bonū colorem deturpant, oculos profundant, & corpus infrigidant. Corpus deficcāt, & choleram rubeam in ipso coagmentant, præcipue in corporibus macris. Calorem naturalem debilitāt, & accidentalem intendūt Digestionem impediunt, & corpus resoluunt Dormiendum, est ergo, & vigilandum moderate.

Secundo. Notandum venit, quod dupliciter animal à somno excitatur. Primo ex seipso. Secundo ab extrinseco. Primo modo fit, quando calor naturalis, qui se ad digerendum cibum collegerat iam functus est officio suo, scilicet quia resoluit in vapores quæ vias, & meatus sēsuū obturauerant & sanguinē purissimum in caput misit, & fæculentum, & grauiorem ad inferiora. Vnde somnus non cessat quousque, calor naturalis suam concoctionem discretiuam celebrauit. Hoc autem dico, quando homo expergefactus sentit se amplius somno non indigere, potest enim esse, quod antequam facta sit hæc concoctio, & discretio, à somno cesset; sed tunc senciet se, non satis dormisse, & fuit causa expergisfactionis aliqua mala indispositio humorum. sese conturbantium.

Ab extrinseco etiam cessat animal à somno. per contactum. & etiam per vocem, quia quamuis auditus in somno sit soporatus, nō tamē ita vt à vehemēti voce, vel sono nō possit immutari, vnde non est mors, & extinctio sensuum somnus, sed quædam ligatio, magis, minusue cum difficultate solubilis, prout contingit

git hunc, vel illum maiori, humorum copia, cerebrum petentium abundare.

Tertio animaduertenda sunt aliqua, pro his qui sane volunt dormire.

Primum est, quod vt diximus supra, non est dormiendum stomacho vacuo, vnde dixit cap. 325. continentis auctoritate Ruffi. Somnus longus si sequitur cibum augebit incaliditatem innatam, et impinguat corpus. Sed si sequitur exercitium aut balneum, aut euacuationem, et summarie in dispositione illa in qua corpus non sequitur nutrimentum, diminuet caliditatem innatam, et macre faciet corpus.

Notanda.

Secundum etiam supra tactum est, nō esse dormiendum statim à sumpto cibo, sed sinendum est vt cibus descendat ad fundum stomachi, et vt melius descendat parum, et suauiter est ambulãdum, dicente Rasis in 4. Almansoris c. 3. Oportet vt tamdiu post comestionem aliquis se à somno abstineat, donec cibus ab ore stomachi descendisse atque, inflatio, et grauedo minui, atque inferius mergi sentiantur, quod si tardetur, non incongruum est vt parua iuuetur deambulatione donec descendat.

Tertium est ne dormiatur per diem, de qua re abunde in superiori quæstione dixi.

Quartum est circa dispositionē corporis seruandã in somno. Conciliator autem Differentia 123. sic dixit. Si quis habuerit lubricum ventrem, oportet eum supra latus sinistrum iacere, et dormire, si autem constipatum, super dexterum, est accubandum. Et si quis habuerit hepar calidum debet cauere, ne supra latus dexterum dormiat, Qui vero stomachum frigidum super sinistrum. Et super sinistrum multum est dormiēdum, & super dexterum vero parū.

Et somnus debet incipere accubando super latus dexterum, & post primū somnū dormiēdū est super sinistrū. Et Auicenna in 3. primi doct. 2. cap. 9. quod si inceptio somni super ventrē fiat, auxilium magnum fert sanis in digerendo, propterea quod retinet calorem naturalem, & ipsum comprehendit, quare augetur.

Et in cap. Regiminis eius quod comeditur, & bibitur addidit, quod tertius somnus debet perfici super latus dexterum, à quo incepit primus, & quod multis pannis dormire coopertum, & tenere ceruical altum iuuant digestionē, & quod mēbra desinant ad inferiora, & non ad superiora, idest lectus sit altior in capite, & minus in pedibus, maxime si cibus nondum ab ore stomachi descenderit.

Nec corpus multum est per lectum reuoluendum, quia cum eo reuoluitur cibus, & impeditur digestio.

Nec dormiendum est supine, & super dorsum, vnde dixit Auicenna in 3. primi doct. 2. c. 9. sic. Dormire supine est malum, & ad malas præparās ægritudines, sicut apoplexiam, phrenesim, & in cubum, quoniam superfluentes ad posteriora declinare facit, & retinentur, et per suos non incedunt carnales naturales, qui sunt ab anterioribus sicut nares, & palatum, & talem somnum incurrere solent infirmi, & debiles, propter id, quod musculis eorum accidit ex debilitate. Et secundum Galenum con seruat superfluitates cerebri, in ventriculis eius, vnde timendum est de apoplexia, & epilepsia. Et hoc magis tenentur animaduertere abundantes catharro descendente de capite, quia ducit tunc illum ad pulmonem.

Item in dormiēdo capūt bireto aliquo ex tela confecto cooperiendum est ad eliciendos vapores, & ad impediendum ne exterior aer in cerebrū irrumpat, & ipsum alteret.

Neque dormiendum est calciatis pedibus, vel vestitis, quia dixit Magninus Medicus celebris, quod visum

de-

debilitat, memoriã ledit, & totum corpus extraneo calore æstuare facit, ob reflexum calorem. Quare Fratres Ordinis prędicatorum, qui ex sua regula habent dormire calciati, & cincti portant pedales caligarum scissas, vt possint nudare pedes. Sed & post matutinas tempore hyemis expertus sum multum calefacere pedes frigidos, conducere caligã ex panno vsque ad medietatem, & sic cooperire etiam pedes aliter ex frigiditate pedum somnus abierat.

Neque cubandum est supra ventrem ab his qui oculorum aciem acutam, & rectam custodire volunt, quia humores ad eos sic stando descendunt, & eos imperficiunt, et alterant. Confert tamen vt diximus multum digestioni.

Ad primum autem argumentum iam diximus somnum non esse priuationem actuum sensuum, sed ligationem, ad hoc vt fortiores resurgant, recipiendo ex somno robur, et virtutem maiorem.

Ad secundum dicitur, quod somnus metaphorice repręsentat mortem, quo ad externa, quia mors priuat hominem motu, et ita somnus, sed quo ad intima nihil habet cum morte simile, quia tunc magis calor naturalis operatur, et ad omnia membra necessarium alimentum transmittit.

Ad tertium, dicimus infantes in vtero matris dormire, et multum, propter magnum humiditatem cerebri. Neque necessarium est, vt qui dormit prius vigilauerit, et expergisci potuerit, hoc enim verum est de habentibus vsum sensuum liberum.



QVAESTIO XIIII.

Soluens multa problemata, & difficultates circa somnum, & insomnium occurrentes.

QVoniam plura quæsita circa somnum fieri possunt, quæ scita pariunt magnam iocunditatem, ideo operę prætiũ duxi ea non pertransire, sed breuiter proponere, & perlustrare.

Primo ergo quæritur. An in statu innocentiæ si homines perdurassent dormijssent.

Responderunt aliqui apud. S. D. 2. d. 19. q. 1. art. 3. negatiue moti hac ratione. Somnus ordinatur ad quietẽ corporis, refocillandumque vires. At homines in eo statu, nec laborẽ, nec dispendium sensissent.

Sed contra hos stat. Primo auctoritas Scripturę Genes. 2. vbi dicitur quod Deus immisit soporẽ in Adam. i. dormiuit, & postquam à somno surrexit dixit. Nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea.

Respondent per saporem intellexisse extasim, vt exponit S. Aug. 5. de Genesi. c. 15.

Sed in contrarium est quod vt colligit S. D. p. p. q. 79. art. 2. ex patribus ly. soporem significat profundissimum somnum, qui dicitur extasis per metaphoram, quia totus Adam in illo somno fuit soporatus, cum tunc à se fere exierit, percipiendo mysterium magnum vnionis Christi cum Ecclesia: Hoc enim significat vox Hebrea quæ loco saporem, dicit Tardemach .i. grauem somnum. Et ita exponunt Aquila, et Simmachus. Est etiã cõtra supradictos ratio naturalis, quia cũ somnus sit affectio naturalis debuit in Adam esse, & si non ad reparandas vires, ad eam delectationem & naturæ vicissitudinem inter vigiliam, & somnum repertam conseruandam.

Secun-

Secundo Quæritur An somnus omnibus animalibus conueniat.

Respondet Aristot. affirmatiue lib. de somno,& vigilia c.2. & de Historia animalium.c.10. Hinc videmus aues dormire,& oculos claudere,solumq; caudam mouere,vnde territę subito expauescunt,& fugiunt. De piscibus hoc idem patet, & si parū dormiāt, & de Balenis, & Delphinis scribit Plutarchus lib. de animal. indust. Quare dicit Delphinum dum dormit, sese in summam aquam subleuare, ac supinum corpus per Maris alta demittere, æstuque deferri tantisper dum inuada inpingat, vbi excusso somno, ronchoque edito ad summum rursus meat, ac pronus labitur,motu ad quietem mirifice composito.

Tertio Quæritur cur pueri, & iuuenes plus dormiant,quam senes.

Respondet Aristot. 5. de generatione animalium c.1. prouenire, quia in parte superiori exuberāt, & cerebrū magnū habēt, vnde videmus, quod bene caput regere nō possint, ex quātitate autem vaporū, in cerebro magno, et valde humido, vt est illud puerorum, & iuuenum recepto, somnus obrumpit. Crescente vero ætate cerebrum attenuatur in humiditate, & ad siccitatem declinat, & ideo somnus non tantum abundat.

Quarto Quæritur An illi qui de nocte surgunt,& ambulant,& aliud opus peragunt sint vere dormientes, an non. Nam Galenus 2. lib. de motu musc. c. 4. narrat se integrū fere studium dormiendo peregisse, & sunt, qui sic se vestiunt,fores pandunt,arma arripiunt,& alia huiusmodi faciunt.

Respondetur elicitiue ex Aristot. 5. de generat. animalium c.1. & Cælium lib.16.c.33. quod talis non est somnus simpliciter, quia tactum saltem habent solutum, sed potest dici somnus secundū quid, quia multos sensus tenet ligatos. Et Vega in 3. Galeni de locis affec. notat, viam qua cerebrum suam virtutem diffundit ad motum pectoris, & artuum latiorē esse, quā sit illa per quā natura motū sensuum exteriorum causat, vnde vnum potest esse solutum, & aliud ligatum, et tanto magis, quod vis imaginatiua sæpe in dormientibus, est fortior, et vehementior quoniam ei tunc rario non obsistit. Possunt igitur habere virtutem motiuam solutam, et etiam aliquo modo sensitiuam,cum videant,et audiant aliqui ad interrogataque respondeant, sed dicuntur tunc sensus somniferi, quoniam non bene sunt soluti, et expediti.

Hi autem qui similia agunt solent esse natura inquieti, agiles, multis se negotijs immiscentes, viuaces, vnde nec dormiendo quiescere possunt,et cōmuniter dicuntur Ardeliones.

Quinto Quæritur. Cur galli ex improuiso expergefacti,statutis horis cantant.

Respondetur, quod Galli circa mediā noctem incipiant cantare, et cantū plausu alarum comitari, variæ possunt esse rationes. Prima,quia iam satis quiete satiatus est, ac mirifice recreatus, depulso iam à pectore cibo, et in omni corpore distributo, quod peculiare est in gallo ob suam excellentiam, et si aliæ etiam aues post mediam noctem aliquem motum faciant,et versus diem suo tempore cantare incipiant.

Secunda potest esse, quia Gallus auis est solaris, & ideo cum primum sol ab imo cæli ad nos ascendit, cantat, & plaudit. Si vero Galli quandoque ante mediam noctem, vel post aliquo tēpore cārēt est p accidēs ex aliqua occulta passione. Quod enim fere semper euenit inspicimus, & naturam rerum, vt ab effectibus deprehenditur rimamur.

Sexto

Sexto Quæritur quomodo illi vapores occludant vias meatuum post cibũ, & non ante.

Respondetur, quod post cibum maior consurgit quantitas vaporum, ex cibo concoquente resolutorum, & quia tangunt cerebrum, quod in animali est frigidissimum, ideo id eis euenit, quod vaporibus, ex terra ad secundam aeris regionem frigidissimam deductis, ibi enim algent, & adunantur, & in grossam pluuiam conuertuntur. Et ita cum sint ingrossati, & proprium sit frigidi adunare, illi vapores, sua grossitie vias meatuum intercludunt, & sua frigiditate claudunt, vnde quousque per calorem naturalem subtilientur est somnus, vt recte docet Aristot. vt supra.

Septimo Quæritur quomodo potentię sensitiuæ externæ quiete per somnum indigeant, non sic nutritiua.

Respondetur, quod differentia est inter sensus externos, & nutritiuam, quia sensus externi sunt potentiæ passiuæ quę immutãtur ab obiectis, & recipiendo eorum species patiuntur, nutritiua autem est potentia actiua, quæ agit in alimentum, & illud sibi simile facit, vnde non tantum fatigatur, vt sensus.

Alij dicunt id euenire, quia potentię agunt per spiritus animales, qui in actione absumuntur, vnde diu agendo debilitantur, ex deficientia illorum spirituum. Nutritiua vero non absumit spiritus ad nutriẽdum, immo illos efficit, & parit bene digerendo, & in summa est, quia est actiuior & fortior.

Octauo Quæritur, quomodo sit verum, quod somnus auocat calorem ab externis partibus ad internas, & tamen labor, & exercitium, & lassitudo, quæ calorem ad extra trahunt somnum excitant.

Respondetur euenire, quia illico, quod quis ab exercitio quiescit, calor diffusus ad extra, ad interiora se colligit, & adiuuat, & sic ad dormiendum inuitat.

Nono Quæritur, quomodo copia vaporum somnum conciter, cum tamẽ in labore defesso, et fatigato, & sudore excusso, dũm quiescit, facile dormit.

Respondetur id esse, quoniam fatigatio humores inter carnem, & canam solũ excussit, internos vero, et grossos calore fatigationis subtiliauit, vnde cerebrum petunt, et somnum causant. Et si non essent vapores, natura ipsa iam fessis membris per quietem, et somnum prouideret, vt per ipsum vires priores reasumeret.

Decimo Quæritur cur Melancholici parum dormiant, cum tamen abunde comedant.

Respondetur quod causa est, quia Melancholici cũ sint frigidi, et ex atrabili adusti, ex frigiditate paruam copiam vaporũ ad cerebrum mittunt, et sic parũ dormiunt. Ex adustione vero edaces fiunt, quia siccę sunt naturæ, et cibum quem sumunt in substantiam non conuertũt, grassante, et obsidente conceptacula nutritionis atra bile, qua abundant, vt docuit Arist. de somno, et vigilia, c. 3. et Themistius cap. 18. suæ paraph.

Vndecimo Quæritur quomodo lactuca somnum inuehat, cum ipsa sit frigida, et somnus euaporatione calida fiat.

Respondetur quod lactuca, et si sit frigida, est tamen fumosa, vnde calore naturali calefacta euaporat multũ, et somnum aducit.

Duodecimo quæritur cur difficile dormiant, qui se varijs cibis ingurgitãt.

Respondetur euenire: Primo, quia sicut ignis magna cõgerie lignorũ nõ extĩguitur, sed suffocatur, cũ paruus est, ita calor naturalis tanta quãtitate eduliorum opprimitur, vnde non potest cito illa digerere, & digerendo, vapores ad cerebrũ trãsmittere.

Secun-

Secundo, quia natura diuersa ciborũ, & eorum diuersæ qualitates digestionem tardant, & consequenter euaporationem, vnde eructatio frequens quæ sequitur, ostendit halitus huc illucque per stomachum versari, & non sursum ascendere præpediti.

Decimotertio Quæritur quomodo Æthiopes, qui sũt aridi, & sicci multum dormiant & magis tempore æstiuo.

Respondetur quod illi dormiunt multum, qui caput pituita, & vaporibus plenum habent, illi vero qui his carent, parum dormiunt. Modo dicit Aphrodiseus quod Æthiopes externo calore abundant, & interno deficiunt, vnde in capite magnam quantitatem pituitæ coaceruãt, quæ dum ardorem solis, & aeris sentit, defluit, & sic somnum facit.

Decimoquarto Quæritur cur primus somnus longior fit, quam secundus.

Respondetur esse in causam, quia in initio copia vaporum abundat, dum autem calor digestiuus crescit, illos subtiliat, & eneruat, & sic profunditas somni, & diuturnitas tollitur. Et hæc est causa cur infantes in vtero matris fere semper dormiant, & quinque primis mensibus ceruicem non inflectunt. Quare consulit Aristot. eos, & nutrices eorum esse vino priuandos, quia vinum adauget vapores in cerebro humidissimo infantium, & malum effectum inducit.

Decimoquinto Quæritur cur his quibus venæ non apparent, somniculosi sint.

Respondetur, quod hi habent vias venarum, & meatuum angustas, vnde vapores somnum causantes de difficili in eis resoluuntur, & ideo in eis somnus prolongatur, sicut per fistulas graciles aqua guttatim defluit, & per amplum canalem decurrit.

Decimosexto Quomodo dormientes possint dici ratione destituti, si vniuersalia apprehendunt, discurrunt, iudicant, consulunt, & disputant in somnio. Respondetur ex D. Thoma eiusue p.p.q.84.art. 8.ad 2. & in 4.d.9.q. vnica art. 4. quod de ratione intellectus est discurrere, iudicare, &c. sed ministerio sensuum, & libertate voluntatis. Vtrumque autem in somno ei deficit, nam sensus vaporibus sunt offuscati, & ligati, & voluntas suum actum non exercet, quia illi actus somniculosi sunt à phantasmatibus naturaliter repræsentantibus, & discursum causantibus.

Decimoseptimo Quæritur cur glires dum in hyeme dormiunt, maxime pinguescunt.

Respondetur esse, quia calor eorum naturalis in eis torpescit, & lente pituitam in eis per æstatem coaceruatam resoluit, & sic pinguescunt.

Decimooctauo Cur tristitia somnum adimit, & somnus eam tollit.

Respondetur esse, quia tristitia digestionem deprauat, calidũque, & humidum debilitat, vnde non possunt bene versari circa digestionem cibi, & sic mittere vapores ad altum, & causare somnum. Per somnum vero spiritus confortat, & sic tristitiam debilitat.

Decimonono Quæritur cur qui legũt, & studient, sæpe legendo, audiendo, studendo, somno corripiuntur.

Respondetur prouenire, quia qui similia facit, quiescit, & spiritus ad caput mittit, vt melius audiat &c. & consequenter magis aperiuntur aditus, & meatus stomachi ad cerebrum, quibus apertis simul ascendunt vapores, maxime cum spiritus illi vitales secum exhalationes deferant, & sic fit somnus.

Vigesimo Quæritur quomodo decoctio alimenti magis fiat in somno, quam in vigilia: & prima, & secunda, & tertia.

Respondetur quod ob duplicem causam somnus bene digerire facit. Primo quia in sua quiete non diffunduntur spiritus ad motum corporis,

& omnium suorum membrorum, sed se colligunt, & fortificant ad locum digestionis, & hæc est efficacia primæ digestionis, quæ fit in ventriculo. Secũdo quia excalefacto cibo, & adhepar chilo transmisso, totum corpus magis excalefit, & sic dum ille calor ad externa non distrahitur, fortius ad intra agit, & sic melius secundam, & tertiam concoctionem perficit.

Vigesimoprimo Quæritur quomodo somnus magis debilitet corpus extenuatum, & fessum, & aliquando deliquium causet.

Respondetur esse, quia somnus residuum caloris quod in membris superérat, ad interiora renocat, & sic membra externa magis attenuat, & omnia extrema debilitat, cum calor ad cor se reducat.

Vigesimosecundo Quæritur quomodo somnus sudorem moueat.

Respondetur, ex Galeno lib. Hippocratis de vict. rat. in mor. acut. esse in causam decoctionem alimenti, quę dum fit, ad cutem per calorem multos humores transmittit, & ita si calor eos deferens humores grossos congregatos inter cutem non reperit, subito efflat, & transit. Si vero eos reperit, subtiliat, & per sudorem ad externa deducit.

Vigesimotertio Quæritur cur in deliquio mentis, & in morte frigidus sudor à corpore scaturiat.

Respondetur hoc fieri, quia virtus retentrix, quæ per calorem fortis erat, nõ permittebat illam humiditatẽm exire, cum calore destituitur, vires perdit, & sic humor subcutaneus fluuit, & quia calor ad intima se reduxit, ideo frigidus est, & alienarionis virtutis vitalis, vel mortis nuncius efficitur.

Vigesimoquarto Quæritur. Cur somnus matutinus sit iocundior, & suauior.

Respondetur vapores in nostro corpore excitatos pro proxima causa habere calorem naturalem, sed pro prima solem inordine corporalium. Hinc est quod dum nox accedit, soporiferos humores suscitat, sicut etiam in nostro elementari vniuerso conspicimus, quod antequam dilucescat Sol, paulo ante obscurior aer redditur, & deinde aurora Solis nuncia consurgit. Pronenit etiam, quia illi priores vapores grossiores subtiliati sunt, vnde redditi sunt suauiores, et ad causandum leuiorem, et dulciorem somnum aptiores.

Vigesimoquinto Quæritur cur Vespertinus somnus noceat.

Respondetur mundum paruum conformari magno, et quia in magno recedente Sole calor minuitur, ita et in animali per se, vnde nõ est causa sufficiens concoctionis, digestionis, et resolutionis, vt in nocte, quando ex sufficienti frigiditate ad causandam antiperistasim calor ad interiora colligitur, ad concoquendum cibum.

Vigesimosexto Quæritur. Cur supra latus dexterũ suauius dormiamus.

Respondet Aristot. in probl. sect. 6. q. 5. et 7. prouenire primo, quia dextera fuerat magis sinistra defatigata, vnde suauius quiescere facit. Secundo, Quia est principium motus, et virtus cordis fortior effluit in dexteram, vnde suauior est somnus illo calore nutritus magis. Tertio dicũt alij esse, quia os ventriculi ad sinistram vergit, vnde si supra sinistram cubas, os ventriculi offendis nundũ conclusum bene, quoniam adhuc cibus non descendit (dico in primo somno, in quo suauior est somnus in dextera.) Hinc medici consulunt, quod illi qui pharmaca purgatoria sumpserunt, vel alia ratione de vomitu timent, non se vergant in sinistram, sed cubent in dexteram.

Vigesimoseptimo Quæritur. Quomodo musica, et cantus auium suauiter somnum concilient.

Respondent aliqui esse, quia spiritus alios

alios sensus relinquunt ex dulcedine vocum,& ad auditum transeunt,& si ibi est humidum in vaporem conuertunt,qui cũ non sit grossus multum,dulcem somnum causat. Sed credo melius dici posse id fieri, quia maxima applicatio ad musicam aperit vias ad cerebrum, & spiritus subtiliores sursum transmittit,& sic dulcior somnus redditur.

Vigesimooctauo Quæritur. Cur somnus morbo graui laborantibus, præcipue si sint ieiuni multum nocet.

Respondetur prouenire, quia humores,qui sursum migrant in somno ex morboso fonte fluunt,& maxime dum bonitas cibi nullo modo compescit eorum malitiam, & sic etiam superiora lædunt.

Vigesimonono Quæritur. Quomodo animalia sanguine destituta, qui est pabulũ caloris, imò,& corde(si quæ sunt) possint dormire, cum somnus fiat per communicationem spirituũ calidorum à stomacho ad cerebrũ ascendentium,& ab ipso ad ima descendentium.

Respondetur,quod & si similia animalia sanguine,& corde careant, tamẽ aliquid his proportionale retinent', aliquo enim calore sunt prædita, & sic possunt dormire.

Trigesimo. Quæritur ex somno transeundo ad insomnia, quidnam sit somnium.

Respondet Aristot. lib. de somno,& vigilia cap. 2.& 3. quod dicitur Apparitio exibita per internum sẽsum, in his qui somno sunt cõsopiti. Dupliciter autem hoc fieri potest. Primo quia somnus non concludit bene vias omnium sensuum vnde obrepere possunt aliquo modo eorum obiecta, & sic causare somniũ. Secundo quia latent in sensus internos multæ imagines, quæ in vigilia non se representant, in somno vtique. Nam sicut in aqua mota,non conspiciuntur imagines se illi obijcientium, in quiete vtique. Ita in exercitatione corporis animus ad diuersa distrahitur,in somni vero quiete,quæ iam visa fuerunt,audita,&c. sed sine mora,consurgunt, & se dormienti representant.

Trigesimo primo Quæritur cuius potentiæ sit somnia causare.

Respondet Aristot.cap.3. vt supra spectare ad sensum communem, & cogitatiuam,phãtasiamq;, quæ ad sẽsum communem species ex memoria sensitiua receptas mittunt. Vehiculo sanguinis, & spirituum in somno hinc, inde comeantium.

At si licet addere dico etiam in somnijs intellectum se ad phantasiam conuertere, & species materiales phantasiatas ex ea elicere, & sic etiam illustratas recipere, et discurrere,quia sensus interni in somno non sunt ligati nisi quo ad acquisitionem nouarum specierum, at respectu iam receptarum operari possunt. Hoc enim mirabile in me cognoui,quod cum non sim in componendis carminibus multum peritus,(verum fateor)neque in Greca,Hebreaq; lingua,in somnio currenti discursu,carmina pulcherrima latina, & vulgaria formauerim,& terminos ante dictarum linguarum cognouerim,vt mane experius sum. Concionesq;ordinatas, ornatas, & pulchriores in somno confecerim,quam in vigilia, & quæ in vigilia cum multo labore non penetraui, in somnio in promptu habui, & pluries hæc mihi acciderunt, quæ sine opere intellectus fieri non possunt.

Trigesimosecundo. Quæritur quæ nã sint causæ somniandi.

Respondetur, quod somniorum quatuor possunt esse causæ. Prima dicitur spiritualis externa, quæ potest esse à malo, vel bono Angelo, vel à Deo, & de his habemus multa exẽpla in sacris literis vt Genesis 28. de somnio Iacob,37.de Ioseph,41.Pharaonis,&c. Deus autem facit immittendo nouas species, aut priores v-

niendo, sicut, & hoc secūdū faciunt Angeli, nō primū, vt tradit S. D. p. p. q. 111. art. 3. & hoc modo etiam Demones somnia concitant, vt tradit idem S. D. 2. 2. q. 96. art. 6. Angeli autem boni somnia ad bonū ordinant mali ad malum. Vide D. Aug. lib. 13. super Genesim cap. 15. Secunda est corporalis externa, vt cælum, & aer circumstans. Tertia est corporalis, & interna, scilicet humor in corpore abundans, sanguis, phlegma, rubra bilis, & atra. Quarta erit spiritualis naturalis, & interna, vt vehemens præcedens cogitatio. Hic solum loqui intēdimus de somnio, vt habet causam naturalem simpliciter corporalem. Nam de eo vt est materia Theologorum diximus in secunda parte nostri Directorij, in explicatione primi præcepti c. 42.

Trigesimotertio. Ergo quæritur ex quibus causentur somnia naturalia.

Respondet Auicenna in 2. primi doct. 3. c. 8. prouenire ex dominio humoris existentis in corpore, & præualentis. Vnde sanguinei somniant de rebus rubeis, aut quod sanguis ab eis exeat in abundantia, aut quod natent in sanguine. Melancholici somniant tristia, funera, caliginem, tenebras, cruciatus, terrores, res nigras, actus horribiles. Cholerici rixas, iurgia, inimicitias &c. Et in summa Auicenna in 1. tertij. ca. 6. sic dicit. Plurimum enim visionis rerum citrinarum calidarum, significant dominium choleræ, &c. Et Rasis ad longum in 3. Almansoris ca. 24. explicuit multa ad hoc propositum facientia his verbis.

Cum enim aliquis multoties in somnijs pluuias videt, mare, & fluuios, multa in eius corpore humiditas esse significatur. Ignes vero, fulgura, & lites, cum aliquis frequenter in somnio aspicit, cholera rubea in eo abundare monstratur.

Colores autem rubeos, & tinctos, ac nuptias, & cibaria dulcia, & ventosa, ac fluxum sanguinis, ac phlegbotomiam si quis somniauerit, quod sanguinis multitudo sit declaratur. Cum quæ multa, fusco colore tincta atque nigredinem, et timores, ac pauores in somnio aspicit, choleræ nigræ operatio significatur.

Et cum aliquis in somno videt se manere quasi in loco niuis, vel frigido à quo leditur, frigoris significatur victoria. His autem contraria si visa fuerint, contrariæ erunt significationes. Et si aliquis videt se quasi in balneo, vel in sole, vel in canicularibus exponatur diebus, vel in igne, excessus significatur caliditatis. Et cum aliquis somniauerit se quasi volare, & inuadere sicut Accipiter, & capere, siccitatis monstrabitur excessus, atque humorum leuitas, & subtilitas.

Si quis etiam quasi se aggrauari somniat, repletione laborare ostēditur.

Si quis etiam quasi per loca cenosa incedere videt, fetidum habentia odorem, putridos in corpore demonstratur habere humores, istis vero contrariæ contrariam habent significationem.

Qui autem in somnis videt quasi incedat per hortos bonum habēres odorem, suorum significatur æqualitas humorum, & quod à putredine valde sunt remoti. Per loca vero quasi angusta, & per foramina si quis se ambulare conspicit, instrumenta anhelitus grauem pati ægritudinem demonstratur, quæ ipsum tanta aeris quantitatem attrahere vetant, quanta est ei necessaria. Illa ergo erunt à prudente medico inspicienda, ad purgationem. Vnusquisque etiam de facili somniat suam artem, & inclinationem.

Trigesimoquarto Quæritur cur tot fallaciæ accidant in somnis, videndi audiendi, legendi, &c.

Respondetur esse quia imagines, & fantasmata representant non solum sua propria obiecta, verum etiam con-

coniuncta, quæ non accidunt, sed potuerunt accidere, vnde tot extra propositum, & intentum nostrum videntur.

Trigesimoquinto: Cur tot inordinata in somnis conspiciantur, vt homines modo vnius figuræ, modo alterius. Modo vnius coloris, postea diuersi &c.

Respondetur esse, quia vapores in cerebro inordinate, & tumultuose diuagantur, & diuersa simulacra turbant, hebetant, & commiscent. Vnde sicut vapores in nube. modo hãc modo illam formam nubi dãt, quia in illa inordinate mouentur, ita vapores illi alimentales varias formas effigiant, pront diuersimode commouentur, coniunguntur &c.

Trigesimo sexto Quæritur quare ista non accidant vigilantibus.

Respondetur quod sicut fumus in domo inclusus eam reddit caliginosam, & obscurã, dum aditũ ad exeũdum non inuenit. Ita vapores in somno cerebrum petentes, meatusq; clausos reperientes quasi nubes cerebrum obtegunt, ac sensus impediunt, vt non sibi consient, vnde tot inordinata ostendunt. Sicut etiam insanis, & phreneticis accidit, nam dum copia calidi sanguinis in cerebrum pergit, & temperiem organi dissoluit, phrenesis, & mania succedit, ita & in somno talis inordinatio succedit, in vigilia vero non, quia meatus, & viæ sensuum apertę sunt.

Trigesimo septimo Quæritur ob quã causam dormientes aliquando cõflictantur, quasi super eos Demones cubent, vocéque, & flatum impediant, dicentes se grauari à Demone Ephialte, quem dicunt.

Respondetur similia accidentia à duabus causis prouenire. Prima est ab inconcoctione, & colluuie multorum humorum, Ex nimia enim facietate, multus sanguis, aut spiritum parum defecatus, obscurus, & tetricus ob defectum coctionis in cerebrum ascendit, & ipsum occupat, vnde terrificam imaginem Demonis in illo suscitat. Secunda est natura somni, quæ vt dicit Arist. lib. de diuinatione per som c. 1. facit, vt parua magna appareant. Dum igitur phantasia terribilem imaginem Demonis super se cumbantis efformat, somniantem, vt se à tanto horrore excutiat, crucciat, vnde conatum facit, luctatur, ac imperfecta suspiria emittit, nec se excitare, aut mouere potest, multo halitu spirituum vias obsidente, & prauo humore, cor, pectoris musculos, dorsum, & tendones occupante, & sic stat immotus, in somnis semper, & si sibi in vigilia esse videatur. Vide Fracastorium lib. de simptho. cap. 19. Lemnium lib. 2. de occult. nat. Mir. c. 5. Cristophorum à Vega lib. 3. de art. med. cap. 13.

Trigesimo octauo Quæritur cur somnus res maiores faciat, quam sint, vt si pituita dulcis ad linguam descendat, facit somnium comedentis mellis. Et si eorum aures leuis sonus pulset, videtur ipsis dormientibus tonuisse, & fulminasse, & per ignem incedere, cum paruus calor, partem corporis eorum occupat.

Respondetur in causam esse, quia sensus per somnum obtusus, sui obiecti differentias proprias non penetrat, vnde se transfert ad notissimum, & principale illius generis, quæ faciliora sunt ad percipiendum.

Trigesimo nono Quæritur, cur cum tot imagines in sensibus nostris recludantur, & lateant in eis, magis de vna re per illam imaginem representata somniamus, quam de aliis.

Respondetur posse oriri à temperamẽto, à cęlo, à re vehementius memorata, vel phantasiata, à specie recentiori, & à multis aliis causis, quæ omnes internosci bene in singulari non possunt.

Quadragesimo Quæritur cur somnia matutina sint clariora, & magis pro-

proportionata?

Respondetur, quia spiritus iam magis sunt expediti, vapores subtiliati magis, & potentiæ magis refocilatę.

Quadragesimo primo Quæritur An bruta etiam ipsa somnient.

Respondet Arist. affirmatiue, de omnibus quadrupedibus 4. de hist. animalium. c. 10. & idem videtur dicendum de omnibus animalibus habẽtibus memoriam, quia ex speciebus in ea reconditis possunt fieri somnia, sed non vt homines, quia vapores hominum acutiores, & tenuiores sunt.

Quadragesimo secundo Quæritur cur post cibum dormiendo non somniamus.

Respondetur prouenire, quia tunc magna est exhalatio vaporũ, vnde non sinit vt imagines phantasiatæ, & & memoratæ se representent, eo modo quo aqua actualiter agitata imaginem sibi obiectam non ostendit, nisi distortam, & etiã si tunc aliqua sõnia fiãt, inepta omnino videãtur. Et ita dic de temulentis, et alluuionibus, qui non somniãt nisi vt supra.

Quadragesimo tertio Quæritur An infantes, etiam ipsi somnient.

Arist. 4. de histor. animalium id negat pueris vsque ad quartum, vel quintum annum. Oppositum docet Gal. lib. 3. Aphoris. 23. Plinius, lib. 10. c. 75. Tertullianus lib. de anima. c. 49 At dicitur, quod si somniant, improprium est somnium, quia imagines non discernunt, aliquo tamen modo somniant, quia terrentur etc.

Quadragesimo quarto Quæritur cur aliqui tota vita non somniant.

Respondetur quod prouenit ex agilitate spirituum istorum, vnde cum incipiunt somniare mutant habitũ complexionis, vel vitam in mortem vt dicit Arist. lib. 4. de hist. Animalium. c. 10. Et Plinius multis exemplis comprobat lib. 10. c. 75. et Suetonius in Nerone c. 46.

Quadragesimo quinto Quæritur cur tantum extimauerit Deus petitionem Salomonis 3. Regum cap. 3. cum facta fuerit in somnio priuãte hominem vsu rationis, et consequẽter merito. Respondet. S. D. 1. 2. q. 113. a. 3. et 22. q. 154. a. 5. ad 1. Primo quod illam petitionem prius mente conceperat in vigilia, et solum eam in somno ratificauit. Secundo quod fuit somnium non naturale purũ, sed vaticinij, in quo est vsus liberi arbitrij, de quo somno dicitur Num. 12. Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, per somnium, aut in visione loquar ad eum. D. Bonauentura vero dicit Salomonem ex priuilegio meruisse.

Quadragesimo sexto Quæritur, An liceat diuinare per somnia.

Huic quæstioni satisfecimus in 2. parte nostri Directorij. Vide ibi. Pro nunc sufficiat dicere, Platonem tenuisse diuinationem per somnia, & ita Stoici, & Pithagorici. At Aristot. negauit, nisi inquantum sunt signa, temperamenti corporis, vel à Deo possunt esse immissa, & si afferat non immissa, quia si essent à Deo solũ immitterentur bonis, & sapientibus, & non etiam flagitiosis, vt infra. Dicimus ergo nos quod somnia à Deo, & bono Angelo, immissa credenda sunt, quia isti sũt magistri veritatis. suggesta vero à Demonijs sunt, vt periculosa, & falsa reijcienda, quia est pater mẽdacij, & deceptionis. A cęlis possunt causari, sed an ab ipsis sint ignoramus, vnde reijcienda veniũt, & solũ eis vti licet ad coniecturam, & ad cauendum malum non propter ipsa, sed quia malum est.

Quadragesimo septimo Quæritur cur Melancholicis plura somnia vera accidant.

Respondetur quia hi firmius, & exactius res ipsas meditantur, & examinant, nec temerarie iudicant, vnde veriores imagines formant, & ex eis somniant.

Quadragesimo octauo Quæritur cur Deus

Deus potius in somnio, quam in vigilia occulta reueler.

Respondetur prouenire, quia in somno animus magis præparatus est ad susceptionem diuinorum, cũ minus sit distractus à curis terrenorum. Secundo quia silentium noctis maiorem attentionem,& reuerentiam, erga diuinas res conciliat. Tertio quia cum ea quæ reuelat sub fidei caligine nobis tradantur, vt firmiter credenda,Dei testimonio roborata, & non humana ratione euidentia, in caliginem quoque noctis placet Deo nobis ista reuelare. Deus enim tenebras posuit latibulum suum pro hoc statu, vt in alio expectemus videre eum sicuti est.

Quadragesimo nono Quæritur cur diuina somnia solent esse obscura, & quasi ænigmis,& inolucris obtecta.

Respondetur primo id esse, vt hi qui à Deo ista somnia suscipiunt, à Deo intelligentiam petant. Secũdo quia obscura,& velata veneranda magis ac tremenda censentur. Tertio quia non expedit diuina humana mente metiri. Et quarto quia dum homines istorum notitiam à Deo petunt, altiora,& diuiniora suscipiunt. Vide D. Dionisium cap. 2. Cœlestis Hierarchiæ, & D. Thom. p.p.q.1.art.9.

Quinquagesimo Quæritur, An verum sit, quod diuina somnia eueniant semper, vel in principio somni, vel in fine.

Respondetur Ethnicos id tenuisse,vnde omnia somnia alio tempore occurrentia non diuina esse iudicabãt. An nos oppositum tenemus, quia Deus nec tempori,nec loco,nec alicui mortalium subditur.

QVÆSTIO XV.

Vtrum exercitatio corporis faciat ad sanitatem.

Videtur quod non. Primo quod de vno contrariorum affirmatur, de altero negatur. At iam diximus somnum,& quietem multum iuuare digestionem,&c. Exercitatio vero corporis ei opponitur, (nam motus,& quies opponuntur.) Ergo exercitatio corporis ei non opem afferet,sed nocumentum.

Secundo. Exercitatio est motus,& motus est causa caloris,& calor attritionis, & resolutionis, vnde,& dentes qui ex duris ossibus sunt, ex continua comestione conteruntur, Ergo multo magis in exercitio corporis deficient spiritus,ossa, caro, nerui,& corpus totum.

Tertio, Natura inclinatũr ad sibi necessaria,& vtilia; At omnes fugiũt labores,qui sunt in exercitatione corporis,& si eos assumunt, faciunt ob lucrum tantum. Ergo exercitatio erit contraria sanitati.

In contrarium est Rasis in 4. Almansoris,c.1.vbi dicit.Sanitas conseruatur bonitate mẽsurationis motus,& quietis,atque comestionis,& potus. Et Galenus in 2.de regimine sanitatis c.1.sic dicit. Si volumus. optime custodire sanitatem,incipiamus à laboribus,deinde sequantur cibi, &c, potus,deinde somni.

Pro explicatione igitur huius quæstionis. Primo notãdũ venit,quod exercitiũ sic possumus definire. Exercitiũ est motus corporis, & membrorum eius, voluntarius, in quo anhelitus alteratur, ita vt in eo fiat maior, & frequẽtior. *Definitio.* Diximus autem esse motum corporis, quia duplex est exercitatio.s.mentis,& corporis. Modo de exercitatione mentis nõ agimus, sed corporis. Diximus & membrorum eius, quia dum quis manu scribit, vel citharam pulsat,non proprie exercet corpus, nec membra corporis,sed membrum, vnde illud est verum exercitium in quo per motũ totius corporis, & omnium eius membrorum mouemur. Diximus volũtarius, quia & si possit fieri per violentiam, vt patet in condemnatis

Tertio. Nec expedit valde senibus, ægris, & modo conualescentibus. Sic consulit Galenus lib. de euchimia, & cachocomia dicendo, quod si qui propter ætatem non possunt exercitari debent abstinere à grossis cibarijs. Et ab his omnino ociosi abstine re magis habent.

Quibus Quarto. Ergo pensandum erit pro his qui non possunt se exercitari vt. Primo, vt diximus omnino à cibis grossis, & duræ digestionis caueant. Secũdo debẽt vti mollibus fricationibus, vel balneis calidis lauari debẽt, sic enim dicit Galenus libello de exercitio cum parua sphera. Qui cõuenienter exercitari non possunt, fricationibus mollibus, vel balneis calidis vti debent, hoc enim suauissimum est, & quiescere egentibus opportunissimum, & imbecilli, & seni, & puero valde cõferens. Nam mollis fricatio pars exercitij est, & laxat, sicut multa macrescere facit, & temperata ingrossat, apud Auicennam in 3. primi doct. 2. cap. 4. Et fuit sententia Aristot. in 38. problematum, prob. 4. dicentis. Fricationes augent carnes, et faciunt caliditatem, sicut quodam exercitio. Sed & exercitari se volentibus sunt vtiles dicente Auicenna in 3. primi, doct. 2. ca. 2. Oportet, vt qui exercitãtur, prius fricatione preparẽtur, quæ naturã viuificat, & poros dilatat, quæ cum re aspera fiat.

Sed quinto considerãdum venit, quod quædam sunt meditãda antequam exercitium incipiatur.

Ante exercitium. Primo enim vt diximus debet vti molli fricatione dicente Galeno in 2. de regimine sanitatis. Qui exercitandus est, non confestim fortiter est mouendus, nisi ante fricatione preparetur. Hoc tamen, & si vtile sit, non in vsu habetur, obseruandum tamen esset.

Secundo in principio exercitij non debet confestim se mouere, sed lente, & postea plus concito gradu, dicente eodem Galeno vt supra. Nec minus illud memorandum est, vt qui se exercet confestim fortiter nõ moueatur, sed paulatim motum augendo continue procedat.

Tertio. Exercitium debet proportionari cibo præassumpto, dicente Isaac in vniuersalibus dietis c. 8. Cum aliquis exercitans carnibus pullorum dieter se, vel perdicũ cito dissolutę. inde generantur debilitates, &c. vltimo sic dicit. In magnis exercitijs si dieta accipiatur subtilis, deficiunt, & consumuntur carnes, & ptisim incidunt. Volentes itaque fortiter laborare, grauiori se reficiant dieta, subtili vero, qui debiliter, & parum, media vero, qui mediocriter.

Quarto ante exercitium sunt purgandæ feces, & superfluitates, prout dixit Auicenna in 3. primi, doctrina 2. c. 3. Oportet (ait) vt qui exercitatur superfluitates prius ab interioribus expellat scilicet intestinis, & vesica, & deinde se exercitet. Et Galenus 2. de regimine sanitatis sic dixit. Ac exercitia sunt agenda, cum minxerint, & egerint, vt quid horũ robore caloris, qui in exercitijs ad ambitum corporis reducatur. Vnde purgãdum est corpus, per secessum, vesica per vrinam, nasus, & os per suas vias.

Quinto antequam laborem, & exercitium magnum aggrediatur debet, grauiores, & strictiores vestes deponere, vt dixit Arist. in 2. problematũ probl. 30. sic. Cum indumento enim quamuis quis valde moderato laborat, cito sudat, propter caliditatem, quæ est ab indumento, & propter hoc magis colorati sunt nudi currentes æstate, eis qui in indumẽtis. Quare quemadmodum omnes bene in euentabilibus locis habitantes magis colorati sunt eis, qui in suffocatis habitant, sic & ipse seipso quando homo in bono spiraculo est, tũc magis coloratus est, quando suffocatus fuerit, & commotus ab aliquo æstu.

multo, quod magis figit indumento currenti. Ratio est, quia corpus multis indumentis grauatum, & commotum, maiores superfluitates cõmouet, quam resoluere possit, vnde exercitio cessante, fluuent ad vacuitates articulorum, & neruos offendent. In exercitio ergo corpus non debet quidem esse nudum, ne aer intret, nec multis indumentis coopertum, ne laxet, plus debito.

Sexto qui debilitatem in aliquo membro patitur, non debet illud multum exercitio affligere. Dixit enim Auicenna vt supra. Exercitio vtens sibi cauere debet, ne exercitij calefactio ad id quod ex membris suis est debile perueniat, nisi secundum modum consequendi.

In exercitio. Sexto etiam consideranda sunt quædam, præoculis habenda in exercitio. Primum est ne post cibum, & magis post repletionem sit laborandum, antequam digestio saltem prima facta sit. Dixit enim Auicenna in 3. primi doct. 2. cap. 7. Illico post comestionem non est dormiendum cibo natante, & à forti motu, quanto plus possibile est abstinendum, ne cibus antequam digeratur penetret, aut sine digestione crudus, & indigestus adhepar labatur, aut propter inundationem corrumpatur. Et doctri. 5. c. 2. Amplius equitare non debet quis plenus, ne cibus corrumpatur. Et omnes medici concludunt quod sicut exercitiũ ante cibum est causa sanitatis, ita post ipsum est radix multarum infirmitatum, quia facit transire cibum indigestum adhepar, & sic indigestus trahitur ad omnia mẽbra, & ita totum corpus crudis humoribus repletur; vnde sequũtur multæ infirmitates.

Secundum est, quod corpus nõ est exercitandum dum est vacuum, & famis adest, vt dicit Auicenna in tertia primi sic. Quando forte exercitium necessarium est, bonum est ne stomachus sit vehementer extnanitus, immo sit in eo paucum nutriens.

Tertium est, quod cõuenientissima hora exercitij sit, quando iam celebratæ sunt digestiones in ventriculo, hepate, & venis, idest ante horam alterius cibi. Sic dicit Galenus 2. de regimine sanitatis, ait enim. Tempus exercitij est optimum, quando hic extremus cibus perfecte fuerit digestus duabus digestionibus, & quæ in ventre, & quæ in hepate, & alter instat cibus. Quando autem hæ digestiones factę sint, dicit Galenus esse cognoscendũ per vrinas. Ait enim lib. de dissolutione continua. Cum vrina moderatę citrina fuerit, significat tunc secundam esse factam digestionem, & tunc exercitandum. Cum autem aquosa scilicet non citrina, sed sicut aqua, vel rubea, idest ignea minime. Ignea enim apparet vrina post famis aduentum, & post laborem immoderatum, & tunc nõ est exercitandum, sed per cibum virtuti digestiuæ, & nutritiuæ succurrendum.

Quartum quod est pensandum in exercitio est quantitas eius, ne sit immoderatum, vel non sufficiens iuxta cõditionem exercitandi, non debet enim ista quantitas Mathematice cõsiderari, sed physice pro vniuscuiusque complexione. Nam immoderatum dicit Auicenna text. com. 145. canticorum proprie dicitur labor, & nõ exercitium, qui labor vt (ille ait) spiritum euacuat, & educit, & macerat pingues, & carnosos violentia dolorum, & facit corpus senescere ante ætatem senectutis. Nam ex immoderato motu humiditas consumitur, & solum siccitas in corpore relinquitur, vbi moderata carnem faciunt quia calidum ad temperamentum humidum ducit, & sic nutrit. Exercitium ergo immoderatum spiritum euacuat, pingues macerat, ad senectutem cito reducit, corpus exsiccat, & sua naturali humiditate priuat, corpora nimium debilitat, cale-

calefacit, & febricitate facit; calorē naturalē dissoluit, & hominem cito consumit. Considerandum igitur erit in exercitio quod quando corpus incipit aliquam notabilem grauedinem sentire, & lassitudinem pati sufficit. Hoc bene explicauit Auicen. in 3. primi dū sic dicit. In quantitate exercitij tres res sunt considerandæ. Vna est calor, quoniam dum in ipso bonitas augetur, ad huc est hora exercendi. Secunda est motus quoniam dum leues perseuerant ad huc est hora. Et tertiū est membrorum dispositio secundum ipsorum inflammationem, quoniam dum ipsorum augetur inflammatio, ad huc est hora. Cum autem istę dispositiones ceperint, & sudor vaporalis, & resudatio liquida facta fuerit, dimittendum erit exercitium, & finiendum. Phlegmaticis tamen, vt humiditates dissoluant latior terminus exercitij permittitur, quousque ad temperamentum deuenerint.

Quintum in exercitio examinandum est qualitas, & modus exercitij. Cōmunis autem opinio peritorum est, vt illud exercitium sumatur, in quo omnia membra moueantur. Vnde Galenus in libello de exercitio cum parua sphera dixit. Oportet verum dicere, solum enim illud iustissime laudabile est exercitium, quod mouens est omnes corporis particulas. Procurandum igitur est, vt in exercitio non solum membra externa, verum, & partes internæ sint exercitij participes, pectus, anhelitus, os, lingua, visus, auditus, etc. quia sicomnes concurrunt in vnum, et non dissedendo adinuicem humores in corpore conturbant. Tale exercitium est paruæ, et magnæ pilæ lusoriæ apud Galenum, vt supra. Venationis, et similium. Sed semper consideranda est natura se exercentis, quia aliud debet esse exercitium debilis, et aliud fortis, aliud calidi, et aliud frigidi, phlegmatici sani, ægri, etc. non. n. nos conformamur exercitio, sed ipsum debet nobis accōmodari.

Sextum erunt quædam circumstantiæ comitantes exercitium. Nam varietas exercitij laudatur modo ruri, modo in ciuitate, modo ad montem, modo ad fontem. In locis tamen apricis conuenientior est, maxime pro imbecillibus, qui ascendendo, et descendēdo neruos offendunt, et non tam bene vento, Sole, et aere temperato fruuntur.

Melius quoque est deambulare sub dio ad Cælum apertum, quam sub porticu, et si caput sustinet ardorem Solis melius est sub eo, quam in vmbra, et in planicie aperta, quam in Orto, nemore, vel loco arborū quantitate constipato, in quo libere, et expedite venti flare non possunt.

Mane ambulandum est ad montes, vbi aer serenior, et subtilior est, inferio ad fontes, vt amenitate, et suauitate aquarum fontis, fluuij, vel claræ aquæ visus recreetur.

Magnam etiam animæ voluptatem affert aspectus nitidæ aquæ, viridis, et rubri colores, pulchritudo hortorum, nemorum, cantus auium, etc. Laudatur quoque in exercitio tempore pestis, vt iter nō fiat sub tecto, sed sub Diuo, sed non nudis pedibus, nec summo mane.

Septimo consideranda sunt etiam quæ post exercitium obseruanda veniunt, ne bonitas exercitij suo fine priuetur. *Post exercitium.*

Primum igitur obseruandum est, ne statim post exercitium cibum sumamus, si exercitium forte fuit, quia ad huc corpus purgatur, & anhelitus tardus est, & vehemens, calorque per totum corpus est diffusus, vnde expectandum est, vt per aliqualem, quietem ad cētrum se reducat. Hoc docuit Arist. in prima problematū, problematibus 28. & 30 dum dixit. Exercitatis non debemus statim cibum offerre, quia adhuc non requieuit laborans, neque segregatæ sunt

citium conuenit, qui flatus in ventre sentiunt, nam subtiliantur, & exeūt.

Nonum est, vt in exercitio animus lætus sit, & de rebus molestis non sit sermo, quia calor exercitij excitaret magis rubram, vel atram bilem, & fieret cōmotio, vnde in exercitio iocundis vtendum est.

Decimum est, quod post forte, vel magnum exercitium concedenda est quies corpori donec magna lassitudo deficiat, quia quod caret alterna requie, durabile non est. Est tamen aliqualiter, sed temperate exercendum, vt membra agilia permaneāt, & grauitatem deponant.

At primum autem argumentum dicimus, quod contraria sunt in duplici differentia. Aliqua enim absolute sunt contraria, & ista semper se destruunt, vt calidum, frigidum, & humidum, siccum. Quædam vero sunt inter se contraria, sed respectu tertij sub diuersa ratione considerati conuenientia, & ista in eodem respectu tertij non se destruunt, vt somnus, quies, vigilia, & exercitatio. Vnumquodque enim horum suo modo sanitatē facit, promouet, & custodit, vt suo loco ostendimus. Secundo dicas, quod non sunt contraria in eodem nisi respectu eiusdem, non vero respectu diuersorum. s. causæ, & dispositionum.

Ad secundum dicimus, quod currit de exercitio immoderato, qui nimium calefacit, & consumit.

Ad tertium dicimus omnes fugere labores, qui sunt exercitia immoderata, non moderata, si recta ratione ducantur.

QVÆSTIO XVI.

Vtrum exercitatio Veneris sanitatem iuuet.

VIdetur quod sic. Primo. Opus naturalissimum, & diuinum, non potest naturæ esse nociuum. At talis est generatio per Arist. 2. de Anim. Ergo non erit naturæ nociuum. Maior patet, quia est naturæ amicum. Minor quoque, quia generatio est actus Venereus.

Secūdo. Purgatio superfluitatum facit ad sanitatem. At semen, quod per actum Venereum emittitur, est quodam de superfluo alimenti secū dum Arist. Ergo.

Tertio. Natura non inclinatur ad sibi aduersum. Neque à Deo præcipitur ei aliquod eiusdem destructiuum. Sed natura inclinatur in Venerem, & per eam gentes multiplicantur, secundum illud. Crescite, & multiplicamini. Ergo &c.

In contrarium est Virgilius sic cantans.

Vina, Venusque nocent
Et tentant gressus, debilitantq; pedes.

Quoniam res ista turpis est, nec Religiosum decet, quoniam prę ter coniugium Venus non est exercenda, & potius est moriendum, quam animam per peccatum fędandam, ideo breuiter me ab hac re expediā, continentiam, & pudicitiam semper suasurus. Hæc enim animum ab omni impuritate abstrahit, corpus incontaminatum custodit, vnde fornicarij, & omnem actum libidinis exercentes vocantur polluti, & corrupti. Loquendo ergo solum cum his qui ex sancto Sacramento Matrimonij copulæ actibus possunt vacare.

Primo dico, quod coniugati qui ex consuetudine Venereis sunt assueti, illi inquam moderate Veneri operam dare possunt, quia semen alias effusum, & retentum secundum Medicos corpus grauat, & nimio calore calefacit, sensus hebetat, tarditatem intellectus facit, in oculis tenebras, et caligines cōijcit, appetitum ciborum subtrahit, complexionem immutat, vapores malos ad cor, cerebrum, et stomachum ascendentes, et istas partes inficientes generat, humorem melancholi- *Coitus moderatus.*

cum

cum cit, et quasi venenum viperinum in animali generat, vnde in Viduis Matricis suffocationes pullulant. Corpus infrigidat, digestionem impedit, et multa tradit ad hoc propositum Galenus 6. de regimine sanitatis. Hinc audiant natura calidi, sanguinei, epulis deditι, in mollibus nutriti, et alij qui continere non possunt Apostolum in 1. ad Corinthios ca 7. Qui non se continent, nubant. Et 1. ad Thimotheum Volo autem iuniores nubere, et filios procreare.

Immoderatus Secundo. Dico, quod immoderatus coitus multum nocet oculis, vnde eos caligat, obscurat, et excæcat. Insuper neruis multa nocumẽta affert, et præcipue stomacho, quem notabiliter debilitat. Ventrem infrigidat, et exsiccat. Senectutem accelerat, præcipue in illis quorum complexio testiculorum est frigida, et sicca. Vitam abbreuiat, ac decurtat, vnde secundum Arist. animalia multi coitus cito senescunt, et cito moriuntur. Corpus debilitat, quia multum de spiritibus tollit, et calorem naturalem extenuat. Ethicos facit, animam dissipat, et temperamentum corrumpit, quia coitus, vt emissio naturalis caliditatis, et si tantum nõ euacuet vires corporis quantum Phlebotomia. i. scisio venæ, tamen magis de substantia animalis tollit, quam Pharmaca faciant purgatiua. Faciem dissoluit, et in senectute podagras, et dolores neruorum causabit.

Quibus noceat. Tertio. Dico quod immoderatus coitus omnibus nocet, his tamen in singulari pestiferus est. Primo frigidis, et siccis complexione, Melancholicis, extenuatis, macilentis, et modicum sanguinis, & carnis habentibus. Sic dixit Haliabates in 5. Theoricæ his verbis, Cum vero corporis est frigida, & sicca complexio, & hominis eiusdem complexionis, testes corpus exire, color viridis, albus, aut croceus, eiusque in corpore sperma per paucũ, si huiusmodi coitũ exerceat, refrigeratur corpus, naturalis debilitatur calor, & rarefactũ eneruatur, nerui imbecilles fiũt, superuenit illi tremor, animæ meror, cardiaca, artetica, pectoris passiones, & pulmonis. In cuius vsu si fuerit frequens, corpus consumitur, & deficit, spasmus accidit. Idem dicimus de senibus, de conualescentibus, ac ab infirmitate non à multo tempore surgentibus, de patientibus debilitatem visus, ac aliorum sensuum, de frigidum stomachum habentibus. Et si coitus damnatur supradictis, tempore Autumni omnino interdicitur, quia est tempus quo complexiones ad frigiditatem, & siccitatem descendunt, vt patet in pratis, & arboribus, & ideo Aristot. prima Problematum problemate 27. vocat illud tempus mortiferum pro coitu. Idem dicimus, & si non tantum in tempore æstatis, in quo corpora multum æstu debilitantur.

Quarto. Deduco propter eos qui intẽdunt ducere vxores, & in senectam viuere, quod debent habere has conditiones. *Nota.*

Prima quod habeant corpora grossa, fortia, robusta, sanguinem multum, venas amplas, & colorem rubeum, multosque pilos. Isti enim secundum Arist. & Galenum sunt calidi, & humidi, abundantque spermate.

Secunda est, quod sint in debita ætate, non ante 24. annos, quia crescunt, non vltra 60. quia ad senectam declinant, & plus nocet adolescentibus, quam fœminis, & senio confectis, quam ad ipsum appropinquantibus.

Tertia est, vt hi sint coloris rubri, & flaui, rubei subobscuri, quia talis color est indicium complexionis sanguineæ aptæ ad copulam, & habentis sanguinem subtilem. Hinc qui sunt coloris albi, denotãtis priuationem sanguinis, vel eius paucitatem. Vel

ruffi denotantis sanguinem choleri cum, vel subruffi annuentis choleram rubeam. Vel bruni importantis frigiditatem, non sunt tam apti ad matrimonia.

Quarta est, vt coitu moderate vtantur nisi adsit necessitas petendi, vel reddendi debitum matrimoniale, & inspi ratur consuetudo, quæ naturam assuefeci hunc, vel illum copulæ.

Tēpus. Quinto. Dico circa tempus veneris exercendæ, quod vt diximus Autūnus multum est ei contrarius, ita & æstas, vnde in hyeme conceditur, quia eo tempore calor ad interiora se reducit, & bene nutrit, et ita in Vere, quia tunc sanguis abundat, et calor naturalis se fortificat.

Hora autem opportuna secundum Halabiatem non est post repletionem cibi, vel potus. Dicit enim 5. Theoricæ c. 36. sic. Si cibo homo repletus, aut potu coitu vtatur, debilitas fit eius corporis, eneruatio neruorū, dolor in genibus, aliarumque continuationum, viscerum oppilatio, generanturque abundè humores grossi, cuius vsus si hoc modo fiat frequens, et assiduus, hydropis sequetur, asma, et tremor. Si vero famem patiens quis ad coitum accesserit, aut molesta siti pressus, aliqua euacuationum specie exinanitus est, vt vomitu, solutione, Phlegbotomia, et his similibus, aut statim post balneum, vel laborem, vigiliasque, aut etiam post grauem tristitiam, corpus consumitur, et desiccatur, calor dissoluitur naturalis, ciborum immutatur appetitus, tenebratur visus, oculi fiunt concaui, et nonnūquam defectus accidit, et spasmus.

Similiter vult Auicenna in 20. tertij. c. 10. quod non fiat post euacuationem corporis à fecibus, sed ante. i. antequam aluum ad exeundum stimulent, ac prouocent, vnde si ventrem inuitent ad excrementa, vel vesicā, ad vrinam, cessandum est à coitu, et purgandum corpus. Hora competens est post primam, et secundam digestionem, dixit Galenus, sed ista relinquamus pro matrimonio iunctis.

Sexto dico Religiosis viris, et mulieribus, qui Sacrosanctam pudicitiam Deo vouerūt, et reddere, idest illam seruare tenētur, iuxta dictum Psal. Vouete, et reddite domino Deo vestro omnes, qui in circuitu offertis munera, idest corda, et corpora vestra sacro ordini, vel approbatæ Religioni, quod non debent turbari si omnem actum venereum eis interdicitur, ore, corde, et opere, et recordari debent de dicto Spiritussancti. O quam pulchra est casta generatio cum claritate, immortalis enim est memoria illius apud Deum, et apud homines. Castitas enim homines Angelos facit, dixit Ambrosius, quia in carne viuere, et carnis incendia superare, diuini auxilij efficacis effectus est. *Pro continentibus.*

Nec tamen sciant ardorem suum sine remedio esse, vnde ista cogitabunt, et seruabunt.

Primum fugere omnes causas incentiuorum libidinis aliter, qui nō timet periculum, peribit in illo, data enim causa, non est mirum si sequantur effectus. Causæ autem tentationis coitus sunt ventositas, et semē, quæ in renibus calidis abundant, quia hi sanguinem plurimum ad se trahūt, et in semen resoluunt; Debent igitur qui renes calidos habent, fugere grabati mollitiem maxime auium plumarum, ac decubitum supinum supra renes. Minuere debent sanguinem abstinentia, et eo magis ciborum calidorum, vt columbinorū, passerum, et hedi, et similium. Ouorum recentium sorbilium, piscium cum aromatibus conditorum, calidis, ac ventosis, vt piperis, zinziberi, galangæ, et similium. Inter ea etiam quæ sperma augent, et coitum prouocant, sunt cæpæ, bruciæ, fabæ, fascioli, cicer, enula, et alia multiplicātia

& digerere, & nutrimentum ad superficiem cutis attrahere. Et in Canticis tex.com. 193. Vtendum est balneo ad tollendum sordes, & immundiciam. Neque sis in hoc piger, si vis educere superfluitates in corporis superficie, & cutem ab accidentibus immunditię mūdam facere. Et scdm alios corpus humectat, & renouat, poros aperit, sordes detergit, repletionem minuit, ventositatem dissoluit, ad somnum ducit, dolores reprimit, humores subtiles reddit, ventrem stringit, lassitudinē remouet, stomachum repletū cibis constituit, calorem naturalem confortat, digestionem perficit, angustiam fugat, superfluitates euacuat, dolores mitigat, & flatos expellit.

Balneū laudatur.

Respondeo balneū non esse à volentibus sane viuere reprobandum, his concurrentibus. Primum quod eo sint assueti, non enim qui consuetudinem non habent se balneandi, debent illud subito cum frequentia assumere, sed debent prius experiri per iteratas vices an sibi ꝓfecerit, & si ita, eo vti, si nō, relinquere. Assueti enim balneo si illud relinquunt, leduntur dixit Hippocrates 3. regiminis acutorum.

Conditiones.

Secūda est, ne nullus malis humoribus plenus eo vtatur, ne per ipsum humores commoti ægritudinem inducant dicente Auicenna in 4. primi c. 17. Balneum solet facere, vt ebulliant humores, & spargantur. Et ita liquefacti, & bonis permisti eos corrumpunt: vnde habentes corpora his repleta, oportet prius eos purgare, & corpus purum reddere.

Tertia est, ne ante exercitium fiat balneū, quia vt dixit Habiates 5. Theoricæ Balneum ante exercitium superfluitates cibi mittit ad membra, quas indigestas inuenit, liquefacitq; humores, & superfluitates exire paratas, & vapores defluere facit ad aliqua mēbra, pariterq; inde morbus.

Quarta est, vt fiat ante prandium, quia *Mixtum.*

post prandium, vt dicit Galenus attrahit cibum à stomacho ante digestionem eius; impinguat quidē, quia materiam trahit ad exteriora corporis, verumtamē oppilationes efficit.

Quinta est vt nec ante cibum balneandum sit quando vires sunt debiles, & fames vrget, vt dictum est, de exercitio, quia sic exsiccat, & macrescere facit.

Sexta est, ne in balneo sumatur cibus, vel potus vt dixit Hippocrates 3. Regiminis acutorum.

Septima est, ne longa mora trahatur in balneo, dicit enim Auicēna in 2. primi, doct. 2. Si quis in balneo multam facit moram, timetur ne ei superueniat sincopis, propterea quia calefic cor, et commouetur inde sincopis. Infrigidat adhuc calorē innatum, & cum sudore resoluit, debilitat, & exsiccat; nauseā mouet, humores quietos, ad putrefactionem disponit, & fiunt apostemata in membris occultis, & eorum superficie. Est ergo solum tantum morandum in balneo vsq; dum inflatum, et augmentatum corpus incipiat detumescere, secundum Auicennam in 23. tertij tract. 4. cap. 10.

Octaua est, vt seruent quæ dicit idem Auicenna in 2. primi his verbis. Qui balneantur debet se custodire ne rē frigidam actu bibant in egressione balnei, aut in balneo, quoniam pori sunt aperti, quare frigiditas nō tardatur, quin ad membrorum principalium corpora procedat, & ipsorum corrumpat virtutes. Ab omni re quoque vehementis caliditatis se custodire debēt, & pręcipue ab aqua quoniam si eam sumpserint, timendum erit ne cito ad membra penetret principalia, & inde accidat ptisis, & ethica. Caueant pręterea ne cito balneum egrediantur, & caput post ipsum discooperiant, & ne frigiditati se exponant, sed bene cooperiantur pannis, pręcipue si in hyeme fuerit. Et qui ex hominibus pinguis

existit, oportet ne illicò cum egreditur balneum comedat, sed expectet, & parum dormiat. Cauendū est etiā omnino venus in balneo, & post ipsum, vt supra diximus.

Datur etiam alia species balnei, apud nostros ordinarij, vt in æstate se balneare in aqua frigida, natando in mari, fluuio, vel fonte. & ideo de hoc aliqua dicenda sunt. Elicitue igitur dicimus ex Medicis, & precipuè ex Auicenna in 3. pr. mi, doct. 2 c. 6. quod non est abluendum corpus in aqua frigida dum quis patitur ventris fluxum, colicam passionem, vomitum, neque vigilias, neque reumatismus, neque corporis debilitatem, neque stomachi lassitudinem, vel fastidium.

Secundum est ne fiat post coitum, & laborem diariāq;, nec post vigilias, vomitum, nec post medicamenta laxatiua.

Tertium est, ne fiat in aqua multum frigida, sed tepida aliquo modo, neque in vno instanti totum corpus in aqua proijciatur, sed paulatim ad eam transeundo, ne accidat rigor, & fiat incipiente æstate, idest intrante Sole in Cancrum, & illa dies non sit vētosa, sit calidissima, & in meridie.

Quartum est, vt post quum egressus est ab aqua bene fricetur linteis durioribus, & æqualiter fiat fricatio, & per omnia membra, & melius erit in fricatione vti etiam oleo, vsquequo caro ad suum restituatur calorem, & postea non se exponat vento, aeri nociuo, sed bene se custodiat, comedat bene, sed de potu aliquid sibi detrahat.

Quintum est, quod simile balneum, nec pueris, nec senibus cōuenit, sed hominibus mediæ ætatis.

Ad primum argumentum dicimus balnea transiuisse in dissuetudinem ob difficultatem ipsorum, & apud pauperes, qui habent studere de pane lucrando, non apud optimates, & diuites.

Ad secundum dicimus, quod balneum est immutatiuum in melius, nam & alteratio est pręuia generationi, & si etiam corruptioni.

Ad tertium dicimus bonum etiam esse caput balneare, nisi adsit infirmitas, & obseruentur obseruanda, quæ cū difficultate fiunt, & ideo per accidēs dicitur Raro laua caput.

QVÆSTIO XVIII.

Vtrum euacuationes conseruent sanitatem.

Videtur quod non primo. Nam talis est natura eorum, quæ à corpore nostro exeunt, vt secum aliquid de uiuente retineāt, quoniam à viuēte proficiscuntur. At omne deperditum malum est. Ergo euacuationes non sunt in totum salubres, & maxime sanguinis.

Secundo. Post euacuationes sequitur euacuati debilitas, & lassitudo. Ergo signum est, quod per eas aliquid deperdit, quod ad eius robur faciebat.

Tertio. Malum est causam infirmitatis à circumferentia ad centrum reducere, scilicet ab externis partibus ad internas. Bonum vero malum internum ad exteriora conducere, ne delicatissima membra interiora inficiat. At euacuationes hoc sæpe causant, vt concessum est apud medicos. Ergo sunt sæpe mortiferæ.

In contrarium est tota schola medicorum.

Quoniam euacuatio non fit nisi propter repletionem, ideo primo notamus, quod ex defectu digestiuæ, & expulsiuæ cōtingit sæpe multos humores malos adunari in principalibus membris, vt in hepate, splene, stomacho, &c. & ideo curādum est, ne multitudine, & malitia istorum natura opprimatur, sed per euacuationes à periculis imminentibus subleuetur. Non enim omne quod co-

me-

meditur, & bibitur corpori assimilatur, sed multa excrementa, & aduersa consistunt, quæ eijcienda veniũt, ad hoc vt suppositum nostrum sanum seruemus per electionem ciborum, & digestionem adiuuantium, & per expulsionem contrariorum.

Repletio duplex. Secundo. Notandum venit quod Auicenna in 2. primi doct. 3. c. 6. duplicem repletionem assignauit. Prima dicitur secundum quantitatem humorum, quæ cognoscitur per ista signa. Adest membrorũ grauitas, in motibus pigritia, in facie rubedo, in venis inflatio, in cute extẽsio, in pulsu plenitudo, in vrina tinctura, & spissitudo. Abest desiderium cibi, adest visus debilitas, in somnis grauitas quasi velit se mouere, & non possit, aut onus graue portare, vel loqui velit, & non valeat.

Et contra ostendunt immunitatem ab humoribus somniare expedite currere, volare, & similia facere.

Secundã repletionẽ vocant secundum virtutem. i. secundum aliquam qualitatem repertam in humoribus, s. quod abundet, vel atra, vel rubea bilis, vel phlegma, vel cholera, prout diximus posse nos ista cognoscere ex somnijs, quia abundantia atrę bilis causat insomnia de rebus horribilibus, Melancholicis &c. vt supra diximus. Et ista non habet signa supradicta, sed alia, vt lassitudinem post motum, somnia vt supra, & si est cholera generat sitim, & amaritudinem oris, colorem citrinũ in lingua, mordicationem in Stomacho, super calefactionem, nocumentum ex calidis, iuuamentum ex frigidis &c. Cognita ergo qualitate humoris prę dominantis subito est ei occurrendum, & per euacuationem cibi proportionatam est euacuandum, cum sit melius præuenire, quam præueniri.

Mala. Tertio. Dico quod quamuis sanguis sit fomes vitę, tamen multa eius abundantia non laudatur, sicut omnis repletio humorum condemnatur, quoniam facit periculũ suffocationis, & subitaneæ mortis, vt dicit Auicenna, in 3. primi doctr. 2. cap. 7. Sanguis enim abundans non bene gubernari potest à natura, vnde inflammat multũ, & vias naturalis caloris oppilat, vnde succedit suffocatio. Ita pinguedo videtur laudabilis, tamen dũ modum excedit, vias spirituum obcludit, & sic suffocat, vnde de pinguibus sic dixit Auicenna. Ad summum mors super vltimatos in pinguedine festinat, & proprie illos, qui impinguantur in prima ætate. Ipsi enim minutas habent venas, & constrictas, & sunt expositi, Apoplexiæ, & paralesi, & pulsu cordis, & diarriæ, & malitiæ anhelitus, & sincopi, & febribus. Si igitur repletio sanguinis, & carnis mala est, tanto magis est mala aliorum humorum.

Quarto. Dico quod scissio venæ, quæ Phlebotomia dicitur est vniuersalis purgatio, quæ cum sanguine trahit etiam secum alios humores peccantes, & ideo Galenus 5. Terapenticæ c. 13. de ea dixit. Phlebotomia, ventrem desiccat, memoriam præbet, vesicam purgat, cerebrum temperat, medullas calefacit, auditum aperit, lachrymas stringit, stomachum purgat, digestionem adiuuat, ventrem coercet, somnum inducit, anxietatem tollit, sanguinem proprium nutrit, alienum prohibet; & longioris vitæ sanitatem administrat. Ex negligentia autem phlebotomiæ, quando necessitas adest accidũt apostemata. Febres conclusę, frenesis, pleuresis, variolæ, morbillus, passio emoptica, apoplexia sanguinea, de qua facies viridis, vel nigra apparet, lepra, & quandoque mors subitanea. *Phlebotomia.*

Signa autem abundantiæ sanguinis in singulari sunt si febris sit verens, si corpus rubet, si venæ sunt plenæ, & tumidę. Signa vero morbi viscerum sunt neruorum resolutio, vel rigor,

vel distensio, difficultas respirandi, suffocatio in respiratione vehementi, subita vocis suppressio, & similia apud Medicos nota.

Conditiones. Quinto tamen in Phlebotomia, ista erunt pensanda.

Primum, quod quamuis sit magnum periculum sanguinem à puero, à sene, & à muliere grauida tollere, tamen si vires sint validæ, & infirmitas non sustineat aliud remedium, sed hoc exposcat, tollēdus erit sanguis, sed paucus, & citra periculum. Et cum periculum clarum est de morte, nisi sanguis subtrahatur, tollatur, quia versamur in extremo, & minus extremo, Excipio mulierem grauidam quando faceret abortum, quia non est occidenda anima innocentis priuatione baptismi, & si mater moriatur, hoc est ei constitutum ab eo statu in quo reperitur.

Secundum est, quod subito scindenda est vena, etiam post cibum, qui ex alto cecidit, si contusus est, si ex subito casu vomuerit, ne si supersederit, corpus affligatur. Et ita etsi expectandum sit tempus cessationis sanguinis, vel saltem declinationis in continua, tamen quando semper vrget, subtrahenda est ei illico causa per sanguinis minutionem, ne amplius crescat.

Tertium est, quod non subsistente causa extrahendi subito sanguinem, est prius corpus purgandum, vt melius exeant mali humores.

Quartum est, quod Phlebotomia, quæ fit ad tuendam sanitatem debet fieri in vere, i. postquam Sol ingressus est signum Arietis, à quibusdam tamen diebus, calefacto aliquantulũ aere, In Vere enim humores abundant, vnde demedũ est ab eis malũ materiæ, quibus possent corrumpi, & tempus solet esse tunc temperatissimum. In æstate vero maxime existente sole in cane non tollitur sanguis, nisi magna adsit causa, & in parua etiam quantitate, quia tūc natura est multum æstu afflicta, & debilitata. Et ita tempore hyemis propter coagulationem sanguinis, & grossitiem, quam habet illo tempore. Et idem (& si minus faciat malum) dicimus de Autumno, quia venti flantes, tunc tempus siccum, & debilitas virium phlebotomiam non laudant. Et ita dicimus quando est tempus maxime calidum, vel frigidum. Ita in vere non erit corpus cibis implendum, ne malos humores addamus illis qui fuerūt congregati in frigiditate hyemis. Dulcia minus sunt sumenda, & omnia multum excalefactientia, & humectantia. Vere autem esse necessarias purgationes cōcludunt medici quia calor extraneus, & humiditas accidentalis, sunt causæ putrefactionis per Arist. 4. Meteor. Si igitur in corpore reperiantur mali humores, & in Vere non purgentur, dum æstũ, & calorem æstatis sentiunt, liquefiunt, & sic febres putridas generāt.

Sexto tamen notandum, quod quandoque cholera, & melancholia non admiscentur multum sanguini, & tamen abundant in corpore, vnde pensandum venit de eorum euacuatione, ne hi humores sanguinē in venis existentem alterent, & corrumpant. Vnde dicit Galenus 6 Aphorismor. se multos sanos seruasse, qui sæpe infirmabantur, ordinata eis euacuatione in vere, per medicinas, supradictos humores purgantes. Solutio ergo ventris in Vere facta per medicinas purgatiuas optima est, præcipue gulosis, multum comedentibus, pinguibus, magnum corpus habentibus, & parũ se exercentibus. *In mixtis.*

Septimo tamen considerandũ venit in sumendis medicinis ne illæ sumantur, quæ violentæ sunt, & multum alterant, maxime nulla existente præparatione humorum, facta per ordinaria dispositiua, omne enim violētum naturam destruit, & deijcit, *Violentia.*

cit, vnde dixit Auicenna in 3. primi doctr. 2. cap. 1. Non est conueniens quod purgatio fiat cum medicinis venenosis, quæ proculdubio naturam frangunt. Et post aliqua. Medicinæ solutiuæ cum humore superfluo euacuant, ex humiditatibus naturalibus, & spiritu, qui est substantia vitæ partem magnam, & cum hoc virtutem membrorum principalium debilitant. Et in 4. primi ca. 9. dixit. In pluribus violentarum medicinarum existit aliqua venenositas, & solutionem ventris efficiunt secundum modum quo naturæ violentia infertur. Et similes medicinæ ex toto corpore humores trahūt ad stomachum, & totum corpus purgant, stomacho repleto, (vt dixit Auenzoar in sui Teisir lib. 1. tract. 3.) & insuper totum corpus desiccant, secumq; bonam partem humidi radicalis trahunt, & calorem debilitant.

Benedictæ. Octauo. Ergo sumendæ erunt medicinæ suaues iuxta possibilitatem naturæ, & conditionem morbi, quæ benedictæ dicuntur.

Inter has est Aloes, qui secūdum Mesue est de melioribus, & subtilioribus medicinis. Confert enim membris, & nō eis nocet, & ea in propria virtute restituit. Solum enim obest, quod aperit orificia venarum, & facit sanguinem manare, nisi rectificetur cum Dragaganto, aut mastice sic enim choleram, & phlegma educit, caput, & stomachum ab eis emundat, & doloribus eorum magnum iuuamentum confert, & à putrefactione corpora sana, & mortua seruat ex Mesue. Galeno Diascoride. Serapione, Rasi, & Auicenna.

Secundo. Inter has benedictas medicinas connumerātur Myrabolanæ. Ipsæ enim soluunt, & non debilitant, immo stomachum, & viscera confortant, & eorum partes coadiuuant, & conseruant. hepar, corpus & omnia membra corroborant. Iuuenescere faciunt, & bonum colorem conferunt, ori bonum odorem tribuunt, gaudium, & lætitiam afferunt. Cor, hepar, & stomachum confortant, tremorem cordis tollunt, stomachum mundificant, emoroidibus conferunt, inflammationem cholore rubeæ extinguunt, & complexiones calidas coadiuuāt. Sed debent præparari, cum Diureticis. absinthio, spica, & similibus. Chebuli qui sunt eorū species secunda, phlegma educunt, & visum lætificant, stomachum mundificant, & confortant.

Nigri qui sunt tertia eius species, cum dissolutione melancholiam & choleram adustam educunt, colorem clarificant, tristitiam remouent, & leprosis, quartanarijsq; proficiunt.

Emblici, qui sunt horum quarta species stomachum, & ipsi confortant, cor, hepar, stomachum coadiuuant, educendo phlegma, cerebrum, & neruos valde corroborant, intellectum augēt, corpus à putrefactione conseruant, sitim auferunt, vomitum sedant, & appetitum augent.

Gelerici qui sunt, vltima species, cum emblicis sunt earundem proprietatum. Istæ autem Medicinæ omni tempore anni possunt sumi, sed congruentius in vere.

Mesue connumerat inter medicinas benedictas Reubarbarum, de quo dixit. Non est in eo nocumentum, & datur omni tēpore, & in omni ætate, etiam pueris & prægnantibus, & delegantioribus. & melioribus, quę iuncta cum eo magnificant operationem eius, est aqua lactis sumpta ex Capris. Educit autem choleram, & phlegma, hepar, & stomachum purgat; & confortat, doloribus pungitiuis renum, & viscerum prodest, sanguinem purificat, oppilationes, & morbos aufert.

Cassia non remouetur ab hoc numero benedictarum medicinarum omnibus ætatibus, & sexibus vtilis, sanguinem

guinem clarificat, acuitatem eius, & cholerae rubeae sedat, sitim tollit, & proprie cum succo Endiuiae, aut solatri, depurati. Pectus lenit, stomachum mundificat, apostemata in eo resoluit, & ventrem sine furore soluit sumpta cum Diureticis, & infusione liquiriciç. Calefactioni renũ prohibet generationem lapidis in eis, & prodest febribus calidis.

Manna, & ipsum tenet inter has locũ, purgat humores cholericos, & est eiusdem operationis cum Cassia.

Fortes. Nono tamen considerãdũ venit, quod quandoque accidit casus, quod non benedictis medicinis, sed fortibus, & vehementibus vtendũ est, vt quãdo oportet humores ex partibus longinquis purgare, & eradicare, vt à podagricis, & scabiosis est videre. At in his sunt ista seruãda. Primum quod semper quaeramus confortare cor, & stomachum, & os eius, quae multum ab his leduntur, modicum istis medicinis miscenda sunt correctiua, & confortatiua, prout medici sciunt. Secundum erit considerare virtutem, & fortitudinem infirmi, ne vehementia istarum suffocetur.

Decimo venit etiam considerandum, quod diuersi sunt modi euacuandi.

Primus enim est per phlebotomiam, & de hoc supra diximus.

Secũdus est euacuationis q fit per Cucurbitulas, quae non est euacuatio tã periculosa, sicut est sectio venae, vnde dicunt Astronomi, quod si quis tempore natiuitatis suae caudã Draconis in proprio signo habuerit, & eodem signo ascendente, eodemq; gradu postea venam secuerit, pręsẽs periculum mortis sibi accessit.

Secundo dicimus vsum istarum salutarem esse in morbis longis, siue corrupta materia, siue spiritu male se habente. In acutis, si corpus leuari debet, & vires sint macrae ponuntur in medio febris impetu, ac etiam cruditatibus stantibus. Et tempore omnium morborum, quando virus trahendum est ad circumferentiam à centro.

Tertia est purgatio per clystere in qua obseruandum est primo, ne materia sit calida, vel frigida, sed tepida. Secundum quod suscipiens se in lecto contineat, ne illud citius quam oportet euacuet. *Clystere.*

Tertium est, quod quando infirmus nõ potest sumere cibum, mane, & sero infundendo, potest nutriri, si in eo sint iura carnium, ptissana cum carne contusa, vt dicit se esse expertum Calixtus procaccinus ad tyrones. Diuersos autem modos docet Henricus Ranzouius l. de conser. val. c. 15.

Quarta euacuatio est per vomitũ, quae solet fieri, quando in stomacho est nausea, in ventre rugitus, in ventriculo cholera. Dicit autem Auicenna in 4. primi cap. 4. Ex humoribus, qui velocioris sint obedientiae vomitui secundum plurimum est cholera, rebellis vero melancholia, medium autem phlegma.

Secundo dico, quod vomitus non est prouocandus hyeme, sed in aestate, quia tunc humores natant dicente Hippoc. 4. Aphorism. Aphor. 4. Purgare quidem aestate superiora, hyeme vero inferiora oportet, & praecipue cum carnositas stomachi, amplitudo pectoris, colli, & similium cõsenserint vnanimiter. Quoniam vomitus cum macredine ventris est difficilis, & laboriosus, & timorosus prout dixit Auicẽna. Nã habẽtibus pectus strictum, & his qui sunt inclinati ad prisim vomitus est suspectus. *Vomitus.* Hippocrates autem consulebat, vt fieret quodlibet mense duobus diebus continuis, & non plus. Sic enim visum clarificat, stomachum mundificat, grauitatem capitis remouet, fastidium aufert, nauseã tollit, & pluribus infirmitatibus confert.

Tertio dico, quod vomitus debet esse facilis, & non difficilis, & laboriosus, nimis enim stomachum debilitat, & periculum rupturae venae facit.

cit. Excitatur autem ponendo digitum in ore, vel bibendo aquam calidam, salem, vel butyrum. Facit ad eundem Sirop. acetosus, oxymel, & post sumendo aquam tepidam, cui sit admixta particula butiri, vel gari. Item facit ad eum ptisana mixta cum melle, vel cum vino dulci. Antimonium autem magnum prouocat vomitum, Helleborus item, & his vtimur in comitiali affectione, & insania apud Paulum, sed non in hyeme, nec æstate, & tunc humidius est corpus reddendum per maiorem cibum apud Celsum.

Vomitus prouocandus est in locis calidis, tenendo sinistrum policem in cauo manus inclusum.

Sed à vomitu abstineant qui eo multũ non indigent, collum habentes longum, pectus strictum, ptisi obnoxij, exputitioni sanguini, qui morbo acuto laborant, qui viribus sunt imbecilles, apud paulum.

Vrina. Per vrinam etiam fit euacuatio, & bene, quia retenta vrit, & calculos in renibus, & vesica gignit, vesicam extendit, & inde concotrix facultas in suo munere impeditur. Alba autem indigestionem notat, rubea calorem indicit, nigra malitiam, viridis mortem, Bullæ, & integra corona grauedinem, & dolorem capitis denotat. Citrina sanitatem annuit. Si clara emittatur, & postea subsidit, perfectam concoctionem significat. Turbida euadit sanis post exercitationem, ægris post morbum. Si faceat arenam altam, vel rubeã copiosam, & crassiculam, in fundo descendentem tinendum est de lapide, & annunciat calid tatem renum, & hepatis. Si quid pingue innatauerit vrinæ, & diu durat resolutionem totius corporis ostendit, sin autem subito, & cumulatim, nec diu duret colliquationem renum denunciat.

Vrinam autem ciunt omnia nascentia in horto boni odoris. Apium, Anethum, Menta, Ruta, Ocymel, Hyssopum. Eruca, Nasturtium. Anisum. Corinadrum. Fæniculum. Asparagus item, thymum. Caparis. Saturegia. Hepeta. Pastinaca, Lapsana, Radicula. Cicer. Cepa. Ex venatione lepus. Præterea piper rotundum, & longum. Vinum tenue. Absinthium Sinapi, nuclei pinei.

Fritio. Fiunt etiam euacuationes ex fricatione, de qua sic dixit Hippocrates. Frictione vehementi corpus durat, lenis mollitur, si multa minuitur, si modica impletur. Longa vero frictione vti, neque in acutis morbis, neque in crescentibus conuenit, præterquam cum phreneticis somnus quæritur. In longa valetudine conuenit, etiam à primo impetu inclinata. Finito ergo morbo recte frictio adhibetur, & ita in dolore capitis, sed non in impetu doloris. Euocat materiam, vnde sæpe perfricamus, cũ à summis, medijsq; corporis partibus euocare materiam intẽdimus, extremas partes perfricando. Et sic sanguine e naribus erumpente extremos artus, & dum menstrua deficiunt, brachia, & manus. Et cum vnam tantum partem corporis fricamus, valentius fiendum est, si totum corpus fricaremus. Et in morbis bonum signum est, si calor per frictionem foras ducatur. Post exercitium factum cum magna lassitudine, & afflictione carnis vulgo fit sicut etiam suo modo Equis oneratis, currẽtibus &c. adhibetur. Fitne manu, & panno vsquequo cato calescit.

Gestatio. Fit etiam euacuatio humorum per gestationem, quãdo vires fractæ sunt, & nõ permittunt iter. Fiunt inquam in curru, lectica, naui, & in cuna etiã puerorum, huc illucq; ea impellendo. Fit in morbo lento remanentibus eius reliquijs, & quando lingua non est aspera nullus est tumor, vel durities, nullus dolor visceribus, capiti, aut præcordijs, & exercitio assuetis.

Nolo

Nolo tacere, quod etiam per Hirundines idest Sanguisugas sanguis euacuatur, & multi in senium vixerunt, qui inter fæstum Pentecostes, & S. Io. Baptistæ, aut circa fæstum. S. Bartholomei hirundinibus sanguine minuti sunt, applicando cuilibet pedi quatuor, & brachijs duas. Et ego anno præterito 1617. cum ex concione, & sudore non excusso, & consumpto per pãnos calidos in tertianam simplicem incidissem (putabã enim ne ingrotabilẽ cum ab anno 1590. vsque ad illum diem ignorauerim febrem) cum per decem terminos multum essem afflictus, nescio quo spiritu nisi sancto ductus petij à Medico excellentissimo nostri Conuentus Sancti Dominici Venetiarum Domino Ludouico Scarpa, vt vellit mihi concedere septem sanguisugas ad emorroides (neque enim his infirmor, nisi quod antea per aliquot annos sine inflatione, vel dolore mittebant sanguinem per secessum) concessit, & illico febris aufugit, dum timebam eam perduraturã vsque ad 14. terminum.

Hyrundines.

Circa meridiem sunt capiendæ, nec ante horam sextam vespertinam sũt admouendæ.

Dieta. Per dietam etiam euacuantur in infimo mali humores, & dicit Celsus Asclepiadem ægros suos fame, & ingenti siti per triduum fatigabat, & postea cibum dabat. Erasistratei Medici solam inediam obseruabant, negantes venæ sectionem, vt asserit Galenus. Et idem Galenus dicit. In morbis in quibus intra primam tetradam plenus morbi impetus, & indicatio sit futura, modo natura robusta sit (adde, & permaneat) in perpetua inedia ægrotus est continendus. At dum non satis viribus fidimus, ad prissanę succum deueniendum est. At illa regula in nostris complexionibus dubito nõ esse accomodatã, & si initio morbi dieta sit vtendum.

Tandem per sudorem etiam purgantur homines. Sed ægri cauere debent à prouocatiuis ad sudorem quasi per violentiam, vt per clibanum, & ædificia consueta ad hoc, & solum fit, quando humor intus nocet, & est digerendus. Vt in neruorum vitijs. In febribus etiam lentis, & leuibus, dummodo lingua non sit aperta, præcordia dura, dolor in capite, vel medio corpore, & hæc in balneis. Cæterum in exercitio corporis quãdo sanus sit diximus supra. *Sudor.*

Ad primum autem argumentum primo dicimus, quod vel loquimur de corpere ĩpuro, multis malis humoribus referto. Vel de corpore puro. Si primũ dicimus patuã esse partem boni humoris p euacuatiõnẽ detracti, cuius detractiononon officit, quia per purgationẽ corpus redditum est purum, vnde cito, & abunde reparat deperditum. Loquendo vero de corpore puro, vel non multum purgatione indigente consulimus ne se purgatiuis imisceat, quia à Medicis sapientibus reprobatur. Dicit enim Io. Messuæ can. c. 1. Medicinatum vsus facit senescere corpus, & lesionem affert principalibus membris, & quæ sunt mineræ virtutum debilitat, & minuit spiritus, & calorem naturalem. Idem affirmauit Auicẽna in tertia primi doct. 2. c. 1. Et in primi c. 9. dixit, Nulla medicinatũ purgatiuarum est sine veneno aliquo, in aliqua parte sui. Et Galenus libello de sacrificatione dixit. Venam incidere sæpe in anno, minime commodum puto. Nam vna cum multo sanguine vitalis spiritus excernitur. Hoc aũt frequentius consumpto corpus perfrigeratur, & omnia animalium opera peius fiunt.

Ad secũdum dicitur, quod illa lassitudo, & decessio bona est, quia redundat in meliores vires.

Ad tertium dicitur, quod hoc relinquitur à Medicis cogitandum pro qualitatibus morborum.

QVÆ-

QVÆSTIO XIX.

An expediat sanitati fugere animi passiones.

VIdetur quod non. Primo, Vexatio inquit sapiens dat intellectum. Bonus autem intellectus dat sanitatem. Ergo vexationes, quæ fiunt per animi passiones faciunt ad sanitatem.

Secundo. Passio animi facit hominem dubium, vbi hilaritas nimia facit illum præcipitem. Ergo animo afflictus magis sibi cauebit à corrumpentibus sanitatem, quam passionibus solutus.

Tertio: Causa passionum ponitur recursus sanguinis, & spirituum ad cor. Nam calor quasi per vehiculum ad diuersas partes trahitur, si tristia enim vrgeant spiritus, & sanguis ad cor refugiunt, vt ipsum succurrant. Si verecunda ad faciem conuolant, vnde eam rubeam reddunt. Si leta ad cutem, vt eam extendant. At quomodo hoc fit possibile non videtur, cum sanguis sit congregatus in venis.

Quarto: Quomodo fit quod metuentes expallescant?

Quinto: Quomodo tremor cor treme re facit, itante quod sanguis in timore ad cor aufugit, & sanguis secum calorem trahit, & spiritus. Videtur enim, quod potius deberet illum sine tremore inuitum reddere?

Sexto quomodo fieri potest, quod illi qui subito timore inuaduntur, & magno, patiantur horrorem capillorum?

Septimo: Qua ratione potest esse, quod timor, & terror sitim generẽt?

Octauo: Quomodo possunt Philosophi dicere pudorem esse speciem timoris, idest quod sit metus iustæ reprehensionis. Si timor contrarium motum teneat, cum timor sanguinẽ, & spiritus ad cor aduocet, & pudor ad externa. i. ad faciem?

Nono. Quomodo fuit in prouerbium apud philosophos veteres. Iram nõ habere, qui mentem non habent?

Decimo. Quomodo verecũdia in adolescentibus indicium est animi ingenui?

Vndecimo. Quomodo verecundi oculos in verecundia auertunt.

Duodecimo. Quomodo, & qua ratione oculi irascentium rubescunt?

Decimotertio. Quomodo tristitia, seu dolor, & voluptas sunt comites iræ?

Decimoquarto. Qui nam suo apti ingenio audaces sunt?

Decimoquinto. Quomodo audaces in principio pugnæ sunt viuaces, & in fine timidi, & fugitiui sæpe?

Decimosexto. Quomodo verum est, quod dolor fletu, contemplatione, & somno mitigatur?

Decimoseptimo. Quomodo dolor, & tristitia lachymas ciere possunt, & faciant?

Decimo octauo. Quomodo gaudentes in facie rubei efficiuntur?

Decimonono. Quomodo artifex, eiusdem artis artificem odio habet. Si similitudo est causa amoris?

Vigesimo. Quomo experientia docemur Amantes fieri amentes?

Quoniam hic de tristitia, & alijs animi passionibus, valetudinem, & temperamentum bonum corporis corrumpere valentibus agimus, licet etiam nobis laxare habenas ad multa problemata, vt comptior, perfectior, & iocundior, sit cognitio huius quæstionis.

Primo ergo dicimus volenti se sanum, & incolumen seruare, quod debet fugere pro posse animi passiones maxime post cibum. Nam communis est sententia Medicorum, quod digestionem impediant. Vnde Galenus dixit 1. de regimine sanitatis sic. Oportet medicum curare, vt corpus de facili in ægritudinem non deueniat. Etenim furor, fletus, ira, tristitia, sollicitudo amplior, quam oporteat,

teat, & vigiliæ quæ super his fiunt, febrium, & aliarum ægritudinum sunt principia. Sicut econtra pigritia, mentis amentia, & anima omnifariam deses, decolorationem, & denutritionem operatur, infirmitate naturalis caloris, quem omnibus custodire oportet, infra terminos sanitatis. Nam ira, & furor faciunt accidere caliditatem superfluam, gaudium vero, & lætitia caliditatem æqualē. Timor, & pauor faciunt accidere frigus. Et in omnibus motibus corporis per passiones spiritus deficiunt, & ipsum extenuatur, & exsiccatur. Nam motus spirituum ad interiora, qui accidit in passione cordis, secum trahit frigus exterius, & intenditur magis quam oporteat caliditas interior, (vt dicit Galenus) & cum multa coangustatione constringitur, & infrigidatur interius, & exterius, & sincopis magna, aut mors sequitur. Maxime autem officiunt post cibum, quia calorem, & spiritus vitales pro qualitate passionum ad cor, vel ad extra deducunt vnde digestionem derelinquunt.

Dico secundo in particulari, quod ira, quæ est accensio sanguinis circa cor, & odium, quod est ira confirmata, & cōseruata, & furor, qui est maniaca confidentia, multum officiunt sanitati. Primo enim pro effectu habent melancholiam, quia tandem odium ad hanc deuehit, dum non potest vendicari, vt libet. Secundo succedunt timor, et pusillanimitas dicēte Galeno. Multos in timorem, & pusillanimitatem cecidisse vidi, propter iram, odium, & tristitiam. Tertio transportant malas materias ad stomachum, ex concitatione spirituum in corde dicente Auicenna. Ira animæ incitat frigiditatem scilicet per ressolutionem, quæ quandoque magnificatur intantum, donec ledat in vltimo. Quarto de facili inducunt febrem, vt dixit Haliabas 5. Theoricæ, Et subdit. Et si quidem in corpore humor est ad putrescendum paratus, febrem generat putridam. Magis autem ista nocent macilentis, & calidis, quam humidis, & crassibus, qui etiam minus sunt decliues ad iram, & odium.

Dico tertio timorem etiam, tristitiam, & sollicitudinem multa mala in homine parare. Timor enim est exteriorum infrigidatio, & contractio caloris ad partes interiores sub corde. Hinc primo timidi fiunt frigidi, vnde etiam quasi rigescant tremunt vnde calor ad cor reductus, & ibi coaugustatus se dissipat, & resoluit, vnde dixit Haliabas. Timor, & pauor faciunt accidere frigus superfluum. Inde secundo, sequitur melancholia, vt dixit Hippocrates 6. Aphorism. Aphorismo 23. sic. Si timor, & pusillanimitas multum habeant tempus, habentem aliquā melancholiam perficiunt.

Tristitia, & ipsa similia damna infert, & de facili inducit ptisim, & Ethicā & Auicen. 3. primi c. 4. sic ait. Tristitia multum exsiccat, & pigritia virtutes laxat animales, & complexionem ad phlegmatis proprietatē inclinat. Tristitia est etiam causa destructionis, & corruptionis digestionis. Melancholiā inducit, spiritus tenebras facit, ad iram disponit, virtutem naturalem dissoluit, corpus emacrat, & vt dixit sapiens. Desiccat ossa. Et sicut tinea vestimento, & vermis ligno, ita tristitia viri nocet cordi. Et tandem conclusit. Ecclesiastici 35. sic. Tristitiam non des animæ tuæ, & non affliges temetipsum in consilio tuo, tristitiam longe expelle à te, multos enim occidit tristitia.

Quarto. Idem dico de Inuidia, & æmulatione, frigus enim in corpore inducunt, cor affligūt, & omnes vires debilitant.

Gaudendum est igitur moderate, & modeste, prouidendo quidem prius bona coram Deo, & hominibus, &

postea

postea omnia committendo diuinæ prouidentiæ, stabiliendo hoc in nobis, quod sæpe nescimus, quid petamus, & quando Deus vult, potens est de lapidibus suscitare filios suos, & eis purpurã concedere. Vnde dicamus semper ei Fiat voluntas tua in cęlo, & in terra.

Ad primum argumentũ dicimus, quod bonus intellectus dei sanitatem verum est directione, inquantum nos dirigit, in electione mediorum ad eam conseruandam, vnde minor potest admitti. Ad maiorem autem dicitur, quod vexatio dei intellectum stat dupliciter. Primo per se, & sic est falsum, per se enim animum affligit, aliter non esset eius passio. Secundo occasionaliter, inquantum facit nos considerare quæ agere debeamus, & quæ non, vnde est bona ex suppositione, & si recte percipiatur.

Ad secundum idem dicitur, concludit enim occasionem esse bonam, sed non in se desiderabilem.

Ad tertium dicitur, quod sanguis per totum corpus diffunditur, egrediendo ab hepate, & corde per venas, & spiritus, vnde ex vno fonte sunt modo suo, & hinc est, quod anima dum aliqua passione afficitur, prout afficitur virtute potentiæ motricis attractiuæ, & expulsiuæ, sanguinem, & spiritus in maiori copia ad aliquas partes transfundit, prout eius passio terminatur ad hoc, vel ad illud, vt in argumento bene exemplificatum est.

Ad quartum dicimus causam palloris metuentis esse, quia timor sanguinem (à quo est color rubeus,) & spiritus qui mouent corporis membra, ab externis, ad interna conuocat, vnde externa palleat, & tremunt, quia priuantur sanguine, & spiritu regente, & hoc magis apparet in labio inferiori, quia parum habet de spiritu, et sanguine, et est magis pendulum, vnde facilius tremit.

Ad quintum dicimus, quod dum timor impellit sãguinem ad cor, post eum mittit frigus, quod sanguinem ad partes inferiores impellit, et sic spiritus, superueniente frigore timoris imminentis mali grauiores fiunt, et debiliores, vnde fit quod non bene cor regant, vnde tremit.

Ad sextum dicimus, quod dum timor trahit sanguinem ad interiora, et in partibus extremis ex destitutione sanguinis, et spirituum succedit frigus, hoc frigus (cuius est proprium stringere) claudit spiracula cutis, et sic stringit capillos, et ipsi stricti se erigunt. Et ita tremit vox, quia instrumenta vocis calore destituta suũ officium præstare non possunt.

Ad septimum dicimus, quod cum per timorem superfluus calor reducatur ad viscera, tunc æstuant, et humidum absumunt, vnde sequitur sitis. Quod et succedit victis in prælio, et fugientibus.

Ad octauum respondet S.D. 1.2.q.44. ar. 11. discrimen esse inter timorẽ, et verecundiam, nam timor aduersatur appetitui animali, et naturæ, et magis quia sibi timet, et inde est, quod timor trahit sanguinem, et spiritum ad intima vbi est fons vitæ. Verecundia vero non timet de malo naturæ, sed de mala actione, et operatione, vnde solum aduersatur appetitui animali, qui residet in capite, vnde ad se sanguinem trahit, et rubefacit. Alij dicunt naturam pudefactam ante se in verecundia pro velo ponere sanguinem rubricantem. Fracastorius dixit esse, quia per verecundiam partes externæ laborant, vnde ad eas cor mittit sanguinem, quasi testimonium passionis de re mala acta.

Ad nonum dicimus duplicem esse irã, Prima vitiosa, quia tẽdit ad odium, ad vltionem, & ad contumeliam. Secunda quæ est virtuosa, et dicitur Zelus, iuxta illud Psal. Zelus domus tuæ comedit me, quam habent patres in filios inobedientes. Magistri

indiscipulos, et Iudices contra impios, quæ animum erigit ad iustitiã seruandam, et tollit omnem mollitiem, et languorem, et de ista fuit prouerbium.

Ad decimum dicimus id esse, quia signum est quod factum detestatur, vt malum, vnde parati sunt corrigi, et omne malum, et indecorum detestari, ad differentiam arrogantiũ qui parati sunt de malo ire ad peius.

Ad vndecimum dicimus prouenire, quia verecundia nõ approbat suam causam, vnde eam audiendo oculos, qui sunt cordis nuncij, alibi torquere, & caput.

Ad duodecimum dicimus esse in causam, quia dum sanguis ad cor se reducit per iram, et ibi feruet, subtiliorem ad oculos transmittit, et sic eos rubeos, et ardentes ostendit.

Ad decimumtertium dicimus dolorẽ esse ex ira, quia non potest se vendicare de recepta iniuria, voluptatem vero post vindictam factam.

Ad decimumquartum dicimus esse multos calidos, et sanguineos, quia multus sanguis est causa multorum spirituum, et multi spiritus audaciæ, frigus vero est causa timiditatis, et pauoris.

Ad decimumquintum dicimus id accidere audacibus temerarijs, qui omnia sibi subiecta iudicant, et inueniẽdo impedimentum inopinatum, subito timore corripiuntur, et fugiunt. At audaces prudentes, et generosi in maioribus periculis vires omnes assumunt, et magis sunt fortes in fine, quam in initio.

Ad decimum sextum dicimus fletum mitigare tristitiam, quia malum per lachrymas minuit, somnus autem, et contemplatio cum in se iocunda sint, et alibi mentem distrahent, faciunt, vt tristitia minoretur.

Ad decicumseptimum dicimus dolorem auocando ad cor calorẽ meatus stringit, et sic humor in oculis stans exit Letitia vero meatus laxat, et sic oculorum humor scaturit. Lachrymæ autem pauẽtis sunt calidę, quia calor genas dereliquit, vnde sentiunt caliditatem humoris, at lætitia calorem ad genas trahit, vnde sentiunt frigiditatem.

Ad decimum octauum dicimus esse, quia gaudium trahit calorem, et spiritus ad extra.

Ad decimum nonum esse per accidẽs, quia alter est ei in impedimentum lucri.

Ad Vigesimũ dicimus esse, quia amor vehementi imaginatione rei, trahit multum, et superfluum calorẽ in cerebrum, vnde ipsum debilitat.

QVÆSTIO XX.

Vtrum aer bonus, & qualitates temperata elementorum tueantur sanitatem.

VIdetur quod non. Primo. Aer est sua natura calidus, & humidus. Ergo vbique locorum, quia hoc ei ab intrinseco conuenit. Ergo non est ponenda differẽtia inter aerem, & aerem.

Secundo: Aer est elementum, elementa non agunt in mixto, nisi per qualitates suas mixtum constituentes. Hæ sunt intrinsecæ. Aer vero quoddam extrinsecum est. Ergo non habet aliquid cum mixto.

Tertio: Si qualitates elementorum mixtum alterarent, quodlibet die, & qualibet hora in se sentiret alterationem, quia sunt in continua alteratione. Hos deprehendimus falsum. Ergo temperamentum sanitatis non dependet, nec ab elementis seorsum consideratis, nec ab eorum qualitatibus extra mixtum constitutis.

Pro complemento huius libri, & residuo spectantium ad conseruandam vitam, & sanitatem hominis posita est præsens quæstio, quia communi opinione Medicorum, vt etiam testis

ftis est experientia, plurimum depẽdet ab elementis temperatis, in suis qualitatibus.

Primo: Ergo considerandum venit, non solum esse necessariam sanitatẽ,& bonum temperamentum qualitatum elementarium in corpore nostro, verum etiam procurandum est,ne ista bona temperatura à qualitatibus alteratis, & distemperatis alteretur, & à sua naturali dispositione remoueatur, quod non faciet nisi se custodiendo ab excedente calido, frigido, humido,& sicco. Galenus autem lib. de constitutione artis medicatiuæ cap. 10. enumerauit sex causas, quæ corpus nostrum alterãt,quæ sũt aer,motus,quies,cibus, & potus, somnus, & vigilia,inanitio,& repletio. His etiam alias qualitates elementorum libenter adiungimus.

Secundo, ergo considerandum est, quod inter cætera externa spectanda principalia aer est, qui est nobis familiarior, & necessarior, cum cõtinuo ad interiora illum per respirationem trahamus, & sit ille, qui aliorum elementorum suscipit qualitates, & ad nos traducit circũscribens semper nos, vnde locus etiã definitur per ipsum, inquantum ambit nos secundum superficiem.

Aer.

De aere ergo agendo primo dicimus multa in eo esse pensanda.

Primum est, quod hic noster aer, qui nos ambit, & cingit est impurus, & multis qualitatibus alteratus, quæ si bonæ,et temperatæ sunt, illum laudabilẽ faciunt, si non, illaudabilem eum reddunt, quia vt dicit Galenus in 3. Terapenticæ c. 5. Alias quidem materias, et eligere, et fugere possumus, eam autem materiam, quæ ex continente, nos non possibile est fugere, sed necessarium est vti ea, quæ est præsens. Et in 4. de accidenti, et morbo cap. 7. ait. Aer qui vicinus est cuti dissoluit membra sub cuti existentia, ita quod inaniuntur. Et Conciliator sua 14. differentia dicit. Et plus nocet, quam cibi, & potus, quod multis rationibus probat differentia 114. Vnde magna diligentia adhibenda est circa naturam aeris.

Secundum est, quod bonus aer à malo dignoscitur, si habeat qualitates de quibus dixit Auicenna in 2. primi dum ait. Aer quidem dum est temperatus, et clarus, neque substantia extranea complexioni spiritus contraria ei admiscetur, est sanitatis efficiens, et conseruans, cum vero est contrarium, contraria operatur. Prima ergo conditio aeris boni sit, quod sit temperatus, et clarus, et complexioni habitantis sub eo accommodatus, quia non idem aer est omnibus bonus, sicut nõ est omniũ vnum temperamentum. Aer autem purus, et clarus tunc dicitur, cum, ei non admiscentur vapores mali, neque fumi rerum malarum, qui discoopertus est cęlo, neque constrictus est in parietibus, vel intra muros, longe à locis in quo oriuntur caules, et eruca aut nuces, aut ficus, liber ab odoribus putridis, ventis bonis insufflantibus discoopertus. Vnde aer vaporibus mixtus, vel loci in quo sunt stagna, paludes, olera, et arbores, putridæ, et similia, malos vapores emittentia, ex quibus aer alteratur, corrumpitur, vel male afficitur, et malam suam qualitatem in homines traducit.

Secunda conditio boni aeris est, quod sit temperatus in caliditate, et frigiditate, vnde dixit Auicenna de tali aere Aer bonus est ille, qui non est retentus in terra profunda, qui cito calefit cum Sol oritur, et cito infrigidatur cum Sol occidit, neque strictus est inter parietes, qui parum est, quod fuerunt constructi, et nondum integre ad perfectam siccitatem deuenerunt, neque suffocat guttur cum attrahitur, et qui non est distemperatus in qualitatibus suis. Nam

Nam calidus aer dissoluit, et laxat, si caliditas eius multa fuerit, et colorem efficit citrinũ, et resoluit, quod de sanguine ad exteriora trahit. Ipse quoque multum efficit sudorem, et minuit vrinam, et digestionem debilitat, et sitim facit. Calefacit iuncturas, et eas laxat, humores resoluit, spiritum, et virtutes deijcit, digestionem prohibet, propterea, quod calorem innatum occultum resoluit, quod instrumentum existit animæ, et naturæ. Similiter aer distemperatus in frigiditate, multum nocet debilibus, imbecillem eorum calorem congelando, porosque constipando: Multum mortificat, catharum facit, neruos debilitat, & tracheam arteriam magno nocumento impedit. Similiter aer turbatus tristificat animam, & commiscet humores, vbi lucidus, clarus, purgatus, temperatusq; mulcet, oblectat, & temperat, sed & humidus cutem lenit, et corpus humectat, et siccus cutem denigrat, & eam exsiccat.

Tertia conditio boni aeris est, vt sit longe ab omni malo odore, & putrefactione. Vnde non est permittendũ prope ciuitates, & loca habitata, si fieri potest, vt in aquis macerentur lina, asphaltum, & similia, nec fiant, vt dicitur Risare, in eis projciantur sordida, & aquæ stent immobiles, & similia, quæ omnes sciunt aerem malo odore alterare, & grossitie, et feditate aquarum aerem inficere, vt quandoque fit causa magnarum Febrium, et pestilentiæ, vt dixit Auicenna in prima quarti tract. 4. Ideo videmus in simili aere habitantes colorem habere citrinum, anhelitum grossum, et vitam breuem.

Tertio: Hinc sequitur, quod si bonus eligendus est aer bona etiam habitatio erit eligenda, quæ has habeat conditiones.

Habitatio. Prima vt sit remota ab oletibus malis, et locis putridis, et vbi aquæ stant immobiles, aut sunt canales non purgati, fætidi, et male olentes, quia ista omnia malum aerem faciunt.

Secunda, vt sit in loco alto, Soli, et ventis flantibus exposito. Nã in his habitantes euadunt saniores, fortiores, pulchriores, et ingegniosiores, habitantes enim in locis profundis existunt in multa vaporositate, et hepatis sortiũtur debilitatem Hinc dicit Haliabas in 5. Theoricæ c. 9. Dico quod regiones altæ, et claræ, et loci eorum similiter, eorum aer est clarus, et frigidæ complexionis. Ventus enim borealis illas ab altis perflat locis. Et ideo populus inhabitans est decens facie, et coloris fortis, sanus, paucorum membrorum, corporaque eorum hominum magna, aerem enim respirant clarum, qui ab altis venit locis. E contra autem se habent, qui in profundis inhabitant locis, loca enim alta sunt euentabilia, profunda non. Addimus locum profundum esse alto calidiorem, ex minori reflexione radiorum, loca autem calida digestiuam dant debilem, et fit magna in eis resolutio humidi radicalis, vnde cito eis aduenit senium, sicut habitantibus in terra nigrorum accidit, quibus aduenit senium annis 30. et eorum corda sunt timida, propterea quod calor resoluit multũ spiritus, vt dixit Auicenna in 2. 1. doct. c. 10. Habitantes autem in locis frigidioribus, secundum eundem sunt corpore fortiores, et audaciæ maioris, et melioris digestionis.

Tertia est, vt ista habitatio, vel in mõte, vel in loco alto, naturaliter, vel artificialiter sit versus meridiem, et occidentem parietibus cooperta, et versus orientem, et septentrionem sit exposita, et libera, suasque teneat fenestras, et si vicinum habuerit flumen currens, bonæ, et salutaris aquæ, tanto melius, dicente Auicenna. Ciuitates magis temperatæ ex-

par-

partem montium sunt, quæ ab oriente discoopertæ sunt, et à septentrione, et coopertæ ab occidente, et meridie. Oportet ergo vt fenestræ, et portæ sint orientales, et illud quod magis sollicitari debes, vt venti orientales stricturas ingredi valeant, vt Sol ad vnum quemque locum intrare queat, qui ibi existit, quoniam ipse est, qui aerem rectificat. Et subdit. Vicinitas quoque aquarum, dulcium, mobilium, currentium, mundarum, et quæ hyeme infrigidantur, et æstate calefiunt, et diuersæ ab eis quæ occultantur, scilicet puteales est res conueniens, et adiutorium præbens. Vtilior est autem facies orientalis, quam septentrionalis, quia est magis Sole illustrata, clarificata, et purgata, quam pars versus Septentrionem, quæ solet esse frigida, et sicca.

Distinguendum tamen puto, et dicendum, quod in locis calidis ædificia meridiei exposita non sunt laudabilia, vt supra diximus, at in locis frigidis vtique, quia fere per totum diem calore Solis illustrantur, fouentur, et purgantur. Generaliter tamē diximus, domos Meridiei expositas habentes portas, fenestras, et atria non laudari. Primo cum nimius calor membra debilitet, serius hebetet, appetitum cibi dissipet, stomachum languidum reddat, et caput graue. Secundo, quia sunt expositæ ventis meridionalibus, calidis, et humidis, qui secundum Arist. in Meteoro. alias, auditum grauāt, oculos caligant, et membra pigra reddunt, & debilia. Dolorem capitis inducunt, epilepsiam accelerant, et febres putridas generant, poros aperiunt, et lassitudinem gigniunt. Venti etiam occidentales sunt frigidi, et in pluribus locis humidi, vnde grossiores sunt. Venti vero septentrionales corpora indurant, fortificant, digrestiuam fortem efficiunt, et aerem putridum dissipant. Caput et sensus leues reddūt, cerebrum cōfortāt, humores rectificant, appetitum augent, digestionem adiuuant. Habenda est tamen hic ratio locorum, quia venti de se boni, per accidens possunt mali fieri, si contingat per mala loca flare, et transire, et loca septentrioni solum exposita, nisi etiam ab oriente lucem, et calorem recipiant, ob nimiam frigiditatem non laudo, et minus in hyeme, quādo loca calidiora quæruntur, non tamen Austro exposita, ab eius malitia.

Quarto: Principaliter dico etiam esse habendam rationem temporum pro conseruanda valetudine, ista vt in hyeme ignis bonus erit, et in mane cum surgis à lecto, vt tollat frigiditatem, et humiditatem aeris noctis. Et tanto erit melior si fiat cum lignis calidis, et odoriferis, manendo in domo bene à ventis custodita, non exeundo ad aerem perflante maxime Borrea, fugiendo extremum, et graue frigus, in omnibus membris, et præcipue in capite, et pedibus. Non erit tamen multo tempore foco inherendum, ne corpus pigrescat, et ingenium debilitetur, et malis vaporibus cerebrum repleatur, vt inde catharri, et reuma ta proficiscantur. Et in summa ab omnibus frigidis multum tunc est abstinendum, et calidis, et siccis erit vtēdum, et liberius tunc cibos grossiores, et ad digerendum fortiores comedimus, se exercitando tunc plus, quam alio tempore. *Tempora.*

In Æstate vero opposita fiant, et eligantur, quia contraria contrarijs curantur.

In Autumno erit cauendum à coitu, ac ab omnibus alijs exsiccantibus, et à fructibus illius temporis.

In Vere à calidis, et humidis erit abstinendum.

In summa debet qui sane vult viuere se abstinere à nimis calidis extrinsecis, et intrinsecis receptis, habita cō-

fide-

sideratione suæ complexionis, quia vt dicit Auicenna. Caliditas maior quam debet reddit corpus siccius, quam oportet, et corpus dissoluit, subtiliat, et eius membra separat.

Ita excedens frigiditas externa, et facta interna per cibum, vel consensum mortificat, debilitat, et omnes operationes hebetat, paralysim inducit, et ad mortem disponit.

Pariter siccitas magna, sicut et magna humiditas necant, et dissoluunt.

Cauendum est etiam ab omni odore acuto, qui capitis dolorem causat, ita et omnis odor grauis, et ingratus, quoniam cum dolore capitis cerebrum ledūt. Et ita omnia fetida spiritus resoluunt; et virtutem naturalem debilitant.

Habenda est etiam consideratio proprię complexionis deductæ à parentibus, et inspiciendum, vt illa caueamus, quę illis fuerūt noxia, et deduxerunt ad senium, et ad mortem, quia morbi parentum sępe ad filios transeunt.

Quinto debemus etiam omnia quę faciunt ad fortitudinem, et acuitatem nostrorum sensuum procurare, et scire, quod auditum debilitāt, subito post cibum dormire, vel laboriose moueri ebrietasque, nausea, balneū, Sol, vomitus, sonus vehemens percutiens meningam, et coitus. Tinnitum autem in aure causant motus immoderatus, fames multum tollerata, et vrgens, vomitus violentus, percussio capitis, casus supra caput, ebrietas, frigus multum, et repletio omnis capitis, et pharmaca. Sed tūc si eger est, qui sonitum audit non est molestandus. Ab his ergo abstinendum erit pro possibili, vt bonus sit auditus.

Sensus.

Auditus.

Visus. Visum debilitant. Balnea, vinum immoderate potatum, vētus maxime australis. Venus immodesta, piper. Allium, Porrum, Cępæ, Fabæ, Lens. Fumus, Fletus, Sinapis, aspectus solis, et albi. Ignis, labor magnus, Ictus capitis. Acria vt salsamenta. Puluis, magnæ vigiliæ. Studia, et omnis repletio.

Ecōtra illum corroborant, et acuunt. Feniculus. Verbanica. Aqua rosacea, vel chelidoniæ, & Ruta.

Dentes. Dolorem dentium sedant, & eos corroborant. Fumus seminum porri, ac cepæ, & magis si grana seminum vtantur cum Hyoscyamo, & fumus ascendat ad dentes. Sūt autem dentes, & lingua post cibum purganda, quia iuuabit ad puritatem oris, bonitatem flatus, & digestionis.

Vox. Vocem offendunt nuces, oleum, magis ex immaturis oliuis expressum, frigus capitis. Anguilla, potus nimius, & pomum crudum.

Tollunt famē, Vigiliæ, cibi calidi. Labor. Aer calidus, moderatio potus, Retentio spiritus.

Catarrum soluunt, & ab eo defendunt cooperire caput bene, ne tamen immoderate caleat, vel frigeat maxime spirante Borea, post austrinos ventos. Non exponere caput nudum sub radijs solaribus, neque sub Dio, neq; manere ad magnum ignē, trahēdo apud eum magnam morā. Abstinere à repletione, & à cibis vaporabilibus multum. Tolerare famem, ac sitim: Cauere à potu aquæ multum frigidæ. Non dormire supra dorsum Fugere somnum diurnum. Vigilare quantum possibile est.

Tandem quilibet caueat ab his, quæ expertus est sibi nocere, & prosequatur, quę nouit sibi proficere, sed videat ne sēsus illū decipiat, & sic sane viuat, quod omnibus in salutem proprij corporis, & in vltimam animæ felicitatem illi Deus omnipotens, qui semper est laudandus concedat, qui viuit ipse solus immortalis per omnia sęcula sęculorum. Amen.

Solutio argumentorū ex dictis patet.

F I N I S.

Venetijs in Conuentu Sancti Dominici die 27. Octobris 1618.



